PATROLOGIÆ

CURSUS COMPLETUS

SIVE

BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, OECONOMICA,

OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM

QUI AB ÆVO APOSTOLICO AD USQUE INNOCENTII III TEMPORA FLORUERUNT;

RECUSIO CHRONOLOGICA OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER DUODECIM PRIORA ECCLESIÆ SÆCULA,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA;

DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS LECTIONIBUSQUE VARIANTIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA;

OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS DETECTIS, AUCTA;

INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS, SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA;

CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA;

OPERIBUS CUM DUBIIS TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA;

DUOBUS INDICIBUS GENERALIBUS LOCUPLETATA: ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID UNUSQUISQUE PATRUM IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM SCRIPTURÆ TEXTUS COMMENTATI SINT.

EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR: CHARACTERUM NITIDITAS, CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO OPERIS DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM.

K.K. UNIVERSITÄTS BIBLIOTHEK GRAZ Bibliothek

SERIES PRIMA,

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ LATINÆ A TERTULLIANO AD GREGORIUM MAGNUM.

ACCURANTE J.-P. MIGNE, Cursuum Completorum IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

PATROLOGIÆ TOMUS XIII.

S. FELICIS II, PAPÆ, FAUSTINI ET MARCELLINI, S. DAMASI, PAPÆ, THEODOSII MAGNI, PACATI, FILOCALI ET SYLVII, S. VIGILII TRIDENTINI, LUCIFERI CALARITANI, S. PACIANI, HILARIANI, S. SIRICII, PAPÆ,

TOMUS UNICUS.

PARISIIS, EXCUDEBAT VRAYET,
IN VIA DICTA D'AMBOISE, PRES LA BARRIERE D'ENFER,
OU PETIT-MONTROUGE.

1845.

ALMA COLLEGE 208.1 LIBRARY M588 Alma, California

7853

SANCTORUM

DAMASI PAPÆ ET PACIANI

NECNON

LUCIFERI

EPISCOPI CALARITANI

OPERA OMNIA

JUXTA MEMORATISSIMAS MERENDÆ, GALLANDI, ET FRATRUM COLETI EDITIONES RECENSITA ET EMENDATA.

INTERMISCENTUR

FELICIS PAPÆ II, FAUSTINI ET MARCELLINI, THEODOSII MAGNI, VACATI, VARIORUM, FILOCALI, SYLVII, S. VIRGILII TRIDENTINI, JULII HILARIANI, S. SIRICII PAPÆ,

UNIVERSA QUÆ EXSTANT OPUSCULA,

EX GALLANDI, COUSTANTII BOLLANDISTARUMQUE COMPLETISSIMIS COLLECTIONIBUS EXCERPTA, CASTIGATA, ET NUNC PRIMUM IN UNUM VOLUMEN COADUNATA.

ALMA COLLEGE
LIBRARY
Alma, California

PARISIIS,
EXCUDEBAT VRAYET,
IN VIA DICTA: RUE D'AMBOISE, HORS LA BARRIÈRE D'ENFER,
AU PETIT-MONTROUGE.

1845.

7853

ELENCHUS

OPERUM QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

S. FELIX PAPA II.

Epistolæ. Col. 9.

FAUSTINUS ET MARCELLINUS PRESBYTERI.

Liber de Trinitate. 34
Faustini Fides. 79
Faustini et Marcellini libellus precum. 81
Rescriptum Theodosii pro Marcellino et Faustino. 107

S. DAMASUS PAPA.

De S. Damasi opusculis et gestis. 111
Diatribæ duæ illustrantes gesta quædam pontificum Liberii et Damasi. 281
S. Damasi Epistolæ. 347
S. Damasi Carmina. 375
S. Damasi opera apocrypha. 423
Catalogus Romanorum pontificum sub Liberio descriptus. 441

THEODOSIUS MAGNUS ET PACATUS.

Panegyricus Pacati Theodosio dictus. 471
Selecta Theodosii de religione decreta. 521

S. VIGILIUS TRIDENTINUS.

Epistolæ duæ. 549

VARII AUCTORES.

Monumenta vetera ad Arianorum historiam pertinentia. 557

DIONYSIUS FILOCALUS ET POLEMEUS SYLVIUS.

Kalendaria antiqua. 671

LUCIFER CALARITANUS.

Liber de Non conveniendo cum hæreticis. 767
Liber de Regibus apostaticis. 795
Pro S. Athanasio libri duo. 817
Liber de Non parcendo in Deum delinquentibus. 936
Liber Moriendum esse pro Filio Dei. 1008

S. PACIANUS.

Epistolæ tres ad Sympronianum. 1051
Exhortatorius libellus ad pœnitentiam. 1081
Sermo de Baptismo. 1089

Q. JULIUS HILARIANUS.

Libellus de mundi Duratione. 1097
Expositum de die Paschæ et mensis. 1105

S. SIRICIUS PAPA.

Epistolæ et decreta. 1131

Col. 693, in nota : *Veronensis*; leg. *Venetæ*. — Col. 1265, lin. 13 *tribuebnat*; leg. *tribuebat*. — Col. 141, lin. 9 *cui*; leg. *cur*. — Col. 130, lin. 18 (ascendendo) : *tempore*; leg. *tempori*. — Col. 202, lin. 14 : *Romanii*; leg. *Romanæ*. — Col. 262, lin. 19, ante § 1, lege : CAP. XXV. — Col. 322, lin. 25 (ascendendo) : *concili*; leg. *concinit*. — Col. 378, Carm. VI, vers. 1 : *spes vita*; leg. *spes, vita, vita*. — Col. 403, Carm. XXXI, vers. 1 : *hoc tumulto*; leg. *hoc tumulo*. — Col. 409, Carm. XXXV, vers. 1 : *hac*; leg. *hinc*. — Col. 375-376, lin. 2 (ascendendo) : *adeas*; leg. *ad eas*.

MIGNE succursaliste, à Montrouge, de Vrayet de Surcy, imprimeur à Paris.

SANCTUS FELIX PAPA II.

(EX LABBEO, CONC. TOM. II, COL. 843-859.)

NOTITIA BIOGRAPHICA DE S. FELICE

EX LIBRO PONTIFICALI DAMASI PAPÆ DESUMPTA.

[a] Felix natione Romanus, ex patre Anastasio, [b] sedit annum unum, menses tres, dies tres. [c] Hic declaravit Constantium filium Constantini hæreticum, et secundo rebaptizatum ab Eusebio Nicomediensi juxta Nicomediam in Aquilone villa. [d] Et pro hoc declaratu, ab eodem Constantio Constantini Augusti filio, martyrio coronatur, et capite truncatur. Hic fecit basilicam via Aurelia milliario ab urbe secundo, cum presbyterii honore fungeretur. Et ad eamdem basilicam emit agrum circa locum, quem obtulit ecclesiæ quam fecit. Hic fecit ordinationem unam in urbe Roma per mensem Decembrem, presbyteros

A

[a] *Felix.* Felix, Liberii diaconus fidelis et catholicus, ab Arianis suffectus est in locum exsulantis et relegati Liberii. Pontificiam sedem si (quod ait liber pontificalis) legitime tenuit, vivente adhuc atque pro fide exsilium sustinente Liberio vero pontifice, non aliter quam chorepiscopus obtinuisse potuit, ne unius corporis ecclesiæ duo forent capita : si vero, quod communiori patrum sententiæ convenientius est, ab Arianis in eam intrusus, ab iisdem molitione Epicteti episcopus ordinatus fuerit, ut schismaticus aliquis, jure magis usurpato quam debito eamdem occupasse debuit. Ab eo tempore, quo Felix Constantium, Ursacium, Valentem, aliosque Arianos excommunicando, vexillum fidei ipse erexit, quove Liberius ob manifestam hæreticis communionem, a catholicorum communione plane extorris existimatus est, quasi impossibile sit eumdem cum hæreticis et catholicis simul communicare posse : ille omnium catholicorum judicio, quanquam antea schismaticus fuisset, legitimus Ecclesiæ catholicæ pontifex haberi cœpit. Vide quæ diximus in notis ad Vitam Liberii, ad concilium Mediolanense et Sirmiense. SEVER. BINIUS.

B

[b] *Sedit annum unum, menses tres, dies tres.* Nimirum a lapsu Liberii ad obitum suum. Idem fere Sozom. lib. IV, cap. 14, dicens, eum post reditum Liberii tantum ad modicum temporis spatium sedem tenuisse. Huic sententiæ etiam illud consentaneum est, quod non nisi unam ordinationem mense Decembri fecisse dicatur. Quod ait Marcellinus, Felicem post obitum Constantii mortem oppetiisse, et ad consulatum Valentiniani atque Valentis, annis videlicet octo post reditum Liberii superstitem fuisse, quodque Romanus clerus, Liberio in exsilium misso, juraverit se nullum creaturum pontificem, donec Liberius ipse restitueretur, quosdam vero ex illis perjuros effectos Felicem intrusisse, majore affectu erga Ursacium quam veritate scripsit et dixit. Vide Baron. anno 357, num. 61 et 67. SEVER. BINIUS.

C

[c] *Hic Constantium secundo rebaptizatum ab Eusebio Nicomediensi.* Constantium secundo rebaptizatum fuisse ab Eusebio Nicomediensi, falsissimum est : tum quod Athanasius lib. de Synod., et Socrates lib. II cap. ult., affirment, eum tempore mortis ab Euzoio Ariano baptismo initiatum fuisse : tum quod Hilarius lib. de Synod. post hæc tempora in eum invehatur, quod non regeneratus, ut ait, ecclesiis credendi formam præscribere auderet. Vide Baron., an. 357, num. 62. SEVER. BINIUS.

[d] *Et pro hoc declaratu*, etc., *martyrio coronatur.* De obitu Felicis, liber pontificalis hic, et in Vita Liberii mire admodum variat. Eum martyrio occubuisse testatur Romanum martyrologium. Quod ingressus illius vitiosus sit et iniquus, et de exitu ipsius scripta inter se pugnantia nutent; ideo tempore Gregorii XIII, anno Christi 1582, diu multumque inter viros doctos, ad corrigendum martyrologium deputatos, dubitatum fuit, deberetne hic sanctus Felix in emendatum martyrologium referri. Expunctum fuisset nomen illius, nisi arca marmorea in basilica sanctorum Cosmæ et Damiani vigesima octava Julii, pridie nimirum ejus diei quo celebrari solebat memoria hujus Felicis, inventa fuisset cum hac inscriptione, antiquis characteribus marmori incisa : *Hic jacet corpus sancti Felicis papæ et martyris, qui Constantium hæreticum damnavit.* Quam inventionem cum omnes non immerito divinitus contigisse crederent, suam quam conceperant sententiam merito retractarunt, eamque in majorem martyris gloriam commutarunt. Vide Baron. anno 357, num. 63; Bellarm. lib. IV de Roman. pontif., cap. 9. SEVER BINIUS.

Summam Dei providentiam, qua semper moderatus est ipsam Romanam Ecclesiam, hic, lector, mecum paulisper intuere. Labefactato non quidem participatione hæresis, sed Arianorum dumtaxat communione Liberio, Felicem antea eorumdem communicatione conjunctum ex adverso Deus excitat; statimque eumdem erigit adversus eos ipsos Arianos, quorum sane ope fuerat Romanam cathedram consecutus, et magno præsidio contra adversarios confirmat; sicque ad pugnam roborat, ut exagitans omnes Arianos, eorumque principem Constantium anathemate feriens, pro mercede corona martyrii insignitus fuerit. Felice defuncto, nullus in locum ejus subrogatus est : nam Liberius abrupta penitus, quæ recipiendæ sedis causa intercesserat, Arianorum communione, ab omnibus legitimus Romanæ ecclesiæ pontifex, ut fuerat ante, cognitus et acceptus est. Risu igitur potius quam redargutione dignum est recentiorum quorumdam historicorum, quos libenter sequuntur Magdeburgenses, commentum, dicentium Felici secundo fuisse suffectum Leonem quemdam Arianum, in S. Hilarium parum æquum, quem sero ad synodum accedentem, in pœnam humi considere jusserit : atque ideo eadem a Deo vindice, qua Arius, pœna mulctatum, una cum visceribus animam efflavisse. Sed cum, omnium antiquissimorum testimonio, Leo I tempore concilii Chalcedonensis sederit; cumque nulla mentione hujus rei facta, omnes omnino Liberio et Felice defunctis, Damasum substituerint; non historiam, sed fabellam esse scias, a recentioribus forte excogitatam, quod falso opinati fuerunt, Liberium, Felice secundo expulso, instar Leonis in catholicos sæviisse. Vide Baron. anno 357, num. 69; Bellarm. lib. IV de Rom. pont., cap. 9. SEVER. BINIUS.

21, diaconos 5, episcopos per diversa loca 19. Qui etiam [1] passus est in civitate Corona cum multis clericis et fidelibus occulte juxta muros urbis [2] ad lacus Trajani, tertio idus Novembris. Et exinde raptum est corpus ejus a presbyteris et clericis noctu, cum A Damaso presbytero, et sepultum est in basilica supradicta, quam ipse via Aurelia construxerat, [3] duodecimo kalendas Decembris, milliario secundo. Et cessavit episcopatus dies triginta octo.

[1] *Capite truncatus.*
[2] *Ad latus formæ Trajani.*
[3] *Decimo septimo.*

EPISTOLÆ ET DECRETA.

[a] [1] EPISTOLA

S. ATHANASII ET ÆGYPTIORUM PONTIFICUM AD FELICEM II PAPAM.

De infestationibus Arianorum.

Domino beatissimo et honorabili, sancto patri Felici, sanctæ sedis apostolicæ urbis Romæ papæ, Athanasius et universi Ægyptiorum, Thebaidorum, et Libyorum episcopi, in sancta Alexandrina synodo gratia Dei congregati.

Vestro sancto suggerimus (*Maurus Cæsenæ episc. ad S. Martinum; consess. 1 concil. Later., anno* 649) apostolatui, ut nostri, more solito, sollicitudinem gerere dignemini, juxta vestram prudentissimam sapientiam, quæ omnibus luce clarius manifesta est: quia apostolicis vestra beatitudo visceribus commota (*Deusdedit Calaritanus ep. ad S. Martinum*) super tribulatione nostra, nos omnes hortata est, ad tuitionem catholicæ et apostolicæ Ecclesiæ in unum convenire, et de nostra oppressione canonice et unanimiter tractare, dum constat vos una cum beato Paulo apostolo eadem compassibiliter dicere: *Quis infirmatur, et ego non infirmor? Quis scandalizatur, et non ego uror* (II *Cor.* XI, 29)? satagentes ne aliqua de his, quæ vobis creditæ sunt, rationabilibus ovibus a bestiis capiatur. Ideo, pater beatissime, quia semper antecessores nostri, et nos a vestra apostolica sancta sede auxilium hausimus, et nostri vos curam habere agnovimus, præfatam apostolicam et summam expetimus juxta canonum decreta sedem, ut inde auxilium capiamus, unde prædecessores nostri ordinationes et dogmata atque sublevationes ceperunt. Ad eam quoque quasi ad matrem recurrimus, ut ejus uberibus nutriamur, quoniam non potest mater oblivisci infantem suum. Sic et vos nolite oblivisci nos vobis commissos, quoniam non levibus nos inimici nostri implicaverunt afflictionibus, B et quotidie facere moliuntur, et apprehendere, aut ferris nos constringi minantur (*Stephanus Dorensis ad eumdem papam cons.* 2 *ejusdem synodi*), nisi eorum consentiamus erroribus: quod nequaquam vobis inconsultis agere præsumimus. Canonibus quippe jubentibus, absque Romano nos de majoribus causis nihil debere decernere pontifice. Ideoque ad propositum recurrentes, et ad bravium properantes, vestræ apostolicæ sedis imploramus auxilium: quia, ut credimus, non despexit Deus preces cum lacrymis sibi oblatas servorum suorum, sed ob id vos prædecessoresque vestros, apostolicos videlicet præsules, in summitatis arca constituit, omniumque ecclesiarum eis curam habere præcepit, ut nobis succurratis, nosque tuentes, cui omne episcoporum judicium est commissum, liberare ab hostibus nostris non negligatis. Nam scimus in Nicæna magna synodo trecentorum octodecim episcoporum, ab omnibus concorditer esse roboratum, non debere absque Romani pontificis sententia concilia celebrari (*Socr., l.* II, *cap.* 8 et 17; *Soz., l.* III, *c.* 9), nec episcopos damnari, licet hæc et alia quam plura necessaria ab hæreticis, qui nos quotidie infestant et perdere nituntur, ut facilius nos capere possint, sint synodica capitula incensa, nobisque sublata. Qua de re, hac inventa occasione indifferenter, omni canonica et apostolica postposita auctoritate, nos vi a propriis, vobis inconsultis, illicite expellunt sedibus: ovesque nobis a Christo Domino apostolica commissas gratia, invadunt, gradibus privant, et quod pessimum est, et omnibus Christianis legibus inimicum, interficere decertant. Vos ergo (ut semper vestræ sedi sanctæ consuetudo fuit) periclitantibus subvenite, oppressos roborate, tribulatis malum porrigite, taliaque prohibete, et leges imponite, ut apostolica doctrina, quæ in Deo est, cito ad victoriam judicium

[a] *Epistola.* Hæc epistola sub nomine Athanasii ad Felicem ex synodo Alexandrina scripta ab episcopis Ægypti, Thebaidis, et Libyæ, de fide suspecta est tum quod hoc tempore, quo Athanasius fuga elapsus in eremo latitabat, quove cum Liberio omnes episcopi orthodoxi, decreto imperatoris et Mediolanensis conciliabuli, sedibus suis exturbati erant, neque locus, neque tempus cogendæ synodi esse potuerit: tum quod hac epistola ad Felicem scripta, ipsum Felicem de sua ipsius ordinatione certiorem reddat. An rescriptum Felicis fortasse eodem defectu laboret, alii judicent. Illam epistolam, cujus fragmenta sub nomine Felicis in Chalcedonensi concilio exstant, a Felice secundo scriptam fuisse, doctissimis quibusdam viris auctoribus, existimatum est, hac de causa, quod prædictum fragmentum in concilio Chalcedonensi, act. 1 et apud Cyrillum in sua apologia post epistolam Julii papæ attexatur. Sed eam sententiam ex argumento et titulo ejusdem epistolæ redarguimus supra in notis ad 4 epistolam Felicis primi. SEVER. BINIUS.

[1] Ad malas mercatoris merces has ineptæ farraginis quisquilias Baronius aliique eruditi viri ablegant.

[2] Ergo et aliæ omnes ταυτοῦ κόμματος ex eadem officina depromptæ.

perducere valeat nostrum, nosque (apostolorum principe suffragante Petro) ab imminentibus periculis liberare. Novimus namque in jam præfata Nicæna synodo (*Et habetur in epistola decr. Julii contra Orientales pro Athanasio, c.* 7) generaliter esse decretum, ut nullus passim vageque episcopos, aut præsumptive lacerare, aut accusare, et qui non sunt rectæ fidei, vel bonæ vitæ, vel claræ conversationis, aut infamare præsumat: sed prius, si erga episcopos vel auctores Ecclesiæ quisquam causam habuerit, eos cum charitate mansuete conveniat, ut ab eis vulnus, unde agitur, recte sanetur: aut ipse, si secus egerit, accusator excommunicetur. Quod si ab eis nihil valuerit recte percipere, tunc primo summos adeat primates, et ipsi, tempore congruo, canonice eos convocare debebunt (*Ibid., c.* 17). Qui si aut suis rebus exspoliati, aut a propriis sedibus ejecti, aut exsulantes, vel oppressi aut inique tractati fuerint, primo eruantur, et canonice restituantur (*Ibid., c.* 8), atque omnia sibi sublata integerrime eis legibus reddantur (*Hadr. coll.* 33): quoniam priusquam hæc fiant (ut in prædicto constitutum est concilio), nec canonice convocari, nec [1] distingui a quoquam possunt, quoniam nec sæculi leges hæc fieri permittunt, quanto magis ecclesiasticæ! Similiter et a supradictis patribus est definitum consonanter, ut si quisquam episcoporum, aut metropolitanorum, aut comprovinciales, vel judices suspectos habuerit, vestram sanctam Romanam interpellet sedem, cui ab ipso Domino potestas ligandi ac solvendi (*Matth.* XVI) speciali est privilegio super alios concessa. Ipsa enim (*Sergius Cypri ep. ad Theodorum papam, cons.* 2 *concil. Lateranensis*) firmamentum a Deo fixum et immobile percepit, quoniam ipsam formam universorum titulorum lucidissimam, Dominus Jesus Christus vestram apostolicam constituit sedem. Ipsa est enim sacer [2] vertex, in quo omnes Ecclesiæ vertuntur, sustentantur, relevantur. [a] Et sicut in Christo Christiani, et in petra, id est Christo, Petrus, Petri renovantur Ecclesiæ. Tu es enim (sicut divinum veraciter testatur eloquium) Petrus, et super fundamentum tuum Ecclesiæ columnæ, id est, episcopi, qui Ecclesiam sustinere, et propriis humeris portare debent, tibi sunt confirmatæ, tibique claves regni cœlorum commisit, atque ligare et solvere potestative quæ in terra et in cœlis sunt (*Matth.* XVI), promulgavit. Tu profanarum hæresium, et impetitorum, atque omnium infestantium depositor, ut princeps et doctor, caputque omnium orthodoxæ doctrinæ, et immaculatæ fidei existis. Igitur ne despicias, pater, tuorum patrum pietatem, bonamque intentionem. Et sicut illi, patres et prædecessores nostros a multis liberaverunt

A oppressionibus et angustiis, ita nos liberare digneris. Nam fuit semper vestræ sanctæ et apostolicæ sedi licentia, injuste damnatos vel excommunicatos, potestative sua auctoritate restituere; et sua eis omnia reddere, et illos, qui eos condemnaverunt, aut excommunicaverunt, apostolico punire privilegio, sicut etiam nostris et anterioribus cognovimus actum temporibus. Porro et ipsi primates, qui episcoporum et summorum ecclesiasticorum negotiorum causas suscipere debent, in præfixa Nicæna synodo sunt dinumerati, ne in posterum contentio ex hoc oriretur. O sanctissime pater patrum (*Idem Sergius episc. mox cit.*), abscinde blasphemias, et jactantiam vaniloquorum, et insidiantium infestationes, nos et fratres nostros opprimentium, atque perdere volentium, qui
B ad vos, quasi ad caput confugimus, ut vestro suffulti auxilio liberemur, et vobis nobisque commissas Christi oves a luporum ore, Domino adminiculante, antequam deglutiantur, eripiamur. Nec enim fas est (*S. Martinus papa ibidem*), supplicum apostolicæ sedis scripto, aut sine scripto preces oblatas despicere, sed (ut condecet, ut privilegium vestræ sedis est) et nos et illi canonicaliter convocemur, et ante vos de nostris objectionibus canonice cum omni probitate concertemus, sicut prædecessores nostri penes vestros fecerunt antecessores, et sicut canonica in prædicta sancta synodo docent instituta, et veluti palliati [3] verbi per ventilabrum canonicæ examinationis; plenam purgationem in communi consistentes auditorio, de maturis et enutrientibus catholicæ Ecclesiæ dog-
C matibus, quæ confirmant cor hominis, per participationem paternarum consequamur institutionum. Antiquis enim regulis (*PP. Afr. in ep. ad Theodorum papam, cons.* 2 *conc. Later., an.* 649 *celebrati*) sancitum est, ut quidquid quamvis in remotis, aut longinquis positis provinciis super episcoporum querelis, aut accusationibus ageretur, non prius tractandum vel accipiendum esset, quam ad notitiam almæ sedis vestræ fuisset deductum, ut hujus auctoritate, [4] juxta quæ fuisset, pronuntiatio infirmaretur, aut firmaretur: indeque sumerent normam, unde Ecclesiæ sumpsere prædicationis exordium, nec passim ab insidiatoribus columnæ everterentur Ecclesiæ. Certum est enim, eidem sanctæ sedi vestræ, in honorem beatissimi Petri, patrum decreta peculiarem decrevisse
D reverentiam Dei, pro rebus inquirendis atque determinandis, quæ sollicite decet, justeque ab ipso præsulum examinari vertice apostolico, cujus sollicitudo semper fuit et est, tam mala damnare, quam probare laudanda. Quocirca humillimum vestro apostolico culmini persolventes obsequium, ut ipse Dominus præcepit, et sanctorum decreta patrum

[a] *Et sicut.* Legendum videtur: Et sicut in Christo Christiani, ita et in petra, id est, Petro, renovantur Ecclesiæ: ut sit sensus, Romanæ Ecclesiæ pontificem, si quid in cæteris ecclesiis vitiatum aut depravatum sit, sua auctoritate et posse et debere corrigere. SEVER. BINIUS.

[1] *Forte Distringi.*

[2] Sic Græci πόλον ἀπο τοῦ πολεῖν, neque ex hoc etymo arguas Latine scriptam potius esse quam Græce.

[3] *verbis.*

[4] *Juxta quæ fuisset pronuntiatio facta, infirmaretur.*

statuerunt, cum lacrymis suggerimus, quod sine gemitu cordis reticere non valeamus. Nam in tantum a persecutoribus sanctæ Dei ecclesiæ, nostrisque inimicis persequimur, ut magis nos tædeat vivere, quam mori. Unde præ omnibus fatemur in tantum cor esse nostrum vulneratum (*Victor Carth. in ep. ad Theodorum papam*), ut propheticum illum planctum exoptemus, dicentes: *Quis dabit capiti nostro aquam, aut oculis nostris fontem lacrymarum, ut sedentes, ploremus die ac nocte* (*Jerem.* IX)? Ecce enim Ecclesia Dei non leviter perturbatur, columnæque ejus nimis infestantur, atque a pravis amoveri hominibus nituntur. Christianorum vero voces ac gemitus episcoporum longe lateque resonant, novitates insurgunt, calumniæ crescunt, persecutio grassatur, perditio fit populorum. Vestrum est enim, nobis manum porrigere, quia vobis commissi sumus. Vestrum est nos defendere atque liberare; nostrumque est a vobis auxilium expetere, vestris parere jussionibus. Præ nimio ergo dolore et gemitu, omnia quæ nobis instant, et nos infestant, [1] necessario recordari, vobisque significare nequimus. Ideo almum vestrum exoramus apostolatum, ut super his legem, quæ in memorata Nicæna synodo est promulgata, licet prædictorum insidiatorum et aliorum malorum hominum (ut facilius episcopos, Deique ministros valeant illaqueare) depravatione sit suffocata, reparetis: et quæ necessaria fore cognoscitis, vestræ sanctæ sedis auctoritate nos cunctosque fratres informetis, ut malorum insidias hominum, vestra fulti auctoritate, illæsi, Domino opitulante, evadere valeamus: quia non est ovium, insidias luporum prævidere (*Conc.* III *Rom. sub Symmacho*), sed pastorum est. Scimus enim (ut semper vestræ sedis præsules, primo apostoli, deinde successores eorum fecerunt) vos universalis Ecclesiæ, et maxime episcoporum, qui *oculi* propter contemplationem et speculationem, vocantur *Domini*, curam gerere, ac de revelatione et lege nostra assidue cogitare debere, sicut scriptum: *Beatus vir qui meditatur in lege Domini die ac nocte* (*Psal.* I): quæ meditatio (*Victor Carthag. epist. cit.*) non lectione per figuram litterarum tantum conspecta, sed exuberante in vobis Christi gratia, in vestra cognoscitur conscientia immobiliter insita, et nullatenus de vestro corde recedente lege Christi Dei Domini sacrosancta, sicut in psalmo dicit propheta: *Os justi meditabitur sapientiam, et lingua ejus loquetur judicium: lex Dei ejus in corde ipsius* (*Psal.* XXXVI): *non atramento, sed spiritu Dei viti vestra in arcana conscripta; neque in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus* (II *Cor.* III), sicut beatissimi apostoli Pauli ad Corinthios missa nos docet epistola. Quibus præmissis, significamus Deo placitæ paternitati vestræ, A die 17 kalendarum Augustarum [2], indictionis quartæ, nostram humilitatem, divina gratia, suo (ut præcepit) munere præveniente, vestris sanctis ac Deo dignis precibus in sancta Romana [3] Ecclesia pontificalis honoris accepisse consecrationem et stolam: in quo dignitatis fastigio, ut a Deo omnipotente regamur altissimo, et a malis omnibus liberemur, ut non sacerdotale nomen tantum, sed Christi Domini Dei nostri protegente auxilio, et meritum habeamus, vestris sanctis ac Deo acceptabilibus nos commendantes orationibus, poscimus, quatenus et vestris deprecationibus pro nobis ad Deum effusis muniti, et eruditionibus bonis instructi, digni efficiamur, cum omni nobis populo Christiano commisso, illæsi, protegi velamento divino. Ad salutationem ergo B vestræ sanctæ et honorandæ paternitatis vice nostra, [4] Benedictum humilem vestrum fratrem, nostrum episcopum, et Alexandrum presbyterum, Crispinum quoque diaconum, vestros famulos destinavimus, quos postulamus celerius nobis a vestra beatitudine persolvi, ut vestris cohortationibus roborati, et vestris regulis informati, inimicis videlicet compressis, ad proprias prudenter consolati valeamus Ecclesias ante hiemem, Deo propitio, remeare. Vestrum est quippe, pater sanctissime, canonica districtione (*Vide finem Victoris ejusdem epistolæ*) sollicite, ecclesiasticæ regulæ adversantibus, et fratrum insidiatoribus obviare, nec permittere noviter dici, quod patrum venerabilium auctoritas omnino non censuit. Nos enim humiles corde, quæ recta sunt, C adjuvante Domino, sapientes, uno vinculo charitatis vobiscum sumus constricti, veram fidem ac religionem catholicam in omnibus fortiter defensantes. Studiosius itaque a catholicis, improbis probe resistere innitendum est, ne torpentes desidia oppressi, culpæ taciturnitatis teneamur obnoxii, et quasi favorem impendentes judicemur, dum adversa catholicæ fidei propulsare negligimus. Unde dictum est: Negligere quippe, dum possis deturbare perversos, nihil aliud est quam fovere. Nec caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obviare. Liquet, doctor sanctissime, venenosa serpentium sine simplicitate astutia dum manifesta est dolosa inimicorum fallacia. Succurrite, quæsumus, oppressis, liberate nos de manu persequentium, D ut cum beato Job cantetis: *Benedictio perituri super me veniebat, et cor viduæ consolatus sum. Justitia indutus sum, et vestivi me, sicut vestimento et diademate, judicio meo. Oculus fui cæco, et pes claudo. Pater eram pauperum, et causam quam nesciebam, diligentissime investigabam. Conterebam molas iniqui, et de dentibus* [5] *eorum auferebam prædam* (*Job* XXVII), et reliqua. Nos enim quos tua maxima exspectat cura (*Innoc. ep.* 18 *ad Alex. Antiochenum*),

[1] *Necessaria.*

[2] Anno 646, quo magis appareat fucus impostoris qui orbi voluit illudere.

[3] Romanam loco Carthaginensis substituit. Adde quod Athanasius Alexandriæ ordinatus, credo mense Januario an. 316, indictione 14.

[4] Nomina propria mutavit plagiarius ne deprehenderetur in furto.

[5] *Illius.*

id est, omnes episcopi, præcipue tuum mereri debemus judicium, et non ab aliis devorari. Merito ergo nos Domini causa respicit sacerdotes, si silentio faveamus errori (*Cæl. ep. 1 ad Gallos*). Siquidem corripiantur hujusmodi, nec sit liberum eis, pro voluntate facere judicium. Desinat novitas incessere vetustatem [1], desinat Ecclesiarum quietem inquietudo turbare. Nam ut omnes metropolitani vel reliqui episcopi sua odia aut vindictas in reliquos episcopos exercere non valeant, ideo nominatim in Nicæna synodo expressi sunt primates, qui reliquos episcopos audire et judicare debeant, ne ulla fraus in judicio episcoporum possit irruere. Vos ergo, qui in summa specula gratia Dei estis positi, attendere eos et opprimere oportet, qui in fratres seditiones et scandala excitant (*Steph. Dorensis ad syn. Later. ann.* 649). Ideoque exoramus, ut minime despiciatis humilitatis nostræ et omnium orientalium orthodoxorum sacerdotum et populorum afflictiones [2], et deprecationes cum lacrymis oblatas, sed sicut luminaria universo mundo, verbum vitæ retinentes, introductas exstinguite tenebras nefandissimorum insidiatorum, temporibus etiam nostris procaciter germinatas, quatenus funditus exstincta hujusmodi caligine, lucifer nobis resplendeat per vos, sanctissime pater, et dogmatica definitio ubique omnes lætificans, quam gloriosi Ecclesiæ sanctæ patres per propria piissima dogmata in æternæ vitæ firmam hæreditatem prædicasse noscuntur.

Incolumem te et beneplacitum Deo (*Sergius Cyp. ep. ad Theod. papam supra cit.*), sanctissime pater patrum, orantem pro nobis, Dominus custodiat in ævum. Amen.

[3] EPISTOLA I FELICIS PAPÆ II.

RESCRIPTUM AD EPISCOPOS IN ALEXANDRINA SYNODO CONGREGATOS.

I. *Ut nemo episcopum penes arbitros sæculares accuset.* — II. *Si quis adversus episcopum causam habuerit.* — III. *De eadem.* — IV. *De episcopis rebus suis exspoliatis, aut a sede pulsis.* — V. *Infames et sacrilegos ad testimonium non admittendos.* — VI. *Si episcopus vocatus ad concilium, ire non potuerit.* — VII. *De causis quæ legibus non continentur, vel prohibitæ noscuntur.* — VIII. *De accusationibus episcoporum, et rerum suarum ablatarum redintegratione.* — IX. *Quibus non liceat accusare, vel testificari.* — X. *De eadem re.* — XI. *De personis accusatorum.* — XII. *De primatibus et metropolitanis.* — XIII. *De accusationibus episcoporum, et ineptitudine accusantium.* — XIV. *Qui non debeant admitti ad accusationem.* — XV. *De eadem re.* — XVI. *Licere in ecclesiasticis negotiis, dicta causa et finita, recedere, quod in sæcularibus non licet.* — XVII. *De accusationibus episcoporum.* — XVIII. *De non terminandis causis episcoporum absque auctoritate Romani pontificis.* — XIX. *Si episcopus a comprovincialibus, vel a metropolitano senserit se prægravari.* — XX. *De judiciis episcoporum, et de tempore concesso ad præparandum, et comparandum.* — XXI. *De judicibus et accusatoribus, quales debeant esse.*

Reverendissimis atque dilectissimis fratribus, Athanasio et universis Ægyptiorum, Thebaidorum, Libyorum episcopis, in sancta Alexandrina synodo congregatis, Felix almæ Romanæ urbis et universalis Ecclesiæ episcopus, et sancta synodus, quæ in urbem Romam convenit, in Domino salutem.

Sanam vestram synodicam epistolam, per gratiam sancti Spiritus, et Deo placitum studium conscriptam, vestræ a Deo honorandæ sanctitatis gratia libenter suscepimus, atque instanter in synodo recitari per singula jussimus, et omnes intente ejus colligere verba præcepimus: super quæ dum lætari sperabamus et cupiebamus, versa est in luctum cithara nostra, cantatio in plorationem, et omne totius synodi gaudium in mœrorem translatum est (*Job.* xxx): quia non decuerat, ut hi qui corpus Christi quotidie proprio conficiunt ore (*S. Hier. in ep. ad Nepotianum*), tantam paterentur persecutionem, quoniam Dominus Deus noster salutem providens generis humani, mandavit persecutiones non fieri, neque fluctuationes inferri, nec inviderí laborantibus in agro dominico, neque dispensatores magni regis vexari aut expelli. Quiescite, inquit sancta magna Nicæna synodus (6, *quæst.* 1), et nolite persequi eos qui Deo perfecte ministrant, et sincera voluntate Dei superni mandata custodiunt, et nostris legibus subjugantur; quia nec decet, nec ordo patitur, ut iniqui et carnales, spirituales persequantur. Omnis enim qui resistit alicui, nunc vertendo, nunc celando veritatem, mentitur adversus eum, contra quem litigat. Et qui infestus est alicui, omnia sicut hostis agit, et insuper loqui contendit. Vos enim monemus, fratres, in speculis esse debere, ut in quantum potestis, et Dominus auxilium dederit, talibus nostra apostolica, vestraque auctoritate resistatis, nec quisquam vestrum a fratris auxilio se subtrahat, sed pro viribus præstet adminiculum. Quoniam, licet pauci sitis, si unanimes fueritis, nullatenus, justitia suffragante, Domino quoque opem ferente, superabimini, quia *funiculus triplex difficile rumpitur* (*Eccles.* iv). Nam si officiis sæcularibus humana lex subvenit (*S. Greg. ep.* 120 *lib.* vii), quanto magis ecclesiasticis et Domini sacerdotibus, maximeque pontificibus, qui pupillæ oculorum Domini nuncupantur, divina atque catholica lex suffragari debet! Ait enim divinum de episcopis eloquium: *Qui vos tangit, tangit*

[1] Citat hunc locum Vinc. Lirinensis, ex supra citata Cælestini I papæ epistola.

[2] Nomina Sophronii, Apollinaris et Severi resecuit falsarius.

[3] Falsam et hanc quoque meritissimo jure dixeris.

pupillam oculi mei (*Zachar.* II). Et si sæculares humana multipliciter explorantur homines lege, et requisitiones atque inducias [1] ejus multorum mensium conceduntur, ne injuste damnentur : quanto magis episcopis, qui proximiores sunt Deo, et super hos constituti, positique in cœlesti militia, quæ impensius ponderanda est, tempora sunt concedenda multo ampliora, ne a quibusdam graventur, opprimantur, vel subito damnentur ! Incipiamus ergo (*Innoc. ep.* 2), adjuvante Deo, et sancto Petro apostolo, per quem apostolatus et episcopatus in Christo cœpit exordium, quoniam plures sæpe emerserunt causæ, quæ in quibusdam non erant causæ, sed crimina : quia magis ut comperimus, iniquitate, quam charitate fratribus sunt impositæ ; et ut de cætero sollicitudo sit ne talia eveniant, capitula quædam a sanctis patribus tam in Nicæna synodo, quam et in hac sede constituta, ponamus, quibus fratres et coepiscopi nostri fulti, insidias inimicorum, auxiliante Domino, valeant evadere, et prout Dominus posse dederit, paucioribus verbis tantorum malorum imitemur compendium (*Idem papa ep.* 7), et strictim, quæ in volumine litterarum vestrarum comperimus, retractemus, et alia nonnulla instantis temporis necessaria, prout petitis, ponamus.

I. Est namque synodicis decretum institutis (*Carth.* III, *c.* 9; *Milev.* 10, *Agath. Aur.*, etc.) ut nemo episcopum penes sæculares arbitros accuset, sed apud summos primates.

II. Si quis adversus episcopum causam habuerit, non prius aliquos episcopos adeat, ut eum accuset, quam familiariter ei suam indicet querelam, et ab eo aut justam emendationem, aut rationabilem percipiat excusationem, ipsa nos instruente veritate : *Si peccaverit in te frater tuus, vade, et corripe eum inter te et ipsum solum* (*Matth.* XVIII). *Si te audierit, lucratus es fratrem tuum. Si te non audierit, adhibe duos vel tres tecum : et si non hos audierit, dic Ecclesiæ* (*Luc.* XVII), id est, accusa eum publice [2], et non prius, et reliqua.

III. Si quis episcopum post hæc elegerit accusare, summis primatibus episcoporum suam indicet causam, et non sæcularibus, qui magis ad pacem quam ad judicium eos revocent (*Carth.* IV, *c.* 26), ut charitas in omnibus et ab omnibus custodiatur. Si primates (5, *qu.* 2) accusatores episcoporum cum eis pacificare familiariter minime potuerint, tum tempore legitimo eos ad synodum canonice convocatam, non infra angusta tempora, canonice convocent, et non prius quam eis per scripta significent quid eis opponitur, ut ad responsionem præparati adveniant. Nam si aut vi (*Concil. Roman.* V, *sub Symmacho*), aut timore ejecti, aut suis rebus exspoliati fuerint, nec canonice evocari ad synodum possunt, nec respondere æmulis debent, antequam canonice restituantur, et sua eis omnia legaliter reddantur.

IV. Si quis episcoporum fuerit suis rebus exspoliatus, aut a sua ecclesia vi aut timore expulsus, quod omni Christiano nomini est inimicum, oportet et decet [3] episcoporum propositum semper prima fronte cedere, ut omnia quæ ei ablata sunt, potestati ejus legaliter reddantur, et præsul prius restituatur, et postea non statim, sed diu et per spatiosa tempora suis potestative dispositis, et ad suam necessitatem præparatis, ad tempus veniat ad causam : et si juste visum fuerit, accusatoribus respondeat suis [4].

V. Nulli infami (*ex Aniano*) atque sacrilego de quocumque liceat negotio adversus religiosum Christianum, quamvis humilis servilisque persona sit, testimonium dicere, nec de qualibet re, actione, aut inscriptione Christianum impetere.

VI. Si quis episcopus legitime accusatus, et supradicto ordine ad concilium canonice convocatus fuerit, absque ulla trepidatione ire debebit ; et si ire non potuerit (*Hadr. c.* 5), pro se legatum ad synodum mittat.

VII. Nullæ causæ a judicibus ecclesiasticis audientur (*Idem*, *c.* 11), quæ legibus non continentur, vel quæ prohibitæ esse noscuntur.

VIII. Si quis aliter non acquieverit, nisi ut episcopum accuset, supra taxato hoc tenore agere debebit, quia aliter rata non potest accusatio exsistere. Tunc primo accusati causam accusator apud primates canonice deferat (*Carth.* III, 7). Nec a communione prohibeatur accusatus, nisi ad electorum judicium canonice convocatus, infra tres aut sex vel plures menses pro suis rationem redditurus venire distulerit. Quod si probare potuerit, quod non noluerit, sed non potuerit venire, nihil ei nocebit. Ille vero, qui vi aut timore a sede pulsus, aut suis rebus exspoliatus fuerit, non prius vocetur ad synodum, quam ei omnia legibus redintegrantur. Et tamdiu in sede propria pacifice et potestative cuncta disponens resideat (*Rom.* V, *sub Symmacho*), quamdiu expulsus vel exspoliatus carere visus est rebus (3, *qu.* 2 ; *et in decret. Ivo.*, *lib.* XLIII, *q.* 3). Cum autem ad judicium venerit, si voluerit et necesse fuerit, inducias ei petenti a potribus constitutæ, absque impedimento concedantur, et judices a se electi tribuantur, ut in loco unde est ille qui accusatur, aut si alibi alicujus temerariæ multitudinis vim metuerit, locum sibi congruum eligat, quo absque timore suos, si necessitas exposcerit, testes habere (*Conc. Afric.* c. 30), et absque impedimento suam canonice sententiam finire valeat, quia multa per subreptionem evenire solent.

IX. Ut testificandi, vel accusandi licentia denegetur his qui Christianæ religionis et nominis dignitatem, et suæ legis vel sui propositi normam, aut regulariter prohibita, neglexerint (*Anianus in c.* 1 tit. 7, l. XVI *Cod. Theod.*).

[1] *Eis.*
[2] *Tunc.*
[3] *Episcoporum præpositum semper prima fronte solicitum esse ; vel sanctum propositum semper prima fronte incedere.*
[4] Et idem habetur in decretis Julii, c. 35.

X. Multum derogatio prævalet quando derogatori creditur (*Trip.* III, 8; *ex Socr.* I, 51). Ideo variis detrectationibus atque accusationibus non decet labefactari primatem, sed magis patrum regulis roborari (*Dam. ep. ad Illyricos apud Theodor.*, II, 22). Nec facile aut indifferenter suscipere accusationes præsumat, dicente Domino : *Non suspicias vocem mendacii* (*Exod.* XXIV); sed prius probare debet suspicionem et causam, aut quo animo hoc faciat, et postmodum suspicere : quia veritatis professionem (*An. in lib.* V *Sent. Pauli, tit.* 15, *sent.* 2), propinquitatis, inimicitiæ, timoris, amoris, odii et cupiditatis intentio impedire, et adversa fratribus irrogare solet.

XI. Personæ (*Hadr.*, 4 *et* 15) accusantium tales esse debent, quarum fides et conversatio et vita probabilis et absque reprehensione sit, et quæ omni careant suspicione : quia et hoc, te præsente, ut bene nosti, in Nicæna synodo, propter malorum hominum infestationem, ab omnibus diffinitum est, licet pravorum hominum insidiis sint hæc et alia quamplura deleta [1].

XII. Primates illi, et non alii sint, quam in Nicæna synodo sunt constituti. Reliqui vero, qui metropoles tenent sedes (*Hadr. coll.* 23), archiepiscopi vocantur, et non primates, salva in omnibus apostolicæ sedis dignitate, quæ ei ab ipso Domino est concessa, et postea a sanctis patribus roborata.

XIII. Primo semper (*Idem c.* 15) in omni episcoporum accusatione, vita, persona et conversatio accusantium enucleatim inquiratur : et postmodum ea quæ objiciuntur, fideliter pertractentur : quoniam nihil aliter fieri [2] debet, nisi impetitorum prius requiratur fides, personæ, vita et actus discutiantur : quia non debet, pravorum aut insidiantium hominum pernicie, vita lacerari innocentium. Sane sæpissime boni a malis persequuntur, qui non cessant suis calamitatibus aliis derogare. Ideo summopere providendum est ne hæc fiant.

XIV. Nullus servus (*Carth.* VII, *c.* 2), nullus libertus, nullus infidus, nullus criminibus irretitus, nullus calumniator, nullus qui inimicitiis studet, nullus qui frequenter litigat (*Hadr.* 11 *et* 50, *ex Carthaginensibus* IV, 58, *et* VII, 2), et ad accusandum vel detrahendum est facilis, nulla infamis persona, vel omnes, quos ad accusanda crimina publica leges publicæ non admittunt, permittantur episcopos accusare; quoniam accusatores et accusationes, quas leges sæculi non recipiunt, qua ratione sacerdotalis eas recipere debet ordo, invenire nequeo, cum hæc et in Nicæna synodo prohibita sint, et illi magis ab istis, non isti ab illis judicari debeant; et apostolus dicat : *Spiritualis judicat omnia, ipse vero a nemine judicatur.* (II *Cor.* II).

XV. Hæretici, a quibus nimium opprimimur, excommunicatique, homicidæ, malefici, fures, sacrilegi, raptores, venefici, adulteri, et qui raptum fecerint, vel falsum testimonium dixerint, seu qui ad sortilegos magosque concurrerint (*Hadr. coll.* 63), nullatenus ad accusationem vel ad testimonium erunt admittendi.

XVI. Nec ita in ecclesiasticis agendum est negotiis, sicut in sæcularibus (*S. Leo*, *ep.* 84). Nam in sæcularibus postquam legibus vocatus venerit, et in foro decertare cœperit aliquis, non licet ante peractam causam recedere : in ecclesiasticis vero, dicta causa, recedere licet, si necesse fuerit, aut si se prægravari viderit.

XVII. Quoties episcopus (*Hadr.* 27) super certis accusatur criminibus, si tales fuerint accusatores, qui juste et canonice recipi debeant, legitima in synodo, suo in tempore congregata, ab omnibus canonice audiatur, qui sunt in provinciis, episcopis. Quod si legitimi non fuerint accusatores, non fatigetur episcopus : quia sacerdotes ad sacrificandum vacare debent, non ad litigandum. Nec illi, qui throni Dei vocantur (*conc. Tolet.* XI, *c.* 3), pravorum hominum insidiis turbari debent, sed libere Christo Domino famulari.

XVIII. Quamquam comprovincialibus episcopis una cum eorum metropolitano, suæ provinciæ causas episcoporum liceat charitative et concorditer agitare, non tamen (sicut in prædicta, te præsente, constitutum est synodo) licet definire absque Romani pontificis auctoritate. Quod si secus a quibusdam præsumptum fuerit, ipsi qui hoc egerint, suæ præsumptionis suscipiant damnum : et illi, qui ab eis perperam excommunicati aut damnati fuerint, auctoritate hujus sanctæ sedis, et beati præceptoris nostri clavigeri Petri potestate solvantur, atque restituantur. Ipse enim ait Dominus : *Quæcumque solveris super terram, erunt soluta et in cœlis* (*Matth.* XVI).

XIX. Quoties episcopi se a suis comprovincialibus, (*Hadr.* 6 *et* 18, *ex can.* 4 *et* 7 *conc. Sardicensis*) vel a metropolitano putaverint prægravari, aut eos suspectos habuerint, mox Romanam appellent sedem, ad quam eos absque ulla detentione, aut suarum rerum ablatione, libere ire liceat. Et dum prædictam Romanam matrem appellaverint Ecclesiam, aut ab ea se audiri exposcerint, nullus eos aut excommunicare, aut eorum sedes subripere, aut eorum res auferre, aut aliquam eis vim inferre præsumat, antequam eorum causa Romani pontificis auctoritate finiatur. Quod si aliter a quoquam præsumptum fuerit, nihil erit, sed viribus carebit. Nam nec hoc perperam præsumimus, sed et ipsum in Nicæna synodo constitutum, et antecessores nostros egisse, bene, Athanasi, nosti : quoniam quando tu et Paulus Constantinopolitanus, Asclepius [3] Gazæ, et Lucianus Adrianopolites, ab Orientalibus episcopis, inconsulto sanctæ memoriæ Julio prædecessore nostro, damnati estis, et ad eum quasi ad totius orbis caput (ut semper

[1] Hic nota quædam decreta in Nicæna synodo deleta.
[2] *decet.*
[3] *calumniis alios denigrare.*
[4] *Asclephas et Lucius.*

huic sedi sanctæ licitum fuit) confugistis, cognita eorum nequitia (*Trip.* IV, 15, *ex Soz.* III, 7), et vestra justitia, vos in communionem suscepit, et omnium vestrum curam gerens, propter sedis propriæ dignitatem, suas singulis reddens ecclesias. Orientalibus scripsit, culpans eos, quod non recte tractassent viros inculpabiles de suis ecclesiis expellentes, et constituta Nicæni concilii minime conservantes. E quibus ad certum diem nonnullos sibimet adesse præcepit, ut de talibus præsumptionibus certam redderent rationem, et coram eis ostenderet, justum se super eis protulisse decretum. Interminatus est etiam non talia deinceps fratres esse passuros, et nisi ab hujusmodi præsumptionibus cessarent, a propriis esse gradibus eos recessuros. Tali enim hujus sanctæ sedis privilegio tu et fratres tui proprias recepistis ecclesias, cum omnibus sibi pertinentibus. His enim et aliis quam plurimis documentis manifestum est, nullum damnari, aut suis exspoliari rebus debere episcopum, qui hanc sanctam sedem interpellaverit, aut sibi defensatricem adsciverit, donec judicium de eo nostræ apostolicæ auctoritatis (*Mart.* I, *consess.* 2 *conc. Later.*), hoc est, principis apostolorum Petri agnoscat, quia solummodo Christus Jesus huic sanctæ sedi, id est, apostolicæ, facere commisit, utpote quoniam solus atque præ omnibus præfatus princeps apostolorum creditus est, atque percipere meruit a rege regum Christo Deo claves regni cœlorum (*Matth.* XVI).

XX. De induciis vero episcoporum (*In decret. Ivo. lib.* IV), super quibus consuluistis, diversas a patribus regulas invenimus institutas. Quidam enim ad repellenda impetitorum machinamenta, et suas præparandas responsiones, et testes confirmandos, et consilia episcoporum atque amicorum quærenda, annum aut sex mandaverunt menses concedi, quidam autem annum, in quo plurimi concordant. Minus vero (*Vide conc. Carth.* III, *cap.* 7) quam sex menses non[1] reperi, quia et laicis hæc indulta sunt, quanto magis Domini sacerdotibus! Nam et a nostris antecessoribus, atque reliquis sanctis patribus multoties inhibitum est, ne quis Domini sacerdotibus detractationes irroget; quanto magis accusationes, non ex radice charitatis prolatas[2]! Quiescite, inquiunt, et nolite persequi eos, qui perfecte Deo ministrant, quorum orationibus et terrena bella sedantur, et recedentium a Deo angelorum pelluntur incursus, quique omnes dæmones, qui corrupti sunt, precum assiduitate confundunt (*Trip.* VII, 9). Induciæ namque non sub angusto tempore, sed sub longo spatio concedendæ sunt, ut accusati se præparare, et universos communicatores in provinciis positos convenire, testes præparare, atque contra insidiatores se pleniter armare valeant.

XXI. Judices enim et accusatores esse debent, qui omni careant suspicione (*Hadr.*, 15), et ex ratione charitatis suam desiderent promere sententiam. His ergo tam legaliter (*Trip.* IX, 14, *ex Theod.* V, 9), quam et canonice prolatis, etiam omnium Christianorum reverentiam congaudere deposcimus, spirituali intercedente dilectione et timore dominico, per quem humana removetur offensio, et ecclesiarum ædificatio præponitur universis, ut magis universi ad ædificationem fratrum laborent, quam ad damnationem; quoniam ait dominus: *In hoc cognoscent omnes, quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad invicem* (*Joan.* XIII). Jam enim formam dedimus (*Damasus, epist.* 2, *ex Trip.* IX, 15; *ex Theod.* V, 10), et a prædecessoribus nostris datam esse cognovimus, ut si quis se agnoverit Christianum, illud servet quod ab apostolis noscitur esse contraditum, dicente apostolo Paulo: *Si quis vobis annuntiaverit præter quod accepistis, anathema sit* (*Galat.* I). Christus enim Dei filius, Dominus noster, humano generi propria passione salutem plenissimam condonavit, ut nos liberaret (*Rom.* VIII). Et si Deus in tantum nos dilexit, ut etiam proprio filio non parceret, sed pro nobis omnibus illum traderet, ut nos liberaret: ut quid nos non diligimus fratres, aut eos temere judicamus, cum prædictus dicat apostolus: *Nolite judicare invicem, sed hoc magis judicate, ne ponatis offendiculum fratri, vel scandalum* (*Rom.* XIV). Nam si illi qui fratres diligunt, ex Deo nati sunt, et vident Deum: quid ergo erunt illi, qui eos persequuntur, et eos detrahendo, machinando, accusando, infestando, damnare moliuntur? Si illi filii Dei, procul dubio hi filii sunt diaboli, qui semper, *sicut leo rugiens circuit, quærens quem devoret* (I *Pet.* V), ita fratres insequuntur, ut perdant. Qui vero adjuvare fratres refugiunt, majus peccatorum onus acquirunt, et fraternitatis solatio rei exsistunt. *Væ*, inquit propheta, *qui potum dat amico suo, miscens fel suum* (*Abac.* II). Et iterum sapientissimus Salomon ait: *Quoniam qui loquitur iniqua, non potest latere, nec præteriet illum corripiens judicium. In cogitationibus*[3] *enim impii interrogatio erit: sermonum autem illius ad Deum perveniet auditio, ad correptionem iniquitatum illius: quoniam auris zeli audit omnia, et tumultus murmurantium non abscondetur* (*Sap.* I). Hæc enim si amplecti voluissent proprio et sano sensu, ad reprobum minime laberentur, sed per Dei timorem sermonum suorum præcaventes custodiam, piam sanctorum Patrum definitionem sine quadam nocumenti præsumptione utique conservarent: quoniam dicit sacrum eloquium: *Consilium bonum conservabit te, et mens bona custodiet te* (*Prov.* II). Non enim de fontibus (*Maurus Cæsenas, ep. in eodem conc.*) salutiferis spiritualiter ad acquisitionem æternæ vitæ procedunt tales accusationes et detractiones, atque ideo competenter nos B. Paulus admonens, ait: *Non debere plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem* (*Rom.* XII). In definitione pietatis perdu-

[1] *recipi.*

[2] Supra in principio hujus dec. ubi allegatur Nicænum concilium.

[3] Deusdedit Calaritanus cons. 2 conc. Later. an. 649.

remus. Qui enim hanc prætereunt, non tantum ipsi sunt decidentes a corroboratione sua, sed insipientiæ suæ dereliquerunt omnibus memoriam, ut in his, in quibus peccaverunt, minime latere potuissent. *Gloria enim et contumelia in loquela : et in lingua hominis, casus illius est* (*Eccles.* v). Ideoque conveniens est, hanc quidem ostensionem reprehensionum illorum nostris actibus inseri, ne ulterius jam talia patiamini, seminantibus illis zizania et scandala, sed lætari in officiis et dogmatibus vestris mereamini. Igitur erubescant talia, et [1] hujusmodi blasphemia subtrahere festinent, si noluerint a sacerdotali nostro collegio segregari, et a Christiani populi societate divelli. Licet namque de his plura et pernecessaria, quæ in decretis sedis apostolicæ et ab apostolis eorumque successoribus, nostris videlicet prædecessoribus, statuta inveniuntur, dicere et conscribere potuissemus, tamen melius nobis visum est, ut epistolam oratione claudamus (*Julius ad ecclesiam Alex. Trip.* IV, 29). Deus omnipotens, et hujus unigenitus filius et Salvator noster Jesus Christus, hoc vobis tribuat incitamentum, ut omnibus fratribus et coepiscopis nostris, quibuscumque tribulationibus laborantibus, totis succurratis viribus, et cum eis compatientes, crucem ejusdem Domini Salvatoris portetis, ut veri ipsius discipuli coram omnibus appareatis, ut et vos, et qui vobiscum sunt, hic et in futuro possideatis meliora, *quæ oculus non vidit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparavit Deus diligentibus se* (I *Cor.* II), per Dominum nostrum Jesum Christum, per quem et cum quo omnipotenti Deo Patri gloria in sæcula sæculorum, amen. Valere vos opto, fratres charissimi. Data idibus Februarii, [2] Agario et Juliano viris clarissimis consulibus.

EPISTOLA II FELICIS PAPÆ II

AD EOSDEM ET AD RELIQUOS DOMINI SACERDOTES.

De patienti sufferentia persecutionum et tribulationum.

Felix sanctæ universalis Ecclesiæ papa, atque per gratiam Dei catholicæ et apostolicæ Ecclesiæ urbis Romæ episcopus, una cum sancto concilio nostro reverentissimorum sacerdotum, huc nobiscum convenientium (*Martinus I papa in synodica conc. Later.*), in confirmatione piissimorum catholicæ Ecclesiæ dogmatum, et revelatione oppressorum fratrum, coepiscoporum videlicet nostrorum, qui rectam Nicæni concilii tenent fidem, et qui fratres non infestant, universis spiritualibus fratribus nostris, et reliquis in sacerdotali collegio Domino consecratis, atque omni plenitudini Ecclesiæ catholicæ.

Gratia vobis et pax multiplicetur in confortatione et sancti Spiritus communione quatenus in eo proficientes, a gloria in gloriam, *virtutes annuntiemus ejus, qui de tenebris nos vocavit in admirabile lumen suum* (I *Pet.* II), *apud quem non est transmutatio, nec* [3] *vicissitudinis obumbratio.* Portare, fratres, hortamur (*Jac.* I), persecutiones et tribulationes patienter, ut ejus inveniamini filii, quem quotidie patrem vocatis Deum in cœlis ; et in eo vincatis omnia, qui propter nos vicit omnia : *Qui etiam proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum* (*Rom.* VIII). Imitatores quoque Dei convenit in omni verbo et opere imitari Deum (*Maximus Aquileiensis, cons. 4 ejusdem conc. Later. anno* 649 *celebrati*). Ideoque illud oportet nos dicere, quod ipse de se perhibuit Dominus : *Veniet princeps hujus mundi, et in me nihil inveniet* (*Joan.* XIV). Venerunt et illi qui vos et nos persequuntur, quia vos sine nobis persequi non possunt, quoniam unius Dei membra sumus, et unum illius sacerdotium per ejus sanctificationem retinemus, et in nobis de suis nihil invenerunt : quia quidquid sumus, gratia Dei sumus, licet propterea calumniari nos irrationabiliter studuerint, quod facere solent inimici, suam ex hoc cooperire dementiam properantes, quatenus per mendacium veritatem valeant obumbrare. *Scripsi enim vobis,* inquit beatus apostolus, *per multas lacrymas, non ut contristemini, sed ut sciatis, quam charitatem abundantius habeo in vobis* (I *Cor.* II). Etenim detrahentibus detrahere (*Densdedit Calaritanus ep. ibidem*) non est bonum, [4] ut non ad ea quæ scripta sunt, commoti, injuriæ certamen efficiamus. Non debemus omnino timere opprobrium hominum (*Martinus I, cons.* 3 *ibidem*), neque eorum exprobrationibus vinci, quoniam hoc nobis Dominus jubet per Isaiam prophetam, dicens : *Audite me, qui scitis judicium, populus meus, in quorum cordibus lex mea est* (*Isa.* LI). *Nolite timere opprobrium hominum, et blasphemias eorum ne timeatis* (*Psal.* XLIII). Considerantes etiam quod in psalmo scriptum est : *Nonne Deus requiret ista? Ipse enim novit abscondita cordis, et cogitationes talium hominum, quoniam vanæ sunt. Vana autem locutus est unusquisque ad proximum suum, et labia dolosa in corde, et corde locuti sunt mala. Sed disperdet dominus universa labia dolosa, et linguam magniloquam. Qui dixerunt, labia nostra a nobis sunt : quis noster dominus est* (*Psal.* XII)? Nam si hæc in memoria retinerent, minime ad tantam prosilirent iniquitatem. Non enim (*ejusdem papæ verba*) per probabilem et paternam doctrinam hoc faciunt, sed ut suam exerceant in servos Dei vindictam. Scriptum namque est : *Via stulti recta in oculis ejus. Et sunt viæ, quæ videntur homini justæ, novissima autem earum deducunt ad mortem* (*Prov.* XII, XIV). Nos enim qui hæc patimur, judicio Dei (*Conc. Rom.* III, *sub Symmacho*) hæc reservare debemus, *qui reddet unicuique secundum opera sua* (*Jerem.* XV). Qui etiam per ministros suos intonuit, dicens : *Mihi vindictam, ego retribuam* (*Rom.* XII). Vos enim in recta fide, et pura ac bona succurrite voluntate vicissim, nec aliquis a supplemento fratris subtrahat manum : *quoniam in hoc,* ait Dominus, *cognoscent omnes, quia*

[1] *ab hujusmodi blasphemia se sub.*
[2] Nomen fictum.
[3] *momenti.*
[4] *ut ne.*

mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad invicem (*Joan.* XIII). Unde et ipse per prophetam loquitur, dicens : *Ecce quam bonum, et quam jucundum, habitare fratres in unum* (*Psal.* CXXXII). Spirituali dico (*Paulus CP. ep. Monothelita ad Theodorum papam cons. 4 conc. Later.*) habitaculo et concordia, quæ in Deo est, et unitate fidei hujus delectabilis, secundum veritatem inhabitaculi, [1] quæ videlicet in Aaron magis decorabatur, atque sacerdotalem induentibus dignitatem, sicut unguentum super caput, principalem intellectum irrigans, et usque ad ipsam extremam scientiam deducens. In hoc enim habitaculo benedictionem et æternam vitam promisit Dominus. Hujus ergo propheticæ vaticinationis meritum amplectentes, fraternam præsentem syllabam exposuimus, nostra propter charitatem minime quærentes, aut quæsituri. Non enim detrahentibus bonum est detrahere, aut palo, secundum vulgarem fabulam, excutere palum. Absit. Non sunt nostra ista : quapropter hæc avertat divinitas. Non sunt edocti habitus nostri ita vincere, sed in patientia longanimitatis et spiritu humilitatis ; quia sicut per duritiam minime (ut prophetice dicamus) *purgatur nigella* (*Dan.* III), ita nec pacis soporatus fructus intelligentiæ per asperitatem exprimitur. Propter hoc enim et verborum supportavimus colaphos, ut vel paulatim valeamus eum imitari, qui propter nos se humiliare dignatus est, et extremæ illius ultionis per hanc plagam verba declinemus. Audiamus ergo, et consentiamus Ecclesiæ oratori, qui per linguam Spiritus sancti clara voce exclamat, dicens : *Omnia vobis in charitate fiant* (I *Cor.* XVI). Ergo sive quærimus, sive tantummodo dicimus, et tantummodo audimur, charitas intercedat. Ars aliqua existat ad compositionem concordiæ boni et conjunctionem. Oportet enim, de Deo quærentibus nobis spiritu rectitudinis mentis nostræ dinumerantes intentiones templum pacifice inhabitare in eum propter Dominum, qui per prophetam locutus est : *Quærens quære, et apud me habita* (*Isa.* XXI, *juxta* LXX). Speculum enim dedit nos Deus populo suo, et oportet eos, qui a Deo sunt deputati sacerdotium adipisci, ita in humilitate gressuum mentis adinvicem tendere, ut in melius ædificentur hi, qui ad nos respiciunt, quam (quod dicere [2] piget) per nostram discordiam semitam pedum eorum concutere. Ad concordiam inclinemus nos ipsos, [3] et unum in charitate sapiamus. Humilitatem veneremur, per quam apprehendi solet altitudo spiritus. Si enim amplius usque adhuc taciturnitatem, quam verborum garrulitatem [4] dileximus, hoc quidem bene habere arbitrati sumus, ne scriptis vestris reciproca respon- A dentibus, injuriæ fomitem exhortemur, et pusillanimitate dijudicemur ab eo, qui omnia ad charitatem dirigere promulgavit. Oravimus vero et tunc ostium circumstantiæ labiis nostris imponi, et verbum insonitum concipere potius quam [5] verbum sonabile : et hoc tamen mihi donum est a domino, *et factus sum sicut homo non audiens, et non habens in ore suo redargutiones* (*Psal.* XVII). Sed *quia tempus est loquendi et tempus tacendi* (*Eccles.* III), aperio verbum, et claudo ostium per taciturnitatem, competenter exorans : *Domine, labia mea aperies, et respondeam exprobrantibus mihi verbum* (*Psal.* L, CXVIII). Licet enim tacuissemus, non semper tamen tacebimus, adaperiente nobis domino claves verbi. Igitur directi in præsenti a beatitudine fraternitatis vestræ apo- B crisarii, post multas factas inter nos de ecclesiastica requisitione dissonantes sermocinationes, in fine ad hoc pervenerunt, admonentes nos atque hortantes interpretari unius veri Christi Dei nostri voluntatis intellectum, atque hujusmodi interpretationem desinare vestræ sacratissimæ venerationi. Nos autem acceptam habentes bonæ conscientiæ prædictorum venerabilium virorum admonitionem, cognoscentes autem et quæ principatus apostolorum summitas docet (I *Pet.* III), paratos esse ad satisfactionem omni poscenti verbum de spe, quæ in nobis est, secundum Dei timorem, mansuetudinemque ad bonam scientiam temperantes, super tali tantummodo requisitione mentem nostram per has syllabas exponimus, superfluam exercitationem et altercationem C verborum, propter satietatem et præsentis temporis incongruitatem, declinantes ac præcaventes, nihil omnino aliud intelligentes, aut proferentes vel dicentes, quam quod audivimus et cognovimus a sanctis et universalibus magnis apostolis, eorumque successoribus, et patres nostri enarraverunt nobis, et audientes prædicavimus, ad supernam tendentes vocationem. Nostrum est studium, ubi pacis constitutio manet his, qui in stadio pietatis sunt, bene unica gloria intercessori tribuitur et corona. Deo manifestati sumus, qui judicat omnia, et comprobat. Non jurgialiter stamus, non ad contradictionem respicimus, nec favorem inanem amplectimur : sed in verbo Dei proposito, hujusmodi requisitionis resolutionem fecisse dignoscimur, confidentes quoniam pa- D cis Dominus Deus ad alterutrum nostrorum unitatem et dilectionem conservabit in gloria ejus benignissimæ majestatis. Omnem cum vestra beatitudine in Christo existentem fraternitatem, tam nos, quam qui nobiscum sunt, multum salutamus. Data 8 kalend. Novembris, Philemone [6] et Attico viris clarissimis consulibus.

[1] Al. *qui* ; al. *quod*.
[2] *pudet*
[3] *ut*
[4] *dilexerimus*.
[5] *verbo invigilem et*.
[6] Nomen fastis Romanis incognitum.

ANNO DOMINI CCCLXVIII—CCCLXXXIV.

FAUSTINUS ET MARCELLINUS
PRESBYTERI.

PROLEGOMENA.

DE FAUSTINO ET MARCELLINO.

(Ex Galland. Bibl., t. VII, pp. XIII-XV.)

I. Ex antiquioribus Gennadius meminit Faustini presbyteri (*a*) quem perhibet scripsisse *ad personam Flaccillæ reginæ adversum Arianos et Macedonianos libros septem*. Et mirari quidem subit post adeo claram atque testatam auctoris haud ignobilis fidem, qui ab ætate Faustini de quo loquimur, uno tantum sæculo distabat, extitisse scriptores, primi etiam subsellii, qui opus Gennadio hic laudatum Gregorio Bætico Eliberitano antistiti adscripserint. At nostro demum et superiori ævo genuinus operis parens agnitus noster Faustinus (*b*) : qui præterea, Lucifer ianus cum fuerit ut mox dicemus, se ipsum sectæ illius placitis faventem sub sui operis finem satis prodit (*c*) : quæ est Tillemontii animadversio (*d*); quamvis citatum locum aliter acceperit noster Baronius, operis (*e*) nimirum auctorem Gregorium Eliberitanum existimans ex inscriptione Romanæ editionis, quam anno 1575 Achilles Statius evulgavit. Scripsit ergo Faustinus libros septem juxta Gennadium, seu potius librum unum in septem capita distinctum, adversus Arianos; opusque suum nuncupavit Flaccillæ augustæ, primæ magni Theodosii conjugi, quam supremum diem clausisse anno CCCLXXXV, ex laudato Baronio erudimur (*f*), cujus sententiæ Pagius (*g*) ac Tillemontius (*h*) accedunt. Ælia vero Flacilla et Flaccilla vocatur in nummis (*i*), quemadmodum apud Gennadium; quæ tamen Gregorio Nysseno (*j*), Theodorito (*k*) et Zosimo (*l*), Placilla dicitur; Socrati autem (*m*) et Philostorgio (*n*), Placidia: utrique minus recte, ut docet Valesius (*o*). Hinc vero factum existimarim equidem, ut in nonnullos codices mss. et editos irrepserit error, quo Faustini presbyteri opus Gallæ Placidiæ fertur inscriptum; quæ videlicet altera Theodosii senioris uxor fuerit existimata : A quum tamen eam, Gallam tantum, nusquam vero Gallam Placidiam, scriptores appellent ; qua de re plura post Ducangium Bandurius (*p*).

II. Utcumque autem res se habeat, prodiit Romæ anno 1575, sub Gregorii Bætici nomine, Faustini opus de quo verba facimus. Et de hac quidem editione Baronius hæc habet (*q*) : « Hujus Gregorii commentarios carie obsitos, oblivione obrutos mendisque labefactatos purgavit ediditque noster Achilles Statius laudabilis memoriæ. » Atque hujusmodi Romanum exemplar sub ejusdem Gregorii nomine iterum iterumque typis excusum. At vero in variis antiquioribus operum veterum Patrum collectionibus idem opus Faustino auctori suo restitutum. Præmittitur epistola ad augustam Flaccillam, quæ integra B exstat in utrisque Orthodoxographis Basiliensibus aliisque Patrum bibliothecis, nec non in Lugdunensi postrema : ut propterea minus probanda videatur Oxoniensis editoris cura, qui Faustini opera in vulgus educens e theatro Sheldoniano, anno 1678, eamdem epistolam majori ex parte mutilam exhibuit; Parisiensem scilicet, ut videtur, anni 1644 editionem secutus, ubi postrema tantum pars illius epistolæ occurrit.

III. Librum adversum Arianos excipit *Faustini Fides Theodosio imperatori oblata*. Editor Oxoniensis ad cujus ἔκδοσιν præ cæteris nostram exegimus, eam desumpsit ex Codice canonum quem ad opera sancti Leonis Quesnellius adjecit (*r*), sic illum scribens : *Codex canonum ecclesiasticorum et constitutorum sanctæ sedis apostolicæ*. At vero hunc non fuisse Romanæ Ecclesiæ codicem, adeoque titulum quem C præfixit Quesnellius, eidem codici nullo pacto congruere, luculenter demonstrarunt viri docti, Coutantius (*s*) et Ballerinii (*t*) : ut proinde reformanda sint ejusmodi verba : *Fides.... in codicem canonum et constitutorum Ecclesiæ Romanæ recepta*, quæ inscriptioni libelli fidei Faustiniani subjiciuntur (*u*). Cæterum ex

(*a*) *Gennad.*, de Vir. illustr. cap. 11.
(*b*) *Tillem.*, Mem. eccl., tom. VII, pag. 767, not. 6, sur *Lucifer*; Hist. des Emper. tom. V, pag. 727, not. 3, sur *Theodos.*
(*c*) *Faustin.*, de Trinit. cap. VII, § 4, infr. pag. 459.
(*d*) *Tillem.*, Mem. eccl. tom. VII, pag. 526.
(*e*) *Baron.*, ad ann. 371, § 124.
(*f*) Id., ad ann. 385, § 32.
(*g*) *Pagi.*, ad ann. 385, § 6.
(*h*) *Tillem.*, Hist. des Emper. tom. V, pag. 740, note 25.
(*i*) *Patin.*, Impp. Rom. Num., pag. 491; — *Mediob.*, Impp. Rom. Num., pag. 519; — *Bandur.*, Num. Impp. Rom., tom. II, pag. 515-517.
(*j*) *Greg. Nyss.*, Orat. fun. in Placill., opp. tom. III, p. 524.
(*k*) *Theodor.*, Hist. eccl., lib. V, cap. 19.
(*l*) *Zosim.*, Hist. Nov., lib. IV, pag. 284 edit. Oxon.
(*m*) *Socrat.*, Hist. eccl., lib. IV, cap. 31.
(*n*) *Philost.*, lib. X, cap. 7.
(*o*) *Vales.*, in not. ad Socrat. Hist. eccl. lib. IV, cap. 31.
(*p*) *Bandur.*, Numism. Impp. Rom., tom. II, pag. 566, not. 1.
(*q*) *Baron.*, ad Martyrol. Rom., sub die XXIV April. not. *f*.
(*r*) Cod. can. eccl., cap. 38.
(*s*) *Coutant.*, præfat. ad Epist. Rom. Pontif., part. II, § 3. p. LXVII et seqq.
(*t*) *Baller.*, opp. S. Leon., tom. III, pagg. 753 seqq.
(*u*) *Faust.*, vid. infr., pag. 460.

auctoritate mss. Thuan. et Vindob. Faustino asseritur hic libellus; exstatque præterea in vetusto codice Augiensi, quem inspexit Mabillonius (*a*). Scriptum autem existimat codicis illius editor inter annos CCCLXXIX et CCCLXXXI, quo tempore scilicet Eleutheropoli versabatur Faustinus, ubi et exagitatum se queritur (*b*) a Turbone illius urbis episcopo: « Ex quo, inquit, nata fortasse occasio condendæ confessionis fidei ejusque mittendæ ad Theodosium, cujus nomine et auctoritate usum esse adversus schismaticos episcopum, pronum est existimare. »

IV. « Scripsit etiam Faustinus librum, quem Valentiniano et Arcadio imperatoribus, pro defensione suorum, cum Marcellino quodam presbytero obtulit. Ex quo ostenditur Luciferiano schismati consensisse: quia Hilarium Pictaviensem et Damasum urbis Romæ episcopos in eorum libro culpat; quasi male consuluerint Ecclesiæ, quod prævaricatores episcopos in communionem et sacerdotium, pacis recuperandæ gratia, recepissent. Quod Luciferianis ita displicuit, recipere episcopos qui in Ariminensi concilio Arianis communicaverant, quo modo Novatianis apostatas pœnitentes. » Verba sunt Gennadii (*c*). De Marcellino autem vide sis incertum auctorem, qui appendicem ad Isidorum et Ildefonsum apposuit (*d*). Porro libellus hic Valentiniano II, Theodosio et Arcadio augustis inscriptus, porrectus fuisse Constantinopoli, adeoque Theodosio, ex contextu comperitur. Loquentes enim hi presbyteri Luciferiani de Alexandro antistite, cujus precibus impius Arius interiit (*e*): *Non ille Alexander*, inquiunt, *qui fuit divinæ fidei episcopus in Alexandria,.... sed iste Alexander, qui* IN HAC URBE CONSTANTINOPOLITANA *fuit et ipse admirabilis episcopus*, etc. Quæ quidem loci circumstantia ex rescripto unius *Theodosii* ad calcem libelli apposito confirmatur.

De tempore autem quo scriptus fuerit idem libellus, id vero inter annos CCCLXXXIII et CCCLXXXIV circumscribendum videtur. Primum enim Arcadius, unus ex tribus imperatoribus quibus oblatus hujusmodi libellus precum, nondum renuntiatus fuerat Augustus a Theodosio patre ante annum CCCLXXXIII, ut post Baronium (*f*) demonstrat Pagius (*g*). Deinde vero, vivente adhuc Damaso Romano pontifice, scriptus fuisse videtur ex his verbis quæ in eo leguntur (*h*): *Sed et* NUPER, inquiunt Luciferiani presbyteri, *tentavit* (Damasus) *graviter persequi beatissimum Ephesium*, etc.; quæ est Tillemontii (*i*) et Mazochii (*j*) sententia. Cum autem, exeunte anno CCCLXXXIV, supremum diem clauserit sanctus Damasus; hoc ipso anno facile oblatus fuerit idem libellus: aut saltem, ut cum viro erudito loquar (*k*), anno quidem CCCLXXXIII porrectus fuit; rescriptum vero Theodosii quod ad calcem libelli exstat, ad Cynegium præfectum prætorio, usque ad insequentem annum CCCLXXXIV, quo Cynegius a medio Januario eam dignitatem obtinuit (*l*), differri contigit: maxime si ejusmodi negotium nonnullam causæ cognitionem requirere, nec expediri de plano debere imperatori visum fuisset: quo spectat l. IX, § 1, D. *de Offic. proc.* Ita sive anno CCCLXXXIII, sive CCCLXXXIV, Marcellinus et Faustinus suum hunc libellum pro defensione Luciferianorum causæ tradiderunt.

V. Jam vero sermo habendus de præfatione eidem libello præfixa, quæ in narratione Ursiniani contra Damasum schismatis tota versatur. Cui quidem præfationi conjicit Tillemontius (*m*), nihil esse cum libello commune; adeoque suspicatur eamdem præfationem aut esse alterius operis, aut si quidem hujusce libelli sit, a diverso plane auctore posterius additam. Atqui eruditissimi viri conjecturæ minus solidæ visæ sunt Mazochio V. C. qui propterea earum levitate demonstrata, sententiam suam ita summatim exponit (*n*): « Stylus qui utrique parti αὐτότατος est, plane clamitat, præfationem ab eisdem auctoribus a quibus libellus est, esse profectam. Sed tamen ea non ante scripta et præfixa huic libello fuit, quam eo accepto Theodosius suum tandem evulgasset pro Marcellino et Faustino rescriptum. Tunc enim vero hi duo viri de prospero successu exsultantes, quum e re sua fore ducerent, si libellus una cum subjecto rescripto in vulgus spargeretur; id ut aptius efficerent, instruendos sibi lectores hac ipsa præfatione putarunt de initiis calamitatis suæ. Nam presbyteros istos tunc quidem Luciferianos esse, omnes norant, et libellus id palam profitetur; at eosdem olim Ursinianos fuisse, et contra Damasum ante viginti annos decertasse, non omnibus compertum erat; et si qui id scirent, ii, maxime consopito jam schismate, æquiores se Damasi, quam Ursini causæ præbebant.

« Itaque in hoc prologo rem omnem ab initio repetunt, ac de rebus olim gestis in Damasi et Ursini discidio cujus ipsi pars fuerunt, longam narrationem, sed modo suo incrustatam, tota præfatione contexunt. Id enim initium suæ calamitatis fuit. Nam Roma tandem expulsi, quod ultimum fuit, Luciferianis sese adjunxerunt: nisi forte mavis,

(*a*) *Ballerin.*, l. c., pag. 278, n. 1.
(*b*) *Marcell.* et *Faust.*, libell. Prec., § 30, infr., pag. 472.
(*c*) *Gennad*, lib. de Vir. illustr., cap. 16.
(*d*) Libell. de XII Script. eccl., cap. 12.
(*e*) *Marcell.* et *Faust.*, libell. Prec., § 3, infr., pag. 463.
(*f*) *Baron.*, ad ann. 383, § 22.
(*g*) *Pagi.*, ad ann. 383, § 12.
(*h*) *Marc.* et *Faust.*, l. c., § 23, pag. 470.
(*i*) *Tillem.*, Mem. eccl., tom. VII, pag. 525.
(*j*) *Mazoch.*, Comment. ad Kalend. Neapol., vol. II, pag. 581.
(*k*) *Mazoch.*, Comment. ad Kalend. Neapol., vol. II, p. 581.
(*l*) Vid. prosopograph. Cod. Theod., tom. VI, part. I, pag. 47.
(*m*) *Tillem.*, Mem. eccl., tom. VII, pag. 766, not. 5 sur *Lucifer*.
(*n*) *Mazoch.*, l. c., pagg. 583 et seqq.

etiam antea, dum Romæ essent, eos Luciferianos fuisse. Ut ut est, συνεχεία certe præfationis cum libello, hoc est Ursiniani discidii cohæsio de quo dumtaxat in præfatione agitur, cum Luciferianorum causa quam tantum in libello tuentur, satis superque in fine præfationis sese legenti aperit, ad quam miror Tillemontium non attendisse. *Exinde*, inquiunt (*a*), *presbyteri* partis Ursinianæ *diversis modis afflicti, per exsilia et peregrina loca dispersi sunt. Ex quibus* MARCELLINUS *et* FAUSTINUS *presbyteri* (auctores scilicet tum libelli tum præfationis, antea quidem Ursiniani, nunc vero Luciferiani : quod sequentia satis præ se ferunt) *de confessione veræ fidei* (a qua cæteros Luciferiani excludebant, tamquam ipsi soli catholici), *ostentatione* (hoc est exhibitione) *sacræ communionis* (nimirum, cuinam exhibenda communio sit, cui vero deneganda), *et persecutione adversantium veritati, preces Valentiniano, Theodosio et Arcadio principibus obtulerunt ita.* Hactenus præfatio, post quam libellus incipit. Quid autem clarius afferri poterat ad præfationem cum libello qui nunc exstat, glutinandam? An poterat per hæc verba quæ certe summam Luciferiani veneni continent, præfari auctor alteri cuidam libello, qui Ursinianorum adversus Damasianos preces exhiberet? » Huc usque vir doctus.

VI. Quamvis autem ex hactenus dictis de libello supplici Theodosio cæterisque imperii consortibus oblato, satis constet cujus commatis sint quæ in eo enarrant Marcellinus et Faustinus presbyteri Luciferiani : quo tamen cautus magis circumspectusque roddatur qui ad ejus lectionem accesserit; haud otiosum fuerit in medium afferre quæ ad eumdem libellum præmonuit Sirmondus V. C. primusque illius editor. Sic autem se habent : « Qui schisma olim Romæ adversus Damasum cum Ursino conflarunt, aut ex Luciferianis erant, aut cum illis se Luciferiani conjunxerunt, et duplici dissidio Ecclesiam turbarunt. Atque in Ursini quidem causa quam inquieti fuerint, et quam importune magistratuum et principum aures fatigarint; quæ in annalibus ecclesiasticis exstant, Valentiniani ad Prætextatum, Olybrium et Ampelium præfectos Urbis, et Gratiani ad Aquilinum vicarium rescripta declarant : fidemque faciunt conciliorum Aquileiensis et Romani synodicæ in appendice codicis Theodosiani editæ, quæ et Damaso innocentiam integritatemque suam asserunt, et Ursini furorem ac dolos non dissimulant. Luciferianorum autem non disparem inverecundiam atque insolentiam, duorum ex his presbyterorum hic liber ostendit : in quod non Theodosio solum augusto fraudulenta suggestione obrepunt; sed orthodoxos omnes qui obsistebant, canina, ut Hieronymus appellat, facundia sua sic proscindunt, ut non defuturi sint, qui publica luce dignum idcirco non putent. Tu vero, lector, ut spero, aliter senties, reque ipsa comperies, illaudato quamvis operi suum fore pretium; cujus auctores et de se ipsis et de aliis non pauca doceant, quæ scire conducat, et aliunde nesciantur. » Hactenus ille. Atque in eamdem ferme sententiam antea Baronius (*b*). Qua de re nos quoque alibi nonnulla attigimus, ubi de sancto Damaso verba fecimus (*c*). Quod superest, eumdem libellum Precum eruditus Sirmondianorum editor contulit cum codice ms. bibliothecæ Colbertinæ, indeque variantes lectiones apposuit : itemque nonnullas ex codice Remigiano, quarum ei copiam fecit cl. Mabillonius. Quibus lectionibus paucas Mazochii præstantis viri animadversiones intextas videas. De reliquis porro in Faustini opera subnotatis, æquus et doctus lector judicium ferat.

(*a*) Præfat. ad libell. Prec., § 4, infr. pag. 462.
(*b*) *Baron.*, ad ann. 367, § 14.
(*c*) Prolegom. ad tom. VI Bibl. PP., cap. 4, § 2, pag. IX.

DE FAUSTINO.

Ex Schœnemann Bibl. T. I, pp. 347-354.

§ 1. *Vita.*

Presbyter Luciferianus, cujus sectæ causam cum *Marcellino*, presbytero et ipso, in libello imperatoribus Valentiniano, Theodosio et Arcadio augustis circa an. CCCLXXXIV oblato, defendit. Viginti fere annis ante contra Damasum quoque cum Ursinianis steterat, quibuscum plurimum tunc Luciferiani conspiraverant. Qua de causa et libello isti seu præfationi potius eidem præmissæ manifesta odii in Damasum vestigia impressa sunt, ac multorum ipsum et socios ejus turpiter et inique gestorum insimulat, quæ quantum sint veritati consentanea quæri solet. Sed hoc certo scio, ipsam scripti hujus lectionem apud æquos bonosque omnes opinionem ac fidem auctorum suorum elevaturam.

§ 2. *Scripta.*

Præter *Libellum Precum* jam commemoratum, cujus tamen partes ad Marcellinum quoque pertinere aiunt, *Præfatio*, quæ antecedere illum solet, absque dubio ab iisdem proficiscitur auctoribus. Licet enim cum libello nihil commune habere videatur, ac Tillemontio adeo tamquam alterius operis præfatio vel diversi auctoris fœtus ab eo segreganda visa sit; haud deficit tamen explicandi hujus discriminis ratio, nec immerito Gallandius acutam Mazochii sententiam exosculari censebitur.

Faustini Fides Theodosio imperatori oblata. Scr. ex sententia *Quesnellii* inter annos CCCLXXIX et CCCLXXXI, quo tempore Eleutheropoli versabatur Faustinus, ubi et exagitatum se queritur a Turbone illius urbis episcopo.

Faustini de Trinitate sive *de Fide contra* Arianos ad *Flaccillam imperatricem* libri VII, seu *liber* potius in VII capita distinctus. Scr. ante an. CCCLXXXV, quo scilicet Flaccillam Theodosii M. conjugem primam diem obiisse constat. Faustino disertis verbis tribuit Gennadius (*d*); tametsi non defuerint recentiori ætate

(*d*) De Vir. Illustr., cap. 11, scripsisse ait *ad Personam Flaccillæ reginæ adversum Arianos et Macedonianos libros septem.*

te, qui Gregorio Bætico Eliberitano episcopo adscriberent.

§ 3. *Editiones.*

Faustini opuscula paulatim singula prodierunt et sero satis collecta sunt in ed. Oxoniensi et nupera Gallandii. Primum quidem, an. 1555, Faustini libri *de Trinitate* per *Basilium Joan. Heroldum*; deinde sub *Gregorii Bætici* nomine partim peculiari volumine ab Achille Statio, partim in quibusdam PP. Bibliothecis emissi sunt. Mox in alias collectiones sub veri auctoris nomine recepti. *Libellus* precum cum præfatione, an. demum 1650, *Jac. Sirmondus* edidit; et sæculo dimidio post, *Quesnellius Fidem Theodosio* oblatam, inter Canones et Constitutiones Ecclesiæ Romanæ dedit.

Sæculo XVI.

1555. *Basileæ, ap. Henr. Petri*, in-fol. Faustini liber de fide contra Arianos; in *Bas. Joan. Heroldi Orthodoxographis*, n. 31.

1569. *Ibid., ex ead. officina*, in-fol., idem liber inter *Mon. Orthodoxographa J. Jac. Grynæi*, p. 1998-2028.

1575. *Romæ, in ædibus Populi Romani*, in-4°, Gregorii Bætici, Heliberitanæ sedis antistitis liber de Trinitate, sive de fide, nunc primum editus studio *Achillis Statii*, *Cat. Bibl. Bunau.*

Paris., ap. Mich. Sonnium, in-fol. Gregorii Bætici liber de Trinitate et fide, in tomo VIII *Bibl. PP. Bign.*, p. 766, locum ultimum occupat. At in eadem Bibliotheca, tomo V, p. 716, eumdem plane librum sub ipsius Faustini nomine, inscriptum *Faustini opus in fide contra Arianos*, exstare annotavit *Ittigius* (*a*).

1577. *Coloniæ, per Maternum Cholinum*, in-8°, idem liber ex *Achillis Statii* editione, *Cat. Bibl. Bunau.*

1589. *Parisiis*, in-fol. Gregorii Bætici Illiberitanæ sedis episcopi ad Gallam Placidiam Augustam de Trinitate et fide contra Arianos liber, in *Bibl. PP.* ed. sec. tomo IV, p. 1273. Atqui in eodem tomo, p. 859, et ante hunc quidem exstat *Faustini episcopi de fide contra Arianos opus*. Animadvertit Fabricius (*b*) in eo apographo, quod sub Gregorii Bætici nomine editio prima et secunda Bibl. PP. exhibet, epistolam ad Flaccillam priore parte mancam esse, cum tamen in Orthodoxographis et universis Collectionibus, in quibus sub Faustini nomine evulgatur, atque adeo in his ipsis Bibl. PP. editionibus integra illa exstet. Facile igitur conjici potest, defectum istum ad editionem Achillis Statii pertinere, unde haud dubie sine ulla cura et circumspectione, tanquam diversus a Faustini opusculo liber, in Bibliothecarum primas editiones illatus est.

Sæculo XVII.

1610. *Parisiis*, in-fol. Faustini episcopi de fide contra Arianos liber, in *Bibl. PP.* tomo IV, p. 765.

1618. *Colon. Agripp.*, in-fol. Faustini diaconi liber de Trinitate, seu de fide contra Arianos, qui liber etiam sub nomine Gregorii Bætici fuit editus; in tomo IV *Bibl. PP.*, p. 545.

1624. *Parisiis*, in-fol. Faustini episcopi liber de fide contra Arianos; in tomo IV *Bibl. PP.* ed. quartæ.

1644-1654. *Parisiis, apud tres bibliop.* in-fol. idem liber in tomo IV *Bibl. PP.* ed. quintæ. Præfatio ad Flaccillam etiam hic majori parte mutila comparet, ut Gallandius observat, qui propterea ed. Oxoniensem ad eamdem descriptam putat.

1650. *Parisiis, ap. Sebast. et Gabr. Cramoisy*, in-8°, Marcellini et Faustini presbyterorum partis Ursini adversus Damasum libellus Precum ad imperatores Valentinianum, Theodosium et Arcadium; nunc primum in lucem editus opera *Jacobi Sirmondi*, Soc. J. presb., Cat. Bibl. Reg. Paris. t. I, 393, sub sæculo VIII.

Præmittitur Præfatio de Schismate Ursini subjectumque est Rescriptum Theodosii pro Marcellino et Faustino presbyteris. Sirmondi Præfatio brevis et concinna, libri et causæ totius argumentum luculenter exponit, atque subjuncta habet veterum de Controversia inter Damasum et Ursinum agitata testimonia.

1675. *Lutetiæ Paris., Joan. Bapt. Colgnard.*, in-4°, Faustini presb. Fides missa Theodosio imperatori. Edidit *Paschasius Quesnellius* inter *Canones* et *Constitutt. Eccl. Romanæ ad Leonis M.* opera, t. II, p. 138.

1677. *Lugduni, apud Anissonios*, in-fol. Faustini diaconi seu presbyteri liber de Trinitate seu de Fide contra Arianos. Accessit libellus Precum ad imperatores cum rescripto Theodosii editus primum a Sirmondo, in tomo V *Bibl. Max. PP.*, p. 637-661.

1678. *Oxonii, e theatr. Sheldoniano*, in-8°, Faustini presbyteri scriptoris sæculi quarti et fidei orthodoxæ adversus Arianos vindicis acerrimi Opera.

Exhibentur : 1° *Faustini presb. Fides Theod. imp. missa et in Codicem Canonum Ecclesiæ Romanæ recepta;* 2° *Marcellini et Faustini Libellus Precum* cum *præfatione de Schismate Ursini et Rescripto Theodosii*, p. 1-61; 3° *de Trinitate liber ad Flaccillam* (inscriptio sub initium ipsius libri habet ad *Gallam Placidiam*), pag. 65-161. Adjecta sunt in singulos libellos adnotata rerum memoriam illustrantia. Præter præfationem præmittitur *incerti auctoris* 14 *Vitarum, quæ Catalogo D. Isidori et Ildefonsi adnectuntur, notitiæ de Marcellino*. Præfatio ad Flaccillam magna parte decurtata hic repræsentatur incipiens a verbis : *Incipiamus ergo obedienter.*

1696. *Parisiis, ex typographia regia*, in-fol. libellus Precum ex editione Sirmondi, in *Operibus* ejus, tomo I, p. 230-262. Contulit editor operum Sirmondianorum cum cod. ms. Bibl. Colbertinæ, indeque variantes lectiones apposuit, itemque nonnullas ex

(*a*) De Bibliothecis PP., p. 37, cf. 44.

(*b*) Bibl. Lat. M. et inf. ed. Mansi tom. II, p. 146.

Remigiano codice, quorum Mabillonius copiam ei fecerat.

1700. *Lugduni*, in-fol. Faustini presbyteri Fides missa Theodosio imperatori, in *Codice Canonum et Constitutionum ecclesiæ Romanæ* edito a Quesnellio in *Appendice ad Opera Leonis M.*, tomo II, pag. 73, cap. 38.

SÆCULO XVIII.

1757. *Venetiis*, in-fol. Faustini presbyteri Fides missa Theodosio imperatori in *Codice Canonum et Eccles. Constit.* Sedis Apostolicæ ad *Opera Leonis* edito a *Ballerinis* fratribus, tomo III, p. 278.

1770. *Venetiis, ex typogr. Joan. Bapt. Albritii*, in-fol. Faustini presb. Opera. Accesserunt ejusdem Faustini et Marcellini libellus Precum ad imperatores; cura *Andreæ Gallandii*, in *Bibl. PP. Ant. et Vet. SS. Eccl.*, t. VIII, p. 441-474.

Primum locum occupant *libri de Trinitate*, deinde *Fides Theodosio missa*, postremo *libellus Precum* sequuntur. Præter variantes ab editoribus diversis ex cod. mss. allatas, accesserunt annotationes quædam *Masochii* ex libro supra laudato et Gallandii conjecturæ quædam. Accedunt prolegomena de Marcellino et Faustino eruditissima. Prol. c. 10, p. XIII-XV.

FAUSTINI PRESBYTERI
AD GALLAM PLACIDIAM [1] DE TRINITATE,
SIVE DE FIDE CONTRA ARIANOS.

FAUSTINUS AUGUSTÆ FLACCILLÆ.

Reginam te orbis Romanus suspicit: et quia jam nihil est, quo amplius crescere debeas in rebus humanis, sublimitatibus non contenta terrenis, sacra in Deum fide cœlestia desideras possidere, quæ verus Filius Dei, in se pie credentibus pollicetur. Et hæc quasi una de sapientissimis elaboras, intelligens omnem hanc regni sublimitatem nihil profuturam, si non ad cœlestem gloriam consequendam veræ fidei cognitione et defensione contendas. Et tamen apparet, quam grata sis in Christo Deo et Domino nostro, qui vobis hoc regnum tribuit; cum sollicita interrogatione perquiris, quomodo capitula illa solvantur, quæ ab Arianis adversus Catholicos sacræ legis interpretationibus opponuntur. Habens affectum veræ fidei, cupis, prout possibile est, intelligere, quod fideliter credis. Quia et tunc magis anima religiosa, velut divinis epulis pascitur, cum quod credit, intelligit. Sed et cum exsecreris impias voces hæreticorum, tamen religioso studio instrui adversus eos desideras, ut et rationem jam respuas: ne hoc quod exsecraris, quasi ex regni potentia, præsumptionis videatur esse, non probationis. Sed huic tam pio, tam necessario et pulcherrimo desiderio tuo, etsi me imparem vides, tamen ut resistens obviam venire non audeo. Confiteor enim quod hac me inhabilis conscientia, et imperitia squalidi sermonis suffundit, ut taceam: hac fervor fidei, periculum credit esse si taceam: quomodo enim periculum non videtur, si adversus hostem impium provocati conscientia eloquendi, quæ verecundia, quasi terga vertamus? Maxime, cum in causa fidei non sermonum sublimitas requirenda est, quando ipsa sola testimonia divina sufficiant, quæ potius operantur, quam quævis fecundior eloquentia. Sed nec vitiorum conscientia cogitanda est, quando potius relevatur, si primo Deum non trepidet confiteri, exemplo illius evangelici latronis, qui quo die confessus est Deum, ipso die meruit cum eo in paradisum, quem confessus fuerat, introire. Ineipiamus ergo, obedientes religiosissimis præceptis tuis, collidere cum adversario, non quidem de nostris viribus præsumentes, sed habentes fiduciam de præsidiali patrocinio Salvatoris, adversus quem more gentilium et furore Judæorum, bellum exagitat impietas hæreticorum. Sed quia in his quæ scribere dignata es ex persona hæreticorum, vidi plurima esse confusa, ut videreris mihi non plenius nosse quæ asserant Ariani; melius opinatus sumpsi primum liquido palam facere quomodo credant, et quomodo sub ambiguitate sermonis simplices animas capiant; et tunc maxime, cum sub communi confessione impia sua verba commendant: quia et tunc demum ad solutionem fidelis responsio manifesta est, si prius sacrilegæ sectæ impia tergiversatio propaletur.

CAPUT PRIMUM.

De professione impia Arianorum.

I. Ariana impietas [2] asserit multa nobiscum quidem iisdem sermonibus, sed non iisdem sensibus (confitetur), cum ad divinæ fidei confessionem vocatur. Nam iisdem quibus et nos vocibus personat Deum Patrem, et Deum Filium, et omnia a Deo Patre per filium facta, et filium ante sæcula genitum. Sed cum nobiscum per hæc verba concordet, nihilominus sacrilegis verborum interpretationibus a piis Ecclesiæ catholicæ sensibus [3] abrumpit, ita dicens patrem, ut non vere genuerit: ita filium quoque pronuntians, ut apud eum adoptione, non natura sit filius, id est, ut aliunde ad filii nomen assumptus, non vere de Deo Patre sit genitus. Nam licet et ante sæcula filium natum esse fateatur, tamen ei initium tribuit dicendo, Erat quando non erat. Sed et sic

[1] Al. rectius cum Gennadio, *Flaccillam*.

[2] *Adserit quidem multa nobiscum iisdem sermonibus*, deest.

[3] *Abrumpitur*.

quoque per eum facta dicit universa, ut eum asserat ex nullis exstantibus substitutum, quia præsumpsit non vere de Deo Patre genitum : et inde est, quod ita vult habere persuasum, Christum Deum quidem esse, sed non verum, cui initium deputetur ; et filium quidem ita, ut factus intelligatur esse, non natus. Si quidem non vere de patre natus est, sed de nihilo substitutus ; ob hoc quoque et [1] mutabilem credit, quia in fide ejus non vere Deus, non verus filius est : et ut hos impios sensus apud ignaros vel simplices commendet, adhibet quoque, ut sibi videtur, Scripturarum divinarum testimonia, dicens ex persona Sapientiæ [2] probatum, *Dominus creavit me initium viarum suarum in opera sua* (*Prov.* VIII, 22). Christum autem sapientiam esse Apostolus quoque confirmat dicendo, *Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam* (I *Cor.* I, 24). Constat ergo Christum, qui est, Apostolo interprete, sapientia, esse creaturam : (et jam, inquit,) consequens est, ut non sit verus Deus, qui sit creatura : jam nec verus filius, qui non sit a Deo genitus, [3] sed creatus : erat ergo, quando non erat.

II. Hæc sunt nequitiæ arma proposita, adversus quæ ire [4] provocamur, ut assertionis adversæ propaletur impietas ; non quidem, ut diximus, nostro ingenio, sed gratia Dei adjuvante semper pios conatus. Tu modo, quæso ne squalido sermone fatigeris, sed rerum intenta virtutibus, da calculum veritati. Hoc autem non ut librum [5] scribimus, sed quasi cum præsente adversario certis disputationibus dimicamus. Et imprimis contra hoc quod dicunt, Erat quando non erat, occurrendum est, quod semper fuerit ; et opponendum de Evangelio testimonium, dicente Joanne, *In principio erat Verbum* (*Joan.* I, 1). Sicut enim Christus Dei sapientia et Dei virtus est, ita et Dei Verbum est. Cum ergo ait, *In principio erat Verbum*, quomodo Ariana impietas dicit, Erat quando non erat ? *In principio*, inquit, *erat Verbum* ; non dixit, In principio factum est Verbum : et utique quod in principio erat, semper fuisse credendum est. Si enim, ut putat impietas, factura est filius ; sine dubio Scriptura divina hoc ipsum quod factum est principio prodidisset, ex illa utique institutione, qua et Moyses locutus est [6] dicendo : *In principio fecit Deus cœlum et terram*. Si enim et filius Dei factura esset, dixisset Joannes, In principio factum est Verbum. Sed prævidens evangelista, magis autem Spiritus sanctus per evangelistam, futuros impiæ mentis homines, qui dicerent de filio, Erat quando non erat, ideo sic cœpit : *In principio erat Verbum* ; nihil enim illo anterius est, qui invenitur ante principium. Scripturæ divinæ ob hoc editæ sunt, ut secundum illarum sensum nostram fidem dirigamus, non ut nostros sensus illarum sacris dictionibus inseramus. Viderit, si sunt quædam capitula, quæ sui obscuritate dare putantur occasionem ambignitatis ; certe in hoc capitulo nulla ambiguitatis occasio est. Non licet interpreti aliter sentire, quam scriptum est ; nec opus est, ut nunc nostros sensus ingeramus : sufficit ad plenam percipiendæ fidei notitiam, ut divina verba recitemus. *In principio*, inquit, *erat Verbum*. Numquid aliqua hic est opinio temporis, numquid aliqua suspicio sæculorum, vel aliquod intervallum puncti aut momenti alicujus, ut dicere audeas, Erat quando non erat ?

III. *In principio erat Verbum* ; et ne forte verbum intelligas, quod est loquentis officium, sequitur, *et Verbum erat apud Deum* : non dixit, « verbum quod locutus est Deus, sed, *et erat Verbum apud Deum* : ipse postremo interpretatus est, quid sit Verbum, dicens, *et Deus erat Verbum*. Si *in principio erat Verbum*, et hoc ipsum *Verbum apud Deum erat*, *et Deus erat Verbum*, confusa est impietatis intentio. Probatur enim de capitulo hoc, Christum filium Dei et semper fuisse, et semper inseparabilem a Patre, et semper Deum. Sicut enim sine initio est, cum dicitur, *In principio erat*, sic et cum dicitur, *apud Deum erat*, inseparabilitas ejus a Patre sine initio declaratur. Sed et cum hoc Verbum Deus esse definitur, non est ambiguum, quod sine initio Deus creditur. Hoc enim quod præmisit dicens, *In principio*, ad omnia referendum est, id est, *In principio erat Verbum* ; et cum sequitur, *et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* ; sine dubio, *in principio*, subaudiendum est. Denique et ipse ita concludit, dicens : *Hoc erat in principio apud Deum* ; quomodo ergo « erat quando non erat, » qui semper est ? quomodo « ex nullis exstantibus est, » qui semper apud Patrem est ? quomodo creatura, qui semper Deus, imo et per quem universa creatura est ? Sequitur enim, *Omnia per ipsum facta sunt*. Quomodo « ex nullis exstantibus factus est, » *per quem omnia facta sunt* ? Si enim et ipse factus est, quomodo *per ipsum omnia facta sunt* ? non enim cum fieret, potest sui auctor esse, qui non fuit : atque ideo infectus credendus est, *per quem omnia facta sunt* ; quia vanum est, et absurdum, ut et ipse, cum non exstaret, factus per se esse dicatur.

IV. Similiter et Paulus docet Christum semper fuisse, et Deum esse, et æqualem Patri. Tunc enim vere Deus est, cum æqualis est Patri : quia nec æqualis esse diceretur si non vere Deus haberetur. Injuria est enim veri Dei, si ei non Deus verus dicatur æqualis. Ponit itaque in Epistola sua : *Hoc enim existimate in vobis, quod in Christo Jesu : qui cum in forma Dei esset* (constitutus), *non rapinam arbitratus est, esse æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens* (*Philip.* II, 5-7). Si vere homo est Christus, cum *formam servi accipit* ; vere quoque Deus est, cum *in forma Dei* esse perhibetur : nec alia ratione æqualem diceret, nisi in forma Dei esse verum Deum voluisset intelligi. Et qui verus Deus est, utique semper est : et qui semper est Deus, non potest dici de eo, Erat quando non erat. Sed et per

[1] Al. *Commutabilem.*
[2] *Prolatum.*
[3] *Etsi creatus est.*
[4] *Deprecamur.*
[5] *Scripsimus.*
[6] *Scribendo.*

ipsum omnia facta ait apostolus Paulus scribens: *Quia in ipso creata sunt omnia, sive quæ in cœlis, sive quæ in terra, visibilia et invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates; omnia per ipsum et in ipso creata sunt, et ipse est ante omnes* (*Coloss.* I, 16, 17). Ergo ipse semper est, per quem et in quo omnia facta sunt. Sed et Hymnidicus cantans ait: *Omnia in sapientia fecisti* (*Psal.* CIII, 24). Non tamen ipsam dixit factam esse sapientiam: quia et Apostolus cum dicit, *et ipse est ante omnes*, factum negavit. Si enim eum qui non erat, factum credi voluisset, ita posuisset, *et ipse factus est ante omnes*: at cum dicit *et ipse est ante omnes*, omnibus dedit initium, quorum anterior, immo et factor est: ipse vero sine initio est, qui ante omnes non factus, sed esse memoratur. Item Apostolus: *Unus*, inquit, *Deus pater, ex quo omnia, et nos in ipso: et unus Dominus noster Jesus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum* (*I Cor.* VIII, 6): et hoc cum dicit *per Christum esse omnia*, apertissime factorem discrevit a factis, nec posse intelligi naturam facturæ in eo qui fecit omnia.

V. Sed videamus si et Moyses hoc idem docuit, quod apostoli annuntiaverunt, id est, omnia ex Deo facta esse per filium. Inter cætera, cum fabricam mundi refert, ait: *Et dixit Deus, Fiat firmamentum in medio aquæ, et sit dividens inter aquam et aquam: et factum est sic. Et fecit Deus firmamentum, et divisit Deus per medium aquæ* (*Gen.* I, 6). Cum dicit, *Et dixit Deus, Fiat firmamentum*, in dicente patris intelligenda persona est: cum autem dicit, *Et fecit Deus*, in faciente filii intelligenda persona est. Nam si non putas ita intelligendum, apostolica periclitabitur assertio, dicens: *Unus Deus pater, ex quo omnia et nos in ipso: et unus Dominus noster Jesus Christus, per quem omnia et nos per ipsum:* nisi enim totam fabricam mundi per filium factam esse credideris, immo et omnia invisibilia sive et visibilia, quemadmodum in fidem recipis vocem Apostoli dicentis: *Unus Dominus noster Jesus Christus, per quem omnia*, et illud quoque quod supra retulimus, *quia in ipso creata sunt omnia*, nec non et illud, *Omnia in sapientia fecisti?* Sed et hoc Joannes prosecutus est: *Omnia per ipsum facta sunt:* quomodo omnia, si negas de filio Dei dictum, *et fecit Deus firmamentum: Et divisit Deus per medium aquæ?* Ergo et Moyses factorem inducit filium, non factum. Si enim factum sancto Spiritu revelante didicisset, inter cætera quæ facta describebat, ipsum quoque prius factum esse memorasset.

VI. Sed absolutius inferius prosequitur, ubi jam fabricati mundi incola faciendus est: *Et dixit Deus, Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (*Gen.* I, 26). Non est enim unius personæ dicere, *faciamus ad imaginem et similitudinem nostram*, sed neque diversæ deitatis. Nam pluralitas horum verborum, id est *faciamus*, et *nostram*, patris et filii personas significat. Quod autem singulariter *imaginem* dicit, una deitas, una virtus utriusque personæ manifestatur. Si creatura est Christus, quomodo in opera Deo consors adhibetur? ad ipsum enim dicitur, *faciamus*. Si non est verus filius, quomodo una illi cum patre imago est? Adoptivus filius non habet imaginem adoptantis: potest quidem habere munificentiam, non autem potest imaginis habere naturam. Scio quidem esse discretiones imaginum, quas nunc exsequi longum est, et non necessarium. Sed quod facit ad causam, vindico, dicens: Hoc in loco nulla discretio est imaginis, ubi patris et filii una imago perhibetur. Non enim dixit, Faciamus ad imagines nostras, sed, *ad imaginem nostram*. Et ne forte stupida mente, o quisquis ille es hæreticus, usurpares etiam de una persona dici potuisse *faciamus*, ut scilicet apud se cogitantis affectio sit, non designatio personarum; subsequitur, *et fecit Deus hominem, ad imaginem Dei fecit eum* (*Ibid.* 27). Quæ coram in luce posita sunt, si quis non videt, cæcus est: *Deus*, inquit, *fecit, ad imaginem Dei fecit*. Nonne apertissimum est, quod jam tunc Spiritus sanctus per Moysen evangelica sacramenta tractabat dicens, *Deum et Deum*, non tamen duos deos, quia una imago est patris et filii? Et, o quam prospecte omnia edita sunt! *Deum et Deum* sacra Scriptura pronuntiat, ut Sabellium excluderet defendentem patris et filii unam esse personam: et ne duos deos introduceret, inter verba quibus pluralis significatio personarum est, unam imaginem inseruit. Hoc ita esse invenies, intendens testimonio dicenti, *Faciamus hominem ad imaginem nostram*. Quid [1] agis, impietas Ariana? Si creatura Christus est, quomodo creaturæ et creatori una imago est?

VII. [2] Sed ne iterum Arius sub occasione personarum, diversitates induceret naturarum, diversitas naturæ non admittit unius formæ communionem. Multæ sunt voces in libris Moysi, quibus redargui possint impii in filium, immo et in patrem: nam quomodo non et in patrem hæc tendit impietas, quæ profano spiritu exercetur [3] in filium, cum patri adimunt quod vere patris est, auferentes filio quod vere filii est: quomodo enim pater est vere, qui secundum ipsos non genuit? quomodo Christus vere filius est, quem negant vere de ipso generatum? Sed, ut dixi, multæ sunt voces in libris Moysi, quibus redargui hæc eorum possit impietas: sed quia hæc ipsa non studio librum scribentis exsequimur, sed veluti in scheda certas summas quasi properantes [4] delimamus, ut tuo qualitercumque videamur obedisse præcepto, cæteræ voces prætereundæ sunt, maxime quia in divinis vocibus non numerus testimoniorum, sed auctoritas requirenda est; quæ idonea est etiam si una voce proferatur. Sufficit interim de hoc uno capitulo Moysen concordasse cum Evan-

[1] Forte, *ais*.
[2] Hæc periodus superius in Faustino collocat hoc in loco *Personam*.
[3] *Et in filium*.
[4] *Delibamus*, vel *delineamus*.

geliis et apostolis. *Deum et Deum* prædicat Moyses : sicut superius testimonium [1] loquimur de Genesi, ita et Joannes Deum et Deum annuntiavit dicens : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* (*Joan.* 1, 1). Nemo dixit duos deos, licet Deum et Deum diceret : nemo non unam imaginem patris et filii annuntiavit, et ideo unum Deum novit dicere in confessione fidei catholica : non tamen ut per confessionem [2] unius Dei filius negetur esse quod Deus est : quia sicut pater Deus est, ita et filius Deus est : nam si non sicut pater Deus est, ita et filius Deus ; quomodo illis una imago est secundum Moysen? vel quomodo secundum Paulum, in forma Dei Christus est æqualis existens Deo?

VIII. Sed et Joannes cum Verbum Deum asserit in principio apud Deum esse, non extra Deum esse; per hanc Verbi Dei a Deo inseparabilitatem idem mihi videtur significare, quod in significantia imaginis et formæ est. Nam si per unam imaginem eamdemque formam, patris et filii inseparabilitas ostenditur, cur non cum Joannes Dei et Dei inseparabilitatem annuntiat per hoc quod ait, *et Verbum erat apud Deum, et hoc erat in principio apud Deum*, unam imaginem eamdemque formam patris et filii significasse credatur? Plane hic sensus videatur ambiguus, si non idem evangelista hoc ipsum paululum infra apertius prosecutus est dicens, *et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a patre* (*Ibid.* 14) : sicut una imago, eademque forma, ita et gloria non alia est filii, quam quæ patris est. Interea qui Christum de adoptione filium dicis, quomodo intelligis *gloriam ejus quasi unigeniti a patre?* Quod si plures esse Dei filios, de adoptione profiteris : quod si et Christus adoptivus est, quomodo unigenitus a patre est, cum non sit unigenitus existentibus quoque aliis per adoptionem filiis? Quod si vere unigenitus a patre est ideo quia ipse solus de ipso vere patre generatur, quomodo adoptivus asseritur, cum adoptivus inter plures adoptivos proprietatem unigeniti a patre habere non possit? Sed etsi adoptivi sunt, de nullo tamen eorum dictum est, *et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a patre.* Sed de Christo solo dictum est, *et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a patre :* non ergo adoptivus est, de quo hoc dicitur, quod de adoptivis dici non potest. Et merito illi una imago cum patre est, quia ipse solus *unigenitus a patre est.* Quid ergo mirum, si in filii imagine patris imago signatur? Ideo et ipse Salvator dicebat, *Qui me videt, videt et patrem* (*Joan.* XIV, 9) : non hoc, ut Sabellius, dico quasi se ipsum patrem dicat esse, qui sit et filius. Confiteor enim patrem esse, qui genuit : filium vero esse, qui natus est. Sed cum dicit, *Qui me videt, videt et patrem*, sicut patris et filii non unam ostendit esse personam, ita unam ostendit esse deitatem ; cum in patris et filii substantia nulla diversitas invenitur.

IX. Iterum in hoc quoque loco dicam, si creatura est filius, quomodo qui videt filium, videt et patrem?

[1] An *loquitur?*

A Nemo in visione creaturæ patrem videt : de inspectione enim creaturæ creator videri potest ; pater autem non videtur nisi de inspectione filii. Si ergo Christus creatura est, et non vere filius, non potest in creaturæ visione pater videri : et quomodo ait, *Qui me videt, videt et patrem*, nisi quia vere filius de Deo patre natus est? et ideo cum videris filium, necesse est ut et patrem videris. Sine filio enim pater non est, sicut nec filius sine patre. Inde etiam subdidit, *Ego in patre, et pater in me* (*Ibid.*, 10) : non utique per quamdam passivam confusionem ; sed quia consequens est ut ubi pater est, illic esse cognoscatur et filius ; et ubi filius est, illic etiam patrem exstare cognoscas. Est et alius sensus dicti istius, *Qui me vidit, vidit et patrem :* non qui corporeis oculis in corpore vidisset Jesum, vidisse patrem B refertur ; alioquin absurda est increpatio Domini ad Philippum dicentis, *Tanto tempore vobiscum sum, et non me nosti, Philippe* (*Ibid.*, 9)? secundum corpus enim non solum Philippus videbat Jesum, sed et omnes Judæi qui ei adversabantur : nec tamen per hoc quod videbant secundum corpus Jesum, patrem quoque vidisse credendi sunt. Quid ergo est, *Qui me vidit, vidit et patrem?* intende cordis aciem, et vide secundum fidei spiritualis obtutus, Christum filium Dei non creaturam esse, sed creatorem : intende eum vere esse Deum sine initio sempiternum ; et secundum hoc, quod Deus, invisibilem, inæstimabilem, incorruptibilem, indemutabilem, et per omnia talem, qualis est et pater ejus qui eum genuit : et ita videns filium, patrem quoque te vidisse non dubium est. C

X. Hoc sensu accipe et illud quod ait, *Ego in patre, et pater in me.* Pater cum sit perfectus, perfectum filium genuit ; et cum sit invisibilis, incomprehensibilis, inæstimabilis Deus et verum lumen ; et filius talis natus est, qualis est ille qui eum genuit : et ideo ait, *Ego in patre, et pater in me :* cum enim omnia quæ sunt paternæ virtutis et deitatis habeantur in filio, pater in filio est, et filius in patre : et ideo præmisit ; *Si me sciretis, et patrem meum sciretis* (*Ibid.*, 7) ; et hic ostenditur quod eadem sit patris et filii substantia, eo quod sit una utriusque cognitio. Sed creaturæ et creatoris non est una cognitio, quia non est una substantia. Patris autem et filii una cognitio est ; ergo non est filius creatura, D sed creator est, sicuti et pater creator est : et Deus est, sicuti et pater, non tamen per hæc duos deos dicimus. Hic est ubi, imple hæretice, diabolico furore quasi in stultitiam istius confessionis inardescis, cum Deum et Deum audis, nec tamen duos deos dicimus. Inflatus enim de littera sæculari, in hac quæstione insanabiliter ægrotas ; et putas te debere constringere, ut duos deos dicamus, cum Deum et Deum confitemur. Noli infelix adversus Christum Dominum totius creaturæ, Aristotelis artificiosa argumenta colligere, qui te Christianum qualitercumque profiteris, nec adversus piam confessionem inenarrabilis de Deo sacramenti ut calculo calumniator,

[2] *Unus Deus filius.*

quasi ex disciplina terrenæ supputationis [1] circumscriptor advenias. Inspice potius divinos libros, et de divina fide divinis utere sermonibus. Legisti utique, *Et in lumine tuo videbimus lumen* (*Psal.* XXXV, 10). Quæ hic distantia luminis a lumine est? posuisset enim et distantiam, si fuisset, ne quis lumînis a lumine nullam distantiam crederet : quod si nulla distantia est, non ergo duo lumina, sed unum lumen est, cum in lumine patris, filii lumen agnoscitur. Hoc lumen est de quo et Daniel loquitur dicens, *Et lumen cum ipso est* (*Dan.* II, 22) : non enim de aliqua creatura hoc dicitur, sed de splendore ipsius Dei existentis sempiterni luminis. Si pater sempiternum lumen est, sine dubio et filius lumen est sempiternum. Si vero negatur filius Dei lumen esse sempiternum, quomodo in patris sempiterno lumine lumen filii, quod non est sempiternum, videtur? Sed in laudibus Dei non est hæc falsa dictio sanctorum : *Et in lumine tuo videbimus lumen.* Ergo et filii lumen sempiternum est, quod non distat a patris lumine sempiterno ; et ideo licet lumen sit filius, et pater lumen sit; unum tamen patris et filii lumen est, quia in patre et filio nulla discretio est, nulla separatio luminis est, quomodo nec imaginis secundum Moysen, nec formæ secundum apostolum Paulum.

XI. Sacramentum autem inseparabilis unitatis secundum hoc, quod uterque, id est, pater et filius æqualiter et indivise, neque secundum portionem, Deus unus : et pluralitatis secundum hoc, quod unus pater est, et unus filius. Etiam de hoc capitulo manifestatur quod legimus in Evangelio, ipso Salvatore dicente, *Ego et pater unum sumus* (*Joan.* X, 30). *Sumus* enim pluralitatem significat personarum, quia hic pater, et hic filius : *Unum* autem unam eamdemque in patre et filio substantiam deitatemque consignat, ut vere pater et filius unus Deus sit; cum ambo, id est, pater et filius unum sunt secundum deitatem, non unus secundum personas. *Ego et pater unum sumus :* hac una voce et Sabellius excluditur, et Arius [2] confutatur. Sabellius enim ipsum dicit patrem, qui sit et filius, hoc modo, tamquam si unus habeat duo nomina, et interpretatur *unum* ideo dictum, ut unius personæ singularitas crederetur. Contra vero Arius respiciens ad hoc quod ait, *sumus*, in hoc sermone, pluralitatem intelligens, introduxit impiam pluralitatem deorum, credens unum sempiternum Deum, et alium qui esse cœperit Deus; unum omnipotentem, et alium qui non sit omnipotens. Sed, o cæcitas in utrisque! habent ante oculos quod pie videant, et incautis offensionibus impie litigare contendunt : saltem commodent sibi sensus suos, et piæ fidei perspicient veritatem. Sabellius admiratione virtutum quas Christus operabatur, Christum Deum verum esse credit, et non qui aliquando cœperit, sed qui semper fuerit, et possit omnia : credat hoc A Arius, et non blasphemet in Christum, quem filium confitetur. Item Arius negat Christum esse patrem : neget hoc et Sabellius, et pie credat, quod Christus vere Deus est, non existens pater, sed filius. Adhuc apertius dicam. Sabellius vincat Arium, quod Christus verus Deus est; et Arius vincat Sabellium, quod Christus sub confessione veri Dei verus et filius est : et mihi catholico ambo vicerunt, immo et mecum ambo vincunt impietatis errorem, cum mecum intellexerint sacræ fidei veritatem, quæ et pluralitatem personarum intelligit, et unitatem deitatis in hac pronuntiatione Domini dicentis, *Ego et pater unum sumus.* Sed hanc divinam pronuntiationem, et hanc piam divinæ pronuntiationis intelligentiam Arii sectatores cum quærunt subvertere, alio modo B interpretantur, et dicunt, unum sunt quidem, sed non substantia, non deitate, non potestate, sed voluntate : id est, quia unam eamdemque habeant voluntatem, ideo ait, *Ego et pater unum sumus.* Dicite, [3] o impiissimi, substantivum Verbum Dei est; et qui linguæ sermonem dedit, nescit loqui, et ignoravit altum sensum vestrum proprîs et competentibus sermonibus explicare, et inefficax fuit dicere, *Ego et pater unum volumus*, si tamen hoc in loco unitatem voluntatis, et non substantiæ ac deitatis volebat intelligi.

XII. Sed nunc, quæso, Regina, memineris quæ capitula ex persona hæreticorum scribere dignata es. Ipsi hæretici aiunt, *Qui me misit pater, ipse mihi præceptum dedit, quid dicam et quid loquar* (*Joan.* XII, 49) : et *Descendi de cælo, non ut faciam voluntatem* C *meam, sed voluntatem ejus qui misit me, patris* (*Joan.* VI, 38). Hoc artificium hæreticorum est, ut alibi negent, quod alibi confitentur : ut cum se vident præsentium quæstionum absolutionibus vehementer astringi, serpentino lubrico semper eludant. Certe dicitis, o hæretici, præceptum dedisse filio patrem, quid dicat, quid loquatur : et quomodo quasi nesciat loqui, vos verba ejus emendatis, immo jam patris; quia filius quod dicit, quod loquitur, secundum præceptum quod dedit ei pater, et dicit et loquitur. Jamne intelligitis, quia cum profano spiritu adversus filii deitatem exercere contenditis vestram amentiam, etiam in patrem prorumpitis insanientes? Clamat filius, *Ego et pater unum sumus :* et vos quas D grammatici velut inefficaciam dominicæ pronuntiationis supposîti verbi demutatione supplentes emendatis, et dicitis : Hoc quod ait, *sumus, volumus* intelligendum est; ut scilicet sic dictum sit, *Ego et pater unum volumus.* Sed reclamat filius etiam contra vos dicens illa, quæ dixit ad vestræ impietatis participes Judæos : *Quare loquelam meam non cognoscitis* (*Joan.* VIII, 43)? Habeant locum suum parabolæ et allegoriæ et ænigmata : hoc tamen loco apertissime et plene dictum est, *Ego et pater unum sumus* : et quomodo unum sunt, alibi quoque declarat, cum dicit :

[1] *Calumniator.*
[2] *Confunditur.*
[3] *Hæretici impii.*

Credite mihi, quia ego in patre, et pater in me est (*Joan.* x, 38) : et ne videretur ipse de se usurpare, quod non erat; ut veritatem dictionis ostendat, præmisit dicens : *Non creditis quia ego in patre, et pater in me? Verba quæ ego loquor vobis, a me ipso non loquor : pater autem in me manens ipse loquitur, et opera quæ ego facio ipse facit* (*Joan.* xiv, 10). Sed et alibi : *Sicut docuit me pater, hæc loquor : et qui me misit, mecum est, et non reliquit me solum, quia quæ placita sunt ei, facio semper* (*Joan.* viii, 28, 29). Non quia filius ignoraret quid sibi loquendum erat : quid est enim quod Dei sapientia ignoret? Sed ut duritiam indomitæ fidei tuæ ad piam divinæ unitatis intelligentiam patris quoque auctoritate molliret, ait : *Pater in me manens ipse loquitur* (*Joan.* xiv, 10); vel illud, *sicut docuit me pater, hæc loquor* (*Joan.* viii, 28). Sicut autem opera filii, opera patris sunt, eo quod faciente filio, pater in ipso manens faciat: ita quod loquitur filius, pater in ipso manens loquitur non aliud, quam quod loquitur filius; quia nec filius aliud loquitur, quam quod loquitur pater in ipso manens. Eadem ergo patris et filii loquela est, sicut eadem et operatio; et ideo dicebat, *alioquin propter opera ipsa credite* (*Joan.* xiv, 12). Quæ utique similiter faciebat ut pater : ut postremo vel auctoritate operum crederetur, quia filius in patre est, et pater in filio.

XIII. Hoc autem quo modo intelligendum est quod ait, *Ego in patre et pater in me*, jam supra expositum est. Sed et nunc brevius dicam. Secundum indifferentiam substantiæ audiendum est, *Ego in patre et pater in me*. Sed et illud quod ait, *Ego et pater unum sumus*, secundum indifferentiam substantiæ unum sunt pater et filius. Nolo ergo, impie hæretice, ut indifferentiam substantiæ patris et filii adimas, et importune unitatem voluntatis interseras, quam alibi impie negas dicendo : Scriptum est, *Descendi de cælo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me patris* (*Joan.* vi, 38). Qui in hoc capitulo ignorans dictionis ejus sacramentum, tam impie negas patris et filii unam esse voluntatem; quomodo tibi credam, quia sinceriter confiteris, quod una eadem voluntas patris et filii significetur in hoc quod pronuntiavit Dominus dicens, *Ego et pater unum sumus?* Tu si vere credis, quod pater et filius unum sunt voluntate, non video quomodo negare possis quia et substantia et divinitate et potestate unum sunt. Quare enim non una substantia sit, una divinitas et potestas, quibus una voluntas est? Si enim ex æquo illis voluntas est, ex æquo divinitas est. Si non ex æquo divinitas, nec ex æquo voluntas. Dei enim voluntas, et cujuslibet, non tamen Dei, voluntas [1] pariare non potest : quia alia est vis voluntatis ejus qui Deus est, et alia vis voluntatis ejus qui Deus non est. Voluntas Dei naturaliter bona est, perfecta est, indemutabilis est, semper eadem existens, et sine initio existens, et sine fine perseverans. Voluntas vero ejus qui non est Deus, eo quod habeat initium, sicut et ipse qui non est Deus potest et nutare, potest et verti, sicuti et ipse qui non est Deus : ac per hoc non vere bona, quia non naturaliter bona, nec vere perfecta, quæ potest verti et minui : ita ut quod [2] hodie voluit, crastino nolit, et quod hodie noluit, crastino velit.

XIV. Dicam exemplo apertius : Angelus iste qui nunc diabolus est, antequam fieret diabolus, bonam habuit voluntatem; sed ubi factus est diabolus, proprii arbitrii agitatione amisit bonam voluntatem; ideo scilicet, quia ex factura [3] subsistit, et non naturaliter Deus est. Hoc et de omni creatura rationabili sentiendum est : etsi enim quidam eorum non declinaverunt, neque declinant a bona voluntate; tamen [4] in natura habent posse declinare, quia creaturæ sunt, et non Deus. Hoc enim quod non declinant, ex disciplinæ perpetua observatione obtinent, non ex [5] naturæ indemutabilis veritate. Deus autem [6] ipse solus sine initio bonus et perfectus et inconvertibilis est sine initio, habens quoque bonam voluntatem et perfectam et inconvertibilem; non institutione, neque ex profectu observationis habet bonam et perfectam et inconvertibilem voluntatem, sed ex naturæ indemutabilis veritate, qua ei bonus et perfectus et inconvertibilis Deus est. Viderit, si qua fortassis est hæresis, quæ hunc sensum respuat : tu tamen præcipue ad hoc, Ariane, consentis, qui et ipsum filium Dei quem totius creaturæ Dominum confiteris, [7] vertibilem et mutabilem dicis, quod eum a Deo factum de nihilo prædicas, non [8] tamen de Deo vere natum. Si hæc tibi sententia est, quod omnis creatura vertibilis est et mutabilis, Christum autem dicis esse creaturam : ergo et ipse, secundum te, ex conditione [9] naturæ vertibilis et mutabilis existens, non habet inconvertibilem et indemutabilem voluntatem. Et quomodo interpretaris, quod pater et filius unum sunt voluntate? cum patris et filii, secundum te, diversæ sint voluntates et contrariæ; quia scilicet una est indemutabilis et inconvertibilis, alia vero mutabilis et convertibilis, deprehenderis et detegeris, hæretice fraudulente, quomodo conaris simplices animas circumvenire et capere. Constrictus enim et coarctatus testimonio dominicæ pronuntiationis dicentis, *Ego et pater unum sumus*, ut de hac voce qualitercumque [10] evoles, quæ claris sermonibus in patre et filio unitatem deitatis ostendit, succubuisti necessitate, non arbitrio, ad hoc ut vel [11] ad monumentum in præsenti capitulo summis labiis, et ut ita

[1] *Pariare*, id est, *esse par*.
[2] *Hodie voluit, crastino nolit.* Hæc improvide omissa sunt in editione Oxoniensi.
[3] *Subdidit.*.
[4] *Innatum* Paris. fort. *Innatum habent.*
[5] *Creaturæ.*
[6] *Sicut solus.*
[7] *Deum vertibilem.*
[8] Forte *autem.*
[9] *Creaturæ convertibilis.*
[10] *Te voles.*
[11] *Ad monumentum.* Forte, *ad momentum.*

dixerim, superficie sola verborum, unitatem voluntatis interseras, quo expressius et vivacius et medullitus unitatem deitatis excluderes. Tollis enim sensum, unitate substantiæ, qui facile creditur ex ipsa simplicitate verborum; et interpretaris sensum, unitate voluntatis; [1] ut quia supra dicta ratio ejus non facile apud omnes intelligitur, interim simplicem decipias auditorem, cum illud agis ne unitatem divinitatis intelligat. Nam et unitatem voluntatis in patre et filio, fides catholica sincerissime et verissime credit, non labiis (tantum) sed et toto corde, quæ et unitatem substantiæ et divinitatis agnoscit. Sicut enim indemutabilis et inconvertibilis est substantiæ cum Patre Filius, ita et indemutabilis et inconvertibilis voluntatis est cum Patre Filius. Atque ideo una voluntas est Patris et Filii, sicut et una virtus et una imago, magis [2] aut dixerim quod ipse Filius voluntas est Patris. Sicut enim Patris et Filii una imago cum sit secundum Moysen, tamen et ipse Filius *imago Dei invisibilis* (*Coloss.* I, 15) scribitur ab Apostolo; ita et una voluntas cum sit Patris et Filii, (pie) definitur quod voluntas Patris est Filius. (Sicut est) Dei invisibilis imago, similiter et de virtute intellige. Fides enim catholica dicit, unam virtutem esse Patris et Filii; et tamen scribit Apostolus, *Christum Dei virtutem esse et Dei sapientiam* (I *Cor.* I, 24). Pie ergo dictum est, quod Filius voluntas est Patris, sicut idem ipse est sapientia Dei. Et tamen si adhuc movet hic sensus, intende ad ea quæ dicimus : certe Dei sapientia Christus est. Quid autem est Dei voluntas, quam Dei sapientia? non enim in Deo aliud voluntas, et aliud sapientia : in hominibus quidem potest esse voluntas, non tamen hæc ipsa sapientia; quia voluntas hominis eruditione et meditatione et profectu ad sapientiam sibi possibilem pervenit. Dei autem voluntas non eruditione, non meditatione, non profectu ad sapientiam pervenit, sed ipsa nihil indigens, naturaliter [3] substantiva sapientia est. Unde et Christus Dei sapientia existens, Dei quoque voluntas est; quia in Deo non aliud voluntas, et aliud sapientia.

CAPUT II.

De eo quod hæretici dicunt. Ex nihilo, inquiunt, Deus sibi filium fecit : si fecit eum ex nihilo, creatura est, et non filius.

I. David uno lapidis ictu Goliæ frontem percutiens magni corporis fortem stravit inimicum (I *Reg.* XVII, 50). Sed nostræ non est virtutis de uno lapide vincere; duplici, ut opinor, ex causa : quia nec nos tales vires habemus, quales habuit et David; et isti nimis frontem præferunt [4] impudentiæ impietatibus obduratam : unde jam licet multos lapides non in vacuum miserimus, tamen adhuc in Dei gratia repetendum nobis est, et impudens [5] eorum frons illa quæ est sine signo Domini, crebris testimoniorum lapidibus elidenda est; ut, etsi non caro eorum effundit cruorem, multis [6] effossa vulneribus tamen vel [7] pudor suffusione sanguinis erubescat, si etiam [8] ex iis quæ illorum esse scripseras, opprimantur. Hæc verba hæreticorum ais esse. Ex nihilo, inquiunt, Deus sibi filium fecit. Si fecit eum ex nihilo, [9] creatura est, et non filius. Et quid est, quod filium dicis, quem creaturam esse confirmas, cum dicis eum factum ex nihilo esse? non ergo potes et filium eum dicere et creaturam : filius enim ex nativitate consistit, creatura vero ex factura. Quid tibi contraria profiteris? unum elige de duobus : dic aut filium vere filium, aut creaturam vere creaturam. Si ita filium dicis, ut vere filium dicas, negasti eum esse creaturam. Et quomodo de nihilo factum eum esse dicis, quem vere filium confiteris? Si autem dicis eum vere esse creaturam, cur eum filium nominas, cum in eo istius nominis abneges veritatem?

II. Sed (de) vivis lapidibus divinæ vocis percutiamus frontis ejus impudentiam. Tu dicis eum esse creaturam : ego dico eum esse filium : quis inter nos de professionis veritate pronuntiet? puto, quod libenter habeas, ut ille judicet, a quo tu, renuentibus nobis, factum dicis Christum ex nihilo. Audiamus ergo quid de cœlis ipse pronuntiet. *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui* (*Matth.* III, 17). Numquid dixit, Hic est quem ego feci ex nihilo? Et vide, quia hoc tunc primum dixit, quando Jesus ut homo accessit ad baptismum : et, puto, non alia ratione quam quia poterat credi non esse filius Dei, qui corporeus videbatur, et inter cæteros homines ipse quoque ut homo peccator veniebat ad baptismum, cum peccata propria non haberet. Ne ergo, (cum) sacramentum baptismatis in homine assumpto [10] consummat Jesus, non vere Dei filius crederetur, clamat de cœlo Pater, *Hic est filius meus dilectus.* Intellexerat quidem et Joannes suum illum esse Dominum, quando et [11] venienti ad baptismum ait; *Ego a te debeo baptizari, et tu venisti ad me* (*Matth.* III, 24)? Sed ne forte apud alios Joannis testimonium non tam magnum videretur, ut vinceret fidem carnis et humilitatis in Christo, et omnia omnino quæ per carnem ejus agebantur; ipse quo nemo major, ipse quo nemo melior cognitor, dat testimonium de cœlis dicens: *Hic est filius meus dilectus, in quo bene complacui.* In quantum enim manifesta fides erat circa carnem Salvatoris, in tantum et manifesta fides esse debuit circa deitatem Salvatoris : tunc enim et verus Deus est, si sit et verus filius. Carnem quidem ejus, vel potius hominem dicam, nemo am-

[1] *Aut quia.*
[2] *Enim.*
[3] *Substantiva.*
[4] *Impudentia et.*
[5] *Frons eorum lapidanda est, ut et si.*
[6] *Pertusa.*
[7] *Pudore ceu.*
[8] *Et ea.*
[9] *Creatus.*
[10] *Consummans.*
[11] *Advenienti.*

higebat, quia nec ambigi poterat : sed illud quod in homine erat, et natum cum homine, quia videri per naturam non poterat, ne esset incertum, voce et quasi digito patris ostenditur dicentis: *Hic est filius meus dilectus, in quo bene complacui;* et [1] interea pari auctoritate fides utriusque substantiæ, id est, Dei et hominis commendatur in Christo. Hominis enim in se fidem Dei filius ipse [2] signabat per conceptionem et partum Virginis, per infantiæ vagitum, per cunas et involumenta, per ipsa matris ubera, per ipsa materni lactis alimenta, per incrementa [3] corporeæ ætatis, per hoc ipsum quod venit, ut baptizaretur. Vides quomodo interim usque ad baptismum [4] expressit in se hominis veritatem, tanto pressius hoc agens, quanto et difficilius credi poterat, Deum (in) hominem fieri. Et ne forte ad hoc coactum putes, et non sponte filium Dei, filium quoque factum esse hominis, audi Apostolum dicentem de eo : *Qui cum in forma Dei esset constitutus, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens* (*Philipp.* II, 6, 7). Si ergo *semetipsum exinanivit, formam servi accipiens*, non coactus est, sed sponte factus (est) filius hominis, existens in forma Dei, Deo æqualis. Habes igitur filium exprimentem in se fidem hominis.

III. Item videamus fidem in eo divinitatis expressam : et licet sufficienter supra de fide ejus divinitatis expressum est, et adhuc sint alia quoque multa copiosiora quibus fides divinitatis apparet; tamen illa nunc taceo : sufficit enim mihi si [5] fidem divinitatis in Christo solus interim pater ostendit dicens : *Hic est filius meus dilectus, in quo bene complacui.* Quid ais, hæretice? credis sine dubio Christo, quod se filium hominis fecerit : quid [6] censes de patre? estne veridicus apud te, cum Christum filium suum esse testatur? [7] (si non) credis patri, cum Christum filium suum esse testatur, jam majoris apud te auctoritatis est Christus, cui de fide in se hominis credis; et minus idoneus est pater, cui de filii testatione non credis. Et quomodo patrem majorem Deum vindicas, cujus vocem quasi minimi deprecias? vel quomodo Christum Deum minorem asseris, cui tantum credis, quantum nec ei, quem majorem prædicas? Magnus iste [8] honor tuus est quem patri defers, ut ei non credas de filio suo profitenti. Qui tamen iterum et alibi profitetur illum suum filium esse, quando cum apostolis Petro et Jacobo et Joanne Dominus ascendit in montem, et *refulsit facies ejus sicut sol* (*Matth.* XVII, 2). Percutiat iterum divinum testimonium tuæ frontis impudentiam : *Et ecce,* inquit *nubes lucida inobumbravit eos : et ecce vox de nube dicens : Hic est filius meus dilectus, in quo bene com-*

A *placui : ipsum audite* (*Ibid.*, 5). Certe Moyses et Elias pariter videbantur cum eo loquentes, quos utique de adoptione factos esse filios Dei negare non potes : et quomodo de solo Christo vox divina testatur dicens; *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui : ipsum audite?* Si enim et Christus de adoptione filius est, cum staret inter duos filios adoptivos, dixisset utique, « Et hic filius meus est, » ne Christus solus filius esse crederetur : at cum dixit, *Hic est filius meus dilectus*, adoptionis filios superavit, ut proprietas veræ nativitatis in Christo solo filio crederetur. Sed non sufficit ut Christum tantummodo filium suum esse profiteretur; addidit etiam quod vero filio debebatur, dicens, *ipsum audite.* Magnam, immo et parem sibi auctoritatem ostendit in filio, cum ita
B audiendus est filius, ut audiendus et pater est : *Ipsum*, inquit, *audite.* Quidquid ergo jam dixerit Christus, audiendus est. Et videamus, si nusquam se dicit esse filium Dei, si nusquam se Deum patrem habere profitetur. Ipsius vox est : *Omnis plantatio quam non plantavit pater meus, eradicabitur* (*Matth.* XV, 13). Et iterum : *Domum patris mei fecistis domum negotiationis* (*Joan.* II, 16). [9] Alibi quoque : *Et tu credis in filio Dei* (*Joan.* IX, 35)? Numquam præsumeret dicere, *Pater meus, patris mei, et tu credis in filio Dei*, nisi esset confidentia naturæ, quæ vindicat vocabulum veritatis in patre, de conscientia propriæ nativitatis. Quid enim insolenter ille loqueretur, *Qui semetipsum humiliavit factus obediens usque ad* [10] *mortem crucis.*

C IV. Sunt et alia testimonia plurima : sed nos nunc non librum scribimus ut omnia prosequamur, sed causa brevitatis paucis testimoniis summas claudimus, ut vox illa obruatur, quæ negat Christum esse filium Dei. Sane dicit se Christus filium quoque esse hominis, cum ait : *Et videbitis filium hominis* (*Marc.* XIV, 62). Et, *Quem dicunt esse filium hominis* (*Matth.* XVI, 13)? Hoc est enim sacramentum fidei in Christo, ut cum illum filium Dei esse credideris, credas quoque et filium hominis esse eum factum. Illud enim quod filius Dei est, naturaliter possidet; hoc autem quod filius hominis factus est, [11] qua beneficius nobis præstitit [12] : et ideo qui Christum filium Dei esse non credit, impius est; sed et qui Christum filium hominis esse factum confiteri [13] dedignatur, ingratus
D est. Tu tamen, hæretice, credis quod Christus filius quoque hominis factus est, et cum hoc ipsum de se Salvator dicat, non abnuis. At vero cum dixerit pater, *Hic est filius meus*, et cum dixerit filius, *Pater meus;* tu ut *cor Pharaonis* [14] obduras, et non credis? Superest impudentiæ tuæ, ut quasi melancholicus non vera perspiciens, patrem et filium dicas esse

[1] *Interim patri.*
[2] *Significabat.*
[3] *Corporis*, et forte *corporea.*
[4] *Exsurrexit.*
[5] *Fide in Christo divinitatis solus.*
[6] *Sentis.*
[7] *Credis ne.*
[8] *Honoratus est.*
[9] *Et alibi.*
[10] *Veritatis mortem et mortem crucis.*
[11] *Quia benefinis.*
[12] *Qua beneficius nobis præstitit.* Alia exemplaria rectius, *quia beneficia nobis præstitit*, alia vero, *quia beneficus nobis perstitit.* Oxon.
[13] *Dedignabitur.*
[14] *Obdurascit.*

mentitos. Non, inquit, nego filium; sed nego verum filium : ergo et Petrus ideo beatitudinis vocem promeruit, quia Christum verum filium esse non credidit, licet *filium Dei vivi* sit confessus. Magnum revera confessæ fidei sacramentum est in Petri conscientia, ut cum labiis dicat, *Tu es Christus, filius Dei vivi* (*Matth.* xvi, 16), in corde tamen habeat, quod non sit *verus filius Dei vivi*. Ego homo sum : verba audio, verba intelligo, interpretationem tacitam cordis audire non possum. Christum *filium* dixit *Dei vivi* : nisi et adoptivum adjecerit, ego aliud nihil intelligo, quam quod et loquitur. Viderit si Christus, [1] qua Dominus et Deus cor aspicit : mihi tamen qui auribus tantum audio, debuit etiam per vocem fieri cordis ejus manifesta confessio, propter quem et Petrus interrogatur : non enim sibi soli Petrus interrogatus est, sed et omnibus (nobis) ; ut cum ille de Christo bene confitetur, et nos similiter disceremus pari confessione ad beatitudinem pervenire. Et interea videamus [2] si digne Petrus beatitudinis præconium consequitur, credens in corde quod non sit verus (filius), sed adoptivus : si digna hæc patris revelatio est, et non potius carnis et sanguinis. Plurimi certe adoptione sunt filii Dei : et non solum Jeremias, qui adhuc cum esset in vulva matris, sanctificatus est (*Jerem.* i, 5) ; neque solus Joannes Baptista, qui in utero matris infans exsultavit in spiritu (*Luc.* i, 44) : sed neque solus Elias, qui mortem adhuc usque passus non est, vel quilibet ex numero prophetarum, ex quibus unus, ut in Evangelio relatum est (*Matth.* xvi, 14), putabatur Christus : sed ad hoc nomen adoptionis, meretrices et publicani, quamvis emendatione [3] venerunt. Et ne quis me putet blasphemare, audiat in Evangelio dici : *Meretrices et publicani præcedent vos in regno cœlorum* (*Matth.* xxi, 31), ubi non nisi filii adoptionis sunt. Cum ergo nec blasphemis nec turpibus adoptionis gratia denegatur, si corrigant se : hoc pro magno sacramento Pater Petro revelavit, quod scilicet filius quidem Dei vivi est, sed adoptione potius, et non nativitate, et tantum nomine, non etiam et nominis veritate? Plane qui hoc credit, non beatus ille est, sed miserrimus omnium hominum, habens non solum intelligentiam carnis et sanguinis, verum etiam et spiritum diaboli. Sed quæso, Regina, sentias, quod multa in hoc loco dici poterant, quæ ad consequentia festinans prætereo; credens quod data occasione, quasi una de sapientissimis plus possis sentire quam loquimur, secundum sententiam Salomonis : *Da sapienti occasionem, et sapientior erit* (*Prov.* ix, 9).

V. Hæc vestra, Ariani, doctrina est, hæc vestra interpretatio singularis, hoc secretum fidei vestræ mysterium : Adoptione, inquit, Christus est filius, et non verus filius. Interrogemus et Joannem : potest et hic verum didicisse, sive quia interfuit cum Petri laudata confessio est, sive ex peculiari dilectione Salvatoris, [4] qua ita erat ei proximus, ut etiam supra pectus ejus recumberet (*Joan.* xiii, 25). [5] Videamus, quid hærens pectori ejus hauserit. *Deum nemo vidit umquam, nisi unigenitus filius qui est in sinu patris* (*Joan.* i, 18). Nulla creatura videt Deum, secundum hoc quod Deus est; et ideo ait : (*Deum*) *nemo vidit umquam*. Sed sequitur, et dicit : *nisi unigenitus filius* : ergo unigenitus filius non est creatura, qui Deum videt quem nulla vidit creatura. Et ne forte unum [6] eum de adoptivis filiis crederes, amputavit sensus impii occasionem, cum eum dixit non solum filium, sed etiam unigenitum filium. Hoc nomen non habet socios : et licet dicantur alii filii ; adoptione tamen, non natura sunt filii. Sed Christus solus unigenitus filius est, quia solus verus filius est, non adoptione, sed natura, non nuncupatione tantum, sed et genere : solus (inquam) verus filius est, *qui* etiam *in sinu patris est*. Filii adoptivi in sinu Abrahæ sunt : qui autem verus filius est, et *unigenitus filius est, in sinu patris est*. Intellige tamen et in hoc inseparabilem paternæ substantiæ filium, quod *in sinu patris* dicitur esse. Item legimus : *Sic enim dilexit mundum Deus, ut filium suum unigenitum daret : ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam* (*Joan.* iii, 16). Non video, quomodo dilectio Dei commendetur ad mundum, si non verus et unigenitus est filius, *quem dedit pro mundi redemptione*. Mundus sine dubio creatura est; si Christus creatura est, quid contulit mundo, dans pro creatura creaturam? Omnis creatura servili conditione censetur : si Christus creatura est, servus est : quomodo [7] redemit ad libertatem, cum servus nullo jure possit conferre libertatem? et tamen Abraham, ut commendaret dilectionem quam habebat ad Deum, proprium et verum unigenitum et dilectissimum filium obtulit in holocaustum, cum hoc ipsum Deus ad probandum cunctis ejus in se dilectionem fieri præcepisset. Et tu dicis, impie, quia Deus volens commendare dilectionem suam mundo, non habuit verum filium quem daret, sed usus est necessitate, more sterilium, ut, quia verum de se genitum filium non habuit per naturam, vel ex nihilo factum daret?

VI. Dic, impie, (ergo) majore virtute dilectionem commendavit Abraham, proprium et unigenitum filium offerens, quam Deus qui non habuit proprium, neque vere unigenitum dedit. Et est, [8] quod velit Deus magnopere commendare : et inferius (non) commendat, cum commendaverit homo. Et ille Deus quem majorem prædicas, minor est homine in commendanda dilectione : minus enim commendavit dilectionem, si non verum et unigenitum filium dedit pro mundi dilectione : et Abraham plus commendavit, qui proprium et unigenitum obtulit. Sed absit hæc impietas, ut vel in dilectione commendanda mi-

[1] Forte, *scilicet, quo.*
[2] Forte, *Sed.*
[3] Heic quædam in Paris. Faustino omissa.
[4] *Quia.*
[5] *Videns.*
[6] *Deum.*
[7] *Redimit.*
[8] *Quidquam.*

nor sit Deus, qui est per omnia inæstimabilis : verum enim et unigenitum filium dedit, diligens mundum. Hoc [1] enim Paulus vas electionis exsequitur, volens Dei in nos commendare dilectionem dicens, *Qui suo filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum* (*Rom.* VIII, 32) ; cum dicit, *Filio suo*, proprietatem veritatis expressit in nomine : et vide tamen, quo sermone usus est, dicens, *Qui suo filio non pepercit*. Legisti utique dicentem Deum ad Abraham, cum filium pro Dei dilectione vellet occidere : *Ne injicias manum tuam in puerum, ne facias illi quidquam : nunc enim cognovi, quia times Deum tuum, et non pepercisti filio tuo dilecto propter me* (*Gen.* XXII, 12). Dicit et Paulus : *Qui filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum* : dicit Apostolus ex Dei voce, quomodo [2] commendaret dilectionem : improprie usus fuerat verbis divinis, si non et hic de vero filio loqueretur : et tamen, quis [3] nesciat in patre Abraham et Isaac filio ejus imaginem præcessisse futuræ veritatis ? In Deo patre et Christo unigenito filio ejus sacramentum præcedentis figuræ monstravit Apostolus, consignans ipsis sermonibus veritatem, quibus et primum figura signata est, dicens : *Qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum.* Si ergo figura erat in Abraham, cum offerret filium ; veritas autem in Deo patre, cum tradidit filium : quid ais doctor impietatis ? ubi major vis versari debet, in figura, an in veritate ? sine dubio in veritate. Et quomodo tu minorem exhibes veritatem, pleniorem vero figuram ? plenior enim est figura, ubi verus filius offertur : et minor est veritas, ubi secundum te, non verus filius traditur. Sed plane major est veritas, et minor est figura. [4] Hoc si vis probari, crede verum unigenitum filium Dei ; et intelliges, quod multo plus quam Abraham, gessit Deus, dans filium suum unigenitum pro mundi dilectione secundum Evangelium (*Joan.* III, 16), vel cum secundum Paulum, *suo filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum.* Abraham enim licet filium obtulerit, tamen pro Dei dilectione obtulit, cui quidquid obtuleris, non æquas ad quod dignus est ; et obtulit filium, quem posteaquam per naturam habere non potuit, per Deum tamen contra naturam est adeptus : obtulit ergo Deo, quod ei contra spem naturæ dederat Deus, et obtulit filium.

VII. Facit ad causam, si dixero se minorem, et sine illa conditione præsenti quandoque mortalitatis lege moriturum : contra, examina [5] quid Deus præstiterit : filium suum præstitit unigenitum, quem non sero ex alicujus adeptus est gratia, sed semper habet sine initio ex proprietate naturæ natum de se talem, qualis et ipse pater est qui eum genuit, invisibilem, inæstimabilem, sempiternum, impassibilem et immortalem et omnipotentem, sicut ipse pater est, et postremo per omnia, secundum hoc quod Deus est, æqualem ei qui eum genuit. Vides qualem dedit filium pater. Ecce jam Deus inæstimabiliter superior invenitur in filio : et nunc considera, quod hunc talem unigenitum filium pro mundi dilectione præstiterit : et expende nunc, quidnam sit mundus ; utique creatura est : similiter et Deus quid sit, expende : utique creator est : et nunc jam compara, quem dilexerit Abraham, et quem dilexerit Deus. Abraham quidem Deum. Sed recense quanta Deus Abrahæ præstiterit, et invenies, quod Abraham multo minus Deo dilectionis debitum reddidit quam debebat, licet reddiderit quantum reddere potuit. Deus autem mundum diligit pro nulla sibi data ab eo gratia. Vides quia multo est commendabilior dilectio Dei quæ non ex debito præstatur, quam illa Abrahæ quæ præstatur ex debito. Sed vide adhuc supereminentiam dilectionis qua Deus diligit mundum, non solum sibi, qui eum condidit nullo merito justitiæ commendatum, verum etiam peccatorem et adversum se impium. Mundum ergo dilexit Deus peccatis et impietatibus reum, non quia peccata et impietates dilexerit mundi, sed dilexit mundum, ut de peccatis et impietatibus mundus ipse liberetur. Et audi Apostolum per hæc mire commendantem Dei dilectionem, cum scribit ad Romanos : *Ut quid enim Christus, cum adhuc infirmi essemus, secundum tempus pro impiis mortuus est ? vix enim pro justo quis moritur. Nam pro bono forsitan quis audeat mori. Commendat autem Deus charitatem suam in nobis : quoniam si cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est ; multo magis justificati nunc in sanguine ipsius, salvi erimus ab ira per ipsum* (*Rom.* V, 6-9).

VIII. Intelligo quidem, [6] quod hoc testimonium discuti desiderat : sed nunc quod faciat ad causam breviter pandimus. Mundum, habitatores mundi interpretatus Apostolus ostendit, quod *pro impiis, et peccatoribus mortuus est Christus, ut suam charitatem commendaret in nobis*, qui sumus in mundo : et *moritur*, inquit, *Christus, pro impiis, et peccatoribus ; quandoquidem vix pro justo quis moritur, licet forsitan pro bono quis audeat mori.* Jamne intelligis quam inenarrabiliter præcellat dilectio Dei ubi est veritatis expressio, et quam minor sit dilectio Abrahæ ubi figura signata est ? Non hoc dico quasi non multum dilexerit Abraham ; immo tantum dilexit Deum quantum et potuit, quantum nemo ex natis mulierum supergredi potest. Sed licet multum dilexerit Deum, et de toto corde et de totis viribus animæ suæ dilexerit : tamen inenarrabili supereminentia divinæ dilectionis in infinitum superatur. Quis enim possit explicare dilectionem quam Deus mundo præstitit, dans unigenitum filium suum ita, ut homo nasceretur qui Deus est ; et haberet secundum [7] carnem humana sorte initium nativitatis, qui sine initio

[1] *Etiam*
[2] *Commendarit.*
[3] *Qui finium.*
[4] *Hoc est si.*
[5] *Quod.*
[6] *Quidquid.*
[7] *Carnis humanæ sortem.*

de patre natus est ; et ille æqualis Deo in forma Dei existens semper, accepta forma servili minor fieret, non solum patre, verum etiam angelis, immo et hominibus, nescio, si non et multum infra, [1] vermis quoque comparatione ; et postremo, ut secundum naturam susceptæ [2] animæ, usque ad mortem tristitiam pateretur, qui totus gaudium est, non solum Abrahæ, *qui diem ejus cupiens videre, vidit et gavisus est* (*Joan.* VIII, 56), sed et omnium hominum sanctorum. Præstitit ergo mundo unigenitum filium suum, ut qui vera vita est, pendens in ligno secundum carnem, mortem crucis pateretur, occultata interim sempiterna et inviolabili divinitate ejus, quæ illi una est cum patre ejus. Vide dilectionem, ut pro mundi salute Dominus majestatis crucifigatur in terra qui se filium Dei credentibus vitam æternam præstat in cœlis. O te beatissimum, patriarcha Abraham, cujus maxima dilectio in Deum non nisi inexplicabilis divinæ dilectionis inundatione submergitur : et nescio si non hoc (totum) pro respectu tuæ dilectionis et fidei Deus impio præstitit mundo. Tibi enim et semini tuo promiserat Deus, ut *hæres esses mundi per justitiam fidei* (*Rom.* IV, 13), sicut docet apostolus Paulus.

IX. Sed satis tardo, si hunc locum voluero plenius exsequi : ad te convertar, hæretice, commonens, ut intendas quomodo Deus diligens mundum, dedit unigenitum suum filium, vel, ut ait Apostolus, quomodo *suo filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum.* Si sacramentum istius ineffabilis divinæ dilectionis agnosceres, numquam adversus filium Dei impias componeres quæstiones ; quas qui piæ mentis est, per illa quæ supra diximus, intelligit absolutas. Sed adhuc reliquam partem propositi testimonii [3] videamus, ut tuæ frontis impudentia multo pressius [4] obteratur. Nam cum dixisset : *Sic enim dilexit Deus mundum, ut filium suum unigenitum daret*, prosequitur, et dicit : *Ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Iterum dicam, est unigenitus filius : quomodo qui credit in eum, non perit, sed vitam habebit æternam, cum credere in creaturam, sit Divinitatis offensio ? Respice ad apostolum Paulum ; considera, quæ opprobria, quas [5] obscenitates de his referat, qui, ut ipse ait, *commutaverunt veritatem Dei in mendacio, et coluerunt et servierunt creaturæ potius quam Creatori* (*Rom.* I, 23). Tu si sic credis, et sic colis, et servis unigenito filio Dei, ut eum dicas esse creaturam, illa te mala miser exspectant quibus illi puniuntur, qui commutaverunt veritatem Dei in mendacio, et coluerunt et servierunt creaturæ potius quam creatori. Adoptione, inquit, Christus filius Dei est, et non verus filius. Omnia leguntur Evangelia, et nusquam scriptum est, quod Christus adoptione sit filius, et non verus filius. Et bene, quod Joannes, ille Joannes recubans supra pectus Domini, causam scripti Evangelii referens posuit, et dixit : *Multa quidem et alia signa fecit Jesus coram discipulis suis, quæ non sunt scripta in libro hoc : hæc autem scripta sunt, ut credatis, quoniam Jesus est Christus filius Dei, et ut credentes vitam æternam habeatis in nomine ipsius* (*Joan.* XX, 30, 31). Estne opus adhuc apertius explanare ? *multa*, inquit, *et alia signa fecit Jesus :* et licet non sint omnia scripta, quia nec scribi poterat infinita rerum copia ; tamen hæc ipsa ideo scripta sunt, ut credamus, *quod Jesus est Christus filius Dei ;* et ut fidem singulorum provocaret, ostendit et præmium dicens : *ut credentes vitam æternam habeatis in nomine ejus.* Si [6] vere adoptione esset filius Dei, et non natura, si sola nuncupatione, et non etiam quod in nuncupationi intelligentia est ; nusquam magis hoc ipsum explanasset, quam in ultimo scriptionis, ne fides in ambiguo derelicta, vitam æternam perderet per credulitatis incertum. Sed Evangelista, qui ad hoc positus est, ut habens gratiam sancti Spiritus illa maxime lucidius panderet, quæ ad vitæ æternæ præmia pertinerent, non ambiguo clausit Evangelium, sed manifestissime expressit, ideo scripta Evangelia, *ut credatis*, inquit, *quoniam Jesus est Christus filius Dei, et ut credentes vitam æternam habeatis in nomine ejus.* Etiam ne hic suspicio est creaturæ in filio Dei, ubi, qui crediderit quod filius Dei est Christus, æternam vitam possidet, et non aliter quam in nomine ejus ? qui utique non est creatura, sed creator, et non adoptione filius, sed [7] verus filius Dei : in nomine enim creaturæ ne quidem vitam temporalem potest quis assequi, nisi si aliquis eam non auferendo præstare dicatur.

X. De nihilo, inquit, fecit Deus sibi filium. Prætereo multa testimonia : loquatur Joannes Christi Domini dilectione perspicuus. Scribens Epistolam ait : *Omnis qui diligit patrem, diligit eum qui ex eo natus est* (I *Joan.* V, 1) : numquid ait, *diligit eum* quem fecit Deus ex nihilo ? sed nec patrem omnino nominasset, nisi scisset de eo natum filium [8]. Et fac nunc, quia ita intelligendum est, ut tu, hæretice, interpretaris ; quod scilicet ab eo factus sit ex nihilo, quem ex patre natum dicit Joannes : et quæro, numquid secundum te solus Christus factus est ex nihilo ? Nonne, ut taceam de aliis, etiam mundus ipse ex nihilo factus est ? ergo et mundus a nobis diligendus est, si diligendus est pater. Sed clamat idem Joannes : *Nolite diligere mundum* (I *Joan.* II, 15). Numquid tam levis est Joannes, ut ipse sibi contraria prædicaret ? Absit hæc impietas, ut dicatur, Joannes repugnantia sibi [9] loquitur, qui in sancto Spiritu loquebatur. Scit distantiam facti et nati in ipso jam principio Evangelii sui,

[1] *Vermium.*
[2] *Humanæ animæ.*
[3] *Videas.*
[4] *Obteretur.*
[5] *Obscuritates.*
[6] Forte, *vero.*
[7] *Vero.*
[8] *Filium, et non factum : Nunc.*
[9] *Loqui.*

sicut supra expositum est, cum de ipso capitulo tractaretur: et ideo non ut facturam intelligit eum, quem dicit ex patre natum; quia nec singulariter poneret, si hoc quod ex patre natum est, facturam voluisset intelligi, sciens multos factos esse ex nihilo; sed singulariter ponens, de solo vero filio posuit dicens, quod ex patre natus est, quia ipse solus ex patre natus est, cæteri autem omnes facti sunt ut a conditore. Noli ergo facere divinis sermonibus vim: quid infers, quod ille non loquitur? quid doces, quod ille non docuit? Si Christianus es, et si apud te verus doctor est Joannes, crede quod docuit. *Ex patre*, inquit, *natus est*: hoc (si) credideris, si diligis patrem, et diligendo patrem, diligis filium qui ex eo natus est: quod si non credideris, quia ex patre natus est; quod neque patrem diligis, neque eum qui ex eo natus est: non autem diligis hoc modo, cum in patre negas esse quod patris est, id est generare, et in filio negas esse quod filii est, id est nasci. Et audi nunc, quale tibi beatus Joannes nomen imposuit dicens: *Hic est antichristus, qui negat patrem et filium* (I *Joan.* II, 22). Tu quidem falso Christiani tibi cognomen imponis; sed [1] a veridico Joanne pro sectæ tuæ merito antichristus vocitaris. Mentior, si non tu in patris vocabulo intelligis creatorem, si non in filii nomine asseris creaturam. Joannes patrem et filium nuncupat: et tu in his nominibus creatorem et creaturam interpretaris. Merito ergo vocaris antichristus, qui negas patrem et filium sub interpretatione impia.

XI. Sed adhuc audi, o quisquis ille es insolens et contumax in filium, et de patris persona gloriaris: et intellige, quia patrem habere non potes, si non confitearis et filium. Idem prosequitur Joannes: *Qui negat filium, neque patrem* (*habet*): *qui confitetur filium*, (*et filium*) *et patrem* habet (*Ibid.*, 23). Vides ubique Joannes ipsa nomina ponere, ut nihil aliud intelligatur, quam quod est in natura nominum: et tamen, si adhuc frons impudentiæ tuæ potest ictus lapidum sustinere, et si tanta obstinatio duritiæ tuæ est, ut cum audis patrem et filium, non tamen verum patrem neque verum filium credas; ecce idem Joannes qui est dilectus [2] a Domino, vicem reddens dominicæ dilectioni, fortiori lapide jam non tantum frontem, sed ipsum caput serpentinum tuæ conquassat impietatis, scribens in ultimo epistolæ suæ: *Scimus quia filius Dei venit* (I *Joan.* V, 20, 21), et incarnatus est propter nos, et passus est, et resurgens de mortuis assumpsit nos, *et dedit nobis* [3] *intellectum bonum, ut cognoscamus ipsum verum, et simus in ipso vero filio ejus Jesu Christo. Hic est* (*Deus*) *verus et vita æterna, et resurrectio nostra in ipso.* Explicari non potest, quantos adversum te sermonum lapides et saxa congessit sub uno hoc testimonio. *Scimus*, inquit, *quia filius Dei venit.* Habes unam de filio confessionem, et paululum infra post sacramenta incarnationis et passionis ejus et resurrectionis, quæ utique propter nos exercuit, subsequitur dicens: *et dedit nobis intellectum bonum:* sine dubio quia ipse dator bonus est, dans intellectum bonum. Non impie intelligimus, si hunc intellectum bonum dixerimus Spiritum sanctum esse, qui et dicitur Spiritus intelligentiæ, in quo cognoscimus ipsum verum. Sine Spiritu enim sancto non potest veritas cognosci: habes testimonium in Evangelio, ubi et [4] Deum ipsum sanctum Spiritum pollicetur, et de ipso ait, quod *ipse mihi testimonium perhibebit* (*Joan.* XV, 26); utique per apostolos, vel per quoslibet filii Dei prædicatores, dans eis intelligentiam, qua [5] Spiritus intelligentiæ verum cognoscendi. Unde et apostolos Paulus scribens ad Corinthios ait: *Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est: ut sciamus, quæ a Deo donata sunt nobis. Dedit* ergo *intellectum bonum*, id est Spiritum sanctum, *ut cognoscamus ipsum verum* (I *Cor.* II, 12).

XII. Adhuc si non intelligis de tot supra editis dictionibus, vel ex consequentibus animadverte omnes suspiciones impiæ interpretationis exclusas: *Ut simus*, inquit, *in ipso vero filio ejus Jesu Christo.* Et adhuc amplius densat piam fidem dicens: *Hic est verus Deus:* et nondum tacuit, sed cumulat et exaggerat, ut impius sensus sophisticis confidens argumentationibus obruatur: subsequens enim ait, *Et vita æterna, et resurrectio nostra in ipso.* Ubi sunt nunc illa impia vestra sophismata quæ Aristotelis episcopi vestri magisterio didicistis dicentes: Filius est, sed non est verus filius: Deus est, sed non est verus Deus? Ecce uno testimonio tot modis filii verum nomen expressum est, immo quia et verus Deus est. Quomodo enim non verus Deus, qui verus est filius? quandoquidem non solum de veri filii nomine Deus verus probatur, sed etiam per hoc, quod vita æterna est. Vita enim æterna non habet initium neque finem: ergo Deus verus est Christus, non habens initium neque finem, existens ipse vita æterna, quæ est sine initio et fine. Sed et cum resurrectio nostra est, potestas in eo veræ divinitatis agnoscitur, cum mortem per virtutem resurrectionis excludit, exemplo sui quem assumpsit hominis, in quo et de Virgine nasci dignatus est, in quo et nos jam resurreximus, habituri unusquisque nostrum specialem resurrectionem pro merito fidei ac vitæ, sive ad refrigerium, sive ad ustionem. Vide, miser, ne adhuc non credas verum esse filium, et incipias habere resurrectionem ad pœnam perpetuam gehennæ in tenebris exterioribus, *ubi erit fletus oculorum et stridor dentium* (*Matth.* VIII, 12), si tamen non adhuc aliquid [6] tetrius manet impios in filium.

XIII. Satis, ut opinor, licet pauculis testimoniis comprobatum est, quod sit verus Dei filius, natus de patre, non factus ex nihilo. Sed adhuc quæso,

[1] *Veridico Joanni.*
[2] *Sensum.*
[3] *Christum.*
[4] *Dominus.*
[5] *Deterius.*

exhibe infatigabilem patientiam, ut hoc ipsum de veteri Scriptura vel uno testimonio comprobemus. Dicis, hæretice, ex nihilo filium factum, cum hoc nusquam legeris : negas illud quod scriptum est : *quia ex patre natus est.* Dic mihi, cujus verba sunt : *Ex utero ante luciferum genui te* (*Psal.* CIX, 3)? Si ambigis, respice ad initium Psalmi ejus, et lege scriptum : *Dixit Dominus Domino meo, Sede ad dexteram meam, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum* (*Ibid.*, 1). Hoc testimonio ipse Salvator usus est, [1] ut cum vult se Dominum credi, loquens ad eos qui illum solum hominem natum ex semine putabant David, non etiam et Deum qua Dei filium. Sed et Paulus apostolus hoc ipsum credens, quod et olim Spiritus sanctus in David locutus est et postea exposuit, ait in Epistola sua : *Ad quem autem angelorum dixit aliquando, sede ad dexteram meam* (*Heb.* I, 13)? hoc explanans, quia nemo de angelis talis est, qualis et filius : omnes enim angeli facti sunt, solus autem filius natus est, cui et dicit, *sede ad dexteram meam ;* quia et solus ipse est *unigenitus filius qui est in sinu patris* (*Joan.* I, 18). Non autem nunc expositio totius psalmi necessaria est, sed illud solum probandum, quia *Dominus* Pater dicit Filio *Domino meo, Sede ad dexteram meam ;* ut et illud quod in sequenti dicitur, non alius quam pater dixisse credatur, id est, *Ex utero ante luciferum genui te.* Nonne etiam hoc testimonio verissime probatum est, sepultam vocem impiam esse dicentium, quod ex nihilo fecerit Deus filium? Quomodo enim ex nihilo, cum ipse pater clamet, *Ex utero ante luciferum genuit te?* Et vide, ne putes nos intelligere, quod Deus membrorum partiumve compositione [2] consistat. Absit hæc impietas. Deus enim, quodcumque illud est, simplex est; totus idem est secundum substantiam, non pars et pars, non membrum et membrum; sed, ut diximus, simplex nescio quid, quod sit integrum, et perfectum, et inæstimabile [3] tamen et inexplicabile. Licet ergo talis est, ut non membris partibusve subsistat, tamen Scriptura divina cum vult nobis fabricatoris veram intelligentiam commendare, ex his quæ novimus, loquitur dicens : *Opera manuum ejus esse cœlos* (*Psal.* CI, 26), vel unamquamque creaturam : quia apud homines vere et proprie opus vel fabrica intelligitur, quod efficitur (manibus) : denique cum visum est arte aliquid fabricatum, ad manus refertur artificis. Similiter autem [4] inter nos volentes filii designare naturam, uteri facimus mentionem : nemo enim de veris filiis non de utero nascitur. Et Deus ergo volens ex se natum filium demonstrare, dixit quod eum ex utero genuerit, ne tu, hæretice, calumniareris ex nihilo. Sed sicut eum Deus manibus fecisse dicitur, ut Deo dignum intelligendum est; ita et cum ex utero genuit, non contra quam Deo dignum est, opinemur. Illud [5] tamen certissime confitendum est, quod verus est conditor in significatione operis manuum, et verus est pater in significatione uteri gignentis, etsi nihil in se membrorum habeat.

XIV. Sed quia soletis dicere, o Ariani, « In Deo id ipsum est facere, quod et generare, » opportune et hanc vestram perversitatem de præsenti occasione convincam. Multa sunt nempe opera [6] manuum, sed unus est unigenitus filius ventris : non ergo id ipsum est facere, quod et generare : et omnia quidem per Verbum, et in sapientia facta sunt; Verbum autem sive sapientia, non per aliquem, sed ex Deo nata [7] sunt : unde non id ipsum est facere, quod et generare. Nisi enim esset distantia inter facere et generare, nihil prohibebatur dicere, *manus meæ generaverunt te, et cœli ventris mei sunt opera.* (Sed) sicut dictio multam habet differentiam, ita et res quas dictio determinat. *Ex utero*, inquit, *ante luciferum genui te.* Hoc autem dicit pater ad filium, non quod filius [8] ignoraret, sed ut nos scire possemus proprietatem patris ad filium, vel filii ad patrem : ideo ita scriptum est, sicut et ipse unigenitus filius existens sapientia ait : *Ante omnes autem colles genuit me* (*Prov.* VIII, 25). Unde et hoc loco *ante luciferum* genitus esse dicitur. In *luciferi* vocabulo omnis ubi ubi lucidior creatura signatur : unde cum dicitur, *ex utero ante luciferum* genitus hoc, specialiter docetur, quod vere ex patre sit natus, et non factus : quod autem ait, *ante luciferum*, ante omnem creaturam significat, secundum quod dictum est, *Et ipse est ante omnes* (*Coloss.* I, 17).

CAPUT III.

Quod Dei filius sit omnipotens, et indemutabilis, et quod una sit omnipotentia Patris et Filii, sicut et una deitas : et de sacramento incarnationis filii, vel potius suscepti ab eo hominis.

I. Percutiamus et aliam eorum blasphemiam, per quam, ut scribis, dicunt quod non sit omnipotens filius. Et hoc breviter faciam, ne longius extendens, laborem legenti [9] tribuam. Dicant, quando non est omnipotens, per quem, ut ipsi quoque confitentur, omnia facta sunt : deus unum opus patris quod non fecerit et filius, ut probent non esse omnipotentem filium : at cum nullum sit opus, quod non patris existat et filii, sine dubio omnipotens est filius, faciens quæcumque facit omnipotens pater. Sufficit, si hoc ipsum etiam divinis testimoniis approbemus. Apud prophetam Zachariam legimus : *O, o, fugite a terra Aquilonis, dicit Dominus, quoniam a quatuor ventis cœli colligam vos in Sion : resalvamini, qui inhabitatis filiam Babylonis, quoniam hæc dicit Dominus omnipotens : Post honorem misit me super gentes*

[1] *Ut cum. Ut* redundare videtur.
[2] *Subsistat.*
[3] Forte, *tantum.*
[4] *Inter nos.* Malim *et nos.*
[5] *Tantum.*
[6] *Manus.*
[7] *Est.*
[8] *Ignoret.*
[9] *Legentibus.*

quæ exspoliaverunt vos; quoniam qui tangit vos, sicut qui tangit pupillam oculi ipsius : quoniam ecce ego infero manum meam super eos; et erunt spolia, qui spoliaverunt illos : et [1] *scietis quia Dominus omnipotens misit me* (*Zach.* II, 6-9). Si intendas huic capitulo, invenies quod filius omnipotens a patre omnipotente sit missus, ut positis in captivitate subveniat. Considera enim prophetam dicere : *Hæc dicit Dominus omnipotens :* et audiamus, [2] propheta referente, quid dicit Dominus omnipotens : *Post honorem*, inquit, *misit me super gentes :* sine dubio filius est, qui post honorem [3] missum esse se dicit super gentes, quem propheta dicit Dominum omnipotentem. Hic ergo filius existens Dominus omnipotens in ultimo testimonio, *et scietis quia Dominus omnipotens misit me*, ut supra dictum est, ab omnipotente missus est patre. Sed et apostolus Joannes in Apocalypsi hæc dicit : *Amen, testis fidelis, initium creaturæ Dei* (*Apoc.* III, 14), *qui est, et qui erat, et qui venturus est Dominus Deus omnipotens* (*Apoc.* I, 4, 8; IV, 8). Et Salomon inter cætera ait de sapientia, quæ utique Christus filius Dei est : *Splendor* [4] *est enim lucis æternæ, et speculum sine macula; Dominus omnipotens, nomen est ei* (*Sap.* VII, 26, 27) : Item : *Ipse et qui redemit illos, Dominus omnipotens nomen est illi.* Item in Mach. : *Nondum enim omnipotentis, et omnia possidentis Dei judicium, majestatis, et imago bonitatis illius, et cum sit una, omnia potest.* Quomodo non omnipotens est, cum possit omnia? Nam et supra de eadem sapientia dixerat, *omnem habens virtutem* (*Ibid.*, 23) : ergo omnipotens est, *omnem habens virtutem.* Sed adhuc ipse Salomon ait de eadem sapientia : *Et permanens in semetipsa manet* (*Ibid.*, 27). Et alibi Salomon : *Non enim impossibilis est omnipotens tua manus* (*Sap.* XI, 18). Item ipse : *Omnipotens sermo tuus exiliens de regalibus sedibus* (*Sap.* XVIII, 15).

II. Agnosce omnipotentiam ejus, cum omnia innovat : agnosce interea et quod indemutabilis est, cum in semetipsa permanet omnia innovans : id est, licet omnia innovet, ipsa tamen indemutabilis perseverat; quod nisi non Dei omnipotentis est. Sed quia vere indemutabilis est filius et conditor omnium, etiam his Psalmistæ versibus approbatur : *In initio tu Domine terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt cæli : ipsi peribunt, tu autem permanebis, et omnes sicut vestimentum veterascent : et sicut opertorium mutabis eos, et mutabuntur : tu autem idem es, et anni tui non deficient* (*Psal.* CI, 26-28). Hoc de filio Dei scriptum interpretatus est Paulus scribens ad Hebræos (*Heb.* I, 10-12). Habes ergo per hæc capitula et omnipotentem filium, et indemutabilem, et omnium conditorem, sicut et omnium artificem, dicente Salomone : *Omnium enim artifex docuit me* [5] *sapientia* (*Sap.* VII, 21). Sed ne duos omnipotentes intelligas, præcavendum est : licet enim et pater sit omnipotens et filius, tamen unus est omnipotens, sicut et unus est Deus : quia Patris et Filii eadem omnipotentia est, sicut et eadem deitas, secundum quod supra pro viribus et conditione temporis coarctantis expressum est. Sed et nunc inferius explanabitur testimonio Esaiæ prophetæ : *Fatigata est Ægyptus, et negotiatio Æthiopum, et Sabaim viri excelsi ad te transibunt, et tui erunt servi et post te sequentur alligati vinculis, et adorabunt te, et in te deprecabuntur : quoniam in te est Deus, et non est Deus præter te. Tu enim es Deus, et nesciebamus, Deus Israel Salvator. Erubescent et confundentur omnes, qui adversantur ei, et ibunt* [6] *cum confusione.* (*Isa.* XLV, 14). Intende, quia ad filium dicitur, *et tui erunt servi, et post te sequentur alligati vinculis, et adorabunt te, et in te deprecabuntur.* Ergo et hinc Deus verus ostenditur filius, cum adoratur. Dei enim est adorari : siquidem et alibi [7] docet Apostolus de filio Dei esse scriptum : *Et adorent eum omnes angeli Dei* (*Heb.* I, 6) : scilicet quia vere Deum et Dominum. Sed in præsenti testimonio Esaiæ, sicut ipse Deus, sic etiam in ipso Deus est : ait enim, *Quoniam in te Deus est, et non est Deus præter te.* Et cum dixerit in Deo Deum esse, subsequitur, et dicit : *Tu enim es Deus, et nesciebamus, Deus Israel Salvator.* Ergo cum Deus in Deo est, et non est Deus præter eum in quo Deus est, et ipse est Deus Salvator Israel; ostenditur unitas divinitatis in Patre et Filio, sicut et omnipotentiæ, et quidquid omnino divinæ substantiæ est : hoc solo differens a patre filius, quod ille pater est, et hic filius; id est, quod ille genuit, et hic natus est : non tamen quia natus est, minus habet aliquid, quam quod in Deo patre est, *imago Dei invisibilis* existens (*Coloss.* I, 15), *et splendor gloriæ, et character substantiæ ejus* (*Heb.* I, 3). Hoc qui de filio Dei non credunt, Esaiæ sententiam sustinebunt dicentis : *Erubescent, et confundentur omnes qui adversantur ei, et ibunt* [8] *cum confusione.* Sed et [9] Jeremias de filii deitate exprimit dicens : *Hic Deus noster est, et non* [10] *deputabitur alius absque eo : qui invenit omnem viam prudentiæ, et dedit eam Jacob puero suo, et Israel dilecto sibi : post* (*hæc*) *in terra visus est, et cum hominibus conversatus est* (*Baruch.* III, 36-38). Non utique pater Deus, sed

[1] *Sciebatis.*
[2] *Prophetam referentem.*
[3] *Quem missurum.*
[4] *Splendor est*, etc. Locus hic a librario male habitus, sic restitui posse videtur, *Sap.* VII, 26, 27. *Splendor est enim lucis æternæ, et speculum sine macula Dei majestatis, et imago bonitatis illius. Et cum sit una, omnia potest.* Item : *Ipse qui redemit illos, Dominus omnipotens nomen est illi.* Item in Machab. : *Nondum omnipotentis et omnia possidentis Dei judicium potes effugere.* Quomodo non omnipotens, etc. Oxon. — Legerim equidem in loco Machab. : *omnia prospicientis.* Vulg. II *Machab.* VII, 35 : *omnia inspicientis.*
[5] *Sapientiam.*
[6] *In confusionem.*
[7] *Dicit.*
[8] *In confusionem.*
[9] Immo *Baruch.*
[10] *Existimabitur.*

filius factus homo in terra visus est, et conversatus est cum hominibus, naturam in se hominis exercens sine peccato propter nostram salutem; de quo et legimus: *Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis: et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a patre* (*Joan.* I, 14).

III. Si ergo *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis*, natus ex virgine *nobiscum Deus*; quo nunc, hæretice, proficis? Si infirmitates assumptæ carnis objicias, si animæ humanæ quam cum carne susceperat, [1] utiles nobis æstus describas; cum constet cum, secundum quod Deus est et Dei filius, esse per omnia ut Patrem impassibilem. Ideo enim et illa quæ sunt deitatis ejus præmisimus, ut jam si quid humilitatis et infirmitatis in Christo legitur, non deitas ejus violata credatur, sed naturæ suscepti hominis, et disciplinæ quam tradebat, exsecutio [2] probetur. Vanum est enim noluisse ut hominem nasci, licet ex virgine [3] tamen hominem, nec infirmam hominis in se designare naturam. Vanum est præcepta dare, quibus homines viverent, et ipsam jam, quia semel homo esse dignatus est, sine præceptorum observatione concurrisse. Ille si non hominis infirmitatem factus homo exercere voluisset, quis crederet, quod homo factus fuerat ex originis nostræ matrice, licet sine viri complexu? quandoquidem hodieque non desunt, qui negent eum nostram gestasse corpulentiam, etiam postea quam infirmitatem carnis exercuit. Ille si factus homo non servasset, quam docere venerat disciplinam, non bonum magisterii dedisset exemplum. Quis enim discipulorum servare conaretur, quod non magister ipse servasset factus ut homo; cum hodie jam quicumque servat ipsius exemplo, relevatur ut servet? Vides quia et infirmitates pati debuit, ut homo natus probaretur; et factus homo observare quodcumque docuisset, ut cæteros invitaret; magis autem dixerim ut cæteros sublevaret: jam enim caro nostra didicit ejus carne relevari. Si enim infirmitates hominis pati noluisset, ut quid et de virgine [4] homine natus est? et si nolebat observare præcepta, quia Dominus; ut quid et formam servi acceperat, quæ præceptis et obedientiæ obnoxia est? [5] atquin totum sacramentum a Deo assumpti hominis hoc, [6] quod in Adam non est de inobedientia servatum, in Christo homine de obedientia servaretur. Hoc ipsum Apostolus Paulus inter cætera quæ divine tractat, asserit: *Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita et per unius obeditionem justi constituuntur multi* (*Rom.* v, 19). (Sicut enim per unius hominis contemptum peccatores constituti sunt multi, [7] ita et per sacramentum obauditionis in Christo, quam non ex infirmitate, sed ex bonitate deitatis præstat in salutarem hominis disciplinam, salvantur multi).

IV. Videamus nunc et sacramentum passionis. Totus Adam peccaverat; totus Adam expulsus de paradiso fuerat: totum suscipere debuit expulsum, qui totum salvare venerat. Non autem videbatur totum expulsum in se suscepisse, nisi illum suscepisset per substantiam carnis et animæ: hoc enim totus homo est per naturam. Hoc autem tunc probari potuit, si ipsas infirmitates carnis ejus et animæ sustineret, licet sine vitio peccatorum; ut vere non aliam substantiam carnis et animæ suscepisse putaretur: ut cum in se hominem ab infirmitatibus et passionibus liberat, etiam hos qui secundum vestigia ejus sectantur, liberatos esse crederemus. Sed patrocinetur huic sensui gentium doctor Apostolus vivacius, et ut mysticus scribens: *Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificantur* (1 *Cor.* xv, 23). Sed naturam suscepti in eo hominis melius describat Esaias: *Domine quis credidit auditui nostro? et brachium Domini cui revelatum est? Annuntiavimus coram ipso sicut puer, sicut radix* [8] *inveterata sitienti: non est species ei neque honor formæ: et vidimus eum, et non habebat speciem neque decorem: sed species ejus sine honore, deficiens præter cæteros homines: homo in plaga positus, et sciens ferre infirmitatem, quia averса est facies: depretiatus est, nec æstimatus est. Hic peccata nostra fert, et pro nobis dolet: et æstimavimus eum in dolore esse et in plaga et in malo: ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, et infirmatus est propter peccata nostra: doctrina pacis nostræ super eum: plaga ejus nos sanati sumus. Omnes sicut oves erravimus: homo a via sua erravit, et Dominus tradidit eum pro peccatis nostris: et ipse propter quod male tractatus est, non aperuit os. Sicut ovis ad occisionem adductus est, et sicut agnus coram tondente se, sic non aperuit os suum: in humilitate judicium ejus sublatum est. Generationem ejus quis enarrabit? quia auferetur a terra vita ejus: ab iniquitatibus plebis meæ adductus est ad mortem; et dabo malos pro sepultura ejus, et ipsos divites pro morte ejus.* [9] *Quia iniquitatem non fecit, neque dolum in ore suo locutus est* (*Isa.* LIII, 1—9).

V. Sufficit hoc testimonio probatum, quod omnem in se hominis naturam peregit, sine peccato tamen suo, licet peccata nostra [10] portaret. Sed ne homo tantummodo crederetur, interposuit, et dixit: *Generationem ejus quis enarrabit?* illam utique [11] quia de Deo patre generatus est, quæ sine initio est: et ideo de ea ait, *Generationem ejus quis enarrabit?* non quasi ignorabilem, sed quasi inexplicabilem dicens. Omnes enim catholici scimus, quia de Deo patre natus est, sed inenarrabiliter: et ideo ait, *Generatio-*

[1] *Utile est.*
[2] *Probaretur.*
[3] *Tantum.*
[4] *In homine homo.*
[5] *Atqui.*
[6] Forte desit, *ut.*
[7] *Habes.*
[8] *Inveterata.* Forte, *in terra.*
[9] Forte, *qui.*
[10] Forte, *portarit.*
[11] *Quia.* Forte: *qua.* Sic enim paulo post: *Hanc autem generationem,* QUA *de virgine nascitur.*

nem ejus quis enarrabit? Hanc autem generationem qua de virgine nascitur secundum carnem, refert Evangelium, ejus quoque tempora describens. Divinæ autem generationis initium, ut diximus, investigari non potest, sicut nec divinitatis quæ illi una cum patre est : et ideo ait, *Generationem ejus quis enarrabit?* Si ergo in sacramento fidei hoc accepimus, ut Christum Deum credamus et hominem; Deum quidem, de Deo sine initio tantum; hominem autem, quia de virgine in temporibus natum : non calumniemur divinitati ejus, cum pro nostra medela quæ sunt hominis exsequitur, habens in se acceptam hominis naturam : quia nec homo negandus est, cum propriæ divinitatis naturalem exerit potestatem, accepta in se forma servili. Si ergo et orat patrem, et si nihil a se facere se dicit (*Joan.* v, 19), nisi quod patrem viderit facientem; ut nihil nunc aliud dicam, certe humanæ extollentiæ modum, qua magister imponit; ut tanto magis discat homo Deo deferre, quanto detulit et verus filius, qui causam subjectionis propriam non habebat, qui et formam orandi dederat, ut non tam fieri nostram voluntatem rogaremus, sed *voluntatem Patris qui in cœlis est* (*Matth.* VII, 21). Et ideo quod docuerat ut impleret, ait : *Non veni meam voluntatem facere, sed voluntatem ejus qui misit me* (*Joan.* VI, 38). Sed et quod minor factus est, quod crescit, quod proficit, quod esurit, quod sitit, quod laborat, quod flet, quod dolet, quod tristis est, postremo quod moritur : ad naturam assumpti hominis referendum est, quam pro nostræ sacramento salutis mystice exercuit, sub intelligentia qua supra in testimonio Esaiæ relatum est. Sub hoc fidei sacramento non solum illa capitula solvuntur de quibus interrogare dignata es, sed et omnes quæstiones quas contra filii divinitatem coaptant impii hæretici.

CAPUT IV.

De hoc quod ait Filius : PATER MAJOR ME EST.

1. Accipe[1] nunc et has quæstiones, quas ex diversa [2] parte proposueras fortiores, specialiter absolutas. Dicunt, inquis, hæretici ad depretiandam filii perpetuam et perfectam in omnibus deitatem, *Pater major me est* (*Joan*, XIV, 18). Sed requirendum est, quando hoc filius dixit : nonne quando impletum est in eo quod scriptum est : *Minorasti eum paulo minus ab angelis, gloria et honore coronasti eum* (*Psal.* VIII, 6)? Quomodo minoratus est, exponat apostolus Paulus tertii cœli conscius : *Paulo minus*, inquit, *ob angelis minoratum videmus Jesum propter passionem mortis; gloria et honore coronatum, ut gratia Dei mortem gustaret pro omnibus* (*Heb.* II, 9). *Pro omnibus*, ait, non pro se : ergo qui *pro omnibus gustavit mortem*, quid mirum si *pro omnibus* et minoratus est? *Pro omnibus* (autem) *gustavit mortem*; non pro se, eo quod *pro omnibus* in peccati reatu positis ipse homo factus, nullo proprio peccato tenebatur obnoxius. Et vide quomodo hoc ipsum, quod *minoratus est propter passionem mortis, et quod gratia Dei pro omnibus gustavit mortem*, ad decorem operis interpretatur sapientissimus Paulus ita subsequens : *Decebat enim eum propter quem omnia, et per quem omnia, multis filiis in gloriam adductis, ducem salutis eorum per passiones consummare* (*Ibid.*, 10). Vides quam pulchrum, quamve decorum nostræ salutis sacramentum in eo, quod filius est, minoratus ostenditur. Quomodo ergo ad offuscandam divinitatem ejus improperas, quod exsequitur ad decorem? *Pater major me est* : hoc tunc dixit, postea quam *Verbum caro factum est*, *et habitavit in nobis*.

II. Et vide ne demutabilem credas, quasi desierit esse *Verbum*, postea quam *caro factum est*; sed manens semper *Verbum* Deus, et *caro* quoque *factum est*. Etsi enim dixit, *Et Verbum caro factum est*, pressius loqui voluit, ne quis in eo non veram carnem crederet. Siquidem et post tam pressam locutionem non desunt qui dicunt, carnem illum habuisse putativam. Ut autem manifestum sit Verbum carnem factum, non demutatione divinæ substantiæ, sed susceptione carnis humanæ, intende quid sequitur : *Et habitavit in nobis*. Non ergo interceptum est Verbum demutatione, quod per carnem assumptam *habitavit in nobis* : habitatio enim probat perseverantiam Verbi. Hoc ideo interposui, ne quis filium Dei demutabilem credat, cum legit : *Et Verbum caro factum est*. Dicit ergo filius, *Pater major me est*, postea quam *Verbum caro factum est*, et suscepit officium ministrantis. *Venit enim non ministrari, sed ministrare. Pater major me est* (*Matth.* XX, 28). Quid ais[3] deitas? quomodo dicis patrem te esse majorem? certe una tibi et patri imago est secundum Moysen, eademque forma secundum apostolum Paulum, qui me etiam docuit, quod sis *splendor gloriæ et character substantiæ ejus* (*Heb.* I, 3). Sed et tu ipse docuisti dicens : *Qui me vidit, vidit patrem*; et *ego in patre et pater in me* (*Joan.* XIV, 9). *Ego et pater unum sumus* (*Joan.* X, 30). Sed et quæcumque facit pater, facis et tu similiter : tua enim verba sunt : *Quæcumque enim ille facit, hæc et filius similiter facit : et sicut pater suscitat mortuos et vivificat, sic et filius, quos vult, vivificat, et ut honorificent filium, sicut honorificant patrem* (*Joan.* V, 19—21). Cum ergo eadem tibi imago est, eadem forma eademque substantia, eadem naturæ unitas, eadem potestas, eadem libertas voluntatis, idem honor, et omnia omnino quæ patris sunt, tua sunt, quia quæ tua sunt, patris sunt; quomodo dicis, *Pater major me est*, cum in omnibus quæ sunt deitatis, talis es qualis et pater? Loquatur apostolus Paulus in quo Christus loquebatur, secundum quod ipse ait : *An experimentum quæritis, qui in me loquitur Christi* (II *Cor.* XIII, 3)? Quid dicit Apostolus? *qui cum in forma Dei esset constitutus, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo* (*Philipp.* II, 6). Ergo secundum hoc, quod in forma Dei est et quod æqualis est Deo, non est major pater. Et quomodo major est pater,

[1] *Acceperunt.*
[2] *Arte.*
[3] *Veritas.*

subsequentia demonstrant : *Sed semetipsum, inquit, exinanivit, formam servi accipiens* (*Ibid.*, 7, 8).

III. Vide ne et hic interceptionem divinitatis intelligas, cum audis, *semetipsum exinanivit* : intende enim ad hoc quod sequitur, *formam servi accipiens*. Manere ergo in suo statu ostenditur, qui formam servi dicitur accepisse. Sed quamvis maneat et perseveret in eo status divinus ; tamen semetipsum exinanivit, scilicet per occultationem divinitatis, *formam servi accipiens in similitudine hominum factus, et habitu inventus ut homo. Humiliavit seipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Jam talis est si dicat, *Pater major me est* : Non impugnat æqualitatem divinitatis, sed designat sacramentum humanitatis per hoc quod *semetipsum exinanivit formam servi accipiens*. Jam talis si dicat, *Qui misit me Pater, mandatum mihi dedit, quid dicam, et quid loquar* (*Joan.* XII, 49) ; et : *Descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui me misit* (*Joan.* VI, 38) ; ostendit, quod *semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo : humiliavit se ipsum factus obediens usque ad mortem* : et tamen quæ est in his diminutio ejus divinitatis, si ad amputandam in hominibus arrogantiam ipse non sibi arrogans loqueretur ? Mentior, si non hoc ipsum testimonium ideo posuit apostolus Paulus, ut ad humilitatem Salvatoris exemplo singulos provocaret. Hoc ita invenies, si eamdem Epistolam quam scribit ad Philippenses, intentius legeris. Sed et hæretici nolunt ob sacramentum exinaniti Dei per acceptionem formæ servilis esse dictum, *Pater major me est*. Dicamus et nos patrem majorem de solo sacramento generationis : et hunc enim pium sensum nonnulli catholici prosecuti sunt dicentes, patrem et filium ejusdem substantiæ, et ideo secundum substantiam alterum altero non esse majorem. Qualis enim pater est Deus, talis et Deus filius est : nihil enim minus ex se genuit, quam ipse est : perfectus enim existens perfectum genuit. Etsi ergo, qua Deus, Deo æqualis est filius ; tamen, qua filius, minor dicitur patre : id est, quia filius de patre sit, et plenitudo existens plenitudinem genuit : pater autem genuit filium, et ideo non dixit, «Deus major me est,» sed, *Pater major me est*.

CAPUT V.

Quod in Actibus Apostolorum legitur : CERTISSIME ITAQUE SCIAT OMNIS DOMUS ISRAEL, QUIA DOMINUM ILLUM ET CHRISTUM DEUS FECIT HUNC JESUM, QUEM VOS CRUCIFIXISTIS.

I. Inter cætera hæreticorum, ut scilicet Dei filius factura credatur, etiam hoc ex persona diversæ partis [1] posuistis, quod legimus in Actibus Apostolorum beato Petro dicente : *Certissime itaque sciat omnis domus Israel, quia et Dominum illum et Christum Deus fecit hunc Jesum, quem vos crucifixistis.* (*Act.* II, 36.) Sed hujus quoque quæstionis absolutio manifesta est secundum superiorem expositionem, in qua diximus filium Dei etiam filium hominis factum. Qui etsi pati non potest, quia filius Dei est Verbum et sapientia Dei existens, quia secundum hoc semper impassibilis perseverat sicut et pater ejus ; tamen per hoc quod homo factus est, natus de Maria virgine, passibilis est : quippe qui et mortem sustinuit, et mortem crucis, manens in se semper, quia Deus inviolabilis, etiam cum versatur in homine et crucifigitur. Hunc ergo Jesum qui est secundum carnem, Dominum illum et Christum fecit Deus. Nam secundum hoc quod est unigenitus filius Dei, qui est Verbum et sapientia Dei, non est aliqua factura, neque exspectans promotiones, quippe existens in omnibus Deus perfectus, sicut et pater ejus. Hic autem Jesus, secundum carnem [2] Christus factus est, quando primum forma illa servilis quam acceperat de Adæ peccato, liberata est. Adam enim de dominio in servitutem recidit ex commissione peccati : *Omnis enim qui facit peccatum, servus est.* (*Joan.* VIII, 34.) Salvator autem renovavit multo firmius, immo et incorruptibilius in assumpto homine dominium, cum in eo ipsum peccatum quod per Adam fuerat causa abjectæ servitutis, obstersit. Sed factus est iterum vere Dominus, cum in illum populi credentes se ejus dominio subdiderunt. Provocatus enim per hortamenta sacræ Scripturæ dicentis, *Servite Domino in timore* (*Psal.* II, 11) ; unusquisque jam cognoscens in Christo salutare dominium ait : *Nonne Deo subdita est anima mea* (*Psal.* LXI, 2) ? Hujus servum fieri summi decoris est, et quasi quædam supereminens mundo nobilitas. Ideo et Apostolus gloriam suam scribit : *Paulus servus Jesu Christi* (*Rom.* I, 1). Vides quomodo sit factus Dominus, quando illum et is qui persecutus fuerat, suum Dominum pro summa sibi gloria confitetur.

II. Factus est autem [3] Jesus secundum carnem non solum Dominus, sed et Christus. In Christi autem nomine, regis sacerdotisque sacramenta versantur. Legimus in veteri Scriptura sacerdotes et reges apud Israelitas olei unctione consignatos, atque ideo christi vocabantur. Christus enim quod Græce dicitur, hoc apud Latinos unctus sive linitus est interpretatus. Sed Salvator noster vere Christus secundum carnem factus est, existens verus Rex, verus et Sacerdos : utrumque idem ipse, ne quid in Salvatore minus haberetur. Audi itaque ipsum regem factum cum dicit : *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus* (*Psal.* II, 6). Audi quod etiam sacerdos sit de patris testimonio dicentis : *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech* (*Psal.* CIX, 4). Aaron primus in lege ex unctione chrismatis factus est sacerdos ; et non dixit, secundum Aaron, ne et Salvatoris sacer-

[1] *Posuistis.* Forte *posuisti* scripserit auctor, Flaccillam compellans, ut sæpe alias. Et sub finem quidem hujus § 1, eamdem reginam alloquens, dicit : *Vides quomodo*, etc.

[2] *Dominus.*

[3] *Dominus.*

dotium successione haberi posse crederetur. Illud enim sacerdotium quod fuit in Aaron, successione constabat : sacerdotium vero Salvatoris non in alterum successione transfertur, eo quod ipse sacerdos jugiter perseveret, secundum quod scriptum est : *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Est ergo Salvator secundum carnem, et Rex et Sacerdos, sed non corporaliter unctus, sed spiritualiter. Illi enim apud Israelitas reges et sacerdotes olei unctione corporaliter uncti, reges erant et sacerdotes ; non utrumque unus, sed singuli [1] quoque eorum aut rex erat aut sacerdos : soli enim Christo perfectio in omnibus et plenitudo [2] debetur, qui et legem venerat adimplere. Sed licet non utrumque singuli eorum essent, tamen regali aut sacerdotali oleo uncti corporaliter christi vocabantur. Salvator autem qui vere Christus est, Spiritu sancto unctus est, ut adimpleretur quod de eo scriptum est : *Propterea unxit te, Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis* (*Psal.* XLIV, 8). In hoc enim plus quam consortes istius nominis unctus est, cum est unctus *oleo lætitiæ*, quo non aliud significatur, quam Spiritus sanctus.

III. Hoc verum esse, ab ipso Salvatore cognoscimus. Nam cum accepisset librum Esaiæ, et legisset, *Spiritus Domini super me, propter quod unxit me* (*Luc.* IV, 18), adimpletam tunc dixit prophetiam in auribus auditorum. Sed et Petrus princeps Apostolorum illud chrisma unde Salvator Christus ostenditur, docuit esse Spiritum sanctum, id ipsum et virtutem Dei, quando in Actibus Apostolorum ad fidelissimum et misericordem (Cornelium) qui erat tunc Centurio, loquebatur. Nam inter cætera ait : *Incipiens a Galilæa post baptismum quod prædicavit Joannes, Jesum* [3] *Nazareth, quem unxit Deus Spiritu sancto et virtute, hic circuivit faciens virtutes et magnalia*, [4] *atque omnes liberans obsessos a diabolo* (*Act.* X, 37, 38). Vides quia et Petrus dixit hunc Jesum secundum carnem unctum esse Spiritu sancto et virtute. Unde et vere ipse Jesus secundum carnem factus est Christus : qui unctione sancti Spiritus et rex factus est et sacerdos in æternum. Hæc autem ideo prosecutus sum, ut liquido appareat Jesum filium Dei non secundum quod est Verbum et sapientia Dei, crucifixum, vel factum esse Dominum et Christum ; sed secundum hoc quod assumpsit de Maria : quamvis per assumpti hominis passionem, et unigenitum filium Dei passum esse dicamus ; non quia vere ipse unigenitus filius, qua est Verbum et sapientia Dei, passus est, sed quia quidquid in assumptum hominem ejus injuriæ vel passionis illatum est, id totum ad ipsum unigenitum impassibilem Deum quadam ratione revocatur. Unde et apostolus Paulus scribens ad Corinthios ait : *Si enim cognovissent* (*I Cor.* II, 8), scilicet principes hujus sæculi, *numquam Dominum majestatis crucifixissent.* Si ista manifesta sunt, apparet jam quomodo dictum sit, *Certissime itaque sciat omnis Israel, quia et Dominum illum et Christum Deus fecit, hunc scilicet Jesum quem vos crucifixistis ;* quem et idem Petrus supra *virum* nominavit dicens : *Viri Israelitæ audite verba hæc : Jesum Nazarenum, virum a Deo probatum in vobis virtutibus et prodigiis et signis* (*Act.* II, 22) ; hunc scilicet Jesum Christum, quem et Paulus *hominem* dixit scribens ad Timotheum : *Unus Deus, unus et mediator Dei et hominum, homo Jesus Christus* (*I Tim.* II, 5). Qui et dicebat in Evangelio : *Nunc autem quæritis me occidere, hominem qui veritatem locutus sum vobis* (*Joan.* VIII, 40).

IV. Non pro impio Photino hæc loquimur, qui nudum vult esse hominem sine Dei Verbi incarnatione, sed contra Arium antichristum recitamus, qui vult ipsum unigenitum filium, qui est Verbum et sapientia Dei, qua Deum, et non qua hominem crucifixum, et ipsum esse factum Dominum et Christum. Sed etsi durissima obstinatione contendunt dicentes de ipso Deo Verbo scriptum esse, quod Deus illum fecerit et Dominum et Christum ; nec sic pertimescimus fiducia veritatis, ne forte per hoc quod scriptum est, Verbum Dei factura credatur. Fac enim Verbum Dei factum esse Dominum et Christum ; [5] quid hoc præjudicat ejus substantiæ, qua semper est Verbum Dei ? Intende enim quia non substantiam Verbi Dei dixit esse factam, sed hoc ipsum Verbum quod semper est filius Dei, factum esse Dominum et Christum. Non enim id ipsum est, hoc quod omnino non erat, fieri, et id quod erat, aliquid fieri. Nam et Deus fit aliquoties adjutor et protector, non tamen quia factus est adjutor et protector, jam etiam hoc quod Deus est, factus esse credendus est. Nam et Moyses postea quam divinum sensit auxilium et protectionem, de Deo qui (eum) contra Pharaonem adjuverat et protexerat, dixit : *Adjutor, et protector factus est mihi in salutem* (*Exod.* XVIII, 4) ; et multa simillima testimonia invenies, quæ ego, ne multum adhuc prolongem, prætereo. Si ergo cum Deus sit *adjutor, et protector*, non hoc quod Deus est, fieri creditur, sed hoc ipsum quod *adjutor et protector* esse designatur : quid est quod cum Verbum Dei factum esse Dominum et Christum dicant, putemus Dei Verbi substantiam factam ? Numquid quia legimus, *Et Verbum caro factum est*, ideo ipsum quoque Verbum factum esse credendum est ? Sed manifestissime expressum est, non tam Verbum esse factum *quod erat in principio apud Deum* (*Joan.* I, 3) ; sed ipsum Verbum quod semper erat, postea factum esse carnem, ut factura ; non hoc, quod caro factum est. Ita ergo et cum dicitur Verbum Dei factum esse Dominum et Christum, non eam substantiam Verbi Dei factam esse intelligendum est ; sed quia Dominus et Christus [6] factum est hoc ipsum Verbum, quod semper Deus erat.

[1] Forte, *quique.*
[2] Forte, *debebatur.*
[3] *Nazarenum.*
[4] *Et sanans omnes.*
[5] *Quod.*
[6] *Factus.*

V. Fit autem Dominus eorum, qui se eidem mancipant proposito serviendi. Et da mihi veniam, beatissime Matthæe, si dixero, quod nondum tibi Christus Deus erat Dominus, quando adhuc telonio serviebas. Sed et Apostolis universis tunc primum Dominus factus est, quando derelictis omnibus eidem servire maluerunt. Ipsarum quoque gentium tunc Dominus factus est, quando idolorum vana superstitione derelicta, ipsæ gentes se ejus dominio tradiderunt : in quantum enim quis peccati servus est vel mammonæ, in tantum Dei servus esse non potest. Cum ergo peccato et mammonæ quis abrenuntiaverit, faciens justitiam habendique cupiditatem respuens ; tunc Jesus Dominus ejus efficitur. Eadem quoque ratione cum etiam Christum fieri intelligitur : siquidem, ut supra dictum est, reges et sacerdotes Christi vocabulo taxabantur. Factus est ergo Salvator rex eorum, qui regno mortis ulterius non tenentur adstricti ; in quorum mortali corpore cessavit regnare peccatum, postea quam [1] per divina magisteria didicerunt docentibus Apostolis : *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore* (*Rom.*, VI, 12). Sed et cum fungitur pro nobis sacerdotis officio, Christus verissime factus est, maxime defensor et advocatus pro nobis semper assistens, interpellans quoque patrem, qua solus purissimus sacerdos ; ut expiata labe delinquentiæ, divina ejus propitiatione servemur. Per hæc ergo, quod Jesus factus est Christus et Dominus, non tam substantiæ ejus divinæ aliquid confertur, quam prospectum est, quibus regni ejus et sacerdotii ac dominii potestas velut munus salutare collatum est. Non videtur absurdum, si illud similiter intelligas, quod ait : *Ego autem constitutus sum rex ab eo supra Sion montem sanctum ejus* (*Psal.* II, 6) : etsi enim constitutus rex dicitur, tamen cum [2] addidit, *supra Sion montem sanctum ejus*, ostenditur, quod non de illo regno ejus dicat quod habuit etiam ante quam constitueretur *rex supra Sion montem sanctum ejus*. Rex enim est ante omnia ævа ævorum, continens (potestate sua omnem quam condidit, creaturam ; unde et omnipotens) approbatur, quod possit omnia continere quæ facta sunt.

A *mini et verbum non assumpserunt* (*Baruch.* III), nihil in illa sincerissimi decoris aspiciunt : sicut et lippientibus oculis nulla est visio veritatis, quandoquidem aliter eorum renuntiat aspectus, quam in fide rerum est ; sed et cui saporem proprium redundans sui fellis amaritudo vitiavit, si dulcia mella degustet, ut amaram dulcedinem mellis infamat, non recognoscens malum propriæ amaritudinis. Sed, o miser hæretice, quid potes veri luminis videre, cum [3] cæcutias vel ambules in viis tenebrarum, omnia quæ sunt impietatis excogitans? Clamet licet vir ille spiritualis suavissimo experimento divinæ epulationis invitans : *Gustate, et videte quam suavis est Dominus* (*Psal.* XXXIII, 9) : sed tibi, si gustaveris, nihil suave sentitur in Domino, eo quod, sicut scriptum est, B *venenum aspidum sub labiis tuis est*, eo quod *os tuum maledictione et amaritudine plenum est* (*Psal.* XIII, 3). Denique cum infinita et ipse Salomon de Dei sapientia prædicaverit, et ita divine de ea fuerit prosecutus, ut non aliud in illa crederetur, quam quod in natura Dei est : in illis omnibus hæreticus cæcutiens hoc solum videre se credidit, per quod probaret eam esse creaturam. Sed scriptum est, inquit, *Dominus creavit me initium viarum suarum in opera sua*. Sed nos non ibimus longius, neque de aliis libris Salomonis, quæ sunt pro sempiterna Dei sapientia, proferemus. Sufficit nunc, si de hoc ipso loco unde testimonium protulit, pars diversa superetur.

II. Ais, hæretice, scriptum : *Dominus creavit me initium viarum suarum in opera sua* : sed intende, quia C hæc ipsa sapientia nihilominus ait : *Ante omnes autem colles genuit me* (*Psal.* VIII, 25). Quomodo ergo hæc ipsa sapientia in eodem loco et creatam se esse dicit, et genitam? Prius est, ut videamus, quid primum sit : utrum quod genita est, an quod creata est. Sed licet primum dixerit : *Dominus creavit me initium viarum suarum in opera sua* ; tamen, ne se creaturam putares, recurrit ad illud quod prius est, in sequenti dicens : *Ante omnes autem colles genuit me*. Vide enim ne putes postea genitam, quia primum præmiserit se creatam. Etsi enim in ordine sermonum primum positum est quod creata est, deinde autem quod genita ; tamen sensus hoc judicat, quod primum est genita, quam creata, ut sit sensus ita sapientiæ dicentis : *Dominus creavit me initium viarum* D *suarum in opera sua*. Sed ne quis me putet per hoc esse creaturam, aut tunc primum esse cœpisse, quando me *creavit initium viarum suarum in opera sua*, subsequor et dico : *Ante omnes autem colles genuit me* ; ut scias prius me genitam, quam creatam. Cum enim dicit : *Ante omnes autem colles genuit me*, fecit illud esse postea quod creata est, ut præcedat et sit anterius illud, quod genita est. Si ergo sic creata est, ut ante fuerit genita ; sensus impietatis exclusus est, [4] qua eam dixerat creatam ; ut tunc primum substitisse sapientia crederetur, quando et retulit se creatam a Domino *initium viarum suarum*

CAPUT VI.

De hoc quod Salomon : DOMINUS CREAVIT ME INITIUM VIARUM SUARUM IN OPERA SUA.

I. Tangamus et illam in ultimo quæstionem, quam inter cæteras addidisti : *Dominus*, inquit, *creavit me initium viarum suarum in opera sua* (*Prov.* VIII, 22). Dicit hæreticus : Vides creaturam esse sapientiam, quæ utique interprete Paulo apostolo Christus est. Ergo Christus, inquit, qui est sapientia, non est verus filius, sed creatura factus adoptione exsistens filius. Hoc venenum Arianorum est. Sed o quam cæca impietas ad id videre, quod pium est! Jam semel quia, ut scriptum est, *Oderunt sapientiam Do-*

[1] Forte abundat *per*.
[2] *Additur*.
[3] *Cæcus vivas*.
[4] *Quæ idco*.

in opera sua, Ecce enim sensus manifestat, etiam ante quam crearetur, sapientiam substitisse, quippe quæ prius est genita, quam creata.

III. Sed magis commendabitur hic sensus catholicus, si et ipsa verba, prout nobis possibile est, discutiantur, quibus vel genitam se referat sapientia vel creatam. *Dominus*, inquit, *creavit me initium viarum suarum in opera sua.* Intende, quia cum dixerit : *Dominus creavit me*, non tacuit, ne vere creatura putaretur, sed prosequitur explanans quid sit creata, et ob quam causam sit creata. Ait enim, *creavit me initium viarum suarum :* et cum sequitur, *in opera sua*, palam est, quod ostendit et causas cur creata sit *initium viarum Domini*. Non ergo sapientia, quasi quæ non esset, creata est ad hoc ut esset; sed cum semper substantialiter fuerit, tunc creata est secundum dispensationem *initium viarum Domini*, et in opera Domini creata est. *Initium* ergo *viarum Domini* creata est, *et in opera* Domini creata est sapientia : non tamen, quia substantialiter ante non erat, ideo creata est sapientia. At vero cum dicit se *ante omnes colles* genitam, non propter (aliquam rem dicit se esse genitam; sed exsistens semper) patris sempiterna progenies, ob quasdam causas creatam se dicit, *initium viarum Domini*, id est, *in opera Domini*. Ergo et ex hoc manifestum est non esse creaturam sapientiam, quæ in aliud creata est, id est, *in opera Domini ;* cum ipsa sit genita, non in opera, sed de patre, ut diximus, exsistens sempiterna progenies.

IV. Sed et hoc intendendum est, quod aliud est dicere creari sapientiam, et aliud est dicere quod sit creatura. Quamvis enim legatur creata esse sapientia, nusquam tamen legitur quod sit creatura. Non enim omne quod creatum est, jam creatura dicendum est, licet omnis creatura creata sit : sicut nec omne quod factum est, jam factura asseveranda est, licet omnis factura facta sit. Si videtur obscurum, exemplo dilucidabo. Legimus quemdam gratulari, ac dicere ad Deum : *Ego autem cantabo virtutem tuam, exaltabo mane misericordiam tuam, quia factus es susceptor meus, et refugium meum in die tribulationis meæ* (*Psal.* LVIII, 17). Ecce Deus *factus est susceptor et refugium ;* non tamen Deus factura est : et hoc est, quod dixi : Non omne quod factum est, jam factura dicendum est. Deus enim non exsistens factura, qui semper est, factus est *susceptor et refugium in die tribulationis* homini; ut quod factus est *susceptor et refugium in die tribulationis* homini, videatur conjulisse, quod factus est; non tamen quia *susceptor et refugium* homini *factus est*, etiam Deus quoque factura esse credendus est, cujus divina substantia sempiterna est. Similiter et sapientia si creata dicatur, non tamen creatura est, quæ semper est : sed cum exsistat semper, creatur ad aliquid ut prosit, non ut creatura dicatur quasi facta, quæ non fuit. Erat enim inseparabilis a Deo Dei sapientia : et hæc ipsa exsistens Dei sempiterna progenies, creata *est initium viarum Domini*.

[1] *Nec.*

V. Sed adhuc apertius edisseram. Certe sapientia Dei ipsa est, quæ et Verbum esse scribitur, ut in superioribus ostensum est. Et numquid quia de Verbo Dei scriptum est : *Et Verbum caro factum est*, jam et Verbum facturam asseveramus, quasi tunc primum esse cœperit, cum caro factum est? Sed bene, quia apertissime demonstratum est per Verbum omnia facta, et in ultimis temporibus hoc ipsum Verbum carnem factum. Non ergo factura est Verbum Dei, licet factum caro esse dicatur : ita et sapientia licet dicatur creata esse *initium viarum et in opera* (*ejus*), non tamen creatura est; quam constat ante omnem esse creaturam, quandoquidem *omnia in sapientia facta sint* (*Psal.* CIII, 24). Addo et hoc, quia non omne quod creari dicitur, quasi fiat in substantia, intelligendum est. Denique quidam vir videns cor suum quibusdam sordibus infectum, precem fundit ad Dominum dicens : *Cor mundum crea in me, Deus* (*Psal.* L, 12) : non utique cordis substantiam in se fieri precabatur, sed ut hoc ipsum cor in eo exsistens, quod ei erat sordidum, creari mundum. Non omne quod creari dicitur, jam statim et secundum substantiam fieri intelligendum est : quandoquidem cor quod erat, id ipsum, ut mundum crearetur a Domino, precabatur. Ergo et sapientia cum creata dicitur, non tam substantia ejus, quasi quæ non erat, facta est; sed ipsa exsistens, ut sæpius dictum est, creata est *initium viarum in opera ejus*. Ergo quod creata est sapientia, ad mysterium vel rerum creandarum vel humanæ dispensationis intellige, quam cum Dei sapientia dignanter assumit, creata dicitur : quod vero se genitam dicit, ut nihil in illa minus divinitatis agnoscas, quam habet ille qui genuit. Valde enim impium est credere, quod aliquando Deus sine sua fuerit sapientia. Unde et quia vere genita est a Deo sapientia, (idem) exsistens secundum substantiam quod est genitor; *sapientia* autem ipsa *Christus est* (1 *Cor.*, I, 24) : ergo Christus qui est sapientia, non est adoptione filius, sed verus filius, exsistens Dei progenies, et non factura.

CAPUT VII.

De Spiritu sancto.

I. Universas quas de Patre et Filio scripseras quæstiones, prout Dei gratia præstitit, arbitror absolutas : si tamen hoc apud te verum est, tua religiosa prudentia judicabit : quamvis fatear et coarctatione temporis, et rei festinatione, et ipso arido angusti mei sermonis eloquio, summas earum me potius tetigisse quam plenitudinem prosecutum; quia non ut librum, sicut prædixi, scribere cœperam, sed ut quasi cujusdam abbreviationis de fide quædam taxatio signaretur; [1] ne ad hoc me tua mira benevolentia provocatum infidelem crederes, si tacerem. Sed nunc de sancto Spiritu, etsi breviter, confitendum est : ne si non aliquid de eo specialiter dixerimus, credamur similiter blasphemare, sicuti et illi qui dicunt illum esse creaturam. Horum tamen mira-

mur insaniam, quod impie sentiant de eo quem sanctum Spiritum confitentur. Si enim Spiritus sanctus est, quomodo creatura est? non enim sic sanctus est, ut cæteri, qui ad sancti vocabulum fide et Deo placita conversatione atque ipsius sancti Spiritus signatione venerunt : sed ipse naturaliter semper sanctus est ita, ut alios sanctificet, non tamen ut ipse, quasi ut [1] qui ante non habuerit, extrinsecus acceperit sanctitatem. Hoc nomen sancti ita possidet Spiritus, ut possidet Pater et Filius : possidet autem, non ipse aut Pater exsistens aut Filius, sed Spiritus Dei. Si autem Spiritus Dei dicitur, non ut angelus Dei, neque ut homo Dei, quorum natura a divina substantia inæstimabiliter discreta est; sed sic est Spiritus Dei, ut sit ejusdem substantiæ cum Patre et Filio : quia et una sanctitas est Patris et Filii et Spiritus sancti : quandoquidem idem Spiritus sanctus usque adeo vere et naturaliter sanctus est, ut hoc ei naturaliter et verum sit vocabulum. Intende enim ad verba Salvatoris dicentis : *Euntes ergo nunc, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti* (*Matth.*, XXVIII, 19). Sicut enim verum vocabulum est Patris, et verum vocabulum Filii est; ita verum est vocabulum Spiritus sancti. Et quomodo verum vocabulum Patris dicatur, scire poterimus, si animadvertamus quomodo verus Deus dicatur.

II. Multi dicuntur dii, sed non sunt vere dii; et taceo nunc de satana ac dæmoniis eorumque similibus, qui usurpatione impia dii vocantur. Dicti sunt quidem et homines dii secundum hoc testimonium : *Ego dixi : dii estis, et filii Excelsi omnes* (*Psal.* LXXXI, 6) : sed quam non vere sint dii, subsequentia manifestant, quæ ita se habent : *Vos autem sicut homines moriemini, et sicut unus de principibus cadetis* (*Ibid.*, 7). Si ergo ubi quilibet sancti, dii vocantur; hoc illis pie et cum justitia viventibus ex Dei gratia provenit, maxime cum in eis Spiritus sanctus inhabitet; de quo quidem vocabulo excidunt, si non ambulare in viis Domini perseverent : nemo ergo de creaturis verus est Deus, quia nemo naturaliter Deus est. Solus autem Deus naturaliter verus Deus est, hoc ipsum exsistens sine initio et fine. Per hanc nunc veri Dei intelligentiam intelligamus et verum vocabulum patris. Apud homines exinde pater quis dicitur, ex quo genuit filium : sed licet ex se genuerit filium, tamen non proprie verus est pater, cui accessit hoc vocabulum, et hoc ipsum a Deo præstitum : [2] qui quidem et tam diu pater dicitur, quam diu ejus vivit filius. Sicut enim nato ex se filio vocabulum patris adeptus est, ita et morte filii vocabulum patris amittit. Deus autem solus proprie verus est Pater, qui sine initio et fine Pater est. Non enim aliquando cepit esse quod Pater est; sed semper Pater est, semper habens Filium ex se genitum; sicut et semper verus est Deus, sine initio et fine perseverans. Ergo sicut vocabulum veri Dei solus obtinet, qui sine initio et fine solus Pater vocatur; ita intelligamus et verum vocabulum Filii Dei. Apud homines enim qui filius est, cœpit esse quod filius est, et morte patris amittit hoc vocabulum. Frequenter autem et de filii vocabulo transit in vocabulum patris, cum genuerit filium : non est ergo proprium et verum vocabulum filii in creatura, qui et esse cœpit filius, et potest hoc vocabulum non habere vel patris occasu, vel cum idem ipse transfertur in vocabulum patris, etiam ante quam conditio mortis obveniat. Solus autem Filius Dei verus est filius, exsistens hoc sine initio, sine fine, semper habens Patrem, et numquam ipse, ut est unigenitus, generans accipit vocabulum patris. Unde et proprium et verum vocabulum filii in solo Filio Dei est, habens hoc naturaliter, sicut et naturaliter verus Deus est. Si ergo cognovimus quomodo proprium et verum vocabulum patris est, et quomodo proprium et verum vocabulum filii est; sequitur, ut intelligamus ita, quomodo proprium et verum vocabulum est Spiritus sancti.

III. Scilicet cum hoc ipsum est naturaliter Spiritus sanctus, sine initio, sine fine; numquam enim ex æqua nominis auctoritate cum Patris et Filii veris vocabulis sancti Spiritus vocabulum jungeretur, si non et sancti Spiritus proprium verumque vocabulum probaretur. Si ergo hoc ei proprium et verum et naturaliter, sine initio et fine vocabulum est; non est igitur creatura Spiritus sanctus, qui ita proprium et verum vocabulum sancti Spiritus habet, sicut nulla potest habere creatura. Sed et cum præcipit Dominus, ut gentes in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti baptizentur; apertissimum est Spiritum sanctum non esse creaturam, vel ex ipsa societate quæ illi una cum Patre et Filio est; vel quod numquam præciperet Dominus, ut in creaturæ nomine aliquis baptizaretur : multum enim divinæ potentiæ derogaretur, si cum confessione divini nominis par quoque creaturæ confessio poneretur. Et bene, quod unum nomen posuit dicens : *In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti;* ut una principalis auctoritas crederetur indivisibilis et perfectæ Trinitatis. Quomodo enim Spiritus sanctus a principali auctoritate discretus esse credatur, quando de ipso scriptum legimus in quinquagesimo Psalmo : *Et spiritu principali confirma me* (*Psal.* L, 14)? Ergo et per hoc ostenditur, quod una est principalitas Patris et Filii et Spiritus sancti : siquidem et in omni conditione Patri et Filio consors invenitur. Accine interim vel unum testimonium : *Verbo Domini cœli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum* (*Psal.* XXXII, 6). Et per hoc ergo ostenditur Spiritum sanctum non esse creaturam : siquidem et ipse cum Patre et Filio conditor approbatur. Dicam plene et Deum, et Dominum Spiritum sanctum, doctus [3] a majoribus ecclesiasticis viris, qui et ipsi testimonia Scripturarum divinarum prius a viris apostolis eruditi, suis posteris tradiderunt. Ex-

[1] *Quod.*
[2] *Quo.*
[3] *Amatoribus.*

sequerer et ego singula illa quæque testimonia, nisi apud animam fidelem de his quoque quæ supra breviter intimata sunt, sancti Spiritus divinitas elneeret : maxime quia et nunc mihi non tam disputatio de Spiritu sancto proposita est, quam ut de divino ejus nomine pia confessio signaretur. Hoc tamen ad compendium probandæ divinitatis ejus subdam, quod etiam per hoc ipsum Deus probatur Spiritus sanctus, per quod ostenditur non esse creatura. Omne enim quod est, aut divinitas est, aut creatura : sed Spiritus sanctus hoc ipsum exsistens, sine initio et fine, non est creatura : ergo Spiritus sanctus res est divinitatis, quia incorruptibilis et indemutabilis et sempiternus Spiritus Dei. Una est ergo divinitas Patris et Filii et Spiritus sancti, sicut et una sanctitas ejusdem perfectæ et inseparabilis Trinitatis.

IV. Sed hic finem faciamus : in quantum enim quis intentior ad sacras Scripturas de fide loqui voluerit, in tantum non deerit quod loquatur. Hoc autem non ambigo, quod si quis forte eloquens hæc ipsa legerit, delinquentiam incompti sermonis inveniet ; non tamen, si fidelis est, piæ confessionis errorem, quam quidem in nobis ex Dei gratia præstitam cupimus usque ad mortem, auxilio ejus qui præstitit, vindicare sine labe communionis hæreticorum atque prævaricatorum, quia et Deo teste metuimus eorum damnationis participes inveniri.

[1] *Intimo.*

Viderit si quis putat se de eorum societate reum non posse fieri, habens conscientiæ propriæ fiduciam, quia fidem integram vindicat ita, ut numquam ipse ejus fidei prævaricator exstiterit : tamen ego in causa Dei cautius timere compellor ; siquidem et de ipsis cautum legimus : *Hæreticum hominem post unam correptionem devita, sciens quoniam perversus est hujusmodi, et peccat, et est a semetipso damnatus* (*Tim.* III, 10, 11). Sed et de pœna prævaricatorum legimus, dicente Esaia : *Et veniet omnis caro in conspectu meo adorare in Hierusalem, dicit Dominus Deus. Et procedent sancti, et videbunt membra hominum qui prævaricati sunt in me. Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non exstinguetur : et erunt in visione omni carni* (*Isa.*, LXVI, 23, 24). Sed et Apostolus ait : *Nolite jugum ducere cum infidelibus* (II *Cor.*, VI, 14) ; quia et alibi idem Apostolus post descriptionem malorum : *Non solum*, inquit, *qui faciunt ea, sed etiam qui consentiunt facientibus ea* (*Rom.*, I, 32). Et multa alia sunt testimonia divina, quibus supradictorum consortium prohibetur. Sed ego hæc ipsa, licet breviter,[1] intimavi, ne nos de vana superstitione credat aliquis nolle communicare cum talibus, quos perspicit per divinam sententiam reprobari. Divinitas te incolumem ac beatam in fide sui nominis etiam in regno cœlorum præstet cum tuis omnibus affectibus inveniri.

FAUSTINI PRESBYTERI FIDES,

THEODOSIO IMPERATORI OBLATA,

IN CODICEM CANONUM ET CONSTITUTORUM ECCLESIÆ ROMANÆ RECEPTA.

Sufficiebat fides conscripta apud Nicæam adversus hæresim Arianam : sed quia pravo ingenio quidam sub illius fidei confessione impia verba commutant[1], nobis invidiam facientes, quod veluti hæresim Sabellii tueamur ; paucis et contra Sabellium primæ fidei confessione signamus, et contra hos qui sub nomine catholicæ fidei impia verba defendunt, dicentes tres esse substantias ; cum semper catholica fides unam substantiam Patris et Filii et Spiritus sancti confessa sit.

Nos Patrem credimus, qui non sit Filius, sed habeat Filium de se sine initio genitum, non factum ; et Filium credimus, qui non sit Pater, sed habeat patrem, de quo sit genitus, non factus ; et Spiritum sanctum credimus, qui sit vere Spiritus Dei. Unde et divinæ Trinitatis unam substantiam confitemur ; quia qualis est Pater secundum substantiam ; talem genuit et Filium : et Spiritus sanctus, non creatura exsistens, sed Spiritus Dei, non est alienus a substantia Patris et Fili ; sed est ejusdem et ipse substantiæ cum Patre et Filio, sicut ejusdem deitatis. Nam qui nos putant esse Apollinaristas, sciant quod non minus Apollinaris hæresim exsecramur quam Arianam. Miramur autem illos catholicos probari posse, qui Patris et Filii et Spiritus sancti tres substantias confitentur. Sed et si dicunt, non se credere Filium Dei, aut Spiritum sanctum creaturam, tamen contra [2] impiam fidem sentiunt, cum dicunt tres esse substantias : consequens est enim, ut tres deos confiteantur, qui tres substantias confitentur. Quam vocem semper Catholici exsecrati sunt.

[1] Cod. Thuan. *miscent*. Al. *commiscent*.

[2] Sic edit. At legendum videtur *piam*.

FAUSTINI ET MARCELLINI PRESBYTERORUM
PARTIS URSINI
ADVERSUS DAMASUM
LIBELLUS PRECUM AD IMPERATORES VALENTINIANUM, THEODOSIUM ET ARCADIUM.

PRÆFATIO.

De eodem schismate Ursini.

I. Temporibus Constantii imperatoris, filii Constantini, durior orta est persecutio Christianorum ab impiis hæreticis Arianis, annuente Constantio, qui et Athanasium episcopum resistentem hæreticis persecutus est, et ut damnaretur ab omnibus episcopis imperavit. Quod etiam metu principis facere tentaverunt omnes ubique pontifices, inauditum innocentemque damnantes. Sed Liberius Romanus episcopus, et Eusebius Vercellensis, et Lucifer Caralitanus, et Hilarius Pictavensis dare sententiam noluerunt. Hi ergo mittuntur in exsilium pro fide servanda. Cum Liberio Damasus diaconus ejus se simulat proficisci: unde fugiens de itinere, Romam rediit, ambitione corruptus. Sed eo die quo Liberius ad exsilium proficiscebatur, clerus omnis, id est presbyteri et archidiaconus Felix, et ipse Damasus diaconus et cuncta Ecclesiæ officia, omnes pariter, præsente populo Romano, sub jurejurando firmaverunt, se, vivente Liberio, pontificem alterum nullatenus habituros. Sed clerus contra fas, quod minime decebat, cum summo perjurii scelere, Felicem archidiacopum ordinatum in locum Liberii susceperunt. Quod factum universo populo displicuit, et se ab ejus processione suspendit. Post annos duos venit Romam Constantius, pro Liberio rogatur a populo; qui mox annuens ait: Habetis Liberium, qui qualis a vobis profectus est, melior revertetur. Hoc autem de consensu ejus, quo manus perfidiæ dederat, indicabat. Tertio anno redit Liberius, cui obvians cum gaudio populus Romanus exivit: Felix notatus a senatu vel populo, de Urbe propellitur, et post parum temporis, impulsu clericorum qui perjuraverant, irrumpit in Urbem, et stationem in Juli basilica trans Tiberim dare præsumit: quem omnis multitudo fidelium et proceres de Urbe iterum cum magno dedecore projecerunt.

II. Post annos octo, Valentiniano et Valente conss., x kalendarum Decembrium die defunctus est Felix: Liberius misericordiam fecit in clericos qui perjuraverant, eosque in locis propriis suscepit. Itemque octavo kalendas Octobris, Gratiano et Dagalaiso conss., Liberius humanis rebus eximitur. Tunc presbyteri et diacones, Ursinus, Amantius et Lupus, cum plebe sancta quæ Liberio fidem servaverat in exsilio constituto, cœperunt in basilica Juli procedere, et A sibi Ursinum diaconum pontificem in locum Liberii ordinari deposcunt. Perjuri vero in Lucinis Damasum sibi episcopum in loco Felicis expostulant: Ursinum Paulus Tiburtinus episcopus benedicit. Quod ubi Damasus, qui semper episcopatum ambierat, comperit, omnes quadrigarios et imperitam multitudinem pretio concitat, et armatus fustibus ad basilicam Juli perrumpit, et magna cæde fidelium per triduum debacchatus est. Post dies septem cum omnibus perjuris et [1] arenariis quos ingenti corrupit pretio, Lateranensem basilicam tenuit, et ibi ordinatus episcopus, et redimens judicem Urbis Viventium, et præfectum annonæ Julianum, id egit ut Ursinus, vir venerabilis qui prius fuerat pontifex ordinatus, cum Amantio et Lupo diaconibus in exsilium mitteretur. B Quod ubi factum est, cœpit Damasus Romanam plebem quæ se nolebat procedere, fustibus et cæde varia perurgere. Presbyteros quoque numero septem detentos per officium nititur ab Urbe propellere. Sed plebs fidelis occurrens eosdem presbyteros eruit, et ad basilicam Liberii sine mora perduxit.

III. Tunc Damasus cum perfidis invitat arenarios, quadrigarios et fossores, omnemque clerum, cum securibus, gladiis et fustibus, et obsedit basilicam hora diei secunda, septimo kalendarum Novembrium die, Gratiano et Dagalaiso conss., et grave prælium concitavit. Nam effractis foribus, igneque supposito, aditum unde irrumperet exquirebat. Nonnulli quoque de familiaribus ejus, tectum basilicæ destruentes, tegulis fidelem populum perimebant. Tunc C universi damasiani irruentes in basilicam, centum sexaginta de plebe, tam viros quam mulieres, occiderunt, vulneraverunt etiam quam plurimos, ex quibus multi defuncti sunt: de parte vero Damasi nullus est mortuus. Post tres autem dies, sancta plebs in unum conveniens, cœpit adversus eum Domini mandata recitare, dicentes: *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam vero non possunt occidere.* Psallebat etiam in laudibus, et dicebat: *Posuerunt mortalia servorum tuorum escas volatilibus Cæli, carnes sanctorum tuorum, bestiis terræ. Effuderunt sanguinem eorum, velut aquam in circuitu Hierusalem; et non erat qui sepeliret.* Sæpe itaque eadem plebs adunata in basilica Liberii clamabat dicens: Christiane imperator, nihil te latet. Omnes episcopi Romam veniant: agatur causa: quintum jam bellum Dama-

1 *Arenariis. Arenariorum* vox trita pro iis qui in amphitheatra depugnant, ut Leg. 2, § 2, *de Test.*, et Leg. 38, *de Operib. libert.*, et alibi. Nec aliter Tertullianus, *de Spect.* cap. 22, simul damnans *quadrigarios, scenicos, xysticos, arenarios.* Ad hæc in conc. Chalched. act. x: συναγαγὼν ὄχλον ἄτακτον μετὰ ξιφῶν καὶ ἄλλων τινῶν ἀραναρίων; et infra: μετὰ ξιφῶν καὶ ἀραναρίων καὶ ὁπλιτῶν τινῶν; ubi translatio vetus *Arenarios* reddidit. Hæc aliaque plura de hac voce cl. Mazochius in comment. ad *Kalend. marm. Eccl. Neapolit.*, tom. III, pag. 971.

sus fecit: a sede Petri homicidas foras. Dei autem populus episcopos convenire multis precibus exorabat, ut memoratum, tanta impietate maculatum, sententia justa procellerent, quem in tantum matronæ diligebant, ut matronarum auriscalpius diceretur.

IV. Voces ergo plebis ad Valentinianum sunt delatæ principem, qui pietate commotus, reditum concessit exsulibus. Tunc Ursinus cum Amantio et Lupo diaconibus, XVII kalendarum Octobrium, Lupicino et Jovino conss. ad Urbem redit: cui plebs sancta gratanter occurrit. Sed Damasus tantorum sibi conscius scelerum, non mediocri timore concussus, redemit omne palatium, ne facta sua principi panderentur. Imperator nesciens quid Damasus perpetrasset, edictum prorogat, ut Ursino exsilio relegato, nulla ulterius populos contentio nefanda collideret. Tunc Ursinus episcopus, vir sanctus et sine crimine, consulens plebi, tradidit se manibus iniquorum, et sexto decimo kalendas Decembres jussione imperatoris ad exsilium sponte properavit. Sed populus timens Deum nullisque persecutionibus fatigatus, non imperatorem, non judicem, nec ipsum auctorem scelerum et homicidam Damasum timuit, sed per cœmeteria martyrum stationes sine clericis celebrabat. Unde cum ad sanctam Agnem multi fidelium convenissent, armatus cum satellitibus suis Damasus irruit, et plurimos vastationis suæ strage dejecit. Quod factum crudelissimum nimis episcopis Italiæ displicebat. Quos etiam cum ad natale suum solemniter invitasset, et nonnulli convenissent ex eis, precibus apud eos molitur et pretio, ut sententiam in sanctum Ursinum proferant. Qui responderunt: Nos ad natale convenimus, non ut inauditum damnemus. Ita prava ejus intentio caruit quo nitebatur effectu. Exinde presbyteri diversis modis afflicti, per exsilia et peregrina loca dispersi sunt, ex quibus Marcellinus et Faustinus presbyteri, de confessione veræ fidei, osteptatione sacræ communionis, et persecutione adversantium veritati, preces Valentiniano, Theodosio et Arcadio principibus obtulerunt ita.

INCIPIT LIBELLUS PRECUM.

I. Deprecamur mansuetudinem vestram, piissimi imperatores, Valentiniane, Theodosi et Arcadi, ut hæc in contemplatione Christi Filii Dei qui vestrum juvat imperium, infatigabiliter legere dignemini. Sublime regnum vestrum tum ad sublimiora, Dei Patris omnipotentis et Christi unigeniti Filii ejus opitulatione conscendit, cum nec in exiguis hominibus despicitis veritatem, nec in multis vel potentibus mendacium roboratis. Hoc etenim justissimum est et saluberrimum apud regnum justitiæ, ut personæ probentur ex merito veritatis, non veritas præsumatur ex potentia personarum. Siquidem jus sæculi ideo scriptum est, ne contra verum æquumve potentia vel multitudo prævaleat, etiamsi ab exiguis vindicetur. Quod si hæc tanta cura, etiam in rebus reipublicæ, vestræ tranquillitatis provisione servanda est, ut contra omnem vim potentiamve, etiam in minimis jus veritatis obtineat, quo possit tradita vestro imperio Dei nutu florere respublica: quomodo in negotiis divinis sanctæ fidei veritas impiorum caterva et fraudulentissimis eorum circumventionibus obfuscatur et premitur? maxime cum vos principes Romani imperii piam Christianæ religionis fidem puritatemque tot vestris constitutionibus vindicetis. Totum quidem, quia veneratores Christi Filii Dei, pro fide catholica decernitis, et omni nixu contra hæreticos et perfidos imperii vestri auctoritate conscribitis. Non quasi aliqua propriæ sententiæ nova tentantes, sicut quidam anteriores principes in suam aliorumque perniciem conati sunt, sed ut ostendatis vestras sententias, vestramque fidem, cum sacris scripturarum divinarum sententiis et piis confessionibus convenire.

II. Sed hoc, cum magis post atrocissimas prioris temporis persecutiones juvare sanctam deberet Ecclesiam, magis affligit, cum iidem ipsi egregii episcopi, qui eam antehac sub assertione vel assensu hæreseos persecuti sunt, nunc quoque sub auctoritate catholici nominis persequuntur, et quanto nunc sub ementita piæ fidei professione hoc fraudulentius agunt, tanto et perniciosius grassantur, et dolentius æstuat veritas, quod ei adhuc non licet nec sub vobis imperatoribus qui piam fidem defenditis, respirare. Sed ne hoc ad invidiam sine rei probatione referre videamur, causam ut possumus explicamus. Quæsumus autem supplices, quatenus regias aures vestras nobis exiguissimis commodetis, dum ostendimus non nos esse hæreticos, et tamen quasi hæreticos vehementer affligi: cum nec ipsi qui nos vehementer affligunt, vel socii eorum, possint nunc dicere vel probare quod simus hæretici. Sed ne quidem de se negare, quod superiori tempore hæresim aut acerrime vindicaverint, cum intolerabili supplicio fidelium, aut certe ei manus dederint, damnata catholica fide quam prius asserebant, dum metuunt pro Christo Filio Dei exsilium perpeti, pro quo etiam laico fideli quævis mors atrocissima subeunda est: quia nobis donatum est, ut ait Apostolus (*Philipp.*, I, 29), pro Christo non tantum ut in eum credamus, sed ut et pro illo patiamur. Talis enim mors vel passio, immortalitatis occasio est.

III. Non latet mansuetudinem et devotam Deo religionem vestram, quam impia quamve pestifera sit hæresis Ariana, contra quam a patribus nostris apud Nicæam speciali vigore conscriptum est: ita ut apostolicæ fidei pia confessio servaretur, atque ipsius hæreseos perpetua damnatione firmaretur, ne quis falli posset in posteris. Sed Arius, ut cor Pharaonis, non credens divinam in se tunc datam fuisse sententiam, nescio qua ratione [1] subripuit apud Constantinum, sperans quod ipsius suffragio specialium sacerdotum sententia rescissa, recipi posset in Ecclesiam.

Ex manuscripto Colbertino, *Subrepuit apud Constantinum.*

Denique ipse Constantinus jusserat, ut ei sanctus ac beatæ memoriæ episcopus Alexander communicaret: non ille Alexander, qui fuit divinæ fidei episcopus in Alexandria, qui et plenus sapientia et Spiritu sancto fervens, eumdem Arium primus et detexit et expulit, et in perpetuum damnavit ; sed iste Alexander, qui in hac urbe Constantinopolitana fuit et ipse admirabilis episcopus. Qui cum videret quod Arius sæculi istius rege niteretur, exclamavit ex imo pectoris dolore, stans in loco sacrarii, ad Christum verum et sempiternum regem et Dominum omnium regum, ne illam labem in Ecclesiam pateretur intrare. Cujus oratio quam constans fuerit, quam fidelis, hinc probatum est, quod idem Arius, antequam intraret Ecclesiam, dedit pœnas novas et gravissimas usque ad turpem interitum. Nam cum pridie quam se putavit sanctam Ecclesiam imperatoris auxilio homo impius intraturum, cum nihil languoris, nihil doloris in corpore pateretur, sed quod gravius est, solo animi morbo insanabiliter ægrotaret, humana consuetudine secessum petiit, atque illic cum sederet, gravissimo repente dolore cruciatus, omnia sua viscera, et ipsum cor quod erat thesaurus impietatis, effudit in stercora ; atque ita, mirabile dictu, [1] internis omnibus evacuatis attenuatus est, et ad momentum sicut luridati corporis tabe resolutus est, ut per angustias foraminis et sedilis totus ipse laberetur. Digna hæc pœna impio, digna hæc mors turpis pestifero hæretico, atque de spiritu diaboli fœtidissimis membris digna hæc sepultura. Novo enim exemplo et cruciari debuit et perire, qui novas adversus unigenitum Filium Dei commentatus fuerat impietates, dicens eum non vere de patre natum : et quia erat quando non erat : et quia ex nihilo subsitutus est, ne ejusdem substantiæ et divinitatis et sempiternitatis et omnipotentiæ, cujus et pater est, crederetur.

IV. Hoc ideo retulimus augustæ mansuetudini vestræ, ut vero intenta vestra prudentia animadvertat, quam venerabilis fides sit conscripta apud Nicæam adversus Arium, cui et Deus non solum per auctoritatem Scripturarum divinarum, sed etiam per sacratissimam orationem sancti quoque Alexandri testimonium dedit : et quam exsecrabilis est impia doctrina Arii, quam in ipso Ario novo genere supplicii sententia divina damnavit, non exspectans in illo diem judicii, ut exemplo pœnæ ejus cæteri perterriti præcaverent. Quo utique exemplo nec illud dubitandum est, etiam hos apud Deum esse damnatos, qui Arii impiam doctrinam renovandam vel suscipiendam esse crediderunt. Quomodo enim eos perpetua pœna disjungit, quos impia doctrina non separat? Pares reos etiam vestris legibus unus carcer includit, atque una ferit sententia. Sed et illud ambigi non potest, hos esse vere catholicos, qui per exsilia, per genera suppliciorum, per atrocitatem mortis, illam fidem sine dolo vindicant, quæ apud Nicæam evangelica atque apostolica ratione conscripta est, quam Deus apertissime probavit supplicio Arii impugnantis eam. Quod si hæc apud vos vera sunt, quæ apud scripturas divinas vera roborantur, advertite, piissimi et religiosissimi imperatores, in quo rei sint qui sub his divinis regulis et professionibus fidem suam ac devotionem Christo Deo consecraverunt, nullum timorem divino timori præponentes. Sed licet Arius sit sepultus in stercoribus, aliquos tamen reliquit suæ impietatis hæredes. Denique non defuerunt vermes, qui de ejus putrido cadavere nascerentur. Per quos quæ gesserit diabolus artifex erroris, longum est exsequi, etiam si exsequi possemus : infinita sunt enim et incredibilia, non tamen falsa.

V. Illud vero nunc quod ad præsentem causam facit exponimus, quod qui imperatorem Constantium per fraudulentam disputationem Arianæ impietatis participem fecerunt, dedissent et isti in præsenti pœnas, si non oporteret, secundum Apostoli sententiam (I *Cor.*, XI, 9), et hæreses esse, ut probati manifesti fierent. Habentes ergo, hi quos diximus vermes Arii, assentientem sibi regiam potestatem, primum quidem per singulos in eversionem catholicæ fidei et in excidium sacræ religionis, pro Ariana impietate contendunt : ita ut resistentes, aut calumniis appeterent, vel pœnis vel exsilio cruciarent et necarent. Ubi tantum amplius per suam rabiem grassati sunt, et fecerunt sibi ubique terrorem, non jam contenti ire per singulos. Postremo cogunt undique in unum episcopos convenire, et datur locus ad synodum, Orientalibus quidem Seleucia Isauriæ, Occidentalibus vero civitas Ariminensis. Atque illic primum quidem episcopi pro sancta fide venientes, confirmant illam expositionem quæ apud Nicæam conscripta est, ita ut nihil inde minueretur, quod evangelicam fidem verbis inexpugnabilibus explicaret, et Arii impiam doctrinam divina auctoritate damnaret. Tunc demum oblatam ab Ursacio, Valente, Germinio et Caio hujusmodi fidei conscriptionem, quæ et fidem catholicam reprobaret, et Arium absolveret, imo et introduceret pestiferam ejus doctrinam, exsecrantur et damnant tam impiam fidem eorum. Quin etiam ipsos, inexpiabile scelus esse judicantes, si patrum fidem venerabilem violent, si hos tam impios, atque impiam eorum conscriptionem patereturEcclesia. Mittunt quoque decem legatos ad imperatorem Constantium, scribentes quæ gesta sunt, et hortantes simul ut ipse quoque decreta Patrum pro fide venerabili contra hæreticos inviolata servaret. Mittunt sane et hæretici legatos, quos tunc familiarissime, et ut suos suscepit Constantius. Nos veros legatos qui pro fide catholica contra hæreticos venerant, reprobat, et per suos nunc gratia invitat, nunc minis perterret, et interim sola dilatione discruciat, ut in ultimum, cum iram regis metuunt, cum non dignantur pro

[1] Ms. *Interaneis omnibus evacuatis.*

Christo Filio Dei exsilium perpeti, cum propriis sedibus et ecclesiarum perniciosissimis possessionibus oblectantur, rescindant quod pie vindicaverant, et suscipiant quod ut impium damnaverant.

VI. Liceat in hoc apud vos religiosos imperatores in causa Dei dolentius ingemiscere : Episcopi plus iram regis terreni timuerunt, quam Christum verum Deum, et sempiternum regem. Gravius exsilium temporale esse crediderunt, quam perpetuam pœnam secundum Esaiam indormitabilis vermis (*Isa.*, LXVI, 24), et ignis inexstinguibilis. Suaviora habuerunt propria domicilia et possessiones, quam in regno Christi beatam et perpetuam habitationem. Sed Constantius, non contentus ruina et labe decem legatorum, mittit Ariminum, ut omnes illic episcopi similiter verterentur. Qui et ipsi, malo exemplo illo legatorum suorum, piam fidem patrum quam vindicaverant, reprobant, subscribentes in illa fide Arianorum quam integro et libero judicio damnaverant. Advertit sapientia vestra, Ariminensem synodum piissime cœptam, sed impiissime terminatam. Eadem autem et apud Seleuciam Isauriæ ab episcopis impietas commissa est. Judicate, piissimi et religiosissimi imperatores, in quo rei sunt, et in quo merentur affligi, qui nolunt cum talibus episcopis convenire : qui cum primum fidem integram vindicarent et impiam fidem reprobarent, postea cum metuunt exsilium, cum rebus suis et sedibus oblectantur, vertunt sententias, damnantes ad nutum hæretici imperatoris, illam apostolicam quam vindicaverant fidem, vel suscipientes illam Arii quam reprobaverunt impietatem.

VII. Nonne gratum habere debuerunt, si tamen credebant futurum Dei judicium, omnia mala perpeti, quam esse venerabilis fidei proditores, cujus veritas sancti quoque Alexandri orationibus et Arii supplicio fuerat approbata? maxime cum et gloriosæ passionis præcessisset exemplum, licet paucissimorum episcoporum, qui ne evangelicam apostolicamque fidem violarent, ne impiis acquiescerent, non exsilium, non supplicium, nec aliquam mortis atrocitatem recusarunt. Denique ante synodum Ariminensem Paulinus de Treveris constantissimus episcopus datur in exsilium, piam fidem vindicans et exsecrans consortium Arianorum. Sed et apostolicus vir Lucifer de Sardinia Caralitanæ civitatis episcopus, ob hoc quod bene esset agnitus per contemptum sæculi, per studium sacrarum litterarum, per vitæ puritatem, per constantiam fidei, per gratiam divinam, a Romana Ecclesia missus est legatus ad Constantium, et ob hoc quod fidem venerabilem vindicavit, quod detexit et convicit hæreticos, ductus est in exsilium cum omni atrocitate injuriarum. Similiter et Eusebius a Vercellis, nec non et Dionysius Mediolanensium, Constantio regi primum familiaris, cum adhuc ignoraret eum fautorem esse hæreticorum, postea tamen quam ei cognitum est et probatum, quod hæreticos vindicaret, respuit regis impiam familiaritatem, malens exsilium, ne Christi Dei amicitiam perderet, ne sanctorum consortium non haberet. Sed et Rodanius mittitur in exsilium, necnon et Hilarius, qui et scripta contra hæreticos et prævaricatores edidit : licet postea vero interruperit favens prævaricatoribus, ut non dicamus interim quia [1] ubi et hæreticis, in quos eloquentiæ suæ viribus peroraverat. [2] Maximus quoque de Neapoli Campaniæ, eo quod esset inhabili stomacho et corpore delicatior, primum quidem ut caderet diu afflictus injuriis, deinde ubi ob animi constantiam fideique virtutem, carnis infirmitate non vincitur, ductus est in exsilium, atque illic martyr in Domini pace requievit. Sed et Rufinianus, miræ quidem simplicitatis, sed admirabilior in tuenda fide, effusione sui sanguinis prævenit exsilium. Denique cum pro fidei integritate persistit, hunc Epictetus, atrox ille et dirus de Centumcellis episcopus, ante rhedam suam currere coegit, et cum diu currit, sic in via ruptis vitalibus sanguinem fundens exspiravit. Sciunt hoc Neapolitani in Campania, ubi reliquiæ cruoris ejus in obsessis corporibus dæmonia affligunt : pro gratia utique fidei illius, pro qua sanguinem fudit. Fuerunt et alii episcopi de Ægypto licet pauculi, quorum alii in fugam versi sunt, alii vero in exsilium dati, eo quod nollent cum episcopis impiis et crudelibus convenire.

VIII. Quam utique salubre fuerat, quam pulchrum quamve gloriosum, si omnes illi episcopi, pari virtute et simili conspiratione, fidem quam recte semper vindicaverant, in finem usque servassent, non exsilia, non supplicia pertimescentes, ad capiendam utique futuram in Dei Christi regno perpetuam beatitudinem! Et tacemus, quod fortassis etiam et intelligere fecissent magnum pretium esse istius fidei, pro qua nullus episcoporum exsilium, proscriptiones, tormenta, mortemque recusaret. Sed paulum territus tantus episcoporum numerus catervatim dederunt manus impietati, et ad majorem jam vesaniam inclinavit impietas tam facili strage multitudinis. Non hoc minus sacrilegium est, non hoc minor impietas, quam si sub persecutore gentili idolo sacrificatum esset : quoniam et hæresi perterritum subscribere, dæmoniis sacrificare est. Siquidem docentibus scripturis divinis, doctrina dæmoniorum est hæresis, sicut et idololatria. Interea quia apud quosdam multitudo præponitur veritati, eo quod pauculos habeat sectatores, et ob hoc affli-

[1] *Ubi et hæreticis. Ubi et* fœde corruptum, facile restituetur in *Fabit*, uti olim scribebant pro *Favit*. Ut *non dicamus interim quia* FAVIT *hæreticis*. Ita Mazochius V. C. in *comment. ad Kalend. marm. Neap. eccl.*, tom. II, pag. 576. Editor tamen Oxoniensis locum sic restituere mallet : *Ut non dicamus interim hæreticis, quia ubi prævaricatoribus ibi et hæreticis, in quos eloquentiæ suæ viribus peroraverat* : quod minus placet.

[2] *Maximus quoque de Neapoli*, etc. Integrum hunc locum illustrat laudatus Mazochius, l. c., pag. 577.

gimur, quod in paucis sequimur inviolabilem fidem, et multos vitamus propter impias hæreses, et sacrilegas prævaricatorum subscriptiones : quid censetis in hac causa, o justissimi imperatores et catholicæ fidei vindices, de his duabus partibus cui calculum datis ? Una est pars, in qua sunt multi episcopi. Sed ubi sunt multi, illic per prævaricationem sacra Christi fides violata est, semper ante defensa ; illic metu regis, Arii suscepta impietas est, semper ante damnata. Ubi vero paucissimi sunt, illic per exsilia, per cruciatus, per effusionem sanguinis, per ipsam mortem fides Christi vindicatur, et Arii impietas atque omnis hæresis, ut summum malum exsecrabiles sunt. Sed etsi non est dubitandum paucos episcopos esse pretiosos de merito confessionis et inviolabilis fidei, multos vero nullificari merito hæreseos vel prævaricationis, quia in causa veri, maxime in causa religionis et sacræ fidei, non numerus numero comparandus est, sed pura illa apostolica fides, probata exsiliis, probata cruciatibus licet unius, multorum infidelitatibus præponenda est ; tamen necessarium est damnatæ prævaricationis divinum quoque præsens proferre documentum : et sicut in Ario impia secta ejus, divina animadversione punita, præjudicat et de sectatoribus ejus, quod eadem illos pœna maneat qua torquetur et Arius : ita de prævaricatoribus pœnis præsentibus divino judicio determinatum est.

IX. Potamius Odyssiponæ civitatis episcopus, primum quidem fidem catholicam vindicans, postea vero præmio fundi fiscalis quem habere concupiverat, fidem prævaricatus est. Hunc Osius de Corduba apud ecclesias Hispaniarum et detexit et repulit ut impium hæreticum. Sed et ipse Osius, Potamii querela accersitus ad Constantium regem, minisque perterritus, et metuens ne senex et dives exsilium proscriptionemve pateretur, dat manus impietati, et post tot annos prævaricatur in fidem, et regreditur in Hispanias majore cum auctoritate, habens regis terribilem jussionem, ut si quis eidem episcopus jam facto prævaricatori minime velit communicare, in exsilium mitteretur. Sed ad sanctum Gregorium, Eliberitanæ civitatis episcopum constantissimum, fidelis nuntius detulit impiam Osii prævaricationem. Unde non acquievit, memor sacræ fidei ac divini judicii, in ejus nefariam communionem. Sed Osius, qui hinc plus torqueretur, si quis ipso jam lapso staret fidem integram vindicans illapsa firmitate vestigii, exhiberi facit per publicam potestatem strenuissimæ mentis Gregorium, sperans eodem terrore quo ipse cesserat, hunc quoque posse cedere. Erat autem tunc temporis Clementinus vicarius, qui ex conventione Osii et generali præcepto regis, sanctum Gregorium per officium Cordubam jussit exhiberi.

X. Interea fama in cognitionem rei cunctos inquietat, et frequens sermo populorum est, Quinam est ille Gregorius, qui audet Osio resistere? Plurimi enim et Osii prævaricationem adhuc ignorabant, et quinam esset sanctus Gregorius nondum bene compertum, habebant. Erat etiam apud eos qui illum forte noverant, rudis adhuc episcopus, licet apud Christum non rudis vindex fidei, pro merito sanctitatis. Sed ecce ventum est ad vicarium, et multi ex administratoribus interfuerunt, et Osius sedet judex, imo et super judicem, fretus regali imperio ; et sanctus Gregorius, exemplo Domini sui, ut reus assistit, non de prava conscientia, sed pro conditione præsentis judicii : cæterum fide liber erat. Magna exspectatio singulorum, ad quam partem victoria declinaret. Et Osius quidem auctoritate nititur suæ ætatis, Gregorius vero nititur auctoritate veritatis. Ille quidem fiducia regis terreni, iste autem fiducia regis sempiterni. Et Osius scripto imperatoris nititur, sed Gregorius scripta divinæ vocis obtinet. Et cum per omnia Osius confutatur, ita ut suis vocibus quas pro fide et veritate prius scripserat, vindicaretur, commotus ad Clementinum vicarium, Non, inquit, cognitio tibi mandata est, sed exsecutio : vides ut resistit præceptis regalibus : exsequere ergo quod mandatum est, mitte eum in exsilium. Sed Clementinus, licet non esset Christianus, tamen exhibens reverentiam nomini episcopatus, in eo maxime homine quem videbat rationabiliter et fideliter obtinere, respondit Osio : Non audeo, inquiens, episcopum in exsilium mittere, quamdiu in episcopi nomine perseverat. Sed da, tu, prior sententiam, eum de episcopatus honore dejiciens, et tunc demum exsequar in eum quasi [1] privatum quod ex præcepto imperatoris fieri desideras. Ut autem vidit sanctus Gregorius, quod Osius vellet dare sententiam, ut quasi dejectus videretur, appellat ad verum et potentem judicem Christum, totis fidei suæ viribus exclamans : Christe Deus qui venturus es judicare vivos et mortuos, ne patiaris hodie humanam proferri sententiam adversum me minimum servum tuum, qui pro fide tui nominis ut reus assistens spectaculum præbeo. Sed tu ipse, quæso, in causa tua hodie judica ; ipse sententiam proferre dignaberis per ultionem. Non hoc quasi metuens exsilium fieri cupio, cum mihi pro tuo nomine nullum supplicium non suave sit : sed multi prævaricationis errore liberentur, cum præsentem et momentaneam viderint ultionem. Et cum multo invidiosius et sanctius Deum verbis fidelibus interpellat, ecce repente Osius, cum sententiam conatur exponere, os vertit, distorquens pariter et cervicem, de sessu in terram elliditur, atque illic exspirat, aut, ut quidam volunt, obmutuit. Inde tamen effertur ut mortuus. Tunc admirantibus cunctis, etiam Clementinus ille gentilis expavit. Et licet esset judex, tamen timens ne de se quoque simili supplicio judicaretur, prostravit se ad pedes sancti viri, obsecrans eum ut sibi parceret, qui in eum divinæ legis ignoratione peccasset, et non tam proprio arbitrio, quam mandantis imperio. Erat tunc stupor in

[1] *Privatum.* Hoc est, laicum. In Cyrilli Glossis ἰδιώτης tantumdem quod *privatus*. Hinc I *Cor.*, XIV, 16, laici vocantur *idiotæ*, hoc est *privati*. Mazoch., l. c., tom. III, pag. 958.

omnibus, ac divinæ virtutis admiratio : [1] quod in illo spectaculum totum novimus visum est. Nam qui proferre voluit humanam sententiam, mox divinam perpessus est graviorem ; et judex qui judicare venerat, jam pallens et reus timebat judicari, et qui quasi reus in exsilium mittendus adstiterat, a judice prostrato rogabatur ut parceret quasi judex. Inde est quod solus Gregorius ex numero vindicantium integram fidem, nec in fugam versus, nec passus exsilium, unusquisque timeret de illo ulterius vindicare.

XI. Videtisne damnatæ a Deo prævaricationis mira documenta ? Scit melius omnis Hispania, quod ista non fingimus. Sed et Potamio non fuit inulta sacræ fidei prævaricatio. Denique cum ad fundum properat, quem pro impia fidei subscriptione ab imperatore meruerat impetrare, dans novas pœnas linguæ per quam blasphemarat, in via moritur, nullos fructus fundi vel visione percipiens. Non fuit avari hoc tormentum leve. Moritur qui propter concupiscentiam fundi fiscalis fidem sacram violaverat, et cum ad fundum properat, pœnali morte præventur, ne vel visionis solatio potiretur. In sacro Evangelio legimus verba improperantis ad divitem, qui sibi de conditis vanissime gloriabatur : *Stulte*, inquit, *hac nocte anima tua abs te auferetur ; quæ præparasti cujus erunt* (*Luc.*, XII, 20) ? Si quis hoc scriptum et de Potamio convenire consideret, intelliget in eum non leviter judicatum, maxime passum linguæ supplicium, in qua et dives ille apud inferos vehementius cruciatur. Sed et Florentius, qui Osio et Potamio jam prævaricatoribus sciens in loco quodam communicavit, dedit et ipse nova supplicia. Nam cum in conventu plebis sedet in throno, repente eliditur et palpitat, atque foras sublatus vires resumpsit. Et iterum et alia vice cum ingressus sedisset, similiter patitur, nec adhuc intelligens pœnas suæ maculatæ communionis. Nihilominus postea cum intrare perseverasset, ita tertia vice de throno excutitur, ut quasi indignus throno repelli videretur, atque elisus in terram, ita palpitans torquebatur, ut cum quadam duritia et magnis cruciatibus eidem spiritus extorqueretur. Et inde jam tollitur, non ex more resumendus, sed sepeliendus. Scit hoc quod referimus magna civitas Emerita, cujus in Ecclesia plebs hoc ipsum suis vidit obtutibus. Sed et hoc considerandum est, quia Florentius hæc passus, qui nondum subscripserat impietati, sed tantum quod communicavit prævaricatoribus fidei, non ignorans eorum prævaricationem. Hoc ideo retulimus, ut videant illi quid sibi agendum sit, qui cum non subscripserint ut prævaricatores, tantum per communionem prævaricatoribus sibi cognitis copulati sunt. Et puto quod intelligent quid exemplo Florentii timere debeant.

XII. Sed longum est referre alia quoque documenta pœnis præsentibus damnatæ prævaricationis, quæ divinum judicium variis in locis exercuit ; ad hoc scilicet, ut qui scripturas divinas quadam ratione non respicit, vel præsenti ultione divina animadversione intelligat, quid sibi sectandum est quidve vitandum. Vindicare voluit Deus vel in paucis sine dubio, et illa ratione, ne quæ per scripturam divinam de prævaricatorum futuris suppliciis minitatur, velut fabula putaretur, si nunc hoc in sæculo in neminem vindicaret. Intelligant nunc omnes episcopi prævaricatores fidei, quam gravissimis suppliciis reservati sunt, quando in suos socios in hoc quoque sæculo ad stuporem omnium vindicatum est. Ad hoc enim præsentes pœnas prævaricationis exposuimus, ut quod in paucos vindicatum est, credatur et in eorum omnes similes vindicari, maxime cum et scriptura divina hoc ipsum asseveret, quod et per præsentia documenta demonstratum est. Et hoc consideretur, piissimi imperatores, in quo rei sunt qui cum talibus divina sacramenta non copulant, quorum et perpetua supplicia sacris leguntur in libris, et suppliciorum exempla videntur in sæculo. Sed quæsumus miram benevolentiam vestram, ut adhuc nobis contemplatione Christi Dei infatigabilem audiendi patientiam commodetis, dum adhuc, summatim licet, exponimus in quantum crevit impietas.

XIII. Exsecrabiles enim Ariani, in partibus Orientis, et maxime in Ægypto, non fuerunt hoc solo contenti, ut episcopi, damnata fide integra, in eorum impiam sententiam declinarent : sed hos ipsos qui primum fuerant per catholicos episcopos ordinati, ubi pro eorum desideriis subscripserunt, in laicorum numerum exigebant, et postea iterum eos iidem hæretici episcopos ordinabant ; ut non solum fidem catholicam damnare viderentur, sed ordinationem factam per episcopos catholicos. Intendite in hoc adversus catholicos quasi quemdam triumphum hæreticorum, et in miseram et quasi ultimam et fœdissimam captivitatem, in his episcopis condemnata pia fide, et catholicis episcopis ; in eorum se dominium delusionemque tradiderunt metu exsilii, et ut episcopale nomen apud homines retinere viderentur, quod utique jam apud Deum post subscriptiones impias non habebant. Sed ideo nominis istius etiam cum omni dedecore quærebatur auctoritas, ne illis possessiones Ecclesiæ tollerentur, quas utinam numquam possedisset Ecclesia, ut apostolico more vivens fidem integram invinlabiliter possideret. Et nunc his talibus non communicare summa impietas dicitur ; et hoc sub vobis imperatoribus, qui ut vestræ constitutiones eloquuntur, venerabilis Ecclesiæ divinam sanctimoniam judicatis : non est autem mirum, si tam hæc atrocia eorum commissa, occupati reipublicæ provisionibus ignoratis. Has eorum impietates exsecrantes episcopi, qui pro fide pœnas exsilii perpetiebantur, vel qui se in fugam dederant, licet essent corpore discreti per intervalla

[1] *Quod in illo spect.* Ulcus sine exemplarium ope prorsus immedicabile. Isidorus Hispalensis et Ildefonsi continuator, qui historiam hanc una cum sequentibus descripsere, periodum hanc penitus omittunt, unde interpolatum puto. Oxon.

regionum, tamen spiritu in unum positi, per mutuas litteras apostolico vigore decernunt, nullo genere talibus episcopis posse communicari, qui fidem illo modo quo supra retulimus prodiderunt, nisi si laicam postulaverunt communionem, dolentes suis impietatibus.

XIV. Sed mortuo Constantio patrono hæreticorum, Julianus solus tenuit imperium, ex cujus præcepto omnes episcopi catholici de exsiliis relaxantur. Solet hoc facere divinitas, ut etiam per adversarios Christianæ religionis suæ consulat, ut tanto magis qui cultores sunt Christi pro fidelibus elaborent. Sed non multo post Juliano interempto, Jovianus efficitur imperator, qui vindicans fidem catholicam, dedit calculum episcopis catholicis. Sed illi egregii episcopi, quam sub Constantio integram vindicaverant fidem, hæretica subscriptione damnaverunt, videntes quod imperatoris arbitrio episcopi nunc ex catholicis fiunt hæretici, et iidem episcopi ex hæreticis ad fidem catholicam revertuntur. Sed etsi quidam confessores fatigati, in ultimo talium se communioni jungendos esse crediderunt, evertentes illa forte statuta quæ prius adversus eos prophetica atque apostolica auctoritate decreverant, numquid hoc potest divinam obruere veritatem? numquid hoc potest evangelicis præjudicare doctrinis? numquid apostolicas labefactare sententias, et illam præsertim Dei vocem dicentis : *Qui perseveraverit usque ad finem, hic salvus erit* (*Matth.*, x, 22)? Sed et Apostoli Pauli vas electionis a Christo Domino [1] pronuntiantis, cujus ad Galatas scribentis hæc verba sunt : *Sed etsi nos, aut angelus de cœlo evangelizaverit præterquam evangelizavimus vobis, anathema sit* (*Gal.*, i, 8). Unde et idem ipse inferius in eadem epistola prosequitur dicens : *Si enim quæ destruxi hæc iterum ædifico, prævaricatorem me constituo* (*Gal.*, ii, 18). Confessor utique factus est de Evangeliis, de vocibus Prophetarum, de doctrinis Apostolorum, qui [2] fideles dubitat tunc confessionis meritum non habere, si scripturarum divinarum jura subvertens, incipiat ædificare quæ destruunt Evangelia.

XV. An non Scripturæ divinæ impugnantur quando cum episcopis Filii Dei negatoribus pax Ecclesiæ copulatur? Quis est enim, qui considerans vim divinæ religionis, pacem perfidorum Deo placere confidat, nisi ut a Patribus decretum est, in laicorum se numerum tradant suæ perfidiæ dolentes? Sed esto, habeant pacem cum infidelibus : in quo tamen offendunt, in quo lædunt imperatores, in quo rempublicam vexant, qui divini contemplatione judicii hujusmodi pacem respuunt, quæ sacrilegos recipit, prævaricatores fidei honorat, favet hypocritis, despicit veritatem, Christi Dei veri Filii negatores tamquam dominos Ecclesiæ constituit, populum perfidiæ labe contaminat, evertit Evangelium? Hinc rei sumus, hinc sub nominis vestri auctoritate patimur persecutiones ab his episcopis, qui pro nutu prioris imperatoris hæresim vindicantes, contra fidem catholicam peccabant. Heu gemitus! iidem episcopi adversus fideles et catholicæ fidei defensores catholicorum imperatorum jura præponunt. Hæc cum dolore omnium viscerum loquimur deflentes : non quod non sit fidelibus gloriosum, [3] sub quolibet puero perpeti; sed quia tantus est stupor in sæculo, ut hæc illorum tantis involuta perfidiis non agnoscatur impietas, ut nemo intelligat quomodo etiam regias aures semper inludunt in vexatione Christianorum et fidelium sacerdotum. Sed sub vocabulo pacis impietas tegitur, et speciosum nomen veritatis opponitur ad patrocinium perfidorum. Sed bene quod ipse Salvator virtutem suæ pacis exposuit, ne quis simplici pacis vocabulo caperetur, et eam quicumque sæculi impietatibus copularet, dicens : *Pacem meam relinquo vobis, pacem meam do vobis : non sicut hic mundus dat, ego do vobis* (*Joan.*, xiv, 27). Pacem suam a mundi pace discrevit. Nam si hæc pax Deo grata est quæ in Ecclesiam recipit episcopos infideles, quid ergo opus est in persecutionibus æstus perpeti, carcerem sustinere, ire obviam gladiis, atque omnia genera suppliciorum mortisque tolerare; quandoquidem post negationem, post perfidiæ sacrilegia, propter pacem hanc quam Deo placere confidunt, securus unusquisque infidelium, tamquam inlibatus, salvo episcopali honore suscipitur? Vani jam secundum hanc assertionem et martyres judicandi sunt. Ad quos enim fructus pœnas mortemque ferre maluerunt? Si enim qui metu persecutionis negaverunt Filium Dei non habent pœnam, imo potius honorantur; nec martyres coronam passionis sperare debuerunt, imo potius pendant supplicia suæ temeritatis. Hoc enim necesse est consequatur. Non enim fieri potest, ut non ibi contraria judicentur. Nonne manifestum est ad quam vocem arctantur vocabulo pacis istius, vel quod pronuntiare cogantur, ut si negatores Filii Dei recte in honore corroborantur, credantur martyres tamquam pro sua temeritate puniri. Sed absit : absit ut hoc admittat conscientia Christiana. Credimus enim Filio Dei pronuntianti : *Qui me negaverit coram hominibus, et ego negabo eum coram Patre meo : et qui me confessus fuerit coram hominibus, ego confitebor eum coram Patre meo* (*Matth.*, x, 33).

XVI. Verumtamen et in hac causa divinum judicium cognoscite probatum præsentibus documentis, ne quis putaret acceptandam pacem talium episcoporum, etiam si ad veræ fidei confessionem reverterentur post subscriptiones impias, vel nefarias hæreticorum communiones, quibus scienter succubuerunt, ne aut possessiones Ecclesiæ perderent aut honores. [4] Sanctus vir Maximus episcopus, cujus supra meminimus, fidem vindicans rectam consor-

[1] Malim *pronuntiati*.
[2] Forte *fidelis*.
[3] Legendum omnino videtur, *sub quolibet pro vero perpeti*, ut rursus infra, sub finem libelli, *quasi expavescamus pro vera interfici*.
[4] *Sanctus vir Maximus*, etc. De his et sequentibus erudite pro more suo edisserit Mazochius, l. c., tom. II, pag. 578, seq.

tiumque reprobans hæreticorum, ductus est in exsilium. In loco ejus prævaricatores ordinant nomine Zosimum, qui et ipse prius quidem catholica vindicabat. Res ista in Neapoli civitate Campaniæ acta est. Cognoscit hoc sanctus Maximus, et de exsilio scribens dat in eum sententiam, non solum episcopali auctoritate, sed etiam æmulatione ac virtute martyrii [1] fruens in gloriam divinam. Sed post aliquot annos beatus Lucifer de quarto exsilio Romam pergens, ingressus est Neapolim Campaniæ : ad quem Zosimus venire tentavit, illa forte fiducia, qua scilicet jam de impietate [2] correxisse videbatur. Sed hunc Lucifer confessor suscipere noluit, non ignorans quæ gesserat : imo et sancti Spiritus fervore episcopi et martyris sententiam robustius exsequitur, dicens quod episcopatum ipsum quem sibi ut adulter vindicat, speciali Dei judicio non habebit, et sic quoque sentiet pœnam suæ impietatis. Sed non post multum tempus, idem Zosimus, cum in cœtu plebis vult exsequi sacerdotis officia, inter ipsa verba sacerdotalia ejus lingua protenditur, nec valet eam revocare intra oris meatum, eo quod contra modum naturæ extra os penderet, ut bovi anhelo. Sed ut vidit se linguæ officium perdidisse, egreditur basilica ; et res mira, foris iterum in officium lingua revocata est. Et primum quidem non intelligitur in eum compleri sententiam martyris et confessoris : sed cum hoc ipsum toties iterum patitur, quoties in basilicam diversis diebus intrare tentavit, ipse postremo recognovit, ob hoc sibi linguam inter pontificii solemnia verba denegari, ut sanctorum episcoporum in eum rite prolatam sententiam probaret. Denique cessit episcopatui, ut lingua quæ cesserat redderetur. Non res antiquas referimus, quæ solent quadam ratione in dubium venire. Nam et Zosimus hodieque in corpore est, usum jam linguæ non amittens, postquam maluit cum episcopatus amissione vivere dolens suis impietatibus.

XVII. Nonne etiam de similibus præjudicatum est, nihil illis prodesse, quod quasi sub correptione episcopi esse perseverent? Non enim correptio est ista, sed illusio, prout sunt imperatorum tempora, fidem vertere. Hæc, hæc res decepit et Valentem imperatorem, cum in hæreticis vidit constantiam defensionis, in istis autem egregiis catholicis inconstantiam fidei. Nam utique probatur illi, quod hi qui se catholicos asserebant, subscripsissent prius cum hæreticis, damnantes quam primum defenderant fidem ; et dicebant hæretici : Si nostra fides mala est, quare sub Constantio pro ipsa subscriptum est ab his qui nunc se catholicos dicunt, hanc fidem vindicantes, quam cum primum defenderent, convicti rationibus sub Constantio damnaverunt? His rebus Valens motus, ignorans virtutem veræ fidei, et constantiam cum inconstantia conferens, impietatem hæreticorum cum quadam justitia vindicabat. Et tacemus, quod etiam sub Valente iterum se quidam hæreticis tradiderunt, quos nunc nihilominus videmus inter catholicos nominari. Inde est unde etiam plebes hæreticorum ad fidem impiam roboratæ sunt, dum hæretici in malo perseverant, et qui putantur catholici, de bono recedunt, aliquoties succumbentes hæreticis. Qua enim auctoritate hi tales episcopi contra hæresim prædicant, cui se subscripsisse negare non possunt? et qua fiducia catholicam fidem plebi suadere nitantur, cum constet quod eam impiis subscriptionibus reprobaverint?

XVIII. Videtisne, etiam vestris temporibus (sed ut credimus ignorantibus vobis), fidem quidem piam, atque utinam vel vere, sed etsi vere, cum quadam tamen injustitia vindicari, cum per indignos episcopos vindicatur in afflictionem piam fidem defendentium sacerdotum, et in perniciem fidelium laicorum? Sed nefas putatur tot prævaricatores dejicere, consentientem ad injustitiam turbam reprobare. Et ubi est justitia veræ religionis, si addicenda est impiæ multitudini, et hoc sub piissimis et religiosissimis imperatoribus? Non sic in diluvio judicatum est ut turba vinceret infidelium. Sed Noe ille justissimus ideo magis Deo placuit, quod in illo excidio mundi solus justus inventus est. Nihilominus et in Sodoma et Gomorrha graves pœnas dedit impia multitudine : unde hospitalis unus Loth ob justitiam liberatus est cum duabus tantummodo filiabus. Sed nec Dei æmulator Elias, qui fuit singularis, obtentus est, cum adversus illum quadringenti quinquaginta falsi sacerdotes mitterentur. Sed omnis turba illa impia sacerdotum luit pœnas sub unius fidelis manum, et hoc sperante rege Achab, qui falsos sacerdotes impie vindicabat. Sed nec Jehu rex Israel detulit impiæ multitudini sacerdotum. Denique omnes falsos sacerdotes, qui sub rege Achab fuerant in culmine, cum religiosa fraude in domum religionis impiæ convocasset, quasi eos post ritus religionis remuneraturus, jussit occidi, ita ut nemo de his superesset. Et legimus quia ob hoc factum ita placuit Domino, ut filii ejusdem regis quarta progenie sederent in throno Israel.

XIX. Sunt et alia multa simillima exempla. Quæ quidem nos non ideo dicimus, quasi qui velimus alicujus sanguinem fundi. Absit hoc a votis nostris : hoc enim qui fieri cupit, exorbitat a legibus Christianis. Factum est quidem tunc, quia et illo tempore id ipsum divina lege fieri licebat, quando ad-

[1] *Fruens.* Certo certius est, pro *fruens*, unius additamento litteræ, *fervens* scripsisse auctores. *Fervere* autem *æmulatione* sive incensissima cupiditate, præterquam quod χυριώτατον est, duobus aliis hujus libelli locis firmatur. Nimirum infra § 23 : *Ephesium episcopum sanctæ* FIDEI ÆMULATIONE FERVENTEM. Et seq. § 24 : *Ad divinam æmulationem..... succensus.* Nam *fervens* et *succensus* esse omnino synonyma vel pueri animadvertunt. Ac plurima passim in isto virulento quidem, sed tamen utili ac disertissimo opusculo fœda sunt ulcera, quæ medicam opperiuntur manum. MAZOCH., l. c.

[2] *Correxisse.* Notione intransitiva pro se *correxisse* : sicuti et *surgo* et *pergo*, ex *surrigo* et *perrigo* contracta, neutra sunt. MAZOCH., *ibid.*

huc totum corporaliter agebatur, donec crescerent instructio spiritualis. Sed non, quia nunc non licet bonis et fidelibus falsorum sacerdotum sanguinem cupere, idcirco fideles falsis sacerdotibus addicendi sunt, ita ut gravissimis eorum persecutionibus affligantur. Falsum videatur quod dicimus, si non variis in locis Ecclesiæ fidelium sacerdotum alibi invasæ, et alibi destructæ sunt : si non interpellationibus illorum sancti quique comprehensi, et diu ad injurias inclusi, et postremo missi sunt in exsilium : si non etiam et cæteri quidam in carcere, alii autem tracti et cæde multati animas reddiderunt, ob nullam aliam causam, quam quia metu divini judicii nolebant communicare cum perfidis vel sociis perfidorum.

XX. In Hispania Vincentius presbyter, veræ fidei antistes, quas non atrocitates prævaricatorum passus est, eo quod nollet esse socius impiæ prævaricationis illorum, eo quod beato Gregorio communicaret ? illi, inquam, Gregorio, cujus supra ut potuimus fidem virtutemque retulimus. Contra quem primum quidem interpellarunt Bæticæ provinciæ consularem : tunc demum, sub specie intercessionis postulatæ, ex aliis locis plebeia colligitur multitudo : et irruunt die dominica in ecclesiam, et Vincentium quidem non inveniunt, eo quod ipse prænonitus, etiam populo prædixerat ne illo die procederet, quando cum cæde veniebant. Hoc enim putavit fieri melius, si iræ locum daret. Sed illi qui ad cædem parati venerant, ne sine causa furor illorum venisse putaretur, certa Christo Deo devota ministeria quæ illic inventa sunt, ita fustibus eliserunt, ut non multo post exspirarent. Sed quia plebs sancta Vincentii presbyteri magis eos [1] precabantur post illas eorum cædes quæ in Dominico factæ sunt, egressi episcopi, ut plebs universa terreretur, ab ipsis principalibus incipiunt. Denique postulant exhibitionem decurionum civitatis illius, ut includerentur in carcerem : ex quibus unus principalis patriæ suæ, eo quod fidem firmiter ut fidelis in Deo retineret, exsecrans labem prævaricationis, inter eos et ipse catenatus fame, frigore necatus est, cum gemitu et fletu illius provinciæ quæ honestam vitam ejus optime noverat. Egregii et catholici episcopi Luciosus et Hyginus hujus crudelitatis auctores fuerunt, et interea invaserunt quidem basilicam, sed fidem plebis invadere non potuerunt. Denique alibi in agello eadem plebs basilicam sibi fabricavit, ad quam cum sancto Vincentio conveniret. Sed satanas qui nusquam patitur Christum pie coli, inflammat eos, et iterum deposita postulatione ex diversis urbibus decurionum et plebeia multitudo colligitur. Simul etiam et presbyteri ejus ad locum veniunt. Ecclesiæ illius januas confringunt, diripientes inde quidquid ad sacra ministeria pertinebat. Et postremo, quod horroris est dicere, ad cumulum perpetrati sacrilegii, ipsum altare Dei, de Dominico sublatum, in templo sub pedibus idoli posuerunt.

XXI. Hæc utique illi faciunt qui per pœnitentes de impia subscriptione suscepti sunt ad catholicam disciplinam propter bonum pacis et unitatis. Quid gravius gentilis cultor idolorum faceret, si haberet licentiam Ecclesiam persequendi ? Sed apud Treviros Bonosus presbyter inclusus, intestatus, ac diu pœnas senex dedit propter observantiam intaminatæ fidei illius, pro qua et inclytus Paulinus ejusdem civitatis episcopus in exsilio martyr animam dedit. In ipsa quoque urbe Romana quam graves persecutiones fidelibus illatæ sunt, ubi et beatus Aurelius episcopus communicans beatissimo Gregorio afflictus est ! Sed hic vir sanctus, licet sit sæpenumero afflictus, tamen propria accersione requievit. In Macarium vero presbyterum multa impiorum commissa sunt. Hic erat in eadem urbe Roma presbyter miræ continentiæ, non vino stomachum relevans, non carnis esculentia corpus curans, sed oleo solo escas asperiores mitigans, jejuniis et orationibus vacans. Sane pro merito fidei et abstinentiæ habebat gratiam sancti Spiritus in hoc, ut de obsessis corporibus ejiceret dæmonia. Ideo vitam ejus meritumque memoravimus, ut tanto magis impii judicentur ii, qui tales vivere non sinunt in Romano imperio.

XXII. *Eodem tempore* gravis adversus nostros persecutio inhorruerat, infestante Damaso egregio archiepiscopo, ita ut fidelibus sacerdotibus per dies sacros plebis cœtus ad deserviendum Christo Deo convocare libere non liceret. Sed quia pro conditione rerum quolibet tempore, vel clam salutis nostræ sacramenta facienda sunt, idem sanctus presbyter Macarius dat vigilias in quadam domo convocare fraternitatem, ut vel noctu divinis lectionibus fidem plebis sancta roboraret. Sed diabolus qui favet impiis, quia et impii favent diabolo, nec in occulto patitur divina sacramenta celebrari. Denique tendunt insidias clerici Damasi, et ubi cognoverunt quod sacras vigilias celebraret cum plebe presbyter Macarius, irruunt cum officialibus in illam domum, et plebem dissipant non resistentem, ipsumque presbyterum comprehensum, non jam ducere dignantur, sed per silices trahunt, ita ut in coxa ejus perniciosum vulnus fieret : atque alio die sistunt eum ante judicem, ut magni criminis reum. Cui quidem judex veluti sub imperiali rescripto et minis extorquere contendit, ut cum Damaso conveniat. Sed presbyter memor divini judicii, præsentem judicem non timens, repulit perfidiæ communionem ; atque ideo datur in exsilium ; et cum esset apud Ostiam, atrocitate illius vulneris moritur. Cujus quidem tanta fuit sanctitas, ut eum et episcopus loci illius nomine Florentius, communicans Damaso, cum quadam veneratione suspexerit. Namque cum in quodam vetusto monumento eum

[1] Forte *imprecabantur*. Oxon

fratres sepelissent, non est passus idem Florentius jacere eum illic, ubi indigna sepultura videretur : sed transferens eum inde, sepelit in basilica Martyris Asterii, ubi in loco presbyteri qui juxta sepulturam habent : hoc pio suo obsequio, in quantum poterat, Damasi scelus a se facere contendebat alienum.

XXIII. Adverat tranquillitas vestra, si hoc fieri vultis in Romano imperio adversus sanctos et fideles, ab his qui prævaricatores sunt; nonne metus est, ne sanguis fidelium Romanum gravet imperium? Nam idem Damasus, accepta auctoritate regali, etiam alios catholicos presbyteros, nec non et laicos insecutus, misit in exsilium, perorans hoc ipsum per gentiles scholasticos, faventibus sibi judicibus : cum utique vestræ constitutiones adversus hæreticos decretæ sint, non adversus catholicos, et tales catholicos, qui fidem integram nec sub hæreticis imperatoribus reliquerunt, et quidem gravia multa perpessi. Sed et nuper tentavit graviter persequi beatissimum Ephesium episcopum, sanctæ fidei æmulatione ferventem, ordinatum intaminatæ plebi Romanæ a constantissimo episcopo Taorgio, et ipso illibatæ fidei viro, sub invidia falsi impositi cognomenti, per suos defensores interpellans judicem Bassum, quasi adversus Luciferianos. Sed Bassus, olim catholicam fidem venerans, sciebat in Lucifero nullam hæreseos fuisse pravitatem; quippe quem et bene noverat pro fide catholica decem annos exsilia fuisse perpessum, et pro constantiæ suæ integritate repulit accusationes Damasi, negans se facturum, ut homines catholicos et integræ fidei viros insequeretur : dicens maxime quod ipsæ constitutiones imperatorum contra hæreticos solummodo promulgatæ videantur, non contra hos qui sanctissimam fidem sine sæculi ambitione conservant.

XXIV. Et tunc primum erubuit Damasus, quod inventus est judex, qui solus imperialia scripta piissime interpretans tueretur. Nam et hoc ipsum necessarium est, ut falsi cognomenti discutiamus invidiam, qua nos jactant esse Luciferianos. Quis nesciat illius cognomentum tribui sectatoribus, cujus et nova aliqua doctrina transmissa est ad discipulos ex auctoritate magisterii ? Sed nobis Christus magister est : illius doctrinam sequimur, atque ideo cognomenti illius sacra appellatione censemur : ut non aliud jure dici debeamus quam Christiani, qui nec aliud sequimur, quam quod Christus per Apostolos docuit. Hæreses autem ideo hominum appellationibus denotatæ sunt, quia et hominum commenta tradiderunt. Perdit enim in se Christiani nominis appellationem, qui Christi non sequitur disciplinam. Dicant nunc quid Lucifer novum docuerit, quod non ex Christi magisterio traditum est, quod non ab Apostolis discipulis Salvatoris transmissum est in posteros. Et bene, quod libros scripsit ad Constantium, non ut plerique gloriam captans ingenii, sed divina testimonia aptissime congerens contra hæreticos, et contra ipsum patronum hæreticorum, ad divinam æmulationem pro Filii Dei amore succensus. Denotent quid illic contrarium Scripturis, quid novum quasi hæreticus scripsit. Quos quidem libros, cum per omnia ex integro ageret, suspexit et Athanasius, ut veri vindices, atque in Græcum stylum transtulit, ne tantum boni Græca lingua non haberet. Parum est, quin etiam propriis litteris idem Athanasius eosdem libros prædicat, ut Prophetarum et Evangelistarum atque Apostolorum doctrinis et pia confessione contextos. Et quamvis plurimis in eum laudibus erigatur, tamen non æquat ad meriti ejus præconium, et quidem cum amplius laudare non posset : [1] ita rerum supereminentia quævis laudans lingua superatur.

XXV. Sed Lucifer, ignarus licet artificiosæ eloquentiæ, tamen ut prophetico et evangelico atque apostolico more scriberet, quod super omnem humanam eloquentiam est, habuit gratiam sancti Spiritus ex merito rectæ fidei et sincerissimæ conscientiæ, per quem et divinas virtutes operatus est, non solum in Sardinia, sed in ipsis quoque quatuor exsiliis : usque adeo [2] ut eum adversarii magnum dicerent, cum apostolicas per eum virtutes fieri negare non possent. Venit ad hunc et sanctus Gregorius, et admiratus est in eo tantam doctrinam scripturarum divinarum, et ipsam vitam ejus vere quasi in cœlis constitutam. Jam quantus vir Lucifer fuerit, cum illum admiretur et Gregorius, qui apud cunctos admirabilis est, non solum ex collisione illa Osii, sed et ex divinis virtutibus, quas habens in se gratiam sancti Spiritus exsequitur ! Quid ergo et in hoc impii sunt ? Cum Lucifer secundum scripturas divinas et crediderit, et docuerit, et vixerit, et in nomine Christi sit virtutes operatus; ad opprimendos veræ fidei vindices Luciferi nomen imponunt, nescientes miseri summum se committere sacrilegium, cum doctrinam Christi sub hominis appellatione designant; sicut et in hoc impii sunt, quando sacrilegas institutiones pro arbitrio hominum editas, sub Christiani nominis auctoritate defendunt. An non summa impietas est, iniquitates suas et sacrilegia sub Christi nomine vindicare ? an non impietas est, piam doctrinam sub Christi nomine consecratam, humanis appellationibus denotare? Sed hæc fraus, hæc atrocitas, adversus fideles in Hispania, et apud Treviros, et Romæ agitur, et in diversis Italiæ regionibus.

XXVI. Asserendum nunc necessario est quod in his partibus gestum est; ubi egregii episcopi, non fidei veritate, sed sola catholici nominis appellatione vestiti, non solum per judices, neque tantummodo per manum militarem, fideles et veros catholicos dissipant, sed et interdum per suos clericos, ignorantibus judicibus vel etiam dissimulanti-

[1] Ms. *Ita rerum ejus supereminentia quævis laudans lingua superatur.*

[2] Ms. *Ut eum adversarii magum dicerent.*

bus, atrocia exercent. Et qui finis erit, si cuncta referamus, quæ singuli quique fidelium passi sunt atque patiuntur? Unum tamen atrox persecutionis facinus ad compendium referendum est, quod in Ægypto apud Oxyrinchum commissum est sub totius testimonio civitatis. Certa pars est apud Oxyrinchum sanctæ plebis, in cujus sacro numero plerique, quanto intentius ad res divinas studium eliramve posuerunt, tanto sollicitius diligentiusve fidem catholicam inviolabiliter servare contendunt : ita ut se nullis hæreticis, nullisque prævaricatoribus per divina commisceant sacramenta. Ad hanc observantiam plerique eorum eruditi sunt exemplo et monitu [1] beati Pauli, qui iisdem fuit temporibus quibus et famosissimus ille Antonius, non minori vita neque studio, neque divina gratia, quam fuit sanctus Antonius. Novit hoc et ipsa civitas Oxyrinchus, quæ hodieque sanctam Pauli memoriam devotissime celebrat. [2] Sed et ipsa pars plebis, ubi vidit episcopum illius civitatis, nomine Theodorum, in impiam prævaricationem fuisse collapsum, ita ut non solum fidem integram condemnaret, neque ut tantummodo impie subscriberet, [3] sed ut laicum se fieri ab impio Georgio pateretur, et denuo ab ipso hæretico episcopum ordinari, exsecrata est ejus communionem, habens secum presbyteros et diaconos illius illibatæ fidei, per quos [4] fruebatur divinis sacramentis, una cum supermemorato beatissimo Paulo. Sed postea etiam episcopum sibi per tunc temporis episcopos catholicos ordinavit, sanctum Heraclidam, tanto magis idoneum, quanto et firmius contra hæreticos et prævaricatores debuit ordinari, qui et in vita esset perspicuus, a prima ætate Deo deserviens, contemptis bonis sæcularibus, et in fide, et doctrina perfectus exsistens. Unde et pro apostolica fide, et pro doctrina evangelica, pro conversatione cœlesti apud cunctos illic venerabilis est, solis tantummodo hæreticis et prævaricatoribus displicens. Unde et Deo magis placet cum talibus displicet. Sed hic tantus ac talis ita cœpit exercere pontificium, ut ad opinionem fidei ejus et doctrinæ, atque ipsius sanctissimæ conversationis, plerique etiam de longissimis regionibus advenirent, exsecrantes nefariam prævaricatorum societatem, ejusque sacrosanctum consortium desiderantes. Sed ille egregius bis episcopus hoc non patitur. Et primum quidem vexat per publicas potestates : ita ut aliquoties solum intempesta nocte raptum per lanceariosde urbe sustulerit. Sed cum eædem potestates non in hoc perseverant in quo temerarie cœperant : quod enim jus habere poterant contra episcopum catholicum? unde et merito a cœpta persecutione cessarunt, maxime unus ex ipsis etiam divina plaga admonitus. Tunc egregius iste bis episcopus, jam propriis viribus fiditur, et mittit turbam clericorum ad ecclesiam beati Heraclidæ catholici episcopi, eamque evertit, destruens undique parietes : ita ut ipsum altare Dei securibus dissiparet, cum horrore totius civitatis et gemitu, quod illa Ecclesia everteretur, cujus episcopum etiam diversæ partis homines rectæ et illibatæ fidei confitentur.

XXVII. Advertite, quæsumus, piissimi imperatores et rectæ fidei vindices, numquid pro tam impiis episcopis edicta proponitis, ut hi affligantur, qui ob meritum fidei et sanctissimæ vitæ, mundo ipso pretiosiores sunt? Credite, religiosissimi imperatores, beatum Heraclidam unum esse de illo numero sanctorum, de quibus refert Scriptura divina, dicens : *Circuierunt in melotis et in caprinis pellibus, indigentes, in tribulationibus et doloribus afflicti, quorum non erat dignus mundus* (*Heb.*, xi, 37). Quomodo enim beatus Heraclida non talis est, qui omnia sæcularia respuens oblectamenta, per ipsas amaritudines confragosæ vitæ istius, æmulans dominica vestigia, nudus expeditusque virtutum iter salutare sectatur; qui sic pro divinæ amore fidei conspirat, sicut et sanctos legimus conspirasse, nihil habens de sæculo, quam pro fide tribulationes et dolores, sic vivens, sic incedens, sicuti et illi sancti de quibus supra positum est testimonium? Merito ergo et beatus Gregorius, cæterique sancti episcopi, sanctimoniæ istius venerabili consortio, in malis afflictæ Ecclesiæ, velut divinis solatiis relevantur. Non solum autem in tam venerabilem episcopum grassatus est Theodorus, sed et in ipsam sanctissimam plebem ejus, quæ pro sincerissimi et fidelissimi sacerdotis doctrina et moribus instituta est. Et longum est referri, quæ contra pudorem propositumve sacrarum virginum molitus est, quarum monasteria pro merito sanctimoniæ earum civitas ipsa veneratur. Sed et ipsos servos Dei aliquoties atrocibus afflixit injuriis, quos magis probaverat sanctiores. Sed quid mirum, si oves ut lupus affligeret, quarum bonum pastorem frequenter affligit?

XXVIII. Ecce qui sub vobis pius imperatoribus, et pro fide catholica venientibus, jactat se esse catholicum, evertens Ecclesiam catholicorum, persequens catholicos sacerdotes et servos Christi, necnon et sacras ejus virgines impie affligens. Hic est egregius et sanctissimus ille episcopus, qui cum fuisset primum a catholicis episcopis ordinatus episcopus, postea ab impio Georgio in laicorum numerum redactus, nihilominus ab ipso Georgio episcopus ordinatus est, in vexatione fidelium : sedens et communicans in una eademque civitate cum Apollonio Meletianorum episcopo, consentienti impietatibus Georgii, et cum ipso item Apollonio idem Theodorus persequens beatum Heraclidam, catholicæ fidei vindicem. Ecce cui quasi catholica basilica nunc tradita est Apollonii ex generalis edicti vestri auctoritate : cum utique idem Theodorus, qui quasi catholicus hæretici Apollonii basilicam accepit, similiter impie gessit, ut gessit et Apollonius : nisi quia atrocius gessit Theodorus, cum de episcopo catholico fit

[1] Ms. *Beatissimi Pauli.*
[2] Ms. *Sed hæc ipsa pars plebis.*
[3] Ms. *Sed ut etiam laicum.*
[4] Ms. *Fovebatur divinis sacramentis.*

laicus, piam damnans fidem, et subscribens Arianæ impietati, ut ab hæretico iterum episcopus ordinetur. Sane hinc se vult catholicum videri quod et ipse nunc quosdam presbyteros seu diaconos Apollonii facit suasu quodam laicos, et eos iterum ordinat ut videatur, turpissimæ istius ordinationis vicem referre quam passus est. Numquid non excedit omne sacrilegium, hæc ludibria sub nomine catholico vindicare, in afflictionem fidelium sacerdotum atque laicorum ?

XXIX. Sed et apud Palæstinam in Eleutheropoli est sacra virgo Christi, nomine Hermione, generosis quidem edita natalibus, sed fide et sanctimonia multum facta generosior, ipsam virginitatem condecorans contemptu rerum sæcularium et humanæ gloriæ, ad quam plerique affectant, etiam qui se sæculo et concupiscentiæ carnis abrenuntiasse gloriantur. Hæc in quantum castimoniam corporis sacro rigore custodit, in tantum animæ puritatem casta piæ fidei observatione conservat : non hæreticis, non prævaricatoribus communicans ; eo quod intelligat corporis virginitatem nihil prodesse, nisi et integritatem animæ sacra confessione tueatur, labem adulterinæ communionis effugiens, et sectans salutaria sacramenta fidelium sacerdotum. Denique supplicat religiosis litteris apud beatum Heraclidam, ut ejus sacris visitationibus juvaretur. Sed pro beato Heraclida sanctus Ephesius visitat, qui id temporis ob utilitates ecclesiasticas ad episcopum Heraclidam de urbe Roma venerat. Hic est Ephesius, quem supra diximus illibatæ [1] plebi Romanæ episcopum a constantissimo Taorgio episcopo ordinatum. Sed cum venisset Eleutheropolim, non solum Hermione cum suo sacro monasterio relevatur, sed et quidam fidelissimi servi Dei. Inter quos etiam nobilis domus religiosi ad fidem catholicam Severi ex tribunis, diu quidem non communicans hæreticis et prævaricatoribus, sed [2] nondum qui invenisset catholicorum sacram communionem. Ubi autem vidit sanctum Ephesium, post multas examinationes probans eum catholicum, tradidit se ei in sacram communionem, beatum se judicans, quod domum suam ex insperato divina misericordia visitasset : tantam sancti sacerdotis adventu ductus in admirationem, non solum vitæ ejus puritate, sed et quibusdam cœlestibus documentis. Est enim tantæ fidei et sanctimoniæ beatus Ephesius, ut quocumque perrexerit, [3] eum gratia divina comitetur. Probavit hoc et plebs sancta apud Oxyrinchum, beato Heraclidæ communicans, quæ illum ob meritum divinæ gratiæ pia ejus dilectione constricta, ut quondam Asiani apostolum Paulum cum magno fletu deduxit proficiscentem.

XXX. Non hæc laudandi studio loquimur, sed ut scire possitis, quam sanctæ et fideles animæ sub vestri nominis auctoritate gravissimis persecutionibus affligantur ab his, quos constat, ignorantibus vobis, etiam nunc usque aut hæreticos esse, aut prævaricatores, aut socios talium. Sed adversus sanctum Ephesium modicum quid conati in Palæstina hi, quibus sacra veritas onerosa est, postea destiterunt, metuentes in illo et fidei libertatem, et constantiam animi, et hoc ipsum cogitantes, quod magis hæresis eorum et impietas prodi poterat, si sub vobis catholicis imperatoribus integræ et constantis fidei episcopum acrius inquietassent. Ubi autem idem beatus Ephesius, invitatus fidelium litteris, in Africam navigavit, nobis apostolico more dans præceptum, ut circa sanctam fraternitatem divinis et ecclesiasticis officiis incumberemus, id ipsum, sancta illic fraternitate poscente, egregius Turbo Eleutheropolitanæ episcopus civitatis nostram exiguitatem despiciens, in nos cœpit velle consummare, quod in sanctum Ephesium consummare non ausus est, nesciens quod Christi Dei gratia etiam minimissimis servulis ejus patrocinetur, maxime pro causa rectæ fidei laborantibus. Namque hic Turbo, postquam audivit quosdam se integræ fidei copulare, et per Dei gratiam rem veri crescere, nobis exitia minitatur, et turbat. Sed et Severi domus incendium minitatum veritati, qui tanto magis fidem Dei vindicat, [4] quanto et Romano imperio fideliter militavit. Tentat quoque et sacram virginem Hermionem insequi : quam feminam quicumque didicit, ut aliquam de evangelicis feminis admiratus est. Sed et singulis, quibusque tendit insidias, qui nobiscum sacræ communionis consortio copulantur : veluti nefas objiciens, ex lege illa Babyloniæ, quod intra nostra domicilia, sine labe hæreseos, et sine communione perfidiæ, secundum evangelicas et apostolicas traditiones, desiderantibus fidelibus divina sacramenta celebramus. Simile enim furore et quondam Babylonii sanctum Danielem hostilibus odiis insecuti sunt, quod in sua domo Deum observantia divinæ legis adoraret. Hic est Turbo, qui diaconus fuit Eutychii hæretici, sub quo beatus Lucifer Eleutheropolitanæ civitatis patiebatur exsilium : qui et ipsum Luciferum, fidem libere vindicantem, multis atrocitatibus vehementer afflixit.

XXXI. Sunt adhuc hodie in Palæstina, qui in illo tempore insequentibus illis pœnas gravissimas dederunt, eo quod cum catholicæ fidei episcopo Lucifero convenirent. Negent, si non inter cætera sua atrocia, januam clausam securibus effregerunt : si non irruentes in Luciferum fidelissimum sacerdotem, divina quoque sacramenta verterunt, unumquemque illic de his fratribus qui convenerant impia cæde multantes. Negent, si non hodie apud se sancta mystica vasa quæ tunc impie Lucifero diripuerunt, cum sacris codicibus possident. Tunc utique Turbo cum Eutychio hæretico versabatur. Ex tunc se catholicum dicens, catholicos persequitur sub vestri nominis auctoritate, piæ spei contemplatione fidem catholicam vindicantis. Permittitis, piissimi imperatores, ut sub vestri nominis auctoritate, adversus

[1] Ms. *Plebis Romanæ episcopum.*
[2] Ms. *Sed necdum qui invenisset.*
[3] Ms. *Eum justitia divina comitetur.*
[4] Ms. *Quantum et Romano imperio.*

fideles diu ubique dominetur impietas? Expedit enim hoc Romano imperio, quod tamen affectu et fide ejus quam Christo Deo exhibetis observantiæ dicimus, ut qui Christum pie prædicant, persecutiones mortesque patiantur, ita ut nusquam liceat Deo pia altaria collocare, aut certe, cum collocata fuerint, destruantur? Sub impio Achab rege Israel, occisis prophetis altaribusque destructis, interpellat Helias Deum adversus Israel, dicens in libro Regnorum : *Domine, prophetas tuos occiderunt, altaria tua destruxerunt, et ego relictus sum solus, et quærunt animam meam* (III *Reg.*, XIX, 14). Hanc invidiosam interpellationem etiam vestris temporibus sinitis ad Deum fieri a singulis quibusque fidelibus sacerdotibus? Si enim et taceant, numquid Deus hæc ipsa fieri ignorat? Quid putamus, quod sine offensione Dei hæc in veros catholicos et in veram ejus Ecclesiam perpetrentur, quæ olim adversus servos Dei perpetrata gravissime divinis animadversionibus vindicata sunt? Et unde sunt tot plagæ, quibus orbis Romanus quatitur et urgetur? Non opus est nunc nos singula quæque plagarum recensere, quæ tranquillitas vestra recognoscit cum æstu et sollicitudine imperii sui. Communem istum dolorem vel tacendo mitigemus, ne non tam compati, quam exulcerare videamur.

XXXII. [1] Hoc quæsumus, piissimi imperatores, cogitare dignemini, quibus ex causis ista proveniant. Utrum quia fideles servi Christi, metuentes leges divinas, nolunt cum infidelibus convenire, an quia veri catholici a falsis sacerdotibus obteruntur. Quomodo enim non falsi sacerdotes sunt qui jam non solum ob causam prævaricationis supra expositam devitandi sunt, sed etiam quod plurimi quique eorum propriis etiam nunc hæreses vindicant sub ementita apud vos catholici nominis professione? Quis enim jam timeat episcoporum impia prædicare, cum toties commissa impietas honorata est, cum minime dejicitur sacerdotio? Denique cum sint alii eorum Origenistæ, alii Anthropomorphitæ, alii autem Apollinaris impii sectam tuentes, et triplici cuneo alii adversus sanctum Spiritum diversis studiis blasphemantes. Sed et ipsi quoque, qui pie inter eos putantur credere, Patris et Filii et Spiritus sancti tres esse substantias vindicantes, vel respuentes, nihilominus hi omnes de vestris gloriantur edictis, et sibi Ecclesias vindicant, cum has impias sectas patres nostri semper apostolica et evangelica auctoritate damnaverint. Quos quidem nunc discutere non est præsentis opusculi : sed tantum quod moveat ad horrorem intentum veræ fidei animum vestrum, dicimus.

XXXIII. Una, ut opinamur, hæresis apud Ariminum sub hæretico rege suscepta est, et nunc sub vobis piis catholicis imperatoribus tot hæreses vindicantur, non minus impiæ, quam est Arii impietas. Et cum adversus se libros vel epistolas singuli quique conscribant, tamen sibi omnes, vel ex directo, vel ex obliqua concatenatione communicant : inani studio philosophorum solis disputationibus litigantes, non ut Christiani ex devotione sacramenti, aliter alterum velut impium devitantes; ut jam sicut in scholis ingenii videatur inter eos esse certamen, non autem sacra defensio veræ religionis : quandoquidem inter se sacramenta non separant, cum impiis sententiis ab invicem separentur. Hoc autem ideo faciunt, quia quidam eorum humanæ gloriæ, quidam vero avaritiæ student : et inde est quod sibi invicem sub impia dissimulatione colludunt, ut nec possessiones perdant Ecclesiæ, nec honores. Et interea, ut tot suas velent impietates, ad illusionem singulorum, veluti benignissimæ mentis indicia præferentes, aiunt ideo se etiam contraria sentientibus ecclesiasticæ communionis consortio copulari, ne bonum pacis in Ecclesia pereat. Quasi vero hujusmodi pax Christo Deo placeat, quæ in ejus Ecclesiam tantas recipit impietates. Sed hoc qui ita putant, [2] audiant describtum : *Et viam pacis non cognoverunt, non est timor Dei ante oculos eorum* (*Psal.* XIII, 3). Sed apertius quoque et apud Hieremiam legimus [3] de pace impia et iniqua, sicut exsequitur testimonium subjectum : *A pusillo eorum usque ad magnum, cuncti perpetrarunt iniqua, a sacerdote usque ad pseudoprophetam, universi operati sunt falsa, et* [4] *meditabantur obtritionem populi mei, pro nihilo constituentes et dicentes, Pax, pax, et ubi est pax* (*Jer.*, VI, 13)? Et intendendum est quam atrocia de illis prosequatur, qui hac vanissima pace gloriantur. Sequitur enim : *Confusi sunt quoniam defecerunt, et ne sic quidem confusionem sustinentes convenerunt, et ignominiam suam non cognoverunt. Propterea cadent in ruina sua, et in tempore visitationis infirmabuntur* (*Ibid.*, 15).

XXXIV. Quid mali committimus, quid impie facimus, si servantes fidem Christo hujusmodi pacem respuamus, cujus tanta confusio et ignominia gravissimique exitus describuntur? Sed et isti egregii pacis amatores fidelibus sacerdotibus bellum exagitant. Quid enim vult diabolus, quam ut impii et prævaricatores sæculi pace glorientur? Quid enim vult diabolus, quam ut hi qui pii sunt et fideles infestantium persecutione vexentur? Hæc ideo prosecuti sumus, ne per vestram ignorantiam diu fundatur sanguis Christianorum pristinam fidem defendentium. Quid enim prodest, si sitis catholicæ fidei vindices, et patramini catholicæ fidei sectatores ubique cruciari? ubique effugari? nusquam libere piam fidem prædicari? Habeant illi basilicas auro coruscantes, pretiosorumque marmorum ambitione vestitas, vel erectas magnificentia columnarum; habeant quoque porrectas in longum possessiones ob quas et fides integra periclitata est : quid etiam suis impietatibus vindicant communes Romanis omnibus civitates, ut neminem in his pie vivere permittant, in quibus a plurimis etiam vana superstitio sine periculo colitur.

[1] Ms. *Sed hoc quæsumus.*
[2] Ms. *Audiant de se scriptum.*
[3] Ms. *De ea pace impia.*
[4] Forte, *medicabantur;* in Vulgata, *curabant.*

et sine illorum invidia vindicatur? Liceat saltem veritati, vel inter ipsa vilissima et abjecta præsepia, Christum Deum pie colere ac fideliter adorare, ubi et aliquando natus secundum carnem idem Christus infans jacere dignatus est. Hoc quod petimus, non ideo petimus, quasi expavescamus pro vero interfici. Deus testis est, qui verus speculator est cordis, quia per Dei gratiam nobis et summum refrigerium est, et certa spes futuræ beatitudinis, si pro hac fideli assertione jugulemur. Non ergo quasi qui timeamus perpeti, ideo sumus ista prosecuti : sed ne aliorum impietatibus et crudelitatibus sanguis effusus Christianorum diu piissimum vestræ principalitatis gravet imperium. Maxime sub te, religiosissime Theodosi auguste, qui mira devotione contra omnes hæreticos christianæ religionis pia confessione conspiras, magnum nobis apud Deum fore supplicium credidimus, si apud te tam religiosum, tam piissimum imperatorem, et Christo Deo divino ac plenissimo timore consecratum, quem vere ad imperium Deus Christus elegit, quæ sunt veræ fidei ac veræ Ecclesiæ taceremus. Post hoc non ambigimus, quo sollicitus agas qua pater imperii, ne in orbe Romano professæ fidei communionisque sinceritas affligatur. Quidquid in causa sacræ fidei ac professæ veritatis sanctius gesseritis, tanto gloriosius et hic et in perpetuum Christi favore regnabitis. Ego Marcellinus presbyter, optans felicissimo imperio vestro securam quietem, et in regno Christi et Dei perpetuam beatitudinem, piissimi imperatores. Ego Faustinus, qui non possum dignus vocari presbyter Dei, optans ut et hic multos annos clementissimæ divinitatis auxilio feliciter imperetis, et in futuro Christi Filii Dei regno perpetuam cum sanctis beatitudinem consequamini, gloriosissimi imperatores.

Ad has preces ita lex Augusta respondit :

RESCRIPTUM THEODOSII PRO MARCELLINO ET FAUSTINO PRESBYTERIS.

Salve, Cynegi carissime nobis. Etsi nulla humanis pectoribus major quam divinæ legis debet esse reverentia, nec adjici quidquam ad eamdem possit, cujus ambitiosa præstantia, mundi terræque moderatrix, omne quod sub nobis esse voluit, favore omnipotentis Dei propitiata custodit : tamen per Faustinum et Marcellinum plenissimos fidei sacerdotes interpellata clementia nostra, veriti sumus, ne si per nos nihil fuisset responsum petentibus, nos videremur annuere iis, qui divinæ legi cui servimus, contra propositum nostrum aliquid addidissent. Atque ideo ita utrumque moderamur, ut petitionem quæ est oblata veneremur ; fidei autem nihil ex nostro arbitrio optemus vel jubeamus adjungi. Nemo umquam tam profanæ mentis fuit, qui cum sequi catholicos doctores deberet, quid sequendum sit doctoribus ipse constituat. Et sane probabilis et justa laudatio precum est, quæ omnem prope seriem hæreticæ superstitionis, quæ contraria est catholicæ fidei, ordinemque complexa est. Nam et unde exorta, et quo provecta auctore fuisset aperuit. Quippe cum persuasu quorumdam, totius sæculi antiquitate mutata, acti pro fide in exsilium innocentes, vitam cum summa laude posuerunt. Sed circa eos non est dilata ultio, qui insidiati bonis moribus et cœlestibus institutis, paulisper ex contentione, non fide, sed factione, multorum mentes detestanda insinuatione perverterent. Nam usque adeo omnipotentis Dei mota patientia est, ut pœna quæ criminosis post facta debetur, exemplo omnia anteacta sentirent. Sed ne hoc quidem facto converti ad præceptum Dei flectique potuerunt : catholicos occultis molitionibus urgent, insequuntur, oppugnant. Tanta perseverantia erroris est, ut cum aliis diversæ observantiæ sectatoribus quotidie peccare malint, quam cum catholicis recta sentire. In quo petentium laudanda illatio est, qui communicantes Gregorio Hispaniensi et Heraclidæ Orientali, sanctis sane ac laudabilibus episcopis, optant in fide catholica sine oppugnatione alicujus ac molestia vivere, nullisque appetentium insidiis circumventionibusque pulsari : quippe quibus placeat susceptam semel fidem omni cum religione servare. Sit itaque inviolatum quidquid esse meruit æternum. Non conventio aliquid, non appetitio, non fraus attentet aliena. Utantur quo in loco voluerint proposito suo ; utantur ad catholicam fidem amore divino. Cynegi, parens carissime et amantissime, sublimitas tua præceptum nostræ serenitatis quo fidem catholicam omni favore veneramur, et sine qua salvi esse non possumus, ita jubeat custodiri, ut Gregorium et Heraclidam sacræ legis antistites, cæterosque eorum consimiles sacerdotes, qui se pari observantiæ dederunt, ab improborum hominum atque hæreticorum tueatur et defendat injuriis, sciantque cuncti id sedere animis nostris, ut cultores omnipotentis Dei non aliud nisi catholicos esse credamus.

ANNO DOMINI CCCLXXXIV.

SANCTUS DAMASUS.

PROLEGOMENA.

EPISTOLA DEDICATORIA.

Josepho Dominico de Lambergh S. R. E. cardinali, episcopo et principi Passaviensi, Antonius M. Merenda felicitatem.

Quod summos etiam viros publicis muneribus occupatos studium tenuisse accepimus, ut vacationem eorum atque otium consequerentur, aliquando curis illis liberi, atque absoluti; idem subiisse animum meum diffiteri non possum, cum dijudicandis in foro litibus, atque hujusmodi occupationibus distinerer. Quo quidem tempore cum suavissima illa cogitatione futuri otii delectarer, mecum etiam animo reputabam, quæ esset omnium optima in reliquam ætatem ratio vitæ instituendæ, et temporis traducendi: cumque nihil melius occurreret, quam ad ea reverti studia, quæ, etsi coactus intermiseram, retinueram tamen animo semper, cœpi etiam cogitationes meas et curas ad comparandam necessariam librorum supellectilem revocare. Hæc, eminentissime princeps, tu non ignoras, qui litteris juvandis natus, huic meo quasi instruendo fundo liberalitate tua adfuisti, et in reliquam ætatem meam consulere ut facilius possem, effecisti. Quamobrem si quis ex eo fructus exstitit, aut si otium adeptus conari aliquid potui, primum omnium tibi optimo jure debetur. Atque id potissimum est, quod nunc offero tibi nominique tuo inscribo. Cum enim id, quod volebam, liberum tempus vacuumque assecutus, nonnulla ex ecclesiastica Historia, quæ aliorum diligentiam fugisse, vel fefellisse rectam interpretationem videbantur, collegissem: deinde ad Damasi opera recognoscenda et res explicandas me convertissem, atque ita ab immenso illo spatio in hoc angustius studia contraxissem mea, opusculum paulatim exstitit, quod non inutile fore omnino, si in lucem prospectumque hominum veniret, nonnulli, quibus id ostenderam, judicaverunt: repugnabam equidem, neque eorum judicio acquiescebam cum multas ob causas, tum quod erat delicatæ hujus ætatis subeundum judicium. Ut vincerer tamen aliquando, atque hæc evulgarem, illud me præcipue impulit, ut observantiæ in te meæ argumentum exstaret aliquod, gratique animi perpetuum testimonium tot tantisque beneficiis debitum, quibus me, gentilesque meos, cum Vindobonæ a cognitionibus essem causarum ecclesiasticarum Apostolicæ legationis sub immortalis memoriæ viro cardinali Hieronymo Grimalde, virtutum etiam tuarum teste olim amplissimo, cumulasti. Nec vero diffido, quæ tua in omnes humanitas est, atque in me ipsum clementia eximia ac singularis, ut munus hoc qualecumque non asperneris. Habebis id saltem, si ullo tempore a negotiis fatigatum animum huc transferas, ut imaginem veluti morum tuorum intuearis in sanctissimis eorum temporum Patribus, quorum tibi mentio est; gaudeasque nullam esse laudem, quæ non fuerit a te expressa, sive morum integritatem, sive liberalitatem in pauperes, sive religionis ac disciplinæ studium, in ædium sacrarum splendore restituendo, atque amplificando curam, magnificentiam in piis instituendis fundandisque operibus tanta cum largitate, ac religionis bono, gravissimos in latissima diœcesi perlustrando labores, cum animi alacritate conjunctos, in populis denique ad fidem morumque præcepta erudiendis patientiam atque constantiam, uberrimo sane singularis ejus, quam ex sanctorum Patrum, atque interpretum sacrorum lectione hausisti, eruditionis fructu: quas ego res persequi fusius possem, qui eas non modo audiendo cognoverim, sed oculis multas usurpaverim, nisi me tua egregia ac singularis modestia revocaret, qua laudes cum merearis, in te conferri non sinis, ac prædicari: quamquam nihil necesse est, cum vel me tacente historiæ loquantur, ac publica monumenta posterorum memoriæ consignata. Unum tamen est, quod præterire omnino non possum, excelsam illam animi magnitudinem atque constantiam, qua tu ad Salisburgensem magni in Germania nominis et dignitatis sedem evocatus, sponte cessisti juri tuo, admirandoque omnibus exemplo, pacis et concordiæ studium, commodo et honori tuo anteposuisti, maximo licet bonorum mœrore, qui administrationem tuam amplissimæ illi Ecclesiæ utilem, atque necessariam arbitrabantur, sed nimirum insederat animo tuo Clementis illud Sanctissimi Romanæ Ecclesiæ Episcopi: *qui generosus, qui misericors, qui charitatis plenus, dicat, si propter me discordia, et schisma, discedo, abeo: solum ovile Christi in pace degat cum constitutis presbyteris, atque hoc qui fecerit, sibi magnum decus in Domino comparabit;* quam præclaram vocem idem facto suo comprobasse dicitur, primæ omnium Sedis honore, ac dignitate abdicata, ut alter eam pari sanctitate pontifex obtineret, partaque optatissima pace administraret. Non exigua hæc laus est, sed magna, atque præclara; quam cum sanctissimus alter Vir Nazianzenus æmularetur, dolebat, nequaquam satis multos inveniri, qui, si quando utilitas Ecclesiarum id postulare videbatur,

sedes suas relinquerent, adeptoque honori et dignitati renuntiarent. Quamquam in tuo illo facto divinam video palam esse declaratam sapientiam, atque consilium : neque enim fieri poterat, quin ii, quibus præfueras, animo dolerent, ac quererentur, avelli a se pastorem illum, ac principem, quo neque amantiorem, nec meliorem omnino aut desiderare possent, aut sperare auderent. Ut enim quodam loco scripsit Damasus meus, et illi, qui amiserint sacerdotem, sine dolore esse non possunt, et illi qui alterius civitatis acceperint episcopum, etiamsi gaudeant, invidiosum sibi intelligunt fore, sub alieno se agere sacerdote. Sed ut ad opus hoc meum revertar, tibi, princeps eminentissime, cum omnino illud debeatur a me, cum summa humanitas ac clementia tua in spem me adducat, non hoc futurum ingratum tibi, nomini tuo lubens do, dico, dedicoque : precatus ad extremum D. O. M., ut cum sanctissimum pontificem illum, cujus edo opera, et res gestas persequor, diligentissime imiteris, diu te ecclesiæ isti, quam regendam dedit, populis a quibus avelli passus non est, bonis, ac litteratis omnibus viris, quibus in te columen, præsidiumque contulit, sospitem, salvum, incolumemque conservet.

LECTORI.

Nihil est, cur te, amice lector, longo proœmio, aut compositio sermone morer : nam quod scriptores plerumque solent causam aperire, cur scribere primo aggressi fuerint, deinde operis ipsius rationem et modum explicare, utrumque breviter præstare possum. Et operis quidem condendi causa, quæ primo fuit justissima, ea me in cursu deseruit nulla mea culpa : affectum vero opus volui dimittere, vel quod eram jucunditatem horum studiorum expertus, vel quod pulcherrimam hanc esse viderem, atque honestissimam rationem otii transigendi, ad quod haud invitus dimissus fueram, tricosissimo munere dijudicandarum in foro litium, in quo omnem pene anteactam vitam consumpseram, liberatus. Erit fortasse, qui opus ipsum a me susceptum non tanti æstimet, ut eo debuerim cogitationes referre. Quid enim, inquiet, nonne Damasi Opuscula a viro docto Sarazanio collecta, et semel iterumque vulgata ? Nihil attinet me de Sarazanii diligentia atque eruditione loqui. Illud tantummodo dicam, non mihi primum nunc venisse in mentem Damasi opera ab illo edita rursum recognoscere, atque evulgare ; nam viri docti Suaresius et, nostra hac ferme ætate, Pastritius de eo faciendo cogitavêrunt. Non ergo consilium meum improbandum est, sed id potius optandum, ut nihil in perficiendo eo curæ et diligentiæ desideretur. Hanc ego viam, rationemque tenui in Damasi operibus recensendis : primo ut quæ ejus esse constabat, cum mss. cc, si quos nactus essem, conferrem : deinde quæ ei abjudicantur doctorum virorum judicio, rejicerem ; si quis enim hæc quoque desideret, præsto sunt Sarazanius ipse, et conciliorum collectiones : denique ut ea quæ recognoveram, illustrare etiam conarer. Itaque adnotationes adjeci, easque plerumque meas ; Holstenianas etiam aliquando, quæ paucæ tamen sunt, et nonnullas etiam, sed raro a Constantio desumptas ; illæ enim facile omnibus occurrunt, et si omnes retulissem, onerare potius opusculum hoc meum videri poteram quam ornare. Quæ Sarazanius ad Carmina illustranda adjecit, retinui omnia, cum non ita facile sit ea reperire : servavi tamen locum, quem illis idem dederat, id est ad calcem rejeci. Cæterum si quid tuo commodo factum est, amice lector, gratiæ habendæ sunt bonorum omnium larytori Deo ; si nihil erit, quod sacram historiam juvare posse videatur, at laudandi certe conatus mei : ut vero opus ipsum cum cæteris similibus, quibus obruimur, tenebris amandetur, non repugno : illud dumtaxat Plinii rogo animo verses, lib. IX, epist. 17 : Quam multos putas esse, quos ea quibus ego et tu capimur, et ducimur, partim ut inepta, partim ut molestissima offendant? Demus igitur alienis oblectationibus veniam, ut nostris impetremus.

DE SANCTI DAMASI PAPÆ OPUSCULIS ET GESTIS.

CAPUT PRIMUM.

Proœmium ad preces Faustini et Marcellini, falsi arguitur, et Damasus vindicatur. V. Quo loco ac pretio sub Liberio reduce ad suam sedem deinceps fuerit.

I. S. *Damasi genus, et patria. Lector a puero in basilica S. Laurentii.* II. *Diaconus Liberium in exsilium euntem sequitur, et quem usque ad locum? Cur deinde ad Urbem revertitur, et an Felicis eligendi auctor clero fuerit.* III. *Presbyter ordinatus, an a Liberio, an potius a Felice ; Baronii sententia.* IV.

I. Damasus natione Hispanus dicitur ab Anastasio : Hispanum vero præcise eum vocat Baronius, Franciscus Pagius, Ciacconius, aliique multi, qui etiam de eo Hispaniæ loco certant, cui sit adscribendus. Hos

fuse recenset Jo. Tamajus Salazar in Martyrologio Hispano ad diem 11 Decembris.

His, si in Hispania natum Damasum affirment, repugnat Tillemontius, ac dubitare posse censet, Damasum, ejusque sororem Irenem, Romæ natam. Nec fortasse immerito. Pater enim in S. Laurentii basilica primo *exceptor*, tum lector fuit, qui sunt primi puerorum in Ecclesia gradus. A teneris igitur annis Damasi pater sacræ militiæ tirocinium in ea basilica posuisse videtur. Præterea ipse etiam Damasus ejusdem basilicæ, a puerili ætate tum *lector* fuit, tum in cæteris omnibus sacris ordinibus meruit. Nam, ut Eghinactus ait (*a*), *Cum ætate puerili sub magistro ministraret, et ad magnum cresceret rerum culmen, tunc Romana* LECTOR *in ecclesia*, Acta sanctorum martyrum Petri et Marcellini ex ore Dorothei percussoris excepit, collegitque, ac ad posteros transmisit. Pueros autem ad gradum lectoris assumi solitos tum ex Siricii et Innocentii epistolis, tum ex variis a Thomassino (*b*) et Bonarrotio (*c*) allatis exemplis constat. Agebat itaque Damasus tunc temporis annum saltem decimum tertium, quia vero fere octogenarius obiit, anno 384, in lucem profecto prodiit circa annum 304, ac Romam cum patre ac matre venisse debuit quadriennis, aut quinquennis infans. Fac igitur ea illum ætate tanto ferendo itineri idoneum, an vero Antonius pater, novus prorsus ignotusque homo, nomen Ecclesiæ dedisse potuit, statim ac Romam venit, ac notarius statim, lectorque ejus basilicæ creatus est? Id erat profecto ab eorum temporum disciplina alienum : nam primo baptizari ac deinde aliquo temporis intervallo probari debuit, an dignus esset, qui clero adscriberetur. Postremo in minorum ordinum exercendis officiis, aut novennium, aut septennium saltem insumere debuit ; quo elapso tempore, si quis sese idoneum probaverat, ad altiores gradus evehi poterat (*d*). Huic autem novennio, aut septennio, quod Antonius in minoribus ordinibus exercendis transegisse debuit, si alios annos quinque aut sex addas, quos filium natum esse oportuit ante Romanum iter, ac priusquam pater clero adscriberetur, jam accedes ad ætatem illam, in qua Damasus positus erat, cum acta SS. martyrum audiit, et memoriæ mandata descripsit. At vero tunc temporis jam lector fuisse videtur. An itaque in inferioribus ordinibus positi, pater et filius, uno fere eodemque tempore, atque eadem in ecclesia? Hoc alii judicent. Non diffiteor legi in Vita S. Damasi ex ms. cod. Vaticanæ basilicæ, a Sarazanio edita, ut S. martyrem Laurentium, A sic Damasum ipsum gente Hispanum fuisse, quos ideo *una genitos patria, una promotos Ecclesia, una in terris basilica cultos, unoque in cœlis Deo coronatos ait*. Dubitari enim vehementer potest, an ipse etiam Laurentius Romæ ortus sit. Nam in veteri Sacramentario, quod Cl. Joseph Blanchinius edidit, atque auctorem habere censuit S. Leonem Magnum, Romanus *nascendo civis* dicitur (*e*).

II. Post lectoris itaque officium, Damasum ad diaconi gradum evectum scimus; an vero a Julio, an a Liberio, incertum. Si tamen cum Liberius electus est, agebat Damasus annum 48, vix inducor, ut credam ejus ordinationem, ultra præstitutum a Canonibus spatium tam diu dilatam. Videtur itaque verosimilius gradum hunc sub Julio consecutum, B actisque sub eodem pontifice magnis rebus interfuisse. Id, ut ego facilius credam, facit præterea familiaritas illa, qua Damasum cum Athanasio junctum fuisse colligo ex ejus Epistola ad Afros, et ex Basilii ad Athanasium ipsum litteris; quæ tunc cœpisse debuit, cum Alexandrinus præsul Romæ sub Julio moram traheret, ac sacris ecclesiasticis ejus urbis conventibus interesset, qua etiam inter cæteras causa se detineri aiebat Liberius, quominus in ejus damnationem deinde subscriberet (*f*). Quo vero loco apud Liberium Damasus interea fuerit, hinc conjicere possumus, quod eum in exsilium abeuntem secutus fuerit, atque hac de causa factum puto, ut *Liberii diaconus* aliquando dictus sit, quia nempe pontifex ille ejus potissimum opera, et ministerio uteretur, ac C denique inter eos esset, qui uni papæ adstabant, palatini diaconi posterioribus sæculis dicti (*g*); sed Luciferiani, et schismatici scriptoris verba hoc loco afferenda a me sunt, ut impositam hac occasione Damaso ambitus et perjurii calumniam amoveam. Agit itaque auctor præfationis ad Marcellini et Faustini preces, quisquis ille sit, de persecutione, qua Liberius, Eusebius Vercellensis, Lucifer Calaritanus, et Hilarius Pictaviensis, exsulare coacti sunt, atque hæc ait : *Hi ergo mittuntur in exsilium pro fide servanda. Cum Liberio Damasus, diaconus ejus, se simulat proficisci : unde fugiens de itinere, Romam rediit ambitione corruptus. Sed eo die, quo Liberius ad exsilium proficiscebatur, clerus omnis, id est presbyteri, et archidiaconus Felix, et ipse Damasus diaconus, et cuncta* D *Ecclesiæ officia, omnes pariter, præsente populo Romano, sub jurejurando firmaverunt, se, vivente Liberio, pontificem alterum nullatenus habituros* (*h*). Duo itaque statuit, ut vides, hic auctor, quæ sese mutuo destruunt : primo Damasum, deserto episcopo suo in

(*a*) Act. SS. Petri et Marcellini, Junii tom. I, pag. 176.

(*b*) De Veter. disc., p. 1, l. II, c. 67.

(*c*) Observ. ad fragm. Vit., pag. 115.

(*d*) Vid. Siric. epist. ad Himer., num. 14; Innocent. epist. ad Felic. Nuc., cap. 5; Zosim. epist. ad Hesich. Salonit., cap. 5.

(*e*) In Prol. ad Anast., tom. IV, pag. 38 : *Quamquam enim sanctorum tuorum, propagante te, Domine, toto orbe clara sit gloria, de beati tamen solemnitate Laurentii, peculiaris præ cæteris Roma lætatur, cujus* NASCENDO CIVIS, *sacer minister, et dedicatum numini tuo munus est proprium.*

(*f*) Ἤ τίς ἡμᾶς ἀποδίξηται, εἰ ὃν παρόντα ἠγαπήσαμεν, καὶ εἴχομεν τὴν κοινωνίαν, τοῦτον ἐὰν ἀποστρέφωμεν ἀπόντα. Athan., Hist. Arian. ad Monach., num. 57.

(*g*) Vid. Mabill. comm. ad Ord. Rom., cap. 3, ac Bencini notas ad Evaristi Vitam.

(*h*) Apud Sirmond. Venet. edit., tom. I, p. 138.

itinere posito, Romam clam rediisse, ambitione corruptum, qua nempe summum pontificatum animo conceperat; secundo *ea die*, qua Liberius in exsilium proficiscebatur, clericos omnes jurasse, se nullatenus habituros alium pontificem, vivente Liberio ipso, eidem juramento jurando Damasum quoque adfuisse. At si hoc ille juramento spem sibi omnem præciderat, qui fieri potest, ut una tantum ambitione corruptus episcopum suum deseruerit, et ad Urbem reversus sit? Constat itaque Damasum episcopo suo in exsilium abeunti bono sinceroque animo socium se dedisse; at incertum est, quem usque ad locum comitatus illum fuerit, et quare ad Urbem reversus deinde sit. Onuphrius Panvinius illum Mediolanum usque deduci, ac ex ea urbe a Liberio benevole dimissum scribit in Ecclesiastica ms. historia, ex qua Schelstratius (*a*) hæc recitat: *Eum in certum exsilium abeuntem Damasus diaconus, qui postea episcopus Romanus fuit, Mediolanum usque comitatus est; quem ubi relegatum in Thraciam vidit, Romam rediens, cum nulla ejus restitutionis spes esse videretur, auctor clero fuisse dicitur, ut alium pontificem in Liberii locum eligerent;* quod tamen nonnulli intelligunt, ac si Damasus hujus consilii clero dandi ex ipso Liberii mandato auctor fuerit (*b*). Alii vero Berœam usque, illum Liberio socium fuisse scribunt. At cum omnes veterum testimoniis solidaque aliqua conjectura destituantur, hac de re nihil a me statuendum puto. Hoc tamen ego non concedam, Damasum, cum rediit, auctorem clero fuisse, ut alter in absentis episcopi locum eligeretur, cum mihi præ omnibus potior sit auctoritas Athanasii scribentis (*c*): *Constantium Epicteto ministro usum, adornato in Ecclesiæ locum palatio, cum tres castratos populorum vice sibi adesse jussisset, demum tres improbos catascopos, haud enim episcopi nominandi, adegisse, ut Felicem quemdam, ipsorum moribus dignum hominem, episcopum ordinarent.* Unus itaque Constantius imperator, unus Epictetus, et, ut Hieronymus (*d*) ait, Acacius Cæsareæ, hujus tunc illegitimæ atque adulterinæ electionis auctor, ac nullæ in ea aut suadenda, aut paranda, Damasi et cleri Romani partes fuerunt. Quamobrem si quid a Liberio Damaso ipsi mandatum est, si quid egit ille pro Felice, illud est dumtaxat, ut curaverit eum recipi loco Vicarii ab eodem Liberio constituti, ex recepta persecutionum tempore disciplina, ut Papebrochio placet: Liberium namque Pontificiam semper retinuisse potestatem vix ullus negaverit, qui epistolas in exsilio, ac quo imprimis tempore frangi ac cedere visus est, ab eo scriptas legat, quas huc afferre supervacaneum puto.

III. Damasus itaque medio interea tempore ad presbyteri gradum evectus dicitur, an vero a Felice, ut Baronius censet (*e*), an, ut aliis videtur, a Liberio reduce, minime constat. Una tantum conjectura est, quæ Baronii opinionem præ altera mihi potiorem efficit. Siquidem eum presbyterum fuisse legimus, cum Liberius, ut iræ Constantii se subduceret, in cœmeterio Ostriano latitare coactus est; atque ideo non omnino verosimile videatur, intermedio hoc tempore, turbulento prorsus, molestisque gravissimis impedito, quod a Liberii reditu ad ejus iteratum secessum interjacet, ordinari illum potuisse. Fieri itaque facile potest, ut inter eos, quos a Felice promotos Liberius, restituta jam tranquillitate, *in propriis locis reliquit*, ille fuerit.

IV. Quod vero ad perjurii calumniam attinet, clerum Romanum fidem Liberio in exsilium abeunti suam jurejurando obligasse probat etiam Hieronymus hæc in Chronico scribens: *Liberio in exsilio ob fidem truso, omnes clerici juraverunt, ut nullum alium susciperent:* quæ fere verba Prosper exscribit. At cum altum apud illos de Damaso silentium sit, valde admodum dubito, ne schismaticus auctor istud quoque ad alia quæ de eo mentitur, adjecerit; atque hoc ut ego facilius credam, facit Ammiani Marcellini testimonium aperte asserentis, *Liberium ægre, populi metu, qui ejus amore flagrabat, cum magna difficultate, noctis medio asportari potuisse* (*f*). Nam si Liberius clam, *ac noctis medio* cum magna difficultate ob populi metum in exsilium raptus est, qui fieri potuit, ut juratum fuerit *eo die, quo ille in exsilium proficiscebatur?* alio itaque die, quam quo scribitur, juratum fuerit oportet, atque, ut Hieronymus ait, *Liberio in exsilium jam truso:* quod si verum sit, Damasus eidem abeunti comes adjunctus jurejurando adesse non potuit; frustraque Tillemontius medicam huic loco manum adhibet (*g*).

Fac tamen præstitum a Damaso juramentum illud, nihil hoc obstare potuit, quominus Felici Romanus clerus deinde accederet, ejusque consilii tunc Damasus auctor fuerit. Id vero factum arbitramur, nisi nos his in rebus circumfusa caligo fallit, anno 358 nondum adulto, ac postquam Liberius exsilio frangi, et ad Arianorum partes atque hæresim transire visus est; ac demum *postquam Ariani episcopi Sirmii constituti* litteras scripserunt Felici, et clero ejusdem Ecclesiæ ut Liberium ipsum reciperent, atque ambo pariter apostolicam sedem administrarent (*h*). Tunc enim idem clerus certior factus de iis, quæ Liberius animo præconceperat, ac palam etiam fecerat, auctaque deinde et confirmata calumnia Liberianæ hæreseos, ab eo forte recessit, ac sub capite illo esse se diutius non posse censuit, quod ad Catholicæ Ecclesiæ corpus pertinere non videbatur; hinc postquam ille ad Urbem reversus est, clerus ipse cum primis ægre a Felice divelli potuit, qui *quantum ad religionem* spectat, omni prorsus reprehensione ca-

(*a*) Antiq. Eccles., dissert. 2, cap. 9.
(*b*) Vid. Papebr. Con. Hist., dissert. 9, num. 6.
(*c*) Epist. ad Solit., num. 75.
(*d*) De S. E., cap. 98.
(*e*) Ann. 359, n. 46.
(*f*) Lib. XV, cap. 7.
(*g*) De Arian., art. 20, p. 386.
(*h*) Sozom., lib. IV, cap. 15.

rebat (*a*), ac res eo venit, ut seditio aliqua clerum A inter, ac populum, et proceres, aliis Felici, aliis Liberio adhærentibus, orta fuerit (*b*).

Dixi calumniam Liberianæ hæreseos, cum primæ tantum Sirmiensi formulæ subscripserit, quod salva fidei integritate fieri potuisse doctiores plerique censent. Nam qui illum secundæ Sirmiensi formulæ, sive Arianæ perfidiæ subscripsisse putant, manifeste falluntur, sive Catholici, quamquam oppido pauci, sive ii a nobis alieni sint; quorum numerum potius quam vires nuper auxit anonymus ille, qui pudorem cum cucullo exuit, historiamque summorum pontificum infeliciter consarcinatam, ac tribus voluminibus recenter impressam, Amstelodamensium typis edidit. At ne lectorem plus æquo detineam, consulat is, si voluerit, peculiarem de Gestis Liberii exsulis B Diatribam, in qua de iis omnibus, quæ huc pertinent, actum a nobis est.

Cum vero idem Liberius statim ac rediit, omnem de se suspicionem sustulisset, cum denique Felix amore pacis, ac ne diutius sui causa Ecclesia turbaretur, pontificatu interea cessisse videri posset (*c*), Damasus cum reliquo clero ad illum, a quo bona fide discesserat, bona quoque fide rediisse potuit, ut etiam fecit citra aliquam pristinæ existimationis, et gratiæ jacturam; siquidem constans traditio est, monumentis etiam confirmata, fuisse illum vicarium a Liberio Ecclesiæ Romanæ datum, cum ille post abrogatum Ariminense concilium, iterum secessit ab Urbe, seque in cœmeteriorum latebras recepit, ut Arianorum furorem declinaret; qua de re vide, si C lubet, Baronium, ac Gesta Liberii exsulis, cap. ultim.

V. Quid præterea Damasus sub Liberio tum diaconus, tum vicarius egerit, incompertum est. In ejus ex Archivo Vaticanæ Ecclesiæ mss. actis scribitur, illius potissimum opera effectum, *ut omnes episcopi, quos imperitia, aut metus in Ariminensi concilio fecerat deviare, ad fidem catholicam remearent; atque eos ipsum, favente sibi Hilario Pictaviensi, contra sententiam Luciferi, qui se diviserat, in communionem et consortium recipi consuluisse.* Quidquid horum sit, ego minime dubito, quin ad Ecclesiastica quæque graviora negotia adhibitus fuerit. Nam si quis epistolas, quæ ante exsilium, et quæ post exsilium a Liberio scriptæ sunt, attente legat, ac deinde eas conferat cum illis, quæ exsilii tempore ab eo D pontifice exaratæ supersunt, facile cognoscet, quanto aliæ ab aliis differant. Priorum namque magna in sententiis vis est, et gravitas, nitidus præterea fluensque stylus, ac Damasiano similis: posteriorum vero inconcinna, et salebrosa prorsus oratio; cujus equidem rei unam hanc rationem fuisse puto, quod Damasum, cujus opera tum ante, tum post exsilium usus fuisse videtur, tunc præsto non habuerit, cum in exsilio scriberet.

(*a*) Sozom., lib. IV, cap. 13.
(*b*) Vid. Diatr. de Gest. Liber. exsul., cap. 9.
(*c*) Philostorg. lib. IV, num. 3, εἰς ἑαυτὸν ἀπῆει.

CAPUT II.

366, Damasi 1, Gratiano et Dagalaipo conss.
367, Damasi 2, Lupicino et Jovino conss.

I. *Damasus eligitur Romanus pontifex: at Ursicinus Antipapa a factiosis obtruditur.* II. *Coævi scriptores conferuntur, expenduntur, ac vera rerum gestarum series inde colligitur, et exponitur: recens anonymus Vitarum Romanorum pontificum Amstelodami editarum scriptor refellitur.* III. *Proœmium ad Preces Faustini et Marcellini iterum mendax.* IV. *Ursicinus exsulat, restituitur, ac rursus truditur, et quam obcausam?* V. *Baluzius rejicitur.*

I. Liberio die 24 Septembris humanis rebus erepto, Damasus eligitur Romanus pontifex, ac die prima B Octobris, quæ, ut Blanchinus et Pagius observant, dominica fuit, consecratur: cujus tamen loco paulo post a factiosis aliquot Ursicinus, sive Ursinus Romanæ Ecclesiæ diaconus intrusus est. Rem narrat Hieronymus in Chronico, Rufinus (*d*), Ammianus Marcellinus (*e*), ac Schismaticus ille, qui præfationem scripsit ad Preces Marcellini et Faustini a (*f*) Sirmondo editas. Quia vero non omnia omnes persequuntur diligenter, ac in aperta luce collocant, eorum verba referre operæ pretium duxi, ut tota rei series uno oculorum obtutu comprehendi possit.

II. Hieronymus itaque, qui forte præsens tunc Romæ fuerat, hæc scribit: *Damasus trigesimus quintus Romanæ Ecclesiæ ordinatur episcopus. Post non multum temporis spatium Ursinus a quibusdam episcopus constitutus, Sicininum cum suis invadit: quo Damasianæ partis populo confluente, crudelissimæ interfectiones diversi sexus perpetratæ.* C

Rufinus alia addit, quæ a Hieronymo omissa sunt, ac sic ait: *Damasus post Liberium, per successionem sacerdotium in Urbe Roma susceperat, quem prælatum sibi non ferens Ursinus quidam ejusdem Ecclesiæ diaconus, in tantum furoris erupit, ut persuaso quodam imperito, et agresti episcopo, collecta turbulentorum et seditiosorum hominum manu, in basilica, quæ Sicinni appellatur, episcopum se fieri extorqueret, legibus, et ordine, et traditione perversis: quo ex facto tanta seditio, imo vero tanta bella coorta sunt, alterutrum defendentibus populis, ut replerentur humano sanguine orationum loca, quæ res factione Maximini præfecti, sævi hominis, ad invidiam boni et innocentis versa est sacerdotis, ita ut causa clericorum usque ad tormenta duceretur. Sed assertor innocentiæ Deus adfuit, et in caput eorum, qui intenderant dolum, pœna conversa est.* At Rufinus hoc loco plura complectitur, quæ alio tempore contigerunt. Ut dicam nunc quod ex utroque constat, illud est, Damasi electionem jure potiorem esse, cum tempore prior sit: *cum post primum, secundus esse non possit, ac quisquis post unum qui solus esse debeat,*

(*d*) Hist. lib. II, cap. 20.
(*e*) Lib. XXVII, cap 3.
(*f*) Tom. III, pag. 138.

factus est, non jam secundus ille, sed nullus est (*a*). In cæteris, si alter cum altero conferatur, videtur Rufinus scribere, Ursinum in Siciniana basilica episcopum a factiosis constitutum, eoque ex facto ortam seditionem, ac interfectiones. Hieronymus autem, cui Ammianus consentit, Ursinum, episcopum jam constitutum, priusquam Sicininum invaderet : ab eoque cum Damasianos ad eam basilicam confluentes arcere vellet, cædes perpetratas esse.

Nunc audiendus est Ammianus Marcellinus, ethnicus scriptor (*b*) : *Damasus*, ait, *et Ursinus supra hominum modum ad rapiendam Episcopatus sedem ardentes, scissis studiis conflictabantur, ad usque mortis vulnerumque discrimina adjumentis utriusque progressis, quæ nec corrigere sufficiens Juventius, nec mollire, vi magna coactus secessit in suburbanum : et in concertatione superaverat Damasus, parte, quæ ei favebat instante ; constatque in basilica Sicinini, ubi ritus Christiani est conventiculum, uno die centum triginta septem reperta cadavera peremptorum, efferatamque tandem diu plebem, ægre postea delinitam.* Ammianus itaque minime attigit, quis auctor seditionis fuerit, quique ex iis prior sedis occupandæ cupidus, alterius electionem turbaverit. Nihil præterea de auctore cædis in Siciniana basilica perpetratæ ; quamobrem nihil ex hoc loco colligi potest, quod Hieronymi ac Rufini testimonium infirmet, quidquid Gallico litterarum D. Ambrosii interpreti visum fuerit, Ammianum sic intelligenti, ut earum turbarum Damasum reum fecerit (*c*).

Anonymus Historiæ summorum pontificum scriptor, cujus superiori capite inscitia et mala fides notata est, tum hoc, tum alio celebri Marcellini testimonio, a Baronio (*d*) etiam producto utitur, ut Damaso fastum deliciasque exprobret (*e*). Dignitas profecto, ac splendor, quo Deus Romanam Ecclesiam auxit, ethnicorum perpetuo et invidorum oculos perstrinxit, quos inter quin tu recenseari, doleasque, nullus dubito. At meliorem a te fidem, aut rationis vim postulo, cum hæc ais : « An vero quia Romanæ Ecclesiæ proventuum affatim fuerat, Damasus luxui, deliciisque deditus ? An iis uti non potuit pauperibus alendis, hospitio excipiendis episcopis, templorum nitori, et cultui procurando, ac religioni christianæ promovendæ, ut constans Romanorum pontificum consuetudo fuit (*f*) ? » Quod si quis aliquando, sequioribus præsertim sæculis, meliora decessorum exempla minime secutus est, his addere Prætextatum tuum profecto posses. Hic enim si Romanæ Ecclesiæ pontifex fuisset factus, minime dubito, quin ea summa quam ambiebat dignitate, divitiarumque copia, ad luxum superbiamque abusus esset. Cæterum, quæ nunc etiam sit in fastigio tanto regioque patrimonio Romanorum pontificum integritas morum, vitæque modestia, ut eos tantum, quos ego cognovi, veneratusque sum, commemorem, argumento tibi apertissimo esse possunt, Clemens XI et XII, Innocentius XIII, ac Benedicti duo XIII et XIV, quem diu nobis servatum cupimus. Quin in Romano clero luxus, et deliciæ esse potuerint, non ego tecum contendam; illud tamen monebo te, ut cum in ea re probanda Hieronymum et Nazianzenum testes adhibes, videas quomodo fidem tuam liberes, quove jure iis auctoribus uti possis ut Florido et Bailleto, qui illud Marcellini testimonium parvi faciunt, confidentia tanta insultes.

III. Sed ut ego revertar, unde discessi ; reliquum est, ut præfationem ad Preces Faustini et Marcellini huc afferam, cujus scriptor rebus, quæ tunc agebantur, adfuisse videtur. Primo itaque recitat factionis causas, aitque Ursinianos eos ipsos esse præclaros viros, qui integram Liberio fidem servaverant. Damasum vero elegisse perjuros illos, qui Felici primum, eoque fatis functo, aut abdicante pontificatum, iterum Liberio paruerant : quibus ad contumaciam cohonestandam præmissis, tum hæc ait ; « Item octavo kalendas Octobris, Gratiano et Dagalaifo conss., Liberius humanis rebus eximitur. Tunc presbyteri et diaconus Ursinus, Amantius, et Lupus, cum plebe sancta, quæ Liberio fidem servaverant in exsilio constituto, cœperunt in basilica Julii procedere, et sibi Ursinum diaconum (*g*) in locum Liberii ordinari deposcunt. Perjuri vero in Lucinis Damasum sibi episcopum in locum Felicis expostulant : Ursinum Paulus (*h*) Tiburtinus benedicit. Quod ubi Damasus, qui semper episcopatum ambierat, comperit, omnes quadrigarios et imperitam multitudinem pretio concitat, et armatus fustibus ad basilicam Julii perrumpit, et magna cæde fidelium per triduum debacchatus est. Post dies septem cum omnibus perjuriis et arenariis, quos ingenti corrupit pretio, Lateranensem basilicam tenuit, et ibi ordinatus episcopus, et redimens judicem urbis Viventium, et præfectum annonæ Julianum, id egit ut Ursinus vir venerabilis, qui prius fuerat pontifex ordinatus, cum Amantio et Lupo diaconibus, in exsi-

(*a*) Cypr. Epist. 52, Veron. edit.

(*b*) Ethnicum eum facimus cum Hadriano Valesio, Jo. Alberto Fabricio et melioris notæ criticis.

(*c*) Adnot. ad Epist. 11.

(*d*) Ann. 367.

(*e*) On ne saurait douter que Damase lui-même ne fût adonné au luxe et aux douceurs d'une vie molle, puisque Prétextat, qui fut depuis préfet de Rome, lui disait par plaisanterie : « Faites-moi évêque de Rome, et d'abord je serai chrétien; » ce qu'un seigneur de cette considération n'eût pas dit, si la conduite de Damase eût été un peu plus apostolique.

(*f*) Vid. Euseb. H. E., lib. IV, cap. 23 ; lib. VII, cap. 5.

(*g*) Unde igitur scriptor, qui litteras D. Ambrosii in Gallicum sermonem vertit, acceperit Ursinum, basilicæ Julii constitutum a Liberio presbyterum, ille videat.

(*h*) Athanasius, Apol. contr. Arian. num. 58 et in Epist. ad Solit. num. 26, libellum, quo Ursacius et Valens, a Julio veniam deprecari coacti sunt, sibi transmissum scribit a Paulino τεθέρων episcopo, Nannius *Tiburensem* vertit, ac BB. *Tiburtinum* intelligunt, veluti Romæ proximum ; forte itaque is ille est, qui Ursicinum ordinasse dicitur.

lium mitteretur. Quod ubi factum est, cœpit Damasus Romanam plebem, quæ se nolebat, procædere fustibus, et cæde varia perurgere. Presbyteros quoque numero septem detentos per officium nititur ab Urbe propellere, sed plebs fidelis occurrens eosdem presbyteros eruit, et ad basilicam Liberii sine mora perduxit. Tunc Damasus cum perfidis invitat arenarios, quadrigarios, et fossores, omnemque clerum cum securibus, gladiis, et fustibus, et obsedit basilicam hora diei secunda, septimo kalendarum Novembrium die, Gratiano et Dagalaifo conss., et grave prælium concitavit : nam effractis foribus, igneque supposito, aditum, unde irrumperet, exquirebat ; nonnulli quoque de familiaribus ejus tectum basilicæ destruentes, tegulis fidelem populum perimebant. Tunc universi Damasiani irruentes in basilicam centum sexaginta de plebe occiderunt : vulneraverunt etiam quamplurimos, ex quibus multi defuncti sunt : de parte vero Damasi nullus est mortuus. Post tres autem dies, sancta plebs in unum conveniens cœpit adversus eum Domini mandata recitare, dicentes : *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam vero non possunt occidere :* psallebat etiam in laudibus, et dicebat : *Posuerunt mortalia servorum tuorum escas volatilibus cœli, carnes sanctorum tuorum bestiis terræ ; effuderunt sanguinem eorum, veluti aquam in circuitu Hierusalem, et non erat qui sepeliret.* Sæpe itaque eadem plebs adunata in basilica Liberii clamabat dicens : « Christiane imperator, nihil te latet. Omnes episcopi Romam veniant, agatur causa : quintum jam bellum Damasus fecit : a sede Petri homicidas foras. » Dei autem populus episcopos convenire multis precibus exorabat, ut memoratum, tanta impietate maculatum, sententia justa propellerent : quem in tantum matronæ diligebant, ut matronarum auriscalpius diceretur. Voces ergo plebis ad Valentinianum sunt delatæ principem ; qui reditum concessit exsulibus. Tunc Ursinus cum Amantio et Lupo diaconibus XVII kal. Octobrium, Lupicino et Jovino conss., ad Urbem rediit, cui plebs sancta gratanter occurrit. Sed Damasus tantorum sibi conscius scelerum, non mediocri timore concussus, redemit omne palatium, ne facta sua principi panderentur. Imperator nesciens quid Damasus perpetrasset, edictum prorogat, ut Ursino exsilio relegato, nulla ulterius populos contentio nefanda collideret. Tunc Ursinus, vir sanctus et sine crimine, consulens plebi tradidit se manibus iniquorum, et XVI kalendas Decembris jussione imperatoris ad exsilium sponte properavit. Sed populus timens Deum, nullisque persecutionibus fatigatus, non imperatorem, non judicem, nec ipsum auctorem scelerum, et homicidam Damasum timuit, sed per cœmeteria martyrum stationes sine clericis celebrabat : unde cum ad sanctam Agnetem multi fidelium convenissent, armatus cum satellitibus suis Damasus irruit, et plurimos vastationis suæ strage disjecit : quod factum crudelissimum nimis episcopis Italiæ displicebat, quos etiam cum ad natale suum solemniter invitasset, et nonnulli convenissent ex eis, precibus apud eos molitur, et pretio, ut sententiam in sanctum Ursinum proferant. Qui responderunt : « Nos ad natale convenimus, non ut inauditum damnemus. » Ita prava ejus intentio corruit, quo nitebatur, effectu : exinde presbyteri diversis modis afflicti per exsilia et peregrina loca dispersi sunt : ex quibus Marcellinus, et Faustinus, preces Valentiniano, Theodosio et Arcadio obtulerunt. » Hucusque præfatio schismatici scriptoris, quæ tametsi mendaciis scateat, aliqua tamen continet, quæ veritati cognoscendæ facem præstant.

Primo itaque, cum *Liberianam basilicam* audis, ejus etiam antiquitatem intelligis. Nam etsi ea vox præstitutum profanis etiam conventibus locum exprimat, cum tamen idem scriptor, eam undique *occlusam*, atque ideo a Damasianis *obsessam*, cum præterea *fractas fores*, cum *tectum destructum* asserat, facile etiam tibi fingis locum sacris agendis synaxibus attributum, et instructum, ac populi Christiani confluxu celebrem ut cæteros urbis titulos.

Vides secundo anonymum hunc auctorem, quamquam Ursinum prius ordinatum scribat, minime tamen exprimere, utra electio prior fuerit. An vero hoc ille tacuisset, si, ut ordinatione, ita etiam electione Damasum præoccupasset ? Verissimum itaque est, quod Hieronymus et Rufinus aiunt, illum scilicet ambitione percitum cathedram contra cathedram ponere aggressum.

Vides tertio, eumdem electum, ac deinde consecratum nulla interposita mora. At ex hoc ipso, tum electionis, et ordinationis vitium magis aperte constat, tum major Ursini ambitio elucet. Dies enim legitimæ ordinationis cadebat in primum Octobris, quæ dominica erat (*a*) ; quam tamen factiosus ille diaconus prævertere ausus est. Contra vero Damasi erga sacros canones reverentia sese commendat, qui post septem ab electione dies ordinatus est, neque clam, aut per agrestem aliquem episcopum, ut alter, sed in Lateranensi basilica pro recepto more, ubi animadvertimus anonymi transfugæ oscitantiam, qui scribit Damasum in Lucinis electum ac consecratum.

Observare quarto potes, inter sectatores Ursini septem tantum numerari presbyteros, ac tres diaconos. Atqui ex Cornelio scimus, atque ex Optato (*b*), quadraginta exstitisse titulos, sive Ecclesias, cum Victor Garbiensis Romam pro Donatistis accessit. Eorum deinde numerus auctus fuerat sub Romanis episcopis Cornelii successoribus ; nam vix annis quinquaginta a Damasi electione elapsis, septuaginta recensentur presbyteri, qui Eulalio rejecto, uni Bonifacio suffragati fuerant (*c*). Quid sunt igitur decem insana cleri capita, quæ pro Ursino steterant, habita ratione sacrorum omnium ministrorum, qui tot

(*a*) Pag. ad ann. 367.
(*b*) Epist. 9 ad Fabium, num. 3, apud Constant. Optat. lib. II, num. 4.
(*c*) Baron., ann. 419.

in Ecclesiis necessarii erant, ac pro Damaso suffragium tulerant?

Nunc ut ad institutum redeat sermo, ob schismatis hujus causam interfectiones tertio iteratas memorat hoc scriptum. Primo in basilica Julii, atque hæc prior intra ipsos septem electionis et consecrationis dies perpetrata est. Quæritur quænam sit Julii basilica, in qua Ursinus tumultuarie electus et consecratus est, ac cædes deinde facta. Sunt qui illam collocant in Patriarchio Lateranensi, atque afferunt aliquot ex Anastasio locos, quibus id adstrui putant. Me tamen dubium tenet Liberiani Catalogi auctoritas, in quo habes Julium quinque exstruxisse basilicas, tres nempe extra urbem, intra urbem duas, quarum alteram Juliam simpliciter nuncupat, et *in* VII *regione* collocat, juxta Trajani forum, alteram vero *in regione* XIV, trans Tiberim, juxta *Callistum*. Quod etiam legitur in breviario Liberianæ basilicæ. At neque Lateranense patriarchium in regione VII, neque juxta Trajani forum: quamobrem hæc Julii basilica alibi quærenda est; quamquam facilius sit in tanta rerum ac temporum obscuritate ubi non fuerit, quam ubi posita fuerit ostendere. Minime tamen negaverim, quia Lateranensis patriarchii pars aliqua fuerit, quæ *Julia* appellaretur. At incertum est, an hæc a Julio, an a Julia nomen traxerit, cum lectio varia sit, et modo Julii, frequentius etiam *Juliæ* scriptum viderim. Hanc vero lectionem veriorem esse probat, ni fallor, Anastasius ipse in Sergio primo, cum eam Lateranensis patriarchii partem, *basilicam domus Juliæ* nuncupat. Hinc enim, aut ab aliqua illustri hujus nominis femina, aut a Julia familia, potius quam a Julio pontifice sic dictam crediderim. Ex Capitolino enim discimus, M. Aurelium natum in Cœlio monte, educatumque fuisse *in domo avi sui Veri juxta ædes Laterani*; fieri itaque potest, ut ad Juliam Nervæ filiam, quæ, ut Harduino (*a*) placuit, *Vero* nupsit, pertineret antea, aut etiam ab illa exstructa esset, deinde vero post alios imperatores, ad Juliam Flaviam Constantini filiam pervenerit ac Lateranensibus ædibus tunc conjuncta, hoc nomen retinuerit; cæterum cum res conjecturis, iisque incertis agatur, sua cuique opinio pro lege sit.

Altera deinde cædes, eaque gravior non diu post primam in Liberiana basilica contigit. Ursino enim in exsilium pulso, quominus tranquillitas et quies integra restitueretur, obstabant nonnulli ex ejus partibus atque ex ipso clero; quos forte jurgia fovere, ac contentionis lunem ducere intererat. Cum igitur illi quoque die 24 Octobris jussu præfecti Urbis Juventii in exsilium ducerentur, populus cui præerant, eos vi rapuit ex militum manibus, duxitque ad Liberianam basilicam, quæ factiosorum concurrentium hinc inde atque irrumpentium sanguine fœdata est. Hujus in Liberiana basilica cædis, nulla apud Ammianum, Rufinum ac Hieronymum mentio, apud Schismaticum contra nulla, alterius quam illi in Siciniana perpetratam scribunt; quamobrem viri nonnulli docti hinc colligunt, Sicinianam ac Liberianam unam eamdemque esse basilicam, secus ac alii censent, qui Sicinianam intra septa monasterii S. Antonii statuunt. At aliam esse cædem, quæ in Siciniana, aliam quæ in Liberiana basilica perpetrata est, facile intelliget, qui adverterit aliam Ursino præsente et agmen factiosorum ducente, ut Rufinus et Hieronymus scribunt, aliam vero Ursino jam absente, et in exsilium truso, contigisse. Quamobrem si de duplici, eaque diversa cæde agitur, nihil impedit quominus aliam in Siciniana, aliam vero in Liberiana proxima basilica perpetratam dicamus.

Tertia denique illa est, quam fieri contigit ad sanctæ Agnetis extra muros, quo schismaticis conveniendi mos fuerat. At hæc ad annum sequentem pertinet, atque illa ipsa est, cujus cognitionem a Maximino annonæ præfecto institutam Rufinus ait. Harum vero interfectionum, ac cædium, nuperus Romanorum pontificum historiæ consarcinator, Damasum reum agit, una tantum Faustini ac Marcellini auctoritate innixus, quam tanti facit, ut allatis omnibus pro Damaso testimoniis præferat. At quid exspectes ab illo hominum genere, quibus præ veritate, calumnia potior esse solet et debet?

IV. Nunc ut res concludamus quæ anno 366 et 367 gestæ sunt, et ad Ursinianum schisma attinent: ex his constat Ursinum schisma conflasse: tum deinde velut ejus cædiumque inde consecutarum auctorem, causa prius cognita, ac præsentibus et *instantibus* partibus concertata, ut Ammianus verbis illis a Foro deductis indicat, cum sociis aliquot presbyteris et diaconibus, in exsilio pulsum a Juventio P. U., quem *virum integrum et prudentem* cum idem Ammianus vocet, schismaticus hic falsusque scriptor auro Damasi frustra corruptum blaterat.

Ursino itaque cum sociis ab Urbe ejecto, schisma ab eo conflatum, exstinctum videri poterat, atque ob eam forte causam Prosper in Chronico a Canisio edito (*b*) *mensibus sex* duravisse scripsit. At cum abiisset a præfectura Juventius circa Maium ani Junium anni 367, eique subrogatus esset Prætextatus, ut liquet ex lege Cod. Theod. *de Ingrat. Liber.*, data XIV kalend. Septembris, atque hic magistratum suum optime, ut sibi videbatur, auspicaturus, Ursinum ejusque socios exsilio solvi et Urbi restitui a Valentiniano obtinuisset, factiosi Romam iterum ingressi sunt die 15 Septembris. Edictum Baronius (*c*) recitat Prætextat omissum quo Valentinianus exsulibus ad Urbem redeundi veniam facit; atque illud, ea quæ deinde consecuta sunt, circa Julium, aut Augustum mensem, datum fuisse probant. Nam turbulenti vir ingenii, post duos elapsos a reditu menses, die scilicet 19 Novembris, alio Valentiniani edicto iterum exsulare coactus est, ut ex hoc scripto discimus. Veram causam silentio præterit ejus auctor, ac pro more suo

(*a*) Histor. Aug., pag. 776. Oper. Select.
(*b*) Tom I, edit. Basn.
(*c*) Ann. 368, num. 4.

culpam rejecit in Damasum, cujus fraude hoc factum fuisse impudenter scribit. At quæ vera ac genuina iterati hujus exsilii causa fuerit, partim excitato per hunc auctorem Valentiniani rescripto, partim ex Ammiano Marcellino colligimus (*a*); Valentinianus enim exsulibus reditum concesserat, hac merito adjecta conditione, *ut si iidem in pristino statu restituti, aliquid spiritu iterum gesserint inquieto, quo tranquillitas reformata turbetur, severissima in eos sententia proferatur.* Contra vero edicto illo, quo Ursinum rursus expelli jussit, hoc a se factum ait, *ut illo relegato nulla ulterius populos nefanda contentio colliderel*, ut Anonymus ipse scribit : Ursinus igitur post reditum suum ita se gesserat, ut rursus a Prætextato expelli debuerit : quod cum jure factum Ammianus scribat, Anonymi in Damasum calumnia manifesta est. En vero Ammiani ipsius verba : *Cujus* (Prætextati) *auctoritate, justisque veritatis suffragiis tumultu lenito, quem Christianorum jurgia concitaverant; pulsoque Ursino alia quies pari jam proposito civium Romanorum adolescebat gloria clari rectoris, complura et utilia disponentis.* Atque hunc, quod spectat annos 366 et 367, Ursini schisma finem habuit.

V. Baluzius iisdem annis Damasi concilia duo consignat : alterum illud est, quod in actis Eusebii presbyteri memoratum legimus : alterum vero illud, quod Anastasius in Damasi Vita refert, convocatum *pro accusatione adversus eum instituta, cui adulterii crimen imputabatur ab adversariis ejus*, in eoque etiam Paternianos, seu Venustianos damnatos scribit (*b*). At utrumque hoc concilium fictitium fabulosumque est : nam quod ad primum attinet, acta illa Eusebii presbyteri tot mendaciis, fabulis et anachronismis scatent, ac fœdata sunt, ut operam non necessariam omnino ponat, qui ea sibi singillatim refellenda sumat (*c*). Hinc Bossuetius ipse, seu quisquis ille sit, dum eorum auctoritatem, ut causæ suæ inserviat, una tuetur manu, altera falsitatem prodere cogitur, excommunicationem, quam in Liberium a Damaso jam *pontifice* latam scribunt acta illa apocrypha, ad Damasum *presbyterum* suo marte revocans. Nobis itaque cum Tillemontio ridere Baluzium liceat, vana prorsus opinione abreptum, ac sibi plaudentem de hoc primum a se producto consilio, quod numquam exstitit. Quod ad posterius attinet cujus ab Anastasio mentio injicitur, si quæ narrat ille, vera sunt, alio prorsus tempore ea consignari oportet, cum nulla per id tempus sub Damaso synodus habita fuerit (*d*). Præterea institutam contra hunc sanctissimum pontificem adulterii accusationem, non ego facile admiserim, de qua tamen rursus sermo redibit; si quid autem de Paternianis, aut Venustianis, quos in ea synodo a Damaso damnatos ait, Baluzius ex immensa a se collecta penu uberius explicuisset, magnam apud ecclesiasticæ historiæ amatores gratiam profecto iniisset. Sed de his etiam aliquid suo loco.

(*a*) Lib. XXVII, cap. 3.
(*b*) Conc. Ven. edit. tom. II, pag. 1037.
(*c*) Vid. Diatrib. de Gest. Liberii exsulis, cap. 9.

CAPUT III.

368, Damasi 3, Valentiniano et Valente aa. II. coss.

I. *Valentinianus imperator iteratum Ursini sociorumque schismaticorum exsilium probat, atque unam, quam Ursiniani retinuerant, basilicam Damaso reddi jubet.* II. *Cædes perpetrata in æde S. Agnetis, quæ per calumniam Damaso crimini data : grave ob eam consam periculum innocenti pontifici creatum; quod explicatur Rufini et Hieronymi testimonio.* III. *Evagrius Antiochenus pro Damaso adit imperatorem, a quo innocens pronuntiatur, eaque occasione Hieronymus affertur, et illustratur.* IV. *Damasus votum solvit S. Felici, ut videtur, Nolano, aliisque martyribus.*

I. Valentinianus imperator, cui Prætextatus Ursinum iterato exsilio a se damnatum scripserat, judicium P. U. ratum habuit, ut constat ex ejus rescripto, quod Baronius recitat ad annum 368, n. 2, quod tametsi nota temporis careat, videtur ad anni currentis initium referri oportere, quia Ursinus ipse Roma excesserat ultimo pene mense superioris anni, ut vidimus. Hunc, quem imperator *dissensionis auctorem* vocat, secuti deinde sunt cæteri factionis socii et ministri, quos pariter Urbis præfectus abire jussit, si pancos excipias, qui ne prodirent, in latebras sese abdiderant. Id vero colligimus tum ex scriptore præfationis, qui schismaticos stationes per cœmeteria sine clericis celebrasse ait, tum ex alio Valentiniani rescripto (*e*) dato pridie kal. Junii, iisdem conss., quo tamen factiosis ipsis *propter quietem urbis* ejectis conceditur, ut certo præstitutoque exsilio soluti, quo velint loco habitent, Roma excepta. Cæterum nedum Ursini exsilium Valentiniano probatum fuit, verum providentissimo etiam consilio, est urbis præfecto mandatum, ut una illa Ecclesia, quæ a schismaticis adhuc retinebatur, Damaso attribueretur. Verebatur enim princeps fore ut nullum ex Ursini exsilio fructum Ecclesia caperet, si quam præterea superesse in urbe sineret jurgiorum materiam. Hoc vero a defensore Ecclesiæ urbis Romæ Valentinianus postulatum scribit, ex quo colligimus defensoris ecclesiarum officium in eo positum, ut earum causas ageret apud sæculares judices, atque ad ipsos etiam imperatores accederet, cum rerum ratio id postulare videbatur. Eorum vero officium constitutum fuerat diu ante Valentiniani tempora; secus ac nonnulli censent, siquidem Cyriaci cujusdam, Ecclesiæ Ancyranæ defensoris mentio est apud Epiphanium (*f*). Derivatus autem ab exemplo civitatum, profanorumque collegiorum, quæ defensores suos habebant, mos iste ad christianam religionem sapienter fuerat. His successerunt, qui sequiori tempore advocati dicti sunt, qui cum sua abuterentur potestate nonnullorum deinde conciliorum sanctionibus sublati sunt.

II. Hæc ad Prætextatum rescripta, cum de rebus

(*d*) Vid. ad ann. 396.
(*e*) Apud Baron. ann. 368, num. 3.
(*f*) Hær. 72, num. 8, 11, 12.

agant post iteratum Ursini exsilium gestis, primos occupant hujus anni menses. At popularis æstus qui nihil interea aut parum de vi sua remiserat, rursus erupit in mutuas cædes ad S. Agnetem, quo temere factiosi convenerant, nulla legum contra eos latarum ratione habita; atque hoc facinus pro consueto schismaticorum more, crimini datum immerenti Damaso apud Olybrium, qui circa Junium aut Julium mensem Prætextato successerat; ut ex chronologia codicis Theodosiani, ac ex Tillemontio constat. Hic vero cum Aginatio neglecto, quem Reinesius (*a*) ex Anicio Paulino olim consule et P. U. descendisse asserit in causis dijudicandis uteretur opera Maximini, qui annonæ præfecturam post Julianum administrabat, intelligitur, cur Rufinus postquam scripserat, humano sanguine repleta orationum loca, statim addat rem hanc *factione Maximi in invidiam boni et innocentis sacerdotis Damasi versam esse*. Maximinus enim, sive ut schismaticis placeret, qui in partes suas traxerant Judæum quemdam *Isaacum* nomine eoque accusatore uiebantur, sive ut feroci ingenio suo indulgeret, induxit animum, ut Damasum seditionis ac cædis quæ in Ecclesia ad S. Agnetem perpetrata fuerat, reum ageret apud imperatorem, utque hoc assequeretur, testimonia contra pontificem innocentissimum a viris perditæ famæ, atque ab ipsis clericis illata tortura extorquebat. Verum Aginatius urbis vicarius, *indignissime ferens*, in examinandis causis Maximinum sibi ab Olybrio prælatum (*b*), tum de iis, quæ contra Damasum agebantur, Valentinianum certiorem fecit, tum præterea factiosos in suburbiis ex Olybrii conniventia conventus agere, unde frequens jurgiorum, ac seditionum, quæ supererant, fons, et origo. Imperator itaque veritate cognita conventus illos suburbanos voluit statuitque exsilio mulctandos, si intra *vicesimum* ab urbe lapidem coirent, atque ita Rufino scribente accidit: *Ut assertor innocentiæ Deus adfuerit, et in caput eorum qui dolum intenderant, pœna conversa sit*. Enimvero quin res ita gesta fuerit, vix dubitare poterit, qui Valentiniani rescripta attente legerit ad Olybrium et Aginatium eodem tempore data, quæ magnus annalium parens in lucem protulit (*c*). Ex his enim constat utrumque ex iis ea de re litteras ad imperatorem dedisse. Sed alia Olybrius, alia Aginatius significavit. Prior enim scripsit perfecisse se: *Ut nulla in urbe Roma posset esse discordia, ac christianum populum profunda securitate in otio frui*, iis, quæ per Maximinum annonæ præfectum ac schismaticos agebantur, studiose dissimulatis. Alter vero imperatorem nihil latere voluit: *Adhuc scilicet misceri, quæ aliquanto placata fuerant, extramuraneisque cædibus frequenter strepitus excitari*. Hisce autem verisimile est aliqua etiam addidisse de Maximini erga factiosos ac perduelles studio ut et de præconcepto odio in Damasum pontificem bonamque ejus causam: quamobrem hinc factum, ut Valentinianus ipse, qui alias arbitrio Prætextati nulli partium studio addicti, rem totam antea permiserat, nunc Olybrio, quem Maximini artibus antea præoccupatum senserat, parem Aginatio in ea causa potestatem faceret, ac idem utrique mandatum daret. Hisce autem duobus rescriptis ad Olybrium et Aginatium datis, aliud Baronius addit ad Olybrium ipsum, quo imperator conceptam a se voluptatem significat ex litteris, quibus ille denuntiaverat *compressos eos qui sanctissimam legem tumultu et seditione miscuerant*. Ex quo discimus illum tandem integre imperatori paruisse, tum mandatum hoc aliis posterius esse: atque hunc aliquando post biennium finem habuit Ursini schisma.

III. Aginatii litteris pro Damaso scriptis, magnam cæteroquin vim addidisse potuit Evagrius Antiochenus presbyter, qui imperatorem accesserat pro Vercellensi femina septies icta; quam rem Hieronymus narrat veluti gestam, priusquam in Orientem ipse secederet (*d*). Hoc vero officium Evagrius a se deberi censuit Eusebio Vercellensi episcopo, quocum antea ex Oriente in Italiam ac Romam venerat: hac enim captata occasione, duabus aliis de causis Hieronymus Evagrium ipsum laudat: altera, ejus opera effectum esse ut: *Auxentius Mediolani ineuntis sepultus prius antequam mortuus videretur*; altera vero *ut Romanus episcopus pene factionis laqueis irretitus, et vicerit adversarios, et non nocuerit superatis*. Utraque vero mire convenit huic anno. Ut enim Auxentius damnari libere posset, ac pro damnato Ecclesiæ denuntiari, quod factum fuisse dicam sequenti anno, allaborandum erat, ne imperator, qui ejus velut catholici communioni sese adjunxerat, huic negotio intercederet: quamobrem, nihil mirum est, si ea synodus, qua damnatus ediciur in Holsteniana collectione, *imperiali rescripto* congregata dicitur. Damasus autem neque umquam magis irretitus factionis laqueis, neque Ursinus cum sociis magis perfecte victus, et superatus, quam hoc anno: anno enim superiori, quo ab exsilio Romam reversus est, victor potius quam victus videri poterat.

IV. Ferrarius (*e*) Damasum Nolam accessisse scribit, ut ad sepulcrum S. Felicis votum solveret, *eo quod eo duce servatus fuerat, ac mortis vincula ruperat*, angustamque ejus sepulcro basilicam superstruxisse, quam S. Paulinus deinde latiori alia ac ornatiori a se ædificata inclusit. Huic autem rei, quam multi narrant, ac præ cæteris, qui Nolanam historiam nuper conscripsit Jo. Stephanus Remondinus (*f*) contentus id constituere auctoritate Petri de Natalibus, aliud nullum argumentum superest, præ-

(*a*) Epist. LXIX, pag. 635 et 636.
(*b*) Lib. XXVIII.
(*c*) Ann. 369, num. 3 et 4.
(*d*) Ep. I, Ver. edit.
(*e*) De Nol. Cœm., cap. 10.
(*f*) Lib. III, cap. 4.

ter unum ejusdem Damasi Carmen XV..., quod revera votivum est, ut Baronius etiam et clar. Muratorius (*a*) observant. At nisi votum, a Damaso absente ac longe posito persolutum velis, hoc satis est, ni fallor, ut illum Nolam accessisse credamus. Neque enim in urbe Roma eo tempore constructa fuerat ecclesia illa, quæ deinde S. Felicis in Pincis a Pincianorum ædibus dicta est (*b*), ut Damasus supplicem in ea statuere sese, ac coram solvere votum posset. Id præterea neque ab eorum temporum more, neque ab ejus loci religione alienum videri potest, cujus tanta erat fama, ut ex quavis terrarum parte, atque ab ipsa Roma frequens concursus Nolam fieret. Hinc Paulinus (*c*) natali ejus sancti die jure cecinit:

Ipsaque cœlestum sacris procerum monumentis
Roma, Petro Pauloque potens, rarescere gaudet
Hujus honore die, portæque ex ore Capenæ
Millia profundens ad amicæ mœnia Nolæ
Dimittit duodena decem per millia denso
Agmine, consertis longe latet Appia turbis.

Cum autem hic pontifex se capite periclitantem præsidio hujus sancti martyris servatum dicat, atque in hoc ille discrimen adductus fuerit inimicorum fraude, sub Maximino præfecto annonæ, si Nolam accessit, vix alio accessisse potuit, quam hoc, aut sequenti anno, quo hæc illi quies, et securitas parta est.

CAPUT IV.

369, DAMASI 4, VALENTINIANO N. P. ET VICTORE CONSS.

I. *Prima sub Damaso synodus adversus Auxentium pseudoepiscopum Mediolanensem.* II. *Cur hoc anno consignetur?* III. *Quid in ea actum, constitutumque fuerit? Ejus synodica illustratur.* IV. *Agitur de Vincentio Capuano.*

I. Postquam igitur Damasus aliquantum e fluctibus domesticæ seditionis emerserat, ad catholicæ Ecclesiæ curam animum adjecit. Hoc enim anno celebrem illam contra Auxentium convocavit synodum nonaginta trium episcoporum, cujus apud Theodoretum (*d*), qui numero rotundo utitur, ac Sozomenum (*e*) mentio cum laude est. Auxentius cum paucos ante annos *iis lusisset verbis*, Hilario teste *quibus posset fallere et electos*, a Valentiniano, quem in sui communionem fraudulenta confessione traxerat, obtinuerat edici, ne a quopiam Mediolanensis Ecclesia perturbaretur (*f*). Hac igitur ratione obfirmatus in scelere, magnæ præterea Ecclesiæ auctoritate atque imperatoris præsidio fultus, Arianum virus latius propagare, Transpadanæ ac Venetiæ episcopos a catholica religione avellere cœperat. Cum autem Hieronymus scribat (*g*) *post Auxentii seram mortem, Ambrosio episcopo constituto, omnem ad fidem rectam Italiam conversam esse*, facile colligi potest, impium hoc hæretici studium non exiguo rei catholicæ per diœcesim vicarii Italiæ detrimento fuisse. Ut autem indoctos illos, simplicesque episcopos ad suam hæresim perduceret, utebatur subdolis, captiosisque fidei formulis, quas Damasus *scævas interpretationes vocat*, atque Ariminensis conciliabuli sexcentorum, ut ille falso aiebat, episcoporum auctoritatem obtendebat, *perversaque* hæc consilia adhibebat, ne quis ab eo recederet. Hæc discimus ex tractatu Hilarii contra Auxentium ipsum, atque ex ejus hæretici ad Valentinianum libello, unde Romanæ huic synodo scriptæque ab ea epistolæ lumen accedit. Hisce itaque de rebus Damaso retulerant Galli ac Venetienses episcopi, quos inter Hilarium Pictaviensem, Eusebium Vercellensem, qui ab exsilio redux per Illyricum Nicænam fidem confirmans iter fecerat (*h*) ac Philastrium Brixiensem merito numerant eruditi viri, quamquam decem fuisse episcopos illos, qui contra Auxentium Mediolani congressi sunt, ex eodem Hilario constat. Ex illis igitur intellexerat pontifex, esse aliquos inter primi ordinis sacerdotes, qui sive *ex inscitia*, sive *ex simplicitate scævis illis interpretationibus ac perversis consiliis æstuantes*, hærerent inter Catholicam fidem, Arianamque perfidiam. Addiderant Auxentium ea præcipue de causa, damnatum pridem fuisse: verum a Damaso potissimum, sedeque apostolica dandam esse operam, ne labes illa latius propagaretur. Hanc enim ego esse puto horum verborum vim: *Denique Auxentium Mediolanensem hac præcipue causa damnatum esse perscribunt*, quæ obscuritate aliqua laborare videntur; ut nempe intelligamus, præsules illos vigilantissimos anteactas, quibus jam persirictus fuerat sententias Damaso memorasse, eum in finem, ut illas calculo etiam suo confirmatas Ecclesiis denuntiaret, quo infallibilis atque indeclinabilis auctoritatis vim acquirerent, atque ita fieret, ut ille amplius nocere desineret; sic Galli iidem episcopi superiore sæculo Stephanum rogaverant ut litteras per provincias scriberet, quibus Marcianum Arelatensem in Novatiano, cujus sequebatur partes, et hæresim, jam damnatum, et extra communionem factum, a se etiam publice *abstentum* constare omnibus posset, ne diutius episcoporum illorum collegio insultare, ac gregem Christi dissipare pergeret (*i*); quam etiam ob causam Basilium, ut Eustathius et Apollinaris publice a sede apostolica damnati denuntiarentur, postulasse legimus (*j*) atque hinc tum ejus disciplinæ diuturnitatem cognoscimus, tum eam esse, quam dixi, eorumdem verborum vim. Damasus itaque synodum congregat hoc anno ex 93 episcopis compositam, tum ut latæ prius in Auxentium sententiæ, ratæ a sede apostolica haberentur, tum ut Nicæna fides confirmaretur, abrogato Ariminensi concilio, atque ita qui nutare in fide, *ac secus ac Dei convenit sacer-*

(*a*) Not. ad Carm. XI, vers. 11, et dissert. 18.
(*b*) Donat. lib. III, cap. 8.
(*c*) Carm. III ex edit. cl. Murat.
(*d*) Lib. II, cap. 22.
(*e*) Lib. VI, cap. 23.
(*f*) Hilar., lib. contr. Auxent. num. 7.
(*g*) Chron. ad ann. XI Gratian.
(*h*) Vit. apud Ughell., tom. IV, pag. 759.
(*i*) Vid. Cyprian., epist. 68, Ver. edit.
(*j*) Vid. epist. 262 et 265.

dotes, sentire viderentur, errores suos deponerent. Hoc vero abunde præstitum fuisse constat ex ejus ad Illyricos epistola, quam Theodoretus ac Sozomenus recitant, Holstenius autem Latinam ac primigeniam edidit (*a*).

II, III. Nunc cur eam cum magno Baronio, Sigonio, Petavio et Holstenio hoc anno congregatam censeam, rationes accipe : 1° constat ex proœmio Precum Faustini, ac Marcellini, nullos ad synodum convenisse episcopos, antequam Ursinus exsilio pulsus esset. Ille autem extorris factus est die 16 Novembris anno 367. Cum autem Damasus rebus ita sedatis potius quam compositis, episcopos ex Italia convocasset pro natali ordinationis suæ die, qui incidebat in kalendis Octobris subsequentis anni, cumque ii, qui convenerant, in synodum coire noluissent, jam liquet ante hunc annum, nullum habitum sub Damaso concilium. Ea verba schismatici scriptoris : *quod factum crudelissimum* (agit hic de tumultu ad S. Agnetem) *nimis episcopis Italiæ displicebat, quos etiam cum ad natale suum solemniter invitasset, et nonnulli convenissent ex eis, precibus apud eos molitur, et pretio, ut sententiam in Ursinum proferant, qui responderunt : Nos ad natale convenimus, non ut inauditum damnemus.* Nulla vero est solida ratio, cur allatum testimonium hac in parte repudiemus, cui præterea fidem adstruunt, tumultus, seditiones, ac cædes, quibus tum Damasum, tum Urbem ipsam anno elapso agitatam fuisse liquet. 2° Accedit auctoritas Sozomeni, qui Patres ad synodum convenisse scribit, oppresso jam opera præfecti Urbis Ursini schismate, quod vix obtineri potuit anno 367 jam labente, ut vidimus. Tunc enim dumtaxat ac postquam quies Urbi restituta est, episcopi ex multis provinciis Romam convenerunt, et Auxentium eosque, qui idem cum illo sentirent, alienos esse a communione sua decreverunt (*b*). Constat itaque in ea, quæ post schisma oppressum, synodo primum coacta est, damnatum Auxentium ; sed oppresso schismate, non illico coacta videri potest. Nam post acceptas Gallorum ac Venetensium relationes, Damasus habuit opus aliquo temporis spatio, ut deliberaret ac statueret, num synodus congreganda esset, ut illam deinde indiceret, ac demum ut tot episcopos ex diversis Italiæ et Galliæ partibus evocaret : illis vero indulgenda erat mora aliqua, qui se itineri parare possent, atque ut e longinquis partibus Romæ præstituto die adessent, quibus omnibus conficiendis integrum anni spatium vix longum videri poterit.

Scio viris doctissimis magis placere, ut synodus, qua Auxentius damnatus est, anno 370, aut etiam serius, ac, ut Pagius ait (*c*), anno 372 consignetur. Sic vero rem statuunt : Damasus anno 367 aut 368 synodum congregat, qua confirmat Nicænam fidem, lapsos persecutionis tempore sacerdotes ad officium revocat, Ursacium, et Valentem Occidentalium Arianorum antesignanos damnat nulla de Auxentio inquisitione facta, scribitque de his actis ac decretis synodicas litteras. Censet autem Pagius litteras tunc scriptas ab ea synodo eas ipsas esse, quas *episcoporum Italiæ*, nomine, *fratribus per Illyricum paternam fidem retinentibus* inscriptas Hilarius recitat in Fragmentis (*d*). Tum vero Athanasium iis lectis synodum Alexandriæ congregasse, ex qua epistolam tum ad Afros scripsit, ut eos contra Arianorum fallacias instrueret, tum etiam Damaso, ut gratias ipsi ageret, quod Ursacium et Valentem ab Ecclesia ejecisset, moneretque præterea, ut eodem jure contra Auxentium uteretur : Damasum vero Athanasii atque Alexandrinæ synodi monitis excitatum, anno 370 aut etiam serius, concilium illud 93 episcoporum coegisse, in quo Auxentius condemnatus est, et munere ac dignitate dejectus. Hoc constare putant ex alia ejusdem Athanasii epistola ad Epictetum, quam altera posteriorem censent : alt enim ad Afros scribens : *Satis quidem sunt, quæ a dilecto et comministro nostro Damaso magnæ Romæ episcopo,* ET A TOT EPISCOPIS *una cum illo coactis, nec minus ea, quæ ab aliis synodis in Gallia, et Italia celebratis scripta sunt de sana et orthodoxa fide ;* tum vero cap. 9, hæc addit : *Sic nos igitur affecti cum contigisset nos in unum convenire, litteras quoque dilecto nostro Damaso magnæ Romæ episcopo misimus de Auxentio, qui Mediolanensem invasit ecclesiam, cujus illi gesta narravimus, eum nempe non modo esse Arianæ hæreseos sectatorem, sed etiam multis sceleribus obnoxium, quæ cum Gregorio impietatis suæ socio perpetravit,* NOSQUE MIRARI CUR NONDUM DEPOSITUS, ET AB ECCLESIA EJECTUS SIT, *gratiasque retulimus ejus pietati, necnon iis, qui in magnam Urbem convenerunt, quod Ursacio, et Valente, aliisque, qui cum illis sentirent, ejectis, catholicæ Ecclesiæ concordiam servassent.* At damnato interea Auxentio per Damasum, Romanamque synodum, idem Athanasius hæc ad Epictetum scripsit : *Arbitrabar equidem omnium, qui umquam fuere, hæreticorum vanam loquacitatem a Nicæna synodo compressam fuisse : nam quæ illic a Patribus promulgata fides est, ad impietatem omnem advertendam sufficit ; quamobrem cum hoc tempore variæ synodi per Galliam, Hispanias, et magnæ Romæ celebratæ sunt, quotquot eo convenere, eos qui etiam num latenter hæresim sapiunt Arianam,* AUXENTIUM *nempe, Ursacium, Valentem, et Caium ex Pannonia, communi calculo damnarunt.*

At vereor, ne hæc Pagii, aliorumque virorum doctissimorum sententia de duplici hac synodo, quarum prior Ursacium et Valentem damnaverit, Auxentium non attigerit, altera vero hunc etiam eadem pœna perstrinxerit, excogitata magis ex ingenio, quam vera sit. Neque enim ulla ante hunc annum aut habita a Damaso synodus est, ut dixi, aut haberi facile potuit, tanto præsertim numero Episcoporum, quot in illa adfuerunt. Epistola autem illa,

(*a*) Collect. Roman., p. 1.
(*b*) Sozom., lib. VI, cap. 23.
(*c*) Ad ann. 369, n. 5 et 6.
(*d*) Fragm. XII juxta Ver. edit.

quæ *Fratribus per Illyricum paternam fidem retinentibus inscripta est*, et quam Pagius ad eam Damasi synodum revocat, quam primam statuit, ad Liberii Pontificatum pertinere probant BB. sancti Hilarii operum editores; sed quod gravius est, illa ipsa *ad Afros* epistola, cujus auctoritas ostenditur, duas illas synodos evertit potius quam adstruat: Athanasio enim eo loco, una eademque collecta Romæ synodus est, qua Damasus Nicænam confirmavit fidem, quæ Ecclesiæ catholicæ concordiam servavit, quæ Ursacium et Valentem, *aliosque, qui cum illis sentiebant*, a communione *ejecerat*, atque ob hæc omnia eidem Pontifici Athanasius gratias egerat: si vero ab eorum qui cum Ursacio, et Valente sentiebant numero, nemo *Auxentium* separandum esse dixerit, nemo etiam jure negaverit, quin ejus quoque nomen eadem cum reliquis damnatione comprehensum ab Athanasio fuerit. Hinc quos ille sub generali Valentis et Ursacii sociorum nomine non obscure designat, et a communione ejectos ait in epistola ad Afros, *Auxentium* scilicet, et *Caium* ex Pannonia nominatim exprimit in epistola ad Epictetum, veluti sese explicans, atque eos ejusdem cum Ursacio et Valente pœnæ socios factos inquit ab illis ipsis, quæ memorat conciliis *magnæ Romæ*, *per Galliam*, *et Hispanias celebratis*; frustraque proinde alia posterior excogitata est synodus a Damaso convocata, monente Athanasio, ut Auxentius damnaretur, qui damnatus hoc anno atque ab hac synodo fuerat. Accedat postremo, quod eadem ad *Afros* epistola Romanam eam synodum, qua Ursacius et Valens eorumque socii damnati sunt, ex magno episcoporum numero compositam fuisse asserit, ut vidimus. An igitur aliam apertius designare potest, quam quæ tribus et nonaginta ex Gallia, Italia, aliisque partibus congregatis constitit, qua de nunc agimus? At, inquiunt, si Auxentius ab hac synodo damnatus fuerat, cur Damaso scribit Alexandrinus præsul, mirari se cur nondum depositus, et ab Ecclesia ejectus sit? At ego respondeo, non eam esse quam illi putant Athanasii mentem, atque ejus loci sententiam, sed aliam prorsus, eorum temporum rationi magis consentaneam: cur enim mirari ille potuit, Auxentium hactenus non fuisse depositum, quem in ipsa eadem epistola ad Afros, cum Ursacio et Valente aliisque hæresis sociis ab Ecclesiæ communione rejectum, non obscure expresserat, ac præterea minime ignorare nequiverit ipsum eodem anathemate variis in locis, et a pluribus conciliis sæpe perstrictum (*a*). Cum itaque hoc etiam loco scribit *mirari* se cur non ille *depositus*, et ab Ecclesia *pulsus* fuerat (*b*), aliquid amplius postulavisse videtur a Damaso, quam ut ille iterum damnaretur; atque illud est, ne Mediolanensi Ecclesiæ diutius incubare permitteretur vir plane dignus, qui throno et Christiano nomine exueretur: verba enim καθαίρω et ἐκβάλλω, quibus Athanasius utitur, tum pronuntiatam adversus reos sententiam, tum ipsam etiam ejus, ut aiunt, exsecutionem exprimunt, si quis illi aliquando casus, aut si qua vis, ut in hac causa rescriptum Valentiniani, moram fecisset. Sic Paulus Samosatenus quamquam ab Antiochena synodo damnatus esset, ab Ecclesia tamen *per sæculorem potestatem exturbatus* dicitur ab Eusebio (*c*); ac Photinus et si sæpe antea depositus, *et a communione unitatis jam pridem abscisus* fuerat, quia tamen *per factionem populi* numquam re ipsa *amoveri* potuerat, a Socrate et Sozomeno tunc *depositus* dicitur, ab Hilario *dejectus*, cum Orientales, qui Sirmium accesserant, eum sede, et loco per imperatorem Constantium expelli curarunt, et obtinuerunt (*d*).

Hoc itaque, ut mihi quidem videtur, primo sub Damaso concilio, atque hoc ipso anno, confirmata, et encyclicis litteris promulgata Auxentii damnatio est, siquidem imperator vetuerat ne throno et sede quam invaserat, exueretur; Ariminensis præterea iterum proscriptæ formula, ac Nicæna fides roborata; ut ex epistola constat, quam Damasus ipse ejusdem concilii nomine ad Illyricos scripsit, quæque tantum ex ejus actis superest. Baronius damnatum eodem tempore Ursicinum censet; sed litteræ Valentiniani, ad quas provocat (*e*), hac de re nihil aiunt. Hoc tamen in ea synodo factum fuisse mihi etiam verosimile fit, quia ex testimonio Faustini et Marcellini scimus, Damasum id jam præcogitasse anno elapso, atque erat tum disciplinæ, tum unitati, ac tranquillitati Ecclesiæ pernecessarium, ut hic damnaretur statim ac rerum ac temporum conditio ferre poterat, prout actum in schismate Novatiani a Cornelio fuerat (*f*).

Quæritur, an epistola illa, quam Damasus synodi nomine ad Illyricos scripsit, Græco primum an Latino sermone conscripta sit, et an germanum ejus exemplar illud sit, quod Theodoretus recitat, an illud quod Holstenius edidit. Labbeus, Valesius, ac Tillemontius hanc laudem Holsteniano exemplari attribuunt: Constantius eam illi abjudicat, ut in Græcum exemplar transferat, sed, ut ego puto, levissimis inductus conjecturis: nulla enim est ratio, cur Damasus Græcam epistolam ad Illyricos scripsisse dicatur, qui Occidentalibus accensebantur, et Latina lingua utebantur; nullaque proinde probabilis conjectura est cur, quod Holstenius reperit, sumptum potius ex Græco sit, quam ipsum Latinum ac primigenium exemplar. Deinde neque Damasus, neque alii Occidentales *hypostasis* voce utebantur, ut substantiam exprimerent, Basilio præ cæteris teste (*g*): hinc in ipsa epistola, quam Holste-

(*a*) Theod. H. E., lib. IV, cap. 6.
(*b*) Θαυμάζοντες, πῶς μεχρὶ νῦν οὐ καθῃρέθη, καὶ οὐκ ἐκβέβληται τῆς Ἐκκλησίας.
(*c*) Euseb., lib. VII, cap. 30.
(*d*) Socr. lib. II, cap. 21; Sozom. lib. IV, cap. 6, καθεῖλον; Hilar. de synod., cap. 37, et Fragm. III, n. 21.
(*e*) Ann. 369, num. 72.
(*f*) Vid. Euseb. H. E.
(*g*) Epist. 212.

nius edidit, legitur Patrem et Filium *unius esse substantiæ* tantum. Non ergo, ut verbis utar doctissimi tertii Basilii operum tomi editoris, *dixerunt Occidentales, Patrem et Filium ejusdem esse* ὑποστάσεως, *καὶ* οὐσίας, *ut habent Græca exemplaria*, sed tantum ejusdem οὐσίας, omissa ὑποστάσεως voce : atque inde colligitur eos non *Græce scripsisse, nec epistolam, quæ est apud Sozomenum, ac Theodoretum* primarium esse, *ac germanissimum exemplar, ut eruditus editor litterarum summorum pontificum contra Tillemontium et alios contendit, sed potiori jure hanc laudem editæ ab Holstenio epistolæ tribuendam* (*a*). Gravissimi viri judicium confirmatur ex varia lectione atque interpretatione, quæ apud Sozomenum, Theodoretum, atque Epiphanium observari potest atque etiam a Valesio animadversa est : hæc enim, ni fallor, manifeste probant, epistolam primo Latine scriptam, ac deinde pro utriusque Græci scriptoris ingenio, ac etiam, e diversis exemplaribus varie ab utroque intellectam, ac Græce diversimode fuisse expressam.

Ex hisce autem Damasi litteris ad Illyricos episcopos, vir doctissimus Josephus Augustinus Orsi, supremam sedis apostolicæ auctoritatem, ac irreformabile judicium egregie asserit. Nam cum ex Romanæ hujus synodi mente ait pontifex : *Neque enim præjudicium aliquod nasci potuit e numero eorum, qui Ariminum convenerunt, cum constet neque Romanum episcopum, cujus ante omnes fuit expetenda sententia, neque Vincentium, neque alios, hujusmodi statutis consensum aliquem commodasse :* inde merito conficit, *non utcumque in Ecclesiarum et Patrum consensione, et unitate conciliorum vim esse repositam, sed eam inde potissimum esse repetendam, quod cum romano pontifice veluti capite conjunguntur, eo plane modo, quo salus, et vita, motusque corporis in integritate sita sunt, et mutua membrorum conjunctione, et tamen ex eorum cum capite conjunctione, atque ex ipso capite defluant, et originem ducant.* Hinc quia Nicænæ synodo per legatos suos Romanus pontifex adfuerat, et assensum præstiterat, Damasus fidei formulam tunc præscriptam, *Apostolorum* vocat, sive *Apostolicam*, Ariminensem vero rejicit, quod eo consensu careat. Ut enim pergit vir clarissimus, *Ariminensem formulam, et Nicænam, Romanæ hujus synodi episcopi invicem conferunt, et priorem quamvis illi maximus episcoporum numerus suffragatus erat, ideo potissimum explodunt, et nullius momenti esse decernunt, quoniam absque Romani pontificis assensu condita fuerat ; Nicænam vero ideo perpetuo retinendam esse constituunt, quoniam Apostolorum, id est, sedis apostolicæ, sive Romani* pontificis sententia et auctoritate firmata fuerit (*b*).

IV. Mirum tamen videri possit, *Vincentium* illum, Capuanum scilicet, aperte laudari, quod *sacerdotium tot annos illibate servasset*. An vero de eo, qui ut cum Arianis faceret, Athanasii communionem deseruerat, hæc merito dicta videri poterunt ? Mihi itaque opinio subit, Vincentium nihil umquam admisisse, quo aut a fide, aut ab Ecclesia, atque Athanasii communione ipsum discessisse palam constare posset. Unam Liberius ejus *simulationem* dolet in litteris ad Osium, et Eusebium Vercellensem (*c*) ; quid vero simulationis nomine intelligat, explicat ipse, cum ait, non tantum nihil impetrasse Vincentium a Constantio, ex iis, ob quæ legatus fuerat, sed *videri sententiis* Orientalium *accommodasse consensum*, in eorum scilicet ire consilium, qui dogmatis Ariani seponendam tunc cognitionem, atque unam Athanasii damnationem urgendam, proponendamque censebant, ut idem pontifex exsilio jam fractus explicat in epistola ad Orientales (*d*). At si Vincentius *consensum accommodare videbatur*, nondum profecto re ipsa accommodaverat, sed falsa ea spe lactabat hæreticos, ut tempus interea duceret, atque exsilio, quod imperator in repugnantes statuerat, sese subtraheret. Hanc sententiam confirmare videtur tum Athanasius ipse in Apologia ad Constantium, cum ait : *Vincentium vim non vulgarem, gravesque contumelias passum*, donec significaret nolle se cum Athanasio communicare (*e*) ; tum præterea Liberius in epistola ad eumdem imperatorem missa per legatos posteriores Luciferum, Pancratium, atque Hilarium, expressis his verbis : *Manent legatorum*, Vincentii scilicet et Marcelli, *litteræ, qui ad Clementiam tuam fuerant destinati, quæ* NUPER *venerunt, quibus significant propter turbationem quidem omnium Ecclesiarum, se quidem ante succumbere sententiis Orientalium voluisse, proposuisse tamen conditionem, ut si iidem Arii hæresim condemnassent, hoc genere inclinati eorum sententiis obedirent.* Hinc igitur liquet, legatos illos cum hæc scriberent, lapsui proximos, at non fuisse prorsus victos, atque hanc exstitisse causam, cur Liberius litteris illis acceptis, alios legatos mitteret, prioribus scilicet jam pene fractis, ac rei agendæ ob illam *simulationem* ineptis. Cæterum non hæc eo disserui, ut Vincentium culpa omnino carere affirmem, sed ut intelligamus, quo sensu is illibatum tot annos sacerdotium servasse, a Damaso dici potuerit, quatenus scilicet nihil ille aut contra fidem, aut contra Athanasium palam gesserit.

(*a*) Not. ad epist. Bas. 92.
(*b*) De Irreform. R. P. Judic. lib. I, cap. 7, art. 2.
(*c*) Apud Coust. ep. I et II.
(*d*) Apud Coust. ep. XI.
(*e*) Cap. 24.

CAPUT V.

370, DAMASI 5, VALENTINIANO ET VALENTE III AA. CONSS.

I. De Illyricana synodo agitur, quæ Romanam hanc subsecuta est, scriptisque ab illa et Valentiniano imperatore litteris. II. Quæ afferuntur et expenduntur. III. De Zanobio Florentino episcopo. IV. De Valentiniani lege Damaso inscripta, et Theodosiano Codici inserta ; ac defenditur Baronius.

I. Damasi spem minime frustrarunt Illyrici episcopi : ejus enim synodicis litteris excitati, cum convenissent, consubstantialis Trinitatis fidem confirmaverunt, ut Romæ sub eo pontifice factum fuerat. Poly-

chronium præterea, Telemachum, Faustum, Asclepiadem, Amantium, et Cleopatrum damnaverunt, quos si quis suspicetur, eosdem esse, qui antea veluti novatores apostolicæ sedi delati fuerant a Galliæ et Venetiæ episcopis, habebit suspicionis suæ non levem conjecturam a Socrate et Sozomeno (*a*) qui Mursam Pannoniæ, id est Illyrici castellum in Galliis collocant : nam latius nimirum Gallia accepta invenitur aliquando, quam vulgo fieri consuevit. Tum deinde ipsius, ut ego quidem puto, Damasi, et Romanæ synodi mandato, de his omnibus fecerunt certiores Asianos episcopos per Elpidium legatum, atque eos hortati sunt, ut et ipsi Trinitatem consubstantialem esse perpetuo prædicarent, atque errore deposito, in quo dudum versati fuerant, Nicænæ fidei formulam profiterentur. Illyricanæ hujus synodi B litteris per Elpidium legatum afferendis, suas adjunxit in eamdem sententiam Valentinianus imperator, atque utrasque Theodoretus, ac Nicephorus recitant ex latino, ut ego censeo in græcum sermonem versas (*b*).

Cum autem Valentinianus in iis aperte scribat, Romanam synodum, quam Illyrici præ oculis habuerant, *paulo antea* fuisse habitam, hinc Valesius recte conficit, tum eam, quæ in Illyrico coacta fuit, alterius consequentem esse, tum eamdem non posse differri ultra hunc annum, secus ac nonnullis nulla solida ratione visum est. Hoc præterea confirmant tum ipsæ ejusdem synodi litteræ, inscriptæ *episcopis diœceseos Asianæ, Phrygiæ, Cataphrygiæ, Pacatianæ ;* tum potissimum Valentinianus ipse, cum eos omnes C sedulo monet, *ne ultra Valentis auctoritate contra rectam fidem abuti, neve sedulos Dei ministros persequi pergerent.* Id enim potissime factum currenti anno, quo Valens longam in Phrygia moram traxit (*c*), ac prosperis adversus Barbaros successibus elatus, cum totum se dedisset Arianorum factioni, provincias omnes Constantinopolim inter et Cappadociam interjectas, quidam veluti pestilens turbo afflavit, disjecitque, atque Ecclesiis, quas legitimis pastoribus orbaverat, hæreticos superinduxit. Nam cur Illyricanæ synodi Patres, cur Valentinianus ad episcopos tantum *Asianæ diœceseos, Phrygiæ, ac Cataphrygiæ, Pacatianæ* scriberent, cur eos monerent, ne *Catholicos* præsules *persequerentur*, si de alia, quam quæ iis in D locis tunc temporis ferveret, persecutione agebatur ? Subsequens enim persecutio, qua Syria, Ægyptus, Mesopotamia, aliæque remotiores provinciæ deinde vexatæ sunt, cum nihil ad eos episcopos attineret, non erat cur eorum præ cæteris studium postularetur erga Catholicos. Cæterum harum gravissimarum rerum occasione, atque hoc tempore cœptum fuisse crediderim litterarum commercium Damasum inter atque Ascholium, atque huic commissum Illyricanum apostolicum vicariatum : Ascholium enim circa ea tempora Thessalonicensem Ecclesiam administrasse, Tillemontius ex Ambrosio et Basilio conjicit, quamquam A vir clar. Gorgnæus Suessionensis canonicus ejus ordinationem referat ad Ariminensis concilii tempora (*d*).

II. Magnus itaque Baronius lapsus est, cum deceptus potissimum hisce Valentiniani litteris, quæ in codice, quo ille usus est, Gratiani inscriptione carebant, præferebantque *Eustathii* nomen, quem putavit esse celebrem Sebastenum episcopum ac olim Lampsacenæ synodi ad apostolicam sedem legatum, hæc omnia retulit ad annum 365 et ad Liberii pontificatum, ut eo loco Pagius recte observat. Neque, enim *Eustathius* ille, cujus in litteris ejus synodi ad Asianos scriptis mentio est, Sebastenus fuit, sed alter forte in Illyrico episcopus, atque ille cujus apud Chrysostomum mentio est (*e*); existimat præterea *Elpidium* illum, cujus in litteris Illyricorum episcoporum nomen exprimitur, Romanæ Ecclesiæ presbyterum fuisse, atque illum ipsum, quem Julius ad Orientales cum Philoxeno pridem legaverat. Natitur hæc magni viri opinio hisce Græcis Illyricorum epistolæ verbis : Ἀνάγκην οὖν ἴχομεν πέμψαι πρὸς ὑμᾶς τὸν κύριον ὑμῶν καὶ συλλειτουργὸν Ἐλπίδιον ἀπὸ τῆς βασιλευούσης Ῥωμαίων ἀρχῆς, τοῦτο τὸ γράμμα ἔχοντα ; quæ Christophorsonius, Comerarius et Langus sic reddunt, ut Elpidium *ab urbe Roma, quæ est imperii caput*, missum dicant : ab Epiphanio autem scholastico, quem sequitur Sirmondus, ea sic accipiuntur, ut Romanum imperium potius quam urbem Romam, atque imperatorem potius, cujus Elpidius litteras ad Asianos attulit, quam Urbis episcopum C designent. Valesius (*f*) Christophorsonii pro parte, pro parte vero Sirmondi interpretationem probat, atque ita intelligit, ut Elpidius ille non Ecclesiæ Romanæ presbyter, ut putavit Baronius, sed in Illyrico episcopus fuerit, ac Græca verba sic reddit : *Necesse itaque habuimus dominum et comministrum nostrum Elpidium ab urbe totius imperii regina ad vos mittere cum his literis, cogniturum, utrum ita se habeat prædicatio vestra :* rationem vero cur Elpidius ille ab urbe Roma dici possit, hanc esse putat, quod ille ab episcopis in synodo congregatis ad Damasum missus fuerat, atque inde legatione, ut necesse erat, ex ipsius synodi mandato accepta in Asiam profectus sit. Ut tamen dicam quod sentio, nuspiam legi, supremam sacerdotii dignitatem ἀρχὴν dictam aliquando, citra adjunctam vocem aliquam, quæ sacrum a profano magistratu distingueret : hinc est, quod Nazianzenus episcopatum ἀναμίαχτον ἀρχὴν Chrysostomus πνευματικὴν ἀρχὴν vocat. Quid itaque censeas, si, ut hoc loco res se habet, ea ipsa vox aliam adjunctam habeat, quæ profanum potius, quam sacrum magistratum designet ? Deinde quo alio exemplo statui poterit, hisce verbis ἀπὸ τῆς βασιλευούσης Ῥωμαίων ἀρχῆς Urbem significari ? Vix itaque ferenda aut Christophorsonii, qui urbem Romam imperii caput, aut Valesii interpretatio est, qui

(*a*) Socrat. lib. II, cap. 32 ; Sozom. lib. VI, c. 36.
(*b*) Lib. IV, c. 8 et 9 ; Niceph., lib. II, c. 35.
(*c*) Pag. ad ann. 370, num. 20, et 372, num. 6.
(*d*) Dissert. de Concil. Arim., quæst. 5.
(*e*) Epist. 27.
(*f*) Ad Theodor., H. E. lib. IV, cap. 9.

sub iis Damasum Urbis Romanæ episcopum designatum intelligit. Neque vero Sirmondi opinio difficultate caret, cum ea sic reddit : *Sed necessitas nobis imposita est, ut ad vos mitteremus dominum et comministrum nostrum Elpidium, a regio Romanorum principatu litteras habentem.* Quamquam enim me non lateat, iis vocibus Romanum imperium sæpe designari, cujus rei alia afferri exempla possent ; cum tamen Illyrici episcopi scribunt Elpidium se legatum mittere, τοῦτο τὸ γράμμα ἔχοντα, de iis litteris agunt quas ipsi scripserant, ac Elpidio ferendas dederant : unde Epiphanius, cujus interpretationem Sirmondus sequitur, particulam *has* adjunxit, quam ille omisit. Hoc igitur loco, atque iis verbis Valentinianum ipsum imperatorem, designare non possunt. Accedat, quod cum synodica hæc Epistola exarata fuit, Valentinianus nondum scripserat, neque episcopi illi tunc certo scire poterant, an ille suas Concilii litteris adjuncturus esset, quod tamen eisdem cognitum, certumque esse debuisset, ut de iis mentio eo loco facta, existimari posset. Horum igitur verborum alia omnino vis esse debet, quam quæ illis a viris his doctissimis attribuitur. Si quis itaque sic ea interpretetur, *necessarium duximus ad vos dominum et comministrum nostrum Elpidium mittere has litteras habentem, a Latino Imperio*, Latino scilicet sermone scriptas, forte, aut ego fallor, aut propius accedet ad verum, ac locum planiorem, atque extricatiorem reddet. Constat enim a græcis scriptoribus sub Ῥωμαίων vocabulo latinos designari ac exprimi solitos. Hinc Sozomenus ait, Photinum Ῥωμαίων καὶ Ἑλλήνων φώνῃ doctum scripsisse, ac Socrates illum Ῥωμαϊκῆς linguæ haud expertem vocat. Eodem quoque sensu, Tertullianus, Rufinus Aquileiensis, Cassianus Massiliensis, aliique Latini Patres *Romani* dicti sunt (*a*). Ac Hieronymus ipse in Illyrico ortus, de Orientalibus queritur, quod *novellum a se homine Romano nomen* exigerent : idque aliis exemplis confirmari posset.

III. Scribit annalium parens hoc anno Damasum Romanum pontificem, Constantinopolim misisse sanctum Zanobium, Florentinum deinde episcopum, qui insultantem Arianorum petulantiam coerceret, quod tamen ante Baronium scripserat Petrus Casella veteres, ni fallor, Floreminæ Ecclesiæ traditiones secutus (*b*). Actorum profecto, quibus vir magnus adductus est, ut hoc scriberet, levissima prorsus fides est, ut Tillemontius (*c*) probat, ac Bollandus, qui ea minime describenda censuit ; frustraque recentior aliquis in iis vindicandis operam collocavit suam. Quod pro hac opinione observari potest, illud est, quod Valens anno illo pene integro Constantinopoli abfuit : Eudoxius præterea Arianus defunctus A fuerat, ac plurimum intererat ejus loco catholicum pastorem eligi. Probabile itaque est, Damasum captata occasione, aliquem eo misisse, qui suo nomine Catholicos confirmaret, eisque ea in re procuranda auxilio esset, cum constet alio loco (*d*) ejus pontificis studium optimo eligendo ejus Ecclesiæ episcopo non defuisse. Evagrius revera a Catholicis electus tunc fuit, quod Socrates ac Sozomenus factum scribunt opera Eusthatii, Antiocheni episcopi, qui clam in Urbe, et Catholicos ad rectam fidem hortabatur. At cum magnus hic præsul diu antea, si Theodoreto fides est, ad superos abivisset (*e*), quid si dicamus, utrumque auctorem, unum pro altero, Eusthatium scilicet pro Zanobio supposuisse ?

IV. Quidquid horum sit, certum est, hoc anno B Damaso directum celebre Valentiniani rescriptum, contra clericos, falsosque monachos, qui religione abutebantur ad captandas viduarum, aliarumque suspectarum feminarum hæreditates. De hac ipsa lege Hieronymus (*f*) et Ambrosius agunt (*g*), iisque auctoribus constat eamdem ecclesiasticas tantum personas respicere, non autem prohiberi Ecclesias quominus legata et hæreditates caperent. Hinc idem Hieronymus : *sit hæres, sed mater filiorum, id est, gregis sui Ecclesia, quæ illos genuit, nutrivit, et pavit.* Cum autem lex illa a Damaso populo *in Ecclesiis lecta* fuerit, inde colligi potest, quo ille studio allaboraret, ut cleri sanctitatem, famamque integram servaret, seseque præterea ab omni avaritiæ suspicione alienum probaret. Nam cur dicamus cum Gotofredo, illam jubente Valentiniano potius quam Romano ipso episcopo in ecclesiis publicatam, velut moderandæ suorum cupiditati perutilem, et necessariam ? An aliquod imperatorii hujus præcepti in ipsa lege vestigium est ? An præterea moris erat, ut imperatorum leges, si quæ ad rationes Ecclesiæ pertinerent, in ecclesiis legerentur ? Hoc nemo dixerit, aut saltem probaverit. Nam quæ de clericorum privilegiis lex a Constantio lata fuerat, quamquam Felici papæ directa, tamen apud *acta*, civilia scilicet, et Urbanæ præfecturæ, aperte *lecta* dicitur (*h*). Cum itaque hæc, de qua agimus, fuerit in Ecclesiis præter morem proposita, jure meritoque hoc factum uno jubente Damaso, imo eodem impulsore legem illam ab imperatore latam, Baronius censuit, quod ad hujus pontificis laudes accedit ; nec video cur Baronii opinionem, quæ erudito placuit, Constantius rejiciat. Cæterum quæ indoctus Jannonius hinc conficit, prætermittenda censeo, tum quod ea huc non attineant, tum quod illum hac Valentiniani lege ad suas confirmandas opiniones abuti, aperte demonstret P. Antonius Blancus, quem consulas si lubet (*i*).

(*a*) Fabr. BB. G. lib. v, cap. 38, num. 197.
(*b*) De Tuscor. orig., cap. 12.
(*c*) Not. in Ambr. 50, tom. IX.
(*d*) Vid. ad ann. 380.
(*e*) Theodor. lib. III, cap. 4 ; Tillem. in Eusthat. not. 5.
(*f*) Ep. 52, num. 6, Ver. edit.
(*g*) Ep. 18, num. 13.
(*h*) Cod. Theod. lib. XVI, tit. 2, cap. 14, ibique Gotofred.
(*i*) Tom. IV, lib. II, cap. 5, § 2.

CAPUT VI.

371, Damasi 6, Gratiano aug. II et Sexto Petronio Probo coss.

I. *Revocati ab exsilio Ursiniani, quo conclusi fuerant; suburbicariæ provinciæque; Rufini de suburbicariis Ecclesiis sententia.* II *S. Basilii Magni ad S. Athanasium, et Damasum litteræ hoc anno scriptæ, quæ illustrantur: et Anonymus Amstelodamensis refellitur.* III. *Recensentur causæ aliæ, cui idem Basilius ad Damasum scripserit, eaque occasione de Antiocheno Meletium inter et Paulinum dissidio agitur, et de Marcello Ancyrano.* IV. *Hic ab hæresi vindicatur, ac Basilium postremo meliora edoctum, a præjudicata adversus eumdem Marcellum opinione discessisse probatur.*

I. Baronius hoc anno duo recitat Valentiniani rescripta, alterum ad Ampelium, qui Olybrio interea in præfectura successerat, alterum ad Maximinum Urbis vicarium, quibus Ursicino, sociisque Urso, Rufo, Gaudentio, Auxanoni, Auxanio, Adiedo et Rufino copia fit discedendi a constituto exsilii loco, ac ubicumque vellent, consistendi, ea tamen conditione apposita ne Romam aut intra *suburbicarias regiones* pedem inferrent. Hinc itaque discimus, præcipuos Ursicini asseclas, Roma primum, mox extra vigesimum lapidem pulsos, ac denique certo exsilio damnatos sub Olybrii præfectura fuisse, cui proinde, quod contumaces compresserit, Valentinianus, ut vidimus, gratulatus fuerat.

Hæc quæ memorata a me sunt, et quibus *suburbicariarum* regionum mentio fit, Valentiniani rescripta abripiunt, et in rem suam transferunt Gothofredus et Tillemontius. Uterque igitur *suburbicarias provincias et regiones* unum idemque esse putat cum suburbicariis ecclesiis, quas Rufinus a Nicæno can. 6 Romani episcopi sollicitudini attributas ait (*a*); sed horum prior *suburbicarias regiones* concludit intra centesimum ab Urbe lapidem, iisdemque cancellis jura ejusdem Romani episcopi omnia concludit; alter vero *urbicariarum provinciarum* voce eas omnes intelligit, quæ parebant Urbis vicario, et latius patebant, Campaniam scilicet, Thusciam et Umbriam, Picenum suburbicanum, Valeriam, Samnium, Apuliam, et Calabriam, Lucaniam, et Brutios, Siciliam, Sardiniam, et Corsicam; atque hinc *suburbicarias ecclesias* recte conficit eas esse etiam, quæ iisdem provinciis omnibus continebantur; sed ultra Italiam, ejusque fines negat prætendi potuisse argumento ab rescriptis ipsis petito, quæ Ursicino exsuli copiam faciunt discedendi e Galliis, atque alio pro arbitrio divertendi, sed prohibent vetantque ne Romam accedat, et pedes inferat *in regiones suburbicarias*, siquidem si Occidentem totum *suburbicariis regionibus* expressum intelligis, Ursicinus secedere debuisset in Orientem, eique gravior fuisset Imperator ille clementia sua, quam pœna antea imposita. Hoc vero argumenti genere usus etiam fuerat Dupinius ante Tillemontium: Nam, ut ait ille, *Si regiones suburbicariæ, vel universo imperio Romano, vel saltem Occidentali responderent, quid ineptius quam homini cuidam, velut insignem gratiam concedere, ut Gallia excedat, ea tamen lege, ne pedem in universum imperium Romanum, aut saltem in Occidentem inferat? Ejusmodi profecto gratia summi supplicii loco habenda esset* (*b*).

Porro quod ad priorem sententiam attinet, vix est amplius, qui Gothofredum et Salmasium *suburbicarias regiones* intra centesimum dumtaxat lapidem collocantes errasse non fateatur, cum apertissime constet eadem voce sæpe designatas reliquas omnes provincias, quas Urbis vicarius moderabatur (*c*). At quod ad eorum opinionem spectat, qui metropolitica Romani episcopi jura intra decem reliquas illas provincias coarctata vellent, vides illam hac una ratione niti, quod *suburbicariæ ecclesiæ* nihil differant a *suburbicariis provinciis*, atque una eademque sit in definienda causa eorum verborum vis. Hinc Dupinius rem sic urget: *Restat inquirendum, quæ fuerint provinciæ, et ecclesiæ suburbicariæ, et quinam illarum fines: hoc autem in primis circa istam quæstionem statuendum videtur, et pro certo supponendum, ecclesias suburbicarias respondere provinciis suburbicariis: quemadmodum enim ecclesiæ Ægyptiæ, Asianæ, Illyricanæ cæ sunt ecclesiæ, quæ in istis diœcesibus erant sitæ, ita etiam ecclesiæ suburbicariæ aliæ esse non possunt ab illis, quæ provinciis suburbicariis continebantur... Ferri igitur minime potest illorum opinio, qui provinciarum nomine, vel universum imperium vel saltem Occidentem universum designari volunt.* Sic ille ex Tripode (*d*).

Nunc vero ego argumenta non afferam, quibus contra Sirmondus, aliique viri doctissimi demonstrarunt, quam futilis ea ratio sit, ne actum agam. Illud adjiciam dumtaxat argumentum hoc quo Tillemontius utitur, et Dupinius, vim aliquam habere affirmativam posse, at minime negativam. Nam si *urbicarias ecclesias* esse illas ais, quæ quatuor annonariis ac reliquis etiam provinciis continebantur, id ego facile concedam, non ob eam solum rationem, quod *suburbicariis provinciis* continerentur, sed quia nullus erat cui parerent metropolitanus præter Romanum pontificem. At si contra contendas *suburbicarias ecclesias* illas dici non potuisse, quæ extra Italiam late acceptam positæ fuerant quamquam nulli parerent Metropolitano, utar jure meo si pernegavero, nec tu facile evinces, quod vis, nisi aliquem præterea superioris gradus episcopum fuisse probaveris, cui omnes per Italiam atque Occidentem ecclesiæ subessent. Nullum enimvero toto eorum locorum tractu hujus generis, et dignitatis episcopum fuisse ante Nicænum concilium, ac quarto etiam inter heterodoxos Bingham. lib. II, cap. 1, § 9.

(*a*) Histor. lib. I, cap. 6.
(*b*) De Eccl. Discip. dissert. I, § ultim.
(*c*) Consule Schelestr. dissert. 6, cap. 1 et 2, et
(*d*) De Discipl. Eccl. dissert. I, num. 16.

provecto sæculo concedat necesse est, qui ecclesiastica eorum temporum monumenta percurrat, nec sic ineptire cum Quesnello velit, ut Romanos pontifices, omnes metropoliticæ dignitatis prærogativas et officia ad se traxisse, ac metropolitanos, si qui fuerint, titulum habuisse sine re, temere asserat (*a*). Vides igitur *suburbicarias ecclesias* non eas esse dumtaxat, quæ continebantur illis Italiæ finibus, quos Urbis vicarius potestate sua moderabatur, sed latius etiam protendi potuisse, atque hinc intelligis, quam ineptum fallaxque sit argumentum illud, quod a *provinciis suburbicariis ad suburbicarias ecclesias* designandas, et definiendas capitur. *An vero*, ut verbis utar viri gravissimi Benedicti Bacchinii, *ignoraverit* Rufinus, *quod nos non latet, Romano scilicet metropolitano per ea tempora provincias omnes subjectas fuisse, quæ Urbis vicario parebant, concessis Italicis metropolibus reliquis, quas Italiæ vicarius regebat? Reliquum itaque est, ut ambigua illa suburbicarum ecclesiarum voce, plurium provinciarum ecclesias illas intellexerit, quæ alicubi, sive intra, vel extra centesimum lapidem, sive in Italia, sive alibi sitæ Romano pontifici tanquam metropolitæ obediebant* (*b*). Usus igitur, ut ille prosequitur, ea voce Rufinus est, ut Nicæni canonis interpretationem suorum temporum rationi accommodaret: exortis enim post Nicænum concilium, seu concedente, seu non repugnante Romano episcopo, perlatis in late acceptam metropolitanis aliquot, apostolicis præterea institutis alicubi vicariis, qui *præsentiam*, ut ait Leo Magnus, *apostolicæ legationis longinquis ab Urbe provinciis impenderent*, aliisque factis in ecclesiastica politia immutationibus, quibus prior Romani ipsius episcopi potestas decurtata videri per Occidentem poterat, secus ac in Alexandrino, cui nihil de antiquo jure per integram diœcesim decesserat, putavit Rufinus veterem illam a Nicæno concilio adhibitam Romanum inter et Alexandrinum ipsum episcopum nullis circumscriptam limitibus, comparationem, minime amplius convenire posse, sed rem expressit, ut sese habuit per id tempus, nunc vero obscuriori dicendi genere, ecclesiasque illas omnes, quas retinere adhuc, atque administrare Romanum episcopum vidit quoquo loco positas, *suburbicarias* dixit, novaque prorsus appellatione, hominem, ut ita dicam, antiqua ætate et moribus, juvenilem in modum nobis posteris repræsentavit. Sed cum jam verear, ne in re hac ab instituto aliena nimius fuerim, in viam redeo.

II. Hæc igitur dum in Occidente agerentur, Orientalis Ecclesia ea gravissima tempestate jactabatur sub Valente, atque Arianis, quam ut cæteros præteream, Basilius describit pluribus in locis, sed potissime in Epistolis ad Damasum, aliosque Occidentales episcopos, et ad Athanasium scriptis. Cepit itaque id consilii, quod sæpe alias, ac nuper sub Liberio a Macedonianis captum, præsenti subsidio fuerat, ac ut verbo dicam, a Damaso auxilium petendum censuit. Hinc Athanasio inquit: *Dudum novi, et ipse pro mediocri rerum notitia, unam esse Ecclesiis nostris auxilii viam, si nobiscum conspirent Occidentales episcopi. Nam si voluerint, quod adhibuerunt studium, in uno, aut altero* (*c*) *pessime sentire deprehensis, illud etiam pro nostrarum partium parœcia ostendere, fortasse rebus communibus aliquid utilitatis accesserit* (*d*). Hisce autem verbis ni fallor, Auxentii damnatio designatur; quod etiam advertit vetus hoc Scholium, quod ad oram regii codicis D. Maranius ascriptum legit: Περὶ τῶν κατὰ Ῥώμην ἐπισκόπων Αὐξεντίου καὶ τῶν περὶ αὐτόν. Audiverat itaque jam Basilius, quæ decreta a synodo sub Damaso contra Auxentium fuerant, quæ proinde ad hunc annum, aut etiam ad sequentem male a nonnullis consignantur, ab aliis vero, quorum ego sententiam amplexus sum, annum 369 optime relata fuere; verum neque ipse, neque Athanasius ejus acta viderant: nam cur alioquin communicatis cum eodem Athanasio consiliis, Damaso scribendum censuisset, ut quos ille pro auctoritate sua missurus erat legatos ad Orientales visitandos, *secum haberent, quæcumque post Ariminense concilium gesta fuerant, ad eorum, quæ per vim illic acta fuerant, dissolutionem?* Cur præterea Athanasius, si ejus ad se synodi acta pervenerant, nedum ea statim misit ad Basilium, sed neque ullam eorum mentionem fecit in litteris ad eum scriptis?

Basilius igitur, postquam rem omnem cum SS. Athanasio et Meletio contulerat, Damaso scripsit, ac Dorotheo diacono perferendam dedit epistolam in recente BB. editione septuagesimam (*e*), quam ii, ut etiam Constantius priorem inter eas censent, quas a Cæsariensi episcopo ad eum pontificem datas legimus. Eam vero D. Maranius scriptam putat circa medium hunc annum, cujus rei præter rationes a docto et solerti viro productas (*f*), non levia apparent indicia, tum ex ipsis ad Damasum, tum ex aliis ad Meletium (*g*) litteris. Ejusdem Basilii sententia fuerat, ut ad Damasum scriberetur communi Orientalium nomine; rogaveratque propterea Meletium, ut et litteras ipse exararet, et commentarium dictaret, de quibus, et ad quos Dorotheum verba facere oporteret; prætereaque ut gravior esset illarum auctoritas apud Damasum, eorum omnium, qui sibi communicabant, nomina adjungeret, etiamsi absessent. Ita enim sperabat fore, ut ad communionem Meletio potius quam Paulino concedendam Romanus pontifex facilius permoveretur. An autem Meletius per Dorotheum scripserit, quamquam id asserat Anonymus transfuga, cujus a nobis mentio facta, ac iterum faciendæ erit, incertum est.

Interim ex hac Basilii epistola observari potest, quæ ejus foret de sedis Apostolicæ auctoritate, et

(*a*) Ad Epist. D. Leon. 16 et 80.
(*b*) De Eccl. Hier. Orig., part. II, vers. 16.
(*c*) ὑπέρ ἑνὸς ἢ δυό.
(*d*) Epist. 66, edit. BB.

(*e*) In Veter. edit. 220.
(*f*) Vit. Basil. cap. 17 et cap. 20.
(*g*) Epist. 68.

dignitate sententia. Nam si Damasum rogandum censet, ut legatos in Orientem mitteret, qui *vel dissidentes concilient, vel Dei Ecclesias ad amicitiam reducant, vel saltem perturbationis auctores eidem clarius indicent, ita ut vobis manifestum sit, quibuscum communionem deceat habere*, Romani pontificis supremam auctoritatem, in ecclesias omnes ubique positas extendi, atque ab ejus judicio sacræ communionis jura pendere, clarissime professus est Cæsariensis episcopus. Ne vero suspicio subeat, quin ille sincere hæc senserit ut eidem anonymo hariolari placuit, observanda præterea sunt, quæ antea ad Athanasium scripserat (*a*) : *Nobis autem operæ pretium visum est, ad episcopum Romæ scribere, ut res nostras invisat, et consilium dare, ut cum illinc communi, ac synodico decreto mitti difficile sit, ipse hoc negotium suo marte aggrediatur*, vel ut proprius ad verborum vim alii vertunt, *ipse suprema sua auctoritate hoc in negotio utatur*. Neque enim necesse est, ut quæ Basilius aliis locis scripsit, ac suo tempore referenda a me sunt, huc transferam, quibus ejus de sedis apostolicæ auctoritate judicium constat, ac Scripturientis transfugæ temeritas deprehenditur, qui Fleurio divini primatus jura ex hisce litteris nobiscum demonstrare aggresso (*b*) insultare ausus est. Illud autem Damaso potissime commendatum cupit, ut legati, quos in Orientem missurus erat, secum ferrent quæcumque Ariminense concilium a se dissolutum fuisse demonstrare possent ; quod eis oppido adversatur, qui non supremam Romano pontifici, aut parem concilio auctoritatem concedunt, ut optime ante me observavit vir doctissimus P. Josephus Augustinus Orsius, cujus in lectorum gratiam huc verba transferam : *Interim autem partibus litigantibus, tot episcoporum in synodum coactorum numerus magnum videri poterat pro Arianorum sententia præjudicium. Itaque ut simpliciores inter Catholicos ab Arianorum fraudibus tuti essent, non iis rationibus muniendi erant, quæ ipsos in rerum gestarum examen conjicerent, sed aliquod simplex, et quod esset inter Catholicos pervulgatum statuendum erat, nempe legitimas non esse, et periculo errandi subjacere eas synodos, quæ sine consensu Romani pontificis celebrantur, tum etiam nullius esse auctoritatis, nisi a sede apostolica confirmentur. Quare sanctus Basilius Magnus, et si perspectum, et exploratum habebat, ea quæ Arimini gesta fuerant, per vim acta fuisse, ac proinde ipsa per se, et ipso jure nulla et irrita esse, ne tamen episcoporum numerus, qui Ariminensi formulæ subscripserant, pluribus, ac præsertim simplicioribus inter Catholicos imponeret, scribendum Damaso duxit, petendumque ab eo, quid Romæ Ariminensium gestorum dissolutione fecisset. Noverat enim sanctus Doctor, hujus rei ultimum ac peremptorium judicium ad sedem apostolicam pertinere* (*c*).

III. Cæterum ut Basilius apostolicam sedem adiret, præter afflictas res Orientalis Ecclesiæ, fecit etiam ingens ejus erga Meletium amor, et studium, cui favebat præ Paulino. Hoc ipse fatetur ad Athanasium scribens (*d*), atque hæc præterea sibi volunt ea verba, quæ recitavimus ex epistola ad Damasum. Antiochenæ hujus schismatis historiam texere superfluum existimo, cum ea neminem ecclesiasticarum rerum studiosum lateat. Eusebius Vercellensis, Luciferi, qui Paulinum ordinaverat, consilium haud omnino probans, Antiochia discesserat, in Italiam reversurus, *neutri partium*, ut Rufinus ait, *communionem suam* relaxans (*e*), Liberius a Meletio minime alienus visus est ; hunc enim expresse, ac nominatim comprehendit inter episcopos, quibus inscripsit celebrem illam epistolam, quam Socrates recitat (*f*) a Silvano altero Macedonianorum legato ad Orientales allatam, quod concessæ communionis argumentum Basilius censet (*g*). Hinc Basilius ipse, scribens Athanasio, quo eum ad ejusdem Meletii partes pertraheret, ait sententiam hanc *unanimibus tuis Occidentalibus placuisse, ut ostendunt litteræ per beatum Silvanum nobis allatæ* (*h*). Damaso vero Eusebii Vercellensis exemplum placuit, ac visum est in re tanti momenti diutius oportere deliberare, causamque propterea inter utramque partem, suspensam tenuit per aliquot annos, optimo sane consilio, ut suo loco dicam.

IV. Præter hæc idem Cæsariensis episcopus Athanasio scribit, censere se cum aliis nonnullis, ut episcopo Romano denuntietur perniciosa Marcelli hæresis, requiraturque, ut eam exterminet : *Arium quidem*, ait ille, *sua deque anathemate feriunt. . . Marcello vero, qui impietatem ex diametro oppositam protulit, et in ipsum Divinitatis Unigeniti exittentiam impius fuit, nullum videntur intulisse vituperium . . . atque hujus rei argumenta sunt servati apud nos nefariæ illius scriptionis libri ; sed tamen nusquam eum reprobare visi sunt, idque eo nomine vituperati, quod eum ab initio ex veritatis ignoratione in ecclesiasticam etiam communionem receperint* (*i*). De Marcello tamen nulla est in litteris ad Damasum mentio : quamobrem ea quæ ad eum pertinent, arcanis mandatis, et commentario rerum per Dorotheum in Urbe agendarum commissa fuisse oportet.

Cæterum nolim ego commemorare ea omnia, quæ tum pro Marcello, tum contra Marcellum disputata sunt ante quam Montfauconius in lucem proferret analecta veterum Patrum. Vir enim doctissimus monumentum edidit eruditissima diatriba exornatum (*j*), ac in Veneta conciliorum editione deinde recusum, quo Ancyranum illum episcopum, ac clericos, aliosque catholicos, qui sese colligebant seorsum ab

(*a*) Epist. 66.
(*b*) Lib. XVII, § 31.
(*c*) De Rom. pontif. Infall., tom. I, lib. II, art. 3, cap. 1.
(*d*) Ep. 67.
(*e*) Lib. X, cap. 30.
(*f*) Lib. IV, cap. 12.
(*g*) Vid. etiam ejus epist. 240, nuperæ editionis.
(*h*) Epist. 67.
(*i*) Ep. 69.
(*j*) Tom. I Collect. nov. vet. PP.

episcopis illis, qui in locum Marcelli suffecti fuerant integra, puraque fide fuisse constat. Alter tamen ex eadem congregatione monachus doctissimus, ac de re ecclesiastica optime meritus, sodali suo nuper opposuit, monumentum illud ad postremos Marcelli annos non pertinere, nulla enim, ut ait ille (*a*), inest temporis nota in Fidei confessione; quæ Marcelli ejusque cleri et plebis nomine oblata Athanasio fuit, ut inde constet, fieri non potuisse; quin Marcellus in hæresim relapsus post eam fuerit. At qui sic Basilium defendunt, ut dicant agere illum de hæresi a Marcello iterum propugnata, postquam eam a se alienam solemni hoc testimonio apud Athanasium ejusque synodum declaraverat, effugium quærunt, quod suis ipse verbis Basilius obstruit. Neque enim ille provocat ad recens aliquod documentum, quo Marcellum in hæresim iterum lapsum probet, sed ad libros diu antea ab eo scriptos eodemque ipso gladio utitur, quo Eusebius, ac cæteri Ariani usi contra illum fuerunt. Deinde Occidentalibus exprobat communionem ecclesiasticam, quam diu antea illi concesserant, ac proinde non aliam profecto, quam quæ illi a Sardicensi synodo, ac Julio Romano pontifice pridem decreta fuerat :

Sed, quod rem conficit, ut mihi videtur, ipsa hæc fidei confessio, quæ Athanasio oblata est, eas præ se fert notas, quibus tuto asseri possit, oblatam illam fuisse aut paulo antea, aut non diu postquam hæc Basilius ad Athanasium scriberet. Observandum quippe est nomen *Theoduli Oxyrynchi*, quod illi subscriptum legitur. Montfauconius, quem alioquin nihil fugit, fatetur nescire se quis ille fuerit. At ego illum ipsum fuisse puto, quem Marcellinus et Faustinus in precum Libello *Theodorum Oxyrynchi* vocant, tempore Arianorum lapsum, a Georgio Ariano in laicorum numerum redactum, atque iterum ordinatum episcopum, qui denique ad Ecclesiam redux inter cæteros episcopos Egyptios Constantinopolitano concilio subscripsit. Sæpe enim Theodorum aut Dorotheum pro Theodulo apud Latinos præsertim usurpatum videas. Nam qui Theodulus apud Athanasium, Theodorethum, et Socratem Trajanopolis scribitur, in Sardicensis concilii ad omnes Ecclesias epistola, et ab Hilario Theodorus dicitur, cujus rei alia præterea exempla Fabricius attulit (*b*). Hæc itaque confessio, cui Theodorus hic, seu Theodulus præsens fuerat, longe diu post Alexandrinum concilium, quo episcopos in persecutione lapsos ad communionem recipiendos esse decretum fuit, oblata videri debet. Neque enim Theodulus inter eos legitur, qui concilio illi adfuerunt : neque credibile est eum adesse potuisse tantæ tunc prævaricationis reum. Paulo post hoc Alexandrinum concilium, Athanasius solum vertere a Juliano Augusto coactus est, quamquam autem eo defuncto Alexandriam circa finem anni 364 reversus esset, iterum tamen latitare, et exulare compulsus est post quatuor, aut quinque menses, Valentis edicto (*c*), nec rediit ad suam Ecclesiam ante consulatum Gratiani et Dagalaiphi. Hæc constant ex antiqua illa Athanasii vita, quam cl. Maffeius e tenebris erutam primus in lucem protulit (*d*). Cum autem induci non possim ut credam, tum Ancyranos legatos Alexandriam accedere voluisse, tum potuisse Alexandrinum præsulem turbulentis illis temporibus congregare tot episcopos quot actui interfuerunt, reliquum est, ut hoc factum dicamus postremis illis, ac tranquillis annis, quos ille apud Ecclesiam suam traduxit. Tempus vero exacte definire, nihil ad rem interest : nam quod ad nos attinet, perinde est sive confessionem suam Marcellus obtulerit paulo antea, sive non diu postea, cum inde manifestum sit, non potuisse illum in hæresim lapsum dici, cum Basilius ad Athanasium scripsit; si quis tamen conjecturæ locus, forte cum Theodorus, sive Theodulus adesset frequenti illi synodo, cujus Athanasius meminit in epistola ad Afros, Ancyranorum legati Alexandriam accesserunt, ac luculentissimam, egregiamque illam fidei confessionem Athanasio, aliisque in synodo congregatis episcopis obtulerunt. Forte etiam Montfauconius, qui eam retulit ad postremos Athanasii menses, propius verum attigit; enim vero, ut ille recte judicat, hoc a Marcello testimonium petere debuit Alexandrinus præsul, ut Basilii, aliorumque cum Basilio sentientium præjudicatæ opinioni occurreret. Id enim elucet ex postremo ejusdem confessionis capite, quo legati Ancyrani cleri Athanasium rogant : *Ne fidem habeat iis, qui nos insimulant, rescribat autem iis, quos orthodoxos esse noverit, ut si ad eos calumnia adversus nos conflata pervenerit, conspecta hac nostra fidei confessione, malitiam eorum deprehendant, qui temere invidiam nobis movere studuerunt.* Cum autem Athanasium mors præpedisset, ne Ancyranorum de fide illius testimonium Basilio communicare posset, factum proinde est, ut huic illud ignotum diu manserit.

Basilius tamen, ante obitum præconceptam opinionem adversus Marcellum, ejusque Ecclesiam deposuisse visus est, ac Marcellianos ad communionem admisit tamquam eos, qui catholici perpetuo fuissent. Colligi id ego arbitror ex iis, quæ ad Eulogium, Alexandrum, et Harpocrationem, aliosque duodecim Egyptios episcopos pro fide sub Valente in Palæstina exsules, et ad Petrum Alexandrinum tunc reducem deinde scripsit. Egyptii illi episcopi in Sacrorum societatem Marcellianos illos recepe-

(*a*) Vit. Basil., cap. 37.

(*b*) Vid. Fabr. BB. GG. tom. IX, pag. 250, et tom. X, pag. 546.

(*c*) Commentarium de rebus ad Athanasium pertinentibus a cl. Maffæjo editum, locum ubi ille latuit *Thersu*, vocat. Hinc a viro docto in falsi suspicionem adducitur, quod ejus loci nomen nusquam occurrat. Ego vero *Chersu* legendum puto, cujus nominis duplex erat vicus, alter 12, alter 8 milliaribus Alexandria distans. Vid. Itinerarium a Schelestrato editum tom. II, pag. 543.

(*d*) Osserv. letter. tom. III.

rant, postquam ii productis, ut Epiphanius ait (*a*), communionis cum Athanasio litteris, egregie catholicos sese probaverant. Eo facto Basilius commotus est, tum quod Marcellus, ejusque sectatores vulgo pro hæreticis habebantur, tum quod pauci episcopi, cæteris omnibus inconsultis hoc negotium confecissent, quod ne aggredi quidem soli debuissent, eaque de causa scripta ad eos epistola 265 graviter questus est, petiitque, ut quibus illi conditionibus admissi in communionem fuissent, certiorem se facerent. Nondum itaque tunc noverat egregiam illam fidei confessionem, quam Marcelli ipsius nomine Athanasio obtulerant, quæque effecerat, ut ab Athanasio ipso cum cæteris tunc congregatis episcopis pro catholicis habiti, ac dato testimonio illo, quod Montfauconius edidit, pronuntiati sint. Certo autem aliquo documento minime constat, an exsules episcopi Basilio rescripserint, quidve rescripserint. At gravissima conjectura adducor, ut credam, illos datis ad eum litteris tum sese purgasse, tum Marcellianos ipsos a nota hæreseos vindicasse. Nam Basilius Petro Alexandrino hac ipsa de re scribens ep. 266, ab iis in communionem recipiendis minime alienus est, sed hoc optat solum ut illi ita recipiantur, ne ipse ac cæteri sibi consentientes episcopi ad Marcellianos accessisse, sed ipsi potius Marcelliani ab Ecclesia numquam recessisse viderentur, *ita ut* (Zaccagni (*b*) interpretatione utor) *malitiosa de hæreseos crimine calumnia quaqua versum diffusa per nostram receptionem deleatur, nec amplius nos pudere debeat, quod eorum partes secuti sumus.* Si itaque Marcelliani, ut Basilius ait, perpetuo fuerant in Ecclesiæ corpore, qui fieri potest, ut Marcellum, quem ii sequebantur, cujusque nomine synaxes suas agebant, cum hæc scriberet Basilius ipse, ab Ecclesia abscissum crederet? Videtur itaque rem melius tunc edoctus, a veteri sententia sua recessisse, ac cavere dumtaxat voluisse, ne quid sibi, cæterisque catholicis episcopis, si Marcelli asseclæ inexplorato ad communionem admitterentur, ob vulgatam contra eos confirmatamque calumniam, de optima, qua merito fruebatur fama decederet. Quam vero sapiens Basilii consilium fuerit, constat ex Gregorii Nysseni facto, qui ob junctam cum iisdem Marcellianis sacrorum societatem, tum de eorum hæresi, tum de violatis canonibus insimulatus, duplici se apologia purgare debuit, quarum posterior dumtaxat superest in epistola ad Sebastenos, quam Zaccagnius edidit. Ait itaque, quod ad canones attinet, non ipsum se sponte sua rem tantam aggressum fuisse *aut inexplorato ac sine necessaria deliberatione quidpiam confecisse, sed orthodoxis in Oriente fratribus, atque comministris, ut istorum hominum negotium tractaretur, hortantibus, et quod a se factum fuerat, comprobantibus, omnia peregisse.* Deinde ut omnem de se, suaque religione malam opinionem depelleret, apertissimam fidei professionem jungit.

Hanc Nysseni ad Sebastenos epistolam idem Zaccagnius anno 377 scriptam putat. Hoc profecto nemo saltem negaverit, quin Eusthatio adhuc superstite, ac Petro Basilii fratre, episcopo nondum instituto, scripta fuerit. Sebastenos enim quibus inscripta est, non omnes ejus loci cives, sed eos dumtaxat catholicos clericos intelligere debemus, qui ab Eusthatii cum se is Arianum prodidisset, communione non diu antea se subduxerant, quorum apud Basilium epist. 138 et 237 nuperæ editionis mentio est. Quamobrem si Eusthatius e vivis sedeque illa excesserat anno saltem 380, quia Petrus Basilii frater, ac Sebastenus episcopus Constantinopolitano concilio sub anni sequentis initium coacto adfuit, aut illam eodem Basilio, adhuc in vivis agente, aut certe non diu post ejus obitum scriptam fuisse oportet. Ab eorum autem episcoporum numero, quos Gregorius *hortatores*, ut Marcellianorum negotium tractaret, ac eorum deinde, quæ a se gesta, et definita fuerant, *comprobatores*, ac sui imitatores habuit, non ego quidem Basilium ipsum Gregorii fratrem, ac pene magistrum excludendum puto. Hæc vero cum ita sint, facile colligi potest, nullo jure Basilium incusasse Damasum, Romanamque sedem, cur Marcellum nunquam ab Ecclesia ejectum duxerit, edixeritque; fierique præterea potuisse, ut ingens ejus sanctissimi præsulis pro religione studium nonnihil auxerit amor erga Meletium prorsusque aversus a Paulino animus, cujus idem Marcellus sequebatur partes.

CAPUT VII.

372, Damasi 7, Modesto et Arintheo coss.

I. Dorotheus diaconus Antiochenus Romam accedit cum litteris ad Damasum scriptis ab Orientalibus episcopis, ac rebus confectis in Oriente redit cum Sabino diacono Mediolanensis Ecclesiæ, qui Damasi nomine litteras affert ad Athanasium, atque Orientales. II. *Sozomenus cum iis confertur, et expenditur.* III. *Sabinus in Occidentem revertitur cum Basilii litteris ad Damasum, et Occidentales, quæ illustrantur, ac suo tempore restituuntur.* IV. *De l. 3. C. Theod. de Hær. atque ea occasione de Venustianis. Quorum in Prædestinato mentio est.*

I. Dorotheus diaconus cum Athanasii, et Basilii litteris Romanum iter aggressus est circa finem præcedentis anni (*c*), quamobrem vix eo pervenire potuit ante hunc, quem ingredimur. Diximus Basilium tria a Damaso postulavisse: primo, ut visitatores in Orientem mitteret, secundo, ut ii, quos missurus esset pro sua auctoritate legatos, leni ingenio, ac in rebus agendis constantia præditi essent, ac a partium studio alieni, quo nempe facilius Antiochenos omnes ad unum, sicut optabat, Meletium transferrent: tertio, ut secum afferrent, quæ decreta fuerant post Ariminense concilium, quo ipsum irritum fuisse declaratum palam constare posset.

Damasus itaque Basilii, ac forte etiam Athanasii

(*a*) Hæres. 72, pag. 843.
(*b*) Præf. ad Vet. Mon., cap. 30.
(*c*) Vid. D. Marant., Vit. Basil., cap. 17.

consilio obsecutus est, ac Sabinum diaconum Mediolanensis Ecclesiæ, deinde vero, ut videtur, Placentinum episcopum ad Orientales misit, eique acta habitæ coram se ante biennium synodi, cum litteris tunc ad Illyricos scriptis perferenda dedit. Hinc ea synodus hunc ex Holstenio titulum habet : *Exemplum synodi habitæ Romæ episcoporum 93, ex rescripto imperiali : Damasus, Valerianus, Vitalianus, Aufidius, Pacianus, Victor, Priscus, Innocentius, Abundius, Theodolus, et cæteri, qui ad audiendam Auxentii causam, exponendamque fidem in Urbe Roma convenerunt, episcopis Catholicis per Orientem constitutis in Domino salutem.* Ac in fine hæc clausula apposita legitur : *Ego Sabinus diaconus Mediolanensis de authentico*, ex actis scilicet ad Illyrici episcopos antea missis exceptum *dedi*. Sabinum hunc Mediolanensis Ecclesiæ diaconum forte Damasus probe cognitum habuerat occasione synodi contra Auxentium antea convocatæ. Huic enim ille adfuisse potuit, vel cum Eusebio Vercellensi, qui Catholicorum Mediolanensis Ecclesiæ curam interea agebat, aut cum Victore, quem Placentinæ per hæc tempora præfuisse, apud Ughellium legimus.

Si itaque Meletii causam excipias, de qua nihil tunc definitum constat, Basilio in cæteris Damasum obsecundasse vides : Nam et legatum ad Orientales, et acta habitæ a se synodi misit, quibus Ariminense concilium eversum prorsus, abrogatumque a se fuisse constare posset, atque hæc præterea cum præstitit, ea sua auctoritate præstitit, ut idem Basilius fieri oportere monuerat. Hinc eos probare non possum, qui putant Dorotheum Romam advenisse sub finem præcedentis anni, cumque ea synodus, qua Auxentius damnatus est, vel adhuc congregata foret, vel paulo ante, quam eo adveniret, dissoluta esset, ipsum deinde rebus celeriter confectis iterum discessisse cum Sabino, qui circa Pascha hujus anni litteras Athanasio Alexandriæ reddidit. Quidquid enim sit de tempore, quo diaconus ille Romam venit, atque inde abiit cum Sabino, quod bene constitutum puto, si synodus aliqua tunc Romæ habebatur, quæ causa est cur Damasus non litteras ad Orientales ex hac ipsa synodo, sed exemplum tantummodo litterarum ad Illyricos antea scriptarum Sabino perferendum dederit? an Sozomeno forte, ac Theodoreto Occidentalium magis, quam Orientalium res cognitæ fuere, ut synodicam quidem legerent, quæ ad Illyricos scripta est, quæ vero eodem tempore ad *Orientales* allata asseritur, clam illos fuerit? At inquiunt, Sabinus diaconus per Illyricum iter fecisse debuit, siquidem litteras ab eorum locorum episcopis Basilio reddidit, qui propterea illis privatim se rescripsisse ait (*a*) : quam vero aliam ob causam ad eas regiones penetrasse potuit, quam ut synodicam illam Romani concilii epistolam primo ad illos ferret, tum deinde in Orientem ad Athanasium, et Basilium? Ego vero non facile admiserim, eum diaconum iter suum per Illyricum instituisse : nam primo terrestri via euntibus, ab Arianis, a quibus pro majori parte Ecclesiæ occupabantur, timendum erat : deinde si pedibus cum Dorotheo iter fecerat, cur non recta ad Basilium, et Cæsaream, quæ prima longæ viæ, et laboris quies fuerat, sed ad Athanasium, divertit et Alexandriam? Nec aliud suadet Basilius, cum acceptas ab *Illyricis episcopis* litteras memorat : nam qui illi sint clare colligimus ex subsequenti epistola 91, in qua mentio injicitur unius Valeriani Aquileiensis, quem idem Basilius locorum proximitate deceptus *Illyricorum episcopum vocat*. Fieri itaque facile potuit, ut Sabinus iturus in Orientem ex Damasi mandato Aquileiam accesserit ad Valerianum ipsum, qui secundus ab eodem Damaso in synodicæ, quæ ad Orientales ferebatur, epistolæ exemplo inscriptus erat, ac magnæ præterea in Occidente urbis Ecclesiæ præerat, aut aliquam aliam ob causam; at inde ex aliquo Dalmatiæ aut Istriæ portu facile etiam solvere Alexandriam potuit, neque opus est, ut ob hanc causam prima sub Damaso synodus, cujus hæc epistola superest, ab anno, cui eam illigavimus, removeatur.

Sabinus itaque cum Dorotheo diacono Alexandriam appulit, primis hujus anni mensibus (*b*), litterasque a Damaso attulit Athanasio, a quo etiam missæ ad Basilium sunt, quæ ad eum pertinebant, *Synodica* scilicet Romani concilii, quæ ab eo *Occidentalium* dicitur, ac quorumdam præterea ex Gallia episcoporum, ac Valeriani Aquileiensis epistolas. An Damasus præter synodicam illam, alias adjunxerit ad eumdem Basilium litteras privatim scriptas, asserere non ausim : cur enim non eas ille recensuisset inter cæteras, quas se accepisse ait ejus generis epistolas (*c*) cum Romanus episcopus primo loco collocari, ac memorari debuisset? Aliud vero videtur mihi statuendum cum Athanasio, sive quia Sabinus dimitti ad eum non debuit sine litteris, sive quia Damaso cognitus ac familiaris fuisse videtur, sive quod scriptis ad Damasum a Basilio litteris, quas expendimus, suas alter rogatus adjunxerat, sive denique quia vix fieri potest, quin aliquod etiam missum eidem fuerit ad res, quæ tunc agebantur, necessarium commonitorium. Hinc substitit Mediolanensis hic diaconus aliquo temporis spatio apud Athanasium, tum deinde Cæsaream accessit ad Basilium, qui propterea solatium aliquod cepisse ait ex *Occidentalium* litteris, velut quæ rectæ eorum fidei, et invictæ in ea retinenda concordiæ argumentum essent, additque solatium illud auctum deinde Sabini diaconi adventu (*d*).

II. Ad has autem synodicas litteras Illyricis primum, tum deinde Orientalibus inscriptas, et trans-

(*a*) *Nos nacti diaconum Sabinum ab illis* (Occidentalibus) *missum scripsimus ad Illyricos, et ad Italiæ et Galliæ episcopos, et quosdam alios, qui privatim ad nos litteras dederant.* Epist. 89, ad Melet.

(*b*) Vit. Basil., cap. 22, num. 3.
(*c*) Vid. Epist. 89.
(*d*) Epist. 90.

missas, aperte, ni fallor, Sozomenus respicit, cum ait, controversiam illam, quæ jam pridem agitabatur, Utrum Spiritus sanctus Patri et Filio consubstantialis censendus esset, judicio Romanæ Ecclesiæ terminatam, ac definitam quievisse, statim ac *Romanus episcopus de ea certior factus scripsit ad Ecclesias Orientis litteras, ut una cum sacerdotibus et episcopis Occidentalibus Trinitatem, et consubstantialem esse, et gloria æqualem existimarent* (*a*). Quod profecto gravissimum est supremi, ac irreformabilis Romanorum pontificum in causis fidei definiendis judicii argumentum (*b*). Sunt qui hoc factum Liberio attribuunt, eo quod sequenti deinde capite ejus obitum, ac Damasi electionem Sozomenus narret: at in Sozomeno frustra sæpe rerum, ac temporis ordinem quæras, quem in hoc præcipue loco inversum fuisse apertissime constat: quæstio enim de divinitate sancti Spiritus ante duodecim circiter annos agitari cœperat: at cum Macedoniani ab Arianis, et Valente vexati Catholicis in speciem sese adjunxissent, hæresis illa tunc delitescere potius in tenebris, quam extingui visa est. Hinc factum, ut Liberius a tribus illis Lampsacenæ synodi legatis minime petierit, ut divinitatem sancti Spiritus aperte profiterentur, sed fide tantum Nicæna contentus fuit. Tunc itaque caput attollere rursus cœpit, postquam res pene compositas in Thianensi synodo triginta quatuor episcopi a reliquis secessione facta perturbassent (*c*), opus namque fuit, ut iterum serpentem, ac palam prodeuntem hæresim Damasus judicio suo proscriberet, cui proinde attribui debet, quod Sozomenus ad Liberii tempora, præpostere, ut Constantius ait, retulisse videtur. Id vero, quam certum sit, facile deprehendet, qui Damasi litteras cum iis conferat, quæ tum Sozomenus scribit, tum præterea Valentinianus imperator ad Asianos episcopos, ac Basilius ad Occidentales respondit post illas a Sabino acceptas. Id enim, quod Sozomenus a Romano episcopo ad Orientis Ecclesias tunc scriptum fuisse indicat, in hisce Damasi litteris non obscure legitur. Siquidem postquam hic pontifex Nicæna synodo definitum fuisse dixerat, *Patrem, Filium, Spiritumque sanctum, unius Deitatis, unius virtutis, unius figuræ, unius credi oportere substantiæ;* tum hæc addit: *Concinat ergo cum omnibus Dei sacerdotibus, et vestræ sententia Charitatis: in qua vos fixos, atque firmatos, ut bene credimus, ita etiam nos vobiscum recte sentire, debetis reciprocis Sanctitatis vestræ litteris approbare.* Hinc Valentinianus Romanam hanc synodum sequi se professus ad Asianos ait: *Nos vero perinde sentimus ac synodi, tum quæ Romæ, tum quæ in Gallis recenter factæ sunt, unam eamdemque substantiam Patris, et Filii, et Spiritus sancti in tribus esse personis;* ac Illyricanæ synodi episcopi anathema iis dicunt, qui non sentiunt, ac prædicant, *consubstantialem esse Trinitatem.*

III. Sed ut in viam revertar, Basilius acceptis litteris, rescribendum censuit triplici epistola (*d*), quarum prima *Sanctissimis fratribus Occidentalibus episcopis*, altera *Valeriano* Aquileiensi, tertia vero *ad Italos et Gallos* inscripta est. At quæ *Occidentalibus* inscribitur, ac privato Basilii nomine exarata est, ad Italos et Gallos, quæ vero *ad Italos et Gallos* titulum habet, communique aliorum Orientalium nomine scripta est *ad Occidentales*, et Damasum pertinet, erroreque factum, ut secus ac oportebat inscriberentur (*e*). Omnes Sabino, cujus etiam in iis mentio est, tunc in Occidentem reversuro traditæ sunt, ut redderentur. Utraque illa Romanæ ejus synodi definitionesque, scriptamque ab ea epistolam laudat, et complectitur: at Basilius, cum Italis et Gallis scribit, eorum preces opemque desiderat, ut apud Orientales quoque libere proferri possit *bona illa Patrum promulgatio, infamem Arii hæresim evertens, Ecclesias vero in sana doctrina ædificans, in qua Filium Patri consubstantialem confitemur, atque Spiritus sanctus pari honore simul et numeratur, et adoratur: ut quam vobis Dominus dedit pro veritate libertatem, et in divinæ salutarisque Trinitatis confessione gloriationem, hanc, et nobis per vestras preces, opemque vestram largiatur.* Cum vero Occidentales, Damasum, scilicet cæterosque sub eo collectos episcopos alloquitur communi nomine, ejus operam atque auctoritatem postulat, atque optat, ut non unus, aut alter, ut antea, sed plures ex episcoporum cœtu, ac nulla interposita mora in Orientem legatos mittat, quia *celeritate opus est ad eos, qui supersunt servandos, et plurium Fratrum præsentia, ut synodi numerum expleant, ut non solum ex eorum, qui eos miserint gravitate et majestate, sed etiam ex suo ipsorum numero pondus et auctoritatem ad res emendandas habeant, qui et fidem a Patribus nostris in Nicæna conscriptam instaurent, et hæresim proscribant, et Ecclesiis loquantur pacifica, eos qui idem sentiunt, ad concordiam adducentes;* quæ postrema ad Meletii causam, et Antiochenos pertinent, quam rursus Damaso Basilius, quamquam subobscure, commendatam cupit: tum his tandem verbis epistolæ finem imponit: *Revera enim laude dignum est, quod a Domino pietati vestræ datum est, adulterinum quidem a probo, ac puro discernere, Patrum vero fidem sine ulla dissimulatione prædicare, quam quidem et nos suscepimus, agnovimusque apostolicis notis signatam, eique ut cæteris omnibus, quæ in synodico scripto, canonice ac legitime statuta sunt, assentimur.* Quibus Basilii verbis accurate perpensis vir clarissimus Joseph Augustinus Orsi recte iterum conficit, ex Basilii sententia supremum, ac irreformabile Romani pontificis esse judicium. Nam si ille, ubi epistola synodi Romanæ Ariminensem irritantis reddita est, eam statim suscepit, eique incunctanter assensus est, nullas censuit Ariminense concilium habere vires posse, Ro-

(*a*) Sozom., lib. VI, cap. 23.
(*b*) Vid. Ors. tom. I, lib. I, cap. 8, art. 1.
(*c*) Vid. Vit. Basil., cap. 18.
(*d*) Vid. Epist. 89, 90, 91, 92.
(*e*) Vit. Basil., cap. 22, n. 4, 5.

mano pontifice decernente, ac synodice, canonice, et legitime judicante (*a*). Si quis autem has Basilii litteras cum iis conferat, quas Athanasius ad *Afros* et ad *Epictetum* dedit, facile conjiciet, eas omnes, uno eodemque pene tempore scriptas, post acceptam scilicet allatam a Sabino, Damasi, cæterorumque, qui ad ejus concilium convenerant, episcoporum epistolam. Hinc uterque frequentiam illius concilii laudat, observatamque fidei catholicæ, Occidentalium consensu concordiam Damaso gratulatur, quamquam præterea Athanasius scripserit, mirari se cur Auxentius damnatus jam, dejectusque, ac tot sceleribus obnoxius, Mediolanensi Ecclesiæ, ut vidimus, incubare pergeret, ea scilicet de re a Sabino ejusdem Ecclesiæ diacono tunc certior factus.

Quo anno scripta hæc altera ad Damasum epistola fuerit, ex duabus notis facile cognoscitur : altera, quod Meletii Antiocheni, altera, quod Anthimi Thianensis nomen præfert : alter enim nondum pulsus a sede Antiochena fuerat, quod hoc anno accidit, postquam Valens Antiochiam accessit : alteri autem nulla adhuc cum Basilio simultas intercesserat ob Cappadociam in duas provincias divisam, quod hoc ipso pariter anno factum, quamquam serius fortasse ac nonnulli putant. Itaque Sabinus hoc eodem tempore ad Damasum rediit cum hisce litteris, a Basilio Orientalium aliorum nomine scriptis, eique, quo loco res essent tum Orientalis universæ, tum Antiochenæ Ecclesiæ, exposuit. Baronius itaque lapsus est, cum illas ab eodem Basilio ad Damasum litteras hoc anno scriptas putat, quæ *Maritimis episcopis* inscriptæ sunt, easque Petrum Basilii fratrem Romam attulisse censet. Nam si quis eas attente legat, facile dijudicabit missas esse ad episcopos alicujus provinciæ non procul a Basilio positæ, qui sese a fraterna illius communione sejunxerant calumniis hæreticorum inducti, quosve sibi reconciliare pro eximia sua charitate hic optat. Nuperus editor ejus epistolarum, post accuratos alios criticos, *Maritimos* illos fuisse putat aliquos Ponticæ diœcesis episcopos (*b*), cui ego facile assentior, quia cum iis ita Basilius agit, ut et suam erga illos singularem charitatem ostendat, et quamdam etiam suæ adversus illos potestatis, et dignitatis rationem habeat ; quæ profecto scribendi ratio episcopum, qui Damasum alloquitur, minime decuisset.

IV. Valentinianus hoc anno legem dedit inscriptam Ampelio P. U. contra Manichæos (*c*). Baronius huic legi causam dedisse censet factiones, ac turbas, quæ ab hac colluvie sæpe excitatæ Urbem ipsam vexabant, easque ab Augustino pluribus in locis descriptas recitat. Hoc Baronii dictum Gotofredus, ac Pagius minime probant, quamquam nulla solida ratione. Nam quod aiunt illi, ea quæ de moribus Manichæorum Augustinus narrat longe post datam eam legem, nihil commune cum ipsa habere, falsum profecto est. Augustinus enim quæ narrat, non ea narrat se veluti præsente facta, sed longe antea quam Romam ipse accederet. An vero domesticæ illæ seditiones, a quibus Urbis quies detrimentum capere poterat, quæ diu antea ac sæpe excitatæ fuerant nihil ad imperatorem, nihil ad Urbis præfectum pertinere posse videbantur, ut iis aliquando occurreretur? Quid vero præterea, si dicamus legem illam latam fuisse suadente Damaso, ut Siricio suadente Gotofredus latam contra eosdem Manichæos censet legem 20, eod. tit. Cur itaque hanc ego Damaso attribuam, causam accipe. Prædestinatus asserit Damasum damnasse *Paternianos* hæreticos in scelere detectos, atque id Valentiniano Majori denuntiasse, ejus hæc verba referens : *Scire volumus pietatem vestram, Venustianos in scelere turpissimo detectos ab apostolica sede esse damnatos* (*d*). Dehinc addit contra eos legem postea prodiisse, ut ubicumque essent reperti, vindice gladio plecterentur, quod statuitur in eadem lege 3, de Hæret. : *Venustianos*, dictos etiam *Paternianos* ex Augustino constat, at nullus, quod ego sciam, exposuit cur utrumque hoc nomen illis inditum fuerit. Nam quod Daneus Calvinianus inquit, Paternianos a Paterno dictos, cum nos ejus hominis, patriam, ætatem, atque alia, quæ ad eam rem pertinent, ignorare patiatur, nanci est, ut hoc etiam quod Venustianos a Venere derivatos velit (*e*). Quod ad rem attinet, aliquam ex Manichæorum fæce sectam Venustianos fuisse oportet, tum quod inferiores corporis partes a diabolo factas crederent, tum quod impurissime viverent, quæ sunt manifesta Manichæismi argumenta. Hoc liquet ex Augustino (*f*), qui hæc Juliano respondit : *Sed Paterniani, inquis* (*g*) *iidemque Venustiani hæretici similes Manichæis, dicunt a lumbis usque ad pedes, diabolum fecisse corpus hominis, superiores vero partes Deum ; velut supra basim aliquam collocasse, adduntque nihil ab hominis studio requiri, quam ut anima, quam in stomacho, et capite habitare dicunt, munda servetur, pubem vere, si omnium flagitiorum sordibus obliniatur ; aiunt ad suam non pertinere curam. . . . quod ego in libro meo posui, longe distat ab istis Paternianis, seu Venustianis. Ego secundum catholicam fidem, totum hominem totam scilicet animam, totumque corpus Deo summo, et vero tribuo Creatori ; diabolum, autem dico, humanam, vel aliquid ejus non creasse, sed*

Cæterum fuisse illum ex hoc Manichæorum fæce hominem colligimus ex his ejusdem Victorini verbis : *Deum omnipotentem conditorem tuum fatearis, ut vere templum Dei sis .. Si enim templum Dei non sumus, neque spiritus ejus in nobis est ; si ejus sumus, utroque ejus sumus, anima, et corpore; et est illud verum, et catholicum sancto ore prolatum, omnia in omnibus Deus.* Quid igitur si hæreticos illos *Justinianos* ab illo tunc dictos, librarii per facilem errorem *Venustianos* effecerint ? Manichæum illum alii Justum vocant.

(*a*) Tom. II, lib. II, cap. 3, art. 1.
(*b*) Vit. Basil., cap. 33.
(*c*) Cod. Theod., l. 3, de Hæret.
(*d*) Hær. 85.
(*e*) Ad cap. 85 Augustin. de Hær.
(*f*) Contr. Julian. lib. v, n. 26, edit. BB.
(*g*) Marius Victorinus libellum scripsit a Sirmondo editum tom I Oper., p. 244, Ven. edit., adversus *Justinum* Manichæum, quem *Romanum* vocat. Ilujus igitur propudiosæ sectæ choragum illum fuisse conjicio ; cur enim præ cæteris Victorinus illum peteret?

vitiasse naturam. . . . quod si parum est, ecce damno et anathematizo ea quæ Paternianos et Venustianos sentire dixisti, addo etiam Manichæos. Venustianos itaque a Damaso damnatos Valentinianus coercuit, lege generali lata contra Manichæos, quorum appellatio omnes ex infecta radice pestiferos surculos complectebatur. Hinc Gotfridus Viterbiensis (*a*) hunc pontificem Manichæos detestatum scripsit. Damasi exemplum deinde secuti Siricius, ac Leo Magnus, tum ipsi per se, tum per imperatores hoc infamiæ genus, nedum ab Ecclesiæ, verum etiam a Reipublicæ corpore ejecerunt.

CAPUT VIII.

375, Damasi 8, Valentinianus aug. iv et Valens aug. iv coss.

I. *Damasus litteras a Sabino allatas ad Basilium remitti curat per Evagrium Antiochenum, atque alias juxta præscriptam Romæ formulam scribi: quo anno Evagrius in Orientem redierit.* II. *Cur Basilii litteræ Damaso non placuerint, quidve in illis desiderasse videatur?* III. *Quæ ejusdem Basilii, quæ Eusebii Samosateni, qui consultus a Basilio fuerat, de rebus ab Evagrio tunc postulatis, sententia fuerit?* IV. *De Athanasii obitu, Petri Alexandrini electione, ejusque ad Urbem fuga.*

I. Litteræ quas a Basilio communi Orientalium nomine scriptas, Sabinus in Occidentem retulerat, Damaso non placuerunt. Id constat ex Basilii ipsius epistola ad Eusebium Samosatenum hoc anno data, quæ sic ait: *Presbyter Evagrius Pompeiani Antiochensis filius, qui quondam in Occidentem cum beato Eusebio profectus fuerat, Roma nunc venit, petens a nobis epistolam, ad verbum ipsa illa, quæ ab eis scripta sunt continentem (nostra autem nobis retro retulit, ut viris illis accuratioribus non placentia) et legationem aliquam per viros præstantes celeriter mitti, ut speciosam illi occasionem habeant nos invisendi* (*b*). Sunt qui ex hoc loco arguunt, Evagrium invisisse Basilium, cum ab Occidente redux, et Hieronymo comes, per *Cappadociam peregrinaretur*, atque antequam Antiochiam, unde cum Eusebio Vercellensi discesserat, iterum se redderet. At hæc opinio vix probari potest. Nam si Evagrius retro tulit, ac Basilio reddidit, quæ ille per Sabinum Romam scripta miserat, si Sabinus anno elapso jam provecto ad Damasum rediturus ex Oriente vix solverat, fieri non potest, ut tunc primum Roma venisse dicatur, hoc scilicet anno, quo a Basilio visus est. Siquidem Hieronymus, cui comes fuisse creditur, ante Rufinum, ut ipse probat eidem Rufino scribens (*c*), Rufinus autem in Orientem anno 371 profectus fuerat (*d*), atque insequenti Alexandriam appulerat. Me non latet Syriam, extremum fuisse Hieronymianæ peregrinationis terminum: siquidem ait hic in epistola illa ad Rufinum, *in incerto peregrinationis erranti, cum Thracia, Pontus, Bithynia, totumque Galatiæ, et Cappadociæ iter, et fervido Cilicum terra fregisset æstu, Syria velut fidissimus naufrago portus occurrit* (*e*). At si ille, anno 370 aut altero, in Orientem abiit, quod huic toto itineri conficiendo tempus attribuemus? An vero sub anni 371 finem, aut altero saltem, Antiochiam venire non potuit? At Evagrius in ea urbe agebat, antequam Hieronymus ad solitudinem suam secederet. Hinc Florentio monacho scribit ipse de se, *magistrum pueri tui, de quo dignatus es scribere, sæpe Evagrius presbyter, dum adhuc Antiochiæ essem, me præsente corripuit* (*f*). Observandum vero præterea est, epistolam illam omnino scriptam, antequam Rufinus Alexandriam accederet, ut ex ejus tantum lectione aperte constat. Si vero Melania, cui Rufinus *Spiritualis viæ* comes aderat, *sex dumtaxat* menses in Ægypto mansit (*g*). Si præterea eos partim transegit sub Athanasio, a quo celebri *ovina pelle* donata est (*h*), partim sub initio Petri, Athanasii successoris, motæque ab Arianis persecutionis, cujus illa pars fuit (*i*), Ægypti monasteria circuire non potuit, nisi uno, aut altero tantum ejusdem persecutionis mense, eoque elapso Hierosolymam versus solvisse debuit: at cum Hieronymus solitudine sua jam frueretur, ut ex ejus ad Rufinum epistola constat (*j*), quo pacto Cappadociam tunc temporis peragrasse cum Evagrio potuit, qui fieri deinde potest, ut Evagrius, qui Antiochiæ jam sedem collocaverat, atque hospitem Hieronymum aliquot saltem menses retinuerat, antequam ad eremum secessisset, *Roma* tunc venisse dicatur, cum ad Basilium accessit hoc scilicet anno? Certum itaque, ni fallor, ratumque est, Evagrium hoc iter ad Basilium instituisse, uno tantum jusso, mandatoque Damasi. Basilius autem, cum eum *Roma* tunc venientem scripsit, aut ignorans scripsit, aut *Romæ* nomine, Damasum Romanum episcopum, a quo missus ille fuerat, intellexit, aut τὸ νῦν, idem valet, ac particula οὖν, ut sæpe solet, ac rectus hoc loco, consequensque orationis ordo postulare videtur: Evagrius enim jam diu antea sedem Antiochiæ constituerat, amicorum litteras ab Occidente accipiens ac vicissim distribuens.

II. Sed ut in viam redeam, cur Damasus legationem ex præstantibus dignitate viris compositam postulaverit, ratio minime obscura est: ita enim major apud omnes futura erat rerum agendarum auctoritas, prætereaque recens erat exemplum Lampsacenæ synodi, quæ præcipuos episcopos ad Liberium legatos miserat. Cum autem optaret ille, ut ea celeriter mit-

(*a*) In Chron. part. xvi.
(*b*) Epist. 138, alias 8.
(*c*) Epist. 3, Veron. edit.
(*d*) Fontan. de Script. Aquil. lib. iv, cap. 1, n. 6; Ballerinii Fratres in Observ. ad Noris. lib. 1, cap. 2; cl. Vallars. Vit. Hieron., cap. 29.
(*e*) Ep. 3, Ver. edit. tom. I.
(*f*) Epist. 5. Ver. edit., et in Præf. in Abdiam.
(*g*) Pallad. Hist. laus. cap. 117.
(*h*) Pallad. in Parad. Her. cap. 6.
(*i*) Rufin. lib. xi, cap. 2, 3; S. Paulin. Nol. epist. 29, Veron. edit.
(*j*) 3, Veron. edit.

teretur, hinc ejus deprehenditur erga catholicam religionem, atque unitatem studium, eique propterea non rem ipsam a Basilio propositam, sed modum forte, quo eam confici oportere censuerat, displicuisse. Hinc Evagrius, cui Antiochiæ commoranti, ac familiari suo, Damasus ipse agendarum et scribendarum rerum commonitorium miserat, Basilium petiit, ut aliæ litteræ componerentur id continentes, quod dictaverat idem Romanus pontifex. At quid hoc erat, quod Damaso displicuit, quid optavit ille, ut in aliis litteris exprimeretur? Mihi quidem, si divinare licet, videtur Damaso non placuisse nimium erga Meletium studium, quod Basilius Athanasio, itidemque Dorotheo, tum Sabino ipsi in Occidentem redeunti aperte explicuerat. Videbat enim tantam esse viri hujus dignitatem, atque auctoritatem, ut nisi tantisper a sententia jam præjudicata decederet, iis quæ forte pro restituenda Antiochenæ Ecclesiæ unitate, ac tranquillitate meditatus ipse fuerat, impedimento esse posset; ideoque optabat, ut litteras iterum scriberet continentes, quod ipse præscripserat, id nempe, quod ad eum finem facilius assequendum, aptum esse intellexerat; et ut cum iisdem litteris viri mitterentur dignitate præcipui. Hoc, ni fallor, non obscure colligitur ex iis, quæ Evagrius ad Basilium scripsit, postquam ab eo discesserat, atque Antiochiam reversus fuerat. Primo enim pacem, atque unitatem impense laudat, ac schismata et divisiones vituperat: deinde Basilium hortatur, ut eas ab Ecclesia Antiochena amoveat, pacemque inter orthodoxos conciliet, ut qui maxime idoneus sit ad id præstandum. Quia vero aliqua pacis ineundæ ratio proposita forte ab Evagrio fuerat, quam neque Basilius pro suo in Meletium studio, neque Meletius pro sua dignitate admittere posse existimabant, respondet ea de re se Meletio scripturum, deinde hæc addit: *Nihil tamen exspecto ex litteris alicujus momenti eventurum, tum viri* (Meletii) *accuratam agendi rationem considerans, tum ipsam litterarum naturam: quia non solet idoneus esse ad clare persuadendum sermo transmissus. Nam multa opus est dicere, ac multa vicissim audire, et quæ objiciuntur solvenda; et inferenda quæ suffulciunt; quorum nihil potest litterarum sermo iners, et inanimis in charta projectus. Verumtamen quod jam dixi, scribere non gravabor* (*a*). Agebatur itaque de re aliqua permolesta Meletio, et quæ ægre illi, ac multo cum labore suaderi vix posset. Quia vero Evagrius minime ignorabat, Basilium non bene affectum erga Paulinum, in quem Damasus propendebat, hocque illi forte exprobraverat, veluti futuro pacis sequestro minime congruum subjicit ille: *Scias autem frater vere religiosissime, et nobis desideratissime, nullam mihi cum quoquam, Dei gratia, privatam esse contentionem, neque enim memini me curiose inquirere crimina, quibus quisque obnoxius est, aut dicitur: quare sic vos attendere sententiæ meæ convenit, ut hominis, qui nihil ex propensione facere possit, neque accusationibus in quemquam præoccupatus sit.* Interea hinc inferri potest, Damasum communionem suam minime concessisse tum Meletio, tum Paulino ad hoc usque tempus, sed rem integram servare voluisse, ne unam ex Antiochenæ Ecclesiæ partibus præferens, alteram offenderet, atque ita spem omnem reconciliationis excluderet: neque enim credibile est, Evagrium rem tantam sine Damasi jussu, arcanoque mandato aggredi voluisse. Accedit quod Evagrius ipse, qui Basilio præsenti antea promiserat, communicaturum se cum Meletii partibus orthodoxis, statim ac Antiochiam rediit, promissis minime stetit; an vero promisisset se communicaturum cum Meletio, si Damasus cum Paulino jam antea communicasset?

III. Causa itaque, cur Damaso non placuerant Basilii litteræ per Sabinum redditæ, et cur ille iteratam honestiorem legationem peteret, non alia fuisse videtur, quam ardens ipsius desiderium reconciliandi Antiochenæ Ecclesiæ orthodoxos, atque ideo Basilium abducendi ab omni studio partium, ut eo adjutore potius quam adversario uteretur: atque eum in finem Evagrium ad eum misit, quo ejus animum pertentaret. Basilius tamen Evagrio ipsi tunc responsum distulit, ut prius Eusebium Samosatenum præsens consuleret, quod deinde quominus faceret, longa infirmitate detentus, ea ipsa quam initio memoravi, epistola quærit, quid de rebus ab eo presbytero propositis, constituendum censeat.

Eusebius ex parte saltem Evagrii consilium probasse visus est. Scribit enim Basilius Meletio tunc exsuli se accepisse litteras ab episcopo Samosateno, *quæ præcipiunt, ut rursus scribatur ad Occidentales de rebus quibusdam ecclesiasticis*, ac velle illum præterea, ut a se epistola efformetur ab omnibus deinde communicatoribus subscribenda. At hanc a se curam deprecatur, et in Meletium ipsum rejicit, cui propterea commentarium eorum, quæ Eusebius scribenda censuerat, per sanctissimum alterum Antiochenæ Ecclesiæ ex Meletii partibus presbyterum mittit. Cæterum spondet sese et subscripturum, et curaturum, ut a reliquis epistola subscriberetur, ut ille qui iturus esset in Occidentem, cum omnium subscriptionibus proficiscatur (*b*). Hæc eadem repetit in alia ad eumdem Meletium epistola scripta, postquam certior effectus fuerat eumdem sanctissimum apud illum versari (*c*). Dum vero de legatione hac mittenda Basilius, Eusebius ac Meletius deliberant, totus efflluxit annus, nullusque Romam est missus. Hinc Basilius ipse Eusebio legationem iterum urgenti scribit. *Mittere autem in Occidentem*, ait ille, *mihi prorsus impossibile est, neminem habenti idoneum ad hoc ministerium. Quod si quis ex fratribus, qui apud vos sunt, Ecclesiarum causa laborem suscipere volet, is scit proculdubio, ad quos profecturus sit, et ad quem finem, et quorum sit litteris communiendus, et qualibus. Ego enim conjectis in Orbem*

(*a*) Epist. 156, alias 342.
(*b*) Epist. 120, alias 58.
(*c*) Epist. 129.

oculis, mecum video neminem (*a*). Quæ profecto omnino probant, nullam hoc anno ad Damasum ab Orientalibus, quamquam cæteroquin pararetur, legationem missam (*b*).

IV. Athanasius episcopus Alexandrinus ad superos migravit *consulatu Valentiniani et Valentis* IV, *Pachom.* VIII, die scilicet 3 Maii 373. Diu disputatum est a viris doctis de anno ejus emortuali, at postquam cl. Maffeius edidit vetus illud, ac pene synchronum monumentum, quod totam fere Athanasii vitam compendio narrat, eoque beneficio præter alia plura eruditos sibi devinxit, causa confecta est (*c*). Athanasio successit Petrus magno Ecclesiæ plausu, qui Damaso statim pro recepto more et ordinationem suam, et calamitatem denuntiavit, quam Palladius præfectus ethnicus homo, Christiano populo intulerat. Damasus vicissim consuetas communionis, ac præterea consolationis litteras misit per diaconum quemdam urbis Romæ cujus nomen Petrus Alexandrinus tacet, quamquam profecto dignissimum, quod ad posteros transmitteretur. Scribit enim Alexandrinus præsul in encyclicis litteris, quas Theodoretus recitat (*d*), beatum illum diaconum vinctis post terga manibus ductum a carnificibus, non secus ac insignem quemdam maleficum, homicidarum tormentis cruciatum, lapidibus, ac plumbatis cervice diu verberata, navigium cum permultis aliis confessoribus conscendere jussum, divinæ crucis signo consignata fronte omni cura, ac solatio destitutum, ad metalla datum fuisse. Huic vero diræ persecutioni a Palladio excitatæ contra Alexandrinam Ecclesiam, cumulus accessit ab Arianis. Euzoius enim Arianus Antiochiæ pseudoepiscopus, ac magnus sacrarum comes a Valente missi post auditam Athanasii mortem, ut Lucio Ecclesias traderent, Petrum Alexandrinum carceri mancipaverunt, a quo tamen elapsus, conscensa navi ad episcopum urbis Romæ se contulit (*e*). Valesius, ac Pagius inter ordinationem Petri, ejusque fugam, satis longum temporis spatium intercessisse putant (*f*), ut vix fieri possit eum ad Urbem hoc eodem anno venire potuisse: Tillemontius observat hanc Valesii opinionem antiquorum testimonio destitui: at ego addo nulla etiam probabili ratione fulciri. Trimestri enim spatio hæc omnia confici nullo negotio potuerunt ac quarto, aut quinto ab Ethnicorum atque Arianorum persecutione mense, Septembri nempe, aut Octobri conscensa navi Romam Petrus appellere. Sub prima itaque persecutione, quæ a Palladio ethnico homine excitata est, Petrus minime cessit, neque Ecclesiam deseruit. At postquam Euzoius cum magno sacrarum largitionum comite Lucium in throno collocarunt, tunc ille exemplo Athanasii ad apostolicam sedem perfugium cepit: quamobrem Bonifacius illum merito inter eos numerat, qui præsidio appellationis ad Romanum pontificem usi sunt, ut jus suum sartum, tectumque servarent (*g*). Hinc synodicus Catalogus latronem Lucium a Damaso anathemate notatum scribit in synodo, de qua mox dicam.

Cæterum qua Damasus charitate Petrum exceperit, ac detinuerit apud se, cum cætera nobis documenta desint, conjicere ex his facile possumus, quæ Nazianzenus scribit: *Petrus pro cadaveribus cruentas vestes Ecclesiæ Romanæ protulit, ut auxilium nanciscereturr, quemadmodum etiam nactum esse scimus. Fit enim sæpe, ut qui opibus, et potentia præcellit, ad infirmi, afflictique miseriam sublevandum maxime inflectatur, ac spontaneæ benevolentiæ affectu, ad eum, qui dignitate imminutus est, se adjungat* (*h*).

CAPUT IX.

374, Damasi, 9, Gratiano aug. III et Fl. Equitio coss.

I. Basilius, cæterique Orientales episcopi ad Damasum mittunt Dorotheum presbyterum Antiochenum cum litteris, quæ afferuntur, et illustrantur. II. Synodus a Damaso coacta, ejusque ad Orientales litteræ per Dorotheum reducem allatæ, quæ illustrantur. III. Hujus synodi annus statuitur. IV. Lex 20 *C. Theod. lib.* XI *tit.* 36 *expenditur. V. Simplicius Urbis vicarius, cui lex inscripta: Theophanes explicatur de Sabbatianis agens, libellus Faustini, et Marcellini iterum excutitur.*

I. Cum itaque Eusebii Samosateni, ac Meletii auctoritas Basilium permovisset, ut Evagrii Antiocheni consilio cederet, ac ut iterum mitterentur ad Occidentales, qui litteras ferrent, ac Orientalis Ecclesiæ calamitates viva voce describerent, Dorotheus presbyter Antiochenus, Orientalium eorumdem nomine Romanum iter aggressus est (*i*). Hoc constat ex epistola Basilii 242 et 243 (*j*), quarum prior Occidentalibus, sub qua potissimum voce Romanum pontificem designatum scimus, altera vero *Italis, et Gallis episcopis* inscripta est. Nam cum Evagrii sententia fuisset ut plures, iique præstantes dignitate viri Romam ablegarentur, neque hoc Basilius, ejusque partium sanctissimi episcopi ignorarent, causam quominus id fecissent, gravissimam allegant his verbis: *His de causis plures ex nobis oportebat ad vestram dignitatem accurrere, et unumquemque rerum suarum narratorem fieri: nunc vero hoc ipsum vobis indicio sit*

(*a*) Epist. 136.
(*b*) Vid. Marant. Vit. Basil., cap. 23, n. 6.
(*c*) Vid. eruditos Ballerinios fratres observ. ad Noris. lib. I, cap. 2.
(*d*) Lib. IV, cap. 22.
(*e*) Vid. Socr. lib. IV, cap. 21; Sozom. lib. VI, cap. 19.
(*f*) Valesius, H. E., lib. IV, cap. 22; Pagius ad ann. 372, n. 22.
(*g*) Bonifac. ad Ruf. Thessal., epist. 15 apud Constant. Vid. Lup. de Rom. appell. dissert. 1, cap. 4.
(*h*) Orat. in Laud. Hieron.
(*i*) Idem ipse, ut ego puto, qui diaconus priores Basilii litteras Romam attulerat anno 371 ad presbyteratum deinde evectus. Sic Possidonius sub Cyrillo Alexandrino diaconus, deinde presbyter litteras sæpe attulit Cælestino, Sixto, ac Leoni. S. Leo Magn., epist. 81, Lugdun. edit.
(*j*) Alias 50 et 82.

illius, in qua degimus afflictionis, quod nec facultas quidem nobis est itineris suscipiendi. Etenim si quis vel brevissimo tempore abfuerit, traditos relinquet populos insidiantibus (a). An vero manifestior esse potest ad hoc Evagrii consilium allusio? Cum vero Evagrius Basilium de hac mittenda legatione monuisset anno elapso, an litteras has, quæ eo respiciunt, differemus ad annum 376, ut nuper viro alicui docto visum fuit. Postquam igitur Basilius causam hanc gravissimam Italis et Gallicis episcopis aperuit, cur plures, iique dignitate præstantes viri missi non fuerant, tum hæc addit: *Unum misimus vice multorum, religiosissimum, ac dilectissimum fratrem nostrum Dorotheum compresbyterum, qui et quæcumque effugerunt litteras nostras, sua ipsius narratione potest supplere, cum omnia assecutus sit accurate, et defensor sit rectæ fidei. Hunc suscipientes in pace, celeriter dimittite, bonum nobis nuntium afferentem studii vestri ad fratres adjuvandos.* In ea vero, quæ, Occidentalibus, Damaso scilicet, eorum corypheo reddenda fuerat, breviori, et graviori exarata stylo, Orientales auxilium jamdiu ab Occidentalibus expectatum iterum postulant; expositisque, quibus Catholici vexabantur procellis, *obsecramus*, aiunt, *ut vel nunc tandem porrigatis manum Orientalibus Ecclesiis jam in genua inclinatis, et mittatis, qui admoneant de reservatis ob mala pro Christo tolerata præmiis: Non enim tantum consueta oratio efficere, quantum peregrina vox solet afferre solatii, præsertim ab hominibus veniens ubique præclarissimam in partem Dei gratia cognitis:* sed præter hanc causam aliam addunt, qua magis Occidentales permoveri debeant, quæ cum claris verbis minime expressa sit, nullus dubito, quin in commonitorio rerum a Dorotheo explicandarum descripta fuerit: *Apud nos*, inquiunt, *sunt qui gloriæ desiderio, et maxime evertente animas Christianorum tumore, effutierunt quorumdam novitatem verborum unde Ecclesiæ quassatæ, quasi vasa quædam luxata influentem hæreticam corruptelam receperunt. Sed vos, o dilectissimi nobis, ac optatissimi, sauciorum quidem sitis medici, sanorum vero hortatores, quod ægrotum est, ad sanitatem revocantes, et quod sanum inciunt ad pietatem.* Hoc tamen loco Apollinarium tecto nomine indicatum puto, iisque coloribus adumbratum, propterea quod ejus tunc fama si non integra, saltem non prorsus mala ferebatur.

II. Damasus his sibi redditis a Dorotheo litteris synodum convocat. Ejus unicum fragmentum superest, quod Holstenius in lucem protulit, ac nos suo loco collocavimus. Hoc autem omnes tunc in Oriente grassantes hæreses proscriptæ sunt, Sabelliana scilicet, et Photiniana, Ariana, sive Eunomiana, Pneumatomachorum, et Apollinaristarum, quamquam posterior hæc levi brachio petita est, ac veluti fugientibus armis, quia nondum palam eruperat. Eas omnes una episcoporum Occidentalium consensione concidisse Damasus ait, veluti Hierico communi Israelitarum voce conclamata, prolapsa est. Quia vero Basilius tum per Sabinum antea scripserat, ut viderent Occidentales, quibuscum communionem habere eos oporteret, tum iterum per Dorotheum presbyterum monendos censuerat, ne sine judicio *reciperent communiones ex Oriente venientium (b)*, ideo Damasus post eam fidei ecthesim addit: *Hæc est, fratres dilectissimi, fides nostra, quam quisque sequitur, noster est particeps, his nos communionem damus:* ex quo observari potest concessam a Romano pontifice, aut negatam communionem, habitam ubique pro lege fuisse. Monuit deinde Orientales, ne canones in clericorum ordinationibus negligerentur, neve eorum prævaricatoribus facile communio impertiretur, ac tum litteras ita concludit: *Cæterum quod ad removendas vestræ dilectionis spectat injurias, nec frater noster Dorotheus presbyter explicare omnia vivaciter prætermittit, nec nisus nostri, ut ipse testis est, defuerunt.* Quibus quidem verbis intelligimus, Damasum cum synodo aliquam pertentasse viam, qua Orientalibus auxilio esse possent.

III. Cur vero hanc synodum præsenti anno coactam dicamus, obvia profecto, ac certa est, ni fallor, ratio. Dorotheus enim, qui litteras Orientalium Romam attulerat, secum retulit synodicum decretum, ac responsa ad Orientales, ut ex modo recitatis verbis constat. Litteras vero Orientalium hoc ipso anno ineunte scriptas probavimus, tum quia in iis aperta allusio fit ad ea, quæ Evagrium inter, et Basilium non multo antea tractata fuerant, tum quia Orientales ipsi, cum illas scriberent, aiunt, annum esse *tertium decimum*, ex quo hæreticum in Catholicos bellum exortum fuerat, qui si numeretur a persecutione post Constantinopolitanum Arianorum concilium cœpta, nos ad hoc tempus omnino ducit, cui præterea cætera omnia, quæ in hac epistola 212 et 243 describuntur, mire conveniunt (c). Quamquam enim sub Juliano, ac deinde sub Joviniano catholici episcopi reversi essent ad sedes suas, alter tamen, cum ita Arianis aperte faveret, ut non multo melius essent Catholicorum res, quam sub Constantio, alter vero post paucos ab imperio menses obiisset, persecutio vix interrupta videri poterat. At contra si annos tredecim a Valentis persecutione numerare volumus, quod placuit scriptori Vitæ Basilii, cum ea non cœperit ante annum 367, ut Pagius probat, sive ante annum 365, ut aliis videtur, hæc temporis nota nos traheret ad annum 378 aut 380, quod falsum oppido est.

IV. Ad hanc itaque synodum puto referri posse legem 20 Cod. Theod. lib. XI tit. 36, qua Cecropius a concilio septuaginta episcoporum damnatus a Valentiniano dicitur, atque ad præfectum Urbis ab ea sententia provocans, pecuniaria pœna mulctatus. Lex illa data est Valentiniano N. B. P. et Victore coss., anno scilicet 369, VIII Id. Jul.; contra cum inscripta sit Claudio P. V. ejusque Urbana præfectura cum in annum cadat 374 (d), quo hanc sub

(a) Ep. 243, n. 5.
(b) Epist. 129.
(c) Vid. Tillem. in Basil., not. 67.
(d) Reines. epist. 19, p. 45.

Damaso synodum habitam dicimus, vitium in consulatum irrepsisse dicamus oportet. Quod si error, ut aliis magis placet, in inscriptione latet, ac Olybrius loco Claudii reponendus est, Cecropius a prima sub Damaso synodo, anno scilicet 396, damnatus videri poterit. Ipsa vero lex præfecto Urbis inscripta non obscure indicat, verosimillimam esse Baronii (*a*), aliorumque conjecturam existimantium, Cecropium illum ab episcopatu depositum, quod Ursino adhæserit. Factiosorum enim horum hominum contumacia, ac protervia sæpe factum est, ut imperatores, Urbanique judices huic rei sese immiscere debuerint, quamquam id schismaticorum malo semper acciderit, ut jam dixi, atque iterum dicam.

V. Hoc anno vicario Urbis Ursicino Simplicius successor est datus (*b*). Gratianus hujus Simplicii meminit in rescripto ad Aquilinum vicarium, de quo iterum suo loco, atque ei missum a se edictum ait, quo jubebatur, *ut omnes, qui impios cœtus profanata religione tentarent, ad centesimum ab Urbe milliare expellerentur, ubi pertinax furor ab obsequentibus destitutus, in ejus perniciem rueret, qui solus erraret.* His igitur ejus rescripti verbis, quod Simplicio tunc Urbis vicario transmissum, et ad Valentiniani imperium pertinet, rebaptizantium omnium sectas designatas intelligamus necesse est, quia Valentinianus pater, si eos, et Manichæos excipias cæteris omnibus *quod animo imbibissent, colendi libertatem* antea concesserat (*c*).

Sunt itaque viri docti, qui ad hunc annum referunt, quæ Faustinus et Marcellinus vesana capita, ex Damasi mandato gesta fuisse narrant contra Luciferianos. Hac enim lege Damasus agere, per Ecclesiæ defensorem potuit, ne Luciferianorum, ac rebaptizantium cœtus fierent, atque hac, aliaque forte Valentiniani constitutione contra rebaptizantes episcopos edita (*d*) curare ut Aurelius Luciferianorum tunc in Urbe pseudoepiscopus, veluti sacerdotio indignus alio amandaretur.

Hanc vero conjecturam confirmare videtur Theophanes, cum scribit ad annum divinæ incarnationis 377, Damasum Sabbatianos ab Ecclesia ejecisse. Annus enim ille apud Alexandrinos, incipit a kalendis Decembris anni 374, ut etiam Pagius notat (*e*). Nullos sub Damaso Sabbatianos fuisse certum est: hoc quippe nomen audiri cœpit post obitum Theodosii Magni, cum Sabbatius a Novatianis secessione facta, sectam condidit ab eo dictam; ex quo aperte colligimus, septimum Constantinopolitani œcumenici concilii canonem, in quo expressa Sabbatianorum mentio est, alterius ab illo temporis, et concilii esse. Novatianos itaque omnes, sub ea voce Theophanes intelligit, eosque ab Ecclesia Damasus proscripsisse potuit, veluti qui cum Montensibus ac Luciferianis sub imperatorum edicto ad Simplicium dato comprehensi videri poterant. Novatiani quippe non secus ac Donatistæ, anabaptismum profitebantur, atque arcta erat inter eos conjunctio, ut ex Innocentii litteris (*f*) constat atque ex Cypriano, et Ambrosiastro (*g*): quam profecto hæresim Hilarius Luciferianorum diaconus inter suos quoque invexerat, ut Romæ haberet, quibus cum communione jungi posset. Damasus itaque videtur auctor fuisse, ut Valentinianus, et Gratianus hanc contra rebaptizantes legem ferrent, atque ad Simplicium Urbis vicarium mitterent, ut junctis viribus, ac sententiis, religioni consuleretur. Hinc Luciferiani Faustinus et Marcellinus queruntur, Damasum ipsum *accepta auctoritate regali catholicos presbyteros, et laicos insectum, in exsilium misisse;* Urbis autem judices accusant, quod imperatorum legem perperam interpretati, Damaso ipso nimium obsequerentur.

Cæterum, ut ipse cognoscas, definiasque, quæ Luciferianis schismaticis his presbyteris, cum Damasum, aliosque egregios catholicos episcopos calumniis aspergunt, fides haberi possit, uno hoc præ cæteris exemplo ostensum eo. Maximo post Ariminense concilium ab sede pulso, Zosimum ab Arianis subrogatum asserunt, quem præterea honoris gratia ad se venientem a Lucifero ex Oriente reduce non admissum aiunt. At hunc Maximum, Zosimumque, inter Neapolitanos episcopos in Chronico Joannis Diaconi alioque a Blanchino edito frustra quæras. Quin vero, si ejus ecclesiæ monumentis fides est, nullus omnino locus illis esse poterit; nam Severus, cui scribit Ambrosius epistolam 59, et cujus apud Symmachum mentio cum laude est (*h*), Episcopatum illum tenuit, ac sancte administravit ab anno saltem 342 ad an. 387. Hinc vir clar. Alexius Symmachus Mazochius in not. eruditissimis ad vetus marmoreum Neap. Eccl. Kalendarium, ad diem 21 Februarii recte colligit inter fabulas rejici oportere Neapolitanum Ursicini episcopatum, quem cl. Muratorius ante Severum ipsum in notis ad ejusdem Joannis diaconi Chronicon, collocare visus fuerat. Quamquam deinde non video, cur alio loco Zosimum hunc, et Maximum inter ejusdem Urbis episcopos recensere ille potuerit, eosque Ecclesiam illam ab anno 359 ad annum 361 administrasse scripserit (*i*) quos æque ac Ursicinum Severus tunc ejus Urbis episcopus rejicit.

CAPUT X.

375, Damasi 10, post consulatum Gratiani Aug. III et Equitii.

I. *De Vitali Apollinarista, ejusque ad Urbem accessu, et accedendi causa: de fidei formula ab eo oblata Damaso, et communione per fraudem extorta, ac de tribus ab eodem Damaso scriptis ea occasione ad*

(*a*) Anno 369.
(*b*) Gothof., Chronol. ad hunc ann., Tillem. de Valentin. I, art. 29.
(*c*) L. 9 Cod. Th. de Hær.
(*d*) Cod. Theod. lib. XVI, tit. 6, l. 1.
(*e*) Ad ann. 373, n. 2.
(*f*) Apud Coust. ep. 5, n. 2, ep. 2, n. 11.
(*g*) Cyprian., epist. ad Jubaian., n. 8; Ambrosiast. in cap. 1 epist. II ad Corinth.
(*h*) Epist. 31, lib. VII.
(*i*) Ad Non. Aprilis p. 188, et ad 14 Junii, tom. II.

Paulinum Antiochenum epistolis agitur. II. *Harum postrema inter Catholicos Antiochenos motus excitat, qui referuntur ex Basilio.* III. *Dorotheus de tertio Romano itinere ob eam causam cogitat, ac eumdem Basilium consulit.* IV. *Simplicianus, qui deinde Ambrosio successit, Romanæ Ecclesiæ presbyter; Baronius propugnatur.*

I. Damasi litteræ, quarum dumtaxat fragmentum superest (*a*), ac Dorotheus redux Orientalium episcoporum animos erexerunt, ob auxilium, cujus Romanus pontifex, ac congregati episcopi tum re ipsa, quoad poterant, tum verbis, ac prolixa voluntatis declaratione spem fecerant. Id colligitur ex iis, quæ Basilius tunc scripsit ad presbyteros Antiochenos, ad Pelagium Laodicensem, et Vitum Charrorum episcopum (*b*). Verum paulo post mutata rerum facies est, ob ea quæ recenter Antiochiæ contigerant. Vitalis presbyter ex Meletii clero fuerat, qui cum ægre ferret prælatum sibi Flavianum, causatus se contemptui ab illo habitum, ad Apollinarium se transtulit, a quo regendis iis, quos sibi in ea urbe adjunxerat, præpositus est (*c*). Credibile est rem omnen delatam Damaso per Paulinum, augeri scilicet Antiochiæ Apollinarii sectam, huic nuper accessisse Vitalem magni in ea urbe nominis, atque illum ab eodem Apollinario agendis hæreticorum synaxibus admotum, haud exiguo damnatæ ab Alexandrina, et Romana ante acta synodo hæresis præsidio, et catholicæ fidei detrimento. Quam enim aliam præter hanc afferemus magni illius, quod utrumque obtinuerat, dissidii causam (*d*)? Romam itaque Vitalis accessit, ut se purgaret, ante sponte sua, an vero accitus, obscurum est. Tillemontius illum sponte sua accessisse putat ut communionem, quam frustra a Paulino regitaverat, a Damaso obtineret (*e*). At cum idem Damasus, ut Nazianzenus ait, *fidei* ab eo professionem exegerit, cum præterea in eo libello, quem Pontifici ἀπαιτοῦντι obtulit, id agat dumtaxat, atque in hoc incumbat, ut Apollinarii hæresim alienam a se faciat, seque ab ea suspicione liberet, facile colligimus, eum non sponte sua, sed accitum, tantum confecisse viam. Cyrillus Alexandrinus quamdam fidei confessionem recitat Vitalis episcopi his conceptam verbis: *Si quis dixerit Dominum, ac Salvatorem nostrum, qui ex Spiritu sancto, et Maria Virgine secundum carnem natus est, animam, aut mente, aut ratione, aut sensu destitutum esse, anathema sit* (*f*).

Petavius hæret an eam Vitali nostro attribuat (*g*). Verum si quis eam piis, ac veram fidem spirantibus dictionibus conscriptam videat, si quis eam cum altera conferat, quam ab eodem Vitali expressam Epiphanius retulit (*h*), vix dubitaverit, quin ut Lequienius ait (*i*), ex ipsius officina prodierit. Hinc Nestorius Cyrillo exprobrat, quod testimonio Vitalis Apollinaristæ, velut alterius ab illo Vitalis, usus sit (*j*). Vitalis enim non secus ac alii ejus sectæ homines, rationis, mentis, et sensus voce, quem Christo Domino concedere videbatur, aliud nihil intellexit, Epiphanio teste, quam divinum ipsum Verbum, quod mentis supplere vices. Cum itaque fides hæc, quam scripto obtulerat, prima fronte sana, ac recta visa esset, Damasus eum, quoad Romæ fuit ad communionem admisit; quod versutam nequitiam atque abditam, et occultam fraudem sub iis latentem verbis, tunc minime deprehendisset: at pro eo, quod ad futurum tempus, et Ecclesiam Antiochenam attinet, scripsit Paulino, ut ille, cui ea exploratior esse debuerat, causam expediret, se ratum habiturum, quidquid optimum censuisset, atque eas litteras Vitali tunc abeunti tradidit, ut illi redderentur. Verum paulo post ejus ab Urbe discessum, scripto iterum brevi epistolio per Petronium presbyterum afferendo, significavit aliquem subortum sibi in ea re scrupulum; at quia deinde prævidit, fore ut Paulinus ob eam causam consilii incertus nihil ageret interea, ac rem omnem detineret, quousque aliæ allatæ essent a Romano pontifice litteræ, quibus eo dubio absolveretur; ne tempus frustra traheretur, ac ne Vitalis, aliorumque ad Ecclesiam venientium receptio diutius differri posset, hanc Antiocheno præsuli, quæ tertia est, epistolam scripsit, qua veluti quodam rerum agendarum commonitorio conditiones adjicit, ac expressam in ea fidei formulam (*k*) mittit, *non tam tibi*, ut ait Damasus, *qui ejusdem fidei communione sociaris, quam his, qui in ea subscribentes, tibi, id est nobis per te voluerint sociari.* Hinc vero intelligimus, Damasum cum hæc scriberet, incertum prorsus, atque in expectatione futuri Antiochiæ eventus fuisse: quamobrem *anathematismum* illum, quo Nazianzenus captiosum fidei a Vitalio oblatæ libellum eversum et sublatum ait (*l*), alium esse ab eo, qui hac eadem epistola exprimitur, atque alio tempore promulgatum, postquam scilicet intellexit Vitalem ipsum atque Apollinarianos in pristinis perstare expositionibus, ac postquam *rectius edoctus*, fucum sibi factum vidit, et *permoleste tulit*, ut idem etiam de se Nazianzenus inquit.

II. Hac itaque Damasi ad Paulinum epistola, quam secundo loco ego recenseo, factum est, ut causa ipsum inter ac Meletium diu agitata, confecta aliquando visa fuerit, ut statim dicam. Cur vero Damasus Paulino potius quam Meletio communicandum censuerit, plures sunt, ac gravissimæ rationes. Prima, quod Vitalis presbyter a Flaviano contem-

(*a*) Vid. post. epist. 1, num. 1.
(*b*) Ep. 253, 254, 255; Vit. Basil., cap. 36, n. 6.
(*c*) Sozom. lib. VI, cap. 25.
(*d*) Vid. Epiph., Hær. 77, num. 20.
(*e*) De Apoll., art. 9, tom. VII.
(*f*) Ad Reg. cap. 10, tom. VI.
(*g*) Theol. tom. IV, lib. VI, cap. 1, § 18.
(*h*) Hær. 77, ex num. 20.
(*i*) Dissert. 2, § 7.
(*j*) Epistol. 15, apud Lup. ad Ephes. Concil. Oper. tom. VII: *est Vitalis qui orthodoxus fuit episcopus, est et alius Vitalis, qui ab impio fuit Apollinario consecratus.*
(*k*) Vid. ep. 2.
(*l*) Vid. Nazianz., epist. 2, ad Cledon.

ptui habitus Meletii communioni renuntiaverat, nec alter supererat Antiochiæ catholicus episcopus, quocum spes esset ut communicare vellet, quam Paulinus. Secunda, quod Meletius, qui longe aberat a suo grege, in exsilium pulsus, gravissimo huic negotio ea, qua par erat, diligentia expediendo adesse non poterat. Tertia, quia Paulinus contra, erat Antiochiæ præsens, et recte fidei studium præ se tulerat in ea urbe, suumque regimen Damaso jam approbaverat. Illum his rationibus inclinatum jam erga Paulinum, promovere etiam potuerunt tum exemplum Athanasii, qui quoad vixit, communionem cum eo retinendam censuit, tum consilium Petri Alexandrini ejus discipuli ac successoris, qui per id tempus Romæ aderat; tum etiam haud laudandus Meletii in Ecclesiam Antiochenam ingressus, frequentesque ejus de Ecclesia ad Ecclesiam migrationes, quamquam deinde eam notam vitæ sanctitate ac fidei integritate eluisset. Quamobrem non longe a temeritate abeunt, qui injuriam Meletio a Damaso factam, eique præ Paulino Ecclesiam Antiochenam adjudicari debuisse scribunt.

Dorotheus itaque presbyter, qui commode sub antecedentis anni autumnum reversus ab Urbe fuerat, ac legatione illa confecta Antiochiæ substiterat, Basilium illico de iis, quæ ibi agebantur, certiorem fecit: venisse scilicet ab Occidente litteras, quibus Paulino episcopatus adjudicatus fuerat, illisque præterea litteris Paulinianos uti, ut Terentium ducem ad conjunctionem cum Meletianis pertractandam permoverent. Basilius igitur tum Meletio denuntiavit rem omnem, tum Terentio statim scripsit, ne sese deret omnino alteri parti, sed rem integram ad Meletii reditum servaret. Ex iis autem, quæ ad utrumque scribit, liquido constat, tum agi hic de litteris, quas Damasus in Vitalis negotio ad Paulinum dederat, tum ante hoc tempus alias nullas ad eum scriptas. Sed audiamus Basilium: *Rumor ad nos pervenit versari te Antiochiæ, et quæ in manibus sunt negotia cum summis potestatibus administrare: præter hunc rumorem illud etiam accepimus, stantes a Paulino fratres nonnulla tecum disserere de conjunctione nobiscum ineunda, id est cum iis, qui sunt ex parte hominis Dei Meletii episcopi, quos etiam et litteras audio* NUNC OCCIDENTALIUM *circumferre, quæ episcopatum urbis Antiochenæ ipsi attribuunt, Meletium vero frustrantur* (*a*). Nullas itaque ante hoc tempus a Damaso litteras Pauliniani acceperant, quas circumferrent, adjudicatumque Paulino episcopatum probarent. Cur vero Basilius dicat, Paulino attributum iisdem litteris episcopatum, intelligimus ex his, quæ eodem tempore ad Meletium scribit: *Postquam redivimus, ex imbribus et molestiis plurima infirmitate collecta, statim nos ab Oriente* (Antiochia nempe) *litteræ exceperunt, quibus significabatur, Paulino ab Occidente litteras quasdam veluti cujusdam principatus tesseram allatas fuisse, valdeque efferri hujus partis duces, et gloriari de litteris, deinde etiam fidem proponere, ac ea conditione paratos esse cum vestra Ecclesia conjungi* (*b*). An vero apertius designari poterant, quæ Damasus ad Paulinum scripserat, ac ipsa litterarum verba, quæ a nobis recitata sunt, clarius exprimi? An vero non iis Paulinus quoddam veluti apostolicæ communionis in Oriente symbolum ac caput constituebatur, cum Damasus illum suo loco ponit, atque eos, qui Paulino communicaverint, secum communione junctos censeri jubet?

Has autem litteras hoc anno a Damaso scriptas omnino fuisse probat accuratissimus Vitæ Basilii scriptor, easque immerito a sodali suo D. Petro Constantio referri ad ann. 378 (*c*). Argumentis, quæ vir doctissimus affert, nonnulla ego tantum adjiciam, ut res omnino certa videri possit. Primum est, quod statim ac Dorotheus ab Occidente reversus est, ac litteras attulit Orientalibus episcopis, Basilius exsultare potius, ac fructum aliquem ex ea legatione capere visus est: an vero id fieri potuisset, si Meletium ante hoc tempus spe sua palam dejectum vidisset? Deinde cum Damasus ad Paulinum scripsit, Vitalis nondum fuerat ordinatus episcopus, quia eum loco filii habet, ac illum eo nomine in epistola compellat, quamquam Norisius aliud agens aliter senserit (*d*). Sed ea dignitate auctus nefarie fuerat anno 376, quo colloquium cum Epiphanio habuit, quod ille recitat (*e*). Hæc itaque epistola scripta est, eo intermedio tempore, quod ab ejus ab Urbe reditu ad annum 376 lapsum fuerat. Tertio cum litteræ illæ Antiochiam perlatæ sunt, et vulgari cœptæ, Terentius dux, qui publicis curis valedixerat, ut animæ vacaret, ad negotia iterum redire coactus, Basilio teste, cum summis potestatibus rempublicam administrabat in eadem urbe. Quærendum itaque tempus est, quo ille otio se ac quieti dederit, tum quo ad negotia accesserit. Aliud vero non occurrit, quam quod inter annum 373 et 375 medium est. Anno enim 373, negotiis illum vacavisse constat ex Basilii epistola ad eum ex Armenia scripta (*f*). Putat autem Tillemontius hoc ipso tempore ducem illum in Iberiam missum duodecim legionibus præpositum, ut Sauromatium in regnum restitueret. Re itaque feliciter confecta, ac devictis si qui fuerant, hostibus cum ex Armenia Antiochiam, ubi Valens sedem fixerat, reversus esset, ad otium secessit, ratus se contemptum ab eo imperatore, qui sibi anxie petenti ne unam quidem ecclesiam pro catholicis concesserat, quin potius libellum ab eo oblatum laceraverat, quem Terentius in frusta discerptum cum collegisset, Habeo inquit, quod petii. Egregium hoc factum, quod Theodoretus narrat (*g*), Pagius merito collocat

(*a*) Ep. 214, alias 359.
(*b*) Ep. 216, alias 272.
(*c*) Tom. III, cap. 33, n. 6.
(*d*) Dissert. de sanct. Siric. oper. tom. IV.
(*e*) Hær. 77, cap. 20.
(*f*) Vid. epist. 99, apud BB.
(*g*) Lib. IV, cap. 32.

ad annum 373 (*a*). Si itaque eo anno jam provecto secessit dux ille ad otium, ad aulam et negotia vix redire potuit ante sequentem, eumque ad finem vertentem annum : ac proinde litteræ, quæ a Damaso Antiochiam venerant, Terentio iterum ac paulo antea negotiis admoto, extra hunc, de quo agimus annum prætergredi non possunt.

III. Dorotheus itaque, cui non secus ac Basilio Meletii causa cordi fuerat, cum hæc scripsit, significavit etiam sibi in animo esse Romam iterum proficisci, ut eam scilicet, quibus posset rationibus tueretur, rogavitque ut Gregorium Nyssenum ad hoc iter secum suscipiendum impelleret. Hæc ex ipso Basilio discimus (*b*), qui rescripsit iter illud hyeme omnino confici non posse, ac vias omnes præterea, quæ Constantinopolim ducerent, militibus interceptas esse ; quo intelligimus has litteras scriptas esse autumno inchoato jam et inclinato. Quod si Dorotheus navigatione uti velit, non negat Basilius, quin tempus abeundi *commodum*, et opportunum sit, et quin statim abeat, dummodo Gregorius frater tum navigationem, tum legationem non recuset. Quæ deinde addit de Occidentalium supercilio, animum produnt ob Meletii causam exulceratum, ac sanctissimum cæteroqui virum aliquid humani passum. Nam Damaso fastum omnem, ac supercilium abfuisse probant, tum ejus scripta, quæ exstant ad Paulinum, Hieronymum atque Acholium, tum Hieronymus ipse, qui mitissimi eum ingenii virum prædicat.

IV. Annalium parens ad hunc annum (*c*) S. Ambrosio, qui sub exitum præcedentis anni ex laico et neophyto ordinatus fuerat Mediolanensis episcopus, a Damaso missum scribit Simplicianum Romanæ Ecclesiæ presbyterum, doctorem et monitorem. Tillemontius hac de re majus aliquod testimonium quærit ; nam primo incertum esse ait, an Simplicianus Romanæ Ecclesiæ presbyter fuerit, cum tantum constet, illum sub Constantio egisse Romæ, ac Victorinum ad Christiana sacra traduxisse sub Juliano, tum illum Mediolani fuisse sub Ambrosio episcopo, atque ab eo patris spiritualis loco habitum Augustino teste ; at inde contendit non effici, eum a Damaso illuc missum, atque eum in finem, quem Baronius memorat (*d*). Verum cum Simplicianus presbyter fuerit, cum Ambrosius præterea eum loco patris spiritualis habuerit, sive quod eum Romæ instruxisset, sive ob aliam causam, eum presbyterum fuisse oportet longe ante ordinationem Ambrosii, quod Tillemontius ipse non negat. Nullus autem tunc presbyter esse poterat, qui non certo loco sive ecclesiæ adscriberetur, quem episcopo invito deserere non poterat, ut alio migraret. Rem notissimam atque a Thomassino egregie pertractatam (*e*) iterum non agam. Hinc Hieronymus a Paulino Antiocheno ordinari se passus est, ea adjecta conditione, ut liberum sibi foret eundi quo vellet (*f*), ac de se idem factum asserit sanctus Paulinus Nolanus, cum ad Severum hæc scribit (*g*) : *Ea conditione in ecclesia Barcinonensi consecrari adductus sum, ut ipsi ecclesiæ non alligarer, in sacerdotio tantum Domini, non etiam in locum ecclesiæ dedicatus* ; quod cum abbas Floridus retulisset, recte etiam adjecit, inter priora liberæ ordinationis exempla referri oportere (*h*). Cum itaque Simplicianus Romæ presbyterum ageret, antequam Mediolanum accederet, Romanæ Ecclesiæ presbyter jure merito a Baronio dictus est. Cur vero a Damaso Mediolanum missus censeri debeat, duplex est ratio ; altera quod presbyteri sine formatis ac invito episcopo deserere stationem non poterant ; altera quod Damasus Ambrosii ordinationem confirmaverat, quare etiam per Simplicianum, cujus sanctitas, doctrina, ac cum Ambrosio familiaritas perspecta erat, cavere debuit, ne sub novo episcopo etsi integerrimo in sacris tamen canonibus nondum instructo, aliquid detrimenti caperet ecclesiastica disciplina. Erat enim præcipua cura, ut recens ordinati, vel ordinandi, ab iis quibus suberant et a suis consecratoribus instruerentur, ac scripto sæpe etiam acciperent regularum ecclesiasticarum codicem (*i*). Ambrosii vero ordinationem a Damaso causa cognita confirmatam fuisse constat ex Ambrosio ipso, qui hæc ad Vercellenses scripsit : *Ordinationem meam Occidentales episcopi* JUDICIO, *Orientales autem exemplo probarunt* (*j*). Hoc autem ad ordinarium Romani episcopi jus tunc pertinuisse colligitur ex iis, quæ disserunt Bacchinius ac Joannes Antonius Blancus, qui conferri poterunt (*k*).

CAPUT XI.

376, DAMASI 11, VALENS AUG. V ET VALENTINIANUS AUG. COSS.

I. *Dorotheus Romam profectus cum sanctissimo altero Antiochenæ Ecclesiæ presbytero litteras affert ad Damasum a Basilio et Orientalibus scriptas, quæ expenduntur, ac tota Damasum inter et Basilium rei gestæ series exponitur.* II. *Idem pontifex cum synodo, cui Petrus Alexandrinus aderat, morem gerit Orientalium votis, ac iis rescribit, cujus tunc scriptæ synodicæ fragmentum adducitur, et explicatur.* III. *Hac eadem synodo damnati Apollinarius et Timotheus.* IV. *De Meletii agitata coram Damaso causa, ejusque apud eum pontificem statu, et quid de eo pontifex senserit ; Dupinius refellitur.* V. *Anonymi Amstelodamensis aut mira inconsiderantia, aut mala fides.*

I. Gregorius Nyssenus, quem sibi socium adjungi Dorotheus optaverat, de Romano itinere minime cogitare visus est, sive quod recusaverit, sive quod

(*a*) Ad ann. 373, n. 3.
(*b*) Ep. 215.
(*c*) Ann. 375, n. 22.
(*d*) De Ambros., art. 10, ac de Simplic., t. X.
(*e*) Tom. II, lib. I cum pluribus seq.
(*f*) Bar. ann. 378, n. 65.
(*g*) Ep. 1, Ver. edit.
(*h*) Lib. XIX, cap. 57.
(*i*) Vid. Quesnell. ad S. Leon., ep. 16.
(*j*) Ep. 63, apud BB.
(*k*) De Eccl. Hier. Orig., p. II, cap. 3 cum seq. t. IV, lib. II, cap. 4, § 16.

eum alia negotia, ac quibus paulo post vexatus fuit, Arianorum persecutiones detinuerint. At Dorotheus ipse, cui sanctissimus alter Antiochenæ Ecclesiæ presbyter comitem sese obtulerat, illud urgebat diligenter eique sese parabat circa hujus anni initium. Hæc constant ex Basilii epistola ad Eusebium Samosatenum, cujus hæc sunt verba: *De rebus autem Occidentalibus prius ipse didicisti, narrante omnia fratre Dorotheo, cui quales dandæ rursus litteræ abeunti? Fortasse enim se itineris socium junget optimo sanctissimo, qui magno ardet studio, ac Orientem peragrat, et ab insignioribus quibuscumque subscriptiones et epistolas colligit* (a). Accuratissimus postremi operum tomi editor, qui ab hoc anno numerat primum Dorothei presbyteri Romanum iter, primamque ejus ad Damasum legationem, hæc allata verba interpretatur, ac si Basilius quærat *quæ rursus dandæ litteræ* Dorotheo, non ad Urbem, sed in Orientem *abeunti* ex Cappadocia, aut alio Cappadociæ finitimo loco, ad quem ille forte venisse poterat ab Eusebio, quem inviserat, redux (b). At si quis epistolam illam attento animo legerit, facile deprehendet, eo loco sciscitari illum, quid iterum scribendum per Dorotheum Romam cum sanctissimo profecturum; siquidem statim prosequitur, *quæ igitur per ipsos scribenda sint, aut quomodo cum scribentibus consilia conjungenda, equidem dubito. Sed si cito reperias, qui ad nos proficiscantur, nobis exponere non graveris: mihi enim venit in mentem illud Diomedis usurpare, utinam precatus non esses, quoniam, inquit, vir est superbus. Etenim si nobis placetur Dominus, quonam alio adminiculo indigemus? Sin autem perseverat ira Dei, quale nobis præsidium supercilii Occidentalis?* Recens animi dolor ob prælatum Meletio Paulinum, hæc a viro sanctissimo duriora expressit; at ex iis aperte liquet, de quibusnam litteris Dorotheo dandis, quove ejus itinere tunc Basilius ageret. Minime itaque necesse est, ut Dorotheum ipsum, Eusebium in Thracia Scythis forte proximiore exsulantem accessisse dicamus, ut illi Occidentalium rerum statum præsens exponeret, quod facere per epistolam facile poterat: prætereaque minime credibile est, presbyterum illum Meletii causam, in eo, quod scripserat, discrimine Antiochiæ positam deserere voluisse, ut iter nihil profuturum, sive in Thraciam, sive in Cappadociam institueret, hyemali potissimum tempore, quod iis in locis perdifficile, ac perincommodum esse solet, quodve jam prope aderat, cum Basilius ad eum Antiochiæ agentem rescripsit, ut superiori capite vidimus. Certum itaque ratumque sit, Basilium ipsum hoc loco, ab Eusebio quærere, quæ rursus dandæ litteræ Dorotheo, in Occidentem, unde non diu antea advenerat, iterum abeunti.

II. Abiit igitur Dorotheus presbyter iterato Romam, secumque tulit epistolam Orientalium nomine a Basilio scriptam, in veteri editione 74, in nupera 263. Hæc vero lenitate, atque humilitate tanta, adeoque præclaris sinceri erga Romanum pontificem obsequii significationibus referta est, ut verissimum sit, quod magnus Baronius (c) ait, sanctos viros capi humana aliqua animi perturbatione aliquando posse, minime autem detineri. Agit itaque Damaso primo loco gratias, ob eam, quam fecerat in anterioribus alicujus auxilii spem, operamque illam, quam posuerat, ne ea frustraretur. Huc enim pertinet, eoque respicit hoc ejus epistolæ initium: *Dominus Deus noster, in quem speravimus, tantam cuique vestrum gratiam largiatur, ut ad propositam spem perveniatis, quanto ipsi gaudio corda nostra implevistis, tum ex commiseratione, quam ærumnis nostris impendistis, ut induti viscera misericordiæ, quemadmodum prædicti viri annuntiaverunt nobis,* Dorotheus scilicet ab Urbe tunc redux, et qui comites ei fuerant. *Quapropter rursus etiam per dilectos, et salutamus, et adhortamur, ut si Dominus quidem facultatem vobis dederit ad nos proficiscendi, ne pigremini nos invisere, . . . Quod si bonus Deus, ac sapiens vitæ nostræ moderator hoc beneficium in aliud tempus reservat, saltem nobis scribite, quæcumque a vobis scribi decet ad solamen afflictorum, et erectionem confractorum . . . nec aliunde expectatio ulla auxilii, nisi Dominus per vos, a quibus sincere colitur, miserit medelam.* Tum deinde rem aggreditur, causasque gravissimas, ob quas apostolicæ sedis auctoritatem efflagitat, ac pauca de Ariana hæresi veluti ab Ecclesiæ corpore abscissa, atque ideo minus ad nocendum apta cum attigisset, ita pergit: *Qui autem pelle ovina induti sunt, ac speciem blandam præ se ferunt ac lenem, intus vero dilaniant crudeliter Christi gregem, et propterea, quod ex nobis exorti sunt, facile perniciem inferunt simplicioribus, hi sunt, qui molestiam exhibent, ac ægre vitari possunt. Nos rogamus ut vestra diligentia omnibus* ORIENTIS *Ecclesiis denuntiet . . . Necesse est autem horum nominatim meminisse, ut et ipsi cognoscatis eos, qui turbas apud nos movent, eosque nostris Ecclesiis* MANIFESTOS *facite.* Primum inter eos locum assignat Eusthatio Sebasteno, alterum Apollinario; hisque tandem Paulinum adjungit, quamquam minori hunc cum libertate, ac velut subdubitans tangat. Eusthatium itaque *post acceptam Romæ Patrum fidem,* et ad communionem admissum, nunc inter eos esse ait, qui consubstantiale condemnant, ac docem se præbere Pneumatomachorum hæresis: Apollinarium vero, intemperanti scribendi facilitate usum, ac non petitis ex Scriptura probationibus, sed humanis rationibus innixum, in varios errores lapsum esse, in iis præsertim, quæ de Incarnatione tradiderat, ut jam pauci, qui ab eo scripta legerant, priscam pietatis formam servarent. Denique quod ad Paulinum attinet, hæc pauca duntaxat scribit. *Paulinus utrum aliquid et circa ordinationem reprehensioni obnoxium habeat, ipsi dixeritis. Nos sane mœrore afficit, quod in Marcelli dogmata propendet, ac illius sectatores sine discrimine ad suam communionem admittit:* quod tamen non diu postea ab eodem etiam Basilio, re

(a) 279, alias 10.
(b) Vit. Basil., cap. 35, num. 6.
(c) Ad ann. 372, num. 2.

melius perpensa ac cognita, factum fuisse alio loco probavimus (*a*). *Scitis enim spem nostram omnem everti Marcelli dogmate, quod neque Filium in propria hypostasi confitetur, sed prolatum esse, et rursus reversum esse ad eum, ex quo processerat.* Quibus Romano pontifici denuntiatis, epistolæ finem imponens hæc ait : *A vobis ut horum curam suscipiatis, efflagitamus. Suscipietis autem, si omnibus Orientis Ecclesiis scribere non gravemini, eos qui hæc depravant, si corriganlur, admittendos ad communionem : sin autem pertinaciter novitatibus adhærere voluerint, ab Ecclesiis abscindendos.*

Hæc itaque rerum inter Damasum et Basilium gestarum, et litterarum hinc inde scriptarum series est. Basilius anno 371 Dorotheum diaconum legat ad apostolicam sedem cum epistola in nupera editione 70. Rescribit Damasus anno sequenti per Sabinum diaconum Mediolanensis Ecclesiæ, ad Orientales missum. Basilius eodem ipso anno scribit rursus epistolam 90, eamque Sabino in Occidentem redituro ferendam dat. Cum ea forte non placuisset Damaso, idem Cæsariensis præsul Evagrii monitis excitatus scribit iterum anno 374 ineunte, epistolas 242 et 243, easque tulit in Occidentem Dorotheus presbyter : eodemque anno ad Orientales rescribit Damasus per ipsum Dorotheum, ut constat ex Damasiano primo fragmento, atque ex hac ipsius Basilii ad Damasum epistola 263. Hæc vero hoc anno scripta, Damasoque per dictum Dorotheum reddita, omnium postrema est, eique ab eodem Damaso responsum fuisse constat longiori epistola synodica, cujus dumtaxat fragmentum alterum ab Holstenio servatum superest, quod numero secundo a primo distinguimus. Duplicem ego hanc synodum colligo ex mutua utriusque fragmenti collatione. In primo siquidem Damasus pontifex multam futuri auxilii Orientalibus spem facit, ob quam Basilii animus mirifice erectus est, et exultare visus, ut constat ex ejus epistola 253, 254, 255. In altero nullum spei locum dat. Nam tametsi sapientissimus pontifex episcopos Orientales certos esse jubeat, esse se pro membris sollicitum, aperte tamen fatetur, nullum aliud præsens refrigerium expectari a se posse, quam quod ex mutua in retinenda fide concordia, capi poterat. Si itaque fieri non potest, ut hæc inter se contraria, sibique repugnans oratio ab una eademque synodo, atque uno eodemque tempore profecta sit, eorum alterum fragmentorum ad unam, alterum vero ad alteram pertineat necesse est, primum scilicet ad eam, quæ anno 374 congregata fuerat, ac Basilio pergrata accidit, alterum vero ad eam, de qua nunc agimus.

III. Damasus igitur his acceptis a Basilio litteris, convocata synodo, cui Petrus Alexandrinus adfuit, ac Dorotheus presbyter Orientalium legatus, Apollinarium cum Timotheo damnavit, amentemque eorum hæresim ab Ecclesia proscripsit. Quo vero ad Eustha-

(*a*) Vid. cap. 6.
(*b*) Lib. IV, cap. 37.
(*c*) Vid. Pag. ad ann. 378, num. 5, 6.

tium Sebastenum, aliosque Pneumatomachos, ac Marcellianum dogma, cujus Paulinus insimulatus fuerat, brevibus sese expedit, hac proposita fidei regula : *Ut enim Nicæni concilii fidem inviolabilem per omnia retinemus, sine simulatione verborum, aut sensu corrupto, nullo modo Spiritum sanctum separamus, sed perfectam in omnibus, virtute, honore, majestate, deitate cum Patre conveneramur et Filio; itaque etiam plenitudinem Dei Verbi, non prolativi, sed nati, neque in Patre remanentis, ut non sit, sed ex æterno in æternum subsistentem, perfectum, id est integrum hominem assumpsisse, id est solvasse confidimus.* Nam quod ad ejusdem Paulini ordinationem attinet, cui Basilius aliquid vitii objecerat, cum eam Damasus judicio suo jam probavisset, non erat cur aliquod addere necesse esset.

Nunc vero minime difficile est statuere ejus concilii tempus. Nam si hoc anno nondum profecto citata Basilii epistola scripta est, ad eumdem profecto, aut ad sequentis initium, tum hoc fragmentum referri debet, tum ea synodus, cui a me adscribitur. Hoc facile præterea dijudicabit, qui epistolam illam cum eodem fragmento conferat, observetque ab eo tria illa confici, quæ Basilius a Damaso potissimum postulaverat. Accedat insuper Socratis testimonium scribentis, Petrum Alexandrinum ad Ecclesiam suam jam reversum, cum Valens Antiochia discedere coactus est, iturus contra Gothos (*b*), anno scilicet 377 jam ad finem inclinato (*c*). Si vero idem Petrus Alexandrinus illi synodo adfuit, necesse est, ut intermedio hoc tempore, atque ideo vel hoc ipso anno, vel alio nondum adulto confectam illam dicamus, ac præterea errare illos, qui concilium, in quo damnatus Apollinarius cum Timotheo fuit, in annum conferunt 378.

IV. Fatendum quidem est, ex hoc fragmento Apollinaris nomen, ac Timothei in ea synodo damnatum fuisse, minime probari posse, sed ejus dumtaxat impium dogma proscriptum; at hoc validis argumentis aliunde petitis conficitur. Enim vero quin Damasus in concilio, cui Petrus Alexandrinus adfuit, utrumque damnaverit, graduque moverit, nemo dubitaverit, qui ejusdem Damasi ad Orientales epistolam sextam legerit. Hoc præterea aperte asserunt Rufinus (*d*), Sozomenus (*e*), ac episcopi nonnulli in litteris ad Rufum Thessalonicensem Ephesino concilio insertis (*f*). At utrumque in hoc ipso, de quo agimus, concilio damnatum, graduque motum et ab Ecclesia projectum, ex Basilio ni fallor, manifestum fit. Neque enim Apollinarius meritam hanc sententiam passus fuerat, cum idem Basilius eum detulit ad apostolicam sedem, petiitque tam anxie ut damnaretur. Hinc in litteris ad Patrophilum Ægensis Ecclesiæ episcopum circa hoc tempus scriptis, Apollinarium ait se non habere inimicum, quamquam nec ita amicum habeat, ut ejus in se accusationes susci-

(*d*) Lib. XI, cap. 20.
(*e*) Lib. VI, cap. 25.
(*f*) Conc. Ven. edit. tom. III, p. 1271.

piat, cum potius sint, quæ in eo reprehendat non- A nullis lectis ipsius libris (*a*). Contra vero Apollinarium pro hæretico, projectoque habuit ab Ecclesiæ corpore, statim ac Dorotheus ab Urbe rediit, attulitque synodicam illam Damasi epistolam. Scribit enim ad Enlogium, Alexandrum et Harpocrationem, exsules pro fide episcopos, de quibus alio loco actum a nobis est, eosque laudat, quod Apollinaris communionem rejecerant, atque hortatur, *ut eum conentur ad bene constitutum Ecclesiæ ordinem reducere, eique fortiter rectæ fidei dogmata proponant, ut illius emendatio manifesta fiat, ac fratribus innotescat illius pœnitentia* (*b*). Cur vero alia de Apollinario ante Dorothei iter, alia vero post ejus reditum Basilio mens, agendique ratio fuisse potuit, quam quia post eam synodum nullus supererat de ejusdem damnatione B ambigendi locus?

Huic itaque concilio præter Petrum Alexandrinum, ac Dorotheum presbyterum Orientalium episcoporum nomine agentem, Timotheus adfuisse debuit eo missus, ut Apollinaris causam tueretur (*c*). At hic etiam cum magistro suo damnatus, ut in Orientem rediit, simulatione omni deposita, in apertum furiosumque schisma prorupit, ac Petrum eumdem Alexandrinum, Basilium præterea, Epiphanium, ac Paulinum *anathematizare* ausus est, alios scilicet ut Sabellianos, alios autem ut Tritheitas, ut ego puto, cum Apollinariani de recta præ cæteris in Trinitate fide sese efferrent, atque alia nulla excogitari possit causa, cur viros illos sanctissimos atque integerrimos excommunicare ausus fuerit. Hujus rei testis est C Petrus ipse in epistola *ad episcopos, presbyteros, et diaconos pro vera fide in exsilio constitutos*, cujus fragmentum Facundus (*d*) recitat. An vero Timotheus id sceleris ausus sit, postquam idem Petrus ad Ecclesiam suam reversus fuerat, an vero cum moram Romæ adhuc traheret, statui non potest. Quod affirmari a me posse puto, illud est, hoc accidisse, postquam Epiphanius cum Vitali Antiochiæ congressus fuerat, ab eoque Apollinarista detecto, sese separaverat, ac postquam Basilius ad sedem apostolicam Apollinarium detulerat, damnarique obtinuerat: neque enim erat causa, cur iis ante hoc tempus vesanus homo anathema diceret: videtur tamen verosimilius, hæc a Timotheo perpetrata flagitia, postquam Petrus Alexandriam reversus Romanam hanc D synodum, ut Rufinus ait, *confirmaverat*, eorumque hæreticorum damnationem episcopis et Ecclesiis sub se positis denuntiaverat. Apollinarius enim ejusque asseclæ, tunc quærere qui sibi communicarent, contra præcipua catholicorum episcoporum capita calumnias serere, ac dissensiones ubique, et scissiones Ecclesiarum excitare cœperunt, ac nefaria quæque, pudore omni deposito, audere. Hinc quippe factum, ut idem Petrus, et Basilius, uno eodemque tempore iisdem *exsulibus episcopis* scriberent, alter ut summam Timothei aliorumque Apollinaristarum impudentiam iis notam faceret, alter ut eos laudaret, quod eorum communionem aperte rejecerant.

V. Præter hæc, quæ feliciter confecta vidit, Dorotheum non neglexisse episcopi sui Meletii causam, tum verisimile est, tum Basilius probat in eadem ad Petrum Alexandrinum epistola, quin potius eam vehementiori, quam forte par erat, studio ab eo tractatam discimus ex his ejusdem Basilii verbis: *Nos autem in tristitiam conjecit frater noster Dorotheus, quod ut ipse scripsisti, non omnia leniter et mansuete dixerit dignitati tuæ. Is reversus mihi narravit, quos coram Damaso reverendissimo episcopo cum tua præstantia sermones, disputationes, habuisset, ac dolorem mihi afferebat, cum diceret numeratos in Arianis fuisse religiosissimos fratres comministros nostros Meletium et Eusebium.* Forte itaque cum Dorotheus vehementior esset, quam deceret, ac Meletii præ Paulini communionem retinendam contenderet, Petrus, qui Athanasii vestigiis inhærens a Paulino stabat, ut disputatoris vehementiam retunderet, objecit iterum tum retentam a Meletio et Eusebio cum Acacio, atque Arianis societatem; tum præterea, quod cum homœusion præferrent, ab homousio recedere viderentur, atque ad Arianos ipsos transire. Hæc enim quæ tunc invaluit suspicio, deinceps etiam diu permultis hæsit, ac Hieronymum induxit, ut in Chronico scriberet, *Meletium*, in Antiochena synodo, *homousio, anomœoque rejecto, medium inter hæc homœusion, Macedonianum dogma vindicavisse:* ac causam dedit libro inter Athanasii opera impresso, qui inscribitur *Refutatio hypocrisis Meletii, et Eusebii Samosateni, et sociorum adversus Consubstantialitatem.*

At Damasus ea, qua præditus erat sapientia, atque animi constantia, nihil decessit a concepta semel definitaque sententia. Neque enim ecclesiasticæ disciplinæ ratio patiebatur, ut Paulinus, qui legitime ordinatus fuerat, ac nulla unquam hæreticorum, communione se polluerat, qui magno animo magnaque constantia, neque Valentis, neque Arianorum minis perterritus, catholicam fidem palam professus fuerat, quem Hieronymus *confessorem*, Rufinus *virum sanctum, ac per omnia sacerdotio dignum* appellat, posthaberetur Meletio, qui Antiochenam Ecclesiam veluti præmium criminis obtinuerat, quamquam eorum societati renuntiasset. Contra vero, atque ob hanc causam, quod Ario anathema dixisset, ac pro vera fide exsul tunc esset, quæ a Petro Alexandrino tunc forte illatæ sunt veteres criminationes, minime effecerunt, quin Damasus cum Basilio, aliisque Meletii et Eusebii communicatoribus societatem sacrorum servans, cum eodem etiam Meletio communionem mysteriorum sacrorum retineret. Hinc Dorotheum ipsum et sanctissimum Meletianarum partium presbyteros semel iterumque ad se missos perhumaniter suscepit, ac ad sacra omnia admisit. Habitus itaque Meletius pro catholico episcopo fuit, at minime cum eo inita et retenta arcta illa conjunctio, ac fraterna charitas, qua

(*a*) Epist. 244, alias 82.
(*b*) Epist. 265, antea 293.
(*c*) Vid. cap. 22.
(*d*) Lib. IV, cap. 2.

fruebantur, qui plena Romani episcopi communione minime carebant, atque hæc cum Flaviano Meletii successore agendi ratio a sede apostolica deinde etiam servata est, donec cum eorum altero, transactione, de qua redibit sermo, cum altero vero Theophilo Alexandrino, et Chrysostomo conciliatoribus, controversia finem habuit. Hinc vero liquet, quam fallaci captiosaque ratione utantur Dupinius, aliique ejus ingenii homines, qui hoc Meletii et Flaviani exemplo abutuntur, ut probent, in Ecclesia catholica esse posse aliquando, qui extra Romanæ Ecclesiæ communionem sit. Quæ enim cum Meletio et Flaviano non habebatur communio, non ea sacrorum mysteriorum privatio fuit, sed arctæ illius ecclesiasticæ societatis et confœderationis, quæ presbytero cum suo episcopo, episcopo cum suæ provinciæ episcopis, ac cum Romano potissimum intercedebat, disjunctio : cujusmodi sunt, mutua visitatio, formatarum ac commendatitiarum commercium, in conciliis consessus, ac alia quæ ad externam Ecclesiæ politiam attinent, ac quibus carere, gravissima iis temporibus pœna reputabatur (*a*). Hoc enim est, quod Sozomenus (*b*) scite indicat, cum ait Occidentales ob Flaviani ipsius ordinationem non mediocriter indignatos, *ad Paulinum quidem tamquam episcopum Antiochiæ consuetas scripsisse epistolas, ad Flavianum vero nullas.* Hæc vero externæ societatis disjunctio, quæ aliquando latius porrigebatur, aliquando angustioribus finibus coarctabatur, non prohibebat, quominus illi, qui ita abstenti essent, in ecclesiis, in quibus iis communio concessa erat, cum aliis etiam, cum quibus erat vetita, episcopis communicarent. Hinc Theophilus Alexandrinus, cum Flaviano ipso, a quo Ægyptus disjuncta erat synodo Constantinopolitanæ cuidam adesse non dubitavit, nullaque est ratio, cur Tillemontius (*c*), mirari se dicat, quomodo illud ab eo fieri potuerit. Cæterum ut redeam unde diverteram, cum Damasus Dorothei sermones et acriores etiam disputationes, ipso Basilio teste, patienter audierit, humani aliquid passus est Cæsareæ episcopus alioquin sanctissimus cum scripsit, *elatum illum, sublimem, et altius sedentem, audire non posse veritatem humi prædicantem* (*d*).

VI. Hæc vero cum ita sint, nunc anonymi transfugæ sive oscitantia, sive mala iterum fides lectorum oculis exponenda est. Hic igitur primo loco nihil unquam tum Athanasio, tum Basilio, a Damaso rescriptum fuisse asserit, sive quia litibus propriis occupato nihil esset opus alienis, sive quia timuit ne Valentis imperatoris, rebus suis nihil profuturam in se provocaret iram. Secundo litteras, quas Basilius scripserat, ab Evagrio Antiocheno tum Romam allatas, tum ab eodem ad Basilium relatas. Tertio hinc factum ait, ut Basilius omnem cum Romano episcopo litterarum consuetudinem abruperit. Quarto ne quid vero interea religio detrimenti caperet, ab Athanasio postulasse ut ad Damasum ipse scriberet, petoretque ut Legatos in Orientem mitteret. Quinto Occidentis episcopos acceptis Basilii litteris, Meletium contra Damasi sententiam prætulisse Paulino. Sexto presbyterum sanctissimum ab Occidentalibus iisdem, in Orientem cum Sabino aliisque aliquot clericis legatum missum. Hæc enim omnia, quæ ille scribit, quam falsa sint, tum ex recensita a nobis rerum gestarum serie constat, tum præterea nos docent, quæ deinceps indiligenti huic, mendaci ac insulso scriptori in cæteris etiam fides haberi possit.

(*a*) Vid. Morin. exercit. I. II, cap. 17, 18, 19.
(*b*) Sozom. lib. VII, cap. 11.
(*c*) De Flavian. art. 7.
(*d*) Ep. 215.
(*e*) Epist. 15, 16, Ver. edit.

CAPUT XII.

377, Damasi 12, gratiano aug. iv et Merobaude coss.

I. *Hieronymi ad Damasum de tribus hypostasibus epistolæ exponuntur, et explicantur. Disquiritur, quænam fuerit per id tempus, ac præterea in Constantinopolitano concilio recrudescentis ejus litis causa.* II. *Damasi ad Hieronymum rescriptum.* III. *Antiqua Hieronymianæ epistolæ lectio retinetur et asseritur.* IV. *An Hieronymus Vitalem pro catholico habuerit?* V. *Petrus Damasi litteris ad sedem restitutus, Alexandriam redit.*

I. Sanctus Hieronymus, qui ad Chalcidis eremum ante quinque circiter annos sese receperat, celebres hoc anno litteras Damaso scripsit (*e*), quibus quærit an tres in Deo hypostases dicendæ sint, et quocum communicandum sibi Antiochiæ sit. Cur eas litteras hoc anno, aut altero ineunte saltem, cum cl. Vallarsio scriptas censeam ratio ex iisdem constat. *Fremebat* enim cum scribebantur, *fulta mundi præsidiis*, *Ariana rabies*; ac Hieronymus, cujnam Antiochiæ communicaret, incertus, sequebatur *Ægyptios confessores* in Palæstina exsules, quos in Damasi communione esse noverat, ab iisque *Sanctum Domini* expetebat. At anni sequentis Augusto mense, Valentis obitu *Ariana rabies præsidiis* suis omnino decidit nec ulli jam amplius erant Ægyptii confessores in Syria exsules, a quibus Hieronymus *Sanctum Domini* petere amplius posset, omnibus exilio solutis. Constantius, qui has Hieronymi litteras iterum impressas dedit, easque anno 380 jam labente exaratas putat, Ægyptiorum confessorum nomine Petrum Alexandrinum intelligit. At qui fuerint illi, ex Basilio jam vidimus, ipseque præterea Hieronymus aperte nos docet, qui ad eos veluti sibi viciniores pro *sancto Domini corpore* recurrebat : quamobrem vix puto fore, ut Constantius interpretationem hanc suam, a vi genuina verborum et temporum ratione alienam, eruditis probet. Cur vero tum Meletiani, tum Vitaliani dicerent, *hærere* se Damaso, non secus ac Paulinus, ratio minime a longe petenda est, ut visum fuit eidem viro docto, opinanti Hieronymum respexisse legem de restituendis basilicis a Theodosio latam, contentionemque inter Meletium, Paulinum, et Vitalem

coram Sapore ea occasione habitam, quam Theodoretus narrat (*a*). Enim vero qui secum reputet, oportere eos, qui se catholicos haberi volunt, cathedræ Petri communione junctos esse, intelliget, quod idem Hieronymus ait : qui vero ab eo indicatam putant contentionem illam, minime advertunt, legem de restituendis basilicis die 10 Januarii anni 381 fuisse propositam, Saporem vero, cui mandatum a Theodosio fuerat, ut eam Antiochiæ exsequeretur, vix ad urbem illam ante Martium mensem venire potuisse. Nemo autem dixerit Hieronymum tam sero Antiochia discessisse, ut disputationi illi adesse potuerit : siquidem, ut reliqua quæ afferri possent argumenta præteream, cum esset ille *Constantinopoli et apud eloquentissimum Gregorium Nazianzenum* tunc ejusdem urbis episcopum (sive episcopi loco eam Ecclesiam administrantem) *sanctarum Scripturarum studiis erudiretur, brevem de Seraphim tractatum dictavit* (*b*), quem deinde publicatum dicavit Damaso. Pammachio autem et Oceano librum illum *ante viginti annos* dictatum scribit (*c*). Si vero eam ad Pammachium et Oceanum epistolam anno 399 scriptam esse inter eruditos convenit (*d*), necesse est, ut illum anno saltem 379 moram in regia urbe traxisse dicamus. Cæterum quæ Theodoretus dicta factaque inter Meletium, Paulinum ac Vitalem in ea disputatione scribit, vel pro ejus erga Flavianum studio conficta sunt, ut Baronius censet (*e*), vel ut alii putant, res diversas diversoque gestas tempore indiligenter miscuit.

Sed ut ad institutum redeam, si quis epistolam ipsam legerit, facile intelliget, quæ sit ex S. Hieronymi sententia apostolicæ sedis auctoritas, ac quam indeficiens in fidei quæstionibus definiendis judicium. Pauca referam, ut hoc constet : *Quoniam vetusto Oriens inter se populorum furore collisus, indiscissam Domini tunicam desuper textam, minutatim per frusta discerpit, ideo mihi cathedram Petri, et fidem apostolico ore laudatam consulendam censui. Ego nullum primum, nisi Christum sapiens, beatitudini tuæ, id est cathedræ Petri communione consocior. Super illam cathedram ædificatam Ecclesiam scio. . . .* Qui itaque aiunt Hieronymum consuluisse Damasum, sive ob Romanæ Ecclesiæ, in qua baptizatus fuerat, dignitatem ac majestatem, sive quod eam sequeretur universus Occidens (*f*), id agunt dumtaxat, ut animum præjudiciis sane occupatum prodant. *Petrum enim peculiariter inter cæteros elegit Christus, ut eum gentes in fidei controversiis non audirent solum loquentem, sed etiam crederent. Ita enim cum Petrus sententiam edixisset, tacuit omnis multitudo Petro definienti consentiens, ut Act.* XV *a Luca refertur* (*g*). Hinc Sanctus Doctor addit : *Non novi Vitalem, Meletium respuo, Paulinum ignoro :* nulli enim, quicumque ille sit, a Deo concessum est, ne in fide deficiat, præter-

A quam Petro, ejusque cathedræ hæredi, quem proinde cum de dogmate res est, veluti unum fidei magistrum respicit et agnoscit. Hic vero cum sit obvius horum verborum sensus, frustra Tillemontius quærit, cur Hieronymus Paulinum ignorare se dicat, qui illi non cognitus et familiaris esse non poterat, Paulinum enim Hieronymus ignorat præ Damaso, Antiochenum scilicet episcopum, qui falli poterat præ Romano pontifice falli nescio, siquidem statim addit, *quicumque quisquis ille sit tecum non colligit, spargit.*

Quæstio illa de tribus hypostasibus, post *Alexandrinum juncto Occidente concilium*, Eusebio nempe Vercellensi ac Lucifero Calaritano apostolicæ sedis legatis composita fuerat. Athanasius enim *utraque parte leniter ac benigne accita, verborumque sententia* B *diligenter et accurate perpensa, postea quam concordes reperit, nec quantum ad doctrinam ullo modo inter se dissidentes, ita rem transegerat, ut nominum usum concedens rebus eos constringeret* (*h*). Cur igitur ea potissimum recrudescere visa est circa hæc tempora, ratio minime a longe petenda est. Nam postquam Damasus Paulini communionem elegerat litteris ad eum scriptis, Eusthatianos quibus ille præerat, de conjunctione cum Meletianis ineunda cogitasse, atque in eum finem Terentii comitis tunc Antiochiæ versantis operam adhibuisse vidimus. Basilius itaque, aliique Meletiani, qui merito timebant fore ut ii qui a Meletio stabant, ab eo tunc exsulante facile abscederent, ac Paulino præsenti accederent, ut huic conjunctioni suis partibus minime profuturæ impe- C dimentum aliquod afferrent, totis iterum viribus trium hypostaseon dicendarum necessitatem tueri cœperant, ac trium personarum vocabulum veluti Sabellianismi vehementer suspectum explodere. Hinc idem Cæsariensis præsul, qui de tribus hypostasibus ne verbum quidem fecerat, cum de reducendis ad Meletium Paulinianis ad Athanasium scripserat, atque eos proinde tres personas, et unam hypostasin professos, recipere paratus erat, in litteris ad Terentium deinde missis, ait : *Paulinum dum unam hypostasim ac tres perfectas personas admittit, a Sabellio minime discedere, qui unam pariter hypostasim ac tres personas admiserat : quæstionem propterea de tribus hypostasibus levis momenti pideri non posse, sed latissimum hæreticis campum ad detrahendum de Ec-* D *clesia apertum iri, si qui unam cum Sabellio hypostasim profitetur, Ecclesiæ Antiochenæ principatum, contempto Meletio obtineat* (*i*). Hæc omnia acute perspexit nuperus doctissimus tertii operum Basilii tomi editor, qui propterea hæc scribit : *Non id agebatur, ea scilicet concordia, ut schismati Antiocheno finis imponeretur, et ad legitimum* (ut ipse quidem opinatur) *pastorem Meletium oves redirent. Si tanti commodi spes affulsisset, certo scio Basilium omnia paci ac*

(*a*) H. E., lib. v, cap. 3.
(*b*) In Isai. cap. VI.
(*c*) Ep. 84, cap. 3, Ver. edit.
(*d*) Vid. cl. Vallars. in præf. ad Hier. epist. Fontan. S. A. lib. v, cap. 3.
(*e*) Ad ann. 378.
(*f*) Tillem. in Hieron. art. 16.
(*g*) Melch. Can. de loc. lib. VI, cap. 3.
(*h*) Nazianz. Orat. 21.
(*i*) Epist. 214.

charitati posthabiturum fuisse ac libenter suscepturum Paulini plebem, ac clerum, etiamsi unam hypostasim admitterent. Sed Paulini amicorum consilia omnia eo spectabant, ut Paulinus excluso sancto Meletio solus Antiochiæ præesset. Non immerito ergo cum Paulino communionem ineundam negabat, quippe cum iniri non posset, quin Meletius rejiceretur, qui solus Antiochiæ legitimus erat episcopus (a). Id quo erga apostolicam sedem ac tot sanctissimos Occidentis episcopos obsequio affirmet, quibusve præterea rationum momentis hæc probet, viderit clarissimus auctor. Nunc ut eo redeat, unde diverterat oratio, Flavianus ac Diodorus, Antiochenæ Meletianorum seu Campensium Ecclesiæ duces, Basilii litteras, atque auctoritatem, tunc iterum ostendere cœperunt, Paulini asseclas *cauterio unionis inurere*, Sabellianæ hæresis reos traducere, atque eo pacto suos a conjunctione cum iis ineunda deterrere. Hæc vero est causa, cur ea contentio iterata fuerit in Constantinopolitano concilio post Meletii obitum, veluti ad Paulinum ab episcopatu Antiocheno repellendum, comparata et in primis accommodata, ut colligi potest ex Gregorii valedictoria ad 150 Patres : *Desinant*, ait enim, *qui de his inter se contendunt, ineptire, perinde ac si fidei nostræ pietas in nominibus, non in rebus consistat...., quid igitur vobis hypostases volunt, aut vobis personæ? Nimirum tria esse, quæ dividantur non naturis, sed proprietatibus : optime; an fieri potest ut quidam magis inter sese concordent, atque idem dicant, quam cum ita sentiunt, tametsi alioqui syllabis discrepent?* Enim vero cui bono Nazianzenus rem illam egisset iterum, si non erant qui eamdem contra Paulinum cantionem iterum canerent?

II. Quid Damasus Hieronymo responderit, certo non constat, cum ad nos Damasi litteræ non pervenerint. At cum ille sub hujus anni finem, aut alterius initium scribat iterum ad Marcum presbyterum, hæreticum se judicari, quamquam idem dicat, ac credat, quod *Damasus et Petrus Alexandrinus* et credunt, et ore exprimunt, cum præterea presbyter a Paulino Antiocheno ordinatus deinde fuerit, idque per hæc ipsa tempora contigerit ut cl. Vallarsius invicte probat (b); hinc apparet tum factam illi a Damaso facultatem, hypostasim unam ac tres personas profitendi, tum præscriptum, ut cum Paulino communicaret : neque enim, qui *Paulinum* ipsum *ignorare* se paulo antea profitebatur sacram ab eodem ordinationem accepisset citra sibi præscriptam a Romano pontifice legem. Eorum itaque sententiam, qui Damasum *hypostaseos* voce ad designandas personas usum aliquando fuisse asserunt, erroneam esse constat ex Hieronymo ipso : siquidem ad Marcum presbyterum deinde ait : *Hæreticum me cum Occidente, hæreticum cum Ægypto, id est cum Damaso, Petroque condemnent. Quid unum hominem exceptis sociis criminantur? Si rivus tenuiter fluit, non est alvei culpa, sed fontis.* Hieronymo præterea accedit Acacii Beroæ in Syria episcopi testimonium, ex quo scimus Paulinum a tribus dicendis hypostasibus abstinuisse, ut plissimos Occidentis episcopos sectaretur (c). Cum itaque Damasus a tribus dicendis hypostasibus abstinuerit, magnus Baronius (d) merito Theodoretum rejicit scribentem, Meletio a Sapore, Arianorum ecclesias adjudicatas ea de causa, quod Damasus non secus ac Meletius ipse, unam Trinitatis substantiam confitens, tres hypostases diserte prædicaret (e). Hinc quæ in aliis Damasi ad Paulinum litteris leguntur verba, *unum Deum in tribus hypostasibus* (f), purum ejusdem Theodoreti putumque additamentum sapiunt, quæ propterea a latinis omnibus exemplaribus absunt. Nec vero id insolens huic scriptori est : nam cum in Illyricana synodo, cujus alibi a nobis mentio facta est, congregati præsules aperte professi fuissent cum reliquis omnibus Latini imperii episcopis, *eamdem substantiam Patris et Filii et Spiritus sancti in tribus esse personis*, Theodoretus, qui eas litteras in Græcum versas recitat (g), statim addit τοῦτ' ἔστιν ἐν τρισὶ τελείαις ὑποστάσεσιν, quod itidem apertum ejusdem glossema est.

III. Priusquam ab his Hieronymi litteris discedam, locum ex iis afferam, quod illum haud recte sæpius acceptum viderim : ait itaque, *Trium hypostaseon ab Arianorum præsule et Campensibus, novellum a me homine Romano nomen exigitur.* Sunt qui disjunctionem illam *et* omittendam censeant, ac sub *Arianorum præsule* Meletium unum intelligunt, qui eorumdem Arianorum manu evectus ad cathedram Antiochenam fuerat : aliis vero placet, ut legamus *sub Arianorum prole Campensibus*, aiuntque Meletianos Arianorum prolem non sine probabili ratione a Hieronymo dici posse. Ego vero opinor, aliud nihil eumdem Hieronymum hoc loco velle, quam se revera tum ab eodem Arianorum præsule, sive Euzoius ille fuerit, sive Dorotheus, tum a Campensibus, Meletianis scilicet, ob eam causam vexatum; ideoque nihil a veteri lectione movendum. Neque enim minoris Arianorum quam Meletianorum intererat tres hypostases dici, eratque una eademque omnium causa, quamquam non idem omnium finis. Hinc in alia epistola, *Campenses cum Tarsensibus hæreticis copulatos* ait, quia Meletianarum partium duces, vires cum hæreticis Arianis, et consilia in ea contentione conjunxerant. Falluntur itaque meo judicio, qui *cives Tarsenses* hoc loco ab Hieronymo *hæreticos* dictos putant, ac in hujus rei perquirenda causa laborant. *Campenses enim cum Tarsensibus* idem Hieronymus jungit, quia Flavianus et Diodorus, qui Silvani Tarsensis episcopi alumnus fuerat, Meletianarum partium Catholicis conjunctim præerant; uterque vero cum *hæreticis copulatus* videri poterat, tum quod unam cum Arianis eamdem-

(a) Præf. ad tom. III, § 3.
(b) Vit. Hier., cap. 11.
(c) Apud Cyrill. ep. 13.
(d) Ad ann. 378, num. 37.
(e) Lib. v, cap. 3.
(f) Apud Theodor. lib. IV, cap. 8.
(g) Lib. IV, cap. 8.

que causam in tribus hypostasibus tueri videbantur, tum quod, Theodoreto (*a*) ac Philostorgio testibus, promiscua erat inter Meletianos et Arianos, *precationum, hymnorum, consultationum, aliorumque omnium, si mysticum sacrificium* excipias, *sacrorum* communio. Quid enim Tarsenses, si qui forte hæreticis adhæserant cum Antiochenis Catholicis, commune habuere, ut eos Hieronymus hoc loco præ cæteris omnibus expressos velit. Hoc iterum Hieronymus ipse indicat, in epistola ad Marcum presbyterum, cum ait, *Sabellianæ impietatis arguor, subsistentes, veras, integras, perfectasque personas pronuntians: si ab Arianis, merito: si ab orthodoxis, qui hujusmodi arguunt fidem, orthodoxi esse desierunt.* Utramque enim factionem notat, a qua molestias illas ferre cogebatur. Hinc vero colligi etiam aperte potest, hæc Antiochiæ gesta fuisse, antequam Meletius eo iterum reversus esset, atque ideo has epistolas, eo quem dixi anno scriptas esse oportere.

IV. Nunc quærendum restat, cur Hieronymus Vitalem pro catholico habuerit, atque eum numeret inter episcopos, qui Damaso *hærere* se dicerent. An vero Romano pontifici *hærere* Hieronymo videri poterat, qui Apollinario parebat, atque ordinatus ab illo fuerat, ab Ecclesia jam projecto? Ego sic existimo, Vitalem ordinatum ab Apollinario fuisse non diu postquam a Damaso rediit cum communionis litteris; idque dolo malo, atque eum in finem, ne a Paulino cogi posset ad subscribendam formulam, quam illi a Damaso transmissam noverat. Ne vero vaferrimus homo malam de se suspicionem injiceret, Paulinum Sabellianismi incusare, atque ejus communionem palam ejurare deinde cœpit. Rem narrat Epiphanius (*b*), qui Antiochiam sese contulerat anno 376, ut utrumque inter se conciliaret. Interea vero Apollinarius ac Timotheus ab Ecclesia ejecti, ac eorum asseclarumque hæresis a Damaso cum Romana synodo proscripta est. At Vitalis Damaso sese hærere dicebat, non secus ac Meletius, ac Paulinus, sive quia ejus rei fama nondum Antiochiam pervenerat, cum Hieronymus scriberet, sive quia nominatim, ut cæteri, minime damnatus, fultus præterea communionis litteris, quas olim a Damaso surripuerat, ac simulatione virtutis et religionis, pro catholico sese gereret, et Ecclesiam falleret. Hunc profecto ludum deinceps etiam diu lusisse discimus ex Ambrosii epistola ad Theodosium imperatorem, atque a secunda Nazianzeni ad Cledonium quas expendi diatr. 2, cap. 4; ex iisque non obscure colligimus vaferrimum illud caput nunquam fuisse ab Ecclesia aperte projectum, atque inter hæreticos proclamatum.

V. Diximus Petrum Alexandrinum hoc anno ad Ecclesiam suam reversum. Itaque litteras illas, quas a Damaso secum attulit, quæque perierunt, hoc anno scriptas fuisse oportet. Earum mentio est tum apud Socratem, tum apud Sozomenum (*c*), qui eodem tempore, quæ illarum vis esset, nos docent, cum eorum alter et consubstantialis fidem, et Petri in sedem Alexandrinam collocationem; alter vero ordinationem a Damaso confirmatam scribit, atque ita uterque ejus, quæ Romano pontifici inest, auctoritatis specimen Damasum dedisse fatetur. Huc sane respexisse liquet Eutherium Thianensem, et Helladium Tarsensem episcopos, qui ita ad Xistum scribunt: *Et olim sæpius ex Alexandria hæreticis zizaniis insurgentibus suffecit vestra apostolica sedes per universum tempus istud, ad mendacium convincendum, impietatemque reprimendam, et corrigenda quæ necessarium fuit, muniendumque orbem terrarum ad gloriam Christi, tam sub illo ter beato episcopo Damaso, quam pluribus aliis* (*d*). Hæc autem cum Lupus annotasset pertinere ad Petri Alexandrini in sede confirmationem, Luciique Ariani damnationem, Baluzius eum errare vehementer inquit, cum Damasus non solus, sed cum concilio Italiæ et totius Occidentis Lucium damnaverit (*e*). Unde autem synodum illam Baluzius ex omnibus Occidentis episcopis collectam probet, ipse viderit: ego enim præter Petrum ipsum, ex suburbicariis, atque iis, qui Romano pontifici præsto esse solent, episcopis compositam fuisse crediderim. Cæterum inepta prorsus observatio est, quamquam alii, qui non æquo in sedem apostolicam animo sunt, ea uti soleant. Nam quæ fuerit in Romana synodo episcoporum Italiæ auctoritas, ipsi aperte explicant, ut nemo melius, cum ad clericos et monachos Orientales hæc scribunt: *Quoties intra Italiam propter ecclesiasticas causas, præcipue fidei, colliguntur Domini sacerdotes, consuetudo retinetur, ut successor præsulum sedis apostolicæ ex persona cunctorum Italiæ sacerdotum, juxta sollicitudinem sibi Ecclesiarum omnium competentem cuncta constituat, qui caput est omnium* (*f*). Nam qui cuncta constituit, ad illum ex eorum episcoporum sententia pertinet decernere, quid faciendum ab aliis sit.

CAPUT XIII.

378, Damasi 13, Valente VI et Valentiniano II AA. coss.

I. *Gracchus hoc anno P. U. Mithræ spelæum destruit, ac quæ Damasi in ea re partes.* II. *Romanum quoddam concilium, ejusque ad Gratianum, quæ extant litteras ad hunc annum erronee consignari.*

I. Hic annus clarus est in ecclesiastica historia ob partam Ecclesiæ pacem Valentis obitu. Cæterum quod ad Damasi res gestas attinet, ejus potissimum studio referri potest, quod Gracchus, *cum præfecturam gereret Urbanam, spelæum Mithræ, et omnia portentosa simulacra, quibus Corax, Gryphus, Miles,*

(*a*) Theodor. Hist., E., lib. II, cap. 24; Philost. lib. III, cap. 14.
(*b*) Her. 77. cap. 20.
(*c*) Socr., lib. IV, cap. 37. Sozom., lib. VI, cap. 39.
(*d*) Lup. in Synodic. cap. 117.
(*e*) Collect. Concil. nov., p. 817, not. *c*.
(*f*) Concil. Rom. II, sub Felic., contr. Acac. Conc. tom. V, Ven. edit.

Leo, Perses, Helios, Bromius pater initiantur, subvertit, fregit, excussit (*a*), Baronius, ut hoc factum conferat in annum 383, quo Gracchus P. P. fuit, Hieronymum errasse, urbanamque loco prætoriæ præfecturam scripsisse putat. At Gothofredus, Pagius ac Tillemontius rem narrant ad annum 376 et 377, quo Gracchum urbanam eamdem præfecturam gessisse colligunt ex duabus illi inscriptis legibus Theodosiani Codicis (*b*). Altera enim data est Valente v et Valentiniano AA. coss., anno scilicet 376; altera vero Gratiano augusto IV et Merobaude coss., anno nempe 377, aiuntque non obstare huic sententiæ, quod utraque ad Gracchum P. P. inscripta sit: inscriptionem enim in mendo cubare censent, eamque corrigendam ex Codice Justinianeo, quo lex illa prima ad Grachum P. U. directa legitur; quod etiam probatur ex ms. Wurceburgensi Theodosiano Codice, qui cl. Rittero teste, loco P. P. habet ad Gracchum P. U. At Philippus a Turre Adriensis episcopus cujus ego sententiam sequor, Gracchi præfecturam urbanam, ac Mithræ excidium ad hunc annum revocat (*c*). Observat enim anno 376 eo magistratu functum fuisse Rufinum, cui in Junio mense data est lex 3 de Off. P. U., quam Codex Justinianeus recitat. Sequenti anno ac post Rufinum, Urbis præfecturam Probianum administrasse constat ex Theodosiano Codice l. 3 tit. 2 lib. XI, quæ Septembri mense data legitur. Quamobrem unus Graccho locus esset, inter Januarium scilicet et Septembrem menses, quod idcirco intermedium spatium Tillemontius illi attribuit (*d*). At si Probianus Graccho successerat in Septembri, ut Tillemontius putat, cur iterum eidem Graccho inscriptam legimus in Codice Justinianeo legem, *ne in sua causa quis judicet*, datam *kal.* Decembris, Valente VI et Valentiniano II coss., anno nempe 378. Restat itaque ut dicamus errorem Codici Justinianeo irrepsisse: at cur non potius Codici Theodosiano contigisse potuit? Id ego libentius inducor ut credam, quia ms. Wurceburgensis codex legem illam Valente et Valentiniano coss. lectam ait, sed consulatus annum silentio præterit', quæ proinde ad utrumque referri potest; atque nihil impedit, quominus Gracchus implere debeat, annum illum, quo nullus apud Panvinium et Blanchinum præfectus notatus legitur.

II. Huic itaque egregio facinori, quin Damasus manus admoverit, ego minime dubito, erat enim episcopi munus tum baptismum conferre, tum baptizandos probare per aliquod aut tempus, aut factum, antequam ii ad baptismi gratiam admitterentur (*e*). Hinc cum Hieronymus scribat, Gracchum monstruosis destructis simulacris, *his quasi obsidibus præmissis impetravisse baptismum Christi*, facile intelligimus hanc illi a Damaso propositam conditionem fuisse pro eo consequendo. Nam cum præfecto Urbis inter cætera, ludorum ac spectaculorum cura ac disciplina incumberet, quæ Cypriano teste (*f*) cum vix idololatriæ crimine aut periculo carere possent, eum pro recepto Ecclesiæ more a baptismo repellere videbantur; æquum proinde, ac e bono religionis fuerat, ut antequam admitteret ad gratiam, majus aliquod, ac constantis in proposito voluntatis argumentum, Damasus in Graecho quæreret. Quo loco Urbis positum esset Mithræ spelæum, quod Gracchus destruxit, affirmare vix ausim, quamquam minime dubitem, quin celebri, et præcipuo. Forte vero in Capitolio ipso atque in ea parte, quæ aquilonem spectat, quo Adriensis episcopus subterraneum repertum templum, ac Mithræ simulacrum ex Grutero refert (*g*), eaque omnia ut et inscriptionem se vidisse Riequius et Pignorius affirmant (*h*). Cæterum Damasus hanc a Graccho rem petere, ac Gracchus eo facilius præstare debuit, tum quod Constans aras, et idola Romæ destrui jusserat (*i*), tum quod Gentiles Socrate teste (*j*), Mithriacis sacris ad magicas artes et divinationem abuterentur, quæ gravissimis Christianorum principum constitutionibus prohibita fuerant (*k*). Hinc Nazianzenus in Carmine ad Nemesium, *Mithræi fani scelera, orgiaque haud memoranda* execratur, ac S. Paulinus eos jure merito perstringens ait:

Quid quod et Invictum spelæa sub antra recondunt.
Quæmque tegunt tenebris, audent hunc dicere solem.
Quis colat occulte lucem, sidusque supernum.
Celet in infernis, nisi rerum causa malarum (*l*)?

Sirmondus in lucem protulit Romani concilii litteras inscriptas ad Gratianum et Valentinianum, nec non Gratiani ejusdem et Valentiniani rescriptum ad Aquilinum vicarium, in quo iisdem de rebus agitur, de quibus in ejusdem concilii litteris (*m*). Pagius, Tillemontius ac cæteri fere omnes tum Romanum hoc concilium, scriptasque ab eo litteras, tum Gratiani rescriptum referunt ad hunc annum, nulla alia prorsus ratione, nisi quia cum nulla neque in Romani concilii litteris, neque in imperatorum rescripto aut Valentis aut Theodosii mentio sit, intermedio proinde tempore, quod ab alterius obitu ad alterius electionem elapsum est, hæc contigisse oporteat; quæ levissima prorsus conjectura est, nam neque semper omnium imperatorum nomina exprimebantur in litteris, quæ ad eos pro rerum

(*a*) Hier. epist. 107, Ver. edit.
(*b*) L. unic. lib. I, tit. 2, et leg. 3, lib. IX, tit. 38.
(*c*) Dissert. de Mithr. cap. ultim.
(*d*) De Gratian. art. 5.
(*e*) Bingham. lib. X, cap. I, § 3 et 5.
(*f*) Cyprian. de Spectac.: *quod enim spectaculum sine idolo, quis ludus sine sacrificio, quod certamen non consecratum morino?*
(*g*) Cap. 8.
(*h*) Aleq. De Capitol. cap. 42; Pignor. adnot. ad Cartar. de Deor. imagin., p. 506.
(*i*) L. 3 de Pagan. Cod. Th.
(*j*) Lib. III, cap. 2.
(*k*) Vid. Vulp. Vet. Lat. lib. IV, cap. 7.
(*l*) Carm. ultim. vers. 112, Veron. edit. Vide etiam virum doctum Banuerium Mithiolog. lib. VII, cap. 12, tom. III.]
(*m*) Append. ad Cod. Theod. tom. I, p. 422.

opportunitate scribebantur, neque id necesse videbatur, cum satis esset ut litteræ, aut rescripta eorum principum nomen præferrent, quorum erat iis in locis imperium, ac potestas, quod (ne ego non necessario labore defungar) ex Symmacho colligi potest. Deinde quot sunt in Codice Theodosiano leges, ac edicta publice recitata, quæ unius aut alterius ex imperatoribus nomine sæpe careant? Percurrat tantum apud Gothofredum chronologiam legum sub Valentiniano, Valente ac Gratiano editarum, videatque Reinesii epistolam 19, qui quam imbecillum sit hoc probationis genus, exploratum habere cupit. Plura itaque sunt, quæ me impelluut, ut Romanum hoc concilium ab hoc anno removeam, atque ut in aliud tempus transferam. Primum, quod vix fieri potuit, ut tam brevi intervallo temporis, quod a Valentis obitu ad Theodosii electionem interjacet, Romanum illud concilium Gratiano scribere, ac Gratianus rescribere potuerit, tam longe tum positus, ac aliis iisque gravissimis reipublicæ negotiis distentus. Prælium enim, quo Valens occubuit, die 9 Augusti initum est, et acceptæ cladis nuntius ad Gratianum delatus a Victore fuit, qui fuga elapsus, per Macedoniam ad eum se recèperat, in Dacia cum exercitu positum. Quantum vero residuum est temporis, ut Romam de Valentis obitu nuntius afferri, ac deinde ea omnia, quæ reliqua sunt, fieri potuisse credatur ante Theodosii electionem, quæ die 16 aut 19 Januarii subsequentis anni publicata est? Secundo Gratianus post Valentis eladem cum Sirmii constitisset, temporum necessitate coactus, legem dedit, qua Manichæis, Eunomianis, ac Photinianis exceptis, cæteris cujuscumque religionis hominibus permisit, ut *secure et libere conventus in ecclesiis* propriis *agerent*. Hujus legis testis est Socrates (*a*), Sozomenus (*b*), ac Suidas, cujus verba Gothofredus recitat (*c*), quamquam eam sequenti anno iter faciens, Ambrosii, ut par est credere, consilio obsecutus revocaverit (*d*). Qui igitur fieri potuit, ut aliam huic omnino contrariam eodem hoc tempore dedisse videatur? Nam quæ Aquilino vicario inscripta est, alteram tollit omnino.

Postremo rerum aliquot gestarum series, quæ in ejus concilii epistola narratur, minime patitur, ut illud hoc anno celebratum censeri possit. Ne vero alio loco dicta repetam, vide, si placet, ad ann. 380, cap. 15.

CAPUT XIV.

379, Damasi 14, Ausonio et Olybrio coss.

I. *Antiochenum schisma mutua inter partes consensione depositum; Theodoretus notatus.* II. *Synodus sub Meletio Antiochiæ habita; quid actum in illa, definitumque fuerit. Acta ad Damasum missa.* III.

(*a*) Lib. v, cap. 2.
(*b*) Lib. vii, cap. 1.
(*c*) Ad lib. iv de Hær.
(*d*) Vid. lib. v, eod. tit.
(*e*) Theodor. H. E, lib. v, cap. 3.

De hujus synodi tempore, atque anno emortuali S. Basilii.

I. Facta itaque, ut diximus, Gratiani lege catholicis episcopis ad Ecclesias suas redeundi copia, S. Meletio ea inter primos uti licuit; siquidem ejus exsilii locus circa Nicopolim fuerat Armeniæ metropolim, quæ Antiochia non longe aberat. Statim vero ac reversus est, concordiæ studuit, proposuitque ad eam sarciendam, ut greges ambo episcopi jungerent, atque in commune pascerent, sive ut communi auctoritate Ecclesiam illam administrarent (*e*). Hanc conditionem, cum Paulini pars merito rejecisset, alia oblata est, quæ cum omnibus placuisset, transacta res fuit, ac populus ad unitatem, sacrorumque societatem rediit. Conditio vero, quæ tunc pacis beneficium attulit, hæc fuit (*f*): ut ii scilicet, qui ad regendum episcopatum idonei videbantur, sperabanturque, jurejurando se adstringerent, neque ambituros se, neque oblatum episcopatum suscepturos, quamdiu alteruter sive Paulinus, sive Meletius in vivis essent, sed ut is, qui e duobus superstes esset, sedem illam solus obtineret. Theodoretus igitur, qui concordiam a Meletio oblatam, a Paulino rejectam scribit, nimio suo, ut sæpe solet, erga Flavianum studio indulsisse visus est, frustraque Tillemontius causas quærit, quibus illum purget (*g*). Hujusce siquidem pacti ac juramenti aperta est apud Nazianzenum mentio in oratione XIV, quam pro pace habuit in Constantinopolitana Ecclesia, paulo antea quam illi cathedræ valediceret, siquidem hæc ejus verba eo respiciunt: *Pax amica non re dumtaxat, sed nomine quoque ipso jucunda, quam nunc populo dedi, ac recepi; haud scio an sinceram ab omnibus vocem, spirituque dignam, an non potius* PUBLICA PACTA DEO TESTE VIOLATA, *quo gravior sit nostra condemnatio.* Socrati præterea et Sozomeno, quorum major, quam unius Theodoreti auctoritas est, fidem adstruit sancti Ambrosii Aquileiensis concilii nomine scribentis testimonium, quod alio loco expendam.

II. Rebus itaque hoc pacto Antiochiæ compositis, Meletius ex episcopis communione sibi junctis synodum cogit. Cui synodo præter Eusebium Samosatenum, Pelagium Laodicenum, Eulogium Edessenum, Zenonem Tyri, ac Diodorum Tarsi, quorum nomina in fragmento, quod Holstenius, ac deinde Constantius edidit, expressa sunt, alii 146 episcopi subscripserunt, quorum memoria periit, præter quam Gregorii Nysseni, qui se concilio illi adfuisse aperte testatur duobus in locis, quos Baronius (*h*) recitat. Ejus synodi acta, ingenti rei ecclesiasticæ jactura tempus abripuit. Hoc tamen constat, recitatas in eo fuisse Damasi litteras, tum eas quæ primo ad Illyricos missæ fuerant ex Romana prima ejus-

(*f*) Soc. lib. v, cap. 5; Sozomen., lib. vii, cap. 3.
(*g*) De Meletio not. 12, tom. VIII; de Flavian., art. 3, tom. X.
(*h*) Ad ann. 379.

dem synodo, ac deinde ad Orientales per Sabinum allatæ; tum quas a secunda ac tertia synodo anno scilicet 374 ac 376 exeunte aut altero ineunte scriptas Dorotheus presbyter Orientalium legatus, secum retulit, ut diximus. Iis autem lectis Meletius primo loco, tum Eusebius Samosatenus, aliique deinde omnes subscripserunt verbis hisce, quæ digna sunt ut observentur : *Consentio omnibus supra scriptis, ita credens, et sentiens; et si quis præter hæc sentit, anathema sit.* Ex his enim tum colligitur, quanti habitum perpetuo fuerit apud omnes Catholicos sedis apostolicæ in rebus fidei definiendis judicium, tum præterea an verum sit, quod Bossuetius ait, controversiam de sancti Spiritus divinitate, quam Sozomenus (*a*) Romanæ Ecclesiæ judicio finitam dixerat, in Constantinopolitano deinde concilio retractatam fuisse. Nam ut mea faciam verba viri clarissimi P. Orsi (*b*) : *Cum totus Occidens, universa Ægyptus, omnis Orientalis Ecclesia et omnes per universam Ecclesiam catholici episcopi, Damasi, et Ecclesiæ Romanæ, de Spiritus sancti divinitate judicium amplecterentur, et Macedonianos tamquam manifestos hæreticos ab Ecclesiæ communione repellerent, diriaque devoverent, ac sæpius repetitis anathematis jaculatentur, quis æquo animo ferat, ut tam solemne judicium non adhuc omnino immobile et irreformabile, sed adhuc retractationi obnoxium videretur?*

Blondellus ad hoc ipsum concilium revocat pactum illud, quod Paulinum inter et Meletium atque utriusque partem, initum fuisse diximus, quod tamen ante Blondellum magnus Baronius scripserat (*c*), cui Valesius etiam consentit. At Tillemontius (*d*), qui non potest adduci ut credat, concordiam illam tam frequenti gravissimorum episcoporum numero confirmatam, in Constantinopolitano deinde concilio irritam fieri, nulloque in pretio haberi potuisse, Blondelli opinionem rejicit, sed hæc Tillemontii ratio infirma prorsus et nullius momenti est; nam primo, graviores ac seniores episcopi, qui Constantinopolitanæ synodo aderant, nihil innovandum cum Nazianzeno censebant, ut alio loco dicam : deinde, si ea concordia ab eorum pluribus probata antea, et confirmata non fuerat, cur Gregorius ipse pacem ab iis fractam, ac publicas Deoque teste confirmatas pactiones violatas doluit?

Hujus deinde synodi acta ad Damasum a Meletio ipso missa fuisse oportet, cum eadem originalia in Romanæ Ecclesiæ archivis pridem servata fuerint. Hoc ipsum præterea nos docet synodicus libellus his verbis : *Meletius suo in throno Antiochiæ, divinam et sacram convocavit synodum, quæ divinum confirmans Symbolum, et Marcellum, et Photinum, et Apollinarium anathemate notans, divinam ad Damasum et episcopos Occidentis misit expositionem* (*e*). Quis autem Romam missus, dicam ad annum sequentem : nunc enim pauca de hujus synodi tempore.

III. Hanc itaque eruditi omnes conferunt in annum 379. Enimvero ante hoc tempus profecto haberi non potuit, quia Eulogium Edessenum episcopum ab Eusebio Samosateno ordinatum ad Ecclesiam, unde sub Valente pulsus fuerat, hoc ineunte anno reversum fuisse constat ex Chronico Edesseno, quod vir doctissimus Joseph Assemanus edidit (*f*). At qui Septembrem illi aut Octobrem mensem assignant, mihi videntur rem prorsus incertam, pro certa asserere. Quamquam enim Gregorius Nyssenus eam congregatam scribat (*g*) nono aut decimo post obitum Basilii mense, ac sedata jam persecutione, quia tamen disputatur adhuc de Basilii die emortuali, nihil certi exculpi ex eo potest. Si Nazianzeno credimus (*h*), Basilius octo tantum annos in episcopatu vixit : vel ut Nyssenus ait, nonum incœpit. Quamobrem si annos ipsos numeremus ab ejus ordinatione, quæ a Petavio, Tillemontio, ac nupero operum editore in vita Basilii consignatur ad annum 370 (et si quo mense, quove die obscurum sit), vivendi finem fecisse debuit vir sanctissimus anno 378, et, ut mihi videtur, non diu post Valentis obitum, ac Gratiano solo imperante, sub quo et Hieronymus ejus obitum collocat (*i*).

Hanc vero sententiam, alia etiam gravissima, ni fallor, conjectura confirmat. Nam cum ille ad superos translatus est, Nazianzenus, *gravi ac periculoso morbo*, quo afflictabatur, *ereptum* sibi fuisse doluit, *ut sanctum cinerem exoscularetur*, ac Nysseno cui scribit, cæterisque communibus amicis, consolando adesset (*j*). Non itaque longe ab iis aberat, cum hæc scriberet, quamquam Tillemontius, Floridus, ac scriptor Vitæ Basilii, illum Seleuciæ Isauriæ tunc agentem, ac ex ea urbe Constantinopolim recta profectum statuant. Horum enim doctissimorum hominum judicio, ipsius ego Nazianzeni auctoritatem potiorem habeo, qui Seleucia, quo secesserat, Nazianzum se reversum scripsit, questusque est, res ab eo, quo eas reliquerat statu, minime immutatas a se repertas. Siquidem cum Seleuciam se contulisset, *ibique tempus haud breve peregisset*, tum ut Deo vacaret, tum sperans fore, ut interea Nazianzenæ Ecclesiæ, cujus curam constantissime declinaverat, episcopus aliquis præficeretur cum *reversus* est, *nil reperit horum, finxerat quæ mens sibi; fugisse, sed quæ putabat, hæc agmine oborta magno comperit negotia* (*k*), ecclesiastica scilicet, quæ excutere optaverat; apertissima itaque sunt Nazianzeni verba, nec aliam quam quæ a Gregorio presbytero in ejusdem Nazianzeni vita, et a Billio illis attributa est, interpretationem ferunt. Statim itaque, ac reversus Nazianzum fuit, actum est iterum, ut ejus Ecclesiæ curam suscipe-

(*a*) Lib. VI, cap. 21.
(*b*) Lib. I, cap. 8, art. 2, tom. I.
(*c*) Ad ann. 378, num. 26.
(*d*) De Meletio art. 13, num. 8.
(*e*) Synod. cap. 74.
(*f*) BB. O. tom. I
(*g*) Vit. Macr. tom. III, pag. 187.
(*h*) Carm. 64, num. 45.
(*i*) De S. E. cap. 116.
(*j*) Naz. ep. 371.
(*k*) Carm. de vit. sua.

ret ; at cum flecti nullo modo posset, Basilius cæterique provinciæ præsules obtinuerunt, ut iret saltem ad regiæ urbis Catholicos instruendos, et veræ doctrinæ in ea Ecclesia reliquas excitandas favillas. Hæc enim est causa, cur in oratione de laudibus ejusdem Basilii profiteatur, *non præter ejus sententiam voluntatemque*, illud a se susceptum onus, atque hæc verba Gregorius presbyter sic intellexerit, ut Cæsariensis præsul Nazianzeno jam currenti *stimulos addiderit* eumque *ad spirituale hoc certamen inunxerit*. Sed cur argumentis utimur non necessariis, cum ille Constantinopolim se accessisse asserat, *Cappadocia relicta* (*a*). Constans itaque certumque est Gregorium Seleucia Nazianzum, et ad suos reversum, antequam Constantinopolim proficisceretur. Reliquum nunc est, ut eum ante Basilii mortem, inde minime abiisse probemus : at hoc una ejus ad Simpliciam hæreticam pulcherrima epistola demonstrari potest. Ejus itaque irrequisitæ ac minime consentientis servum Basilius ante aliquot annos episcopum ordinaverat ; gravique deinde et vehementi oratione ejusdem fœminæ furias et convicia compresserat (*b*). At quæ eo vivente mutire amplius non auserat, vix defuncto, sæcularia judicia minari, atque iterum vehementer contendere cœpit, ut ordinatio illa antiquaretur. Gregorius igitur, cui ea de re matrona scripserat, lenissimo illam sermone demulcendam censuit, laudavitque propterea primo, quod de Basilio tunc *recens defuncto* perhonorifice loqueretur ; tum deinde ad negotium quod attinet, eam rogavit, ne Ecclesiam optimo illo episcopo quodam veluti donario divitem expoliaret, majorem sibi laudem conciliatura rebus ea inconsulta gestis consensum accommodans, quam si antea rogata acquievisset. Quod si petat, ut servus ille, qui bona administraverat, rationes reddat, æqua illam postulare inquit : sin autem contendit, ut deponatur velut sacerdotio indignus, hæc coepiscoporum provinciæ nomine rescribit : *Nos nec alium quemdam ex iis, qui criminis alicujus rei sunt, incognita causa dimittimus, nec hunc dimittemus. Verum si quis aliquid habet, quod eum accuset ; te præsente, simulque judicante, si ita libuerit, sin minus absente quoque,* NOBIS JUDICIBUS EXPLORATUS, *siquidem innocens inventus fuerit, etiamsi servus fuerit, absolvetur, si vero convictus fuerit condemnabitur* (*c*). Nondum itaque Nazianzenus ex Cappadocia pedem moverat, cum Basilio vix tunc defuncto hanc epistolam Simpliciæ scripsit, seque judicem cum reliquis ejus provinciæ episcopis hoc in negotio sessurum obtulit : atque hæc insuper ratio est ut, cum in vicinia esset, purgare se debuerit apud Nyssenum Basilii fratrem, cur ipsius funeri non adfuisset. Si itaque Gregorius Constantinopolim accessit post obitum Basilii, ipse vero eam Ecclesiam administravit *integro* fere *triennio* (*d*) ; si eam denique dimisit medio anno 381, vix elapso, fieri non potest, ut Basilius vitam protraxerit ad kalendas usque Januarias anni 379, ejusque idcirco obitus dies revocandus erit ad annum 378, atque ad Julium mensem, vel Augustum. Rationes autem illæ, quibus alia sententia defendi solet, haud difficulter everti, aliaque rursus argumenta afferri possent, quibus confici videtur, tum illigari haud posse Basilii mortem anno 379, tum ad aliquot saltem menses Antiochenum hoc concilium retrahi oportere. At cum perinde sit, quod ad nos attinet, utram eligas opinionem supervacaneo labore abstinebo, ut ad alia transitum faciam.

CAPUT XV.

380, DAMASI 15, GRATIANO AUG. V ET THEODOSIO AUG. COSS.

I. Lex 2 Cod. Theod. de Fid. cath. affertur, expenditur. II. Acacius Beroæ in Syria episcopus Romam venit, ut videtur, cum actis Antiochenæ synodi a Meletio legatus : alia enim Acaciani hujus itineris causa adducitur, ut pactum scilicet, quod Meletium inter et Paulinum Antiochiæ initum fuerat, confirmaretur. III. Synodus sub Damaso, a qua, pactum illud ratum habitum, Meletius ad plenam communionem susceptus, ac scriptæ ad Theodosium litteræ, ne illud aliquando frangi sineret. IV. Agitur de altera Damasi ad Paulinum celebri epistola, eamque ab hac synodo scriptam fuisse probatur. Pneumatomachi quo primum tempore Macedoniani dici cœperint ? V. Vigilii papæ locus expenditur, quo Ambrosium huic concilio adfuisse conficitur.

I. Hoc anno III kalen. Mart. data est celebris l. 2, de Fid. catholic., Acholio suadente, atque hoc a Theodosio sinceræ fidei testimonium forte exigente, antequam ille ad baptismum, quod ægrotans postulaverat, admitteretur. Causa vero, ob quam Sozomenus (*e*) legem illam datam memorat, aperte etiam demonstrat, quid imperator intellexerit, cum subditos suos ad *religionem* revocat, *quam divinus apostolus Petrus Romanis tradidit, quamque pontificem Damasum sequi claret, et Petrum Alexandriæ episcopum :* nempe ut Orientales sui in *varias sectas divisi*, intelligerent aliquando, quo se vertere possent, ne amplius in fide nutarent, ad Romanam scilicet Ecclesiam, quam divinus Petrus in fide instituerat, sucremumque ejus episcopum Damasum, quem Basilicorum libri ejusdem apostoli hoc loco successorem vocant (*f*), ac Petrum Alexandrinum. At cum de Petro sermo est, cur nullam Theodosius Alexandrinæ Ecclesiæ mentionem facit ? An forte Alexandrina Petri Ecclesia a fide tunc defecerat ? nullo modo : sed ut intelligerent, quanta esset inter unam alteramque Ecclesiam, atque inter utriusque episcopos differentia, atque hanc cum suo capite conjunctam errare non posse, ut poterat, ac potuit altera. Hinc

(*a*) Ἐκεῖ δ' ἐπῆλθον Καππαδοσσαν γᾶν λιπὼν ἡ πίστεως ἔρεισμα τοῖς πᾶσιν δοκεῖ : Carm. de Episc., vers. 94.
(*b*) Epist. 115.
(*c*) Ep. 38.
(*d*) Carm. de Episc., vers. 101, τοῦτ' ἔτος τρίτον.
(*e*) Lib. VII, cap. 4.
(*f*) Δάμασος ὁ καὶ διάδοχος αὐτοῦ δοξάσει.

Petrus Alexandrinus nullam aliam ob causam propositus est Orientalibus pro exemplo quod sequerentur, quam quia cum ille Damaso et Romanæ Ecclesiæ manifesta communione junctus esset, minime dubitari poterat, quin veram fidem profiteretur. Illi igitur errare convincuntur, qui cum rationum, et Scripturarum pondere oppressi, Romanam Ecclesiam periculo errandi subtrahant, non idem de Romano episcopo sentiunt, perinde ac si membra sine capite perfectum efficere corpus possent, aut dotes esse aliquæ in corpore præcipuæ, et excellentes, quæ non sint capitis, et a capite deriventur. Sed ne extra campum excurram, adisis Orsium hac de re optime disserentem (*a*), ego siquidem ad institutum redeo.

II. Dixi superiori capite, a Meletio missa fuisse Antiochenæ a se habitæ synodi gesta. Quærendum nunc est, quis ea tulerit, quoque anno.

Alexander Hierapolitanus Acacio Beroeæ in Syria episcopo hæc scribit : *Scit Sanctitas tua, sicut olim mihi per epistolam scripsit, quia, et in Roma coram S. M. episcopo Damaso præsente tua Sanctitate, motum est de hæresi Apollinarii : et nobis duas naturas confitentibus, ut non divinitati passionem tribuamus, dicebant hi, qui erant Apollinarii, duos nos dicere filios* (*b*). Pagius post recitata hæc verba ita prosequitur : *Lupus in scholiis ad illam epistolam existimat sermonem hic esse de synodo Romana tertia*, quam anno 375, ille habitam putat ; sed *ut animadvertit Baluzius in notis ad eumdem, Acacius tunc nondum erat episcopus : huc usque delegere non potui, an Acacius sub hujus anni 378 finem vel anno 382, quo alia synodus Romana celebrata, in Occidentem venerit* (*c*).

Ego vero Acacium neque anno 378, neque anno 382, Romam venisse puto : ad priorem enim quod attinet, constat illum ordinatum episcopum circa ejus anni finem a S. Eusebio Samosateno ad suam Ecclesiam redeunte post Valentis interitum (*d*) ; quamobrem unusquisque facile cum Baluzio affirmaverit illum adesse non potuisse Romanæ synodo, quam anno illo congregatam plerique frustra asserunt, ut dictum est superius.

Quo minus vero dicamus, Acacium ivisse Romam anno 382 illud prohibet, quod *Damasus, ac cum eo cuncti sacerdotes Occidentales, Theodorum Tarsi, et Acacium Beroeæ, episcopos reos agebant*, ob ordinatum Flavianum Paulino superstite, *eosque pro excommunicatis habebant* (*e*) ; vix itaque fieri potest, illis paucis tantum elapsis ab ea ordinatione mensibus, rebusque, animisque adhuc exasperatis, Acacium ad synodum Romam ire, Damasi atque omnium Occidentalium episcoporum conspectum subire voluisse, atque inter eos locum habere potuisse : hinc non legitur ejus nomen inter tres illos episcopos, quos anno illo ab Orientalibus iterum Constantinopoli congregatis missos ad Damasum Theodoretus ait (*f*), nec ejus in litteris tunc scriptis mentio est.

At si ad causas attendimus, ob quas Acacius Romam mitti potuit, ac debuit, tum tempus, quo eo accessit, tum ejus synodi, cui adfuit, annus haud difficulter statui poterit. Causa itaque duplex afferri potest ; prima ut Meletius de pacto, quo inter ipsum ac Paulinum, atque utriusque partis Catholicos divisio sublata fuerat, Damasum atque Occidentales episcopos certiores faceret, atque ea ratione plenam atque apertam apostolicæ sedis communionem sibi suisque conciliaret ; ac præterea ut pactum illud sedis ejusdem auctoritate, ratum, inconcussumque haberetur : neque enim ignorare Meletius poterat, sacris esse canonibus interdictum, ne duo essent in una civitate episcopi, atque eos canones probe intelligebat valere oportere, nisi aliter supremo Ecclesiæ capiti ob graves rationes visum esset. Altera vero causa, eaque justissima fuit, ut ad eamdem apostolicam sedem ferret acta Antiochenæ synodi, ex quibus Damaso perspecta fieret Meletii ipsius atque Orientalium illi communicantium fides, et obsequium erga definita ab eodem Damaso dogmata, atque eo pacto æquior, tum Antiocheno huic præsuli, tum cæteris omnibus fieret, quorum fides in suspicionem adducta aliquando fuerat. Hanc porro causam synodicus libellus non obscure indicat allatis superiori capite verbis, quibus ait, ejusdem Antiochenæ synodi *expositionem* ad Damasum et Occidentales a Meletio *missam* ; atque hoc est multo probabilius, quam illud, quod Valesius ait (*g*) legatos scilicet a Damaso Antiochiam missos, ut synodo illi adessent, a quibus deinde acta ad Urbem relata putat, ut *in Scriniis* reconderentur.

III. Hæc vero cum ita sint, Beroeensis episcopus nullo alio commodiori tempore Romam venisse potuit, quam hoc anno, post confectam scilicet Antiochenam synodum, cujus afferebat acta. Hic vero cum Romæ præsens esset, habita est quarta sub Damaso synodus, cujus Alexander Hierapolitanus meminit, eique adfuit ; adfuerunt itidem Apollinaristæ, quos etiam post synodum illam Antiochenam, a qua damnati fuerant, Romam versus ut se purgarent, malamque causam pro hæreticorum more tueri pergerent, ab Oriente discessisse, verosimillimum est. Hæc vero illa ipsa est synodus, quam synodicus libellus post Valentis obitum a Damaso congregatam narrat his verbis : *Valens autem cum in Thracia adversus Gothos pugnasset, igne absumptus ad æternum ignem migravit. Valentiniano etiam defuncto, Gratianus filius pios ab exsilio episcopos revocavit, quo tempore beatus etiam Damasus sacram Romæ congregavit synodum adversus Arianos Pneumatomachos, et alios plurimos hæreticos* (*h*). Neque enim existimare debemus, aut supre-

(*a*) Tom. III, lib. XV, art. 2.
(*b*) Apud Lup. epist. 57, ad concil. Ephes., oper. tom. VII.
(*c*) Ad ann. 378, ex n. 17, 18.
(*d*) Theodor. H. E., lib. V, cap. 3.
(*e*) Sozom. lib. VII, cap. 11.
(*f*) H. E. lib. V, cap. 8.
(*g*) Ad Theod. lib. V, cap. 3.
(*h*) Cap. 72.

mum illum pontificem *innumeros ex diffusis Italiæ partibus* episcopos convocare, aut hosce adesse potuisse, primis illis post Valentis obitum turbulentis temporibus, sed cum reddita Ecclesiæ pace ac securitate, majori omnes cum libertate ac religionis commodo, officio suo fungi poterant.

Fructum vero, quem ex ea legatione sibi proposuerat Meletius, uberrimum cepit; nam Damasus et ratum habuit pactum illud, quo Antiochenum schisma sublatum fuerat, et Meletium ipsum in plenam communionem recepit non secus ac Paulinum. Hæc constant tum ex eo, quod Acacius, ab eo missus, synodo sub Damaso adfuit, tum ex eo quod acta, et subscriptiones, quas ab Antiocheno concilio attulerat, in Romanæ Ecclesiæ archivo reconditæ fuerunt; constant hæc eadem insuper ex Gregorio Nazianzeno et litteris Aquileiensis concilii, de quibus ad annum sequentem rediturus erit agendi locus. Ne quid vero res ita compositas turbare deinceps posset, Ambrosius, ut ego puto, cæterique tunc Romæ congregati episcopi provide dispicientes, quod deinde accidit, scripserunt Theodosio, ut *juxta partium pactum, altero decedente, penes superstitem Ecclesiæ remaneret, ac ne altera superordinatio attentaretur*. Eam porro epistolam ante Aquileiense concilium scriptam esse, nemo saltem negaverit, qui alias legerit ejusdem concilii litteras, quæ supersunt, aliam vero aut aptiorem occasionem, aut Italicorum episcoporum conventum excogitasse vix poteris, præter hunc, a quo sic scribi potuerit.

IV. Ab hac autem synodo quarta sub Damaso, profectam ego insuper existimo celebrem illam fidei confessionem ad Paulinum, quam iterum impressam damus sub numero quarto. Illam profecto synodicam fuisse, Theodoretus, Vigilius papa, auctor synodici, aliique veteres asserunt. Hinc Valesius (*a*) eam scriptam putat in synodo, quam Damasus habuit anno 382, missamque Paulino, qui redux in Orientem, Thessalonicæ substiterat. At nulla est causa, cur Paulino mitti debuerit, quæ ei tunc præsenti in manus tradi potuit. Pagius itaque ob ejusdem synodici libelli auctoritatem, eam refert ad eam synodum, quam post Valentis obitum anno 378, collectam putat (*b*), Harduinus autem anno 379. Cæterum si nulla est idonea ratio, cur adeo coarctemus synodici libelli verba, ut jam prænonui, propius ad veritatem accesserit, qui eam tum synodum, *tum divinorum capitum definitionem* ad hunc revocaverit annum: quam præterea opinionem, nonnullæ, ut mihi videtur, conjecturæ confirmant.

Nam primo ex Alexandro Hierapolitano constat, Apollinaristas in ea synodo, cui Acacius adfuit, Catholicis objecisse, quod duos Filios assererent, quia duas in Christo Domino naturas profitebantur: hanc igitur calumniandi occasionem, ut deinceps eriperet, tunc factum puto, ut Damasus eos anathematizaverit, *qui* duos asserunt *Filios, unum ante sæcula, et alterum post assumptionem carnis ex Virgine*.

Secundo. Cum omnes ad eam usque diem exortas hæreses ea fidei ecthesis proscripsisse videatur, cur de Priscilliani portentosis opinionibus nulla mentio est? An forte aut Priscillianum ipsum, aut infamem ejus hæresim silentio præteriisset, meritaque sententia minime confinxisset Damasus, si hæc illi innotuisset? Hoc ego mihi persuaderi non patiar, ac potius credam, illam fidei regulam scriptam fuisse, priusquam hæreticus ille Romam accederet, atque ideo ante annum 381, quo constat eum a Cæsar-Augustano concilio damnatum ad Urbem accurrisse, ut dicam.

Tertio. Observanda sunt hæc Damasi verba ex anathematismo quarto: *Anathematizamus Macedonianos, qui de Arii stirpe venientes non perfidiam mutavere, sed nomen*. Macedoniani, quos Damasus hoc loco exprimit, qui sint, neminem latere puto: at inquirendum, quo primum tempore, qui sancti Spiritus divinitatem oppugnabant, hoc nomine a *Macedonio* sectæ duce appellati sint. Ut vero hoc facilius assequamur, tria tempora distinguenda et observanda sunt: primum quod excurrit a morte Constantii ad Lampsacenam synodum, quæ congregata est anno 364 aut altero nondum provecto: posterius, quod eam synodum usque ad Valentis imperatoris interitum; tertium denique, quod Valentis interitum subsecutum est. Constantio itaque defuncto, Semiariani *usiæ* assertores, qui ex *indulgentia novi* principis ad sedes suas reversi fuerant, libere congregare sese, arctiorem inter se societatem jungere, Arianos sive Acacianos iterum palam exsecrari, ac diris devovere cœperant. Ea igitur occasione Macedonius, qui ad eosdem Semiarianos jam se transtulerat, ac cum iis in latrocinali conventu Constantinopoli depositus fuerat, seque in villa huic urbi proxima abdiderat, e latebris exiens in publicum erupit, missaque ad Semiarianorum capita legatione, vires illis suas addidit, effecitque nedum ut homœusium mordicus retinerent, verum etiam ut Spiritum sanctum a divinitate excluderent, eumque in creaturarum numero collocarent. Eam itaque hæresim Silvanus, Eleusius, Eustathius, Sophronius, ac quotquot denique ab Acacianis Constantinopoli depositi fuerant, professi sunt, aliique deinceps ex illis etiam, qui in recta cæteroquin de Filio doctrina fuerant. Hæc ex Socrate, Sozomeno, Nazianzeno, aliisque eorum temporum scriptoribus constant, quorum dicta huc afferre supervacaneum est (*c*). Eam vero hæresim haud diu latuisse colligimus ex Alexandrina synodo, quæ eam damnavit, et ex Athanasii ad Serapionem epistolis: at qui eam profitebantur, Socrates *Pneumatomachos* TUNC dictos ait, *Macedonianorum* scilicet vocabulo nondum exorto, cui Socratis testimonio vim haud exiguam eorum temporum scripta adduni, in quibus Pneumatomachorum vox perpetua est, *Macedonianorum* nulla. Joviano interea defuncto, habita a Se-

(*a*) Ad Theod. H. E., lib. v, cap. 11.
(*b*) Ad ann. 378, num. 19.
(*c*) Vid. Socr., lib. II, cap. 45; Sozom., lib. IV, cap. 27.

miarianis Lampsacena synodus est sub Valente, quæ decrevit, ut omnia Arimini, et Constantinopoli ab Arianis gesta, irrita essent, Antiochena in Encæniis formula, ac homœusium mordicus retineretur, et ubique reciperetur; Acacianis, et Eudoxianis pœnitentiæ locus datus, sin minus iterum depositi. Hinc vero Valentis, qui se Eudoxio dederat, jussu orta in Catholicos, æque ac in eosdem Semiarianos dira illa persecutio, quæ eos impulit, ut tres illos Eustathium scilicet, Silvanum, ac Theophilum legatos ad Liberium, et Occidentales mitterent, qui Nicænam fidem profiterentur, et communi cæterorum omnium nomine communionem exposcerent. Recepti itaque in plenam catholicæ Ecclesiæ communionem ab eo sunt, ut ex Liberii ejusdem, quæ adhuc supersunt, litteris constat; Basilius quoque in epistolis rem sæpe memorat, sed accurate descriptam legimus apud Socratem et Sozomenum (*a*); qui præterea Semiarianos illos per anticipationem quamdam *Macedonianos* perpetuo vocant, ut intelligamus unam eamdemque esse hujus vocabuli vim. Ab anno igitur 366, quo hæc gesta sunt, quousque Valens rerum potitus in Oriente est, nullum Semiarianos inter et Catholicos episcopos discrimen fuit, nullus ejus vocis usus, cum omnes haberentur ut fratres: nam si qui cum Eunomio Spiritum sanctum a divinitate excludebant, uno Pneumatomachorum nomine adhuc compellabantur, ut antea. At quonam igitur primum tempore hæc vox usurpari cœpit? Ab hac Romana synodo, et a Damaso hoc ipso anno. Nam Valente defuncto, cum Gratianus Manichæis, Photinianis et Eunomianis exceptis, necessitati rerum ac temporum compulsus, lege lata concessisset, ut quam quisque vellet, religionem profiteretur (*b*), Semiariani illi seorsim a Catholicis collectas agere instituerunt, ac conciliabulo Antiochiæ in Caria celebrato, decreverunt vocem *consubstantialis* rejiciendam esse, nec ullo modo communicandum cum iis, qui Nicænam fidem profiterentur. Hæc igitur publica atque iterata antiquæ hæresis professio, et a Catholicis separatio, prima hujus anathematismi origo, et causa censenda est: cumque conciliabulum illud extra annum 379 collocari certe non possit, manifesto etiam deprehendimus, anathematismum ipsum, quo primum Pneumatomachi, a Macedonio hæresis duce *Macedoniani* dicti sunt, non diu postea publice propositum, denuntiatumque catholicæ Ecclesiæ esse potuisse. Hinc Nazianzenus cum Ecclesiam Constantinopolitanam administraret, et orationem anno illo aut altero haberet, quæ *quinta* de Theologia dicitur, quæstionem de Spiritu sancto *pridem oppressam et extinctam, atque a fide summotam et exturbatam* vocat, ac propterea *tunc renovari dolet, et ingemiscit.* Ab eo vero tempore *Macedonianorum* vox passim usurpata est: nam Theodosius eo vocabulo utitur in l. 11, proposita die 22 Julii anno 383, ac deinde in leg. 12 et 13, Cod. Theod. de Hær., ac Socratis et Sozomeni ætate non alio nomine hæretici illi compellabantur.

Hæc autem cum ita sint, Quesnellium (*c*), aliosque errare oportet, qui hanc epistolam cum epistola alia conjungunt, quæ de Vitali agit, unamque esse Damasi ad Paulinum epistolam censent, duplici constantem parte. Ut enim cætera nunc omittam, diversa inter utramque, scriptionis causæ, et temporis ratio duas esse probant ejusdem pontificis ad eumdem Paulinum litteras. Nam quod ad tempus attinet, hæc scribi vix potuit ante hunc annum, alia vero anno 375 Basilio jam innotuerat: hæc Thessalonicam missa est, alia Antiochiam: deinde hæc synodica, alia vero familiaris est: postremo cum Vitalis ob unam Apollinarii hæresim delatus esset, nulla erat causa, cur ad tot abjurandas hæreses adigeretur, a quibus erat alienus. Hinc nihil mirum est, si Paulinus ipse, hac minime usus est coram Epiphanio, ut Sabellianismi notam, quam Vitalis vicissim illi exprobrabat, a se amoliretur, sed ea fidei professione, quam pridem Athanasio obtulerat, sese catholicum probaverit (*d*): nondum enim anno 376, quo rem coram se actam Epiphanius narrat, plenam hanc a Damaso ecthesim acceperat, quam profiteri posset. Duas igitur Damasi ad Paulinum litteras merito distinguit Cœlestinus pontifex hæc scribens: *Prædecessor meus Damasus scribens ad Paulinum Antiochenæ Ecclesiæ episcopum inter cætera ait: Anathematizamus eos, qui duos filios Dei asserunt, alterum qui ex Patre ante sæcula est genitus, et alterum qui assumptione carnis natus est ex Virgine;* quæ ex prima epistola sumpta sunt: tum pergit: *Item ipse apostolicæ memoriæ vir Damasus in altera epistola ad Paulinum anathematizamus eos, qui duos in Salvatore filios confitentur, alium ante Incarnationem, et alium post assumptionem carnis ex Virgine, et non eumdem Dei filium, et antea, et post.* Duplicem etiam Damasi epistolam numerat, unamque ab altera distinguit Codex Canonum Ecclesiæ Hispanæ a viro clar. Joseph Cennio nuper egregie illustratus.

V. Dixi supra celebrem eam fidei expositionem in synodo episcoporum a Damaso scriptam, atque ad id probandum Vigilii papæ testimonium attuli. Verum ejus verba recitanda a me sunt, cum ex iis alia etiam colligi possint, quæ ad historiam illustrandam pertinent. En vero illa ex priori ejus constituto (*e*): *Perspectis prædecessoris nostri B. M. Damasi synodalibus constitutis, quæ post Nicænum concilium de sancto Spiritu tractantibus et convenientibus in urbe Roma episcopis catholicis, et B. M. Ambrosio Mediolanensis civitatis antistite sunt edita, inveni plenissime definitum, eos qui duos Filios affirmant unum ante sæcula, et alterum post assumptionem carnis ex Virgine, anathematis pœna percussos;* quæ ex anathematismo sexto sumpta sunt. Primo itaque intelligimus, hoc concilium,

(*a*) Socr., lib. IV, cap. 12; Soz., lib. VI, cap. 11.
(*b*) Socr., lib. V, cap. 24; Sozom., lib. VII, cap. 2.
(*c*) Diss. 14.
(*d*) Vid. Epiph., hær. 77, num. 20.
(*e*) Constitut. pro damnat. trium Cap., 26, Conc. Ven. edit. tom. VI.

a quo anathematismus ille promulgatus est, illud ipsum esse, in quo collecti episcopi *post Nicænum, tractarunt et addiderunt etiam de Spiritu sancto*, atque id verissimum esse, plura ad ejus divinitatem et adorationem attinentia capita abunde probant : nec me ab hac sententia revocat, quod in ejusdem expositionis initio non *addidimus* scriptum sit, sed *addiderunt*, quod verbum aliud concilium designat anteriori tempore habitum : siquidem cum apud Theodoretum aliud sit Damasianæ ecthesis initium, ea quæ ille omittit indicio nobis sunt, pro vario transcriptorum ingenio exordium fuisse adjectum, nec illud pro ejusdem ecthesis parte habendum. At quod gravius est, deinde ab eo Vigilii loco cognoscimus, Ambrosium, huic concilio adfuisse, quod duplici alio argumento confirmari potest : primo quod cum ejus epistola ad Gratianum Augustum, de qua sequenti capite agam, certos nos faciat, Romano huic concilio *innumeros ex diffusis Italiæ partibus episcopos adfuisse*, nulla est ratio, cur ab eorum numero Mediolanensem præsulem excipiamus : secundo quod epistola illa ejusdem consequenter Ambrosii fœtus reputari possit, quidquid BB. editoribus visum sit. Paulinus profecto unum refert Ambrosio Romanum iter, quod post aliquot ab ordinatione elapsos annos collocat, quodve propterea Tillemontius, et BB. conferunt in annum 382. At si quis Paulini verba attendat, nihil exsculpet, quod eorum sententiam probet magis quam nostram, qui Ambrosium Romam venisse dicimus, tum hoc anno, atque occasione concilii a Damaso tunc convocati, tum anno 382, ut alteri quoque concilio adesset. Certe idem Paulinus unam tantum Ambrosii ad Maximum legationem memorat, an vero propterea alteram, cujus ipse Ambrosius in oratione in funere Valentiniani dicta testis est, falsam esse dicemus? Scio magnum Baronium scribere, Ambrosium ipsum hoc anno Sirmium profectum fuisse pro Avemio episcopo ordinando : at quidquid hujus rei sit, nihil impedit, quominus utrumque iter confici commode potuerit.

VI. Reliquum est, ut causam afferamus, cur hæc epistola, Theodoreto teste, Thessalonicam missa fuerit. At quisque facile dijudicabit, illam Acholio familiari suo Damasum dedisse, ut Paulino in Romano itinere posito ac per eam urbem, unde percommoda et parata in Italiam navigatio, pertransituro redderetur. Cum autem Hieronymus cum Paulino ipso ac Epiphanio Romam venerit (*a*), utrique socium se junxisse debuit in regia urbe, quo anno elapso se contulerat post sacros ordines Antiochiæ acceptos. Epiphanium porro Constantinopolim accessisse imperatoris litteris evocatum, ut *Romam* navigaret, scribit Polybius ille, cui Papebrochius (*b*) Epiphanii Vitæ supplementum tribuit, cujus ego testimonio utor, quamquam alia prorsus occasione, atque alio tempore, hoc ab eodem Epiphanio iter susceptum scribat; siquidem cum in iis erret, iter illud, quod aliunde confirmatur, minime rejiciendum, sed suo tempori, suæque causæ reddendum est. Eo igitur Paulinum quoque Antiochenum venisse puto, tum quod hæc Antiochia Romam eunti terrestri itinere via esset, tum ut Hieronymum suum videret in ea urbe tunc commorantem. Quin cum ego lego decimam tertiam Gregorii orationem, videoque illum de Antiocheno schismate recens transacto luculenter agentem, ac duos ejusdem civitatis episcopos impense laudantem, ac pari in honore collocantem, eumdem Paulinum familiari Nazianzeni consuetudine, non secus ac Hieronymus, ac Meletius ipse, usum fuisse suspicor in ea urbe, antequam inde discederet.

(*a*) Epist. 127, num. 5, Ver. edit.
(*b*) Ad diem 12 Maii.

CAPUT XVI.

I. *Agitur de* Romani concilii *epistola* ad Gratianum *a Sirmondo edita in appendice Codicis Theodosiani, eaque expenditur, illustratur, atque huic ipsi concilio attribuitur.* II. *Confertur cum Aquileiensis concilii epistola, ut inde ratio intelligatur, cur Romani hujus concilii Patres pro Damaso adversus Ursicinum tunc scripserint ; et cur præterea hæc eadem epistola hoc anno scripta censeri debeat, ac tribui Ambrosio.* III. *Ostenditur Damasum numquam de adulterio accusatum fuisse ; et anonymi Amstelodamensis temeritas et inscitia notatur.*

I. Ad hoc præterea concilium referendam ego puto epistolam illam *ad Gratianum et Valentinianum*, quam Sirmondus *Romani concilii* nomine in lucem protulit (*c*), ac deinde tum in Veneta Conciliorum editione, tum inter Damasi epistolas a Coustantio impressas legimus. Cur vero ea referri non possit ad annum 378, ut plerique censent, rationes jam protulimus cap. 13 et 15. Dicendum modo superest, cur huic anno et concilio alligandam eam censeamus; quod ego epistolam ipsam exponens facilius assequar. Laudant itaque hujus concilii Patres pietatem principum, ac beneficia in Ecclesiam religionemque collata, atque illud præ cæteris veluti necessarium ad reintegrandum ejusdem Ecclesiæ corpus furore Ursini tunc in partes sectum, quo decretum fuerat, *ut eo jam pulso, sociisque ab ejus conjunctione divulsis, de reliquis ecclesiarum sacerdotibus episcopus Romanus haberet examen, ut de religione, religionis pontifex cum consortibus judicaret ;* cujus sub initio schismatis, dati a Valentiniano rescripti, nullo alio quam hoc loco memoria superest. Hoc tamen bonum, quod præcipuum reputant, effectu hactenus caruisse dolent, ejusdem Ursini culpa. Hic enim quamquam extra suburbicarias regiones *relegatus* esset, Urbemque accedere prohiberetur, *per eos* tamen, quos *sacrilege ordinaverat*, plebem *sollicitare conabatur* continuo, atque populos impellere, ut a Damaso officioque deficerent. Hinc vero factum fuisse aiunt, ut apud *nonnullos alios episcopos*, hoc pessimo *exemplo*, quadam quasi auctoritate commotos, ipsius Damasi judicium, atque auctoritas nullo jam loco esset, ac res eo redactæ essent, ut qui vel se damnatos ab eo intellexerant, vel merito timebant, ne damnarentur, vulgi

(*c*) App. ad Cod. Theod., Oper. tom. I, p. 422, Ver. edit.

multitudinem redimerent, qua judices perterrefacerent fugarentque; eaque ratione, quo quisque *flagitiosior* esset, eo *tutior*, deque retinenda injuste Ecclesia certior videretur.

Hæc vero in Parmensi episcopo, ac Florentio Puteolano manifesto deprehendi scribunt. Parmensis enim, quamquam Damasi ejusque synodi judicio damnatus esset, *Ecclesiam* tamen *retinebat* impudenter. Parmensis hujus episcopi nomen reticent, at si Ughellio credimus, Philippus fuit, Romanus patria, ob eamque causam in partes Ursini trahi potuit, ac a Damaso deinde deponi. Florentius (*a*) Puteolanus æque damnatus fuerat; atque hic deinde ab imperatore, ad quem confugerat jure meritoque pulsus, per summam audaciam *post sextum* a depositione *annum repserat ad civitatem*, Ecclesiæ incubabat, multasque in eo oppido seditiones concitaverat. Hinc vero non obscure colligi potest, has ipsas litteras hoc anno, cui eas alligavi scriptas esse. Nam si Florentius post *sextum annum*, ex quo dejectus ab Ecclesia fuerat, iterum ad eam repserat, hæc temporis nota, tum nos ducit ad annum 374 atque ad eam synodum, quam anno illo Romæ collectam diximus, tum ad hanc ipsam, quam currenti congregatam asserimus. Hinc in Gratiani rescripto, de quo ad sequentem annum rediturus est sermo, cum antea legeretur Florentium *post quintum decimum annum* Ecclesiam a qua pulsus fuerat, *iterum contaminare conari*, Blondellus locum corruptum fuisse vidit, ac non ut antea *post decimum quintum*, sed *post quintum demum annum*, merito legendum censuit, quod Pagius etiam aliique observarunt.

Inter eos autem, qui sacerdotale judicium declinaverant, ne damnarentur, *Restitutum* deferunt in Africa episcopum, quem a Gratiano coram synodo jussum causam dicere, *sæva et insolentium manu diffugisse* aiunt. Quis fuerit Restitutus ille, cujusve Ecclesiæ episcopus, vix conjici datur inter tot hujusce temporis, et nominis horumque locorum episcopos, ex quorum etiam numero eum fuisse scimus, qui cum cæteris Ariminensis concilii legatis manus perfidiæ dedit Nicææ in Thracia. Quod asseri pro certo potest, illud est, aut Romanæ huic synodo aliquot ex Africa episcopos adfuisse, aut Damaso hujus negotii relationem de more transmissam, ut ille quid facto opus esset, rescriberet.

Per eamdem præterea Africam *sacrilegos rebaptizatores* Gratianus *expelli* jusserat. At expulsi *Claudianum* sacrilege ordinaverant, et Romam transmiserant, ut Montensibus præ-set *quasi episcopus*. Imperator jusserat, ut hic Roma abiret, *patriamque repeteret suam*. Sed sæpe etiam *constrictus, judiciis contemptis*, ac imperialibus rescriptis, residebat adhuc, pretio pauperiores sollicitans, et redemptos rebaptizans. Hujus Claudiani memoriam ad nos transmisit A Optatus (*b*), a quo discimus illum, post Macrobium, qui vivebat circa annum 370, quo alter lucubrabat opus suum, ac Lucianum qui Macrobio successerat, præfuisse iisdem Donatistis in Urbe, ac vitam produxisse ad Siricii tempora.

Cæterum cum rebaptizatores, hoc loco *sacrilegos* dictos audis, facile intelliges, qui fuerint *sacrilegi* illi, a quibus inferius hæc eadem epistola Sylvestrum accusatum dicit, causamque cognosces, ob quam accusatus fuit. Hi sunt Donatistæ, quos *sacrilegos* per excellentiam jure dictos, eoque nomine ab imperatoribus ipsis sæpe designatos nemo negaverit (*c*). Cum igitur, Romani hujus concilii Patres Sylvestrum a *sacrilegis*, Donatistis scilicet accusatum scribunt, falsum traditionis, et thurificationis crimen indicant, de B quo illum cum Melchiade, Marcello et Marcellino presbyteris, per summum scelus ex Augustino delatum scimus (*d*), ut conficerent, se ab eo, qui judex esse non poterat, nullo jure damnatos; quam etiam ob causam Lupus et Norisius, Sinuessanam synodum ab iis obtrusam putant. Hinc præterea discimus summum illud Ecclesiæ caput sese purgare apud imperatorem voluisse, ut Ecclesiam ipsam ab iis difficultatibus expediret, in quas illam conjicere per putidam calumniam *sacrilegi* allaboraverant. Cum igitur a Donatistis Sylvestrum accusatum fuisse certo constet, cum præterea calumniosæ illius accusationis manifesta sit causa, nulla est solida ratio, cur Floridus et Constantius non hanc hujusce rei fuisse causam sint arbitrati, atque aliam inutili sane labore exquisierint. C

Deinde quod hoc loco *Claudianum ab expulsis* ordinatum scribunt intellige de expulsis ab Ecclesiis. Neque enim Gratianus aliunde quam ab Ecclesiis, quas occupabant, Donatistas per Africam expelli jusserat, ut illæ Catholicis restituerentur, ut ex l. II Cod. Theod., Ne sanct. Baptism. iteret., aperte constat. Hæc vero cum data sit die 17 Novembris anni 377, cumque ordinatio Claudiani ejus publicatione posterior sit, jam vides, neque hanc Romani concilii epistolam, neque Gratiani rescriptum, de quo proxime agendum erit, anno 378, ut plerique falso putant, datum videri posse. Neque enim Claudianus ordinari potuit, statim ac lex illa proposita fuit; nec confestim Romam venit: rursus non statim ac Romam venit D deprehensus est: tum postea ad imperatorem scribi debuit, ac rescripta exspectari oportuit, quibus expelli juberetur, eaque postremo cum venissent, nec ille cessit tamen; sed judiciis, rescriptis ac vinculis, quibus sæpe constrictus fuerit, neglectis et contemptis, contumax resederat, antequam hæc eadem epistola scriberetur, ac residebat adhuc: quibus omnibus transigendis profecto si spatium damus, biennium vix nimium videri poterit. Non ego diffiteor,

(*a*) Florentii nomen cum iis legitur, qui contra Athanasium in Mediolanensi concilio subscripserunt, sed Ecclesiæ locus non additur. Vid. Bar. ad ann. 355, num. 22.

(*b*) Lib. II, num. 4.
(*c*) Lib. II et IV, Ne Sanct. Baptis. iter.
(*d*) De unic. Bapt. cap. 16

quin hæc lex, quæ Flaviano Africæ vicario inscribitur, aliam memoret ad *Nitentium*, quæ *dudum* præterea *data* scribitur. At ea, quæ ad Nitentium data fuerat, si bene advertatur, agit dumtaxat de fundis ac domibus, in quibus *hæretici* vetitos conventus agerent, publicandis; de pellendis vero Donatistis ab Ecclesiis, quas occupaverant, nihil habet omnino. Quia vero solemne erat, ut hæretici, qui ab Ecclesiis sacrisque locis ejiciebantur, profanas synaxes agerent ubi possent, ut ex pluribus Theodosiani Codicis legibus (*a*), aliisque scriptoribus constat, Gratianus ut Donatistas ipsos, non secus ac alios hæreticos eo commodo arceret, ejus, quam alias ad Nitentium præscripserat, legis exemplo usus est, magnasque domos et fundos, in quibus sacrilegos illos ab Ecclesiis eodem tempore pulsos grassari occulto furore contingeret, publicari jussit. Sed jam revertimur ad hujus concilii epistolam.

His igitur Ecclesiæ ac religionis incommodis, quorum in Ursinianos culpam vertunt, Gratiano denuntiatis, eum præterea monent in hæc verba: *Sic denique factio profecit Ursini, ut Isaac Judæo subornato, sancti fratris nostri Damasi peteretur caput, sanguis innocentium funderetur, componerentur doli, quibus divino plane instinctu, providentia vestræ pietatis occurrit, spoliaretur prope Ecclesia omnibus ministeriis, ea fraude videlicet, ut dum causam dicit, qui judex in omnes fuerat constitutus, nemo esset, qui de lapsis vel certe de factiosis posset episcopatus invasoribus judicare.* Hinc nonnulli scriptores putant, atque hæc ita intelligunt, ut velint Damasum, tum accusatum recenter ab Isaaco, tum ab imperatoribus paulo antea absolutum. Quærunt etiam quo de crimine sanctissimus hic Pontifex postulatus tunc fuerit, ac levissimis conjecturis permoti, illum de adulterio falso accusatum aiunt. Ego vero existimo non agi hoc loco de recenti aliqua contra Damasum rursus excogitata propositaque accusatione, sed antiquas illas, quas etiam Rufinus indicat, calumnias dumtaxat, atque insidias memorari, eo scilicet consilio, ut Gratianus iis perpensis, quæ Ursiniana factio in primis illis contentionis æstibus ausa fuerat, videret, quam necessario ab iis sibi etiam cavendum esset imposterum; nam si Ursiniani contra Damasum fraudes composuerant, ut illo inter reos delato, nemo esset, qui de factiosis episcopatus invasoribus judicare posset, necessario sequitur agi hic de re prave meditata, antequam *factiosi episcopatus invasores*. Ursinus scilicet, ejusque socii damnarentur collecta synodo; quod anno 369 ac deinceps etiam factum diximus; atque ideo conficitur hæc omnia iterum Gratiano eum in finem referri, ne se ab iis decipi pateretur, ac ut ad ea quæ postulabantur in his litteris, veluti futuris eorum dolis destruendis accommodata, facilius concedenda permoveretur.

Quæ vero pro eorum temporum ratione Romani hujus concilii Patres a Gratiano petunt, duo sunt potissimum: 1° *ut quicumque Damasi, ejusque synodi judicio, fuerit condemnatus, atque injuste voluerit Ecclesiam retinere, vel vocatus sacerdotali judicio non adesse*, a præfectis prætorio Italiæ, vel vicario Romam evocaretur: in longinquis vero partibus ad metropolitani examen per locorum judices deduceretur; sed si metropolitanus ipse, aut damnatus jam, aut contumax esset. Romam contendere, aut ad eos, quos Romanus episcopus judices daret, auctoritate publica juberetur. Id enim si fieret, necessario consequebatur, ut *qui depositi essent*, ab ejus *civitatis finibus segregarentur, in qua gesserant sacerdotium, ne rursus usurpare* possent, *quod jure sublatum* fuerat. Alterum quod petunt, illud est, ne Damasus publicis judiciis subjectus esset, sed si quæ emergerent causæ, in synodo episcoporum, cui sese ipse sponte subjiceret, deinceps proponerentur: iniquum enim videbatur, Romanum episcopum, qui *omnes prærogativa apostolicæ sedis excellit*, eo jure privari, quo cæteri episcopi gaudebant (*b*). Primum si Gratianus præciperet, futurum erat ut plurimum auctoritatis, et splendoris eidem Romano pontifici accederet, ac Parmensis, et Puteolani episcopi, hisque similium, qui deponi deinceps poterant, audaciæ ac temeritati obviabatur. Alterum vero si concederet, futuris Ursinianorum ac factiosorum hominum calumniis atque insidiis obstruebat ostium. Nec vero esse aiunt, cur Gratianus suspicari possit, hoc peti pro Damaso dolo aliquo malo, atque eum in finem, ut illum sæcularium judiciorum severitati subtrahant. Nam cum id peterent *post latam* pro illo *sententiam*, ac postquam ejus *innocentia et integritas Valentiniani patris* judicio *comprobata* jam, *et prædicata* fuerat, atque ideo non lateret Gratianum ipsum, quæ a perspectæ sanctitatis viro expectari deinceps possent, videri ille non poterat ad sacerdotes perfugere, ut publica judicia declinaret, sed ut collati episcopis omnibus beneficii ipse etiam particeps esset: ac præterea, ut caveretur deinceps, ne quis iterum calumniator existens, dum *virum innocentia satis munitum sua* frustra impetit apud sæculares judices illud, obtineat dumtaxat, ut tormentis, et vexationibus sacrorum ministrorum, religioni injuriam inferat, ut alias factum fuerat, Damaso ipso cæteroquin ob integritatem suam innocuo et incolumi. Cæterum ne reliquum huic suspicioni locum faciant, ac ut probent, Damasum, quem virum sanctum appellant, aliquid potius de suo jure cedere, quam sibi arrogare velle, Gratianum postremo rogant, ut ejus causas, si noluerit ab episcoporum synodo cognosci, ipse ad se trahat, et ad suum consistorium, cui spondent eum, Silvestri exemplo, adfuturum. Illud

(*a*) Vid. lib. III, IV et V, de Hær.

(*b*) Hoc eodem Valentiniani Senioris rescripto Ambrosius iterum usus est scribens ad Valentinianum filium in causa de non tradendis basilicis epist. 21; quem locum vide, ac cum hoc, si placet, conferas.

dumtaxat eo casu petunt, ut negotium prius ipse *examinet*, an honestum scilicet, an justum, an verosimile sit, *interroganda* deinde *distinguat*, edat scilicet, et distincte perscribat puncta quæ sub inquisitione cadent (*a*), inquisitionem ipsam judici committat, sed *arbitrium sententiæ* sibi *reservet*. Quod hinc sperant fore, illud est, ut *nulli perdito, vel infami*, aut *accusandi summi sacerdotis*, aut in eum testificandi *facultas* deinceps, *pateat illicita*, siquidem huic hominum generi difficilior ad principem, et periculi plenior esse solet accessus, quam ad ordinarios judices. Hoc enim ad eorum temporum infelicitatem accesserat, ut calumniosi episcoporum accusatores impune haberentur, quos ideo ut furiosæ huic licentiæ Constantius subtraheret, apud alios episcopos iterum explorari jusserat, edita l. XII C. Theod. de Episc.

Quæri hoc loco posset, quænam sit lex illa, quam concilii Patres memorant in his epistolæ verbis : *Certe prius examinet causam vestra clementia, etsi emerserit quæstio, interroganda distinguat, ut quemadmodum* DUDUM ESTIS CENSERE DIGNATI, *factorum a judice ratio quæratur, non arbitrium sententiæ vindicetur*. Neque enim dubitari potest, quin legem aliquam respiciant, rei quæ tunc ab iis tractabatur accommodatam ; sane duæ inveniuntur in Cod. Theodosiano ab hac re minime alienæ. Altera Valentiniani Patris ad Prætextatum P. U. data anno 367, altera Gratiani ad Senatum, lecta Valente V et Valentiniano coss., anno scilicet 376. Prima jubet, ut cum senatores vocantur in crimen, ac pœna aliqua gravior infligenda iis fuerit, imperatoris arbitrium præmissa relatione exploretur Cod. Th. l. X de Pœn. ; secunda vero statuit, ut ordinarii judices intendendi examinis et cognoscendi criminales senatorum causas potestatem habeant, sed nihil de animadversione decernant, et integro personæ statu, aut ad imperatorem referant, aut *ad inclytas potestates*, Urbi scilicet et prætorio præfectos, Cod. Theod. l. XIII de Accus. Hanc itaque putarem respicere verba illa, quæ retuli, potius quam alteram ; Valentinianus enim pater ordinariis judicibus, ne hanc quidem simplicem cognitionem permiserat, ut constat ex l. II Cod. Theod. de Exhib. reis. Quamobrem scriptam oportuit epistolam hanc anno minimum 380. Si enim, ut alii censent, anno 378 hæc scripta credatur, lex illa, quæ biennio nondum elapso publicata recens potius esse videbatur, nulla prorsus ratione, ab episcopis illis *dudum lata* dici poterat.

II. At enim cui bono Romanum hoc concilium veteres illas calumnias et insidias Gratiano commemoratas voluit? Optimo sane sapientique consilio. Ursinus enim ac Valens Petavionensis, per ea tempora in sceleris societatem Mediolani convenerant, ac occulta agitabant consilia, quibus Ecclesiæ pax turbaretur, quod aperte constat ex litteris Aquileiensis concilii ad eumdem Gratianum anno insequenti scriptis. Romani itaque concilii Patres, ac Ambrosius potissimum, cujus sub oculis res agebantur, cum timerent ne qua rursus ex pessima illa conspiratione, injuria Damaso, aut ecclesiasticæ tranquillitati detrimentum accederet, imperatorem monendum censuerunt de antiquis illis factionis Ursinianæ fraudibus, ut Damasum eo pacto ex insidiis, quas eidem forsitan ii parabant, subtraherent. Hac ipsa enim de causa, atque ut idem Ambrosius ait, *non solum futura præcavens, sed præterita, quæ Ursini temeritate gesta fuerant, perhorrescens*, Aquileiense concilium Gratianum ipsum rogandum iterum censuit, ne quid sibi e turbido illo et irrequieto capite obrepi pateretur. Quæ profecto cum ita sint, tum liquet eamdem in Romano hoc, ac in Aquileiensi concilio rotam versatam esse, tum perspicua est ratio, cur Romanum hoc concilium, ejusque ad Gratianum litteras ad hunc annum retulerim. Valens enim pseudoepiscopus Petavionensis, quocum Ursinus ad turbandam Ecclesiæ pacem fœdus iniverat, Mediolanum accedere vix potuit ante annum 379, siquidem Gothis, qui post Valentis cladem in Illyricum, atque ad ipsa Italiæ ostia proruperant, sese junxerat, ac patriam suam prodiderat, inclinato jam anno 378. Hinc vero manifestum est, hoc idem concilium, si eam sceleratorum hominum societatem, cum scriberet, præ oculis habuit, vix alio quam hoc tempore congregatum existimari posse : deinde vero colligo, cum viris gravissimis Sirmondo, atque Harduino, has ipsas Romani concilii litteras Ambrosio attribuendas esse, quidquid BB. editoribus videatur, qui eas ex operum editione eorum cura adornata expunxerunt ; tum quia illum ipsum adfuisse huic Synodo probavimus, tum quia idem utriusque epistolæ, Romanæ scilicet et Aquileiensis, et stylus est et scopus, ac eædem pene sententiæ. Sirmondi vero et Harduini judicium præferendum esse præterea liquet ex Henrico Clerico, qui in mss. codicum monasterii Padolivonensis catalogo sæculo XI confecto eam Ambrosio attribuit (*b*), quamquam deinde decipiatur, cum ex Aquileiensi concilio scriptam asserit : cum ab hoc Romano exaratam potius fuisse probet altera ejusdem Aquileiensis concilii ad Gratianum epistola, quam modo indicavi : neque enim, una eademque de causa, ab una eademque synodo ad unum, eumdemque imperatorem geminas uno tempore litteras scriptas esse crediderim.

III. Nunc redeo ad eos qui Damasum de adulterio delatum putant, quod Gratianus *turpissimis* illum *calumniis* impetitum dicat in rescripto ad Aquilinum vicarium. Ac si cujuscumque generis calumniæ perpetuo turpissimæ per se ipsæ non sint, ac legum infamia eas non sequatur, non ego tamen contendo, quin huic opinioni pondus aliquod videatur Anastasius addere, in Damaso hæc scribens : *Hic incriminatus de adulterio, et facta synodo purgatus est a* 44 *episcopis, qui etiam damnarunt Concordium et Callix-*

(*a*) Vid. l. XXX de App. Cod. Th.

(*b*) Montfauc. Diar. Ital. p. 93.

tum diaconos accusatores et projecerunt de Ecclesia. At in describendis Liberii, Felicis et Damasi gestis, Anastasius tot erroribus scatet, tantaque rerum confusione laborat, ut nulla prorsus aut exigua illi fides haberi possit, nisi argumenta aliunde suppetant. Saltem concilio illi, quo accusatus, et hoc crimine purgatus dicitur, nullum locum esse posse toto illo biennio, quod ab electione ad celebrem illam synodum anno 369 congregatam intercurrit, quidquid Baluzius asserat, jam vidimus. Ego itaque ne eorum qui sic statuunt opinioni accedam, duplici potissimum ratione adducor, silentio nempe Marcellini et Faustini, ac litteris ipsis Romani hujus concilii. Nam quod ad primum attinet, an vero hi presbyteri, qui livore atque odio perciti, omnes in Damasum aliosque illi similes sanctitate episcopos calumnias evomunt, qui eum præterea matronarum *auriscalpium* dictum fuisse scribunt, turpissimum hoc crimen silentio præteriissent, si ejus nedum suspectus, verum etiam reus apud Judices traductus fuerat?

In litteris vero Romani concilii non aliud Damaso crimen ex parte accusatorum affingitur, quam publicas leges ipsum violasse, ut ex his earum verbis constat: *Nam quod ad publicas leges pertinet, quæ potest esse vita munitior, quam vestra prudentia, qua innititur, judicata?* si vero nullus præter necessarios, proximosque accusare adulteros poterat (*a*), tum nulla est ratio, cur Isaaco judæo, nulliusque nominis ac conditionis homini, hoc licuisse putemus, tum præterea aliud fuisse crimen oportet, quo Damasus *in leges publicas* peccasse fingeretur, ut ab eo verbo accusari posset; aliud vero nullum ego video, quam *de vi publica*, ob dejectos pridem a Liberiana, et S. Agnetis basilica Ursinianos patratasque ea occasione cædes, ut dixi: cui quidem delicto cum pœna capitis statuta foret, ideo præsules congregati scribunt, ab Isaaco factione Ursini subornato, eos instructos dolos, olim scilicet, quibus *sancti fratris Damasi peteretur caput.* Hinc vero factum puto, ut Schismatici contra Symmachum, neque Damasi, neque Sixti III exemplo uterentur, ut eum pontificem synodo adesse cogerent, quamquam de simili accusatione, eodemque de crimine scilicet adulterii ageretur, atque alia in eum finem exempla allegarent; neque enim credibile est res tantas, publice actas, ac quæ hominum memoriam vix excesserant, Symmachi ejusdem adversarios latere potuisse.

Hæc autem cum ita sint, quisque facile dijudicare poterit, quanta se prodat in Jannonio oscitantia, seu potius inscitia, cum scribit *rogatum ab Italiæ episcopis Gratianum, ut Damasi, quem ipsi accusaverant, causas* ipse cognosceret. Sed eo, quem cum magistro suo Dupinio egregie castigatum dedit P. Joannes Antonius Blancus (*b*) nunc omisso, ad anonymum, qui anceps est, an sanctissimum illum pontificem ab hoc turpi crimine missum faciat, an vero damnet, oratio iterum convertenda est. Si enim hunc audis, cum synodus illa Damasum absolverit, Christianæ charitatis officium est, ut illum falso accusatum credas: at quia vix credibile, esse potuisse adeo perfrictæ frontis homines, qui dicam illam tam grandem Romano episcopo impingere ausi sint, et in judicium vocare innocentem, ac præterea cum nullum de calumniatoribus illis capitale supplicium sumptum fuisse constet, res adhuc in ancipiti posita est, tibique, anonymo judice, quam malueris, sententiam eligere fas erit. Papæ, quam doctus es, quam sapiens theologus, cum hæc pronuntias! Aliam porro sententiam ab Apostolo I Cor. XIII, didiceram ego: at tu mihi potiori loco deinceps eris, tuoque periculo credam, cum de honesta proximi fama agitur, magis valere posse, obscurorum aliquot, vilissimque ac nullius pretii hominum audaciam, quam diligenti plurimorum gravissimorum, ac sanctissimorum virorum judicio confirmatam sententiam. Vereor tamen ne cum hæc scribis lectorem tuum fallere velis. Siquidem tu minime ignoras, unam illam, quam pro tua opinione comprobanda, rationem affers, falsissimam esse, ac minime licere Ecclesiæ, calumniatores suos in sæculari foro ad pœnam persequi, ac sacerdotum religionem, ut aiunt hujus concilii Patres, tormenta abhorrere. Cæterum hac ego te sollicitudine liberum deinceps esse jubeo. Siquidem nullam esse synodum assero, in qua Damasus de hoc crimine aut accusatus aut innocens pronuntiatus fuerit, nulloque aut gravi auctore, aut solida aliqua conjectura niti, qui secus censent. *Je ne sais*, ait ille (*c*), *ce qu'il faut croire de l'accusation d'adultère intentée au pape Damase. Avait-il donné lieu à cet affreux scandale? Ou n'était-ce qu'une malice de quelque partisan d'Ursin? je pense qu'on ne saurait sans témérité prononcer sur ce fait, quoique S. Jérome ait dit de ce pape qu'il fit profession d'une continence parfaite, et qu'il la garda inviolablement jusqu'à la mort. La charité nous oblige à croire que le synode qui justifia Damase de cette accusation atroce, agit avec équité et ne fit que lui rendre justice; mais se persuadera-t-on aisément qu'il se soit trouvé des gens assez effrontés pour calomnier un pape avec tant d'insolence? Et leur imposture étant avérée, comme on le suppose, pourquoi ne furent-ils pas livrés au bras séculier pour être punis selon toute la rigueur des lois romaines contre les calomniateurs publics? Je borne ici mes réflexions: il est fâcheux de faire sentir qu'on est assez fondé à juger mal de la vertu d'un prélat, dont l'Eglise honore la mémoire.*

(*a*) Cod. Theod. l. II, ad l. Jul. de Adult., ibiq. Gothofr.

(*b*) Tom. IV, lib. II, cap. 3, § 7.

(*c*) In Damas. Vit., p. 135.

CAPUT XVII.

I. *Damasus irritam pronuntiat ordinationem Maximi Cynici, scriptis litteris ad Acholium Thessalonicensem, quæ expenduntur et illustrantur.* II. *De vicariatu Thessalonicensi.* III. *An Damasus mutata*

deinde sententia, ejusdem Cynici ordinationem cum Italico *quodam* concilio *defenderit?*

I. Cum S. Gregorius Nazianzenus, quem anno elapso saltem ineunte Constantinopolim accessisse diximus, eam Ecclesiam pro episcopo administraret magno religionis bono, parum abfuit quin Ecclesia ipsa atque Urbe exturbaretur fraude Maximi Cynici. Res cum ipsis etiam cognita sit, qui ecclesiasticas historias summis tantum labiis degustarunt, ea ego dumtaxat eligam, quæ ad Damasum pertinent. Is itaque ambitiosam atque illegitimam Cynici ordinationem irritam denuntiavit, data hoc anno ad Acholium Thessalonicensem, Euridicum, Severum, Uranium, Philippum et Joannem gravissima atque elegantissima illa epistola, quam inter multas, quas Damasum in hac causa Nicolaus I scripsisse memorat, e tenebris erutam Holstenius, vir apprime doctus et singularis judicii, primus edidit in Romana collectione, ac Constantius deinde inter Damasi epistolas octavo loco recensuit, ego vero quarto. Quarum Ecclesiarum episcopi fuerint, cæteri illi, quibus epistola inscripta est, nullus prodit. Ad Thessalonicensem tamen metropolim pertinuisse oportet, siquidem Ambrosius (*a*) Severum et Philippum, eos ipsos scilicet quibus illa inscribitur, *Thessalonicenses sacerdotes*, ad eam nempe metropolim pertinentes, vocat, ab hac Damasi epistola triennio nondum transacto.

Causæ cur Damasus eam ordinationem in irritum miserit, plures sunt : 1° quod ab extraneis confecta fuerat, ab episcopis scilicet ad eam Ecclesiam et provinciam nihil attinentibus : hinc concilium, quod anno sequenti in ea urbe congregatum est, cavendum censuit, can. 2, ne episcopi ex una diœcesi ad aliam transirent ad ordinationes faciendas, aut ad alia negotia, jussitque ut ea quæ suæ essent diœcesis curarent dumtaxat ; 2° quia ea ordinatio nocturno tempore ac clandestine in Ecclesia incœpta, intra profanas deinde ædes festinanter continuata, ac consummata fuerat, quæ omnia receptæ ecclesiasticæ disciplinæ adversabantur ; 3° quia nulla populi ac cleri postulatio præcesserat : hinc Julius Romanus pontifex, Gregorii, quem in locum Athanasii intruserant, ordinationem Arianis exprobrat quia *externus homo, qui non illic baptizatus, qui compluribus ignotus nec a presbyteris, vel episcopis postulatus* ; nec decere ait *sic præter jusque fasque, et contra Ecclesiasticum canonem ordinare quemquam* (*b*) : cui Athanasius ipse consentit (*c*) ; 4° quod alienus esset a Christiana religione habitus ille, quo Maximus utebatur, quemque Damasus *habitum idoli* merito vocat, siquidem philosophorum hujus sectæ habitus, non secus ac idolorum, uno tantum sine tunica palliolo, barba præterea, ac coma constabat, ut ex Luciano liquet (*d*). Eum Theodoretus (*e*) videtur inter sectatores Apollinarii recensere. At cum nullus eorum temporum scriptor, ne Gregorio quidem Nazianzeno excepto, qui illum profecto optime noverat, hanc illi dicam inscripserit, vereor ego ne forte Theodoretus, nomine deceptus, Maximum unum pro alio acceperit, illum posteriorem scilicet, qui post Ephesinum concilium, atque initam cum Cyrillo concordiam habitu monachi indutus, et *Apollinarii errore fervens*, a Joanne Antiocheno missus per Orientem dicitur cum *imperialibus litteris*, et *præceptis præfectorlis*, ut *hæresis languorem* disseminaret, atque anathema ferret adversus eos, qui Apollinarii deliramenta ejusque hæresis venena detexerant (*f*).

II. Episcopos illos ordinatores, quos Damasus *ab Ægypto venientes* ait, a Petro Alexandrino Constantinopolim missos, ut Maximum ejus civitatis episcopum constituerent, Gregorius ipse testis est, cui tamen Alexandrinus ille præsul suasor antea atque auctor fuerat, ut Ecclesiam illam pro episcopo administrandam assumeret. Hinc mihi verosimilis eorum opinio fit, qui putant, Maximum hunc, illum ipsum esse, quem Athanasius et Basilius scriptis ad eum litteris impense laudant, quem propterea nihil mirum est, si Petrus Athanasii successor, vacanti Constantinopolitanæ Ecclesiæ, qui præficeretur idoneum censuit. Nunc vero si quis eam Damasi epistolam cum iis conferat, quæ Nazianzenus ait in Carmine de vita sua, aperte deprehendet Romanum illum pontificem nihil latuisse eorum, quæ cum hæc fabula ageretur, contigisse alter commemorat ; adeoque alterum alteri similem mirabitur, ut verba ipsa, ac sententias alter ab altero accepisse videantur. Hinc colligitur, quæ in iis inquirendis ac referendis Acholii fides, et diligentia fuerit, siquidem hæc Damasus ab illo se didicisse profitetur. Cum autem idem pontifex esset eodem tempore jam certior factus, Maximi conatus a Theodosio imperatore, ad quem Thessalonicæ tunc agentem confugium ceperat, in irritum missos, ac quod male cœptum ab eo fuerat, *auctoritate publica* jam destructum, hinc discimus, has ejus ad Acholium, cæterosque episcopos, hoc anno, quem Theodosius fere integrum in ea urbe transegit, scriptas esse oportere, quamquam haud facile sit præcisum tempus statuere. Rerum tamen gestarum series exigit ut eas Septembri aut Octobri mense datas conjiciamus ; siquidem scriptæ sunt, postquam Theodosius Maximum rejecerat, ac concilium pro episcopi Constantinopolitani electione jam indixerat. Quidquid horum sit, quod pro certo videtur asseri posse illud est, scriptas illas fuisse postquam Damasus in Romana synodo Antiochenam concordiam confirmaverat, plenamque Meletio, atque ejus omnibus communicatoribus communionem concesserat. Ait enim optare se ut, cum brevi futurum esset Constantinopoli concilium pro ejus urbis eligendo epi-

(*a*) Epist. 15, apud BB.
(*b*) Jul. epist. 1, num. 14.
(*c*) Epist. encycl. ad ep., num. 2.
(*d*) Vid. not.
(*e*) Hist. lib. v, cap. 8.
(*f*) Vid. Synod. adv. Trag. Iren., cap. 195.

scopo, dent operam, ut is assumatur, qui nullam habeat reprehensionem, *ut Deo propitio cum integra pax catholicorum omnium sacerdotum fuerit confirmata, nullæ deinceps dissensiones in Ecclesia oriantur, ut præstante Deo, quod jamdudum optavimus, cum catholicis sacerdotibus, possit pax perpetua permanere :* quod in familiari etiam ad Acholium epistola repetit. Verebatur itaque ne quid in ea electione fieret, quod partam jam confirmatamque illam pacem iterum perturbare posset. Atque hinc colligo, sublatum jam cum scriberet, diuturnum illud inter Occidentales et Orientales dissidium.

Sunt qui ex allatis hujus epistolæ verbis conficiunt Acholium Damasi nomine adfuisse Constantinopolitano concilio, ejusque vices egisse. At hæc opinio communi eruditorum calculo, ac gravissimis præterea rationibus, quæ apud Baluzium, Pagium, Lupum, Tillemontium, aliosque legi possunt, rejecta est. Baluzius tamen in alium errorem lapsus est, cum existimavit ex eodem loco colligi, Acholium ipsum ejusque tractus episcopos Damaso scripsisse, postquam ad eam synodum evocati fuerant (*a*), siquidem Gregorius Nazianzenus aperte asserit, Macedones episcopos aut ex improviso accitos a Theodosio, aut ex improviso venisse post Meletii obitum, sero scilicet, ac diu postquam Damasus de indicto concilio monitus ab iis fuerat : cum itaque idem Damasus Acholio scribit, *ut det operam quemadmodum catholicus episcopus* in urbe regia *constituatur*, id vult dumtaxat, ut hoc agat officiis suis ac consiliis apud imperatorem ab eo baptizatum, ac Thessalonicæ tunc agentem : nam qua ratione petere potuisset ab Acholio Occidentali Ecclesiæ accensito, ut eam rem præsens curaret in synodo illa, cui *soli Orientis episcopi interesse debuerant* (*b*)? Cum vero Thessalonicensis præsul pro singulari sua sanctitate ac religione hoc negotium sæpius ac diligenter egisset apud imperatorem ipsum, quousque in ea urbe mansit, illudque eidem Constantinopolim sub ejus anni exitum profecturo sedulo commendasset, hinc ego factum fuisse puto, ut Theodosius, ejus rei memor, Acholium ipsum ac qui ab eo pendebant Macedones episcopos tam sero ad concilium acciverit, inopinato præterea, ac eo ipso tempore, quo Gregorius ob decretam Flaviani ordinationem, ortasque ob eam causam gravissimas contentiones in proximo erat ut sese episcopatu abdicaret (*c*), ut ii nempe componendis rebus, ac sanciendo fœderi adlaborarent; sin minus, curarent quod Damasus pridem in mandatis dederat, ne qua illi, qui eligeretur, nota inuri posset.

Censet iterum Baluzius, quem Pagius exscribit (*d*), Damasum non favisse Gregorio, ut Baronius scripsit; quin potius illum, eorum consilium damnasse ait, qui ejusdem Gregorii translationem peregerant, atque ad id probandum his utitur epistolæ verbis : *Illud præterea commoneo sanctitatem vestram, patiamini aliquem contra statuta majorum nostrorum de civitate alia ad aliam transduci, et deserere plebem commissam, et ad alium populum per ambitionem transire*, etc. Alii vero Meletium hoc loco notatum putant. Ego tamen neque hunc, neque illum perstrictum existimo, sed Romanum pontificem sacrorum canonum observantiam promovere voluisse censeo, quos apud Orientales tum in electionibus, tum frequentibus transmigrationibus violatos fuisse non ignorabat, ut ex Socrate discimus, ac ex Nazianzeno ipso, qui hoc vitium iis exprobrat in carmine adversus Episcopos (*e*). Quod saltem ad eumdem Gregorium attinet, certum manifestumque est non potuisse ejus hoc loco translationem perstringi, siquidem ea epistola scripta est diu ante quam illa decreto episcoporum Constantinopoli congregatorum fieret, ac proinde Baronium, cum Damasum Gregorio favisse censuit, a vero aberrasse haud liquet. Me tamen non latet, Macedones, Ægyptiosque episcopos, statim ac Constantinopolim venerant, post decretam scilicet Flaviani ordinationem, Gregorii inthronizationem improbasse, ob violatos in ea re canones. At illud ab iis factum præter Damasi mentem videri poterat; siquidem ille, qui nulli se Ecclesiæ addici passus unquam fuerat, ea lege, ut ipse ait in carmine de vita sua, non tenebatur.

Epistolam hanc Acholio inscriptam reddidisse videtur Rusticus, familiari alia Damasi epistola eidem commendatus ut filius, a se ipso scilicet baptizatus. Erat hic ex silentiariis Gratiani Augusti, quorum officium erat excubias agere ante cubiculum principis, vel cum in consistorio is resideret, vel cum exteros, eorumque legatos audiret (*f*), atque iis principes sæpe utebantur, ut huc illuc pro rerum opportunitate mitterentur; quod huic Thessalonicam forte ad Theodosium tunc misso contigit. Utraque vero hæc epistola tam aperta familiaritatis argumenta continet, ut veterem Damasum inter et Acholium ipsum confirmatamque consuetudinem fuisse ex iis clare pateat : quamobrem eum Ambrosius frequentes illum in Italiam excursus fecisse asserat (*g*), quin Romam usque, ante hoc tempus accesserit, ut habitis a Damaso anteactis concilii interesset, atque inde quin huic pontifici probe notus Acholius fuerit, ego minime dubito.

Interim hinc colligi non obscure potest, eumdem Acholium diu ante hoc tempus vices gessisse Romani pontificis per Illyricum, siquidem illum *sæpe* a se monitum Damasus inquit, ne fieret aliquid inconsiderate. Vicariam illam potestatem a Damaso Acholio collatam, Siricius deinde, Anastasius, Innocentius, ac successores Romani pontifices, Anisio, Rufo, ac cæteris Thessalonicensibus episcopis ad Justiniani usque tempora confirmarunt. Ex quibus vir clar. Jo-

(*a*) De Conc. lib. v, cap. 21, num. 2.
(*b*) Vide etiam adnotat. ad epist. 4.
(*c*) Carm. de vita sua ex num. 152.
(*d*) Ad ann. 379, num. 11 et seqq.

(*e*) Vers. 800, ex Toll. edit.
(*f*) Vid. Gothof. ad l. IV, et tit. de Decur. et Silent.
(*g*) Epist. ad Anisium apud BB.

seph Cennius merito colligit, eam delegationem veluti personæ attributum, cessavisse moriente pontifice, cujus agebantur vices (*a*). Hunc Vicariatum minime placuisse Dupinio, ejusque similibus, deprimendò Romanæ Ecclesiæ juri unice intentis, nihil miror. Mirum profecto videri potest, cur Tillemontius qui veritati tantum studuisse videri vult, vicariam illam delegationem rejicere, ac sub invidioso *innovationis* vocabulo traducere sibi licere putaverit. Hic enim vir sane doctissimus, primo loco dubius est, an Damaso vicariam illam præfecturam instituere licuerit, et an hoc ab illo consilium, ex canonum præscripto, an vero potius ex solo retinendæ per Illyricum totum recenter a Gratiano divisum, potestatis studio captum fuerit (*b*). Rursus alio loco vicariatum illum aperte exagitat, ac veluti contra canones institutum damnat, laudatque Theodosium, quod eum rescripto suo revocaverat (*c*), ac dictatorie pronuntiat, nullam esse juri congruam rationem, cur Damasus primum per Illyricas provincias vicariatum suum conferre potuerit (*d*). Verum nondum evictum est, Gratiano deberi Illyrici divisionem, ut ex ea Damasus ad Vicariatum instituendum moveri potuerit: deinde probari oporteret, eumdem vicariatum minime institutum fuisse ante Illyrici divisionem a Gratiano factam, quod Tillemontius nunquam evincet. Fac tamen Damasum Acholio commisisse vices suas, ut Illyricum totum, tunc divisum, sub se ac patriarchatu suo retineret: quid, rogo, peccavit in canones? Quid Basilius Cappadociam integram contra Anthimum Thianensem sibi asserens tanta contentione, veteri consuetudini, ut Nazianzenus ait (*e*), ac huic, quæ a Patribus facta fuerat divisioni inhærens? Cæterum apostolici vicariatus origo, natura, et causa alia est, quam quæ Tillemontio visa fuit, siquidem ea petenda est, ut Bacchinius ait, in dissertatione de ecclesiasticæ hierarchiæ originibus, ab eo jure, quo Romanus episcopus velut unicus metropolitanus Occidentem totum sub se habuit, atque ecclesiastica negotia per se cum poterat in vicinis provinciis, in longe vero a se dissitis, per certos, quibus demandandum censuit, episcopos administrabat, ut factum etiam per episcopum Alexandrinum in toto suo patriarchatu ex Synesii epistolis discimus; quæ est causa, cur Nicæna synodus celebrem illam inter eos comparationem instituerit can. 6. Quam viri doctissimi sententiam confirmare videtur Innocentius I, in epistola ad Alexandrum Antiochenum, qua eum monet, ut episcopos longe a se positos per datas a se litteras ordinari jubeat (*f*); ac Leo Magnus cum Anastasio Thessalonicensi profitetur vices suas delegasse se, *ut curam, quam universis Ecclesiis principaliter ex divina institutione debemus, adjuvares, et longinquis a nobis provinciis præsentiam quodammodo nostræ visitationis impenderes* (*g*). Hoc autem apostolicæ sedis in Illyricum utrumque jus; quod Tillemontius verbis a subreptitio Theodosii rescripto mutuo acceptis, *innovationem* vocat, Theodosius Magnus, Gregorius Nazianzenus, Basilius, ac Constantinopolitani concilii Patres facto probarunt, ac rationi consonum judicarunt, illudque Bonifacius I, Honorius deinde Imperator, ac Theodosius ipse, veritate cognita, alia prorsus justaque voce laudant, ac *dudum a Patribus constitutum, perpetuo servatum, tot sæculorum reverentia confirmatum*, asserunt, *ac sub illis etiam principibus obtinuisse* dicunt, *quos nulla nostræ religionis cura constrinxit* (*h*). Hæc obiter dicta sufficiant, cum mihi non sit animus jus hoc apostolicæ sedis a viris doctis egregie vindicatum asserere, sed Damasi gestis lucem afferre.

III. Ut itaque unde discessit revertatur oratio, postremo quæri posset, cum Damasus Maximi Cynici ordinationem rejecerit, qui fieri potuerit ut Italicum concilium eam deinde tueri ac probare videatur in litteris ad Theodosium scriptis, atque a Sirmondo editis in appendice Codicis Theodosiani. Ego quid sentiam exponam particulari diatriba, qua utramque illam epistolam discutiam, ne interea lectorem plus æquo detineam.

CAPUT XVIII.

381, Damasi 16, Fl. Syagrio et Fl. Eucherio coss.

I. *Agitur de Constantinopolitano* I *concilio in iis quæ ad Damasum attinent, ac defensor Gallicanarum propositionum rejicitur.* II. *Quæritur quid sit* Occidentalium tomus *can.* 3 *memoratus, ob quem sectatores Paulini Antiocheni ad communionem suscepti sunt, idem canon Meletio auctore conditus, et promulgatus, ejusque occasione dicta a Gregorio Nazianzeno oratio* 13, *quæ explicatur, ut etiam* 14. III. *Aliqua de* 3 *seu* 4 *canone, quo Maximi Cynici ordinatio rejecta est.* IV. *De Flaviani Antiocheni ordinatione, atque iis, quæ tunc gesta et tractata sunt.*

I. Hic annus ac sequens plures ac gravissimas res secum adducit, quibus illustrandis pro ingenii modulo immorabimur. Initium vero faciam a Constantinopolitano concilio, quod anno ipso pene ineunte cœptum, die 9 Julii finem habuit.

Disputatum est, an illud auctore Damaso convocatum sit, aliis asserentibus, negantibus aliis: an præterea Acholius ejusdem pontificis vices in eo egerit. Quod itaque ad primum attinet, qui illud Theodosii jussu, Damasi accedente etiam auctoritate et consensu convocatum ac congregatum scribunt, vix errare dixeris. Nam cum Romanus pontifex tempestive monitus, convocationi, quod facere jure poterat (*i*), minime intercesserit, auctor videri ac

(*a*) Antiq. E. H., disp. 3, cap. 2.
(*b*) De Damas. art. 13.
(*c*) Cod. Theod. leg. 45, lib. XVI, tit. 2.
(*d*) De Bonif. art. 9, tom. XII.
(*e*) In laud. Bas. orat. 20.
(*f*) Apud Const. epist. 24.
(*g*) Epist. 12, Juxt. Lugd. impress.
(*h*) Apud Coustant., in epist. Bonif. 7, 8, 9, 10.
(*i*) Socr., lib. II, cap. 17; Sozom., lib. III, cap. 10; Bar. ann. 351, num. 20.

dici potuit, ut illud congregaretur; quæ profecto est ratio, cur sexta synodus, Theodosio ac Damaso ejusdem concilii convocationem tribuat (*a*), at nullus omnino Damasi ejusdem legatus affuit, errantque si qui sunt, qui Acholium dignitate illa ab eo ornatum censent, cum Thessalonicensis episcopus sub ipsius concilii finem, atque ut electioni Constantinopolitani episcopi post Gregorii dimissionem faciendæ adesset, advocatus fuerit, ut alio loco dixi.

Jam vero, quod ad ejusdem concilii Acta pertinet, illa jam Photii ætate perierant: aliquot itaque dumtaxat supersunt canones, quorum alii ad fidem, alii ad disciplinam spectant. Ad fidem pertinet primus canon, quo cum aliis hæreticis Pneumatomachi, atque Apollinaristæ damnati sunt. At eos ipsos Damasus jam antea damnaverat, ejusque decreta, tum Occidentales omnes episcopi, tum Orientales, si paucos Macedonianos excipias, complexi fuerant. Si quis hac de re dubitat, adeat virum doctissimum P. Orsi, qui Ecclesias omnes percurrens rem in aperta luce collocat (*b*). Frustra itaque Bossuetius hoc canone abutitur, ut probet, in fidei controversiis finiendis ad sedis apostolicæ auctoritatem, aliarum quoque consensum Ecclesiarum accedere debere, eumque propterea in finem, Constantinopolitanum hoc concilium congregatum fuisse, ut eo scilicet canone de consensione hac et unitate constare posset (*c*). An vero episcoporum aliquot hæreticorum contumacia efficere potuit, ut generali concilio opus esset, pro dogmate, quod apostolicæ sedis judicio definitum atque Ecclesiæ totius obsequio comprobatum fuerat, iterum stabiliendo? Id vero, neque pseudo-Bossuetius, neque aliquis ex doctissimo, religiosissimoque Gallicanorum præsulum corpore unquam dixerit; nam quo alio telo Janseniani hæretici generale concilium frustra, doloque malo inclamantes, nuper ab iis disjecti sunt et prostrati? An vero aliam Gregorio utrique, Meletio, Amphilochio, cæterisque illis Constantinopolitani concilii Patribus, aliam Gallicanis episcopis mentem fuisse dixerit scriptor ille?

Certum itaque, ratumque sit, episcopos illos non potuisse congregare sese, neque canonem illum condidisse eo potissimum consilio, ut de consensione et unitate constaret, de qua nullus erat dubitandi locus. Quin vero si Socratem et Sozomenum attente legimus, aperto colligimus a Constantinopolitanis Patribus damnatos Semiarianos et Pneumatomachos ob eam potissimum causam fuisse, quod a fide Patrum, ut Basilius ait (*d*), Romæ accepta discesserunt. Ut enim Socrates et Sozomenus scribunt (*e*), antequam canon ille pronuntiaretur, quo Semiariani, seu Macedoniani proscripti sunt, *Imperator cum episcopis partis ipsius omni ope adnitebantur, ut Eleusium, et qui cum illo erant, ad partes suas traducerent, revocata illis in memoriam legatione, quam olim ad Libe-*

A *rium Romanorum episcopum miserant per Eusthatium, nec recte eos facere, qui cum consentientem fidei doctrinam semel agnoverint, iterum nunc ea, quæ ab ipsis decreta sunt, subvertere conentur.* Unde enim Constantinopoli congregati episcopi doctrinam illam fidei consonam esse cognoverant, quam ex anteacta apostolicæ sedis sub Liberio definitione, et judicio, cui Macedoniani ipsi sese submiserant? Illa itaque eorumdem episcoporum sententia, pro alienis a fide censebantur ante ipsum concilium, fidesque a Liberio proposita, irreformabilis, atque irretractabilis dogmatis, eorum judicio vim assumpserat. Erit-ne igitur qui putet illos in synodum congregasse sese, ut definitionibus illis assensu suo robur conferrent, et auctoritatem? At, inquit scriptor ille quisquis sit,

B *Constantinopolitani Patres, relatis iis, quæque circa fidem, quæque circa disciplinam a se decreta essent, id tantum postulant, ut Damasus, et qui cum ipso erant, episcopi, secum collætentur, atque ita futurum aiunt, ut cum verbum Dei communi consensu stabilitum, et Christiana inter nos charitas confirmata fuerit, desinamus id dicere, quod ab Apostolis condemnatum est, Ego quidem sum Apollo, ego autem Cephæ. Videt eruditus lector, ut in communi consensu verbi interpretationem ac fidei stabilitatem collocent.* Hæ litteræ non ad Constantinopolitanum primum concilium pertinent, sed ad alterum quemdam conventum sequentis ab hoc anni, ad quem earum discussionem rejicimus. Verum non id quærimus, an Constantinopolitani Patres apostolicæ sedis definitionibus consenserint, ut facere tenebantur, sed an dissentire potuerint. Id vero est, quod sibi minime concessum putant, ut ex Socrate et Sozomeno audivimus. Quamobrem ex hoc loco, detortisque a recto sensu verbis nullum sententiæ suæ præsidium capere idem scriptor potest.

C

D

II. Cæterum, quæ fuerit Constantinopolitani concilii erga primam sedem observantia, et obsequium, ex quinto ejus canone non obscure colligitur. Ait itaque canon: *De tomo Occidentalium etiam eos suscepimus qui unam, Antiochiæ, Patris, et Filii, et Spiritus sancti divinitatem confitentur.* Quæritur inter eruditos quid intellexerint concilii Patres *sub Occidentalium tomo;* variasque in sententias itum est, quæ apud de Marca, Valesium, Lupum, Tillemontium, Caveum, atque alios legi possunt. Ego tamen ad veritatem accedere puto Baronii (*f*) opinionem, qui sub his verbis indicari censet *regulam seu confessionem fidei* a Damaso Romanaque synodo expositam, de qua superiori anno egimus. Antiochenos enim Catholicos duplicis generis fuisse constat: alios, qui unam divinitatem, ac tres hypostases, alios vero qui, hypostaseon voce repudiata, divinitatem unam ac tres personas profitebantur; atque illi Meletium, hi vero Paulinum episcopum sequebantur. Ad primi generis Antiochenos quod attinet, nulla apud episcopos Con-

(*a*) Act. 18 prosphon. ad imp.
(*b*) Tom. I, lib. I, cap. 8.
(*c*) Vid. part. II, lib. XII, cap. 8.
(*d*) Epist. 244, juxta BB.
(*e*) Socr. lib. V, cap. 7; Sozom. lib. VII, cap. 8.
(*f*) Ann. 381, num. 28.

stantinopoli congregatos controversia esse poterat, quin Catholici forent, atque ad communionem recipiendi. Canon itaque ille secundi generis Antiochenos respicit, quos ad communionem recipiendos esse jubet, quamquam tres hypostases minime profiterentur, cujus rei causas alibi exposuimus. Cur vero *Occidentalium tomi* hic mentio est, aut quis hic tomus? *Occidentalium* voce Romanum unum pontificem velut eorum caput, et e synodo sua plerumque scribentem, a Græcis designari solitum, tam certum est, quam quod certissimum : vid. cap. 20. Nemini præterea obscurum est *tomi* vocabulo significari dogmaticas definitiones ab eo propositas. Hinc Basilius (*a*) alias Damasi litteras ad Orientales scriptas *Occidentalium tomum* vocat, atque eas veluti ad fidei normam provocat.

Hoc igitur loco agebatur de aliqua definitione Romani episcopi, ejusque concilii, quæ ad eorumdem Antichenorum causam pertineret; at Damasus anathematismo 20 et 21, sublata trium dicendarum hypostaseon necessitate, eos perfecte Catholicos esse pronuntiaverat, qui unam divinitatem, potestatem, majestatem ac gloriam Patris, et Filii, et Spiritus sancti, ac tres veras, æquales, semper subsistentes personas profiterentur. Hæc vero erat eorum Antiochenorum fides, ut ex Hieronymo (*b*), Nazianzeno (*c*), ac ex Paulino ipso constat, eaque formula Antiochenæ synodo adjecta, quam coram Athanasio professus est. Ille igitur *Occidentalium tomus* aliud nihil est in Constantinopolitano eo canone, quam celebris illa Damasis ecthesis, quam episcopi illi cum pro lege haberent, eos quos antea pro alienis habuerant, complectuntur, velut ad ejus normam egregie Catholicos. Id vero est quod præter Damasi ipsius acta a Sarazanio publicata, Eutychius Alexandrinus aperte asserit apud Renaudotium (*d*), ac synodicus libellus non obscure indicat, cum ait, eum pontificem, collecta Romæ synodo, divinum decretum edidisse, et ad eam quæ Constantinopoli cogebatur, emisisse synodum (*e*).

Hunc ego canonem, ut obiter dicam, Meletio auctore, cujus magna erga sedem apostolicam observantia profecto fuit, conditum fuisse puto, dictamque ea occasione Nazianzeni orationem 13 de Pace inscriptam. Elias Cretensis eam refert ad eamdem causam, ob quam oratio 12 habita fuerat, ad sublatum nempe Monachorum, qui ab ejus parte discesserant, schisma. Billius qui merito observat plures esse locos, qui neque ad eam causam, neque ad id temporis referri possunt, ab Eliæ opinione discedit, sed a judicio abstinet, neque ipse indicat, qua occasione, quove tempore dicta videri possit. Tillemontius itaque (*f*) eam Constantinopoli dictam putat, post Valentis obitum, ac collatum non diu antea Theodosio imperium, quod profecto nemo negaverit, qui orationem ipsam prope finem attente legerit. Censet etiam eo loco agi de Antiocheno schismate tunc sublato, ac mutua dissidentium concordia extincto, quod certum omnino est; nam Gregorius de reintegrata charitate gaudio affectus, ad Arianos sese convertens, qui anteactam dissensionem Catholicis probro verterant, *Ubi sunt*, ait, *igitur, qui res nostras tam bene, quam male se habentes, observant, non ut judicent, sed ut improbent. Agite igitur.... ad concilium vos etiam exosi vocamus, ut pudefacti, victique recedatis, cognita nimirum ex eo ipso quod ægrotavimus, nostra sanitate.... Non enim de Deitate dissensimus; sed ordinis et disciplinæ causa certavimus : nec de eo inter nos contentio extitit, utra impietas eligenda esset, eane quæ Deum contrahit, an illa quæ Spiritum sanctum dumtaxat, vel Filium quoque ipsum a divina essentia distrahit....* Quibus profecto verbis Paulinianos ac Meletianos respicit, eosque omnes perfecte Catholicos et integræ fidei fuisse ait, quamquam alii ob reticentiam trium hypostaseon de Sabelliana hæresi, alii vero, ac si Ariani et Macedoniani essent, calumniose traducerentur, ob retentam cum iis societatem. Tum pergit : *Nostra non eadem ratio est. Nam quod ad divinitatem attinet, inter nos consentimus, labiumque unum, et vox una fuimus.... Verum aliis de rebus contentio inter nos fuit. Male etiam id quidem, non enim inficiabor : Nam cum fieri non posset, quin aliquid, homines cum simus, peccaremus, nostrum hoc erratum fuit, quod nimio pastoris amore affecti summ, nec ex duobus bonis utrum magis expetendum esset reperire potuimus; quousque in hoc convenimus, ut* UTRUMQUE PARI IN LAUDE *et admiratione poneremus.* An vero quid clarius, et exprimendo Antiocheno schismati et concilio, quod tunc habebatur designando, aptius quid dici poterat? At quamquam vir exquisitæ diligentiæ ad veritatem propius accesserit, fallitur tamen, cum putat agere Gregorium in ea oratione de peculiari suæ Ecclesiæ dissidio; ex cujus clero cum aliquis, aut Meletio, aut Paulino tantum, communicandum crederet, a Nazianzeno ipso, qui se designat *candidi ac probi patris* nomine, secessionem fecerat, ac deinde ad eum redierat, quem proinde Gregorius *filii obsequentis* loco habet : nam si quis orationem illam recte perpendat, facile dijudicabit, Tillemontii interpretationem nullo fundamento niti : siquidem Nazianzenus utrique parti communicaverat. Deinde *candidus ille, ac probus pater* Gregorio tunc dicenti assidebat cum *obsequente* sibi *filio*. Ille præterea ante Gregorium de pace verba fecerat. Alius itaque ab ipso Gregorio ille esse debet. Postremo probum illum ac candidum patrem et obsequentem filium sibi assidentes, et *mutuum sibi ipsis ornamentum afferentes* ait. Id vero ea qua erat humilitate ac modestia Gregorius minime de se diceret. Ego itaque hoc loco, atque iis verbis de Meletio et Flaviano, quem Meletius non diu antea ad

(*a*) Epist. 265, num. 3.
(*b*) Hier. epist. 15.
(*c*) Nazianz. or. 32.
(*d*) Renaud. H. P. Alex. in Timotheo.
(*e*) Cap. 76.
(*f*) De Greg. Naz. act. 56 et not. 30, tom. IX.

presbyteratus ordinem evexerat, agi puto. Hunc igitur, *probi ac candidi patris*, illum vero *filii obsequentis* nomine appellat ac designat. Uterque Gregorio tunc dicenti assidebant, ac mutuo sibi ipsis ornamento erant, quia Flavianus Meletium ad regiam urbem secutus fuerat. Meletius tandem *vir simplex, apertis moribus, et vultu placidus*, tum pro pace laboraverat, tum paulo antea, ut erat eorum temporum mos, ad populum de eadem sermonem habuerat (*a*), eos igitur veluti pacis et concordiæ eo concilii canone restitutæ auctores, sibi tunc dicenti assidentes, pro concione laudat, atque hoc est, ni fallor, certum minimeque obscurum ejus orationis argumentum. Atque hinc etiam lux affulget ad cognoscendam causam, ob quam oratio 14, quæ similiter de pace inscribitur, recitata est. Nam cum divinus ille vir, concordiam vixdum sartam, iterum ac turpiter abruptam, *et publicas ac Deo teste confirmatas pactiones in irritum missas* doleat, aperte intelligimus habitam fuisse ad episcopos Constantinopoli congregatos, postquam, Meletio defuncto, de subrogando contra vim pacti in ejus locum Flaviano agi cœptum est, eamque esse illam ipsam, cujus a se ea occasione dictæ meminit in carmine de vita sua.

III. Ad canonem 3, alias 4, transitum facio, quo scilicet Maximi Cynici ordinatio in irritum mittitur, qua etiam in re Damasi sententiæ concilium obsecutum est. Hinc vero factum ut Ægyptii et Macedones episcopi, quos inter Acholius recensendus est, quamquam Gregorii Nazianzeni episcopatum improbare visi sint, ac violatos ob ejus translationem canones, causarentur, nihil tamen pro eodem Cynico, aut contra ejus exauctorationem moverint. Quin potius hæc ab illis gerebantur, non tam odio ejusdem Nazianzeni, vel ut in ejus throno alium collocarent, quam ut iis qui illum episcopum Constantinopoli constituerant, dolorem aliquem, ut ipse ait (*b*), inurerent. Ex quo discimus Maximum ipsum ad hoc usque tempus, neque in Italiam venisse, neque aliud quidpiam egisse apud Damasum et Occidentales episcopos, quo rebus suis opem ferret. Cæteros autem concilii canones omittimus, tum quod nihil ad eum pontificem sedemque apostolicam pertineant, tum quod dubium adhuc sit, an ex iis nonnulli ad hoc ipsum concilium, an vero ad aliud quodpiam, referri debeant, quod vero propius videtur.

IV. Agendum itaque superest, de ordinatione Flaviani, et Nazianzeni abdicatione, quæ sunt ejusdem concilii pars et accessio. Meletio ante ejus finem defuncto, Paulinus, vi pacti quod juratum fuerat, Antiochenam Ecclesiam retinere solus debuerat. Id censebat Gregorius, atque ut hæc sententia obtineret, totis eloquentiæ viribus adlaboravit, ea præ cæteris ratione usus, quod venia fortasse dignum videri poterat Occidentales ab Orientalibus molestia aliqua affici, quousque nondum manifestum fuerat, an illi Meletium, dum viveret, *pro Antiocheno episcopo habituri essent, atque excepturi* (*c*). At cum iidem illum excepissent, ac parta utrinque pace, res in tranquillitate, Dei beneficio, positæ jam fuissent, alios ab Orientalibus animos induendos, ac nihil omnino innovandum (*d*). Verum episcopi illi, tumultu, clamore, ac turpi etiam arte effecerunt, ut sapientissimo Gregorii atque aliorum graviorum Patrum consilio posthabito, *unico præsuli, præsul novus opponeretur*, atque ut Flavianus Paulino *superpositus* potius quam successor vacanti Ecclesiæ datus esse videretur. Rem omnem ab eodem Nazianzeno in carmine de vita sua atque alibi elegantissime descriptam, præterea recitant Baronius, Tillemontius, atque alii, ut nihil opus sit illam iterum a me recantari. Minime tamen impetrare a me possum, quin iterum asseram Theodoretum nimio suo erga Flavianum studio abreptum fuisse, cum episcopos illos, quos Gregorius gracculorum ac vesparum nomine compellat, tueri voluit per apertam adversus Paulinum calumniam, hæc scribens (*e*): *Paulinus quidem præsulatum Ecclesiæ illius sibi vindicabat: sed reclamavit antistitum cœtus, rationi consentaneum non esse dicens ut qui Meletii consilia respuisset, post ejus obitum sedem illius acciperet.* Nam si Meletius et Paulinus pacto convenerant, ut qui eorum alteri superstes esset, Ecclesiam integram administraret, falsum profecto est, Paulinum Meletii consilia concordiæ restituendæ idonea respuisse. Hinc Gregorius, cujus testimonium nemo repudiaverit, aliam, eamque prorsus ridiculam, causam affert cur sequior illa, quamquam major episcoporum pars Flavianum Meletio subrogandum censuerit. Quamobrem si Flavianus ipse, ne episcopatum illum aut ambiret, aut sponte oblatum acciperet, juramento sese obstrinxerat, nulla est ratio cur juramenti religionem sprevisse non videatur, cum nedum se eligi et ordinari Antiochenum episcopum passus est, sed tanta deinde contentione sedem retinere studuit. Neque, quod Græca Ecclesia ejus inter sanctos memoriam colat, æstimare debemus nullius eum peccati reum fieri potuisse, quod deinde pœnitentia aliisque virtutibus eluerit.

Hosce itaque improbos episcopos et tumultuarios cœtus cum abhorreret Gregorius, de regiæ civitatis episcopatu dimittendo consilium cepit, quod post adventum Ægyptiorum ac Macedonum episcoporum exsecutus est, tunc scilicet, cum manibus Flaviano tandem impositis, nulla amplius supererat tentatæ ab eo concordiæ spes. Flavianus enim ordinatus est, ut ego puto, medio illo tempore, quo Gregoretus hujus verbi vis. Hinc ὄρκιοι, qui communionis jure utuntur, quibus ἄόρκιοι opponuntur. Vid. Can. Ap. 15, ac Suicerum. Vide etiam epistolam Julii ad Orientales n. 13.

(*a*) Vid. Greg. Carm. de Vita sua ex n. 121.

(*b*) Carm. de Vit. sua ex num. 155.

(*c*) Ἔως μὲν οὖν ἦν ἐν μέσῳ θεὸς σωτὴρ
Οὐδ' ἦν σαφὲς πω, πρὸς τί τὴν ἔριν φέρει
Τὸν ἄνδρα δίξονς' ἡγιάσθαι θέλις.

(*d*) Vid. Naz. Carm. de Vit. sua ex num. 127 et seqq.

(*e*) Lib. v, cap. 23, ex interp. Vales.

Norunt vero omnes, quæ sit Ecclesiastico stylo per-

rius, nondum resignatione facta, a domo Ecclesiæ secesserat, seque abdiderat, ne *malis*, ut ille ait, conventibus adesse cogeretur (*a*). Nam cum orationem valedictoriam ad Patres 150 habuit, exemplum se relinquere professus est, *quod si nonnulli imitarentur, ac thronis cederent, non facturi essent jacturam, sed habituri supernam cathedram multo sublimiorem, ac tutiorem.* Ex quibus non obscure colligi potest, Flavianum ipsum, qui hoc loco perstringitur, episcopum, cum hæc Nazianzenus diceret, jam creatum, ac in throno collocatum fuisse. Flavianus deinde, si Sozomeno credimus, auctor imprimis fuit, ut Nectarius Gregorio ipsi succederet. Quid autem de utraque hac ordinatione Damasus senserit, dicam sequenti anno.

Me non latet (*b*) Tillemontium scribere, ab episcopis sedi suæ redditis, atque deinde Antiochiæ in eum finem iterum congregatis, impositas Flaviano manus. At ille quærit opinioni suæ præsidium, unde illa destruitur, ut alio loco probatum dedi. Deinde hæc viri docti sententia receptæ tunc disciplinæ minime consentanea est. Nam episcopis, qui aut defuncti, aut in plena synodo dejecti fuerant, alter dabatur, et consecrabatur eodem in loco ac ab eadem plena synodo successor : cujus rei a Nicæna, quæ Philogonum, Constantinopolitana ipsa, quæ Nectarium, Ephesina, quæ Maximianum Chalcedonensi, quæ alium Dioscori loco, ac sexta, quæ Theophanem consecravit, exempla peti possunt. Unum pro Tillemontio præsidium videtur capi posse ex ejusdem Constantinopolitanæ Synodi actis, quibus Flavianus ipse subscribit, ut presbyter. At qui ex hujusmodi subscriptionibus aliquod ad suas opiniones confirmandas argumentum trahunt, næ ii prorsus e tenebris lucem quærunt, ut idem Tillemontius alio loco probat (*c*), ego vero puto duo habita fuisse, ac distingui oportere concilia, quæ est plurium doctissimorum hominum sententia, Socratis ac Sozomeni testimonio non obscure confirmata. Primum non adeo frequens : alterum multo frequentius. In primo Maximum exauctoratum, ac confirmatum Meletio præside in sede Gregorium. In altero, cui Gregorius aliquando præfuit, Flavianum ordinatum, ac deinde Nectarium, editosque aliquot præterea canones : utriusque autem subscriptiones, et canones in unum deinde collatos, ac ex duplici unum effectum ac reputatum. Hinc factum, ut Flavianus, qui Meletio vivo, primo subscripserat, ut presbyter, alteri illi, iterum subscribere postquam ad episcopatum evectus est, minime sibi necesse duxerit. At de hoc concilio rebusque ad illud attinentibus iterum agendum erit sequenti anno.

CAPUT XIX.

I. De Aquileiensi concilio scriptisque ab illo synodicis epistolis, priores duæ ad Gratianum recensentur et expenduntur, ad eorum temporum historiam illustrandam. II. *Gratiani imperatoris rescriptum ad* Aquilinum vicarium *affertur et illustratur. Neutonus notatur, et Anonymi Amstelodamensis impudentia castigatur.* III. *Tertia Aquileiensis ejusdem concilii epistola expenditur et explicatur.* IV. *Priscillianus Romam venit, ut se purget. Quesnellius et Dupinius refelluntur.*

I. Non diu post Constantinopolitanum concilium, Aquileiense congregatum est, ac mense Septembri absolutum. Ex illo igitur, quod si non frequentia, dignitate saltem, ac sanctitate episcoporum qui adfuerunt, celeberrimum inter concilia locum tenet, ego ea dumtaxat colligam, quæ ab instituto meo haud aliena sunt, atque ad Damasum attinent.

Præter ejus Acta, quæ a Chifflétio frustra sollicitata sunt, tres exstant epistolæ, quarum geminæ ad Gratianum Occidentis imperatorem, altera ad Theodosium pertinet, quamquam earum inscriptio omnibus communis sit. Memorantur priore epistola ea quæ ad fidem spectant, et confecta in concilio fuerant : depositos scilicet Palladium et Secundianum, episcopos Arianos, atque Attalum presbyterum concilio ipso præsentes. Palladii et Secundiani mentio est in litteris Singedunensis conciliabuli, et in Germinii ad eas responso, anno 366 jam labente scriptis : at Secundianus nondum promotus ad episcopatum fuerat (*d*). Presbyterum Attalum Aquileienses Patres Juliani Valentis discipulum vocant : Valentem vero ipsum, quamquam non longe abesset, concilium declinasse scribunt, ne *eversæ patriæ, perditorumque civium causas præstares in eo teneretur* (*e*). *Hic post proditam*, ut Ambrosius ait, *Gothis patriam*, in Italiam secesserat, eamque contaminare, et inficere conabatur constitutis variis in locis, falsis suæ sectæ episcopis, atque hoc ipso anno, et tempore, quo concilium congregatum fuerat, *Mediolani* latebat, Justinæ forte præsidio tutus. Hunc igitur a Gratiano petunt ut domum suam repetere jubeat, atque florentissimas Italiæ civitates ea peste liberet.

In altera ejus concilii epistola de Ursicino agitur, eaque eodem tempore, quo prior, scripta ac legatis abeuntibus tradita est, ut eidem Gratiano redderet-

(*a*) Carm. de Vit. sua ex num. 151.
(*b*) De Flavian. art. 3, tom. X.
(*c*) De Nazianz. tom. IX, not. 42.
(*d*) Conc. Ven. edit. tom. II, pag. 989.
(*e*) Hic latrocinaliter Petavionensem Ecclesiam occupaverat. Sunt qui eo vocabulo illam intelligant quæ nunc Passaviensis dicitur, quod utraque in Norico sita sit, ac fieri facile potuerit ut *Petavionensis*, seu *Petaviensis* in *Petaviensem*, ac postremo in *Passaviensem* transierit. Vid. auctorem commentarii de Litteratis Italiæ, Venetiis impressi ann. 1749, tom. II, ac Tillemont. tom. V, pag. 707. Ætate profecto Innocenti III, ut ego ex ejus pontificis epistola in archivio Passaviensi asservata olim legi *Pataviensis* dicebatur. Si itaque hæc vera sunt, Passaviensis Ecclesia Victorinum episcopum et martyrem, cui Hieronymus in catalogo locum dedit, sibi merito vindicabit. Deinde illustris ejus cleri et populi laudanda religio, et fides erit, qui latronem illum sibi præesse noluerit ac turpiter rejectum a se expulerit.

tur. Postquam igitur decretis suis se providisse putaverant, ne duo illi, qui juxta angulum ripensis Daciæ, Nicænum concilium oppugnare ausi fuerant, amplius latere ac venenum Arianum affiare possent, aliud se negotium curare debuisse aiunt, gravissimum sane, ac magnam ipsis sollicitudinem afferens, quippe quod Ecclesiæ corpus toto orbe diffusum turbare posset. Eorum vero verbis exprimam, quid hoc fuerit. *Licet frequenter compererimus Ursinum non potuisse obrepere pietati vestræ, quamvis quietum nihil esse patiatur, et inter bellicas necessitates obreptio importuna tentetur, tamen ne sancta mens vestra animique tranquillitas, quæ omnibus consulere gestit, importuni hominis simulata adulatione flectatur, deprecandos vos, et obsecrandos, si dignanter ducitis, æstimamus, non solum præcaventes futura, sed etiam præterita, quæ jam ipsius temeritate gesta sunt, perhorrescentes. Nam si aliquam viam nactus fuerit audaciæ, quid non ille confundat ?.... et ideo petimus, et rogamus, ut obripiendi et adimere dignemini facultatem.* Ursinus itaque Valentiniani rescripto, quod anno 371 datum diximus, pridem relaxatus a certo constitutoque exsilio, Mediolani sedem fixerat, ac cum Juliano Valente, qui etiam eo deinde secesserat, in sceleris societatem coierat. Inde vero ad Romani concilii preces anno superiori abire coactus, et in Galliam relegatus, Gratianum tunc bello Alamannico occupatum adire potuit, atque omni suo suorumque studio agere, ut imperatorem illum flecteret, suasque in partes traheret. Obsecrantur itaque, ut *seditiosum illum, Arianorum socium*, ac sceleratum hominem a se rejiciat, atque eo facto Ecclesiam tutam tranquillamque servet. Hoc vero consilium, atque hanc agendi rationem eo magis Gratiano necessariam scribunt, quo Ursini animus apertius sese prodiderat. Eo ipso enim tempore, quo ille imperatori in Galliis molestus fuerat, Romanam quoque Ecclesiam, civitatemque adversus Damasum concitabat, missis distributisque per Urbem litteris per Paschasium quemdam, seditione plenis. Hinc præfectus Urbis, a quo curandum erat ne quid civium quies detrimenti caperet, iis de rebus Gratiano ipsi retulerat, ac populus Romanus cum hæc Aquileiæ scribebantur, *pendebat* incertus, ac rei exitum exspectabat. Hujus Paschasii, cum in hisce litteris dumtaxat mentio sit, nihil mihi occurrit quod addam : quia tamen abscisus dicitur, illum eunuchum fuisse intelligo, quod hominum genus impudens, atque ad omnia audax esse solet. Nunc si hæc conferantur cum epistola Romani concilii, quam superiori anno adscripsimus, nemo dubitaverit quin una eademque res utrobique agatur, ne scilicet Damasus Ursini ejusque similium fraudibus ac calumniis deinceps pateat, ac præterea facili negotio intelligitur unam epistolam diu ab altera distare non posse. Cum igitur Gratianus tunc bello occupatus, neque ad Romani concilii, neque ad præfecti Urbis litteras rescribere potuisset, ideo Ambrosius, aliique eorum plures, qui eidem concilio adfuerant, tunc Aquileiæ positi, scribendum iterum censuerunt, rogandumque imperatorem, ut provide pro rerum necessitate consuleret : quod tamen extra Damasi ipsius consilium sententiamque non ego factum crediderim. Nam quod Acholius in eodem concilio, legati munere functus sit, nonnullorum opinio est, quam ipsa synodi acta destruunt.

II. His itaque litteris Gratianus excitatus est, ut hoc anno rescriptum daret ad Aquilinum, ut videtur, urbis vicarium, Cod. Theod. lib. XVI, tit. 2, l. 35, memoratum, confirmatumque, quo tum Romani, tum ipsius Aquileiensis concilii postulatis fecit satis. Hoc ex vaticano codice magnus Annalium parens ad an. 381, tum deinde magis correctum Sirmondus, postremo Constantius edidit inter Damasi epistolas. Obscurum illud identidem, perplexumque est, sive ob aliquod transcriptorum vitium, sive ob stylum ipsum, qui Gallicano cothurno perpetuo assurgit. At eorum, quæ continet, hæc summa est : Se pridem dedisse litteras ad Simplicium quondam vicarium, quibus jubebatur : primo *ut omnes, qui impios cœtus, profanata religione tentarent, ad centesimum Urbis milliare pellerentur, ubi pertinax furor ab obsequentibus destitutus, in ejus tantum perniciem rueret, qui solus erraret;* secundo *ut condemnati judicio recte sentientium sacerdotum, reditum ad Ecclesias, quas contaminaverant, non haberent, ac redintegrationem judicii* frustra apud imperatorem *precarentur*. Prima hujus ad Simplicium rescripti pars Donatistas, Luciferianos, ac Novatianos perstringit, ac cum iis omnibus communione junctos Ursinianos. Alteri vero ejusdem capiti, Florentium Puteolanum, ac Parmensem episcopum, postquam a Romana secunda synodo sub Damaso collecta damnati fuerant, causam dedisse puto. Simplicium siquidem vicarii Urbis officium administrasse scimus Gratiano A. III et Equitio coss., anno scilicet 374 (*a*), atque ita Valentiniano adhuc vivo. At Valentinianus Ursicinianos, dumtaxat, et rebaptizantes legibus suis coercuit (*b*), ad hos enim Augustinus scribit : *Huic, Joviano, successit Valentinianus : legite quæ contra vos jusserit.* Hujus itaque furfuris et pertinaciæ homines, ultra centesimum lapidem, episcopos vero ab earum Ecclesiarum, a quibus depositi fuerant, finibus expellere Simplicius a Valentiniano et Gratiano jussus fuerat. Quærunt nonnulli cur hic Parmensis episcopus *inclytæ Urbi proximior* a Gratiano dicatur, atque ideo perniciosior, quam Florentius. An vero Puteolanus non erat Romæ proximior ? Inclytæ igitur Urbis appellatione Tillemontius ac Coustantius Mediolanum potius quam Romam designatam putant, quod ego verissimum existimo, quamquam ad hoc probandum, idoneam rationem non afferant : observandum siquidem est, Urbis præfectos ac præfectos prætorio, *inclytas potestates* per excellentiam dictos (*c*). Eodem igitur jure nihil obstat quominus *inclytarum Urbium* nomine eas

(*a*) Cod. The. lib. IX, tit. 29, l. 1.
(*b*) Cod. Th. lib. IX, tit. 5, l. 5, et tit. 16, l. 1, 2.
(*c*) L. 13. C. Th. de Accus.

intelligamus, in quibus illi residere ac jus dicere consueverant : sed iterum ad rem,

Nec Donatistas tamen, nec Ursinianos ad centesimum ab Urbe lapidem pulsos, nec Puteolanum et Parmensem episcopos ab earum Ecclesiarum finibus trusos scimus : sive quia idem Simplicius aliis gravioribus occupatus, hoc negotium neglexerit, sive quia non diu post hoc mandatum, munere abiverit, alii vero, qui deinde successerunt, ut Aquilino contigit, privatæ gratiæ, ut Gratianus ait, imperiale hoc præceptum condonaverint. Hinc ea judicum ac ministrorum socordia freti, Donatistæ qui expelli debuerant, Claudianum ex Africa in Urbem evocaverant, ut iis loco episcopi præesset, in eaque ille hactenus residebat, spretis imperatorum legibus ; Ursiniana vero factio, quæ extra centesimum trudenda fuerat, audaciam adversus Damasum receperat, ac populum Romanum sollicitabat, eoque exemplo episcopi nonnulli, qui aut jam damnati fuerant, aut quos damnari oportebat, ejusdem Damasi Romanæque synodi definitiones nihili pendebant, ac sedes, a quibus depositi fuerant, per scelus ac seditiones, et popularem emptam pretio gratiam, aut retinebant, aut repetere audebant.

Iis igitur gravissimis calamitatibus, partim se jam providisse, partim vero se nunc occurrere, hoc rescripto Gratianus significat. Nam quoad Ursinum attinet, qui fuerat potissimum in causa cur Romanum, et Aquileiense concilium ad eumdem Gratianum scriberent, eum *Agrippina secessione tunc cohiberi* ait, ne *motus aliquos inquietos exerceat*. Cum vero imperator sese quodammodo purgare videatur, quod inquietum illum hominem, *per occursantes obtundentem sæpius, quam monentem* audiverit, id scilicet eo consilio a se factum asserens, ut ad saniora pertraheret, suaderetque ut *sectatores abjiceret*, duo hinc colligi possunt. Primo hoc rescriptum videri datum post Aquileiensis concilii litteras, quibus ob eam causam facilitatem nempe suam, perstrictus fuerat, atque ideo hunc ipso anno, quo Baronius illud collocat, secus ac alli censent omnino alligandum. Secundo Ursinum ipsum, qui anno 379 suas cum Juliano Valente vires contra Ecclesiam Mediolani junxerat, extra Italiam trusum, ac certis exsilii finibus conclusum fuisse eo, quod inter annum 379 ac 381 interjacet, temporis spatio. Cum vero illum, ejusque amicos sibi occursantes Gratianus in Galliis a se auditos scribat, facile intelligimus hoc contigisse anno 380 jam provecto, cum scilicet Sirmio redux eo profectus est, ut bello Alamannico vacaret (*a*), eaque est ratio cur Ambrosius ait Aquileiensis concilii nomine, *inter bellicas necessitates obreptionem importunam tentari*. Verissimum itaque est quod cl. Muratorius ait : (*b*) Ursinum sero admodum in Galliis exsulasse; quamquam haud satis feliciter, ut alio loco dixi, hinc conjiciat, eum in cathedra Neapolitana sedere potuisse ante Severum. Cum igitur Ursinus factionum dux, Isaac præterea antiquus Damasi calumniator, procul ab Urbe positi, certoque exsilio conclusi nihil amplius efficere per se possent, quo pax Ecclesiæ turbaretur, reliquum erat, ut etiam de cæteris aliquid gravius statueretur : jubet itaque Aquilino, ut leges exsequatur in eos quos rescriptum nominatim complectebatur, ac rebaptizantes, Ursinianos, omnesque alios, quos episcoporum judicia, hujusmodi turbarum reos ostenderent, ultra centesimum milliare ab Urbe depellat; depositos vero episcopos ab earum civitatum finibus extorres faciat, quarum plebem, vel Ecclesias sive per se, sive per alios sui similes vexant, piaculo negleetæ sanctionis, nisi paruerit, obstringendus. Cæterum si Parmensis episcopus Romanæ synodi decreto damnatus fuerat, si ea civitas vicario Italiæ suberat, hinc primo colligas, frustra contendi suburbicarias Ecclesias eas esse dumtaxat, quæ suburbicariis provinciis includuntur. Deinde vides quantum ex eo facto momenti accedat conjecturis illis, ac rationibus, quibus Bacchinius, serius ac alii putant, ortam censuit Mediolanensis episcopi per reliquas vicariatus Italiæ provincias jurisdictionem.

Ut vero ejusdem Damasi securitati magis consuleret, ac cæteri in eo, quo par erat, erga apostolicam sedem officio continerentur, duo præterea statuit imperator : primo ne quis scilicet sive ob pravitatem morum, sive ob calumniæ crimen infamis, aut episcopos accusare, aut testis contra illos esse possit; secundo ut qui Damasi judicio sistere se noluisset, ac contumax fuisset, cum damnatus ab eo, quinque aut septem episcoporum habito consilio depositusque esset, si Ecclesiam, a qua dejectus fuerat, retinere pergeret, ad urbem Romam *sub prosecutione*, fida scilicet atque idonea custodia, *per præfectos prætorio Galliæ, et Italiæ, Proconsules et Vicarios* transmitteretur. Quod si quis item contumax episcoporum judicium spreverit diffugeritque, eadem publica auctoritate ad idem episcopale judicium remitteretur. Constat igitur licuisse Romano pontifici episcoporum causas in prima etiam, ut aiunt, instantia cognoscere extra suburbicarias provincias, per Gallias scilicet et Italiam totam, ejusque hoc jus ab imperatore ipso assertum confirmatumque fuisse, nisi illæ ad episcoporum provinciæ synodum delatæ antea fuissent. Minime diffiteor tamen, quin hoc eodem rescripto statui videatur, eas quæ in *longinquioribus partibus* emergerent, a metropolitanis cognoscendas esse, nisi metropolitanus ipse suspectus esset. At quæ sint longinquiores illæ partes, aut certo definire nemo poterit, aut saltem constat, nullam in re de qua agitur, intra Galliarum et Italiæ præfecturas provinciam, in longinquioribus partibus positam dici posse; siquidem Gratianus earum præfectis aperte imperat, ut episcopos, qui Romano pontifici aut non paruerint, aut ejus judicium diffugerint, ad urbem Romam etiam invitos pertrahant. Sed hæc cum a meo instituto aliena sint, attigisse satis sit.

(*a*) Sozom. lib. VII, cap. 4.

(*b*) Not. ad Joann. Diac. Sc. Ital. tom. I.

Newtonius (a) huic Gratiani rescripto Petri successorum in tota Ecclesia primatus originem attribuit : atque hinc Romanum pontificem repræsentatum scribit sub undecimo cornu Danielis cap. VIII, cujus deinde durationi annis nescio quot præstitutis, judicium postremum futurum inquit. At si hæc serio scripsit, aliud nihil consecutus est quam ut magnam tum civilis, tum ecclesiasticæ historiæ inscitiam proderet, augeretque numerum prophetarum ex grege sectariorum, in quorum ore dedit Deus spiritum mendacii. Anonymus vero historiæ Romanorum pontificum consarcinator, Gratianum ipsum vecordiæ incusat, quod ea lege nedum Romanos eosdem pontifices a sua ac cæterorum imperatorum jurisdictione subtraxerit, verum etiam illam, qua deinde abuterentur, in eos transtulerit. Si enim transfugæ huic fidem habes, cum Romanus episcopus ad forum sæculare tunc trahi posset, nondum fuerat ante hoc tempus supremus Ecclesiæ judex : hoc Damasi exemplo probatum putat, quem primum synodale judicium ab imperatore postulasse inquit, ut sæcularium magistratuum sui conscius severitatem atque integritatem declinaret, quamquam deinde, cum neque apud synodum, neque apud civiles ipsos magistratus purgare se posse confideret, ad ipsum principis consistorium velut ad asylum, confugiendi consilium postremo ceperit. Profecto si putidum hoc bibliopolæ mancipium ob singula mendacia notari deberet, nullus esset orationi finis ; nam quot uno hoc in loco dolos consuat, fallaciasque nectat, facile aperteque deprehendet, qui Romani concilii et Aquileiensis litteras, ac Gratiani ipsius rescriptum ad Aquilinum, cum his ejusdem anonymi dictis conferat. Cæterum, quod ad divinam Romanorum pontificum, episcoporum, ac sacerdotum, sacrorumque omnium ministrorum exemptionem attinet, eam tam solidis, invictisque rationibus asseruerunt complures scriptores catholici ante me, ut iis, quæ tam sæpe dicta sunt, iterum dicendis, tempus frustra tereretur.

III. Præter hanc epistolam, quæ ad unum Gratianum spectat, eique reddenda fuerat, alteram scripsit Aquileiense concilium, quæ ad unum Theodosium et ad Orientales episcopos pertinet, quæque per legatos ab eo concilio missos allata, ac reddita imperatori fuit, ac plura complectitur, quæ ad ejus temporis illustrandam historiam faciunt, si recte advertantur. Primo itaque imperatores laudant, quod eorum pietate factum sit, ut in Occidente vix duo hæretici reperti fuerint : in Oriente vero *Arianis ejectis, quod omnes ecclesiæ Dei catholicis restitutæ sint, atque illæ per solos catholicos frequententur* : ex quo patet episcopos Aquileiæ congregatos de legibus a Theodosio die 10 Januarii, et 30 Julii in eum finem latis, certiores factos, cum scriberent. Tum dolent, *crebras inter ipsos catholicos dissensiones, impacatamque discordiam*, in causa esse, quominus his beneficiis integre gaudere possint. Cum itaque dissensiones *illæ inter ipsos catholicos* fuerint, eas hoc loco expressas existimare debemus, quas post Meletii obitum ortas fuisse diximus, ac Gregorius Nazianzenus iis lacrymis dignas ait *quales, nec olim nec recens quisquam edidit adhuc, ob ullos sortis adversæ impetus. Etenim magistri plebis, atque antistites sancti datores Spiritus, et qui thronis fundunt ob altis verba, quels paritur salus, tanto furore se petunt ipsi invicem, tumultuando, contrahendo copias, carpendo sese mutuo linguis, effere saliendo, mentis ut solent, sanæ impotes, prædando quos quis ante prædari queat rabida imperandi dum tenet mentes sitis orbem universum prorsus, ut divulserint.*

Hæc igitur omnia, quæ ob unam Flaviani ordinationem contigisse Gregorius tum hoc loco ait, tum rursus in oratione ad 150 Patres, cum perspecta haberent Patres concilii Aquileiensis, simulque intellexissent, non levem Paulino injuriam factam, aiunt sese non mediocriter commotos, quod pleraque *innovata* compererant, quodque ii *gravabantur*, quos ob perpetuo servatam cum Occidentalibus communionem *adjuvari* potius oportebat, Timotheum nempe Alexandrinum et Paulinum Antiochenum. Hos enim queruntur *eorum dissensionibus* urgeri, quorum fides superioribus temporibus hæsitabat, eorum scilicet, quos idem Gregorius ἀμφιδόξους et μέσους vocat, *ac qui tuentur, quam princeps tenet, fidem.* Si vero Timotheus post turpissimas illas excitatas, atque agitatas contentiones, cum suis episcopis Constantinopolim venit, *ut sanciendo fœderi* adlaboraret, si nihilominus eorum hominum molestias ac dissensiones ferre coactus est, planum perspectumque est, aliam non posse excogitari causam, quam unam retentam cum Paulino, rejectamque cum Flaviano ordinato jam episcopo communionem, ac proinde manifestum est, Aquileiense concilium, quidquid Tillemontio ac Florido visum sit, nihil latuisse eorum, quæ constantinopoli decreta, ac confecta jam fuerant, hoc autem si constat, contra vero si nihil de Maximi Cynici exauctoratione, si de Gregorii inthronizatione, si de Nectarii ordinatione nihil prorsus in hisce litteris afferunt, dijudicare ipse potes, quid Ambrosius, cæterique ejusdem concilii Patres iis de rebus censuerint. Sed ut eo revertar, unde breviter digressus sum, hos *dubiæ fidei* Orientales episcopos optat Ambrosius suæ, atque aliorum Occidentalium communioni adjungi, dummodo integræ sinceræque fidei illi sint, *ac vetustæ communionis sociis*, Paulino scilicet ac Timotheo, eadem *prærogativa servetur*, quos ejusdem juris participes esse volunt, sive quia *communis societas nullam habere debet offensam*, sive quia cum Occidentales *utriusque partis*, Meletianæ scilicet, et Paulinianæ, *litteras dudum accepissent*, utrique communicaverant, nullaque erat causa, cur unam modo præ alia eligerent. Ut illam igitur, qua ipsi cum omnibus utebantur, inter utriusque partis catholicos pacem conciliarent, pridem se deliberasse

(a) In Daniel. proph. cap. VIII et in Apoc. c. III.,

addunt, de mittendis ex suo corpore legatis episcopis in Orientem : at cum hoc captum consilium hostilibus deinde irruptionibus, publicisque tumultibus retardatum impeditumque fuisset, negotium illud per litteras agendum censuerant, quibus Theodosium rogaverant, ut pactum, quo Antiochenum schisma compositum sedatumque fuerat, ratum firmatumque esse vellet, neve pateretur *subordinationem aliquam attentari*, qua profecto timendum erat, ne illud asperius recrudesceret. Sed eos audire præstat : *Sed quia studia nostra tunc temporis habere effectum per tumultus publicos nequiverunt, oblatas pietati vestræ opinamur preces nostras, quibus juxta partium* PACTUM POPOSCIMUS, *ut altero decedente, penes superstitem Ecclesiæ permanerent nec aliqua superordinatio attentaretur.* Hic liquet igitur, primo illas Occidentalium preces oblatas imperatori fuisse, quia hostiles irruptiones ac publici tumultus vias interceperant, ne legati mitterentur; secundo postquam iisdem innotuerat Antiochenum illud pactum, quod medio circiter anno 379 jurejurando firmatum in ea urbe fuisse diximus, necesse itaque est, ut preces ipsas Theodosio oblatas fuisse dicamus anno elapso, bello tamen Gothico nondum confecto ac, ut dixi, ejus synodi Romanæ nomine, cui Acacius Meletii legatus adfuit. Sed cum deinceps neque ejus pacti, neque earum precum Theodosio oblatarum rationem habitam fuisse aliquam episcopi Aquileiæ congregati cognovissent, ac vix restitutam concordiam, ruptam iterum, dissociatamque in Constantinopolitana synodo, hujus proinde decreta parvifacientes, *petimus*, aiunt, *vos clementissimi et christiani principes, ut et Alexandriæ catholicorum omnium sacerdotum concilium fieri censeatis, qui inter se plenius tractent, atque definiant, quibus impartienda communio, quibus servanda sit.* Cæterum Aquileienses Patres non in eum finem Orientale plenarium concilium Alexandriæ convocari petunt, ut ejus ipsi definitionem in ea causa sequantur. Nam quod ad se attinet aperte asserunt, permansuros se in communione Timothei et Alexandrinæ Ecclesiæ, neque a pacto, quod Antiochiæ jurejurando adjecto initum fuerat, sese quoquo modo discessuros, atque ideo Paulinum pro Antiocheno episcopo perpetuo habituros ; in quo vides, quid Occidentales ipsi de propria dignitate ac suffragii prærogativa sentirent. Cur itaque concilium illud convocari petunt ? Ratio in iisdem litteris, atque his verbis exprimitur, *ne aut aliqui videantur esse posthabiti, qui et pacto,* QUOD STARE VOLUMUS, *communionem nostram rogarunt, aut ullius pacis et societatis neglecta compendia.* Duplex igitur hujus concilii petendi causa : altera, ut eo pacto eorum, qui ad Paulinum et Occidentalium communionem recenter accesserant, rationem habuisse viderentur : plures enim qui Meletii partes secuti fuerant, ab Flaviano ob violatum pactum deinde recesserant (*a*) : altera, ne in Occidentales ipsos dissidii culpa deinceps transferri posset, atque iis iterum exprobrari, quod Orientales negligerent. Videntur tamen in spe optima justaque positi cum scriberent, res Antiochenas feliciorem in Alexandrino illo concilio, secus ac in Constantinopolitano contigit, exitum habituras. Hinc aiunt, *id obsecramus, ut cum inter se cœtu pleniore tractaverint, etiam auxilia decretis sacerdotalibus vestræ pietatis aspirent, et nobis deferri in notitiam censeatis, ne titubanti nutemus affectu, sed læti atque securi pietati vestræ apud Deum omnipotentem gratias agamus, non solum quia exclusa perfidia est, sed quia catholicis fides et concordia est restituta.* Hæc tamen sic accipienda sunt, si Romani deinde episcopi auctoritas accederet. Hinc idem Ambrosius in hac Flaviani causa Theophilo Alexandrino cum suis episcopis, a Capuana plenaria synodo delegato judici scribit, *sane referendum arbitramur ad sanctum fratrem nostrum Romanæ sacerdotem Ecclesiæ, quoniam præsumimus ea te judicaturum, quæ etiam illi displicere nequeant : ita enim erit consultum sententiæ, ita pacis, et quietis securitas, si id vestro statuatur consilio, quod communioni nostræ dissensionem non afferat* (*b*).

IV. Severus Sulpicius scribit Justantium, Salvianum, ac Priscillianum a Cæsaraugustana synodo damnatos, ac Romam profectos, ut apud *Damasum objecta purgarent*, ne in conspectum quidem ejus admissos esse (*c*) ; quod profecto nemo est, qui non videat uni tantum relationi ad apostolicam sedem de more ab ea synodo mature transmissæ tribuendum. Hæc eruditi viri ad hunc annum merito referunt ; Cæsaraugustana enim synodus habita fuit anno elapso circa Septembrem mensem. Priscillianus autem neque statim movit ab Hispaniis, neque iter deinde cœptum prosecutus est diligenter, sed substitit in Aquitania, spargendis perfidiæ seminibus ac corrumpendis moribus occupatus. Damasi pietatem ac religionem laudant hoc loco qui sapiunt, animumque gerunt præjudiciis vacuum : at qui vel hæresi patrocinium quærunt, vel odio in transversum aguntur, Quesnellus nempe, ac Dupinius (*d*) hoc ab eodem factum asserunt metu excommunicationis, qua eadem synodus eos obstrinxerat, qui damnatos illos hæreticos in communionem reciperent. Apage deliria : an vero duo illi episcopi recto itinere Romam se contulissent eo consilio, ut objecta *apud Damasum* purgarent, si non fuissent omnino certi, hoc Romanum pontificem jure uti, ut supremus sit omnium judex in fidei causis ? An vero Hosius Nicænorum ac Sardicensium canonum auctor præcipuus, ac promotor, Hispanos suos ignorare passus fuerat, hanc iis in conciliis confirmatam divini primatus prærogativam ? Id ego mihi persuaderi non patiar. Cæterum ut non ex conjecturis tantum, sed ex iis, quæ adhuc supersunt monumentis cognoscas, benigne lector, quæ fuerit erga Sardicenses canones Hispanæ

(*a*) Sozom. lib. VII, cap. 11.
(*b*) Apud. BB. ep. 56.
(*c*) Hist. lib. II, n. 250, Oper. Sigon. tom. IV.

(*d*) Quesn. dissert. 5, cap. 16 ; Dupin. diss. 2, cap. 2, § 2, pag. 161.

Ecclesiæ observantia quarto hoc sæculo, adisis vir. clar. Cajetanum Cennium in eruditis ejus Ecclesiæ antiquitatibus (*a*), qui nobis otium hoc a labore fecit. Cum vero hæreticos illos Roma pulsos, cum Mediolanum accessissent, ab episcopo Ambrosio Sulpicius pariter rejectos addat, hinc colligas cum eodem clarissimo auctore, magnam Damasum inter atque ipsum Ambrosium, animorum consiliorumque conjunctionem fuisse, ac Mediolanensem eximiam jam Ecclesiam, Romanæ inprimis obsequentem exstitisse. Neque enim puto inter Catholicos, quin vero neque inter doctos a catholica religione alienos esse posse, qui nunc asserant, Gnosticos Roma pulsos Mediolanum confugisse, quod episcopum illum Romano æqualem, aut etiam superiorem existimarent: hæc vero utriusque Ecclesiæ, quæ sub Damaso potissimum et Ambrosio conspicua erat, præclara conjunctio; cum aucta deinde, atque ad Siricium, Anastasium, Simplicianum, et Venerium propagata fuisset, effecit, ut Africani, Hispanique præsules Mediolanensem episcopum aliquando consulerent, quem non ignorabant Romanæ Ecclesiæ arctissimo junctum fœdere, ac dogmatum, sententiarum, consiliorumque instructissimum et tenacissimum.

CAPUT XX.

382, Damasi 17, Syagrio et Antonio coss.

I. *Damasus ethnicorum senatorum de Ara Victoriæ restituenda consilium disturbat, scriptis ad Ambrosium litteris.* II. *Celebre ab se anno elapso convocatum concilium Romæ habet.* III. *Præcipuæ ejus convocandi causæ.* IV. *Orientales se excusant, quominus ad illud accederent, eorumque litteræ ex rei tunc gestæ serie expenduntur, ac plura observanda proponuntur.* V. *Cur de Cyrillo Hierosolymitano, cur de Nectarii electione iidem ad Damasum retulerint.* VI. *Quinam huic concilio adfuerint? Basnagii erronea sententia.*

I. Primis hujus anni mensibus per senatores Urbis idolorum cultores, actum est de restituenda statua, atque ara Victoriæ, dataque est Symmacho cura legationis in eum finem petendæ ad Gratianum imperatorem. Statuam illam Tarento pridem Romam advectam, Ægyptiis deinde spoliis decoratam, Augustus in media Curiæ latitudine collocaverat, qua parte introitus erat Patribus ad senatum pro deliberatione euntibus, aramque dedicaverat. Ad eam Romani duces, rebus feliciter gestis, bellisque perfuncti cum sacrificarent, acceptasque ex hostibus victorias referrent, Symmachus inde copiam hausit, qua lutulentior in hac causa flueret in litteris ad Valentinianum, quæ etiam num exstant. Quo factum, ut idolo huic a senatoribus curiam pro consilio ingressuris, mero, et thure sacrificari, ac juramentum dici oportebat: Hinc Ambrosius (*b*): *Ferendumne istud est, ut Gentilis sacrificet et Christianus intersit; hauriant omnes, hauriant vel inviti fumum oculis, symphoniam auribus, et aversantium licet ora, excitata focis vestris favilla respergat? Non illis satis sunt lavacra, non porticus, non plateæ occupatæ simulacris? Etiamne in communi consilio non erit communis conditio? Obstringetur pia senatus portio obtestantium vocibus, adjurantium sacramentis?* Aram igitur illam a Constante dirutam, a Magnentio restitutam, a Constantio iterum eversam, ac rursus sub Juliano superstitioni repræsentatam, Gracchus, ut creditur, cum Urbanam præfecturam gereret, legis ab eodem Gratiano latæ auctoritate fultus destruxerat, quod egregium facinus Prudentius his versibus contra Symmachum indicat:

> Jam quid Publicolas percurram carmine Gracchos
> Jure potestatis fultos et in arce senatus
> Præcipuos, simulacra Deum jussisse revelli,
> Cumque suis pariter lectoribus omnipotenti
> Suppliciter Christo se congregasse regendos?

At senatores illi, qui Christianæ fidei nomen dederant, ut alterius partis studia frustrarentur, communicatis cum Damaso consiliis libellum alium composuerunt, quo obtestabantur falso obtendi a Symmacho senatus nomen; quin vero, se non adituros amplius curiam, si res ea juberetur. Eum deinde libellum Damasus Ambrosio misit, injunxitque ut daret operam penes Gratianum, qui annum fere integrum in Italia transegit, ne quid interea Christiana religio detrimenti caperet. Eorum, qui libello scribendo adfuerunt nomina cum Damasi ad Ambrosium litteris perierunt, quos tamen Ambrosius ipse *innumeros* fuisse ait, atque id Prudentius confirmat, aliquot indicans. Gratianus itaque, cui Mediolanensis præsul haud imparis Damaso erga religionem studii eum libellum miserat, cum intellexisset rem iniquam, cui præterea gravissimorum senatorum numerus haud exiguus repugnaret, a se postulari, legationem non concessit; atque ita Damasi providentia, atque Ambrosii opera evenit, ut Symmachi aliorumque conatus male tunc verterent. Quæ sub Gratiano haud bene cesserat, res iterum tentata est eo defuncto, apud Valentinianum puerum ab eodem Symmacho, cujus relatio etiam nunc superest inter ejus epistolas lib. x, ep. 54. Verum huic etiam petitioni magna animi vi intercessit Ambrosius, *memor legationis* a Damaso acceptæ, effecitque gravissima ac vehementissima epistola, ac oratione, ut adversariorum spes iterum frustraretur. Hanc alteram autem legationem cum Symmachus obierit jam *Præfectus Urbis*, Urbanam vero præfecturam cum administrare cœperit elapso jam medio anno 384, liquido constat priorem removeri non posse a primis hujus anni mensibus, ac rem illam confectam antequam Ambrosius pro synodo, de qua mox dicam, Romam accederet, siquidem ille hæc scribit: *Nam et ante biennium ferme, cum hoc petere tentarent, misit ad me sanctus Damasus Romanæ Ecclesiæ sacerdos judicio Dei electus, libellum, quem christiani senatores dederant, et quidem innumeri, postulantes nihil se tale mandasse, non congruere gentilium istiusmodi petitionibus non*

(*a*) Dissert. 2, cap. 4.

(*b*) Ep. 17, ex BB. edit.

præbere consensum: questi etiam publice privatimque, se non conventuros in curiam, si tale aliquid decerneretur..... Hunc libellum ego fratri Clementiæ vestræ direxi.

II. De synodo itaque, quæ hoc anno Romæ congregata est, nunc agendi locus. Quæritur autem primo loco quis eam convocaverit, ac quam ob causam? tum deinde quo tempore convocata, ac etiam celebrata, quidve actum, definitumque in ea fuerit.

Theodoretus illam a Damaso convocatam scribit(*a*) his verbis: *Sequenti vero æstate*, ab ea scilicet, qua Constantinopolitanum generale concilium confectum est, *cum plerique eorum* episcoporum, qui ei adfuerant, *ad eamdem urbem venissent*, OCCIDENTALIUM *episcoporum epistolam acceperunt, quæ ipsos hortabatur, ut Romam ad maximam synodum, quæ illuc parabatur, se conferrent.* Nemo enim nescit, Occidentalium vocabulo Romanum episcopum imprimis intelligi, eorum scilicet coryphæum. Hinc litteras Lampsacenæ synodi, quamquam *Liberio et Occidentalibus* inscriptas, uni Liberio traditas ex Socrate et Sozomeno scimus (*b*). Hinc quoque Hieronymus ait, *Hæreticum me cum Occidente, hæreticum me cum Ægypto, hoc est cum Damaso, Petroque condemnent* (*c*). Errant igitur, ut obiter dicam, qui hoc Theodoreti loco, *Occidentalium* voce, Italici cujusdam concilii episcopos designatos putant, quorum epistolam exstare aiunt a Sirmondo vulgatam (*d*). Hanc enim interpretationem, ac divinationem, ne alio loco dicta repetam, præter Theodoretum, Sozomenus etiam manifeste refellit, inquiens *Romanum episcopum, ac reliquos Occidentalium partium sacerdotes ob Flaviani ordinationem non mediocriter indignatos ad Orientales scripsisse*, ut eos in *Occidentem convocarent*.

Cum autem Orientales Romani pontificis epistolam accepisse se dicant, *æstate jam facta*, ac postquam juxta litteras Aquileiensis concilii anno superiori scriptas, a Theodosio acciti Constantinopolim venerant, seque vix non deprehensos tunc doleant, merito colligas primo, hoc concilium fuisse confecto jam Aquileiensi convocatum, deinde tractoriam illam Damasi epistolam primis hujus anni mensibus transmissam; atque hanc esse, ni fallor, rei gestæ seriem. Diximus enim anno elapso Aquileiense concilium a Theodosio postulasse, ut ad sedandum ex ordinatione Flaviani ortum dissidium, Alexandriæ synodum cogi juberet, ex omnibus Orientalibus collectam. Hæ litteræ mense Septembri jam labente scriptæ, ac per legatos missæ, vix reddi potuerunt anno illo jam ad finem inclinato. Theodosius igitur iis post episcoporum discessum acceptis, Aquileiensium sententiæ obsecuturus, imperii sui præsules Constantinopolim iterum convocat, cum iis acturus, tum de loco, tum de causa concilii, quod propositum postulatumque fuerat. Interea vero Romano pontifici præstare visum est, ut concilium Romæ potius, quam Alexandriæ indiceretur, misitque in eum finem evocatorias litteras, quæ ideo, *æstate jam facta*, episcopis illis Constantinopolim juxta litteras Aquileiensis concilii a Theodosio convocatis, communicatæ sunt. Utramque siquidem hanc epistolam, a Damaso aliam, aliam ab Aquileiensibus Patribus, Orientales commemorant aperte ac distinguunt; ac quod ad Aquileiensem attinet, ad regiam urbem se venisse aiunt *secundum litteras anno superiori post Aquileiense concilium ad imperatorem Theodosium missas;* cum vero de recenti a Damaso scripta agunt, inexspectato nuntio, sensuasi deprehensos dolent, ac Romano illi itineri se imparatos asserunt. Cæterum Romam hujus concilii indictio minime a Damaso facta est inexplorata Gratiani imperatoris sententia, quem ideo suas ejusdem Damasi litteris adjunxisse ex Sozomeno liquet: atque hæc est ratio cur Hieronymus *Orientis et Occidentis episcopos imperialibus litteris* Romam contractos scripserit (*e*), et cur præterea Orientales ipsi *piissimi imperatoris Theodosii litteris* ad Romanum concilium se evocatos dicant; siquidem unius imperatoris litteræ, alterius etiam nomen præ se ferre debuerant.

III. Quod ad causam cogendi ejus concilii spectat, hanc potissimam fuisse Sozomenus nos his verbis docet: *Meletius sepulturam est consecutus, Flavianus vero ejus loco ordinatus contra jurisjurandi fidem: qua ex re ingens perturbatio Antiochensem Ecclesiam iterum occupavit: et plurimi se a communione Flaviani sejunxerant, ac seorsim sub Paulino collectas celebrabant: sed et sacerdotes ipsi hujus rei causa inter se dissidebant. Verum episcopus Romanus, ac reliqui Occidentalium partium sacerdotes non mediocriter indignabantur, et ad Paulinum quidem tanquam episcopum Antiochiæ consuetas scribebant epistolas, quas synodicas appellant; ad Flavianum vero nullas litteras dabant: quin et Diodorum Tharsi, et Acacium Beroeæ episcopos, qui illum ordinaverant, in crimen vocabant, et ab eorum communione abstinebant. Itaque ut his de rebus cognosceretur, tum ipsi, tum imperator Gratianus ad Orientales episcopos scripserunt, eos in Occidentem convocantes* (*f*). Quod Sozomenus aperte asserit, Hieronymus sub involucro verborum indicat, *episcopos ob quasdam Ecclesiarum dissensiones Romam contractos* scribens (*g*), atque hæc est ratio, cur Orientales illi Damaso cæterisque sub illo episcopis rescribentes, paratum ad pacem atque unitatem animum declarant.

Nolim tamen ego asserere hanc unam fuisse hujus concilii convocandi causam; sed eam inter cæteras probare non possum, quam Valesius, Baluzius, aliique Patroni Italici concilii studiose sæpe urgent, ut nempe de Nectarii ordinatione cognosceretur, quam Occidentales rejicere videbantur, pro suo erga Maxi-

(*a*) Lib. v, cap. 8.
(*b*) Lib. iv, cap. 12; lib. vi, cap. 10.
(*c*) Epist. 18, Ver. edit.
(*d*) Tillem. de Ambros., art. 30.
(*e*) Epist. 108, Ver. edit.
(*f*) Sozom., lib. vii, cap. 11.
(*g*) Epist. 127, Ver. edit.

mum Cynicum ad eum appellantem studio. Hanc enim falsam esse probant, tum Sozomeni silentium, tum Bonifacii, et Nicolai testimonia, quæ alio loco produxi; tum præterea quod a vero prorsus abhorreat, Damasum qui tumultuariam Maximi ordinationem in irritum miserat, solemni publicoque edito judicio, adeo sibi deinde non constitisse, ut Nectarii ordinationem eodem Cynico impellente reprehenderit. Quamobrem, si in Romana hac synodo de Nectarii ordinatione actum fuit, alia prorsus, quam quæ obtenditur, ratio esse debuit, cur de illa, ut dicam, ageretur.

IV. Evocatoriis Damasi litteris rescripserunt Orientales, epistola illa, quam Theodoretus recitat et impense laudat (*a*), in eaque causas attulerunt binas, quominus Romam accederent: primo quod cum hæretici quamquam ab ovilibus depulsi, greges in saltu diripere, profanos conventus agere, ac nihil non in religionis perniciem moliri pergerent, concilio adesse non poterant: quin Ecclesias deserere ac necessario nudare præsidio viderentur; secundo quod præstitutum tempus non erat tam longo itineri, cæterisque ad illud parandis sufficiens. *Siquidem convenieramus*, aiunt, *Constantinopolim secundum litteras a Reverentia vestra anno superiore post Aquileiense concilium ad piissimum imperatorem Theodosium missas, ad hanc solam profectionem instructi, et de hac una synodo consensum episcoporum, qui in Provincia erant, afferentes, cum de longiori itinere suscipiendo nec suspicati essemus, nec audivissemus quidquam, priusquam Constantinopolim convenissemus; ac prætereu constituti temporis angustia, nec ad longioris itineris apparatum, nec ad omnes communionis nostræ episcopos, qui in diversis provinciis sunt, commonendos, et consensus ab iis accipiendos sufficeret.* Hæc vero ego attuli, ut videat lector hoc loco apertam de litteris, quæ tum ab Aquileiensi concilio, tum deinde a Damaso scriptæ fuerant, mentionem fieri, nullam vero de illa epistola, quam postremo loco Italici concilii nomine Sirmondus protulit: atque ut hinc rursus colligat, illam supposititiam esse, ac nunquam aut scriptam, aut saltem ante æstivos hujus anni menses Constantinopolim transmissam; tum deinde errare eos, qui illam ipsam a Theodoreto indicatam putant sub *Occidentalium epistolæ* voce, eique tunc cum scriberent acceptæ, ab Orientalibus responderi. Nam si illam Ambrosius, cæterique Italici vicariatus præsules soli scripserant, ut Tillemontio aliisque hujus sententiæ patronis placet, nulla erat causa cur Orientales rescriberent Damaso, Acholio, Britoni, ac Basilio, qui fictitio huic Italico concilio profecto non adfuerant, ac ejusdem gesta ignorabant. Sed hæc obiter, cum res alibi atque operose discussa a me fuerit.

Postquam vero iidem Orientales his se rationibus excusaverant, ne Romam accederent, ut charitatem, qua se ad synodum vocatos aiunt, mutua charitate rependerent, tres ex suo corpore legatos miserunt, Cyriacum nempe, Eusebium, ac Priscianum, eisque dederunt in mandatis, tum ut cæterorum omnium *voluntatem pacificam esse, atque ad unitatem spectare declararent*, tum ut eorum *pro sana fide zelum manifestum facerent*: qua profecto declaratione ii revincuntur fucum facere, qui eos Romam accedere noluisse aiunt, quia *supremam esse contendebant Orientalium conciliorum auctoritatem.* Cæterum quo ipsi etiam sanos sese atque integros esse probarent apud Romanum pontificem, in litteris, quas legatis ad Damasum ferendas dederant, tum aperta copiosaque fidei expositione, Arii Sabellii, Eunomii, Macedonii et Apollinarii hæreses damnarunt, tum postremo hæc, quæ referre operæ pretium est, verba adjunxerunt: *Si quid amplius desideratis, satis vobis fiet, si tomum Antiochiæ a synodo, quæ illic celebrata est, conditum, nec non eum, qui superiore anno Constantinopoli ab œcumenica synodo editus est, legere dignemini: quibus in tomis fidem nostram uberius exposuimus, et in hæreses recens exortas anathematis sententiam protulimus.* Ex his enim tria potissimum colligo: primo, inter eos qui hanc epistolam scripserunt, aliquos fuisse ex illis, qui Antiochenæ synodo adfuerant, atque, ut ego conjicio, Diodorum Tarsi, Acacium Beroeæ, Pelagium Laodiceæ, ac Gregorium Nyssæ episcopos; secundo, certos illos fuisse Antiochenæ synodi acta ad Damasum allata antea fuisse: nam quo pacto ea legere alioquin hic poterat, ut pleniori cognitione ea de re instrueretur? Atque hoc confirmat conjecturam meam, qua opinabar, anno 380 acta illa per Acacium allata ad Urbem fuisse (*b*). Tertio, si ad ea quæ de Constantinopolitana antecedentis anni synodo, Orientales scribunt animum diligenter advertas, facile intelliges, eorum quæ gesta ac constituta fuerant, aliud nihil ad apostolicam sedem referri præter hæreses, in quas anathematis sententiam protulerant, aliaque nonnulla ad disciplinam spectantia capita, de quibus nunc sermo erit. Jure igitur ac merito Leo Magnus ad Anatolium scribit, quo ejus ambitionem retunderet, *episcoporum quorumdam conscriptionem*, eam scilicet, qua Constantinopolitano præsuli primæ honoris partes post Romanum attributæ fuerant, *numquam fuisse ad apostolicæ sedis transmissam notitiam* (*c*), gravissimamque viro sanctissimo injuriam inferre, qui hac de re dubitare visi sunt.

Quæ vero ad disciplinam spectant, de quibus Orientales, nulla reliquorum canonum mentione facta, per legatos Damaso retulerunt, Nectarii et Flaviani ordinationem respiciunt, ac Cyrillum Hierosolymitanum; sic enim habent: *De particulari autem Ecclesiarum administratione, antiqua ut probe nostis obtinuit sanctio, et sanctorum Patrum Nicææ congregatorum regulæ, ut in singulis provinciis episcopi illius provinciæ, et si illis placuerit, una cum episcopis ipsis finitimis, ordinationes, prout utile fuerit, faciant; ex quarum legum præscripto Constantinopolitanæ Ecclesiæ, reverendissimum ac religiosissimum*

(*a*) Lib. v, cap. 9.
(*b*) Vid. Cap. 15.
(*c*) Epist. 80, Lugd. edit.

Nectarium ordinavimus episcopum in universali concilio, communi omnium consensu, coram religiosissimo imperatore Theodosio, adstipulante omni clero et civitate. Antiquissimæ vero Antiochenæ in Syria Ecclesiæ reverendissimum et religiosissimum episcopum Flavianum, tum illius Provinciæ, tum diœcesis Orientalis episcopi in unum congregati canonice ordinarunt tota Ecclesia consentiente, et quasi uno ore virum collaudante: quam quidem ordinationem synodus universa suscepit. Hierosolymitanæ autem Ecclesiæ reverendissimum ac religiosissimum Cyrillum indicamus, qui canonice olim fuit ordinatus, et plurima variis in locis contra Arianos certamina subiit. Hoc autem loco Beveregius utitur (*a*), ut apostolicorum canonum, quos sub voce antiquæ sanctionis indicatos recte putat, auctoritatem atque antiquitatem adstruat, ac ut Nectarii et Flaviani ordinationes, nedum a cujuslibet provinciæ, verum etiam aliarum provinciarum ac totius Orientis, in concilio Constantinopolitano tunc congregatis episcopis, factas probet. Nam si secus esset, cur provocassent ad *antiquam* illam *sanctionem*, canones scilicet apostolicos 34 et 35? Hi enim tantummodo agunt de vocandis, si placuerit, aliarum etiam et finitimarum provinciarum ad sacras ordinationes episcopis: hoc vero contra eos, qui Flavianum Antiochiæ consecratum asserunt interim observatum volui. Sed iterum redeamus, unde discessimus.

Quid igitur Cyrillo crimini datum fuerit, ut Orientales episcopi, ejus apud sedem apostolicam Romanamque hanc synodum causam tueri debuerint, minime constat. Sunt qui factum putant, quia Damasus ac Occidentales ejus ordinationem infamatam noverant. Rufinus præterea, Socrates ac Sozomenus illum in fide varium fuisse scribunt, quod recentia aliquot Græcorum menæa confirmare videntur. At vir doctrina ac pietate insignis Touttæus, in Vita ejusdem Patris operibus præmissa, hanc ab eo culpam diligenter amovet. Rationibus autem ab eo allatis addi posset id, quod in Synodica legitur, eum scilicet, *ab synodis sub Damaso Romæ, ac Constantinopoli sub Nectario celebratis, multis elatum laudibus*, ut hinc colligas pura fuisse illum fide: accedat quod si hæresim professus aliquando fuerat, ad communionem recipi per Orientales non poterat, nisi causa a sede apostolica antea cognita et discussa. Siquidem Felix III hanc esse Ecclesiæ regulam et veterem traditionem scribit, primarum sedium episcopi cum ab hæresi revertuntur, non prius recipiantur, ac communionem obtineant, quam ad primam sedem acta relata, atque ab ea, quæ definita fuerant, confirmata sint (*b*).

V. Quod ad Nectarium attinet, sunt, quod jam observatum a nobis fuit, qui censent ejus ordinationem, ex præscripta Nicæni concilii lege factam Orientales asserere eo consilio, ut eam tueantur adversus Damasi atque Occidentalium, qui Maximo Cynico favebant, minas; at ii prorsus divinare mihi videntur, suisque præconceptis opinionibus abrepti: pontifex enim Bonifacius, testis procul dubio idoneus, unam tantum affert hujus rei causam, quia nempe id negotii in Romani episcopi *notione non esset*, eamque propterea *firmitatem* non haberet, quæ ex una tantum apostolicæ sedis communione accedere illi poterat; siquidem Nectarius, catechumenus cum esset, Nicæno can. 2 ab episcopatu arcebatur, eaque est causa cur plures ex Patribus ejus consecrationi ab initio intercesserint. Hoc itaque cum etiam Theodosius probe intelligeret ac vereretur ne quid iterum propterea contra Nectarium moveri posset, tribus qui tunc ab ea synodo Romam legati episcopi fuerant, aulicos suos adjunxit, quo facilius Damasum permoveret ad concedendas suæ communionis litteras, sive *formatam*, quæ collatum neophyto *sacerdotium roboraret*. Id vero est, ni fallor, quod Ambrosius, cujus alio loco verba attuli, non obscure sensit, cum ordinationem suam *ab Orientalibus et Occidentalibus* comprobatam scripsit, atque aliis, *Orientalibus* scilicet, *exemplum* dumtaxat, *Occidentalibus* autem, supremo nempe ejus Ecclesiæ capiti, *judicium* attribuit (*c*). Cum igitur certam ac necessariam causam teneamus, cur episcopi illi de Nectarii ordinatione Damaso retulerint, minime necesse est, ut ad Italicum concilium ejusque litteras, mera nempe figmenta, recurramus. Cæterum erat altera præterea ratio, cur *formata* a Romano pontifice pro Nectario peteretur, sed quæ silentio tegi ac dissimulari debuit. Nam cum episcopus Constantinopolitanus ab Heracleæ metropoli subtractus, decreto synodi primum honoris gradum post Romanum consecutus esset; ut novæ dignitatis quasi possessionem iniret, videbatur necessarium, exemplo Alexandrini et Antiocheni, ut de sui ordinatione apostolicæ sedi referret, ab eaque litteras communionis acciperet, quod exemplum sub Nectario positum sanctus Joannes Chrysostomus ac cæteri successores longo deinceps ordine secuti sunt; hisce autem, quæ Orientales a se ἐνθέσμως καὶ κανονικῶς constituta putabant, epistolam concludentes petunt, ut Damasus cæterique Occidentales secum *gratulentur*: qua ecclesiastica, ac mutuam charitatem exprimente formula utuntur, ut eorum omnium quæ constituerant confirmationem peterent, siquidem hic erat synodicarum relationum, quæ ad Romanum pontificem mittebantur, finis (*d*).

VI. Hæc Orientalium epistola inscripta est *Damaso, Ambrosio, Britoni, Valeriano, Ascholio, Anemio et Basilio, ac cæteris in magna urbe Roma congregatis*, ex quo colligimus eos omnes concilio illi adfuisse. Si *Basilium* excipias, ac *Britonem*, aliorum sedes cognitæ satis sunt: Britonem tamen Bollandus, cujus sententiam Tillemontius (*e*) sequitur, Trivirensi magni in illa etiam ætate nominis Ecclesiæ præfuisse censet: pro *Basilio* alii *Bassianum* legunt; at

(*a*) Cod. Can. Vend. lib. 1, cap. 51.
(*b*) Conc. Ven. edit. tom. V, p. 187.
(*c*) Vid. cap. 9, in fin.
(*d*) De Marc. lib. 1, cap. 10, § 9.
(*e*) De S. Just., tom. VIII.

frequentiores codices *Basilium* habent, quæ mihi lectio magis placet; Bassianus enim Landensis episcopus haud pridem ordinatus non ita magni nominis et dignitatis erat, nec tam illustrem Ecclesiam administrabat, ut præ cæteris, qui prætermissi sunt, nominari debuerit; quamobrem Basilium, ne cæteris, qui compellantur, inferior sit, aut in Hispaniis, aut in Africa, aut etiam in Galliis, primariæ alicujus Ecclesiæ episcopum fuisse verosimile est. Ex Oriente adfuerunt Paulinus atque Epiphanius, ac forte etiam non defuerunt, qui ex Ægypto venerint, ob arctum cum Romana Ecclesia fœdus, ac imperialium, quibus omnes evocati fuerant, litterarum auctoritate. Basnagius quidem Paulinum atque Epiphanium abfuisse, Maximum vero Cynicum concilio illi adfuisse asserit (*a*). Unde autem colligat, quod de Paulino et Epiphanio scribit, viderit ille: nam quod de Maximo asserit, a Baluzio hausisse potuit, qui hac sæpe fabula delectatur (*b*). His deinde accessere tres illi episcopi, Cyriacus nempe, Eusebius, ac Priscianus ab Orientalibus Constantinopoli congregatis, legati; quibus forte aulici illi a Theodosio missi comites sese junxerant.

Cum Paulino præterea atque Epiphanio Hieronymus ad Urbem accessit, cujus rei ipse testis est in epistola ad Principiam (*c*). Si enim *pene certe triennium Romæ vixit* (*d*); si præterea Hierosolymam post obitum Damasi profecturus *mense Augusto in Romano portu navim ascendit* (*e*), ad Urbem cum iisdem sociis accessisse debuit hoc anno circa autumnum, concilio jam prope futuro, ac proinde longiorem, secus ac nonnulli censent, moram Constantinopoli traxerat. Illius autem, a quo etiam litteras acceperat, nomen haud erat Damaso ignotum. At eum præterea huic pontifici familiarem fuisse, conjectare possumus tum ex epistola de tribus hypostasibus, qua ejus humanitatem laudat, tum etiam ex ea, quæ inter Evagrium eidem Damaso pernecessarium, ac Hieronymum ipsum, consuetudine intercedebat. Virum itaque, cujus doctrinam ac pietatem noverat, apud se retinuit, ut sibi in causis negotiisque ecclesiasticis expediendis præsto esset, ac ut *Orientis et Occidentis synodicis consultationibus* suo nomine responderet (*f*). In quo tum optimum ejusdem Damasi judicium laudes, tum supremæ Romanorum pontificum in Ecclesia potestatis argumentum inde capias certissimum. Nam totum, qua patet, orbem si mente complectaris, quænam alia tibi occurret Ecclesia, cujus proinde ac Romanæ tanta fuerit dignitas, et auctoritas, ut ab ea difficilium obscurarumque tum in fide, tum in disciplina quæstionum constantia tanta, ac diuturnitate, fiducia præterea, atque humilitate, explicatio postularetur, ac tanto sinceroque obsequio exciperetur? Hieronymi præterea eruditione toto illo tempore quo Damasus superstes fuit, usus est in sacris illustrandis Scripturis, earumque enodandis difficultatibus, atque ut hoc ageret, tum voce, tum scriptis ad eum epistolis excitabat, quæ adhuc exstant, ejusque pontificis incessantis in Christianam doctrinam studii testes sunt. Sed jam ad alia.

(*a*) Ad ann. 382, n. 2.
(*b*) Vid. lib. V de Conc., cap. 21.
(*c*) Ep. 127, n. 10, Ver. edit.
(*d*) Ep. 45, n. 2.
(*e*) Adv. Rufin. lib. III, n. 22.
(*f*) Ep. 123, n. 20, Ver. edit.
(*g*) Prolog. ad Anast., tom. IV, opus. 3.

CAPUT XXI.

I, II. *Quid definitum in eo Romano concilio, ac de Constantinopolitani confirmatione.* III. *De fragmentis deinde agitur ab Holstenio editis.* IV. *Baronii conjecturæ expenduntur, ac vindicantur.* V. *Daduli de eodem concilio testimonium adducitur.*

I. Dolendum profecto est, si quæ alia, tum profecto hujus synodi, quam Theodoretus maximam vocat, acta, quæ ætate scriptoris libelli synodici adhuc exstitisse videntur, deperdita postea fuisse: neque enim dubitari potest quin ea omnia quæ gesta decretave ab ea sunt digna prorsus fuerint doctrina ac sanctitate Patrum, qui frequentes in ea adfuerunt: at cum vetustas temporum hoc nobis bonum præripuerit, reliquum est, ut pauca, quæ possumus, conjectura saltem assequamur.

Quin itaque iis de rebus in illa actum fuerit, ob quas a Damaso convocatam diximus, nemo dubitaverit. Verum cum interea tres ab Orientalibus episcopis legati litteras, de quibus nuper actum est, attulissent, quibus eorum quæ tum circa fidem, tum circa Constantinopolitanam et Antiochenam sedem decreta a se fuerant, confirmationem postulare videbantur, hac etiam de causa, quæ omnium maxima, de fide scilicet actum fuisse oportuit, eaque occasione quæ in Constantinopolitano concilio definita fuerant, Romæ iterum probata fuisse, ac confirmata, quæ Baronii aliorumque sententia est.

Objici quidem posset, Damasianæ hujus confirmationis nullum exstare certum argumentum ante Photii ætatem: quin potius cum in Gelasiano decreto ex Vaticanis codicibus per Fontaninum, ac virum cl. Blanchinium edito ac recensito (*g*) Nicænæ, Ephesinæ, et Chalcedonensis synodi mentio dumtaxat sit, secus ac in Hormisdano a Chiffletio edito, in quo post Nicænam additur etiam Constantinopolitana, hinc colligi videatur, illam ab apostolica sede ante Hormisdæ ætatem minime acceptam et confirmatam. At ejusdem Photii testimonium apertum adeo expressumque est, ut ego vix dubitem quin litteras ab ipso Damaso ea de causa scriptas, ut moris erat (*h*), aut aliud aliquod documentum legerit, quo ea de re certior factus fuerit. Recensitis enim in libro de synodis præcipuarum in Oriente Ecclesiarum episcopis, qui Constantinopolitano huic conci-

(*h*) Hoc aperte discimus ex epistola Marciani imperatoris ad Leonem Magnum, qua cum episcopis, qui synodo Chalcedonensi adfuerant, profitetur mirari se cur non vicissim litteras misisset hic pontifex, quæ in sacris Ecclesiis legerentur, ostenderentque acta ejusdem synodi a sede apostolica approbari.

lio adfuerant, Timotheo Alexandrino, Meletio Antiocheno, Cyrillo Hierosolymitano, ac Nectario, quos synodi principes fuisse ait, illis Damasum postremo jungit, eadem *non multo post confirmantem, et consensu suo comprobantem*, eumque consensum, ut vides, non ex nudo tantum silentio præsumptum, sed ejusmodi præterea fuisse judicat, ut *ea valida et firma redderet*, certo aliquo scilicet documento munitum, ac cum imperio et potestate conjunctum (*a*). Etsi igitur vigilantissimus pontifex hæreses illas antea sæpe damnaverat, credibile tamen est, aliquo iterum solemnique scripto, novam hanc invictamque definitis in Constantinopolitano illo concilio dogmatibus vim conferre voluisse, tum quod ea erant Orientalium episcoporum vota, tum quod post peremptorium hoc apostolicæ sedis judicium, nulla erat amplius Macedonianis atque Apollinaristis evadendi spes. Cum itaque, ut nuper dictum a me fuit, Orientales illos a se gestorum confirmationem postulasse constet litteris per legatos episcopos Romam allatis, Damasus id præstitisse videtur in eorumdem reditu : illos siquidem abeuntes sine responsione aliqua ac sine aliis ad Theodosium litteris, quibus certior fieret de confirmata Nectarii ordinatione, ab eo pontifice fuisse dimissos nemo dixerit, quem in respondendo synodicis consultationibus diligentissimum fuisse constat, tum ex iis quæ supersunt litteris, tum vero ex Hieronymi, cujus opera utebatur, testimonio. Hanc vero puto fuisse causam cur idem pontifex, Hadriano teste, qui basilicam S. Laurentii longo post intervallo reparavit, Constantinopolitanum hoc concilium pictura repræsentatum ad posteros in eadem transmitti voluerit (*b*), quo deinde exemplo Cœlestinus ac Sixtus Ephesinum in Liberiana, Leo Magnus Chalcedonense in Vaticana expresserunt (*c*). Atque hæc sunt, quæ in Romano hoc concilio circa fidem confecta videri possunt.

II. Tillemontius actum præterea fuisse putat de Apollinarianis ab Ecclesia recipiendis : cumque ex mandato papæ Hieronymus concinnasset formulam, cui hæretici illi deinceps subscribere cogerentur, illud contigisse, quod Rufini verbis hic referre præstat: *Damasus episcopus cum de recipiendis Apollinarianis deliberatio haberetur, editionem ecclesiasticæ fidei, cui iidem editioni, si Ecclesiæ jungi vellent, subscribere deberent, conscribendam mandavit amico suo presbytero, viro diserissimo, qui hoc illi negotium ex more procurabat, necessarium visum est in ipsa editione de Incarnatione* HOMINEM DOMINICUM *dici : offensi sunt in hoc sermone Apollinaristæ : novitatem sermonis incusare cæperunt* (*d*). Nemo profecto negaverit quin in Romano hoc concilio agi rursus potuerit de Apollinarianis, occasione Constantinopolitanæ synodi, a qua damnati fuerant, cujusve definitiones Romæ tunc relatas et lectas fuisse oportet. At ego vix puto, ut iteratam contra eos fidei expositionem Damasus tunc condi jusserit : cui enim bono alia fidei formula ab Apollinarianis subscribenda post illam, quam Paulino Antiocheno anno 375 transmissam diximus, atque allatis modo verbis Rufinus aperte memorat? Anno itaque 375 contigisse hoc debuit, quod idem Rufinus ab Hieronymo audiverat, scriptoque deinceps consignavit; *presbyter autem ille disertissimus*, quo amico et administro Damasus tunc usus est, alius fuerit oportet ab eodem Hieronymo, qui nec presbyter dici tunc poterat, ut vidimus, ac Roma aberat, seque ad solitudinem Syriacam receperat. Cæterum factum illud a Rufino minime excogitatum, sed veritati consentaneum esse, conjici potest ex mss. cod. in notis ad illas priores ad Paulinum litteras a me productis, qui eam vocem, qua impressi carent, adjunctam habent.

III. Holstenius, ex vetusta Vaticana canonum collectione fragmentum protulit, quod inscribitur *ex concilio urbis Romæ sub Damaso, de explanatione fidei.* Hoc duplici parte constat. Agitur in priore *de septiformi spiritu, qui in Christo requiescit;* in posteriori vero *multiformis nominum Christi* dispensatio explicatur; eamque si quis conferat cum carmine sexto, observetque iis versibus pressius repeti, quod uberiori calamo eodem fragmento hic expressum fuerat, facile concedet, utrumque fœtum unius ejusdemque auctoris esse, Damasi nempe, cujus nomine inscriptus est.

Utraque vero ejusdem pars Eunomium ejusque asseclas respicit : nam ut a postrema incipiam, cum ex multiplicibus iis nominibus blasphemi illi conficerent Christum Dominum facturam et creaturam esse, catholici e contra Patres iis utebantur, ut vel maxime ejus erga nos misericordiam ostenderent et commendarent, quod aperte colligi potest ex Germinii litteris ad Arianos, a quibus is ad Semiarianos transiverat : *Quod putant*, ait ille, *se pro magno de divinis Scripturis proferre, ut dicant Christum facturam et creaturam, e contrario nos secundum Scripturas dicimus Viam, et Januam, et Lapidem offensionis, et Petram scandali, et Fundamentum, et Brachium, et Manum, et Sapientiam, et Verbum, et Agnum, et Ovem, et Pastorem, et Sacerdotem, et Vitem, et Diem, et alia : sed hæc omnia sic intelligimus, et dicimus, ut virtutes, et operationes filii Dei intelligamus, non ut divinam ejus ex Patre nativitatem comparemus* (*e*). Varias illas ac multiplices appellationes, quibus Christus Dominus designatus legitur, ipse etiam Ambrosius, Basilius ac Nazianzenus sæpe adhibent, quibus operationum ejus varietatem multiplicemque beneficentiam indigitari aiunt dispensationemque ipsius, ac servatoris ministerium non coactum.

Quo vero ad priorem ejusdem fragmenti partem

(*a*) Οἷς οὐ πολὺς χρόνος Δάμασος ὁ τῆς Ῥώμης τὰ αὐτὰ κρατύνων ἐγνωρίζετο σύμφωνος, τοῖς προλαβοῦσι καθιστάμενος.

(*b*) Conc. Ven. edit. tom. VIII epist. ad Carol. Mag., pag. 1591.

(*c*) Vid. Blanch. not. ad Sixt. 3.

(*d*) Hieron. Apol. 2, cap. 20.

(*e*) Apud Hilar. Frag. xi, Ver. edit.

attinet, neminem latet, Eunomium Spiritui sancto tum divinitatem ademisse, tum ejus originem soli Filio attribuisse : utrumque enim ex blasphemis, quæ supersunt, ejus scriptis constat (*a*) ; hinc est, quod Damasus postquam argumentis ex sacra Scriptura petitis abunde probaverat Spiritum sanctum a Filio requiescere, naturaliter scilicet et essentialiter, tum concludit *Spiritum sanctum non esse Patris tantummoda, aut Filii tantummodo Spiritum, sed Patris et Filii Spiritum*, quod adstruit rationibus illis, quibus Athanasius, Basilius, Ambrosius, Epiphanius, Cyrillus, ac cæteri Patres usi sunt, ut probent unum esse, ob unam Patris Filiique naturam, nec ad res creatas amandari posse, veluti utrique consubstantialem : quæ propterea est ratio, cur recentiores catholicarum partium Græci additionem vocis, *Filioque*, fac- tam symbolo, quo nunc utimur, veluti destruendæ Eunomii hæresi optime comparatam tuerentur (*b*), tum deinde cur illam eidem Damaso attribuerent.

Primus hoc asseruit Alexius Aristenus XII sæculi scriptor in scholiis ad synopsim Canonum a Justello editam ; illum siquidem veluti hujus sententiæ auctorem producit Joannes Methonensis episcopus in responsione ad Marcum Ephesium, ac Simon Constantinopolitanus in epistola ad Joannem Nomophylacem, cujus verba, quæ huc pertinent, ex Allatii (*c*) interpretatione hæc sunt : *Sciendum porro est, ut narrat Dei amantissimus diaconus, et magnus œconomus magnæ Dei Ecclesiæ Dominus Alexius Aristenus compendioso de omnibus canonibus, et œcumenicis sanctissimis synodis, nec non, et quæ inter eas actitata sunt, tractatu, post Nicænum concilium exortam esse hæresim, quæ Filium quoque Patrem asserebat : namque nonnulli dicebant, quemadmodum Filius ex Patre, ita et Spiritum a Filio esse genitum, sicque Spiritum sanctum Filii filium, et Patris nepotem decernebant : quapropter ad abolendam similem hæresim et orthodoxam fidem constabiliendam, Damasus sanctissimus papa ante sanctam synodum Constantinopolitanam secundam, una cum sibi obnoxiis catholicis episcopis Romæ concilium coegit, qui in sancto Nicæno symbolo addiderunt Spiritum sanctum a Patre et Filio procedere, asseverantes vero illum genitum esse ex Filio anathemati subjecerunt. Eodem modo anathemati subjecerunt, qui non libere, et confidenter prædicarent eumdem cum Patre et Filio unius esse auctoritatis atque essentiæ, et plerosque alios anathematismos contra plures hæreses addiderunt.* Me non latet Aristenum, seu quisquis ille sit ipso Aristeno scriptor antiquior, aliosque recentiores Græcos profecto falli, cum additionem illam Nicæno symbolo factam Damaso attribuunt, quæ multo recentioris ætatis est, quamquam quo potissimum tempore ea cœperit, non vacat inquirere (*d*). At hinc saltem colligi poterit ea de re actum tractatumque fuisse sub Damaso ante Constantinopolitanam synodum, ac proinde non sine aliqua verosimili conjectura a me asseri posse, hoc fragmentum ad aliud potius, quam ad hoc concilium, ut Holstenius opinatur, pertinere, ad illud scilicet, quod anno 382 congregatum dixi, in quo de Eunomii et Macedonii hæresi actum potissime fuisse constat.

IV. Præter hæc Holstenianus idem codex decretum continet de Patriarchalibus sedibus, ac de recipiendis, ac rejiciendis libris. Insignem Dionysianæ collectionis codicem in monasterio Sanctæ Crucis ego tractavi beneficio abbatis tunc doctissimi ac religiosissimi, nunc sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalis Bessarionis, atque alterum huic similem Vallicellianæ bibliothecæ, concedente viro celebri atque humanissimo patre Josepho Blanchino. Tertium ex vetustissimo Veronensis Ecclesiæ archivo memorat numquam non laudandus marchio Maffeius ; alterum a Dacherio sibi communicatum se legisse ait Baluzius (*e*), qui omnes hæc ipsa decreta continent, quæ Holstenianus hic codex. Merito igitur magnus Baronius (*f*) hoc de patriarchalibus constitutum eidem Damaso, ac Romanæ huic synodo vindicat, quocum viri celebres Holstenius et Franciscus Blanchinus consentiunt. Huic autem sanciendo decreto inde accepiam occasionem putant, quod cum Pontifex turbatam clandestino Constantinopolitano canone patriarchalium Ecclesiarum dignitatem intellexisset, necessarium duxerit synodali hac sua lege ejus episcopi, atque Orientalium inconsultam ambitionem retundere Paulino præsertim curante, ne quid Antiochena sua ac Alexandrina sedes, quæ suæ erat communionis, detrimenti caperet.

Me non latet hoc ipsum de patriarchalium sedium prærogativa decretum ab editore epistolarum Romanorum pontificum, aliisque Damaso abjudicari, ac Gelasio attribui, cujus esse canonem de recipiendis ac rejiciendis Scripturis, cui junctum legitur, apud eruditos convenit. Potissima hujus opinionis ratio inde capitur, quod cum *fragmentum illud* Holstenianum, quamquam *Damasi nomine insignitum huic de prærogativa sedium decreto adjunctum habeat generalium synodorum indicem, in quo nec Ephesini, nec Chalcedonensis, sicut nec Cœlestini, nec Leonis, neque Nestorii, neque Eutychetis nomina tacentur*, Damasi esse nequeat, miraturque ideo Constantius, quo pacto Baronius eo titulo atque inscriptione, cujus falsitas adeo manifesta est, tam facile decipi potuerit.

At cum hoc de sedium prærogativa decretum contineatur verbo tenus in Codice Canonum Quesnelliano, ratio hæc non eam, quam Constantius putat, vim habere posset si Codex ille jam scriptus fuisset ante Leonis Magni ætatem, ut editor censuit, misso tamen hoc incerto, fallacique præsidio, quod mihi videor asserere posse, illud est, ordinem illum numerumque *primæ, secundæ ac tertiæ sedis*, ante æta-

(*a*) Vid. in adnot. ad epist. 33, n. 16 et n. 20.
(*b*) Vid. Allat. Græc. Orth., tom. I, p. 72 et p. 460 ; Petav. Th. Dogm., t. II, lib. VII, cap. 2, n. 1.
(*c*) Cont. Hotting., cap. 18 et cap. 20.
(*d*) Vid. allat. eod. cap. 20 ; Lequien, Dissert. I ad Damasc. oper.
(*e*) Ad Lup. Ferr. ep. 128.
(*f*) Ad an. 382, n. 19.

tem Gelasii constitutum fuisse atque præscriptum : ejus enim aperte meminit Leo Magnus, ac Felix Gelasii antecessor, qui præterea eodem loco eam distinctionem ab antiquis majorum statutis ad se deductam ait (*a*). Quin vero ea *Statuta majorum*, anteriora sunt ætate etiam Bonifacii I, cum hic pontifex ad episcopos per Thessaliam constitutos scribat : *quoniam locus exigit, si placet recensere canonum sanctiones, reperietis quæ sit post Ecclesiam Romanam secunda sedes, quæve sit tertia :* quæ profecto apertissima sunt. Scio Coustantium annotare, hisce verbis indicari 6 Nicænum canonem : at præter ea, quæ responderi possent, illud dumtaxat observari cum eodem Quesnello velim (*b*), Nicæno illo canone prorsus non definiri, cujusnam Alexandrini, an Antiocheni episcopi secundus, aut tertius locus sit, cum tamen Bonifacius aliique pontifices ordinem inter eos præscriptum exprimant, ac secundum Alexandrino locum, Antiocheno tertium attribuant : Baronius itaque recto sanoque judicio colligere potuit ex eo Codice, Gelasium non tam hæc primo constituisse, quam quæ antea recte constituta a prædecessoribus fuerant, scriptis iterum prodidisse.

Idem esto judicium decreti de recipiendis ac rejiciendis Scripturis librisque ; nam qui exstiterat in Romana Ecclesia sacrarum Scripturarum librorumque Canon, necesse etiam fuit, ut pro rerum temporumque ratione confirmaretur aut etiam augeretur a Romano pontifice. Id vero cum sub Hormisda factum concedant viri docti, qui Gelasii Catalogum auxit (*c*), cur non Gelasius ipse Damasi Decreto addidisse potuit, atque inde Decretum hoc quamquam ab eo dumtaxat auctum eidem attribui, ut deinde Hormisdæ etiam attributum aliquando legimus ? Neque enim Damasi ætate aut Manichæi deerant, aut Ariani, aut Priscillianistæ, qui vel Scripturas sacras falsarent, vel apocryphas obtruderent, quorum proinde fallaciis confirmato iterum, ac publicato earum canone occurri debuit, ac dari præterea Hieronymo earumdem corrigendarum cura : hæc tamen fragmenta cum haud omnino constet ad Damasum pertinere, malui a judicio ferendo abstinere, ac inter dubia appendicis loco conjeci.

Quod autem ad canones spectat, qui a Constantinopolitana synodo conditi fuerant, eos, si quod de Maximo Cynico decretum fuerat excipias, a Damaso Romanaque sede nullo in pretio habitos, Leo Magnus, Gelasius, ac magnus Gregorius nos docuerunt, quorum dicta supervacaneo labore huc ego non transferam : quin tamen Nectarii ordinatio confirmata fuerit, idonei omnino testes Bonifacius I ac Nicolaus nos minime dubitare sinunt (*d*). Contra vero externam omnem cum Flaviano rejectam communionem Sozomenus, Theodoretus, aliaque eorum temporum monumenta probant : frustra vero Orientales obtendebant Apostolicos Nicænosque canones, ut ejus conservationem rite recteque factam probarent ; alia enim erat causa, cur non oporteret eam fieri, aut factam recipi : nam primo Flavianus impositus fuit, ut Nazianzenus ait, *antiquo præsuli præsul novus*, quod apostolicæ traditioni Nicæno concilio confirmatæ adversabatur : secundo jurisjurandi religio, illum quominus assequeretur Antiochenum episcopatum, inhabilem effecerat : quarum tamen rerum, ac peracerbi inde orti dissidii, cum nulla in Orientalium litteris ad Romanum hoc concilium scriptis mentio sit, merito viri gravissimi dubitant, an illæ, quod Ecclesiastica simplicitate ac sinceritate careant, ea laude dignæ sint, quam Theodoretus eisdem attribuit.

Hæc itaque sunt, quæ ab hoc postremo Damasi concilio gesta præ cæteris videri possunt : nam quæ plura alia ejus nomine, tum in conciliorum collectionibus decreta circumferuntur, incertum est, an ad istud, an ad aliquod aliud spectent, multoque incertius an Damasum auctorem habeant, de quo consule, si lubet, Tillemontium ac Coustantium. Cæterum cum hoc concilium postremum dixi, velim id intelligas ex iis quorum memoria superest ; facile enim crediderim, Damasum advocatis ad natalem suum de more vicinioribus episcopis singulis fere annis synodos celebrasse, quarum tamen aliquæ ob temporum vetustatem in oblivione sint positæ.

V. Si Landulpho cuidam seniori Mediolanensi episcopo fides est ; *sedente D. Ambrosio, gravissima dissensio orta est coram Apostolico in synodo inter sacerdotes monogamos et alios sub castitate aut virginitate degentes : eaque Apostolico imperante, et aliis episcopis consentientibus, judicio B. Ambrosii delegata, ut quidquid ipse diceret, sanctum et firmum teneretur*, pro uxoratis definita est : quin, si *Pseudo-Datium* audias, ea controversia agitata est *in synodo Damasi I*, 150 *episcoporum, celebrata Constantinopoli, ubi B. interfuit Ambrosius.* At eas eorum temporum quisquilias referre, viro clarissimo Muratorio judice, refellere est ; quamquam Puricelli laudanda diligentia est, qui in ea fabella refutanda studium et operam serio collocavit suam, in dissertatione post ejusdem *Landulphi Chronicon*, inter Italicos scriptores vulgatum. Propius ad veritatem accessit Dandulus, cum in hoc eodem Damasi concilio, tum *Priscillianum* damnatum scripsit, tum synodalia ejusdem gesta tribus Orientalium legatis fuisse communicata (*e*) ; quæ tamen unde hauserit obscurum nobis nunc est.

CAPUT XXII.

383, Damasi 17, Merobaude et Saturnino coss.

I. *Libellus precum Faustini et Marcellini in iis quæ ad Damasum pertinent, ad examen revocatur.* II. *An hi duo presbyteri, Luciferiani fuerint, an potius Ursiniani? Bassus Urbis præfectus quis, et an Christianus?* III. *De Ephesio Ursinianorum in Urbe pseu-*

(*a*) Vid. Conc. Venet. edit. tom. V, p. 185, et pag. 341.
(*b*) Quesnell. dissert. 12, cap. 4, n. 13.
(*c*) Vid. Blanchin. in not. ad Clem. et Gelas.
(*d*) Vid. Diatrib. 2, § 3.
(*e*) Scr. Ital. Tom. 12.

do-episcopo, ejusque expulsione. IV. *De Fabella damnati a Damaso Liberii.* V. *De Hilario Romano diacono, an ille ad Ecclesiam reversus sit, et an auctor commentariorum quæ inter Ambrosii opera circumferuntur?* VI. *De Arsenio Romano diacono Arcadii præceptore ac monacho sanctissimo.*

I. Ad hunc annum eumque nondum adultum refero (quamquam haud omnia) quæ studio Religionis et veritatis, Damasum Romæ fecisse legimus in libello Precum Marcellini et Faustini a Sirmondo edito. Primo itaque *Aurelium* graviter ab eo afflictum aiunt, eo quod Gregorio Bætico communicaret. Quis ille Aurelius fuerit, quasve afflictiones perpessus sit, minime exprimunt : Luciferianis illum Romæ præfuisse puto, siquidem Donatistæ, Novatiani, Manichæi ipsi, atque omnes propemodum sectæ, quibus persuasum merito fuerat in ea urbe centrum catholicæ communionis esse, curarunt semper, ut suos Romæ episcopos haberent, ne extra Ecclesiam positi viderentur. Secundo loco schismatici hi *Macarium presbyterum* recensent, quem miris laudibus mactant, quasi vero virtus christiana sine charitate esse aliqua possit. Hic cum vetitas imperiali lege, et clandestinas collectas ageret, ab apparitoribus comprehensus Damasi adstantibus clericis cum vi traheretur, graviter inter eumdum vulneratus est : alia vero die ad judicem ductus, cum ut Damaso communicaret, ac imperiali rescripto obsequens esset, nec vi, nec blanditiis adduci posset, in exsilium pellitur atque apud ostia Tiberina ex accepto vulnere mortuus, a Florentio ejus urbis episcopo, cujus tamen nulla apud Ughellium mentio est, in basilica S. Asterii sepulturæ datur. Hæc libellus de Macario presbytero ; an vero Luciferianus fuerit, an Ursinianus, hoc ille non exprimit non sine fraude, et dolo malo. Alio autem loco dictum probatumque a me fuit (*a*) Luciferianos nulla imperatorum lege prohibitos quin, si rebaptizantibus non se junxissent, libere suæ religioni vacarent. Addo nunc canonem nullum adversus eos editum, ante Constantinopolitanum aliquod sub Nectario concilium, quamquam ubique ab Ecclesia segreges haberentur, in Occidente potissimum. Alia igitur causa fuisse debuit cur presbyter ille collectas agere non posset, cur comprehensus Damasum pro legitimo Urbis episcopo habere juberetur, cur deinde contumax, et obfirmatus cum esset, in exsilium pulsus est, præter unam, nullaque publica aut civili, aut ecclesiastica lege damnatam, Luciferiani nominis professionem. At quæ alia afferri poterit præter confirmatum ejus presbyteri in schismate Ursiniano animum, quod imperatores iteratis legibus puniri jusserant ? Hoc vero manifeste probat, *præfationis* ad ipsas Marcellini Preces coævus auctor cum *Ursino viro sancto ac sine crimine* (vide petulantiam) *jussione imperatoris in exsilium sponte iterum profecto, ejus factionis presbyteros diversis modis afflictos, et in peregrina loca dispersos* scribit, quos inter *Marcellinum et Faustinum* statim collocat. Ex eorum itaque numero Macarius fuisse debuit, qui cum Romæ clam substitisset, ac collectas agere, factionesque fovere pergeret, postremo deprehensus, exsulare merito coactus est. Hinc vide quam phaleratæ sint, quot dolis consutæ eorum presbyterorum Preces, nam primo quæ ad Luciferianos pertinent, susdeque miscent, ut ejus sectæ invidiam minuant : deinde Ursiniani cum essent, atque ob eam causam exsilium paterentur, exsecratum Ursini nomen silentio tegunt, Luciferiani videri volunt, atque ob unam *incontaminatæ religionis* causam, tum se a Damasi communione alienos, tum se vexatos aiunt, ea fraude scilicet, ut imperatorum animos ad misericordiam flecterent. Macarium hunc ego cum reliquis ejectum puto sub Olybrii aut Ampelii præfectura ; siquidem cum hæc velut diu antea gesta libellus narret, ad eorum præfectorum tempora trahi possunt, sub quibus Ursinianum schisma, pulsis refractariorum capitibus, finem Romæ habuisse visum est. Nunc pergo ad reliqua, quæ ad hunc annum pertinere videntur.

II. Ait itaque libellus ille *nuper etiam factum, ut idem Damasus Ephesium* perdere *aggressus sit coram Basso Judice :* at Bassum Damasi *accusationes repulisse* ea ratione usum, quod *constitutiones imperatorum* contra *hæreticos* solummodo *promulgatæ videantur, non contra eos*, Luciferianos scilicet, *qui sanctissimam fidem sine sæculi ambitione conservent.* Damasum tunc primum erubuisse, quod inventus judex esset, *qui solus imperialia rescripta piissime interpretans tueretur.* Antequam progrediar, quæro quis idem *Bassus* fuerit, judex eo tempore sive præfectus Urbi, sub quo res acta dicitur ; notum enim est, qui illicita collegia celebrasse dicebantur, apud præfectum Urbis accusari debuisse. Bassus, qui præfectus Urbi fuit, antea quam ad eam dignitatem ascenderet, Campaniæ consularis fuerat, ut ex inscriptione, quam mutilatam Sirmondus, integram Reinesius attulit (*b*) manifeste discimus : at qui Campaniæ consularis fuit, Anicius Auchenius dictus est, ut idem Reinesius probat, ac ex inscriptionibus constat, quarum altera apud P. Josephum Vulpium in Antio legi potest, alteram a viro cl. Josepho Maria Pratillo productam iterum refero (*c*). Urbanam itaque præfecturam Bassus nondum attigerat anno 381, quo Syagrius et Eucherius consules fuerant; contra, illa jam functus fuerat anno 384, quo Symmachus tunc Urbis

(*a*) Vid. cap. 9.
(*b*) De Suburb. cap. 3, Rein., p. 395.
(*c*)
PRO SALUTE
ET VICTORIA
DD. NN. GRATIANI
ET FL. THEODOSII PP. FF. AA.
ANICIUS, AUCHENIUS BASSUS
V. C. CONS. CAMPANIÆ
LUDIS POPULO DATIS, ATQUE
VECTIGAL L. ABSOLUTIS
POS.
SYAGRIO, ET EUCHERIO COSS.
Pratil. de Via Appia lib. III, cap. 4.

præfectus suos in ea dignitate antecessores *Bassum* ipsum, et Aventium vocat, ac ut Orphiti soceri sui hæreditatem tueatur adversus fiscum, hac potissimum ratione utitur Valentiniano scribens, quod cum *Bassus, et Aventius*, ea de controversia novissime retulissent, hæredes *recenti præceptione* absoluti judicio fuerant (*a*). Cum itaque Bassi præfectura initium ceperit post annum 381, ac reliquum, quod inde ad præfecturam Symmachi excurrit, partim eidem Basso, partim Aventio necessario tribuendum sit, facile intelligimus, hujus Ephesii causam, cujus idem Bassus cognitor fuisse dicitur, anno 382 aut insequenti confectam. Tillemontius dubitat an hic christianus fuerit, siquidem Libellus precum, qui illum *catholicam religionem* dumtaxat *venerantem* vocat, quod homini ethnico convenire potuit, nihil pro certo definire videtur. At hæc verba, quibus Luciferiani, ut solos se catholicos esse prædicarent, pro more utebantur, ad christianam religionem indicandam retulit aliud agens vir accuratissimus ; nam quin Bassus christianus fuerit, vix dubitare nos patitur Prudentius, ac monumentum Junii Bassi, quod in basilica Vaticana adhuc superest, ab auctoribus *Romæ subterraneæ* productum.

III. *Ephesius* ille ordinatus a Taorgio fuerat *episcopus incontaminatæ plebis Romanæ*, ejus scilicet, quæ in schismate adversus Damasum permanserat, et Ursini absentis et relegati sequebatur partes; qui locus ut obiter dicam, observatione dignus est, cum argumentum præstet minime dubium, ex quo ordinandi pro Romano episcopo pontifice, aut absente aut impedito vicarii episcopi recepta pridem disciplina constet. Sed ne longius abeam, quis ille *Taorgius* fuerit incompertum est : forte Novatianis tunc plures in Urbe ecclesias obtinentibus præerat, quibuscum Ursiniani fœdus et societatem junxerant; siquidem adversus Taorgium ipsum ex parte Damasi nihil actum legimus : *plebis* vero *incontaminatæ* nomine, Ursinianos laicos intelligo, quia projectam eorum temeritatem numquam deferbuisse, probat epistola Romani concilii ad Gratianum, quam supra expendimus, ac Valentiniani rescriptum ad Pinianum P. U. a magno Baronio relatum pro confirmanda Siricii electione adversus iteratas Ursinianæ factionis molitiones. Hujus autem Ephesii nomen idem Baronius (*b*) *asterisco* notat, velut in mendo cubans : Gothofredus vero Ephesium nostrum, *Euresium* illum fuisse putat, quem Arcadius anno 395 in numero sacrorum antistitum haberi non oportere jussit in l. 18. Cod. Theod. de Hær., quod scilicet episcopatu jam dejectus fuisset. Gothofredum Pagius ac Tillemontius secuti sunt, quorum probabilis est opinio ob eam, quæ sæpe occurrit litterarum V et F commutationem, fierique facile potuit, ut librarius loco *Ephesii Euresium* levi errato scripserit. Quidquid horum sit, quin *Ephesius* ille pulsus ab Urbe fuerit, ac Libellus precum, qui fuisse illum judicio liberatum ait, hoc etiam in capite mentiatur, vix dubitaverit, qui ad hæc adverterit animum : primo scilicet Bassum non fuisse Urbanæ præfecturæ admotum ante annum 381, atque aliquam sequentis anni partem Aventio ejus successori dandam; secundo celebre Theodosii edictum, quo Ariani occupatas basilicas Catholicis restituere jussi sunt, Constantinopoli fuisse promulgatum die 19 Julii anni 381 : tertio cum illud Oxyrinchi effectui datum est, Ephesium eo loci adfuisse, atque etiam aliquandiu post hæc ibi substitisse : vides igitur, quid hinc effici possit. Nam si ille Basso jam Urbis præfecto delatus est, si eodem, aut sequenti anno eum per interiora Ægypti, ac per Palæstinam cursitasse constat, haud diu Romæ substitisse sub eodem præfecto potuit, sed solum vertere coactus est : cur enim aut Romam tam cito, ac gregales suos, quibus episcopus datus fuerat deseruisset, aut quæ illi cum Heraclida tam longe a se posito negotia esse poterant, ut ad eum Oxyrinchum usque sese sponte conferret? Cur vero eo tempore quo Bassus Urbanam præfecturam gerebat Ephesium per Ægyptum ac Palæstinam cursitantem dixerim, alia etiam ratio ex eodem libello manifesta est. Postquam enim Oxyrinchi Theodosii jussa impleta vidisset, inde Eleutheropolim ab eodem Heraclida Luciferianorum episcopo missus dicitur, ut Hermionem ejus sectæ virginem visitaret, atque ea forte occasione factum, ut arctum illud cum Faustino et Marcellino fœdus stringeret, qui jamdiu antea eo exsules sese contulerant ; ac cum aliquandiu in ea quoque urbe moratus esset, in Africam navigavit : gravia deinde, ac continuata incommoda, quæ post Ephesii discessum se ac cæteros Luciferianos passos aiunt a Turbone Eleutheropolis episcopo, in causa tandem fuerunt, ut eas preces scriberent, ac Theodosio offerrent. At Damasus superstes erat, cum supplex ille Libellus scriptus, oblatusque imperatori fuit. Cynegius autem præfecturam prætorii Orientis tunc temporis administrabat, ut ex ejusdem imperatoris rescripto, quod eidem Libello subest, cognoscimus. Cum vero eam dignitatem indeptus ille sit primo aut altero mense anni 384, Libellum ipsum eodem currente anno datum fuisse oportet. Concedamus itaque illo jam medio datum, oblatumque Theodosio fuisse; si diuturnas Ephesii peregrinationes moramque in Ægypto factam, antequam in Palæstinam se conferret, si tempus, quo ibi substitit, ac illud quod ab ejus discessu deinde fluxit, antequam libellus ille scriberetur, ac ii presbyteri ad imperatorem Constantinopolim accederent, supputemus, id quod dixi, facile statuemus, Ephesium scilicet sub præfectura Bassi Romana urbe necessario excessisse.

IV. Quod itaque ex eodem tot mendaciis scatente libello colligi potest, illud est, fabellam de damnato Liberio per Damasum, in actis Eusebii presbyteri a Baluzio publicatis recitatam, ejusdem Damasi ætate posteriorem esse. Nam si ille Liberium prævaricato-

(*a*) Vid. Symmach., epist. 33, 36, 39 et 47, lib. x.

(*b*) Ad ann. 396, n. 10.

rem *facta synodo damnaverat*, cur non iidem presbyteri hanc eidem prævaricationem vicissim deinde eodem libello exprobrassent, ut Athanasio, Hilario atque aliis ejus generis, ac nominis episcopis? Cur ne momento quidem, ut ex eorum scripto constat, tum ipsi, tum cæteri Romanæ urbis pervicaces clerici, huic pontifici communicarunt?

V. Codex canonum a Quesnello editus expositionem fidei continet Faustini presbyteri nomine inscriptam. Eamdem scriptor ille ab eodem Presbytero oblatam Theodosio conjicit, atque a Theodosio deinceps transmissam Damaso contra schismaticos imperatorem illum obtundenti, a quo postremo ad scrinia sedis apostolicæ, atque ab iis in eum, quem Romanæ Ecclesiæ peculiarem vocat Codicem, transierit (*a*). Quæ tamen quanti sint, inde cognoscitur, quod Codex ille tam fuit unius Romanæ Ecclesiæ, quam cæterarum omnium peculiaris, ut viri doctissimi Coustantius et Maffeius, qui consuli poterunt, jam demonstrarunt.

VI. Antequam a Luciferianis discedam, illud postremo adjiciam, esse scilicet viros gravissimos, qui Damasi in religionem studio factum aiunt, ut Hilarius Romanæ Ecclesiæ diaconus ab eo schismate ad Ecclesiam redierit (*b*), ejusque rei illustre testimonium reliquerit in cap. III, epist. I ad Timoth. his expressum verbis: *Cum totus mundus Dei sit, Ecclesia tamen domus ejus dicitur, cujus rector est Damasus* (*c*). Quæ et si meram veritatem sapiant, ita tamen nonnullis displicuisse miror, ut, mss. omnibus repugnantibus, vix non pro spuriis, et addititiis habeant. Scio non deesse viros doctissimos, qui hoc opus eidem diacono abjudicant, neque mihi animus est, ut meam faciam hanc litem. Fateor tamen ea verba vix non efficere, ut commentarium illud ab aliquo saltem auctore scriptum existimem, qui Lucifer ianam et schismaticam sectam professus antea fuerit. Siquidem cum ii neque Liberium, neque Damasum haberent pro legitimis Romanæ Ecclesiæ episcopis, eosque Hieronymus monuisset *Ecclesiæ salutem in summi sacerdotis dignitate pendere* (*d*), videbatur viri tunc ad Ecclesiam ipsam sincere redeuntis esse, fidem in eo capite suam argumentis minime dubiis palam publiceque testatam facere, quam etiam ob causam, iteratum baptismum, quod antea cum Luciferianus esset, asseruerat, palam deinde a se rejici oportere existimavit, cap. I Epist. I ad Corinth. Hæc autem cum ita sint, nosque impellant, ut commentarium illud a Luciferiano ad Ecclesiam reduce scriptum fuisse opinemur, cur non ab Hilario, cui S. Augustinus illud attribuit? Auctorem porro Romanum fuisse, atque in Urbe circa hæc tempora illud scripsisse constat ex I Timoth. III, ubi hæc ait: *Nunc autem septem diaconos esse oportet et aliquantos presbyteros, ut bini sint, per Ecclesias, et unus in civitate episcopus. Omni enim hebdomada offerendum est, et si non quotidie peregrinis, incolis tamen vel bis in hebdomada; et si non desint, qui quotidie quoque baptizentur ægri.* Sed de his jam satis.

VII. Prioribus etiam, ut ego puto, hujus anni mensibus Arsenium Arcadio puero jam declarato Augusto, huic muneri obeundo parem, Damasus præceptorem misit, rogatus a Gratiano, cui Theodosius ea de re scripserat (*e*). Baronius Metaphrastis fide nixus eum Romanæ Ecclesiæ diaconum vocat: at Tillemontius non una Metaphrastis auctoritate adduci potest, ut illum diaconum fuisse credat, ac gravius aliquod et antiquius testimonium quærit. Verum cui bono scriptor ille hanc in Arsenio dignitatem fingere potuisset? Cur potius non hoc scripserit ille, antiquiori aliquo, minimeque dubio testimonio fretus? Nicephorus sane, cui Constantinopolitana bibliotheca patuit, lectorem provocat ad libros ab Arsenio relictos, et ad historiam, quæ de illo conscripta est (*f*), eaque legi a Metaphraste potuerunt. Neque vero rationes, quas Tillemontius affert, gravioris momenti sunt; siquidem minime necesse fuit, ut hæc Arsenii dignitas in veteribus martyrologiis, Patrumque Vitis exprimeretur, a quibus una dumtaxat ejus professio suspiciebatur monasticum scilicet institutum: quod autem vitæ genus paulo mollius, ac splendidius, cui se illum dedisse ferunt post suum ad aulam accessum, minime conveniat tum diaconi officio, tum pietati, quam Romæ præ se tulerat, hinc colligi poterit moribus aulæ fractum declinasse illum tantisper a pristina sanctitate: an vero hoc mirum, et insuetum? Cæterum quidquid horum sit, vides, lector, quam acris maturique judicii in deligendis viris Damasus fuerit. Theodosium vero laudaveris, quod Libanio, Themistioque neglecto, quos Arcadio præceptores dare poterat, Arsenium elegerit, velut qui probe sciret, doctrinam, cæteraque ornamenta a sincera pietate, ac religione sejuncta, principibus Reipublicæ admovendis obesse sæpius magis quam prodesse.

CAPUT XXIII.

I. *Damasi epistola ad* Orientales, *quo anno, quave occasione scripta sit, ac de Timotheo Apollinarista.* II. *De Symbolo in Actis Ephesinæ synodi, Nicæno concilio attributo.*

I. Hoc eodem anno scriptam a Damaso *ad Orientales* epistolam puto, quam a Theodoreto acceptam Epiphanius latine reddidit, *postremo* loco a me recensitam. Apollinaristæ enim et si ab eo pontifice semel atque iterum damnati fuerant, ut dixi, ac deinde a Constantinopolitana synodo, sese tamen, ut hæretici solent, in perfidia obfirmaverant, atque in ea disseminanda totis viribus allaborabant. Aiebant vero impudenter, se veluti rectæ fidei consentientes

(*a*) Quesnell. dissert. 14, n. 6.
(*b*) Vid. Pag. ad annum 362, n. 5; Nat. Alex. sec. IV, cap. 6, art. 14.
(*c*) In Append. Oper. Ambr., tom. II, p. 295.
(*d*) Adv. Lucif. cap. 9.
(*e*) Bar. ad ann. 380, n. 22.
(*f*) Lib. XII, cap. 23.

ab Occidentali Ecclesia susceptos esse, et nullam ex legibus, quæ adversus hæreticos promulgatæ fuerant obstare sibi quominus religioni vacarent, ac suæ sectæ dogmata prædicarent ubique. Hinc publicos colligebant cœtus, prophanasque agebant Synaxes, ac circuibant palam per Ægyptum, Syriam, Cappadociam, totumque Orientis tractum, mysteriorum suorum, aut ordinationum exercendarum causa, quæ fieri non poterant absque gravissimis Ecclesiarum bene constitutarum ac catholicorum episcoporum incommodis, ac molestiis, quas Nazianzenus Olympio tunc Cappadociæ præsidi enarrat hæc scribens (*a*) : *Præter alia omnia eo quoque audaciæ proruperunt, ut episcopos etiam quosdam, quibus dignitas ab universali Orientalium et Occidentalium synodo abrogata fuerat, accersentes, aut transeuntibus abutentes imperialibus omnibus constitutionibus, atque omnibus vestris edictis violatis, cuidam impii, et adulterini sui gregis* (Nazianzi scilicet) *episcopi nomen imposuerunt.*

Quamquam plures fuisse oportet deambulones illos pseudo-episcopos, paucorum nomina ad nos a Leontio transmissa sunt. At primas inter eos agebat partes Apollinario tunc defuncto, Timotheus ejus discipulus arcanorum omnium particeps, atque ingens jam sub eodem magistro Ecclesiæ turbo : nam quam aliam ob causam ejus potissimum damnationem Orientales a Damaso enixe efflagitassent, nisi quia ille unus omnium instar cum esset, eum nominatim damnari tanti interesse putaverunt? Hunc Berythi episcopum fuisse idem Leontius ait, quod tamen nullus eo auctore paulo antiquior asseruit. Hinc vereor ne ille subscriptionibus episcoporum, qui Constantinopolitano I concilio adfuerunt, deceptus sit, ac quod inter eos Timotheum Berythi legerit, unum pro alio acceperit : neque enim fieri potuisse videtur, virum hunc perditæ famæ, et gradu jam antea dejectum, sedisse inter catholicos præsules, ac sententiam præterea in Apollinarium suum dixisse, atque ideo illum inter eos potius numerandum puto, quos profane ordinatos Apollinarius huc illuc commeare jusserat, ut Ecclesias bene constitutas scinderent, quosque Basilius memorat, et sine populo, sine Clero obambulantes, ac nudum episcopi nomen circumferentes appellat (*b*). Timotheus autem iste semel atque iterum Romam venerat primo ante obitum Athanasii, a quo etiam commendatitias ad Damasum cum attulisset simulatæ tunc fidei reus, litteras in Orientem retulit suæ cum sede apostolica communionis testes, atque hujus primi ejus Romani itineris præter Leontium, Facundus Hermianensis meminit (*c*). Venit iterum Athanasio jam defuncto ab Apollinario missus, ut sectæ suæ negotia procuraret apud Romanum pontificem ; sed Apollinaristarum fraude tunc detecta, in concilio quod habitum fuisse dixi anno 376 aut altero ineunte, Petro Alexandrino præsente, *tum ipse damnatus est*, ut Leontius ait (*d*), *tum qui eum miserat Apollinarius* ; ex quo factum, ut longe obstinatiores, et audaciores nefarii homines evaserint, ut alibi diximus ; quamquam eodem tempore, quoad potuit, perseveraret ille se catholicum asserere, ac subdolis, captiosisque formulis simpliciores decipere, ut constat ex pseudo-Julii epistola ad Prosdocium, qua vix non assequitur, ut recte, ac cum Catholicis sentire videatur ; siquidem eam ipsi Timotheo Leontius adjudicat ; rejiciuntque viri docti Lequienius, Coustantius, ac Muratorius inter eas quas Apollinaristæ Julio papæ affinxerunt ; aliud etiam simulatæ ab eo religionis argumentum ducitur ex Polemii opere contra illum scripto, cujus apud Photium cod. 130 fragmentum superest, ubi Timotheus reprehenditur, quod esse se ex Apollinarii discipulis videri vellet, atque ea, quæ docuerat ille sentire, *quamquam binarium naturarum prædicaret, atque od Cappadocum dogma et Italorum arrogantiam accederet.*

Gregorius itaque Nazianzenus qui summum, quo tenebatur, religionis studium minime cum solio deposuerat, præter litteras ad Olympium Cappadociæ præsidem, alias dedit ad Nectarium Constantinopolis episcopum, rogavitque ut imperatorem adiret, moneretque, nihil Ecclesiæ rediturum ex ejus pietate utilitatis, si eam Apollinaristarum licentiam diutius valere permitteret ad rectæ fidei eversionem (*e*). Scripsit etiam Posthumiano PP. Orientis, petiitque, ut cum episcopi in regia urbe iteratam synodum celebraturi essent, Ecclesiarum paci ab hæreticis illis potissimum labefactatæ, pro ea summa, qua præfectus prætorio utebatur, auctoritate provideret, etiamsi asperius aliquid statuere necesse esset : has enim litteras agere constat, de synodo illa, quam Socrates et Sozomenus hoc anno a Theodosio convocatam scribunt (*f*), quia anno superiori Posthumianus nondum evectus ad Orientis præfecturam fuerat. Minime vero ego dubito, quin præterea Gregorius ad alios scripserit, ad amicos scilicet, probosque episcopos, ad eam synodum convocatos, et ad Nyssenum præcipue, quem concilio illi adfuisse scimus, ac habuisse orationem quæ de Abraham titulum præfert (*g*).

Videntur vero Nectarius, et qui Constantinopolim venerant Orientales episcopi, Nazianzeni monitis excitati, expostulavisse imperatoris opem, ac præterea scripsisse Romano pontifici ; responsio enim Damasi, quæ *episcopis Orientem gubernantibus* inscripta est, non obscure indicat plures ac simul collectos fuisse, qui communi nomine scripserant : quantum vero colligi ex eadem responsione potest, Orientales Damaso renuntiaverant, Timotheum præcipue jactare se, ac in vulgus spargere, aut se minime Romæ damnatum, aut iterum velut catholicum ad communionem admissum, eaque fraude ingens sanæ doctrinæ et Ec-

(*a*) Epist. 77.
(*b*) Epist. 265.
(*c*) Lib. VII, cap. 3.
(*d*) Adv. Fraud. Appoll. in fin.
(*e*) Nazianz. or. 46.
(*f*) Socr. lib. VII, cap. 10 ; Sozom, lib. VII, cap. 12.
(*g*) Oper. tom. I, p. 898.

clesiarum tranquillitati detrimentum in præsentia afferri, ac in posterum imminere, nisi illum a sede apostolica publici damnatum, ac rejectum fuisse Ecclesiis omnibus palam fieret.

Quis earum rerum eventus Constantinopoli fuerit aperte discimus ex l. 2 Cod. Theod. de Hæret. proposita die 4 Septembris hoc anno, et eidem Posthumiano inscripta. Hac enim cum cæteris hæreticis eo loco expressis, Theodosius *Apollinarianos*, quorum nulla in anteactis constitutionibus mentio fuerat, manifeste recenset, eosque vetat, ut Gregorius fieri oportere existimabat, ne collectas agant quoquomodo, nec Ecclesias constituant, neve adulterinas ordinationes habeant, atque ut a cœtibus, locisque omnibus a quibus extranei sunt, expellantur, et ad terras a quibus ortum traxerant amandentur, a quibus insuper vult ne umquam discedere iisdem liceat. Hanc synodum latamque ejus occasione legem Sozomenus memorat (*a*), eaque factum inquit alio loco (*b*), ut hæreticorum duces ex amœnioribus imperii Romani locis in squalidas ac desertas regiones deportati tunc fuerint, quos inter Timotheum numerandum puto, siquidem illum Byziam regum Thraciæ arcem, imperatoris jussu relegatum fuisse scimus (*c*).

Sed neque Damasum defuisse officio suo, hæc ejus ad Orientales epistola certiores nos facit. Hinc vero auctum est, adversus Gregorium et Damasum ipsum, cujus auctoritatem hæreticorum more, arrogantiæ loco habuerunt, Apollinaristarum odium, ut ex memorato Polemii fragmento vidimus, ac præterea colligimus ex iis quæ Eunomius Beroeæ in Thracia pseudo-episcopus scripta reliquit (*d*), quibus *Ægyptios, Cappadoces et Romanos* perstringere audet, eo quod duplicem naturam prædicarent, quam vesanus ille unam ex utraque compositam et contemperatam, ut Apollinarius deliraverat, esse asserebat.

II. Observandum modo est, in eadem Damasi epistola moneri Orientales ipsos, ut in fide a Nicæno concilio tradita immobiles perstent. An forte Apollinaristæ Nicænæ fidei repugnabant? Hoc profecto verissimum; Nicæni enim Patres ita *incarnatum* asserunt Christum Dominum, ut illum etiam *inhumanatum* statuant, id est hominem prodiisse in simili nostræ forma ac specie, anima ac mente minime carentem, ut explicat Chalcedonense concilium in allocutione ad Marcianum imperatorem: quod etiam docemur a Leone Magno, cum scripsit, id ipsum quod a Chalcedonensi concilio de Domini nostri incarnatione traditum fuerat, apud Nicæam etiam definitum antea fuisse (*e*). Hæc itaque est ratio, cur idem Damasus in priori ad Paulinum Antiochenum epistola, qua formulam præscripsit Apollinaristis, qui ad Ecclesiam revertebantur, recipiendis accommodatam, edixit primum atque iterum hic repetit, ut *Nicænæ fidei* subscriberent; atque hinc præterea intelligimus, cur Vigilius Tapsensis, postquam scripserat, Macedonium incusasse Alexandrinam synodum, quod a Patrum sententia recessisset, nova decernendo de Spiritu sancto, quæ a Nicæna fide tradita non fuerant, adjiciat statim, eadem quoque impietatis præscriptione contra Ecclesiam usum fuisse Apollinarium (*f*); nam cum negare non posset, quin Nicæna eadem synodus Verbum *inhumanatum* fuisse diceret, Ecclesia vero hujus vocis vim ita explicaret, ut Verbum humanam mentem, atque animam cum carne, ac totum perfectumque sine peccato hominem assumpsisse assereret, ac duas in una persona naturas perfecte unitas statueret, ejusque hæresim everteret, catholicam verissimamque interpretationem calumniatus ille est, perinde ac si aliquam Nicæno symbolo additionem induceret. Hoc deinde argumentum ab Apollinario magistro suo haustum adhibuit Eutyches delirus senex, cujus verba eodem loco Tapsensis affert: neque enim intelligere potuerunt, aut voluerunt vesana capita, quo pacto Christus Dominus in duabus et ex duabus naturis totus esse posset, atque una persona complecti, quidquid utrique naturæ unitæ convenit, quin duæ personæ, ac duo filii esse, ac dici deberent: hominem itaque factum Christum Dominum, eumque perfectum hominem confitebantur cum Nicænis Patribus, ita tamen ut duarum naturarum unionem sine commixtione rejicerent, velut nuper Nicænæ fidei additum dogma, ac Christum Dominum hominem dicerent, *divina* tantum *perfectione perfectum*, Verbo scilicet humanæ mentis supplente vices ad omnia, ut ait Leo Magnus, rationis officia (*g*). Quæ profecto cum ita sint, nulla est solida ratio, cur Valesius (*h*) et Pagius (*i*) magnum Baronium redarguant, qui eam fidei expositionem, quæ in græcis actis Ephesinæ synodi, Nicænis Patribus librariorum forte errore tribuitur (*j*), Latina veteri interpretatione usus, Antiocheno contra Paulum Samosatenum concilio adjudicaverit, putaveritque Eusebium dolo malo ac studio Ariani dogmatis in ea referenda versatum: quam deinde Baronii sententiam eruditi alii scriptores merito complexi sunt a Fabricio memorati (*k*), ac nuper etiam cl. Bencinus, qui illam sumptam existimat ex veteris ejusdem Antiochenæ synodi encyclicis litteris (*l*), nam cum ea fidei ecthesis Christum Dominum in duabus, et ex duabus naturis apertissime definiat, ac velut inconcussum dogma credendum proponat, non erat cur Apollinarius, ejusque asseclæ Catholicos criminarentur, quod nova Nicæno concilio decreta addidissent, si ea jam fides a Nicænis Patribus conscripta, ac proposita fuerat.

(*a*) Lib. VII, cap. 12.
(*b*) Lib. VI, cap. 26.
(*c*) Add. ad Aug. de Hær. in fin. tom. VIII Ven. edit.
(*d*) Lequien. dissert. 2. n. 21.
(*e*) Epist. 79. Lugd. edit.
(*f*) Cont. Eutych. lib. V.
(*g*) De Nativ. Serm. 8.
(*h*) Ad Euseb. lib. VII, cap. 30.
(*i*) Ad an. 272.
(*j*) Conc. Ven. edit. t. III, p. 1502.
(*k*) BBG. lib. VI. cap. 4, p. 363, t. XI.
(*l*) De lit. encyc., p. 272.

Videtur nonnullis mirum atque insuetum, quod Damasus episcopos, quibus scribit, *filiorum* vocabulo compellet. At hoc exemplo non caret, siquidem Athanasius, Diodorum Tyri *filium* vocat, et amantissimum sacerdotem : ac propterea hoc concedendum tum sedis dignitati, ob quam Ambrosius Siricium Damasi successorem, *parentem* vocat (*a*), tum charitati, qua idem pontifex eos in sinu suo gestare videri voluit ; tum grandævæ ejus ætati, cui tamen, si ad eam epistolam attendas, de consueta ingenii vi nihil interea decessisse videatur.

Hæc cum Romæ agerentur Gratiano die 25 Augusti defuncto, ac Maximo per tyrannidem imperium adepto, magna rerum mutatio facta est ; de qua tamen, majoris perspicuitatis, atque ordinis servandi gratia, agendum superest sequenti ac postremo Damasi pontificatus anno.

CAPUT XXIV.

384, Damasi pontificatus postremo, Clearcho et Richomere coss.

Damasi ad Valentinianum pro Symmacho litteræ ; de Prisciliano, et Burdigalensi synodo. Hujus pontificis obitus, depositionis locus, et elogia.

Hi consules postremum signant Damasi pontificatus annum : ejus siquidem tunc superstitis Ambrosius meminit in epistola ad Valentinianum contra Symmachum, cujus, cap. 20, verba attuli, ac Symmachus ipse tunc Urbis præfectus in litteris ad Theodosium, Valentinianum et Arcadium pro se scriptis (*b*) : hic enim delatus imperatoribus, quod prætextu inquirendi publicorum ornamentorum spoliatores, *Christianos ex Ecclesiæ penetralibus ad tormenta rapuisset ; ac de longinquis finitimisque urbibus antistites in vincula duxisset, tragicasque de ministris Ecclesiæ catholicæ quæstiones agitasset*, specie quidem mandatis imperatorum obsecuturus, at revera *fana* sua diruta, ac destructa *Christianæ legis injuriis vindicaturus*, ut se purgaret, Damasum innocentiæ suæ testem dedit, qui litteris Valentiniano datis significavit Christianos nullam omnino a præfecto contumeliam passos ; Symmachus addit, inter plures quos in custodia habebat variorum criminum reos, nullum fuisse repertum christianæ legis cultorem : quod viri ab ea religione alieni testimonium eorum temporum mores haud parum commendat.

Nunc ut ad annum elapsum revertamur, quin gravissimam Damaso molestiam attulisset Gratiani interitus, vix dubitaverit, qui secum reputet optimum illum principem ab eo pontifice filii loco habitum. Accesserat præterea ad ægritudinis cumulum fœda Ecclesiæ facies ob impia Priscillianistarum facinora. Hi enim corrupto Macedonio officiorum magistro, sedes a quibus ejecti fuerant iterum occupaverant, tractoque ad suas partes Volventio Hispaniarum proconsule, rerum domini effecti, catholicos aliquot episcopos ad fugam compulerant. Quamquam itaque Maximus, dum hæc agebantur, in Gallias penetrasset, Gratianum magna celeritate oppressisset, Gallias sibi ipsas, ac Hispanias adjunxisset, pontifex tamen ad eum minime scripsit, sive gravi casu perculsus, sive consilii inops et dubitans, ne Valentinianum Justinæ matris artibus in religione tunc nutantem, a Catholicis magis alienum faceret, atque ad Arianorum partes prorsus impelleret. Ex ejusdem igitur Maximi litteris ad Damasi successorem, non diu post usurpatum imperium datis intelligimus, Siricium ipsum primum in scribendo fuisse, ac novum principem ad catholicæ fidei defensionem cohortatum esse. Cum vero Maximus Siricio rescribens, se statim ac in Gallias advenit, religioni, quam sceleratorum labe pollutam deprehenderat, opem celeriter attulisse asserat, hinc merito viri docti conficiunt Burdigalense concilium ad annum 384 Damasique pontificatum referri oportere : cum enim non diu post Gratiani obitum Treviros Maximus victor ingressus sit, atque eum Ithacius episcopus illico accesserit, cum statim deinde collapsis Ecclesiæ rebus restituendis consilia, manumque admoverit Burdigalensis synodus, anno 385 convocari, eique omnes sequenti anno adesse commode potuerunt, Damaso nondum defuncto. Hinc ego vix dubito quin omnia ad illum relata de more fuerint ; at fractas senio, tristitia morboque vires in causa fuisse puto, cur hoc negocium successori expediendum reliquerit, quod Siricius statim ac pontificatum inlit, diligenter aggredi visus est, ut ex memoratis ad eum Maximi litteris a Baronio (*c*) productis constat ; quas, ut obiter dicam, si quis attente legat, videatque Priscillianistarum *scelera non argumentis, neque suspicionibus dubiis, vel incertis, sed ipsorum confessionibus inter judicia prolatis* in aperto posita, eaque in gestis ad eumdem pontificem transmissis exposita ; si quis etiam omnes, eorum temporum historias consulat, secum profecto statuet, quam leviter, ne dicam temere, Beausobrius eam hominum fæcem, turpemque eorum causam defendendam susceperit ; dignum prorsus patella operculum (*d*) ; sed jam ad finem pergo.

Damasus itaque post 18 in pontificatu exactos annos, menses duos, ac dies decem, *prope octogenarius*, ut Hieronymus ait (*e*), rebus humanis ereptus est, die scilicet 10 Decembris, qua vetustissima kalendaria ejus depositionem collocant. *Sepultus fuit juxta matrem suam ac germanam in basilica a se excitata, via Ardeatina in Catacumbis ;* cum vero locum ipsum, viris clarissimis Boldetto et Marangonio facem præferentibus, quasi digito ostenderit illustrissimus Æsinus episcopus, eoque lectorem non sine multa voluptate manu ducat (*f*), ego plura non addam.

(*a*) Epist. 85.
(*b*) Lib. x, epist. 34.
(*c*) Ad ann. 387, n. 65.
(*d*) Dissert. de Præadam. apud Lenfant, Histor. du Concil. de Basil.
(*e*) De S. E., cap. 108.
(*f*) Lib. i, cap. 8.

Quamquam cum idem cl. Marangonus rem totam narraverit iterum in *Commentariis ad Chronologiam Romanorum pontificum ex picturis Ostiensis basilicæ superstitem*, quæ nuper prodierunt; ejus ipsius verbis velut futuram lectori jucundiorem, descriptam dabo: *Qui etiam sepultus est via Ardeatina in basilica sua, juxta matrem suam et germanam . . . Situm ejusdem basilicæ inter cæmeterium Callixti, seu Prætextati, et viam Ardeatinam, putamus nos detexisse anno 1756, una cum sepulcris tum etiam matris atque sororis. Cum enim anno ipso fossores eminentissimi cardinalis vicarii sub custode Marco Antonio Baldethò in ea parte cæmeterii operi incumberent, sub vinea tunc Margaritæ Bellotti sita inter viam Appiam, et Ardeatinam, invenerunt sarcophagum marmoreum ex candidissimo Pario lapide figuræ ovalis, palmorum fere 14 longitudinis, sex altitudinis, latum quinque, cujus prospectus spiralibus undis in fronte exornatus erat, et utrinque desinens in prægrandis formæ duos leones affabre sculptos. Ex hoc jamdiu corpus diligenter extractum fuisse apparebat, sed coopertum tamen erat prægrandi, sed diversi generis marmore effracto, quo super erecta fuerat fabrica lateritia, quæ pertingebat usque ad superiorem partem cubiculi: juxta vero sarcophagum in superiori parte aderat janua parva, per quam patebat aditus in non admodum amplum cubiculum, XV fere passuum latitudinis, totidemque longitudinis et altitudinis; in cujus fronte aderat alter simplex marmoreus sarcophagus, siculi in latere similis formæ alius, qui pariter vacui reperti sunt. Post pancos etiam dies non longe ab ipso mausoleo reperta fuit quædam ampla scala, seu descensus, per quem ipsummet vas marmoreum introductum olim fuit in cæmeterium. Hisce attente consideratis in animo fuit nobis explorare quodnam in superiori parte hujus loci adesset ædificium, quod fulciretur eo muro, seu columna structili constituta supra grande illud marmoreum sepulcrum; unde reperimus adesse antiquam formam Ecclesiæ longitudinis palmorum fere 60, in cujus parte septemtrionali exstant tres absidæ circulares; unde dignoscitur eam olim exstitisse Ecclesiam, quæ locum superiorem tum cubiculi inferioris, tum sarcophagi occupabat: insuper cognovimus illam fuisse olim depictam ex quibusdam residuis coloribus, qui adhuc supersunt. Ex his igitur probabilibus conjecturis judicavimus hanc esse potuisse basilicam S. Damasi, sub qua S. pontifex matrem, sororemque defunctas sepelivit in supra memorato cubiculo cæmeterii, juxta quas et ipse sepeliri voluit in ea parte cæmeterii, quæ postea Damasi appellata fuit, prope viam Ardeatinam.* Baronius epitaphium profert ex pervetusto codice Trevirensis bibliothecæ a Browero exscriptum, quod sibi ipsi, si codici fides, Damasus fecerat. Illud iterum Sirmondus inter opera Theodulphi Aurelianensis lib. II, carm. 14, *in obitu Damasi* inscriptum, ac postremo Sarazanius edidit: quod tamen an revera tumulo incisum fuerit, nunc incerta A res est, amisso scilicet, dissectoque superiori lapide sarcophagi, in quo eum pontificem depositum fuisse conjiciunt viri illi clarissimi. Vaticanæ Ecclesiæ codex, cupientem dissolvi, *febri correptum*, sumpto corpore et sanguine Domini, elevatisque in cœlum oculis ac manibus orantem obiisse illum refert, quæ forte est causa, cur eum febricitantes patronum aliquando elegerint (*a*). Hujus sanctissimi, ac sapientissimi pontificis in tuenda catholica fide constantiam, in moribus integritatem erga pauperes oppressosque episcopos misericordiam, atque humanitatem, christianam humilitatem, doctrinam, sacrorum ædificiorum curam, aliasque præclaras virtutes, allatis per Sarazanium ac P. Constantium Græcorum ac Latinorum Patrum testimonia, ac ejus præterea quæ supersunt scripta, ita commendant, ut frustra sint omnes antiquorum, ac recentium hæreticorum adversus illum calumniæ. C. XXV.

§ I. — Damasi scripta referuntur. Cur Marius Mercator Bonosum ab eo Pontifice *præadmonitum* dixerit; an Bonosiaci Photiniani fuerint, an ejus tantum hæresis suspecti habiti sint?

Hieronymus inter scriptores ecclesiasticos Damaso locum dedit, ejusque elegans in versibus componendis ingenium, multaque in eo genere opuscula laudat (*b*). Alio loco memorat quæ *de Virginitate*, metro prosaque composuerat, Eustochiumque monet ut ea legat non secus ac Tertulliani, Cypriani et Ambrosii scripta (*c*). Hæc opuscula Baronius Ireni sorori ab eodem inscripta fuisse putat, quod tum præterea acta ejusdem virginis a Bollando producta, tametsi haud magni ponderis sint, confirmant (*d*). Eginhartus, cujus alio loco testimonium attuli, acta SS. Petri et Marcellini ab eo pontifice ad nos transmissa asserit; sed quæ nunc apud Surium, et Bollandianos ad diem 2 Junii referuntur, alium auctorem habent. Quia vero in actis ipsis legimus Dorotheum, a quo SS. martyres percussi fuerant, pœnitentia peracta ad baptismum admissum sub Julio, qui Pontificatum iniit anno 337; videri posset, Damasum pubertatem egressum ac plus minus triginta annorum fuisse, cum ea scripsit, secus ac ipse de se et Eginhartus sit (*e*); at cum fieri facile possit, ut Dorotheus ille, seu coactè, seu sponte per plures annos inter catechumenos manserit, sua proinde tum actis, quæ Tillemontius et Bailletus frustra sollicitant, ac cl. Mazochius egregiis notis illustrat (*f*), tum Damasi dictis fides constat. Oldoinus huic præterea pontifici adscribit *de Fide contra hæreticos librum unum, ac de Trinitate libellum unum*, quem ms. Verderius, et Possevinus Constantinopoli vidisse ajunt. At enim *de Fide contra hæreticos* librum, illum ipsum fuisse puto quem Tritheimius etiam indicat, alterum scilicet ad Paulinum epistolam, de qua a me actum est cap. 18. Libellus vero de *Trinitate*, aliud fortassis non est quam symbolum Damasi nomine sæpe inscriptum, de quo mox dicam.

(*a*) Fonsec. lib. I, cap. 16.
(*b*) De S. E. cap. 103.
(*c*) Epist. 22. n. 12, Ver. edit.
(*d*) Ad diem 28 Febr., tom. III.
(*e*) Vid. cap. I.
(*f*) Ad Kalend. Neapol. 11 Junii.

Ex iis tamen, quæ supersunt fragmentis, liquido constat, huic egregio pontifici, nec ingenii, nec judicii, nec doctrinæ præsidium defuisse, neque immerito cum Ambrosio et Cypriano, a Theodoreto ejusdem *doctrinæ gratia* comparari (*a*).

Cæterum, quamquam ille gravissimis Ecclesiæ universæ expediendis negotiis occupatus haud multa, et præter necessitatem scripserit, in causa tamen fuit, et plura Hieronymi opuscula, quibus forte caruissemus, a nobis possideantur, ut sunt *tractatus de Seraphim, binæ Origenis homiliæ in Cantica Canticorum, liber Didymi de Spiritu sancto, ac de perpetua B. M. virginitate* contra Helvidium, quem ab eo pontifice lectum antea probatumque Hieronymus ipse innuit in litteris ad Pammachium (*b*). Helvidius ipse tunc præterea ab eo pontifice videtur ejectus ab Ecclesia fuisse, siquidem *Marius Mercator Bonosum a Damaso prædamnatum* scripsit, in Helvidio scilicet, ut ego conjicio: enim vero Bonosum ob eam quam Helvidius professus fuerat, hæresim a Siricio reprehensum constat epistola ad Anisium Thessalonicensem, quam Ambrosio pridem inscriptam, Holstenius huic pontifici restituit (*c*). Me non latet, Mercatorem ipsum scribere, *Bonosum*, Ebionis, Pauli Samosateni, ac Photini exsecratum dogma secutum esse; Gelasium præterea, ac Arelatensis II concilii Patres, *Bonosiacos* eodem cum Photinianis ac Paulinavistis errore abreptos asserere. At hoc factum, quia cum ii perpetuam B. M. virginitatem cum Helvidio negarent, merito in suspicionem venerant, de non servata in ipso etiam partu integritate ipsius Deiparæ, eoque ex capite cum Photino et Ario facere videbantur, ac Deum puri hominis loco habere, ex quadam dumtaxat nefarii dogmatis consecutione. Hoc innuit Siricius ipse cum eos, ait, qui hoc adstruunt, aliud nihil adstruere, quam *Judæorum perfidiam*; atque hæc præterea est ratio, cur Ambrosius, cum perpetua B. M. integritate adversus Bonosum ipsum, Filii quoque divinitatem defendendam suscepit (*d*), optimo scilicet, sapientique consilio advertens, quam hæc duo inter se arcte conjuncta, ac colligata sint; atque hinc præterea factum, ut Arelatensis II synodus, quæ Photinianos et Bonosiacos *ex eodem errore venientes* dixerat, illos ad Ecclesiam redeuntes *baptizari*, hos vero veluti jure suspectos, *si interrogati fidem nostram ex toto corde confessi fuerint, cum chrismate, et manuum impositione*, Can. 17 et 18, *recipiendos* statuerit; sed iterum ad rem.

Ut Damaso hos Hieronymi tractatus, ita Hieronymo debemus binas Damasi epistolas, quas ille inter suas servavit integras, atque ejus præterea, quæ est de *Filio luxurioso et frugi*, partem. Quæ integræ supersunt suo loco recensui. Postremæ vero, quæ periit, eam quam Hieronymus retinuit, ut Damasi propriam, hoc loco partem affero (*e*). *Ais quis est iste in Evangelio pater, qui duobus filiis substantiam dividit? Qui duo sint filii, qui major, sive minor? Quomodo minor acceptam substantiam cum meretricibus dissipat? Fame facta a principe regionis præponitur porcis, siliquas comedit, ad patrem redit, accipit anulum et stolam, et immolatur ei vitulus saginatus? Quis sit major frater, et quomodo de agro veniens susceptioni fratris invideat? Et cætera quæ in Evangelio planius explicantur. Addis insuper, Scio multos in hac lectione diversa dixisse, et fratrem majorem Judæum, minorem existimasse Gentilium populum; sed quæro, quomodo Judaico populo possit aptari:* Ecce tot annis servivi tibi, et numquam mandatum tuum præterii, et numquam dedisti mihi hædum, ut cum amicis meis epularer; *et illud*, Fili, tu mecum semper es, et omnia mea tua sunt: *si autem, ut ais, de justo et peccatore volverimus esse parabolam, justo non poterit convenire, ut de salute alterius et maxime fratris contristetur.* Quid vero ad hæc proposita dubia Hieronymus responderit, ex eadem epistola cupido lectori constare poterit. Aliæ circumferuntur Damasi ejusdem ad Hieronymum, et Hieronymi ad Damasum epistolæ; sed quin utrique falso adscriptæ sint vix est qui dubitet. Ejusdem etiam generis sunt, quas hujus pontificis nomine ad *Stephanum archiepiscopum et concilia Aphricæ*, ad *Prosperum Numidiæ primæ sedis episcopum*, *ad episcopos Italiæ*, *et Aurelio episcopo*, Sarazanius edidit numero 8, 9, 11 et 12. Hinc Petrus Constantius merito eas omnes rejicit a numero epistolarum Damasi a se editarum, cujus ego aliorumque judicium secutus, illas dumtaxat, quæ certæ prorsus, et minime dubiæ fidei sunt, retinui.

At fructum præcipuum, quem hujus pontificis in sacras litteras studium ab Hieronymo obtinuit, ego facile collocaverim in novi Testamenti ad Græcos codices, et Psalterii juxta LXX castigatione. Quid in novi Testamenti emendatione præstiterit Hieronymus, explicat ipse in præfatione ad eumdem Damasum, ex qua præterea colligimus, quæ fuerit, et quanta consilii ab eodem capti necessitas et utilitas. Psalterium vero, cujus ipse S. Pater meminit in epistola ad Paulam, et Eustochium, illud ipsum esse creditur, quo una dumtaxat Vaticana basilica nunc utitur, Romanum deinde appellatum, quod ab initio esset Romani cleri proprium, eique a Damaso traditum: hinc idem Hieronymus adversus Rufinum ait, *Psalterium quoque certe emendatissimum juxta* LXX *interpretes nostro labore, Roma suscepit*, Damasi nempe jussu, quem præterea hac accepta occasione *divinam*, ut Anastasius ait, *ordinasse psalmodiam*, putant viri docti, recto scilicet psallendi per Urbis ecclesias ordine constituto. Huic deinde illud successit, quod S. Pater Bethlhemi positus ex Hebræis fontibus vertit, ac ubique præterquam in Vaticana eadem basilica postremo obtinuit; qua tamen de re, ne quid ego amplius addam, fecit labore suo vir cl. abbas Antonius Martinettus ejusdem basilicæ presby-

(*a*) Epist. 146, Oper. tom. III.
(*b*) Epist. 48, Ver. edit.
(*c*) Coll. Rom. p. 1, p. 189.
(*d*) De Justit. Virg. cap. 5 ad 12.
(*e*) Vid. epist. 21, Ver. edit.

ter beneficiatus, singulari eruditaque dissertatione de *Romano Psalterio* inscripta, quam te, si lubeat, consuluisse non pigebit.

Sed hæc, quæ ego attigi, juvat nunc in *gestis* ejusdem Damasi ex archivio Vaticanæ ipsius ecclesiæ uberius expressa referre : *Sciens virum* (sanctum Hieronymum) *in omnium diversitate linguarum sufficienter instructum, cœpit eum ad explanationem divinarum Scripturarum impellere, et quæstionibus difficillimis pulsare. At ille libenter obediens, multa posteris profutura ejus nomini dedicavit, quorum quædam inter ejus epistolas continentur, ut sunt solutiones quarumdam quæstionum libri Genesis, homiliæ in Canticum canticorum, de Hosanna liber unus, de morte Oziæ, de Seraphim et Calculo liber unus, et de Prodigo filio liber unus. Seriem quoque quatuor Evangeliorum, diversorum arbitrio confusam ad rectam lineam ejus jussione reduxit, sed et psalterium juxta* LXX *interpretes de Græco transtulit in Latinum, cujus postea merum veritatem non ex aliarum linguarum rivis turbidis, sed ex ipsa fontis Hebraici puritate transfudit. Quæ quidem translatio, licet in ecclesiis non canletur, usu pristino prævalente, ad evitandam tamen Hebræorum illusionem multum prodest. Epistolarum autem ejus ad eumdem incertus est numerus, nec scientiæ nostræ præ multitudine subjacet : quod utique volens innuere vir ille doctissimus, in quodam loco sic ait : B. M. Damasus meus sermo erat, et in Apologetico ad Pammachium, quam sapiens fuerit beatus Damasus, quam pudicus sic commemorat : dum adviveret S. M. Damasus, librum contra Helvidium de B. Mariæ virginitate perpetua scripsimus, in quo necesse nobis fuit ad virginitatis beatitudinem præferendam, multa de molestiis dicere nuptiarum : num vir egregius, et eruditus in Scripturis, virgo virginis Ecclesiæ doctor aliquid in illo sermone reprehendit? Sed et beatus Damasus plures luculento stylo scripsit epistolas, quarum quædam inter epistolas Hieronymi continentur. Scripsit et passionem SS. Marcellini, et Petri, quam sibi eorumdem spiculatorem in sua adolescentia asserit tradidisse. Librum quoque de laude Virginitatis versu prosaque composuit, sed et summam quorumdam voluminum, tam Novi Testamenti, quam Veteris, hexametris versibus composuit.*

Sarazanius operibus a se editis addidit acta Damasi, seu potius lectionaria, quæ ex Vallicellianæ et Vaticanæ Ecclesiæ archivio Baronius sæpe memorat; at ex iis, si pauca excipias, quæ suo loco ego minime neglexi, vix colligas unde diuturni hujus pontificatus atque eorum temporum historiam illustrare possis; atque hinc conjicio acta ista ætatis esse a Damaso longissime remotæ, atque ob eam causam censui illa omitti sine dispendio posse. Hoc tamen dumtaxat te monitum volui, *Vitæ Damasi*, quam Sarazanius primo loco impressam dedit, initium deesse, quod ego ex antiquo Vaticano cod. olim S. Mariæ Rotundæ, ut Holstenius annotat, exscriptum, in Barberinam BB. illatum, tibi sistendum hoc loco censui, ut dijudices quanta ejus etiam auctoritas esse posse videatur.

(*a*) De Proc. Sp. S., sect. VII.
(*b*) Contr. Hotting., cap. 20.

Vita et actus B. Damasi papæ.

Imperante Constantio filio Magni Constantini, Liberius urbis Romæ præsidebat episcopus, qui mira quidem sapientia et virtutibus tempore quodam enituit, ita quidem ut Constantinum Christiani nominis inimicum publice redargueret, asserens eum post Christianæ professionis susceptionem, famulis omnipotentis Dei emolumenta non incommoda conferre debere : unde iratus Constantinus eum quasi in exsilium deportari præcepit extra civitatem, et habitavit extra milliario tertio in cœmeterio, quod dicitur Noellæ via Salaria. Sed humani generis inimicus sensum Liberii commutavit, adeo ut hæresi Constantii consentiret : fuerat namque Constantius rebaptizatus ab Eusebio Nicomediensi in Aquilone, villa in Arianorum dogmate, sed, Domino Ecclesiæ providente pacem, in Nicomedia *mortuus est, et cessavit persecutio. Regnante autem Valentiniano*, etc.

Præter hæc duplex circumfertur Damasi nomine inscriptum Symbolum, particulam *Filioque* exprimens. Alterum illud est, quod Hieronymo etiam attribuunt mss. aliquot codices. Alterum vero in Florentini concilii disputationibus coll. 25 et a Gennadio prolatum est (*a*). Primum tum Hieronymo, tum Damaso abjudicant critici ob eam potissimum rationem, quod additio ejus particulæ recentioris ætatis est; quæ tamen ratio haud decretoria profecto est, quia cum ea fuerit eorum etiam temporum fides, ut ex Hieronymi ipsius, Ambrosii, Hilarii, aliorumque Patrum scriptis liquet, nihil prohibet, judice Allatio (*b*), quin Damasus in privata suæ fidei ecthesi ea formula uti potuerit, quæ præterea ejus ætatem sapit, et a scriptoribus octavi sæculi laudata est. Alterum quod in concilii Florentini disputationibus laudatum dixi, majorique in pretio videtur haberi a Lequienio, veluti ex antiquissimo exemplari productum (*c*), aliud nihil est, quam pars libelli, qui inter Augustini opera legitur, in Toletani concilii calce cap. 40, quamquam codex hic particula illa, *Filioque*, careat. Mihi vero in tanta codicum atque opinionum varietate, cum etiam illud mecum reputarem parum inde laudis aut accessurum, aut Damaso decessurum, præterquam quod nullæ in utramque partem satis validæ rationes, sed leves tantum conjecturæ afferri possint, nihil statuere visum est. Nihil etiam attinet de *Pontificali* verba facere, quem Damaso, cujus falso fert nomen, eruditi omnes abjudicant : quod vero ad Bucherianum catalogum spectat, qui in Liberio nondum e vivis sublato desinere videtur, quamquam nulla est causa cur ab eodem Damaso tunc diacono scriptus esse non possit, ut nonnulli censent, ita etiam nulla est certa ratio cur hoc ab eo factum dicamus : quamobrem ad alia ejusdem scripta progredior.

(*c*) Dissert. 1, Damas. cap.

§ II. — Multa Damasus scripsit, quæ periisse constat; ex iis quæ supersunt, epigrammata aliquot illustrantur; alia pauca Damaso eidem vindicantur, alia appendicis loco referuntur.

Carminum quæ Damasus composuit, ut de iis etiam pauca dicam, major pars amissa periit, siquidem ea desunt quæ de Virginitate scripsit, et in Vetus et Novum Testamentum. Præterea neque omnia habemus, quibus ornavit memorias martyrum, ut ex hoc Vigilii papæ testimonio constat.

De SS. martyribus Vitali, Martiali et Alexandro.

Dum peritura Gethæ posuissent castra sub Urbem,
Moverunt sanctis bella nefanda prius.
Tolaque sacrilego verterunt corde sepulcra,
Martyribus quondam rite sacrata piis.
Quos monstrante Deo Damasus sibi papa probatos,
Affixo monuit carmine jure coli.
Sed periit tutulus, confracto marmore, sanctus,
Nec tamen his iterum posse latere fuit.
Diruta Vigilius nam posthæc papa gemiscens,
Hostibus expulsis, omne novavit opus.

Quin igitur ob eamdem causam atque eodem naufragio alia multa lapidibus incisa perierint, ego minime dubito, atque illud præ cæteris, quod inscripsisse debuit Alexandri episcopi et fortissimi martyris sepulcro, siquidem illum vigesimo milliario a via Claudia ad Urbem ab eodem pontifice translatum : ac in nova Crypta reconditum memorat Adonis Martyrologium ad diem 26 novembris : immo vero ea ipsa, quæ superfuerunt, ac nunc possidemus variis temporibus, ac locis detecta, atque hinc inde paulatim collecta fuisse constat. Nam quæ priora lucem viderunt, inter christianos poetas ab Aldo editos Venetiis 1502, in-4°, ac rursus per Georgium Fabricium Basileæ 1562, paucissima sunt. Tum deinde paulo auctiora prodierunt in veterum poetarum corpore Genevæ 1611, 2 vol. in-4° ; et Londini 1713, in-fol. At omnium diligentiam superavit Martius Milesius Sarazanius Romæ 1638, qua ego editione utor. Hic enim tum ea retinuit quæ publicam lucem jam conspexerant, tum plura alia addidit quæ numerum quadragenarium complent; nam quæ in anteactis editionibus legebantur, hæc sunt dumtaxat : 1° de Paulo apostolo, 2° de Agnete, 3° de eadem, 4° de Andrea apostolo, 5° de Agatha, 6° de Felice, 7° de Nomine Jesu, 8° de eodem, 9° de Christo, 10° de Ascensione Christi, 11° de cognomentis Salvatoris ; quamquam Sarazanius, qui hæc ex Baronio et ex Palatinis membranis a Grutero editis fere omnia accepit, alia duo iis adjicere potuisset, quæ cum Damasum, nisi ego fallor, auctorem habeant, collegi ego, ne diutius a cæteris divulsa, ac sine patre essent.

In his autem recensendis ordinem ab eodem Sarazanio servatum paululum immutavi. Nam, quod ille non tanti esse putavit, ut faceret, ego primum iis, qui in *laudem Davidis* sunt, versibus locum dedi, quod profecto hexametrum carmen unum forte ex iis superest, quæ Damasus *in Vetus* A *Testamentum* composuit : tum ea locavi quæ de Deo sunt, de SS. Apostolis deinde, ac Romanis pontificibus. Transeo deinde ad martyres, ac primo loco Laurentium recenseo, velut illum quem Damasus præcipue coluit, ac cæteros deinde ; postremo vero illas, quæ supersunt, inscriptiones colloco : sed prius de iis lectorem nonnulla monitum volo, quæ tum carminibus ipsis, tum ecclesiasticæ historiæ lucem aliquam affundere posse existimavi ne prolixior in notis deinceps sim.

I. Carmen itaque de *Christo Servatore*, inter opera el. Claudiani etiam impressum legitur, quem propterea Christianum fuisse Barthius opinatus est : at quoniam Vossius et Colomesius ad Giraldum, Damasi nomen in quibusdam mss. præferre asserit, ac Damaso præterea attribuit del Rio in B calce conjecturarum ad Claudianum (*a*), ego etiam quidquid Sarazanius dubitet, Damaso asserui : nam quin Claudianus alter, Mamercus scilicet, ejusdem auctor videri possit, faciunt postremi hi versiculi :

..... Mox æthereas evectus in auras,
Purgata reparans lætum te luce, Parentem
Augustum foveas festis ut sæpe diebus
Annua sinceri celebret jejunia sacri.

Si enim rationem temporum tecum ineas, vix statuas, cuinam ex imperatoribus, qui cum Mamercus scriberet ac floreret rerum potiti sunt, aptari illi commode possint. Hinc vero colligas, quam vetus mos ille fuerit, cujus in Marculphi formulis mentio est, ut episcopi in solemnioribus anni celebritatibus missis ad reges litteris fausta omnia apprecarentur.

C II. Quæ de Apostolis agunt, tria sunt. Primum, quod *de S. Paulo* inscribitur, atque illud, ex iis forte unum, quæ *ad Novum Testamentum* pertinent, ven. card. Thomasius in Hymnario, cani solitum fuisse notat in ejusdem apostoli conversione, postremis duobus omissis versiculis. Alterum, quod de *S. Andrea* est, an Damasum auctorem habeat Sarazanius ambigit, nulla, ut mihi videtur, de causa, siquidem in omnibus ejus operum editionibus legitur ; atque illud etiam cani alicubi consuevisse colligimus ex veteri Mozarabica liturgia, quam Josephus Blanchinus vir clarissimus edidit, addita dumtaxat ad usum chori doxologia.

III. Postremum, quod ad Apostolos attinet, Catacumbis ad S. Sebastianum, ubi sacra Petri et Pauli D corpora jacuerunt, inscriptum legebatur, atque hoc illustre Damasi testimonium, si cætera deessent, eos revincit manifesto, quibus ea de re incertus adhuc animus esse posset. Cæterum quo tempore eadem sacra pignora ad *Catacumbas* allata, ac iterum inde accepta, antiquæ primæque sedi restituta fuerint, obscura et perplexa res est. Consule, si placet, præsules eruditissimos Blanchinum et Vignolium in notis ad Cornelium, cui Anastasius hanc laudem attribuit ac Romam subterraneam viri clar. Bottarii alterius ex Vaticanæ bibliothecæ custodibus (*b*) ; si vero causam quæris, cur tam-

(*a*) Fabr. BB. Lat., lib. III, cap. 13, p. 125, tom. II, Ven. edit.

(*b*) Tom. I, p. 31.

diu in *Catacumbis* fuerint, Gregorius Magnus hanc attulit : *De corporibus vero BB. AA. quid ego dicturus sum, dum constat quia, eo tempore quo passi sunt, ex Oriente Fideles venerunt, qui eorum corpora sicut civium suorum repeterent, quæ ducta usque ad secundum ab urbe milliarium in loco, qui dicitur ad Catacumbas, collocata sunt : dum exinde levare omnis eorum multitudo conveniens niteretur, ita eos vis tonitrui atque fulguris nimio metu terruit atque dispersit, ut alia denuo nullatenus attentare præsumerent* (*a*). Addit sacra hæc pignora a Romanis deinde levata, ac prioribus in locis recondita, sed nec tempus exprimit, nec quo auctore id factum. Hoc ipsum itaque, quod Gregorius aperte explicat, Damasus haud obscure indicat, cum ait :

Discipulos Oriens misit, quod sponte fatemur,
Roma suos potius meruit defendere cives.

Me non latet, narrationem hanc prostare etiam in Actis Petri, a Florentino Marcelli cujusdam nomine, ac deinde a Fabricio inter apocrypha Novi Testamenti scripta editis, in quibus præterea adjicitur sacra corpora novemdecim mensium spatio in Catacumbis jacuisse, quod Gregorius Magnus siluit. Sed ego ob eam impostoris audaciam non inducar, ut apertum hoc et antiquissimum ea de re Damasi testimonium inter incertas traditiones, sive ut Pearsono placuit, inter fabellas rejiciam. Primo enim existimo, quæ pseudo-Marcellus de sacris AA. corporibus sub Actorum finem narrat, pannum esse recentius iis assutum : siquidem pseudo-Abdias, falsarius alter, quamquam Petrum a *Marcello* discipulo e cruce depositum, ac in Vaticano sepultum scribat, hac tamen de re ne verbum quidem habet : suspicor autem additamentum hoc sumptum ex historia, quam Carolo Magno regnante in Gallicanis ecclesiis Mabillonius lectam probat (*b*), atque actis illis deinde insertam; atque hoc, ut ego jure suspicer, facit idem utrobique expressum spatium temporis, quo AA. corpora in *Catacumbis* jacuisse dicuntur, novemdecim scilicet mensium : deinde pseudo-Marcellum illum, aut Damaso, aut Gregorio Magno nemo antiquiorem dixerit, ut viri illi gravissimi sua ex impuro hoc fonte hausisse videri possint : quin potius in eo figmento tantam prodit impostor ille Romanarum rerum inscitiam, tantam præterea styli crassitiem, ut nedum Damasi aliorumque ejus sæculi Patrum ætatem æquare, sed ne sequiora quidem tempora excedere videatur ; unde fit, ut ille ex probatis potius, confirmatisque traditionibus veri aliquid acceperit, quo suas incrustaret fabulas. Sed de his satis. Ejusdem Prætextati cœmeterii vestibulo inscriptum fuerat carmen aliud de *Sepulcro suo* dictum, quod huic propterea conjunximus : quos autem eo carmine præter Sixtum ejusque socios Damasus exprimat, incertum est. Cinsildensis monachus a Mabillonio editus, ubi Sixtum, ibi Fabianum, Anterum et Miltiadem collocat : Malmesburiensis, Stephanum, Zephyrinum, Eusebium, Eutychianum, Dionysium, Pontianum, ac Lucium addit, quorum alii martyrio coronati fuerant, alii *in pace* obierant, ac *proceres et sacerdotes* summi fuerant, atque ideo præ cæteris indicati eo loco videri possunt.

IV. Quæ ad Romanos pontifices carmina attinent, quatuor sunt, iisque Stephanus, Marcellus, Eusebius et Marcus laudantur. Quæ de Marcello et Marco agunt, Baronius ac Sarazanius jam produxerant : quamobrem alia duo nunc primum sub ejusdem Damasi nomine, atque inter ejus scripta prodeunt. Certe epigramma primum, quin illum pontificem auctorem habeat, vix me dubitare sinit tum stylus, tum prior ille versiculus, qui Damaso sæpe placuit, atque aliis in locis legitur. Eo vero Stephanum papam ac martyrem designari facile deprehendet, qui cum Actis conferat a Baronio productis (*c*). Hic siquidem cum christianos in cœmeterio Callixti congregatos ad martyrium fortiter tolerandum cohortaretur, a militibus eo immissis *in sua sede decollatus est*, atque eodem loco sepultus a suis, illæsis tunc dimissis, atque orbitatem dolentibus, ex quo conjici potest, Stephanum sub Valeriano passum, qui in *episcopos, presbyteros et diaconos* potissimum, gladio *incontinenter* animadverti *jusserat* (*d*). Eam itaque *sedem* sanguine respersam, eodem in cœmeterio diu servatam, ineunte hoc sæculo ab Innocentio XII, Cosimo III, magno Etruriæ duci dono datam, ac Pisas translatam, collocatamque in ecclesia charissimi Equitum Ordinis sub ejus papæ et martyris nomine, describit Damasus cum ait :

Hic positus rector cœlestia jussa docebam.

Siquidem, ut Augustinus ait, *sedens Dominus docet quod pertinet ad magisterii dignitatem* (*e*) : atque hinc colligas Actorum illorum fidem, quod saltem ad genus martyrii attinet, a criticis intemperantioribus temere ac frustra sollicitatam. In eodem Palatino codice legitur epigramma de Nemesio martyre, de quo in eisdem Actis sermo. An vero Damasum auctorem habeat, ego non assero : illud tamen iterum affero, tum ut eorum Actorum fides magis constet, tum præterea, ut videas, quantam in iis describendis epigrammatis incuriam collector attulerit :

Martyris hic Nemesi sedes per sæcula floret,
Serior ornatu, nobilior merito.
Incultamque pridem dubitatio longa reliquit,
Sed tenuit virtus, asseruitque fidem.
Effera quem rabies neglecto jure sepulcri,
Sanctorum tumulos, præda furentis erat.

Postremi enim hi duo versiculi leguntur etiam in eo carmine quo Chrysanthus et Daria laudantur.

V. Ex Marcelli papæ et martyris inscriptione discimus, cœptam sub Cornelio de lapsis recipiendis controversiam, licet confectam tunc et definitam ob eorum, qui deinde ceciderant, proterviam iterum excitatam sub eo pontifice ; atque ex sequenti carmine,

(*a*) Oper. tom. II, reg. 4, ep. 30, juxt. BB.
(*b*) Apud Tillem. de Petr., art. 3.
(*c*) Vid. Notas.
(*d*) Cyprian. ep. LXXXII.
(*e*) Lib. I, de serm. Dom. in Mont. Vid. Bonar. Vetr., p. 102.

ad Eusebii etiam successoris ætatem protractam atque ampliatam ; siquidem uterque a tyranno in exsilium pulsus est, ob apostolicam in servanda Ecclesiæ disciplina constantiam. Intelligimus etiam, cur idem Marcellus *Titulos* 25 *in urbe propter baptismum, et pœnitentiam multorum constituisse* dicatur ab Anastasio, et cur præterea *tentus et coarctatus fuerit, eo quod ordinaret Ecclesiam :* enim vero hæc omnia collapsam præcedentium persecutionum causa pœnitentiæ disciplinam ab eo restitutam demonstrant. Cur vero Damasus eodem carmine martyrium sileat, atque unum Marcelli exsilium referat, hanc ego causam fuisse puto, quia scilicet Donatistæ, quorum haud exiguus Romæ erat numerus, pontifici huic per summum scelus dicam traditoris impegerant, quorum Damasus calumniam ut palam faceret, excelsum ejus adversus lapsorum audaciam animum, ac toleratum eorum vitio magna fortitudine exsilium commemorat et laudat.

VI. Venio nunc ad Eusebianam sepulcralem epigraphen, quam ex antiquis inscriptionibus Baronius produxit, et ad Eusebium presbyterum retulit (*a*). At cum ea, quæ ad hunc Eusebium presbyterum attinet, omnia prorsus incerta sint, ac magnis tenebris obruta (*b*), ego viroram gravissimorum Tillemontii, Constantii ac P. Orsi apostolici palatii magistri nunc meritissimi, cum quo me sentire gavisus sum, judicium secutus, carmen hoc tum Damaso attribuo, tum Eusebium papam in eo laudari censeo. Id vero jure factum dijudicabit, ni fallor, qui carmen ipsum, cum eo quod de Marcello est, conferat, videritque utrumque ita sibi simile, ut iisdem sententiis ac pene verbis constet. Nec a mea me sententia deterret, quod Eusebius papa in Callixti cœmeterio sepultus dicitur in indiculo Bucheriano, ille vero, de quo in hoc carmine agitur, in Sicilia defunctus sit : potuit enim Eusebius pontifex ex Sicilia, ubi decesserat, ad Urbem transferri, ut factum de Pontiano ex Sardinia legimus. Quin vero si quis hoc pro certo habebat, a vero vix ipse aberraverit : Bucherianus enim alter Romanorum pontificum Catalogus, Eusebii mortem consignat ad diem 17 Augusti ; aliam vero causam expone, si vales, cur ejus depositio dilata fuerit ad diem 26 Septembris. Hinc patet pontificem illum in vetustissimis aliquot martyrologiis a Florentinio indicatis (*c*) inter martyres jure meritoque annumeratum, ac certum hujusce rei argumentum Damaso potissimum acceptum, ferri oportere. Si aliquod exstaret de *Heraclio* illo, qui *lapsos* dolere voluit, in ecclesiasticæ historiæ monumentis vestigium, aut si *judicis*, sub quo Eusebius pulsus est, nomen exprimeretur, in majori forte luce res collocari posset. Heraclium Rufinum, sive sit ille Statius, sive Arabius, Urbanam præfecturam administrasse legimus sub Maxentio anno 310-311 (*d*), ac nihil obstat, quominus ille sit, cujus in eo carmine mentio est, quive innocentis et integerrimi pontificis pœna et exsilio gliscentem in Urbe furorem ac gravissimam seditionem compesci posse existimaverit. Quidquid autem sit, ad hæc potissimum adverti velim, primo magnas a lapsorum contumacia excitatas tunc temporis in Ecclesia turbas, quod etiam liquet ex Arelatensis concilii can. 3, quo repressi sunt. Secundo Eusebium illum a Damaso *rectorem* dici, quo verbo Romanos pontifices designare ille solet. Tertio denique, quod hic *rector*, ob eam ipsam, ob quam Marcellus causam, pulsus est, ac quod ejus *exemplo*, læto animo exsilium *pertulit*. Cedo itaque Eusebium alterum, cui hæc omnia aptari possint, præter eum, qui cum summus pontifex, ac Marcelli ejusdem successor fuerit, recens sibi propositum exemplum habuit, quod sequeretur.

VII. Marci sepulcro inscriptum carmen obscurum facit, ut ego puto, transcriptoris indiligentia, his potissimum versiculis :

Te custos, Christi perfectus amicus,
Et Damasus, tumulum cum reddit honorem.

qui aut nullam, aut satis perplexam sententiam reddunt : primo igitur loco moneo legendum *tumuli*, aut *tituli*. Sic apud Gruterum *tituli honorem* usurpatum videas (*e*), deinde, si nullus in transcribendo error irrepsit post hoc *Te*, subaudi *in Pace :* formulam enim hanc *Te in pace, Te cum pace*, solemnem esse, ac Christianorum tumulis sæpe inscriptam legas apud Boldettum, Marangonum, et P. Lupum (*f*) ; Fabrettus præterea has etiam ad Gentilium lapides incisas memorat extremas litteras ET TV., lector scilicet, aut viator, qui me prius valere jusseras, vale (*g*). *Custodis* autem voce, si proprium nomen haud sit, illum intelligere poteris, cui vel Martyrum, qui in eo cœmeterio sepulti fuerant, vel basilicæ in eodem loco a Marco conditæ custodiendæ cura commissa fuerat, et qui forte ejus pontificis ornando sepulcro cum Damaso allaboraverat : utrumque enim titulum inter ecclesiastica officia sæpe memoratum videas, etiam apud Græcos, quibus χλειδοῦχος erat, qui apud nos *custos* et is plerumque presbyter. Cum vero audis *Marcum orasse, populus quod disceret omnia*, vides illum tum suas habuisse ad populum conciones et cathecheses, tum vero Sozomenum, Græcum hominem, et longe ab Urbe remotum, ejus ecclesiæ ignorasse morem, cum scribere visus est, Romæ nec episcopum, nec quemquam alium in Ecclesia docere populum (*h*) ; neque enim ego aliquem esse puto, qui statas hoc loco, consuetasque liturgiæ preces, ac formulas intelligi oportere existimet.

(*a*) Ad ann. 357, n. 52.
(*b*) Vid., si placet, diatribam de gestis Liberii exsulis, § 1.
(*c*) Ad diem 26 Septembris.
(*d*) Apud Sigon. de Occid. imper., p. 71 et 75, Mediol. edit.
(*e*) Pag. 954, n. 10.
(*f*) Osser. p. 411, 413 ; delle cose Gentilesche, p. 455 ; ad Epitaph. S. Severæ, p. 171.
(*g*) Inscript., c. p. 9, p. 669, 670.
(*h*) II. lib. VII, cap. 19.

VIII. Carmen de *Felice* Ruinartus dubitat, an Nolanum exprimat, an alium anonymum, quem presbyterum Romæ ortum, ac post varios toleratos pro fide cruciatus, exsulem factum, Nolæ in pace sepultum aiunt, ejus alterius Felicis fratrem, qui cum Adaucto sub Diocletiano martyr occubuit, sequenti ab hoc carmine laudatus (*a*), cujus basilica non in Pincis fuerat, ut cl. Mazocchio visum, sed via Ostiensi e conspectu fere S. Pauli, atque in cœmeterio Commodillæ, quod a clar. Boldetto non multis ab hinc annis repertum et demonstratum est. Damasus profecto, Felicem, quem hoc loco laudat, longe ab Urbe positum indicare videtur, cum ait :

Nec quemquam pateris repedare viantem.

Quamobrem cum populi non ab Urbe tantum, sed a toto pene terrarum orbe ad Nolanum religionis causa confluerent (*b*), vix alium ab illo, hoc carmine designatum dixeris, cui propterea Baronius, Bollandiani, Muratorius, aliique eruditi viri dicatum illud censent. Hinc ego factum puto, ut cum celebris esset ejus diei Romæ solemnitas, basilica illi ædificata fuerit non diu post Damasi obitum, quæ deinde, ut ab aliis basilicis Felicis nomine insignitis (plures enim Felices in Urbe fuerant) distingueretur, *in Pincis* dicta est, a proximis Pincianæ familiæ domibus : quæ vox cum ab eo tempore ad Nolanos Urbi proximos transiisset, ab iis etiam Romanorum more Felix *in Pincis* dici cœptus : siquidem nulla vel apud Paulinum, vel coævos scriptores ejus loci mentio Nolæ est. Nuperus Nolanæ ecclesiasticæ historiæ scriptor alioquin eruditus, hoc carmen Maximo Nolano episcopo a Damaso dicatum statuit, una tantum cujusdam ms. Breviarii auctoritate permotus. Cæterum hoc Breviarium in eo fragmento, quod Bollandiani ad diem 7 Februarii recitant, tum fabulas admixtas habet, tum sequiorem ac recentiorem ætatem sapit, quæ sunt in causa, cur Bollandiani ipsi non in pretio multo illud habere videantur. At quod efficit, ut fide careat, illud est, quod primum versum immutatum refert, ac quo loco Felix scribi debuerat, *Magne* legendum proposuit hoc modo :

Corpore, mente, animo, pariter quoque nomine Magne.

Neque enim puto esse, qui sibi libenter persuaderi patiantur, *Magni* pro *Maximi*, appellationem a Damaso usurpatam, quasi vero Magni et Maximi unum esset, idemque nomen. Certe apud S. Paulinum *Maximi* episcopi frequentissima mentio est, *Magni* nulla. An vero versiculus ille parietibus Nolanæ ecclesiæ olim inscriptus *Magne* habuerit, an *Felix*, nullus nunc idoneus testis docere nos potest, cum amplius non appareat. Hac tamen de re dubitare nobis licet, siquidem Ferrarius Nolanæ ecclesiæ canonicus tum eos versus recitat, ut apud Baronium impressi sunt, tum eos ad Felicem refert (*c*); quod si tandem res ita se habuit, ac loco *Felicis* Ecclesiæ muris *Magni* nomen inscriptum aliquando fuit, tunc versus immutatos fuisse crediderim, cum saxo insculperentur, siquidem alter hic versiculus:

Hostibus extinctis, fuerant qui false locuti,

quem nec Bollandus, nec Sarazanius, nec cæteræ editiones habent, atque ea proinde occasione cæteris additus est, aliqua tunc usos licentia quadratarios probat. Neque enim ex Damasi adversariis aliquem morte mulctatum fuisse scimus, ac nemo facile animum inducet, ut credat, mitissimi animi pontificem, quem adversariis ipsis quamquam superatis Hieronymus non nocuisse asserit, vota beato Felici persolvisse, quod hostes sui extincti ac morte sublati fuerant. Fama vero est, ut alio loco dixi, voti hujus persolvendi causa Nolam sese Damasum contulisse; quam ego incertis, ut sæpe fit, conjecturis non impetam. Illud profecto constat tumulum Felicis Nolani, *aram veritatis* dictum, ejusque reliquias *veritatis vindices* (*d*); quam ob causam ille, qui Ursicini, Isaaci Judæi, aliorumque adversus se calumnias effugerat, hoc nuncupare votum, ac patrono suo præsens reddere facile potuit. Huic simile et proximum est votum aliud, quod pro cleri a se divulsi reditu inscribitur.

IX. Carmen, quod Sarazanius n. 17, recensuit, ac *de incertis martyribus* dixit, *ad SS. Nereum et Achilleum* pertinere nos docuit Emsildensis monachus, quem Mabillonius primum, ac deinde Blanchinus edidit in Prolegomenis ad Anastas. opusc. 15. Hujus profecto codicis non spernenda est auctoritas, tum quod videtur octavo sæculo scriptus, tum quod omnes, quas habet inscriptiones ex autographis ipsis excepit auctor, ac in commentaria retulit, cum iter agens extramuranas ecclesias, et cœmeteria lustraret. Si itaque hoc epigramma ad eos martyres attinet, hoc accedet ad conjecturarum cumulum, ob quas eorum, quæ nunc legimus acta, dubiæ videntur fidei : neque enim, qui eunuchi fuerant, Domitillæ virginis familiares ac custodes, *militiæ dedisse nomen, almum gessisse officium, castra deinde reliquisse, clypeos, pharetras et tela projecisse* videri possunt, ut Christianos sese profiterentur; siquidem hoc genus hominum iis potissimum temporibus ab armata militia arcebantur. Malui ejusdem tamen antiqui scriptoris fidem cum Ciampinio (*e*) sequi, quam Sarazanium, ac de iisdem martyribus carmen inscribere.

Epitaphium, quod Eutychio in Callixti cœmeterio optimis characteribus incisum fuerat, adhuc superest integrum in ecclesia S. Sebastiani : at nihil aliud inde colligimus, præter maximam iteratamque cruciatuum vim, divinamque martyris in iis tolerandis constantiam. Ætate S. Gregorii nondum amotus ab eo loco fuerat, et ad basilicam sancti Laurentii in Damaso translatus, siquidem ex sacro ejus corpore idem pontifex oleum misit ad Theodelindam reginam.

(*a*) Vid. Boll. ad diem 14 Januarii.
(*b*) Augustin. ep. 78.
(*c*) De Nol. Cœmet., p. 34.
(*d*) Remond. Hist. di Nola, lib. II, cap. 4 et cap. 26.
(*e*) Vet. Mon., tom. II, cap. 20.

X. Tharsicii martyrium in Adonis martyrologio 15 Augusti descriptum, sumptum est a Damaso ex Actis S. Stephani papæ et martyris, quæ Baronius retulit (*a*); frustra enim alibi hoc quæras, atque hinc vides eorum antiquitatem auctoritatemque, quæ iis accedit ex hoc carmine, adversus Pearsonum, aliosque aliquot morosiores et recentiores criticos sed ab eorum argutiis Acta ipsa vindicant Bollandiani ad diem 2 Augusti, atque Anonymus in dissertatione Avenione impressa sub hoc titulo: *Authoritas pontificia notissimo Cypriani facto impugnata, sed a Gallicæ theologis vindicata*. At ex hoc eodem carmine plura colligimus: primo scilicet viguisse ea ætate disciplinam Arcani (*b*); secundo, diu ante Melchiadis ætatem transmissum fuisse intelligis ad ecclesias *fermentum*, quo nomine jam liquet, consecratarum ab episcopo oblationum partem exprimi, quamobrem cum Anastasius Melchiadem ipsum *fecisse* scribit, ut *oblationes consecratæ per ecclesias ex consecrato episcopi dirigerentur*, aliud nihil exprimit, quam eo auctore ac pontifice factum, ut ad intermissam præcedentium persecutionum tempore consuetudinem, restitutis jam clero sacris sub Maxentio basilicis, reditus fieret: tertio, vides *fermentum* ipsum ad basilicas etiam extramuranas allatum, siquidem Tharsicius extra urbem *sacramenta gerens*, deprehensus est et lapidibus obrutus. An vero dicamus, hoc factum pro recepto more, an vero ob persecutionis causam, qua durante plura licebant, quæ pace Ecclesiæ reddita non permittebantur? Equidem puto *fermentum* ad presbyteros etiam in cœmeteriis excubantes, et suburbanas ecclesias administrantes, pro recepto confirmatoque more transmissum. Enimvero si Melchiadis et Siricii decreto non licebat, *cujuslibet loci presbytero missas per hebdomadam celebrare*, non accepto prius fermento episcopi; nisi quis contendat, in cœmeteriis non potuisse sacra fieri, quod nemo dixerit, necesse est, ut cum clariss. atque eruditissimo Bottario fateamur, illud ad eorumdem etiam cœmeteriorum presbyteros fuisse missum, per quod iis sacra facere licebat (*c*). Accedat pontifices summos in cœmeteriis ipsis, et ad memorias martyrum sacras sæpe habuisse synaxes: quamobrem si tunc a suburbanis ecclesiis ad urbanas fermentum mitti oportuit, nihil impedit quominus ab urbanis ad suburbanas statis diebus transmitteretur. Quod itaque Innocentius ait in epistola ad Decentium Eugubinum, *non putare se, ut fermentum per parochias mitteretur, quia non longe portanda sunt sacramenta*, vir clarissimus refert ad legem aliquam tunc ab eo pontifice editam, qua juberetur, ne hoc deinceps fieret: quem præterea presbyteros, qui per cœmeteria manerent, constituisse, atque iis conficiendorum sacramentorum primum copiam fecisse censet. Vides quarto *fermentum* ipsum ab acolytho delatum, cum ad diaconorum officium id antea spectaret (*d*); at forte cum necessitas fecisset prius, ut acolythi diaconorum officio fungerentur, atque id semel atque iterum usu receptum fuisset, in legem postremo hoc ipsum abiit Innocentii ætate: suspicari tamen forte quis posset, hunc eumdem Tharsicium diaconum fuisse; siquidem Damasus illum Stephano comparat, atque utriusque meritum pari loco habet, quod profecto tum martyrii genus, tum etiam ecclesiasticum gradum, ac ministerium respicit.

XI. Duo, quæ sequuntur, carmina, beatos martyres Petrum et Marcellinum, ac Gorgonium complectuntur. De Petro et Marcellino nihil occurrit dicendum, siquidem eorum, quæ supersunt Acta a clar. Mazocchio ad diem 11 Junii eruditis annotationibus illustrata, egregie hoc epigrammate confirmantur. Quod ad Gorgonium attinet, dubitat Florentinus ad diem 9 Septembris, an hic idem atque ille sit, quem Nicomediæ cum Dorotheo passum Eusebius narrat (*e*). Ita enim plerique censent, quibus Romani martyrologii et Adonis testimonium præit. Bollandiani vero ad diem 12 Martii gravissimas rationes afferunt, cur noster alius ab illo Gorgonius sit. Fuldense certe martyrologium duos Gorgonios, alterum Nicomediæ, alterum Romæ passum statuit (*f*), atque huic sententiæ Damasus favere videtur, siquidem *beatos* alios, *quos vicina in sede habitare* ait, cum eodem pariter Gorgonio passos, ac cum eodem, ut loco, sic etiam martyrio conjunctos fuisse innuit. Quinam vero illi fuerint, difficile est dicere. Notitia ab Exkardo edita apud Georgium hæc habet: *Ibi sancti isti dormiunt Petrus, Marcellinus, sancti* XXX *milites, Gorgonius, Geminus*, etc., quos etiam Melesburiensis memorat, ac iis *non longe positos sanctos quatuor coronatos* addit. Hos etiam XXX milites via Lavicana ad duas lauros una die sub Diocletiano coronatos memorat Hieronymianum martyrologium, ad diem 22 Decembris, quos omnes forte Damasus eodem loco quiescentes designare potuit. Iconographiam superioris et inferioris cœmeterii SS. Petri et Marcellini iterum edidit cl. Bottarius Vaticanæ bibliothecæ custos (*g*), in eaque cubiculum repræsentat, in quo Dominus Jesus medius sedet inter Petrum et Paulum apostolos stantes, sub ipsis vero *Gorgonius*, *Petrus*, *Marcellinus*, *Tiburtius*, expressis nominibus indicantur.

XII. Ex Priscillæ cœmeterio quamquam multa perierint, plura tamen, quam ex aliis, Damasi carmina tulerunt ætatem. Adhuc enim supersunt, quæ Marcelli, Frothi, Hyacinthi, Saturnini, Mauri ac Chrysanthi et Dariæ sepulcris inscripta fuerunt. At quod de Chrysantho et Daria inscribitur, cum ex apographo oscitanter exscriptum olim fuerit, medica manu indiget, quam Sarazanius applicuit, ac, ut nunc legitur, ex Actis eorumdem martyrum, et ex Gregorio Turo-

(*a*) Ad ann. 270.
(*b*) Vid. Schelestr. de Disc. arc., cap. 7, § 5.
(*c*) Rom. Subter., tom. II, p. 146.
(*d*) Justin. apol. I, n. 65, 67, edit. BB.
(*e*) Lib. VIII, H. E., cap. 6.
(*f*) Vid. Georg. ad Mart. Ad., 9 Septembris.
(*g*) Tom. I, tab. 4.

nensi illustrari oportet (*a*) ; siquidem ex iis intelligi A datur, cur eorum sanctorum tumulum, idololatriæ *furentis prædam* Damasus fuisse dicat : illo scilicet, furiosa ethnicorum manu, qui ad cœmeterium adversus Christianos confluxerant, disjecto penitus eversoque, cryptaque insuper occlusa lapidibus terraque aggesta. At post redditam Ecclesiæ pacem, loco eodem pristinæ religioni restituto, Damasus hæc carmina tum inscripsit, tum præterea aliquid novi operis sua impensa addidit, qui ob eam causam, puto, sub *pauperis* appellatione se haud immerito designavit.

XIII. Carmen de S. Agnete cum archetypo collatum, atque emendatum dedi : lapidem enim, cui pridem optimis characteribus insculptum fuerat, projectum jam disjectumque non multis ab hinc annis, Deo favente a se repertum penes ecclesiam extra portam Nomentanam; servatumque, iterum ejusdem ecclesiæ parieti affigi curavit pro suo in sacras antiquitates studio cl. Marangonus. Ex hoc iterum epigrammate colligi primo poterit, Damasum eorum opinioni favere, qui Agnetem sub Diocletiano passam arbitrantur; siquidem earum rerum, quas virginis *parentes dudum retulerant*, fama inter præsentes nondum perierat, cum ille hoc carmen scriberet. Secundo fortissimam virginem, pronuntiata *præconis* voce adversus se Judicis sententia, statim liquisse *nutricis*, quæ eam non descruerat, *gremium*, ut pœnam, cui damnata fuerat, imperterrita obiret : erat enim moris, ut præco silentium tuba indiceret (*b*), tum deinde ut judicis sententiam alta voce legeret : quamobrem si mos ille servatus in Agnetis martyrio fuit, C non est cur hæc Damasi verba, *cum lugubres cantus tuba concrepuisset*, de publicato tunc primum Diocletianæ persecutionis edicto cum Tillemontio accipiamus, ac martyrem fortissimam, statim ac impiam promulgatam adversus Christianos legem audivit, ad pœnam sese *ultro* obtulisse dicamus. Tertio ex eodem carmine intelligimus, Agnetis ad pœnam damnatæ jam, nudæque, ac pellucida veste contectæ, cum prius ad lupanar de more ducenda esset, effusis per membra crinibus, pudorem ab procacitate oculorum mirabiliter defensasse Deum, ac nullam propterea esse causam, cur Actis, quæ Ambrosii nomine circumferuntur, fidem non habeamus, quamquam nulla hujusce rei apud Ambrosium ipsum et Prudentium mentio sit. Quarto denique martyrem sanctis- D simam igne damnatam, quod idem Ambrosius silet, vulgata vero Acta confirmant; atque hinc intelligis, quam levibus sæpe de causis vetera monumenta suspecta habeamus. An vero Agnes igne an ferro martyrium fecerit? Ambrosius et Prudentius gladio, Acta martyrum Occidentalium, quibus vir clar. Evodius Assemanus archiepiscopus Apameæ ex Vaticano Syriaco veteri codice, ac præclaris annotationibus adjectis Ecclesiam nuper locupletavit, igne absumptam docent : Latina vero Acta, virginem in flammas primo projectam, tum a Numine servatam illæsam, postremo gladio jugulatam asserunt. Hoc verius esse Damasus hoc versiculo non obscure innuit :

Urere cum flammis voluisset nobile corpus.

Siquidem hinc liquet, iniquum judicem *voluisse* quidem, sed nequaquam efficere potuisse, quod *voluit* ut non parva latinis, quæ circumferuntur, Actis ex hoc carmine auctoritas accedat. Hinc Agnes media Petrum inter et Paulum apostolos, flammaque circa ipsam succrescens ex cœmeterio Pontiani exhibetur in veteri fragmento a Bonarrotio illustrato (*c*), atque id præterea confirmant veteres ejus basilicæ picturæ, quæ et flammas, et sub ipsas gladium, quo martyrium consummatum fuit, adhuc repræsentant (*d*).

Irenem Damasi sororem, non secus ac ipsum Da- B masum, sibi vindicant scriptores Hispani, ut liquet ex ejus Actis, quæ Bollandus produxit ad diem 21 Februarii. At si quæ Actis illis fides haberi potest, nemo negaverit, quin Irenes Romanis virginibus accensenda sit. Nam cum eam *duodecimo Damasi pontificatus anno*, qui incidit in annum 378, ad superos abiisse asserant; contra vero cum Damasus ipse hoc carmine *anno vigesimo* nondum completo sibi ereptam fuisse doleat, hinc facile vides illam alibi quam Romæ nec ortam, nec educatam videri posse : sed Actorum illorum, ut verum fatear, levissima prorsus, utram in partem velis, auctoritas est.

Hæc habui, quæ ad Damasi carmina hoc loco observarem, ex quibus, præter ea quæ dixi, veterem hymnorum usum, sacrarum reliquiarum cultum, C sanctorum invocationem, votorum tum nuncupationem, tum piam solutionem confirmatam videas. Cur vero iis quæ Sarazanius edidit, non solum ea quæ Stephanum et Eusebium Romanos pontifices laudant ac superius recensui, sed et alia nonnulla addiderim appendicis loco, una hæc est ratio, quod scilicet illa etiam Damasum mihi sapere videantur, atque ejus aliquando verba, ac sensus referant, atque ætatem. Sed hac de re, ne quid ego temere statuam, lectoris judicium esto.

Cæterum quod Damasus in metrum peccare aliquando videatur, haud mirabitur, qui in legendis inscriptis versibus, et elogiis mediocriter versatus sit : vix enim, ut mea faciam viri docti verba, pauca de multis epigrammata in lapidibus reperias, quæ non D multis modis in metricas leges offendant, et si illa sint alioquin elegantissima (*e*).

§ III. — De Damasi operibus : Basilicæ via ardeatina ab eo ædificatæ locus, ut videtur, ejusque cœmeterium. De Basilica S. Laurentii in Damaso : qua occasione de *Titulis* agitur, ac Anastasii locus in Marcello adducitur et explicatur.

I. Reliquum nunc est, ut etiam de Damasi operibus pauca adjiciam. Pontificale itaque hæc memorat : *Hic fecit basilicas duas, unam juxta theatrum S. Laurentio, et aliam via Ardeatina, ubi requiescit in Catacumbis, et ædificavit platoniam, ubi corpora Apo-*

(*a*) De Gl. Mart., cap. 38.
(*b*) Senec., epist. 78.
(*c*) Framm., p. 91.
(*d*) Ciamp., tom. II, p. 39.
(*e*) Mazocch. ad Kal. 30 Junii, not. 18.

stolorum jacuerunt, quam et vestibus ornavit. Platoniam vocat Anastasius pretiosa marmora in tabellas dissecta, quibus nempe murum et pavimentum Damasus obduxerat, locumque hoc pacto ornaverat (*a*): Basilicam via Ardeatina ædificatam ubi sepultus jacuit pro majori parte adhuc superesse putant viri clar. Boldettus et Marangonius, idonei profecto judices, quæ in usum cellæ vinariæ conversa postmodum fuit, inter Ardeatinam et Appiam viam. Nam primo locus ille in longitudinem ad palmos septuaginta, in latitudinem vero ad triginta extenditur : habet deinde Septentrione semicyclum, seu absidem pro altari comparatam : tertio, parietes alicubi colorem picturæ obtinent ; quæ profecto omnia vetustæ sacræ ædis speciem servant : quarto tandem huic ipsi loco cœmeterium subest, a viris illis diligentissimis primo detectum. Eam itaque esse illam censent, quam Damasus exstruxerat, ac cœmeterium quod subest, illud ipsum, in quo depositus jacuit. Eorum rationes dilucide attulit illustrissimus Æsinus episcopus loco jam indicato, quem videas.

Alteram ad *Theatrum Pompeii*, ejus pontificis ætate anteriorem fuisse, manifesto probat ejusdem carmen *de templo S. Laurentii* inscriptum : quamobrem non eam primus ædificasse, sed refecisse videri debet, quamquam sic restauraverit, auxerit, et ornaverit, ut unus deinceps ejus auctor dictus fuerit. Eam vero restauratam, amplificatam atque ornatam præterea consecravit, ut ex marmoreo monumento discimus, quod a cardinali Farnesio, cum eam basilicam iterum reficeret, repertum, et ad ædes translatum suas adhuc servatur his inscriptum litteris.

T. I. X. N. EGO ⅁AM
ASIUS VRB̃ ROME
EPS̃ ANC. ⅁OMV̄ COS̃E
CRAVI N. R. ⅁. S. M.
SPA. S. PE.

Has ego litteras hoc loco transcripsi eo modo, quo immortalis memoriæ vir Franciscus Blanchinus postremis curis expressit. Nam cum prius eas retulisset in prolegomenis ad primum Anastasii tomum, lapidem deinde forte diligentius observatum, ac una tantum sigla D. loco alterius. Q. quam antea descripserat immutatum iterum attulit in notis historicis ad Damasi nostri Vitam, tom. III, atque ita explicavit *Titulus in Christi nomine : Ego Damasus Urbis Romæ Episcopus hanc domum consecravi, nona regione, dedicatam Septembri mense, S. Paulus, S. Petrus*, cujus deinde mensis prima die observat in ea basilica gestæ rei memoriam celebrari, quod si cui siglis illis N. R. S. M., nec nona regio placeat, nec solitarius die certa non designata, annoque non adscriptis consulibus expresso *September mensis*, legere forte poterit, *hanc domum consecravi novatam, refectam, dedicatam S. Martyri :* siquidem hæc omnia re ipsa Damasus tunc præstitit. Cæterum observari hoc loco potest, *Sancti* prænomen una tantum littera S. indicatum quarto jam sæculo, nec id fieri propterea cœptum post sæculum XI, ut censuit Fontaninus (*b*).

Ex hac vero marmorea *tabella* causam tenes, ni fallor, unde *tituli* dicti sint, ac præterea intelligis, quotquot erant in Urbe basilicæ, *titulorum* nomine tum nuncupari potuisse, tum merito nuncupatas. Ut vero plures erant basilicæ ecclesiasticis cogendis synaxibus assignatæ, quam *viginti quinque* (siquidem sacras ædes sub Cornelio numerum quadragenarium excessisse ex Optato scimus), ita etiam totidem fuisse titulos fateri cogimur : neque enim Marcellus illam cæteris aliis basilicis nuncupationem eripuit, ut ea solis illis *viginti quinque*, quos ipse *constituit*, propria esset. Basilica igitur hæc, quam Damasus *titulum* constituisse dicitur, *titulus* necessario fuerat ante ejus pontificatum, siquidem suos habuit sacerdotes, diaconos, aliosque gradus, qui sacris agendis præerant, ut ex carmine 35 aperte constat. Aliquid itaque amplius, quam illam omnibus Urbis basilicis communem nuncupationem, tum Marcellus suis, tum Damasus ecclesiæ S. Laurentii contulit, cum *titulum constituit*. Quid vero illud sit, ex Anastasio intelligimus, cum ait Marcellum, *viginti quinque titulos in urbe Roma constituisse quasi* DIŒCESES *propter baptismum, et pœnitentiam multorum, qui convertebantur ex paganis;* sed quia post Decianam persecutionem usu receptum fuerat, ut ab episcopis presbyteri aliquot constituerentur, qui lapsos ad pœnitentiam reciperent (*c*). Marcellus ut Christianis diuturna acerbissimaque Diocletianea persecutione prostratis consuleret, loca iis recipiendis, non tam constituisse, quam restituisse videri potest. Cum igitur jam tot essent *tituli*, quot basilicæ, ac loca sacris agendis assignata, ex omnibus elegit viginti quinque dumtaxat, eosque *quasi diœceses* esse jussit, communicato scilicet pœnitentes reconciliandi et baptismum conferendi jure, quod cum esset unius episcopi proprium, iis, quibus conferebatur *titulis*, præstabat, ut *quasi diœceses* esse viderentur, ac earum presbyteri, quasi episcopi. Erat itaque, ut *tituli* nuncupatio, sic etiam sacrorum usus communis cæteris etiam basilicis Urbis. At illæ, quæ hoc peculiari jure præterea utebantur, majores præ cæteris, ac digniores habebantur, unde illis *cardinalium titulorum* vocabulum deinceps hæsit. Atque hæc sunt, quæ Damasus huic a se *novatæ, restauratæ, dedicatæ* fundis, et donis auctæ basilicæ beneficia præstitit, ut supra alias permultas extolleretur.

Hunc fortissimum martyrem Romanis civibus, secus ac hactenus creditum fuerat, annumerandum demonstravit Josephus Blanchinus vir clar. aperto Leonis Magni testimonio, ex ipsius Sacramentario nuper a se edito. Ego vero alium sancto huic pontifici testem addi posse existimo, Prudentium scilicet, qui Romanæ urbis gloriæ hoc unum defuisse scribit, ut post domitum orbem terrarum vinceret *Spurcum*

(*a*) Mus. Ital., tom. I, p. 89.
(*b*) De disc. arg., cap. 14.
(*c*) Soc., lib. v, cap. 19.

Jovem, non *Cassii Camilli*, aut *Cæsaris turbulenta vi*, sed *Laurentii martyris haud incruento prælio* : ex quo quidem illud evidenter consequitur Laurentium a claris illis ejus urbis filiis minime disjungendum.

Carmen de *Fontibus* nobis indicat, aliquid operis in Vaticana etiam basilica ab hoc pontifice factum. Quid hoc sit, Ciampinus quantum potuit in tanta vetustate temporum, ac rerum immutatione, veteris templi ichnographiam describens, his verbis explicuit : *Ab ara sanctorum trium regum, longe operosior et pulchrior moles attollebatur, ut patet ad n.* 30 *cum vetustissimo altari S. Joannis ad fontes appellato. Non longe ab hujus altaris gradibus in medio magnum ac patulum labrum laxabat pretiosissima concha marmore alabastrino, qua lævi nitore, qua signis exstantibus illustris. In hanc cæco meatu per fistulas e solo undæ irrumperent, quibus catechumeni baptizarentur. Illam Liberius pontificex exstruendam olim mandaverat Damaso, cum non adhuc pontificia fulgeret majestate. Quin ut operis tam perspicui memoria ad posteros perveniret, ipse Musarum non humilis cultor Damasus, lapidi incidit quosdam versiculos, quorum nonnulla fragmenta, cum in parietibus intra novum Oratorium S. Leonis papæ vix legi possent, tandem erudita pertinacique curiositate primævo ac genuino sensui restituta visuntur in cryptis Vaticanis* (*a*). At quia aliud baptisterium, aliud vero baptisterii fons, hinc ut ego puto, duplex est Damasi carmen *de Fontibus Vaticanis*, aliud integro baptisterio ipsi, curante *Mercurio* diacono, aliud vero ipsi aquarum receptaculo *Achatii* opera inscriptum. Nam fons alius, seu cantharum, quod Paulinus Nolanus eleganter describit in atrio basilicæ positum, ac ab nonnullis pro baptisterio acceptum fuit, uni tantum lavandæ pro more plebi ecclesiam ingressuræ comparatum fuerat (*b*). Hujus Damasiani operis iterata exstant testimonia tum Pauli V, tum Innocentii X, qui *aquam Vaticani collis, incerto olim a capite deerrantem, a B. Damaso inventam, scaturigine ad lavacrum novæ generationis in fontem corrivatam, rursus amissam, conquisitam, repertamque, ac mire probatam, fonte recens exstructo restituit, ut in Urbe aquis peregrinis affluente, ædes Vaticanæ suam hanc haberent, gemina salubritate hauriendam.*

Sanctæ Anastasiæ vetustam sane basilicam a Damaso picturis ornatam narrat Hilarius papa, recitatis a Sarazanio versibus in notis ad carmen 17, ex quo forte aliquid præsidii, quamquam frustra, accedere videbitur ad eorum sententiam, qui eam ecclesiam Hieronymi cardinalis titulum fuisse scripserunt. Baronius denique ac Ciacconius Actorum Damasi auctoritate permoti, ecclesiam S. Rufinæ et Secundæ in sylva Candida, a Julio inceptam, a Damaso absolutam fuisse asserunt. Sunt etiam, qui hoc Damasi studium extendant ad loca ab Urbe dissita; Nolani enim scriptores ædiculam illam, in qua S. Felicis sepulcrum fuerat, quam deinde amplissima illa basilica sua a se clausam Paulinus scribit (*c*), Damaso attribuunt, ac veterem hanc præ cæteris in ejus rei testimonium inscriptionem afferunt : † *Septima die stante mense Madii* † *dedicatio erit hujus S. Ecclesiæ. beatus Damasus PP. construxit et ædificavit. Ad Honorem. Di. Et Beatissimi. Felicis. Conf.*; qua de re, vide, si placet, cl. virum Joannem Stephanum Remondinum (*d*). Mirum tamen videri merito poterit, Paulinum ipsum, quamquam de ædicula illa sæpius egerit, nullam umquam ejus pontificis mentionem fecisse.

(*a*) Vet. Mon., tom. I, p. 59.
(*b*) Cl. Murat. n. 41, 42, ad Epist. Paul., 13, Ver. edit.
(*c*) Ep. 12, Ver. edit.
(*d*) Della Nolan. Eccles. Storia, lib. II, cap. 8, 9.

DIATRIBÆ DUÆ

ILLUSTRANTES GESTA QUÆDAM PONTIFICUM LIBERII ET DAMASI.

DIATRIBA PRIMA.

De gestis Liberii exsulis.

§ I. — Afferuntur coævi scriptores de gestis Liberii exsulis, quos tantum futuros sibi judices proposuit auctor in hac celebri controversia.

Mecum ipse constitueram, quamquam occasio sese obtulisset, ne quid sermonis istis de rebus agerem, quod illæ extra institutum meum positæ viderentur, ac ne rotam tam sæpe versatam, inutili labore a me versari iterum diceretur. Verum consilium postea immutavi meum, quod videram tum Liberii hæresim ab Jansenianis, elapsis annis ad nauseam usque recantari adversus Catholicos, tum fuisse nuper nostrarum partium scriptorem historicum, qui eam pro re indubia habeat, tum denique quod legendo, et meditando observaverim quæstionem hanc deficientibus monumentis a viris cæteroquin doctissimis, dum quisque præconceptæ opinioni inservit, non tam explanari, quam implexam magis atque obscuriorem effici. Me igitur cum iis multis, qui hanc controversiam tractarunt, abripi passus sum; ne autem lectores meos nimium fatigarem, coævis dumtaxat scriptoribus, quorum supersunt opera, eam dilucidare aggressus sum : quod tamen an successerit ex voto, ii dijudicent.

Principio quin Liberius papa in exsilio positus *Sirmiensem fidem* susceperit, nemo dubitaverit, qui ejus ad Orientales epistolam legat : neque enim is sum ego, qui eam repugnantibus tot sæculis postulare falsi ac inter Arianorum commenta rejicere prorsus audeam : an vero voluntatem verbo tenus expressam, an potius subscriptione aliqua etiam sua jam

confirmatam, Liberius eo loco explicet, prout etiam quænam *Sirmiensis* ea *fides* sit, de qua ille loquitur, dicam postea. Nunc breviter monuisse satis sit, Sirmiensem fidem triplicem esse, ut triplex est formula seu ecthesis, quæ in ea urbe procusa et promulgata est; prima scilicet, cum Photinus ab Orientalibus damnatus, et Sirmiensi episcopatu atque ipsa urbe pulsus est: altera, quæ ab Ursacio, Valente et Germinio conscripta posteriori tempore, atque Hosii etiam quamquam immerito et Potamii blasphemia dicta est: tertia denique, quæ a Marco Arethusio *die 21 Julii Hipatio et Eusebio coss.* anno scilicet 359 dictata est, ac ob eam merito causam, ob scriptos scilicet diem et consules, ab Athanasio in libro de Synodis risu excipitur.

Cum igitur quærimus ex tribus illis fidei expositionibus quamnam susceperit, atque ex iis utri deinde subscripserit Liberius pontifex, si hujus ætatis Patres, qui hac de re agunt, Athanasium, Hilarium, Hieronymum consulamus, cum hi nullam ex iisdem formulis aperte designent, incertos nos relinquunt; Athanasius enim in historia Arianorum ad Monachos, sive epistola ad Solitarios hæc scribit: *Porro Liberius exterris factus post biennium denique fractus est; minisque mortis perterritus subscripsit*; tum illum ut purget, statim hæc addit: *Verum ea ipsa re comprobatur cum violentia eorum, tum Liberii in hæresim illam odium, ejusque pro Athanasio suffragium, quamdiu scilicet libere, arbitrioque suo agere licuit: nam quæ tormentorum vi præter priorem sententiam eliciuntur, ea non reformidantium, sed vexantium sunt placita* (*a*).

Hieronymus duobus in locis factum attigit, in Chronico scilicet et in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis: ac primo hæc ait: *Liberio in exsilium ob fidem truso, omnes juraverunt* (Romani clerici) *ut nullum alium susciperent; verum cum Felix ab Arianis fuisset in sacerdotium substitutus, plurimi perjuraverunt, et post annum cum Felice ejecti sunt, quia Liberius tædio victus exsilii, et in hæretica pravitate subscribens Romam quasi victor ingreditur* (*b*). Posteriori loco: *Fortunatianum* Aquileiensem *detestabilem haberi* asserit, *quod Liberium Romanæ urbis episcopum pro fide in exsilium pergentem, primus sollicitavit, ac fregit, et ad subscriptionem hæreseos* compulit (*c*).

Hilarius etiam Liberii lapsum bis memorat: primo contra Constantium, ubi hæc ait: *Vertisti deinde usque ad Romam bellum tuum, eripuisti illinc episcopum: Et, oh te miserum! qui nescio utrum majore impietate relegaveris, quam remiseris* (*d*). Tum deinde in fragmentis, quo loco Romanum hunc pontificem susceptam a se Sirmiensem fidem scribentem, *apostatam* vocat, atque *anathemati* dat, verba non affero, quæ inferius opportuniori loco recitanda a me sunt.

Si itaque Liberius hæresi subscripsisse dicitur, secundæ tantum Sirmiensi formulæ subscripsisse videri potest; nam prior quæ in concilio contra Photinum convocato promulgata fuerat, Hilario ipsi catholica visa est, et sancta in libro de Synodis: atque hæc una est ratio, ob quam, ut heterodoxos præteream, ex nostris nonnulli in hanc iverunt sententiam.

§ II. — Hilarii testimonia late expenduntur, pro constituenda *Sirmiensi fide* a Liberio *suscepta*. Nullam in Sirmiensi urbe haberi potuisse Arianorum synodum anno 349 secus ac nonnulli censent.

Cæterum *Sirmiensem fidem*, quam *Liberius suscepit*, aliam non esse ab ea, quæ a concilio contra Photinum promulgata fuerat, manifesto probat Hilarius ipse, quem propterea miror minime hactenus attente lectum. Agit ille prolixius de Sirmiensi hoc Arianorum concilio, ejusque, quam Orientales sibi proposuerant, duplici convocandi causa: prima scilicet, ut ea occasione de Photino data Sardicensis catholicæ synodi, quæ Marcellum, Photini magistrum, et Athanasium innocentes pronuntiaverat, decreta convellerent: altera vero eaque gravior, ut Photinianæ hæreseos prætextu novam promulgarent fidei ecthesim, qua per cuniculos Nicænum dogma destruerent. Ecthesim illam deinde recitat, fraudulentam, hæreticam, et verbis blandientibus veneno interiore prægnantem vocat, ac ita comparatam, ut uno eodemque contextu, Photinum ejiceret, Athanasium reum ageret, et fidem Nicænam everteret. Eam etiam cum Nicæna fide comparat, ut hac ipsa alterius falsitatem demonstret, atque hæc ait: *Nam quæ apud Nicæam ordinata est, plena atque perfecta est, et omnibus undique quibus adrepere hæretici solent, aditibus observatis, inviolabili inter Patrem et Filium æternæ unitatis soliditate connectitur: hæc vero simplicitate blanditur, primum asserens nos ita credere, quod absit a quopiam: cæterum Occidentalium fides, Evangelicis constituta doctrinis, Patrem in Filio, Filium confitetur in Patre, Patrem ingenitum, Filium substantia æternitatis æternum, id est ut Patrem semper, ita et Filium semper in Patre, et natum de Deo esse, et in eo semper, de quo est, esse: at vero hæc* PERFIDIA, *non fides*, Deum *ex Deo dicens, et primogenitum commendans, et Trinitatis nomen instituens, virus suum sub modesta religiosæ moderationis occultat.* Post hæc ad Athanasium venit, atque eum ejusdem Nicænæ fidei auctorem, ac vindicem acerrimum laudat, ob eamque causam ab Arianis, falsis accusationibus vexatum, a Sardicensi vero synodo absolutum probat, productis ejusdem synodi, ac pluribus a *Liberio* scriptis ante exsilium litteris (*e*). At illum postremo hæc omnia, quæ ante exsilium vel gesserat, vel promiserat, in exsilio positum fluxa fecisse dolet, atque hoc ut evincat, recitat illam ad Orientales, et alteram ad Ursacium et Valentem ab eo scriptam epistolam.

Ejus igitur ad Orientales epistolæ, ac illi adjecta Hilarii verba recitanda nunc a me sunt, quæ rem

(*a*) N. 41.
(*b*) Ad Olymp. 282.
(*c*) De S. E., cap. 97.
(*d*) Cap. 11.
(*e*) Fragm. 2, 4, 5, 6.

definiunt : ait itaque Liberius, *ut sciatis me vera fide loqui, Dominus, et frater meus communis Demophilus, qui dignatus est pro sua benevolentia fidem vestram et catholicam exponere, quæ Sirmii a pluribus fratribus et coepiscopis nostris tractata, exposita et suscepta est :* ad ea vero Hilarius illico hæc adnotat : *Hæc est perfidia Ariana* (*a*). Sirmiensem itaque, quam Liberius susceperat fidem, Hilarius, ut vides *perfidiam* vocat : at quæ *perfidia* hoc loco Hilario est, Sirmiensis una, ut vidimus, contra Photinum fides est ; hanc enim ille exsecratur, hanc cum Nicæna comparat, hanc ipsam Liberio exprobrat ; eam itaque Liberius susceperat, Hilario teste. Ad hæc igitur minime advertit animum, qui prior Hilarii fragmenta in lucem protulit, vir doctissimus Nicolaus Faber, et si qui sunt alii, qui iis Hilarii verbis, secundam exprimi Sirmiensem formulam putant : an vero ille eam designare hoc loco potuit, de qua neque cum hæc scriberet, neque toto fragmentorum opere, aut agere unquam, aut ne cogitare quidem visus est ? Verum nec optimam, ut mihi videtur, ejus pontificis ab hæresi extricandi rationem ineunt, qui eas Hilarii interjectas annotationes, pro adscititiis, adulterinis, atque aliena manu insertis habent ; siquidem cum illæ ad Sirmiensem, quam hic pontifex susceperat fidem, nos quasi manu ducant, causam hanc pro eo potius conficere videantur. Cur vero idem Hilarius Sirmiensem contra Photinum fidem, quam in libro de Synodis catholicam censuit, *Arianam perfidiam* hic vocet, dicam alibi : nunc enim rem hanc aliis argumentis confirmare pergo.

§ III. — Item Hilarii testimonia extenduntur pro constituenda *Sirmiensi fide* a Liberio *suscepta*.

Ex eadem igitur epistola, fidem illam præterea a *pluribus* fratribus et coepiscopis *tractatam*, *et expositam* fuisse intelligimus. Hoc ipsum Hilarius confirmat, episcopos duos supra viginti enumerans huic conscribendæ præsentes. Perfidiam *autem apud Sirmium descriptam, quam dicit Liberius catholicam a Demophilo sibi expositam, hi sunt qui conscripserunt : Narcissus, Theodorus, Basilius, Eudoxius, Demophilus, Cecropius, Silvanus, Ursacius, Valens, Evagrius, Hyrenius, Exuperantius, Terentianus, Bassus, Gaudentius, Macedonius, Marcus, Aetius, Julius, Severinus, Simplicius et Junior, omnes hæretici.* Mss. codices a Baronio memorati *alios* etiam adfuisse indicant, at Sirmiensem secundam formulam tres duntaxat episcopos Ursacium scilicet, Valentem, et Germinium ; si vero Potamium et Hosium addere placet, ad summum quinque conscripsisse constat : Hilarius profecto eos duntaxat ubique exprimit, neque unquam plures : hoc ipsum præterea eadem formula his verbis indicat : *Cum nonnulla putaretur esse de fide disceptatio, diligenter omnia apud Sirmium tractata sunt et discussa, præsentibus sanctissimis fratribus et coepiscopis nostris, Valente, Ursacio et Germinio.* Hanc itaque nec Hilarius eo loco exprimit, nec a Liberio susceptam exsecrari potuit, sed alteram.

Deinde, si recte advertas, fidei quam Liberius susceperat conscribendæ, neque Hosium, neque Potamium, neque Germinium præsentes fuisse Hilarius ait. Cur vero eos reticuisset, si secundam Sirmiensem formulam eo loco exagitaret, quam alibi ab iis conscriptam ait ? Aliam itaque tunc designaverit, necesse est, Sirmiensem scilicet editam contra Photinum, cui nullus ex iis adfuit : contra vero Sirmiensi, quam Liberius susceperat, perfidiæ conscribendæ, *Theodorum, Basilium, et Eudoxium*, idem Hilarius adfuisse asserit : at, si de Sirmiensi secunda formula hæc intelligas, falsissima sunt ; siquidem prior jam obierat, alii vero duo longe aberant : hæc manifesto constant ex Theodoreto, Sozomeno, et Epiphanio, quos lector consulere ipse poterit (*b*), ac Petavio præterea in dissertationibus de Sirmiensi synodo contra Photinum. Hoc ipsum de Narcisso et Cecropio affirmari forte posset : hunc enim inter eos legimus, quos Georgius Laodicenus epistola sua excitabat, ut fidei, Eudoxii, et Aetii fraude pereunti mature succurreret (*c*). Alter vero in sede sua tranquillam agebat vitam, cum Basilii Ancyrani opera, ac Imperatoris jussu hæreticos illos Antiochia pulsos fuisse intellexit (*d*). Fides illa postremo, quam pontifex probaverat, ac Hilarius *perfidiam* vocat, ab *Orientalibus* conscripta fuerat, qui Sirmium accesserant Photini dejiciendi specie, at revera, ut Athanasium iterum sede pellerent, ac Nicænam fidem convellerent. At Sirmiensis secunda formula solis Occidentalibus ortum debet : hinc Eudoxius statim ac illam ab Hosio probatam fuisse intellexit, Ursacio et Valenti gratias egit, quod eorum ministerio *Occidentales* recte sentire cœperant (*e*). Eam itaque Hilarius, nec iis verbis exprimit, nec in mente habuisse videri potest.

Unum video, quod forte opponi possit, esse scilicet, præter illam quæ Photinum dejecit, ac sede expulit, aliam Sirmiensem synodum anno 349 congregatam, a Petavio et Constantio memoratam, quamquam Petavio Occidentalium Catholicorum, Constantio vero, ac nupero ecclesiasticorum auctorum Historiæ Scriptori, Arianorum Orientalium sit : Ejus igitur esse scriptum hoc de fide decretum, quod Hilarius recitat his verbis expressum : *Profitemur enim ita : Unum quidem ingenitum esse Deum Patrem, et unum unicum ejus Filium, Deum ex Deo, lumen ex lumine primogenitum omnis Creaturæ, et tertium addentes Spiritum sanctum* (*f*). Proindeque illam quam Liberius suscepit, fidem conscriptam ab hac synodo esse, atque ab iis episcopis, quos ille exprimit. Profecto, quod attinet ad hoc Sirmiense concilium, Petavius magnos adversarios habet : verum quidquid de hac

(*a*) Apud Coust. epist. 11, et Hilar. fragm. 6, n. 4, 5.
(*b*) Vid. Theodor., lib. II, cap. 13 ; Sozom., lib. IV, cap. 13 ; Epiph., hær. 73.
(*c*) Sozom., lib. IV, cap. 13.
(*d*) Philost., lib. VIII, cap. 10.
(*e*) Sozom., lib. IV, cap. 12.
(*f*) Hilar. frag. 2, n. 21.

lite sit, quam non facio meam; quod confidenter assero, illud est, nullum Sirmii coactum videri posse Orientalium Arianorum concilium anno illo, atque ante Constantis obitum. An vero imperator ille in Urbe imperii sui, ac suis pene sub oculis (*a*) passus unquam fuerit cogi synodum, qua Nicæna fides, cujus fuerat perpetuo tenax, everteretur, atque Athanasius sibi carus, ac suam in tutelam merito receptus, sede iterum exturbaretur, idque ab episcopis sub Constantii ditione positis, quorum præterea fraudes, animumque a se aversum noverat? An hoc eorum temporum politiæ tum civili, tum etiam ecclesiasticæ consonum? At enim verba illa, quæ Hilarius recitat, frustra quæras in Sirmiensi, a qua Photinus funditus eversus et dejectus est, synodo. Hoc vero ego nego: siquidem, si animum bene advertas, Hilarium sententias potius compendio exscripsisse, quam verba ipsa, quarum tamen partem aliquam retinet, referre voluisse dices.

Cæterum nullum Sirmii esse potuisse Arianorum Orientalium, ejusque anni concilium, Athanasius et Hilarius apertissime probant. Narrat ille, in historia Arianorum ad Monachos (*b*), pacem illam summam ac concordiam quæ Ecclesiam universam exceperat ac complexa fuerat, cum sedi suæ restitutus fuisset. Tum vero cur disrupta illa, ac turbæ illæ gravissimæ, quæ deinceps illam vexarunt, iterum exortæ, hanc affert causam: *Hæc cum audirent, et conspicerent sententiæ Eusebianæ hæreseosque successores Leontius, Georgius, Acacius, Theodorus, Narcissus, qui in synodo* (Sardicensi) *depositi exauctoratique erant, magno pudore suffundebantur. Deinde cum viderent tantum cum Athanasio animorum consensum, et pacem agitari, metu invidiaque anxii fuere, et quod tot episcopi cum Athanasio communionem foverent, et quod formidarent, ut quos ipsi deceperant, a se deficerent, et huic unanimitati, communionique sese adjungerent, nere quod futurum videbatur, de eorum hæresi ubique famosa triumphus ageretur.* Constantium itaque una omnes adivisse, atque illum contra Magnentium properantem adversus Athanasium ira iterum inflammasse scribit, idque malorum omnium quæ deinde secuta sunt, initium fuit. Hilarius autem, ut quæ tunc agitaverant consilia effectui darent, Sirmii illos convenisse, asserit (*c*) *homines mente calidos, ingenio subtiles, militia pertinaces, occasionem revolvendi ejus, quod Athanasii absolutione dissolutum fuerat, judicii quæsivisse*, scribens, ut *mortuam de Athanasio ipso jam tempore quæstionem, et veritatis judicio consepultam, in publicam recordationem nova Photini causa excitaret.* Fidem præterea illam, cujus pauca verba attuli, tunc illos condidisse ait, quam *hæreticam, fraudulentam, verbis blandientibus veneno interiore suffusam* ac postremo PERFIDIAM vocat, *ut cum secu-*

(*a*) Constantem, 27 Maii, Limenio et Catalino coss., Sirmii et in Illyrico egisse, ex Chronol. Cod. Theod. ac ex Libanio orat. 3, Tillemontius probat art. 13.

(*b*) Cap. 28 cum seqq.

(*c*) Frag. 2, n. 21.

ritas legentium atque indoctorum simplicitas tam mollibus principiis intercepta esset, uno eodemque subscriptionis elicitæ assensu, in Photini animadversionem, in Athanasii reatum, in damnationem fidei catholicæ transiretur. Hic igitur Sirmiensis hujus adversus Photinum concilii scopus. Acta vero res hæc Athanasio sedi suæ jam restituto, ac Constante Magnentii fraude exstincto: si itaque Athanasius anno 349 exeunte Alexandriam redire vix potuit, ut viri celebres censent, ac nuper oppido demonstravit vir cl. P. Thomas Mamachius Casanatensis theologus, de Ratione Temporum Athanasianorum epist. 1 et 3; si Constans imperator, Januario ineunte, Sergio et Nigriniano coss., periit, si ab uno illo eodemque Sirmiensi concilio id actum, ut una subscriptione in Photini animadversionem, in Athanasii tunc in sua Ecclesia pacifice agentis reatum, atque in fidei Nicænæ damnationem ire omnes possent; aliud quæras tempus atque annum necesse est, iis profecto agendis accommodatum, quam qui viris illis eruditis visus est.

§ IV. — Agitur de hæresi *Demophili* Beroeæ in Thracia episcopi, eumque Semiarianum perpetuo fuisse probatur, atque acerrimum Arianorum adversarium: an concilio Ariminensi hic adfuerit?

Postremo Sirmiensem a se susceptam fidem, antea sibi a Demophilo expositam fuisse Liberius asserit; quod ne mirum videri possit, Hilarius facit, qui Occidentales præter unam Nicænam, reliquas omnes scriptas fides magno Dei beneficio ignorasse scribit (*d*). Inquirendum igitur nunc est, an Demophilus Arianus, an Semiarianus esset, cum Liberius Beroeæ exsularet, ac utram hæresim tum eo tempore, tum etiam deinceps professus sit.

Illum itaque cum Eudoxio, Martirio ac Macedonio Μακρόστιχον *formulam* ad Occidentales attulisse legimus, atque e Mediolanensi concilio *iratis animis* cum sociis *exivisse, quod Arii sententiam hæreticam damnare noluerant* (*e*). At eam formulam, si qui attulerant, sincere profitebantur, Orthodoxi specie saltem videri poterant; siquidem illos *qui dicunt Filium ex eo quod non erat, aut ex alia substantia, non autem ex Deo, aut tempus aliquando, aut sæculum fuisse, cum non exstaret, pro alienis habebant a sancta et catholica Ecclesia* (*f*). Eudoxium saltem ex Arianorum sententia ad eos, qui homœusium asserebant, lectis Asterii libris transiisse, ac postremo ad Anomœos revocatum Philostorgius scribit (*g*). Omnes præterea concilio Sirmiensi contra Photinum adfuerunt, atque unam omnes idcirco fidem professi sunt, si non aliam voce asseruerunt, aliam mente sententiam retinuerunt. Ab ejusdem concilii tempore ad Sirmiensem usque secundam formulam, nullam aliam palam saltem, inter hæreticos invectam sententiam fuisse sci-

(*d*) De Syn. cap. 63.

(*e*) Liberius in epist. ad Constant. apud Coust. epist. 4.

(*f*) Socr. lib. II, cap. 19.

(*g*) Lib. IV, cap. 4.

mus : prodiit primis, ut ego puto, anni 358 mensibus ea blasphemia per Ursacium, Valentem, et Germinium; at Demophilum ipsum iis sese aliquando junxisse nuspiam legimus, sive cum ea conscripta est, sive cum aliorum aliquot episcoporum numero, et consensu, aucta deinceps fuit.

Ob turbas deinde ortas, anno insequenti Ariminensis synodus coacta est : huic, si Socrati, ac Sozomeno credimus (*a*), Demophilus adfuit cum Ursacio, Valente, Germinio, et Caio, atque iis in Patrum consessu tertiam proponentibus Sirmiensem formulam tum succenturiatus est, tum ob eam causam cum sociis anathemate damnatus. Socrates ac Sozomenus hæc hauserunt ex Athanasio (*b*), quem tamen magnum ac sanctissimum præsulem vereor ne memoria deseruerit in libro de Synodis, ut eum deseruit in epistola ad Afros, ubi Eudoxium quoque inter eos recenset, qui Ariminensi synodo adfuerant, ac depositi sunt : nam Beroeensis episcopus, qui Orientalibus accensebatur, nec adesse illi concilio potuit, nec præterea deponi, siquidem Constantius Occidentales Arimini collectos superbe vetuerat, ne quid omnino contra Orientales episcopos statuerent; hæc vero est ratio, cur ejus concilii, quæ supersunt acta, ac synodicæ epistolæ, quarum auctoritas potiori habenda in pretio est, *Ursacium*, *Valentem*, *Germinium*, *Caium et Auxentium*, Arianos tunc synodo præsentes memorant dumtaxat, et inter depositos referunt, Demophili vero nomen nuspiam exprimunt : qui enim absentem ac longe ab eo loco positum memorare potuissent?

Actis iisdem auctoritas accedit ex testimonio Hilarii, qui in tractatu contra Auxentium, eos omnes inter Arii Spiritus hæredes numerat, hunc vero silentio præterit (*c*); atque hunc etiam omittunt Marcellinus et Faustinus presbyteri, cum Arianos alios recensent, qui Ariminensi eidem concilio præsentes fuerunt. Quid vero præterea, quod decem illi episcopi, qui ad Imperatorem confecta synodo legati fuerant, ac Nicææ in Thracia prævaricati deinde sunt, cum priora concilii acta rescinderent, ac communionem *Ursacio*, *Valenti*, *Germinio*, et *Caio* nominatim restituerent, eumdem Demophilum alto silentio præterierunt? An vero gravius ille peccaverat, ut omni omnino venia apud ignaros illos episcopos indignus esse censeretur? Certum itaque ratumque sit Demophilum Ariminensi concilio non adfuisse. Quæri tamen hoc loco posset, cur nulla in Seleuciensi etiam synodo, cui imperator Orientales omnes adesse jusserat, ejusdem mentio sit? An forte ab iis turbis abesse maluit? An potius inter illos centum et quinque Homœusianos ab Hilario (*d*) memoratos, sed fugitans jurgiorum fuit? Utrumque fieri facile potuit, siquidem Basilius Magnus sic illum animo affectum scribit: *Constantinopolis dudum habet Demophilum, ac de illo quidem simulacrum quoddam rectæ fidei, et pietatis ab omnibus advenientibus summo consensu jactatur; adeo ut etiam dissidentes civitatis partes coaluerint in unum, atque ex vicinis nonnulli episcopi conjunctionem amplexi sint* (*e*).

Sed cur argumentis utimur in re manifesta non necessariis? Nam quæ Demophili sententia fuerit, intelligimus ex fragmento quodam, quod ex ejus commentariis Philostorgius excepit, Suidas autem servavit, et ad nos transmisit. Ait itaque : *Filius solius Patris voluntate genitus est, sine tempore, et sine medio, ut jussorum Patris minister sit et famulus* (*f*), in ministerio dispensationis ac redemptionis scilicet, ut videtur iis explicare, quæ subsequuntur verbis : hæc enim, si conferas cum prolixa Antiochena formula, seu cum Sirmiensi contra Photinum synodo (*g*), unam eamdemque sententiam utrobique expressam videas, Filium scilicet genitum sola voluntate Patris, sine tempore, sine medio, ut Patri obsequeretur ac minister esset, Patrem vero non substantia tantum, sed et auctoritate Patrem, quam porro auctoritatem sic explicavit Hilarius, ut nihil æqualitati detraheret, quia pietatis subjectio non est essentiæ diminutio, nec religionis officium degenerem fecit naturam (*h*). Hinc idem Philostorgius Demophilum ipsum, ut solet omnes a sua secta alienos, carpit, quod lutulentus flueret, quod omnia atque ecclesiastica potissimum dogmata confunderet, misceretque, ac denique, quod *Eunomianis gravissime infensus gravissimis eos malis affecerit* (*i*). Hoc vero testimonium, cum apertissimum et decretorium sit, nemo jure dubitaverit, quin Demophilus Semiarianus perpetuo fuerit, ac quin præterea illam, quam sincere profitebatur, fidem Liberio exsuli exposuerit.

§ V. — Quo anno ac mense Sirmiensis blasphemia conscripta, et in Gallias missa videri possit? Variæ ea de re sententiæ : Hilarius affertur, et explicatur, ejusque testimonio controversia definitur.

Hoc etiam mihi proposui, ut perscrutarer diligentius, quo anno et tempore Sirmiensis hæc blasphemia scripta videri possit, ac quis deinde exitus, fructusque ejus fuerit; siquidem his etiam fiet, ut eorum temporum historiæ aliquid lucis accedat.

Plerisque itaque placet anno 357 malis artibus in lucem obtrusam; at vix est, qui aliquam suæ opinionis rationem proferat, præter Petrum Constantium, qui Hilarii auctoritate utitur ad Gallicanos episcopos, qui eam damnaverant, hæc scribentis : *Vicistis enim, Fratres, cum ingenti fidei gratulatione, et geminam habuit illæsæ conscientiæ vestræ honor gloriam, de integritate scilicet conscientiæ, et de exempli auctoritate. Nam fidei vestræ imperturbatæ fama quosdam Orientalium episcopos sero jam commovit ad aliquem*

(*a*) Lib. II, cap. 37; lib. IV, cap. 18.
(*b*) Lib. de Syn. cap. 9, epist. ad cap. 3.
(*c*) Lib. contr. Aux. cap. 6.
(*d*) Contr. Const. n. 12.
(*e*) Tom. III, ep. 48.
(*f*) Apud Vales. H. E., tom. III, p. 558.
(*g*) Can. 1, 3, 25, 27; Ancyr. conc. can. 17, 18.
(*h*) De Syn. cap. 79.
(*i*) Lib. IX, cap. 9.

pudorem nutritæ hæreseos, et auditis iis, quæ apud Sirmium conscripta impiissime fuerant, irreligiosorum audaciæ quibusdam decretis contradixerunt (*a*). Decreta, quæ Hilarius memorat, illa sunt, quæ Ancyrana synodus promulgaverat. Hinc ait idem Constantius: *Ex Hilarii verbis ea inter hanc*, Gallicanam scilicet, *et Ancyranam synodum debet intercedere temporis mora, ut commode potuerit illius formula in Gallias deportari, deinde Gallicanorum episcoporum convocari synodus, hujus decreta in Asiam ad Hilarium, et ab Hilario ad Orientales perferri, qui Gallorum exemplo excitati Ancyranam synodum coegerint* (*b*). Non unus tamen est Constantius, qui hanc in Gallicanos episcopos gloriam conferat, siquidem Tillemontius sic Hilarium intelligit, ut Orientales episcopos Ancyranam illam synodum coegisse velit, postquam eam blasphemiam in Galliis proscriptam fuisse intellexerant. Cæterum quin Gallicani eorum temporum episcopi, sanctissimi profecto ac doctissimi fuerint, et a Deo concessi, ut fidem tuerentur, nemo negaverit: ego etiam concedo libenter plures fuisse hoc eodem sæculo, ac esse nunc etiam D. O. M. beneficio, qui tantorum Patrum filii et hæredes gloriam auxerint; at forte non ea est Hilarii hoc loco mens, quam Tillemontius et Constantius putant: neque enim ille Gallicanos episcopos laudat, quod in revocanda et damnanda Sirmiensi hac formula, exemplo suo Orientalibus auctores fuerint, ut enim, mox dicam, ex Hilario ipso hoc falsum fuisse constat: sed quod ii servatæ perpetuo rectæ fidei fama effecerant, ut Orientales nutritæ a se hæreseos aliquando puderet: quæ profecto constans fama ut facile per Orientem diu antea spargi, atque ad earum provinciarum episcopos ferri potuit, ita etiam diu antea eos ipsos ad pudorem nutritæ hæreseos permovisse debuerat, quem tamen palam fecerunt dumtaxat, cum captata Eudoxianæ blasphemiæ occasione, editis Ancyranis definitionibus, hæreseos infamiam alienam a se facere visi sunt. Hinc vero fit, ut ratio, ob quam Constantius illam retulit ad annum 357 nondum provectum, haud satis solida videri possit.

Qui vero illam anno 358 conscriptam putant, hoc potissimum fundamento nituntur, quod Constantius, qui huic conscribendæ adfuit, quamquam anno 357 exeunte Maio, Roma digressus sit, ut in Illyricum festinaret, tamen nec Italiam reliquisse, nec Sirmium ante postremos ejus anni dies accessisse videatur, cum leges habeamus ab eo *Mediolani* datas die 4 et 6 Decembris mensis (*c*), at hæc quoque ratio haud difficultate vacat. Ammianus enim Marcellinus, Urbe ægre relicta, in Illyricum *festinasse* imperatorem scribit, ut *Quadorum*, et *Sarmatarum* motus compesceret: Ammiano accedit Julianus, qui Chnodomarium Argentinensi prælio captum, *statim* Constantio misisse ait, *commodum e Quadis et Sarmatis redeunti*; tum hæc addit: *Ita contigit, ut cum ego dimicassem, ille solum iter fecisset, et cum Istri accolis pacifice collocutus esset, non ego, sed ille triumpharet* (*d*). Nunc vero cum prælium Argentinense, ab anno 357 removeri haud possit, atque anno illo per Illyricum Constantius iter fecerit, nihil impedit quominus Sirmium commodo accedere, ac conscribendæ formulæ adesse potuerit. Neque vero opus est, quod nonnulli faciunt, ut imperatorem invitum ac defatigatum ex Illyrico iterum revocemus Mediolanum, Decembri mense, quo leges in ea Urbe datas legimus, atque eum deinde 18 ejusdem die, Sirmii rursus statuamus vacantem publicationi aliarum legum (*e*). Facile enim illum ab hoc incommodo liberamus, si cum Reinesio (*f*) librariorum imperitia factum dicamus, ut *Medianæ* aut compendio scriptæ, aut exscriptorum imperitia *Mediolanum* successerit. Erat enim *Mediana* locus, sive imperatorum recessus, tertio a Naisso lapide, imperii Valentinianum inter et Valentem divisione celebris. Hanc vero correctionem facilius etiam probaturus erit, qui secum reputet, habita itineris ac mansionum ratione vix fieri potuisse, ut imperator, qui 6 et 7 Decembris Mediolani agebat, 18 ejusdem mensis die, publicandis in Sirmiensi urbe legibus vacaret. Quod si lex 14 de Episcop., quæ Felici Romano episcopo inscribitur, non *Mediolani*, sed *Medianæ* data est, Liberius exeunte anno 357 nondum Beroea discesserat, ac pristinam constantiam dimiserat, siquidem eum pontificem, statim ac cedere visus est, ad imperatorem venisse, ab eoque *sedi suæ restitutum fuisse scimus*.

Cur itaque eorum, qui eam Sirmiensem formulam primo aut altero mense anni 358 scriptam putant, sententiam ego veriorem existimem, facit duplex Hilarii testimonium, alterum in libro de Synodis, alterum in opere contra Constantium. Nam primo loco, cum Gallicanos episcopos de Ancyranæ synodi definitionibus certiores faceret, hæc ait: *Et hæc quidem, fratres charissimi, omnis quæ edita est fidei doctrina per paucos juxta universitatis modum Orientales,* SUB HIS IPSIS PROPE DIEBUS *quibus vos ingestam hæresim respuistis, emersit; cujus exponendæ ea fuit ratio, quod unius substantiæ silentium decernebatur* (*g*). Hisce itaque verbis, quæ profecto decretoria sunt, manifesto liquet, uno prope, eodemque tempore a Gallicanis et Ancyranis episcopis, anathema dictum eidem fuisse. Si vero id ab Ancyranis factum fuisse scimus sub festum Paschatis, quod incidit anno illo in duodecimam Aprilis, eodem etiam mense id a Gallicanis præstitum videri debet; quo argumenti genere Sirmondus utitur, ut synodum, qua Sirmiensem eam blasphemiam damnatam a Gallis putat, eodem prope tempore collectam merito censeat. Quantum vero temporis spatium intercurrisse

(*a*) De Syn. n. 3.
(*b*) Adnot. ad Hilar. de Syn., cap. 11.
(*c*) Cod. Theod. l. 5 de Malef., et l. 14 de Episc., et l. 9 de Curs. pub.
(*d*) Orat. ad Athen. p. 279, edit. Spanh.
(*e*) L. 3 de Erog. mil. et l. 27 de Appel.
(*f*) Epist. 27, p. 114.
(*g*) De Syn., n. 28.

potuit, ut impia hæc formula a loco, ubi scripta est, in Gallias deferri posset? Nam statim ac ea accepta, et significata est, Hilarius damnatam fuisse indicat: (*a*) An vero mensis unius spatium minime sufficiens fuerit, Ursacio potissimum et Valente adnitentibus, ut ea quam citissime transmitteretur? Itaque extra primum aut alterum anni ejusdem mensem collocari vix poterit.

Alterum Hilarii testimonium, hæc ejus ad Constantium verba suppeditant: *Incerto enim doctrinarum vento vagamur.... Jam vero proximi anni fides, quid jam de immutatione non habet? Primum, quæ homœusium decernit taceri. Sequens rursus, quæ homœusium decernit et prædicat. Tertium, quæ Usiam simpliciter a Patribus præsumptam per indulgentiam excusat. Postremum, quæ non excusat, sed damnat* (*b*). Scribebat ille Constantinopoli positus, anno 359 jam prope exeunte, aut altero jam ineunte. Huic vero *proximus* unus est, qui præcesserat, annus: hic igitur Sirmiensi blasphemiæ, ac quæ huic contrariæ est, Ancyranæ ecthesi ortum dederat; quas deinde formulas haud multo post Sirmiensis tertia, quæ *usiam* excusat, ac deinde Seleuciensis Acacianorum, quæ deinde nova appendice Constantinopoli ab iis donata est, ac *usiam* aperte damnat, subsecutæ sunt.

Monstrum itaque hoc, quin statim ac in lucem prodiit, in Gallias missum fuerit, dubitare nos haud sinunt Hilarius et Phœbadius. At cum Hilarius, non a synodo, quæ nulla fuerat, non ab episcopis, sed tantum *ex Oppido Sirmiensi missum* dicat, non obscure viam indicat, qua missum fuerat. Ursacius igitur et Valens, rerum domini cum essent, Magistriani seu publici cursoris opera usi sunt, eo consilio, ut celerrime ferri posset, ac præterea ut imperatoris nomen et jussionem præ se ferret, quo facilius reciperetur: Magistrianos enim ad magna principum perferenda mandata electos Gothofredus observat, atque iis uti in rebus Ecclesiæ perturbandis, Constantio haud insuetum fuisse, ex Theodoreto colligimus (*c*). Hoc vero est, quod idem Hilarius alio loco, atque his verbis apertius explicat: *Antea in obscuro atque in angulis Dominus Christus, Dei esse secundum naturam filius negabatur, et essentiæ inops paternæ, accepisse cum aliis Creaturis de non exstantibus prædicabatur. At vero nunc* PUBLICÆ AUCTORITATIS PROFESSIONE *hæresis prorumpens, id quod antea furtim mussitabat, nunc non clam victrix gloriabatur:* tum deinde Ursacium et Valentem veluti impietatis hujus auctores arguens, *fefellerunt*, ait, *ignorantem regem, ut istius modi perfidiæ fidem bellis occupatus exponeret et credendi formam Ecclesiis nondum regeneratus exponeret;* hinc enim colligis uno omnia imperatoris nomine tunc peracta fuisse. Hac eadem illi fraude, quæ male cecidit, usi fuerant latrocinali in Mediolanensi synodo anno 355 congregata. Nam *metu plebis* propria *piacula non ausi proferre, epistolam sub imperatoris nomine miserunt, omni pravitate refertam*, eo consilio, *ut si ea æquis auribus populus reciperet*, PUBLICA AUCTORITATE *cupita referrent: sin aliter fuisset excepta, omnis invidia esset in rege, et ipsa etiam venialis, quia etiam tum catechumenus sacramentum fidei merito videretur potuisse nescire* (*d*). Ex hoc autem Severi loco intelligis etiam, quid Hilario sit, *publicæ auctoritatis professio.*

Sed et alia est causa, cur ea formula non synodi, aut episcoporum, sed uno tantum imperatoris nomine missa videri oporteat. Si enim Hosium excipias, cæteri quatuor, quos Hilarius illius auctores fuisse asserit, extra Ecclesiæ communionem fuerant: hoc saltem de Ursacio et Valente Galli episcopi certo statuerant (*e*). Quamobrem omni cum orthodoxis episcopis interdicto per canones litterarum commercio, non erat cur illis consueto more ac de rebus ad fidem pertinentibus Ariani illi scriberent; unaque hæc supererat via, qua etiam usi sunt, ut formulam a Constantio mitti ac per magistratus promulgari curarent, quod aliquando a Constantio factum legimus. Siquidem cum de Athanasio agebatur, *magistratibus scripserat*, et mulctam denunciaverat, nisi quis propriæ civitatis episcopum adversus illum *subscribere coegisset* (*f*). Quæ cum ita sint, paradoxa mihi videtur eorum sententia, qui Sirmiensem illam blasphemiam synodicam appellant, atque in synodo conditam aiunt, cum præterea nec episcoporum numerus rei tantæ deliniendæ necessarius adfuerit, nec synodicæ de more aut scriptæ, aut missæ fuerint, nec ii convocati, quibus accedendi jus erat: quamquam si fortuitum illum, ac quatuor, aut quinque episcoporum clandestinum congressum synodi nomine, editamque ab eo formulam synodicam appellare volueris, minime repugnarem, eo tamen sensu, quo Sardicense concilium scripsit *Arianos venientes Sardicam* per singula loca *synodos* fecisse inter se, et pactiones cum intermationibus, ut omnino venientes Sardicam ad judicium non accederent, neque in unum cum sancta synodo convenirent, ea voce peculiares, clandestinosque eorum conventus exprimens (*g*).

Sed ut ad institutum redeam, quamquam hæc ab eo minime prorsus extranea sint, statim ac formula hæc Gallis episcopis nuntiata ac significata est, palam rejecta, palam damnata fuit: an vero collecta synodo, ut Sirmondus censet, an vero circumeuntibus episcoporum litteris, ut fieri etiam potuit, nihil interest quærere. Nunc vero, quo recidat oratio, vide: si eam anno 357 scriptam asseris, si Constantii auctoritate promulgatam ac suffultam vides, cur nihil actum ab illo interea fuit contra repugnantes

(*a*) De Syn., n. 2.
(*b*) Lib. II adv. Const. n. 5.
(*c*) H. E. l. II, cap. 3.
(*d*) Sever. Hist., lib. II, n. 460.
(*e*) Hil. de Syn., n. 2, et Contr. Const. n. 2.
(*f*) Athan. ad solit. p. 829.
(*g*) Ex interpretatione Hilarii fragm. n. 7 græce apud Athanasium: Καὶ Ἐρχόμενοι δὲ εἰς τὴν Σαρδικὴν κατὰ τόπους συνόδους ἐποιοῦντο πρὸς ἑαυτούς.

episcopos? Hilarius profecto Ursacio et Valenti exprobrat, quod ea promulgata, contradicentes episcopos ad exsilium coegerant. *Coegerunt enim nos*, ait ille, *ad voluntatem exsulandi, dum impietatis imponunt necessitatem* (*a*).

At viris illis ad omnem audaciam, crudelitatemque paratis, non consilium, non animus, sed tempus defuit. Nam confecta interea Ancyrana synodus est ineunte Aprili mense, quæ Sirmiensem blasphemiam sub Eudoxiano hæresi latentem confixerat. Legati qui ab illa ad Constantium fuerant, Basilius Ancyranus, Eleusius et Eustathius, ac Sirmium ineunte Maio commodo accedere potuerant, imperatorem a priori sententia depulerunt. Ursacius ipse, Valens ac Germinius Constantio obsequi, Sirmiensem formulam ejurare, atque Ancyranam ecthesim, quæ tunc promulgata est, profiteri coacti sunt. Hinc illis omnes nocendi nervi repente, ac præter omnem exspectationem, succisi sunt. Rem narrant Hilarius, Socrates ac Sozomenus, qui consuli possunt. An non vides aperta omnia, et plana, ac quod Hilarius ait, Gallos et Ancyranos episcopos uno prope eodemque tempore impietatem illam damnasse, ut verissimum sit?

Sed pergamus rei, de qua agitur, lucem afferre. Quæri igitur potest, an ea formula sicut in Gallias, ita missa in Orientem fuerit, ac promulgata? Sic nonnulli putant: equidem haud facile concesserim, Ursacium, Valentem, Germinium et Potamium ejus auctores, Occidentales cum essent, ac cæterarum omnium Ecclesiarum consensu carerent, fidem proposuisse propriam Orientalibus, ut iis etiam communis esset, ac promulgasse, ut ab omnibus velut certum constitutumque dogma reciperetur. Hanc vero sententiam hæc, ni fallor, præterea confirmant. Primo quod Georgius Laodicenus in litteris, quæ in Ancyrana synodo recitatæ sunt, unum tantum Aetium et Eudoxium hæresis tunc ortæ auctores dat. Secundo quod Basilius Ancyranus in encyclica ex synodo a se habita, scripta, tum eos perstringit dumtaxat, tum vero ex *Illyricorum nuntiis* (*b*) accepisse se scribit, perniciem illam latius serpere propagarique, ad instar fermenti: eam igitur non viderant Orientales, nec illa iis in locis vulgata de more fuerat. Tertio non ego diffiteor, quin Eudoxio, qui recenter Antiochenæ sedi irrepserat, cognita fuerit: at uni Eudoxio significatam contendo, ac familiaribus tantum Ursacii, Valentis, et Germinii litteris, quod eos non lateret, cujus esset animi vir pessimus, communemque sese habere cum illo causam: hinc ille unus gratias egit Ursacio ipsi, Valenti, ac Germinio, *quod eorum Ministerio Occidentales recte sentire* cœperant; Hosium eam blasphemiam profiteri coactum iis verbis exprimens: (*c*) atque ii, quibus rescribit, ut vides, tres sunt dumtaxat. Quarto Constantius hæresi per legatos, qui Ancyra venerant, indicata, tum novatores exsilio damnavit, Aetium, scilicet, Eudoxium ac socios, tum scriptis litteris Antiochenos monuit, ne promulgatam *in Encæniis* fidem desererent: atque ut Eudoxianam hæresim, *impiam, novam ac sero ex erroris barathro emersam* exsecrarentur (*d*). An vero ille tam impudens fuerit, ut hæc ageret, et scriberet, si ea formula probata antea a se fuerat, si per Orientem promulgata jussu suo ac encyclicis episcoporum litteris, ut reciperetur? At, inquies, potuit ea privatim ac familiaribus epistolis vulgari: quid vero hinc colliges? An eam propterea Demophilus certo viderat? An fidem præterea, quam fama tantum, ac incerta voce clanculum protusam acceperat, nec satis perspectam habebat, exponere Liberio potuit? Contra vero Ancyranæ definitiones, quibus Antiochena et Sirmiensis expositio expresse confirmata est, promulgatæ statim fuerant encyclicis de more litteris: Constantius præterea illas tunc obtinere solas jusserat (*e*). Vix igitur aliam ab ea, quæ tunc obtinebat, fidem Demophilus Liberio exposuisse potuit.

Hæc autem cum ita se habeant, minime necesse est, ut diutius immorer in refellendo Dupinio, atque anonymo scriptore, qui Dupinium nobis iterum proposuit elapsis annis in Gallicam linguam conversum sub titulo *Tractatus de ecclesiastica et sæculari potestate* (*f*). Qui primo Demophilum inter Anomœos confidenter collocat, deinde duplicem a Liberio signatam formulam somniat, alteram scilicet Beroeæ, eamque Arianam totam, atque Anomœorum sententiæ conformatam, alteram vero Sirmii, eo nempe animo, consilioque, ut de priori illa Beroeæ subscripta sese purgaret, vulgatamque quod Filium Patri dissimilem professus esset, famam dissiparet apud Basilium Ancyranum cæterosque Semiarianos, qui ad Constantium Sirmii agentem legati fuerant (*g*). Quæ enim dicta a me hactenus, et disputata sunt, ac quæ præterea rursus dicenda restant,

(*a*) De Syn. cap. 78.
(*b*) Οἱ ἀπὸ τῶν κατὰ τὸ Ἰλλυρικὸν ἀπαγγέλλουσιν.
(*c*) Sozomen. lib. IV, cap. 12.
(*d*) Sozom. lib. IV, cap. 13.
(*e*) Soz. lib. IV, cap. 14.
(*f*) Traité de la puissance ecclésiastique et temporelle, MDCCXXVII, p. 713.
(*g*) *Ce n'est pas ici le lieu d'examiner quelle est cette formule de foi à laquelle il souscrivit; il nous suffit que les anciens aient assuré que la formule de foi à laquelle il souscrivit était hérétique, et qu'il approuva l'Arianisme . . . . D'ailleurs la formule, qu'il avait souscrite dans son exil, lui avait été présentée par Démophile, arien; et elle était si fort arienne, qu'à l'occasion de cette souscription, les Ariens dirent hautement que Libère avait reconnu par sa souscription que le Fils était dissemblable à son Père; ce qui obligea les Sémiariens, quand Libère fut revenu à Sirmich, à l'engager à signer une profession de foi, dans laquelle il reconnoissait le Fils semblable à son Pere. Car Libère signa deux fois: la première, dans son exil, une formule de foi tout à fait arienne, que Démophile lui présenta, et après il écrivit aux Orientaux . . . . étant ensuite rappelé à Sirmich, les députés du concile d'Ancyre . . . l'obligèrent de signer un recueil des formules de foi, et de reconnaître que le Fils était semblable à son Père. C'est ainsi que Sozomène rapporte cette histoire, et sa relation est con-*

aperte demonstrant, Dupinium, quæ numquam fuerunt, facta temere comminisci, falsisque ea testimoniis confirmare, ut fucum, prout solet, lectori faciat.

§ VI. — Rei totius a Liberio gestæ series exponitur, ejusque ad Orientales, et ad Ursacium et Valentem litteræ explicantur. Exposita rei tunc gestæ series confirmatur auctoritate Sozomeni, atque Acacii, aliorumque Constantinopoli congregatorum Arianorum testimonio non antea observato.

Quæ itaque hactenus dicta, et disputata a me sunt, cum quæ suscepta a Liberio fides fuerit, ostenduni, tum vero totam rerum gestarum seriem facile jam pervidendam offerunt. Basilius igitur, confecta Ancyrana synodo, ac Paschalibus forte diebus, ad imperatorem profectus est Sirmii agentem; eoque, ut dixi, pervenire facile potuit ineunte Maio : res illum suas pari celeritate, ac felicitate confecisse ex Hilario et Sozomeno scimus : nam Sirmiensis blasphemia abrogata et Antiochena in Encæniis fides iterum confirmata est; Ursacius præterea et Valens ejusdem blasphemiæ auctores ignorantiam professi, revocarunt, quod fecerant, Antiochenæ et Ancyranæ ecthesi subscribere coacti : Eudoxius et Aetius, aliique manifesti ejus impietatis sectatores exsules facti : Basiliani denique victores universa loca peragrarunt, ut *homœusium* sive Ancyranam fidem, quæ eadem cum Sirmiensi est, confirmarent (*a*). Nullus itaque dubito, quin litteras quaquaversus illico spargi curaverint, quibus episcopi omnes per Orientem, atque ii potissimum, qui Sirmiensem fidem profitebantur, ea de re certiores fierent, quos inter Demophilus merito numerandus est, quia non longe aberat, ac Sirmiensi eidem fidei conscribendæ adfuerat, eamque ut vidimus, cum Semiarianis palam profitebatur. Hæc vero omnia cum ille Liberio præsens narrasset, atque explicasset, obtinuit, ut ille exsilio fractus, et Urbis revisendæ cupidus, ad Orientales scriberet, qui in comitatu erant, et rerum apud imperatorem potiebantur, Basilium scilicet, ut Nicephorus explicat, ejusque socios (*b*). Nec vero sententiam hanc meam evertere videtur, quod idem pontifex Ursacio etiam, et Valenti scripserit, Sirmiensis ejus blasphemiæ auctoribus et assertoribus : cum enim istam tunc ii revocassent, et eamdem cum Basilio, cæterisque Semiarianis fidem profiteri coacti fuissent, nulla erat aperta ratio cur idem pontifex, qui Orientalibus scripserat, eorum Occidentalium etiam, quorum magna erat apud Constantium gratia, ac eadem tunc cum cæteris fides, communionem refugere debuisset. Hinc vero intelligis,

A cur in litteris ad Orientales scriptis, *fidem* sibi a *Demophilo expositam* se suscipere Liberius ait, hac vero de re nullum in aliis ad Ursacium ipsum, et Valentem et Germinium exaratis, verbum fecerit. Quis enim hinc non videat, cum idem Liberius eas litteras exararet, unam fuisse eorum omnium fidem, missamque proinde utramque epistolam, postquam Valens, Ursacius et Germinius Ancyranæ synodi definitionibus subscripserant, nullaque inter eos, et Orientales exterior in sententiis discordia esse videbatur?

Nunc vero videndum a nobis est, quid Liberius egerit, postquam Sirmium accessit. Athanasius et Hilarius, ut dixi, nihil profecto exprimunt, quod nos ejus rei dilucide scientes faciat. Socrates de hu-
B jus pontificis lapsu nihil omnino attigit; siquidem Rufinus, quem sequitur plerumque, hac de re nihil certi compertum se habuisse scribit (*c*). Unus itaque Sozomenus superest, qui gestæ tunc rei memoriam transmisit ad posteros, atque illam adeo descriptam accurate, ut omnem omnino pudorem exuisse oporteat, qui ejus hoc in facto auctoritatem sequi nolit. Illum itaque operæ pretium est ut audiamus.

Haud multo post Imperator ab urbe Roma Sirmium reversus, cum Occidentales episcopi legationem ad ipsum misissent, Liberium Berœa ad se accersivit : cumque adessent legati episcoporum Orientis, convocatis sacerdotibus, qui in comitatu erant, Liberium cœpit compellere, ut Filium Patris non esse consubstantialem profiteretur. Instabant autem, et imperatorem ad hoc impellebant, Basilius, Eustathius et Eleusius, qui præcipua apud ipsum auctoritate pollebant.
C *Qui cum ea, quæ contra Paulum Samosatenum, et contra Photinum episcopum Sirmii decreta fuerant, ac præterea fidei formulam in dedicatione Antiochensis basilicæ editam, in unum tunc libellum conjecissent, perinde quasi quidam sub obtentu vocabuli consubstantialis propriam hæresim stabilire conarentur, effecerunt ut Liberius et Athanasius, Alexander, Severianus et Crescens Africæ episcopi ei formulæ consentirent. Consenserunt pariter Ursacius et Germinius episcopus Sirmii, et Valens Mursæ, et quotquot ex Orientis partibus aderant episcopi. Sed et confessionem a Liberio vicissim susceperunt, qua eos, qui Filium substantia et per omnia Patri similem non esse asserrent, alienos ab Ecclesia pronuntiabat (d)..... His*
D *per legatos Occidentalium confectis, imperator Romam redeundi potestatem fecit. Scripserunt etiam episcopi, qui Sirmium convenerant ad Felicem, qui*

forme aux anciens monuments dans les Fragments de S. Hilaire . . . Hæc exscripta ex Dissert. 5, § 3.

(*a*) Philost. lib. IV, cap. 9.

(*b*) Niceph. lib. IX, cap. 37.

(*c*) Lib. I, cap. 27.

(*d*) Hunc Sozomeni locum, nefarie tamen falsatum exscripsit Græculus ille, cujus exstat variis in bibliothecis rhapsodia quædam sub ementito *Photii patriarchæ* nomine, ac sub hoc titulo : Συναγωγαὶ καὶ ἀποδείξεις ἀκριβῶς συνειλεγμέναι ἔκ τε συνοδικῶν, καὶ ἱστορικῶν γραφῶν περὶ ἐπισκόπων, καὶ μητροπολιτῶν, καὶ λοιπῶν ἑτέρων ἀναγκαίων, Ἐκκλησιαστικῶν ζητημάτων.

Ἐρώτησις.

Ἐν ποίοις φαίνονται πεπραχότες οἱ Ῥωμαῖοι παραλόγως;

Ἀπόκρισις.

Ἐπὶ Κωνσταντίου Λιβέριος ὁ Ῥώμης μετὰ τὴν ἐκ τῆς ὑπερορίας ἐπάνοδον, τῇ ἐν Ἀντιοχείᾳ ἐκτεθείσῃ πίστει ἐγγράφως συνήνεσεν· ἐν μέρει δὲ ὁμολογίαν παρ' αὐτοῦ ἐκομίσαντο Βασίλειός τε ὁ Ἀγκύρας καὶ Εὐστάθιος Σεβαστείας, ἔτι γε μὴν καὶ Ἐλεύσιος ἀποκηρύττουσαν τοὺς μὴ κατὰ πάντα ΑΝΟΜΟΙΟΝ τῷ Πατρὶ τὸν Υἱὸν λέγοντας. καὶ τῆς κοινωνίας δὲ αὐτῶν οὐ διίστατον.

tum Romanæ Ecclesiæ præsidebat, et ad clerum ejusdem civitatis, ut Liberium susciperent, atque ambo apostolicam sedem gubernarent, et simul sacerdotio fungerentur absque ulla dissensione (*a*). Hæc Sozomenus : at quos Valesius, cujus interpretatione utor, Occidentalium *legatos* in medium statuit, equidem nullos fuisse puto : siquidem Græcum verbum πρεσβεύω, tum eos exprimit, qui legati missi sunt, tum eos quandoque, qui pro alio deprecatores accedunt : hoc saltem sensu Langus Nicephori interpres ac Fronto Ducæus vocem illam acceperunt (*b*). Fortunatianum igitur Aquileiensem, quem Liberius cum litteris ad imperatorem miserat, hoc loco ego designatum intelligo, atque ipsos etiam Ursacium et Valentem, quos ille sibi devinxerat, cæterosque in comitatu tunc positos : neque enim brevis mora patiebatur, ut quos mitti per Vincentium Capuanum ex Campania idem pontifex optaverat, tunc adesse potuerint.

Vides itaque Liberium Basilii opera ab exsilio revocatum, postquam Sirmiensem fidem se recepisse scripserat : deinde vero, postquam eidem fidei cum Afris aliquot episcopis reipsa subscripsisset, Romam eundi, suamque recipiendi sedem potestate donatum. Cum autem ille, Anastasio teste, III non. Augusti Urbem ingressus sit, Sirmium accessisse debuit in Junio mense, rebusque eo jam labente confectis, Romano itineri se dedisse. Omnia vero, si sic accipias, sibi recte cohærent : nam clandestina Ursacii, et Valentis formula, Basilio instante, abrogatur, ac Sirmiensis contra Photinum ecthesis iterum promulgatur Maio nondum provecto : Liberius non longe absens a Demophilo expositam suscipit idque Basilio Ancyrano, aliisque Orientalibus in comitatu positis denuntiat iis quas memoravi litteris. Ab exsilio itaque evocatur ad imperatorem, ac fidem, quam se suscepisse dixerat, scripto professus, ad sedem suam revertitur. Neque enim negaverit aliquis, quin hæc omnia trimestri spatio fieri commode potuerint.

Cæterum non unus Sozomenus hujusce rei testis est ; siquidem non obscuro Acacii Cæsariensis testimonio confirmantur. Fuerat ille cum cæteris ex fæce Arianæ, qui *Usiam* a fide rejiciendam statuerant, depositus in Seleuciensi synodo a Semiarianis *Usiæ* assertoribus : sed Acaciani paulo post fortiores, ut par referrent in latrocinali Constantinopolitano conventu, Semiarianorum duces sedibus expulerunt ; quod cum jure fecisse videri vellent, ubi de Basilio Ancyrano agunt, has cum nonnullis aliis expresserunt causas, *quod* scilicet, *Illyriis, Italis et Afris dissidii, et tumultus causa exstitisset, et eorum quæ Ecclesiæ Romanæ contigerant, auctor fuerat* (*c*). Cur igitur Illyriis, Italis et Afris dissidii, et tumultus causa ille fuisse dicatur, ego minime inquiram, quamquam inclinat animus, ut credam iis verbis exprimi studium illud, quo allaboraverat, ut iis in locis Ancyranæ definitiones reciperentur, atque Anomœi damnarentur. Quæro itaque, siquidem hoc ad Institutum pertinet, quænam fuerant, quæ Ecclesiæ Romanæ haud pridem contigerant, atque eidem Basilio Acacius veluti auctori præcipuo, crimini vertit. Plerique rem, veluti in obscuro positam, intactam prætereunt ; Tillemontius vero, cujus nihil diligentiam fugit, suspicatur hoc loco Felicis intrusionem indicari, atque ejus rei culpam in Basilium ab Acacio transferri (*d*). At cur Acacius Felicis ordinationem Basilio exprobrare potuit, cujus ipse Mediolani cum cæteris Arianis Constantium possidens (*e*), si Hieronymo credimus, auctor potissimum ac promotor fuerat ? Ego vero miror, cur nullus unam illam, quæ sese sponte offert, veram causam attigerit, eorumque verborum vim aperte explicuerit : iis enim haud obscure expressas intelligimus seditiones illas, ac forte etiam cædes, quas Socrates, ac Sozomenus, et preces Marcellini et Faustini memorant, Romæ ortas et perpetratas, cum Felix, quem Acacius evexerat, sede expelleretur Liberio reduce ; earumque in culpam vocatum eo loco fuisse Basilium, quippe qui unus, ac præcipuus fuerat ejus pontificis reducendi auctor. Quod si Liberius Basilii ejusdem opera Berœa evocatus est, si fidei ab eo propositæ subscripsit, si iis deinde confectis sedi suæ restitutus est, nullum deinceps futurum esse puto, qui de Sirmiensi blasphemia huic pontifici litem moveat, nisi sibi antea persuadeat, eam fuisse a Basilio propugnatam, prætereaque Constantium, qui huic rei agendæ præerat, qui Antiochenam formulam, retineri jusserat, qui Eudoxium, atque Aetium ejusdem blasphemiæ per Orientem duces mulctaverat, qui Valentem, Ursacium et Germinium coegerat, ut eam ejurarent, permisisse, ut Romanus pontifex illam eodem tempore confirmaret ; mirari itaque haud satis possum præceps eorum judicium, qui cum tam longe absint ab ætate gestarum rerum, Liberium, quod nemo veterum scriptorum ausus est, subscriptæ Sirmiensis secundæ formulæ reum agere potuerit.

§ VII. — Quæstio a Tillemontio primum proposita excutitur : an scilicet Liberius homousium non reticuerit solum, sed etiam damnaverit ? Rationes, ob quas scriptor ille doctissimus ancipitem se ostendit, proponuntur. Sozomenus adducitur pro veriori sententia, et illustratur : an pro certo sit habendum, damnavisse homousium synodum Antiochenam, quæ habita fuit contra Paulum Samosatenum. Hilarius et Victorius haud recte a Tillemontio accepti afferuntur, et explicantur.

Hanc dubitationem nullus in medium adduxerat ante Tillemontium, qui eam primo proposuit, cum de Arianis ageret, versatamque in utramque partem, postremo inexplicatam, deserit doctiori, ut ille pro

(*a*) Lib. IV, cap. 15.
(*b*) Niceph. lib. IX, cap. 37.
(*c*) Sozom. lib. IV, cap. 24 : καὶ διχονοίας καὶ στάσεως αἴτιος ἐγίνετο Ἰλλυροῖς, καὶ Ἰταλοῖς, καὶ Ἀφροῖς, καὶ τῶν περὶ Ῥωμαίων τὴν Ἐκκλησίαν συμβάντων.
(*d*) De Arian. tom. VI, art. 38.
(*e*) Subscripsit enim cum cæteris tunc habito latrocinali concilio. Vid. Bar. ann. 355, num. 22.

singulari sua modestia inquit, viro dignam (*a*).

Cur vero sic dubitaverit, faciunt hæc pauca, quæ jam recitata sunt, Sozomeni verba : *Convocatis* Constantius *sacerdotibus, qui in Comitatu erant, Liberium cœpit compellere, ut Filium Patris* NON ESSE *consubstantialem profiteretur.* Siquidem ea sic accipit, ut Liberium nedum homousii professionem deserere, verum etiam illud palam *damnare* a Constantio coactum putet. Erat vero causa, ut suspicatur, cur imperator id vellet. Nam si Basilius, aliique Semiariani in Ancyrano conventu huic voci *anathema* dixerant, si Constantii animum tunc possidebant, ac moderabantur, fieri etiam facile potuit, ut temporum benignitate, atque ejusdem imperatoris auctoritate usi sint, ut eum pontificem in hanc sententiam pertraherent. Unum tamen est, quod Tillemontium ea de re dubium habet, atque illud est, quod Basilius, aliique Ancyranæ synodi legati *anathema* illud clam esse oportere statuerant, atque hoc decretum ab iis, quæ Sirmii promulgatæ sunt, definitionibus expunxerant. Rationes deinde, seu conjecturas affert, ob quas eos captata opportunitate ab instituto illo consilio recessisse, ac liberas eidem *anathemati* habenas laxasse censet ; primo quia Hilarius scribit, Ursacium, Valentem et Germinium ab eodem Basilio postulasse, ut legeretur epistola de *homousii et homœusii expositione ;* quam illam ipsam esse opinatur vir doctus, quæ ab Ancyrana synodo scripta fuerat, ab Epiphanio recitata (*b*), ac *homœusium* asserens, *homousium* anathemate proscripserat ; secundo quia Victorinus nos docet scriptas ab Orientalibus ad Afros litteras, ut ii cum Orientalibus omnibus, et Afris ipsis, qui sic statuerant, *homousium* ab Ecclesia ejicerent, ac iis litteris non rationes a sacra Scriptura petitas, sed jussiones, et minas adjunctas fuisse dolet ; nam si omnes, ut vidimus, uni eidemque formulæ cum Liberio subscripserant, idem profecto de omnibus judicium esse debet ; et si Afri episcopi, et Orientales *homousium* ab Ecclesia tunc proscripsisse dicti sunt, nulla afferri ratio potest, cur ab eo crimine Liberius excipiatur.

Hæ igitur sunt causæ, ob quas vir ille accuratissimus rem hanc in incerto reliquere visus est ; quæ tamen, ut in aperta luce collocari possit, primo disquirendum a me est, quid Sozomenus recitatis modo verbis senserit, tum deinde expendenda allatarum conjecturarum vis. Quod itaque attinet ad primum caput de mente nempe Sozomeni, haud equidem contendo, quin Constantius, ac Semiariani illi episcopi Liberium sollicitaverint, ne profiteretur μὴ εἶναι τὸν Υἱὸν τῷ Πατρὶ ὁμοούσιον. At quæstio est, quæ sit horum verborum vis, an scilicet apertam homousii execrationem, an nudum ejus silentium expetitum inferant ; atque hoc ego tota, quam idem Sozomenus narrat, facti serie recte perpensa, verisA simum, ac manifestum puto. Constat enim Basilium Ancyranum subscribenda proposuisse *ea quæ contra Paulum Samosatenum, et contra Photinum episcopum, Sirmii decreta fuerant, ac præterea fidei formulam in dedicatione Antiochensis Ecclesiæ editam,* una simul scriptione conjuncta, atque aliud nihil. Quid vero hinc colligas haud obscurum est. Si enim Sirmiensis cum adjunctis anathematismis, si Philippopolitana fides, si Antiochena illa, quæ cæterarum omnium, ut ita dicam, fons et origo est, *homœusium* adstruunt dumtaxat, *homousium* vero quamquam supprimant, minime damnant (*c*), nec Basilius voluit, ut a Liberio ea vox damnaretur, nec eam Liberium damnasse videri potest, sed nudo involvisse silentio ; quæ una erat oblatæ ac ab eo confirmatæ formulæ vis.

B Unum tamen video, quod ex Sozomeno ipso objici adversus hanc sententiam forte posset. Eudoxius, ut hæresi tunc erumpenti patronos quæreret, in vulgus sparserat, Liberium et Occidentales tum *homousium* rejecisse, tum præterea confiteri *Filium Patri dissimulem.* Vides itaque bicipitem esse calumniam. Quid vero Liberius ? *Eos qui Filium secundum substantiam, et per omnia Patri similem non esse assererent, alienos ab Ecclesia pronuntiat* (*d*). Cum itaque una tantum *homœusii* professione eum pontificem sese purgantem videas, alteri calumniæ capiti latus præbet. At hoc minime necesse est, ut dicamus : Eudoxius enim, qui utraque voce eamdem exprimi et asseri fidem merito intelligebat, *homousium* æque ac *homœusium* proscripserat, atque in ejus criminis societatem Liberium falso advocaverat : id igitur tunc agebatur C dumtaxat, ut idem pontifex fidem catholicam adversus Eudoxii dolos assereret, vulgatamque adversus se calumniam eversum iret. Id vero cum aperta una homœusii professione abunde consequeretur, tum apud Eudoxianos, tum apud ipsos etiam Catholicos, quibus tunc temporis una erat utriusque vocis, eademque vis, nihil opus fuit, ut etiam de homousio aliquid adderet, aut suam tunc proferret sententiam. Cæterum cum Liberium oblatæ a Semiarianis formulæ subscribentem, *Anomœos* dumtaxat ab Ecclesia alienos pronuntiantem vides, aperte etiam intelligis, homousianos, et homœusianos pari in pretio et loco ab illo habitos, ac etiam non obscure colligis, quæ ejus præterea de voce illa, cum hæc ageret, sententia D fuerit.

Sed ut ad eam, cui a Liberio subscriptum vidimus formulam revertatur oratio, ab eruditis quæritur, an illa tunc temporis ex integro composita, et prolusa fuerit, an vero, quæ jam exstabant, Antiochena in Encæniis, et Sirmiensis iterum exscriptæ simpliciter, unaque scriptione, unoque libello alligatæ huic Pontifici oblatæ sint. Sed observari debet pro rei dilucidatione Antiochenam in Encæniis fidem, omnium, quæ deinde excogitatæ sunt, expositionum fontem,

(*a*) Tillem., de Arian. §. 74, et in not. 57.
(*b*) Hær. 73.
(*c*) Vid. Petav. ad Epiph. hær. 73, p. 320.
(*d*) Sozom. lib. IV, cap. 15 : Ἐν μέρει δὲ καὶ ὁμολογίαν ἐκομίσαντο παρὰ Λιβερίου, ἀποκηρύττουσαν τοὺς μὴ κατ' οὐσίαν τε καὶ κατὰ πάντα ὅμοιον τῷ Πατρὶ τὸν Υἱὸν ἀποφαίνοντας.

ac typum, ac quamdam veluti sectæ suæ tesseram, Semiarianos perpetuo esse voluisse. Hinc ex Antiochenæ hujus fidei formulis Pseudosardicensis expositio primo composita, et conflata, tum deinde anathematismis adversus Paulum Samosatenum, et Photinum promulgatis adaucta est (*a*) : Sirmiensis vero, quam hoc loco Sozomenus memorat, Pseudosardicensem illam retinet, ac fere verbo tenus exprimit. Si igitur Sirmiensis fides Pseudosardicensem, si hæc Antiochenam continet, si præterea anathematismos adversus Samosatenum, et Photinum promulgatos iterum explicat, nihil opus est, ut formulam, quæ oblata Liberio a Basilio est, recenter compositam, et tunc procusam fuisse dicamus ex Sozomeni mente : siquidem una hæc Sirmiensis fides omnia in se ipsa continet, et complectitur, quæ ille exprimit. Vim igitur huic scriptori inferunt, qui *Antiochenæ* fidei voce, eam etiam indicatam putant, quæ adversus Pauli Samosateni hæresim in ea urbe olim promulgata fuerat, eamque Antiochenæ in *Encæniis*, et *Sirmiensi* junctam fuisse opinantur, veluti homousio evertendo, qui erat Semiarianorum conatus imprimis idoneam, et comparatam. Enim vero Sozomenus unam tantum exprimit Antiochenam fidem, eam scilicet, quæ in *Encæniis* dicta est : quis igitur reliquus veteri illi Antiochenæ expositioni locus? Quod si Liberio ea etiam proposita fuisse ait, *quæ adversus Paulum Samosatenum et Photinum episcopum Sirmii decreta fuerant*, cum Antiochena in Encæniis, et Sirmiensis ecthesis eos hæreticos nominatim damnent ; ecquæ amabo Antiochenæ veteris illius adversus eumdem Samosatenum synodi definitioni, si quæ umquam fuit, iterum tunc depromendæ necessitas esse potuit?

Sed nec ego facile concesserim, homousium ab Antiochena adversus Samosatenum synodo damnatum, rejectumque fuisse. Hoc quidem decretum (neque enim nego) Basilius Magnus, hoc Hilarius memorat. At viri docti Basilio opponunt auctoritatem Athanasii, ac rationes alias afferunt, ob quas ea de re merito dubitamus. Primo scilicet, quod assertum illud Antiochenæ synodi decretum iis repugnat, quæ paulo ante synodum inter utrumque Dionysium, Romanum scilicet, et Alexandrinum gesta fuerant, Secundo, quod illud ab omnibus prorsus, ne Arianis quidem exceptis, ignoratum fuerat usque ad annum 358, cujus profecto rei idoneus testis Eusebius vir infinitæ propemodum lectionis, qui cum rationes omnes afferret in synodo Nicæna adversus homousium propositas, hanc nec memorat quidem (*b*). Tertio denique, quod nullo alio testimonio nititur, nisi tunc viventium Arianorum, quorum nemo ignorat, quam suspecta fides fuerit (*c*). Quod vero ad Hilarium pertinet, nullum in historica hujus rei perscrutanda veritate studium posuit, sed Semiarianis, aut credidit simpliciter, aut quod magis placet, credere videri voluit. Ne vero hoc existimer confidentius, quam par est, asserere, duo faciunt ; primum quod jactatum illud ab iis decretum, non Antiochenæ, sed Samosatenæ synodo attribuit : alterum, quod cum quam ille causam agit, invictis aliis argumentis obtineat, nihil sua referre putavit quærere, an verum, an falsum illud esset (*d*). Cæterum si epistola Dionysii Alexandrini nomine inscripta ad Paulum Samosatenum vera, ac genuina est, si quæ Nicænorum Patrum nomine in Ephesino concilio recitata est, fidei expositio, ad Antiochenam antiquam synodum pertinet, falsum profecto est *homousium* ab ea rejectum fuisse, cum utroque loco asseratur illud apertis verbis (*e*) : ego vero non video, cur eorum, qui hæc pro veris, et genuinis habent Antiochenæ ejusdem synodi monumentis, sententia non præferenda sit alteri, quæ negat : hæc enim paucis tantum, iisque levissimis conjecturis nititur, alia vero Antiochenæ Ecclesiæ symbolo congruit, atque auctorum ab ea ætate haud longe distantium testimonio comprobatur. Sed hæc non est iis de rebus agendi locus, quem præterea præoccupavit vir doctissimus Michael Angelus Jacomellus intimus Cappellanus SS. D. N. *in dissertatione de hæresi Pauli Samosateni*, quam si quis consulat, operæ pretium fecerit.

Ad epistolam nunc venio quam Valentem, Ursacium et Germinium postulasse Hilarius ait, ut a Basilio Ancyrano legeretur. Quæ fuerit igitur, a quibus scripta, quidve ea præterea contineret, obscurum est : hoc tantum ab eodem Hilario intelligimus, actum in ea fuisse potissimum de *homœusii* et *homousii expositione*. *Epistolam*, ait ille, *quam a vobis de homousii et homœusii expositione apud Sirmium, Valens, Ursacius et Germinius poposcerunt, legi; intelligo in quibusdam non minus circumspectam esse, quam liberam* (*f*). Tillemontius Arianos illos, ut legeretur postulasse conjicit eo consilio, ut Semiariani, qui eadem epistola *homousium anathemate* proscripserant, ac deinde hoc decretum clam omnes habuerant, palam etiam illud aliquando facere, ac vocem illam damnare cogerentur. At epistola illa, quæ lecta est, *homousium* anathemate notatum, qua saltem conjectura, ne dicam ratione probat vir doctus? Hoc Semiariani illi præstiterant in ea Ancyranæ synodi encyclica. At si quis Hilarium legat, ac cum eadem synodica conferat, aliam a synodo scriptam epistolam, aliam tunc fuisse lectam facile deprehendet : in epistola enim Ancyranæ synodi, eam quam Hilarius memorat, *homousii*, et *homœusii expositionem* frustra quæras. Causa etiam, cur quæ Valenti, Ursacio, et Germinio lecta epistola est, aliam esse oporteret ab ea, quæ Ancyræ scripta fuerat, haud obscura est.

Enim vero Ancyrani legati *anathema* consubstan-

(*a*) Vid. Athan. de Syn., p. 895, apud BB.; Hilar. contr. Constant., num. 23 : P. Constant. in not. *f* ad Hil de Syn. lib., p. 482, Ver. edit.

(*b*) Vid. ejus epist. ad Cæsar. apud Athan. de Syn., tom. I, pag. 240.

(*c*) Vid. adnot. ad Basil. epist. 52, edit. BB.

(*d*) Vid. de Syn. num. 81 et n. 88.

(*e*) Conc., tom. I, p. 875, et tom. III, p. 1502, Ven. edit.

(*f*) De Syn. num. 78.

tiali dictum clam haberi oportere inter se statuerant : contra Valens, Ursacius, et Germinius *homœusium* aversabantur, quod nihil ab *homousio* differre merito arbitrarentur : res tota ex Hilario constat (*a*). Quid igitur Semiariani illi facerent, ut Arianos alios ad *homœusii* professionem pertraherent ; *anathema* vero homousio dictum, clam omnes pro instituto haberent ? Alia scribenda ab iis epistola fuit, qua *homousii*, et *homœusii* vim latius explicarent, ac rationes afferrent, cur hoc alteri præferendum esse videretur. Hæc itaque scripta tunc, ac composita est, hanc Hilarius indicat, at nos frustra nunc quærimus. Cæterum quidquid de hac epistola, quæ Arianis illis lecta est, dixeris, aut scilicet diversam, ut opinor ego, illam esse ab encyclica Ancyranæ synodi, aut anathema in ea dictum *homousio*, quod tamen ad Liberium attinet, perinde est. Neque enim præsens ille fuit cum legebatur ; sed postquam ea lecta est, postquam Ancyranæ definitiones ab Ursacio et Valente probatæ jam ac promulgatæ fuerant, Basilii tunc rerum Domini opera ab imperatore accitus Sirmium venit, omnibus scilicet, ut vidimus, confectis jam ac compositis rebus, ac eo tempore quo nihil necesse erat ut ea legeretur. Hoc vero quod aio, ex Hilario ipso non obscure colligitur, qui cum tres illos dumtaxat episcopos ejus lectionem postulasse scribat, alium nullum, cum lecta a Basilio est, adfuisse indicat.

Victorini tandem testimonio, quod idem Tillemontius in suam trahere sententiam nititur, nihil fragilius, nihil obscurius. Hæc sunt ejus scriptoris verba : *Orientales scribunt ad Afros, ut ejicerent a sancta Ecclesia* HOMOUSIUM, *dicentes secum sentire et Afros, et Orientales omnes* (*b*). Incertum itaque est quonam tempore hæc ad Afros ab Orientalibus scripta sint, an scilicet ante Ariminense, an vero post Ariminense concilium, ejusque confirmatam Constantinopoli formulam : enim vero Afri aliquot episcopi *homousium* bis abjecisse videri possunt ; primo cum Liberius Sirmiensem ecthesim professus est, ut vidimus ; secundo cum a legatis Ariminensis concilii Arianorum formula recepta est : constat enim inter prævaricatores illos, tres ex eadem Africa præsules annumeratos. Incertum præterea est, an Orientales illi qui ad Afros scripserant, Ariani an Semiariani fuerint, quos omnes hoc vocabulum, *homousion*, æque tunc abjecisse constat. Equidem hoc ego loco *Afrorum* nomine eos qui Ariminensem formulam receperant, *per Orientales* vero, qui scripserant, Acacianos expressos existimo, ac litteras a Victorino memoratas, datas ab iis puto postquam Semiarianos ipsos qua vi, qua fraude induxerant, ut eamdem Ariminensem formulam, a prævaricatoribus illis legatis admissam profiterentur. Cur vero sic ego existimem, facit Hilarius, qui tunc Constantinopoli positus Constantio hæc exprobrat : *Substravisti voluntati tuæ Orientales episcopos, neque solum voluntati tuæ, sed violentiæ ; mandas tibi subscriptiones Afrorum, quibus blasphemiam Ursacii et Valentis condemnaverant, reddi : renitentibus comminaris, et postremum ad diripiendos mittis* (*c*). Liquet igitur eo potissimum tempore Afros ab imperatore variis artibus sollicitatos, ut Ariminensem formulam complecterentur, ac fidem desererent : frustraque aliquod in rerum tunc gestarum commentariis argumentum quæras, quo ante Ariminensem formulam hanc Afris episcopis vim inferre Constantium potuisse probes. Nemo etiam negaverit, quin Acaciani, qui Constantii autoritate abutebantur, eo etiam tempore ad eosdem litteras communi nomine scriptas miserint, quibus de recepta ab omnibus formula ipsa, tum certiores eos facerent, tum deinde hortarentur ut reliquis accederint. Si enim Victorini testimonium cum Hilario conferamus, facile intelligimus utrumque designare gravissima ea tempora, quæ latrocinalem Constantinopolitanam synodum, qua eadem formula comprobata, et promulgata est, subsecuta sunt. Fac tamen hoc Victorini loco *Orientalium* voce Basilium ejusque Ancyrana legatione socios exprimi, scriptasque ab eo tunc fuisse litteras in Africam, quibus ejus Ecclesiæ præsules in suam sententiam pertrahere studuisset exemplo eorum, qui cum Liberio homœusium professi fuerant : quid vero inde conficies ? An forte cum Basilius scripsit, ut *homousium* abjicerent, hoc etiam voluit, ut anathemate configeretur ? Id vero minime necesse est, ut dicamus, cum aliud *abjicere* sit, aliud vero *damnare*, atque unum, haud alterum inferat. Rem vero se ipsa manifestam duobus allatis exemplis confirmare placet, altero ex Hilario, altero ex Arianorum penu producto. Hilarius itaque Gallicanos episcopos laudat, quod missam ex Sirmiensi oppido infidelis fidei impietatem, *non modo* non suscepissent, sed nuntiatam, significatamque *damnassent* (*d*). Acaciani vero in seleucensi synodo homousium, et homœusium velut voces sacris Scripturis incognitas simpliciter rejiciunt, ἐκβάλλομεν. Anomœum vero *anathemate* aperte damnant, ἀναθεματίζομεν.

Infirma igitur, ac jacentia argumenta vides, quæ Tillemontium in eligenda sententia ancipitem habuisse visa sunt. Placet tamen unum adhuc pro Liberio testimonium nunc ex Hilario afferre. Fuerat ille effectus certior episcoporum aliquot litteris, in Ancyrana synodo, quam tantopere laudaverat, *anathema Consubstantiali* dictum, quamquam hoc decretum episcopi illi tectum deinde, ac secretum habere studuissent. Rationes itaque omnes quibus temerarium facinus tueri poterant cum attulisset, easque vehementissime expugnasset, tum hæc ait : *Sed forte dicetur mihi : Aliqui hodie ex his, qui tum synodo* (Nicænæ) *interfuerant, tacendum de homousio decreverunt. Et ego invitus licet respondebo dicenti, numquid non et ipsi ta-*

(*a*) De Syn. cap. 79.
(*b*) Lib. I de Fid., adv. Arium. Si oportuit scribi, oportuit et persuadere illis non solum jussione, sed rationibus et Scripturis sacris. BB. PP. tom. IV, p. 262.
(*c*) Contr. Const. num. 26.
(*d*) De Syn. num. 2.

cendo de homœusio esse constituunt? Oro vos, ne quis-quam alius ex his præter senem Hosium reperiatur, qui tacendum esse existimet de utroque (*a*). Vides itaque unius Hosii exemplum pro Semiarianis ab Hilario productum, quamquam eorum propugnandæ sententiæ haud satis idoneum, quia Hosius homousium æque ac homœusium a fide sustulerat. Cur igitur Liberii exemplo non utitur rei de qua agebatur confirmandæ aptissimo? An Hilarius hoc dissimulans præteriit? Hoc ne suspicari quidem licet. An igitur ignoravit? Quis vero animum inducere possit, ut credat, Semiarianos ejus pontificis potiorem auctoritatem negligere potuisse, ac rem, quam illorum imprimis intererat vulgari quam maxime, Hilarium ipsum, ac cæteros omnes clam esse voluisse? Verum ignoraverit Hilarius, quod profecto fidem superat, an vero ignoravit Valens, Ursacius, et Germinius, qui rebus a Liberio gestis præsentes fuerant? Cur vero cum ii in Ariminensi concilio *Usiæ* nomen sublatum, ac tertiam Sirmiensem formulam confirmatam vellent, cum ob eam causam a Patribus quærerent, si Rufino credimus (*b*), an *homousium* quod summa constantia retinebant, an vero *Christum Dominum adorandum*, sibi proposuissent, de Liberio ne verbum quidem? An forte nullo in pretio apud illos fuerat æternæ Urbis episcopi auctoritas, et exemplum, quod tanti fecerant ante ejus exsilium, et Mediolanense concilium, ut ab illo uno cæterorum omnium animos pendere arbitrarentur?

§ VIII — Hilarii exsecrationes, ex celebri fragmentorum loco adversus Liberium afferri solitas, nullo loco haberi oportere demonstratur, velut ex rejectis ab eo scriptis acceptas, bonaque fide haud agere, qui iis utuntur.

Cum igitur teneamus Sirmiensem fidem, ac formulam, quam Liberius pro humanæ fragilitatis exemplo professus est, ad ea quæ hinc fluunt, consectaria oratio convertenda esset. At hæc a me omittenda esse existimavi, tum quod unum hoc mihi proposui, ut rerum gestarum veritatem ab involucris, quibus quasi obtegi videbatur, eo quo possem modo, explicarem, tum quod in ea re tractanda alii ante me operam diligenter collocarunt suam. Reliquum igitur est, ut videamus cur formulam illam, quam velut catholicam probaverat Hilarius in libro de Synodis, *perfidiæ Arianæ* loco habuerit in Fragmentis. Nam cum episcopi aliquot Germaniæ primæ et secundæ ab eo quærerent, *quid Orientales in fidei professionibus aut gessissent, aut gererent*, rogarentque illum, ut rescriberet, quid ipse *super omnibus eorum dictis sentiret*, post laudatas probatasque Antiochenam ecthesim in Encæniis, ac Philippopolitanam, quam Sardicensem ex Orientalium ore vocat, cum deinde de Sirmiensi contra Photinum agit, primo ejusdem anathematismo allato (*c*), sic ait: *Quis hic ambiguitatis locus,* *aut quid ex sinceræ fidei conscientia reliquum est? Non est exstans ei ad originem substantia aliqua alia, nisi sola quæ Dei est: ut in eo nihil aliud natum esse possit quam omne quod Dei sit, quia non ex nihilo exstans alibunde non subsistit* (*d*). Hoc itaque loco Hilarii apertam et manifestam sententiam vides: frustra vero dixeris illum haud *probasse eam formulam tanquam integram et perfectam, sed hoc egisse, ut qui ea utebantur, eos alliceret ad catholicam fidem.* Quibus enim ita rescribit Occidentales fuerant, ac perfecte catholici episcopi, atque iis cum hæc scribit, aliquam in viro intergerrimo, ac in re omnium maxima, simulationem suspicari piaculum est. An itaque inconstantem potius in sua illum sententia dicemus? Magnus Baronius, quæ in iisdem *fragmentis* adversus Liberium verba legimus, margini adscripta fuisse censet, et ex eo in textum deinde translata. Natalis Alexander, tum hanc Baronii opinionem probat, tum aliam rationem addit, Sirmiensem scilicet ecthesim quæ verbis tenus catholica est, spectatis tamen ejus auctoribus eorumque consiliis, *perfidiam* merito ab Hilario dictam; quod etiam Tillemontio placuit. Ego vero non video, cur *spectatis auctoribus* ea fides in Liberio *perfidia* videri debeat; cum vero ad Gallicanos episcopos mittitur, sincera et catholica sit, atque cur illa eum pontificem subscribentem, *hæreticum* efficere Hilario potuerit, eorum vero, ad quos mittebatur, fidei, ac religioni nocere non posset. Petrus igitur Constantius Sirmiensem eam expositionem ab eodem Hilario numquam ex animo probatam fuisse asserit, siquidem, quidquid *præter fidem unam* Nicænam *est, perfidiæ, non fidei* loco constanter habuerat; quo ex capite Hilarium ipsum tum ab inconstantia purgat, tum anathema Liberio dicere haud immerito potuisse putat (*e*): at eo ipso libro, ex quo vir doctus ea verba in rem suam transtulit, Antiochenam, Philippopolitanam, et Sirmiensem fidem iterum laudat idem Hilarius (*f*); ait enim: *Damnas quoque et substantiæ nomen, quo te et Sardicensi synodo, et Sirmiensi, pium esse Occidentalibus mentiebaris, quod tamen propheticæ auctoritate susceptum fidei intelligentiam continebat.* Quod si eas ipsas Hilarius eodem loco haud omnino probare alioquin visus est, id se facere innuit, quia nihil iis erat opus post Nicænam fidem; nam etsi nullum in iis vitium agnoscat, aberat tamen *causa religiosæ*, ut ille ait, *voluntatis*, siquidem *bonorum demutatio, mali meditatio est, et non necessaria emendatio, perversitatis occasio est.* At vero, an ob eam dumtaxat causam, Liberium *apostatam*, *prævaricatorem* dicere, ac diris *exsecrari* jure potuerit Hilarius, nemo ut opinor, facile concesserit.

Equidem, ut dicam aperte quod sentio, non video cur Hilarianæ auctoritatis tanta (absit invidia dicto) in hoc quo sese explicat loco ratio habenda sit.

(*a*) De synod. num. 97.
(*b*) Lib. I, cap. 26.
(*c*) *Eos autem, qui dicunt, de nullis exstantibus Filius, vel de altera substantia, et non ex Deo; et quod erat tempus vel sæculum, quando non erat, alienos scit sancta et catholica Ecclesia.*
(*d*) De Syn. n. 39.
(*e*) Vid. adnot. ad lib. epist. XI, et ad fragm. 6, n. 5.
(*f*) Vid. contr. Const., n. 23, 24, 25.

Nemo profecto negaverit quin fragmentis illis ad posteros transmissis, magnum Ecclesiæ thesaurum servaverit, ac ingentes propterea quin illi habendæ sint grates. At cum in iis collocandis nullus aut ordo temporis aut rerum servatus fuerit, cum ea quæ primo loco ponenda erant extremum, quæ extremo priorem occupent, farraginis casu potius congestæ quam justi operis nomen a viris doctis obtinent. Quis igitur certos nos faciat an *liber de Synodis* prior tempore sit fragmento illo, in quo de Liberii lapsu agitur, an vero posterior, ut hinc judicare possimus, utrum, cum eum librum scriberet, a precipiti illo adversus Liberium judicio re melius ac diligentius cognita discesserit, necne?

Confusa deinde rerum congeries, ac monstruosa est ejus operis facies, ut jam prænonui. Id minime negat Nicolaus Faber, qui primus in lucem emisit, ac in ea expolienda, ac obducto quodam veluti fuco occulenda, tota versatur præfatio viri docti Petri Constantii. Multa postremo in iis sunt, quæ festinanter exarata extremam manum, et criticum judicium desiderare videantur. Hæc igitur facile me inducunt ut credam, ea quæ nunc possidemus fragmenta, Hilarium inter *rejectanea*, atque a se improbata habuisse, eamque præterea unam esse causam, cur imprecationes illas nunc legimus, erasurum procul dubio, ac alia omnino scripturum, si futurum putasset, ut ea per manus ire aliquando possent, ac palam fieri : neque enim aliquam aliam rationem video, qua illam tueri alioquin possimus, cum de eo pontifice, qui tum ante lapsum, tum deinceps etiam, magno animo fidem asseruerat, atque in lapsu ipso minime deseruisse videri poterat, hæc indigne scripta reliquerit.

At quid de Hieronymo, cujus etiam adversus Liberium testimonia afferri solent? Sane in Vaticano reginæ Suecorum Chronici Hieronymiani Codice, quem Holstenius *admirandæ vetustatis* appellat, ac viri docti VI aut VII sæculo scriptum putant, de Liberii lapsu, ne vestigium quidem exstare, nos admonet vir clar. Fr. Thomas Mamachius Casanatensis theologus, atque hinc conjicit recentioribus exemplaribus adjuncta esse, quæ ad eamdem rem pertinent (*a*). Ut ea vero mihi etiam suspecta sint, facit præterea alter Hieronymi, atque huic repugnans locus ex libro de Scriptoribus Ecclesiasticis. Nam si Liberius pro *fide ad exsilium pergens, a Fortunatiano fractus, et ad subscriptionem hæreseos compulsus est* (*b*), cur illum antea non jam ad exsilium pergentem, *sed tædio victum exsilii in hæretica pravitate subscripsisse* asserere potuit? Hinc saltem colligi jure potest, Hieronymum ipsum haud ex compertis a se rebus, sed ex falso potius ac olim vulgato rumore hæc scripsisse, quam sane incertam famam cum Rufinus se haud tuto sequi posse existimaret, optimo sane consilio a certa proferenda sententia abstinuit (*c*).

Unus esset adhuc, qui adversus Liberium afferri solet, ex scriptore prooemii ad preces Marcellini et Faustini locus (*d*). At illum prætereo, tum quod incertum est, quid *perfidiæ* voce scriptor ille intellexerit, tum quod ejus præterea mendacium manifestum est : nam si Constantius Romam venit ineunte Maio, si Felicem a se intrusum pro episcopo habuit, si illi veluti episcopo legem 14, C. 3 de Episc., anno illo 357 exeunte, inscripsit, si Liberius tunc temporis nec *manus perfidiæ* dederat, et de sua deponenda constantia ne cogitabat quidem, qui fieri potest, ut populo suum reposcenti episcopum imperator ille responderit : *Habetis Liberium, qui melior revertetur?*

§ IX. — Liberii in Urbem reditus describitur, et narrantur quæ illum consecuta sunt. Anonymus adnotator ad *defensionem Propositionum* cleri Gallicani affertur, et rejicitur : Acta Eusebii presbyteri et martyris commentitia : sub eo nomine non Eusebium presbyterum, sed Eusebium papam latere.

Hæc habui, quæ de gestis Liberii exsulis, sive ex indubiis veterum monumentis, sive ex probabilibus conjecturis accepta scriberem. At ab illis ego minime separanda puto, quæ ejus ad urbem consecuta sunt reditum ; sunt enim hæc veluti quædam ejusdem exsilii pars et accessio : atque hoc eo etiam facio libentius, quod iis abutantur nonnulli, ut eum pontificem nedum hæreticum, verum etiam acerrimum Catholicorum persecutorem fuisse probent; tanta iis inest Romanos pontifices deprimendi voluptas. Rediit itaque Liberius ad Urbem, Anastasio teste, IV kalendas Augusti anno 358, tertio scilicet, ex quo exsul fuerat, ut communior etiam chronologorum sententia statuit, ac ex rerum, quas narravimus, serie constat. Socrates ac Sozomenus (*e*), ut vidimus, tunc ortas in urbe seditiones aiunt, at nihil in specie memorant. Hieronymi Chronicon Liberium *quasi victorem* Romam ingressum scribit, ac ejectos cum Felice, qui substitutus illi fuerat, Urbis clericos, qui pro Felice stabant. Aliquam tamen rei tunc gestæ imaginem repræsentat auctor præfationis ad Marcellini et Faustini preces hæc scribens : *Tertio anno redit Liberius, cui obviam cum gaudio populus Romanus exivit. Felix notatus a senatu, vel populo de Urbe propellitur; et post paulum temporis impulsu clericorum, qui perjuraverant, irrumpit in Urbem, et stationem in Julii Basilica trans Tiberim dare præsumit, quem omnis multitudo fidelium, et proceres de Urbe iterum cum magno dedecore projecerunt.* Ratio itaque cur Liberius Romanorum ulnis, cum rediit, exciperetur, ac Felix ejiceretur, unus fuit amor gregis erga pastorem suum, cujus præter Christianos scriptores egregium in Ammiano argumentum exstat, alio loco a me productum (*f*). Hoc vero testimonium

(*a*) De Rat. tempor., Athanas. epist. 4, § 25.
(*b*) Cap. 97.
(*c*) Lib. I, cap. 27.
(*d*) *Post duos annos venit Romam ; pro Liberio rogatur a populo ; qui mox annuens ait : Habetis Liberium, qui qualis a vobis profectus est, melior revertetur. Hoc autem de consensu ejus, quo manus perfidiæ dederat, indicabat.*
(*e*) Socr. lib. II, cap. 37; Sozom. lib. IV, c. 15.
(*f*) Vid. cap 1.

eo gravioris momenti est, quod ejusdem præfationis auctor Liberium postremo *manum perfidiæ* dedisse asserit : hinc enim intelligis, maledicum hominem aliam nullam habuisse ejus pontificis vituperandi causam.

At si Anastasio auscultas, aliisque nonnullis, alia omnino rerum facies. Neque enim ille Urbem ingredi ausus est, cum ab exsilio redux esset, *sed habitavit in monasterio sanctæ Agnetis apud germanam Constantii, ut quasi per ejus interventionem, aut rogatum, rediret in civitatem.* Id autem cum idem Constantius rescivisset, init cum Ursacio et Valente, Romanis presbyteris, aliisque Arianis consilium, ex eorum sententia Liberium a cœmeterio sanctæ Agnetis revocat, imperator una cum pontifice Romam ingreditur, iterum *ipsa hora* Arianos illos consultat, et Felicem, qui catholicus erat, ex episcopatu ejicit. *Ab eo vero die fuit persecutio in urbe Roma in clero, ita ut intra ecclesiam presbyteri, et clerici necarentur.* Hos inter Acta a Mombritio primum, ac deinde a Baluzio auctius edita *Eusebium presbyterum* numerant, quem a Constantio et Liberio interrogatum, magno animo fidem confessum statuunt, ac demum utriusque jussu exiguo cubiculo inclusum, ac pro eadem fide mortuum asserunt.

Quod si dicas, imperatorem bello per Illyricum, et disputationibus Arianorum Sirmii occupatum, cum Liberius urbem ingressus est, atque hæc Romæ agebantur, adesse non potuisse, audi qua ratione ii qui Acta illa tuentur, omnem tibi dubitationem eripiant. Aiunt igitur, ea sic intelligenda non esse, ac si Constantius Romæ præsens fuerit, sed ejus loco data ab eo mandata, ac per veredarios allata, accipi a te oportere. Sic enim ni feceris, tum Anastasii, tum Actorum, quæ Liberium hæresim aperte professum, ac præterea in Catholicos acerrime sævientem produnt, fides perierit. Nihil enim proderit, si deinde dixeris, quæ Orosius, *Eusebii consanguineus, sodalis, et oculatus testis* Acta scripserat, non ipsa illa esse, quæ nunc legimus apud Mombritium et Baluzium, sed interpolata sequioribus sæculis, et immutata ad nos pervenisse. Enim vero, si quis hoc negaverit, ut jure potest, ac merito, quo argumento, quo judicio contrarium vinces?

Pudet me in his refellendis quisquiliis diutius immorari : at hinc videre licet, tantam esse præjudicatæ opinionis vim, ut quæ aperte falsa sunt, pro veris obtrudat, ac putidis figmentis in pretio habitis, gravissimæ in viros sanctos, et immerentes calumniæ ingerantur. Hinc cum altum ejus persecutionis apud scriptores omnes tum coævos, tum huic ætati proximos, silentium sit, atque hinc figmentum illud sequioribus sæculis ortum videas, miraberis tamen esse nuper potuisse, qui, ut quod volebant, efficere possent, sordes illas collegerint, atque, ut aliquod iis pretium conciliarent, probatos auctores vexaverint, ac invitos in eam sententiam detorquere studuerint, atque hujus persecutionis vestigia in iis, quæ retulimus, Sozomeni, ac Hieronymi Chronici verbis, deprehendisse sibi visi sint, audi anonymum adnotatorem ad defensionem propositionum Gallicani cleri : *Quod spectat ad persecutionem, præterquam quod huic aperta testimonia perhibentur in gestis pontificalibus Felicis et Liberii, Sozomenus quoque Liberio suos usque adeo addictos fuisse scribit, ut ejus causa gravissimam seditionem excitaverint, et ad cædes usque proruperint : sed clarissime omnium Hieronymus, ideo cum Felice ejectos clericos memorat, quod Liberius tædio victus exsilii, et in hæreticam pravitatem subscribens, Romam quasi victor intravit : quibus in verbis apparet, utrumque pariter junctum, id est fidei negationem, quam importat hæreticæ pravitatis subscriptio, et victoriam, utique non sine vi, et pugna aliqua, cum æmulis, qui per illam victoriam ejecti dicuntur. Et hæc est* (o lepidum caput!) *persecutio peculiaris urbi Romæ, quam describunt Acta Eusebii.... Et illam quidem localem urbique Romæ propriam Acta nostra cessasse volunt sive post Eusebii mortem, sive, quod magis series demonstrat, post synodum, auctore Damaso, qui postea pontifex fuit, in Liberium congregatam, et si non ad multum tempus, id est ad exitum usque concilii Ariminensis. Nec enim mirum est Liberium, cui tanta constantia omnes resisterent, intellexisse tandem viam a se insisti, quæ res suas in odium invidiamque maximam deduceret : tum aliæ subinde causæ intervenisse videntur. Jam enim omissis prima et altera formula Sirmiensi, quarum alterutri Liberius subscripserat et hactenus ab omnibus subscribi voluerat, tertia in nova Synodo Sirmiensi parabatur, propter acti disputationem de majoribus conciliis Arimini in Occidente, et Seleuciæ in Oriente celebrandis agitabantur consilia, quorum exspectatio suspensos omnium detinebat animos ; unde per illud intervallum, incerto futurorum Liberio, facile Ecclesia respirare potuit. Post Ariminense vero concilium, si Socrati Sozomenoque credimus, renovata est persecutio, quæ vix integro anno quieverat, adeoque acta nostra cum cæteris scriptoribus consentiunt, nec veritatem exaggerant, dum Liberii sive hæresim sive persecutionem describunt.*

Mirum profecto est, anonymum hunc confidentia tanta mendacia tot consuere ac vulgare potuisse. Ut enim cætera omittam, primo falsum est synodum illam, quam persecutioni finem imposuisse fingit a Damaso tunc presbytero convocatam, quod ut lector ipse judicet, do actorum verba : *Mortuo autem Liberio, levatur Damasus, qui voce publica damnavit Liberium cum episcopis viginti octo et presbyteris viginti quinque, et cessavit persecutio non tamen multum tempus.* Defensor Gallicanarum propositionum, qui probe noverat Liberium, ut ait ille, pridem antea resipuisse, ne illa quæ in suæ sententiæ præsidium advocat Acta deserat, ea sic intelligit, ut eam synodum a Damaso tunc presbytero convocatam velit (*a*). Eaque etiam fallacia adno-

(*a*) Par. II, lib. XIV, cap. 34.

tator utitur : at recitatis verbis vim inferunt apertissimam, qui ea sic explicant. Deinde an Damaso presbytero tot episcopos ad synodum convocandi jus et copia fuerit? Tertio, an ea, quam sibi scriptor uterque fingit, gravissima persecutione fervente id commodum præterea, et facile? Quarto denique, si Liberius a Damaso presbytero damnatus, ac per synodum depositus a sede fuerat, cur idem Damasus jam pontifex Ariminense concilium ob hanc potissimum causam rejicit, quod Romani episcopi sententia expetita non fuerat? An Liberio damnato, et deposito, eo tunc jure uti licuit, ut ejus concilii decreta moderaretur? Cæterum ex hoc actorum illorum loco videre mihi videor, unde falsarius consuendo huic figmento materiam sumpserit. Viderat ille libellum Marcellini et Faustini, ejusque præfationem legerat : quæ igitur tunc contigisse scimus, cum Felix Urbe ac sede expelleretur, sic accepit, ac si adversus Catholicos perpetrata essent, atque ex schismaticis Felici ipsi contra Liberium adhærentibus martyres effinxit, infra illius sæculi captum homo plane rudis. Hinc vero Damaso electo persecutionem cessasse ait *non multum tempus*, quia adversus Ursinianos, aliosque schismaticos, quos ille pro catholicis itidem habuit, ex legibus et edictis imperatorum sæpe actum viderat.

Secundo falsissimum est excitatam a Liberio, cum rediit, persecutionem *quievisse anno fere integro* ante Ariminense concilium : ut etiam falsum fuisse illam a Liberio integratam post concilium ipsum. Nam si actis illis fides est, Eusebius presbyter post septimum ab inclusione mensem *dormitionem accepit* XIX *kal. Septembris*, 14 scilicet Augusti : mensem igitur ac diem tenemus quo Eusebius defunctus est. Nunc quæro a te, o adnotator anonyme, quo illum anno defunctum censeas, an scilicet anno 358, an vero sequenti 359. Si primum ais, cum Liberius urbem Romam ingressus sit anno illo die 2 Augusti, quo ea, quam tibi fingis anteacta diuturna persecutio, quo Eusebii tui confessio, quo septimestris ante obitum inclusio, quo denique martyrium recidet? Si vero rem protrahis ad Augustum mensem sequentis anni, tempus illud frustra quæres, et *annum fere integrum*, quo excitatam pridem a Liberio persecutionem, ob imminentis *Ariminensis concilii exspectationem quievisse* ais; siquidem si Acta Eusebii vera canunt, fatearis necesse est Liberii et imperatoris iram adversus Catholicos nunquam deferbuisse, sed eo ipso tempore, quo episcopi in ea urbe collecti deliberabant, ac statim post ejusdem Eusebii mortem gravius exarsisse, Gregorio presbytero, qui eum sepulturæ mandaverat, neci tradito, ac cæteris ex clero *per plateas, vicos, ecclesias, et balnea*, palam gladio trucidatis.

Tertio, causæ, ob quas eam a Liberio persecutionem intermissam ais, falso et inepte excogitatæ a te sunt. Ut enim dixi, aut Acta Eusebii presbyteri deserenda a te sunt, aut ejus in Augustum mensem anni 359 mors conferenda est. Jam vero vides, quid hinc fluat. Nam si Eusebii ipsius, et Gregorii alterius presbyteri mortem gravior et acerbior persecutio statim consecuta est, si *tertia Sirmiensis* formula antea conscripta jam fuerat, si episcopi Orientales Seleuciam, Occidentales Ariminum pridem convenerant, horum profecto nihil Liberium detinuit, quominus in Catholicos sævire pergeret, ac falleris tu, aut nos fallere vis. Cum autem eum pontificem primæ aut alteri Sirmiensi formulæ nedum *subscripsisse*, verum etiam ut *ab omnibus subscriberetur voluisse* inquis, facis pro consueta tua bona fide, ac pro ea quæ Christianum decet, humanitate, qui crimen gravissimum non solum inexploratum, sed falsum profectò, velut manifestum, unus ac primus in lucem effers. Sed jam anonymum missum faciam : nam si omnes ejus fallacias persequi dicendo vellem, lectori gravioribus occupato fastidium crearem cum temporis jactura conjunctum.

Cæterum cum Acta Eusebii presbyteri rejicio, quod viri alii gravissimi fecerunt ante me, ne quis a me Eusebii confessoris sanctitatem et cultum imminutum putet : hunc siquidem ad alium sub eo nomine latentem transfero, Eusebium scilicet papam pro asserenda Ecclesiæ disciplina, sartaque tecta servanda, in exsilio mortuum (*a*). Rerum enim ad eum pontificem pertinentium, cum nulla præter nudi fere nominis ac cultus memoriam, cognitio esset posterioribus sæculis, hæc ipsa cujusdam veluti substructionis loco jacta sunt construendæ, quæ nunc legitur de Eusebio presbytero fabulæ rimarum plenæ. Cur vero ego sic opinor, rationes accipe. Eusebii titulum in Urbe sane antiquum esse haud negaverit qui eum expressum legat in concilio primo sub Symmacho. At non videtur dicendum Eusebio presbytero dictum illum esse potuisse, cum ejus presbyteri nomen in Martyrologiis Beda antiquioribus frustra quæratur. Sacramentarium quidem Gregorianum recurrentem hujus Eusebii memoriam colit die 14 Augusti : at *sacerdotis* vox, qua eum ornat, episcopum pro usu tunc recepto exprimit, prætereaque omnia quæ in Antiphonario Graduali, et Evangeliorum Capitulari ven. card. Thomasius collecta refert ad XIX kal. Septembris episcopo confessori aut martyri accommodata legis, atque ideo in S. Marcelli P. et M. aliorumque pontificum natali celebrando cani, et legi consueverunt (*b*). Ad hæc Bucherianus indiculus Eusebii papæ mortem consignat ad XIV kalendas Septembris; Eusebium vero presbyterum Acta illa apocrypha XIX kalendas itidem Septembris obiisse ferunt : facilis vero in iis exprimendis numeris error, ac ille tam levis, si bene advertas, ut unus idemque credi possit Eusebius, qui utrobique exprimitur. Ex alio denique Bucheriano catalogo, Eusebium papam in cœmeterio Kalisti depositum fuisse constat : in iisdem Actis commentitiis Eusebius presbyter *in crypta juxta corpus S. Suxti martyris et episcopi in via Appia in*

(*a*) Vid. de Damas. Script. § 2, et not. ad Carmen XII.

(*b*) Vid. Oper., tom. V, p. 203, p. 279 et p. 488.

cœmeterio Calixti sepultus dicitur. Vides itaque quam hæc similia sint inter se, atque hinc intelligis, quam facile fieri possit, ut impostor, qui sequioribus et tenebrarum plenis sæculis Acta illa scripsit, ex Eusebio papa, cujus alioquin gesta diu in obscuro jacuisse scimus, Eusebium presbyterum effecerit, ac nobis obtruserit (*a*). Sane Gregorius nonus, qui Ecclesiam sancti Eusebii consecravit, minime nos edocet, an ille episcopus, an presbyter fuerit (*b*), ex quo conjici potest, nihil illum habuisse certum, exploratumque, ac rem in vado etiam tum hæsisse, quæ hoc sæculo Damasiani carminis beneficio lucem accepisse visa est.

§ X. — Inquiritur quem ergo sese revera Liberius præbuerit, postquam reversus ad sedem est, ac deinceps, concilii scilicet Ariminensis tempore? An se ab Athanasii communione revera unquam subtraxerit, vel quamdiu ea interruptio duraverit? De tempore scriptæ ab eodem Athanasio epistolæ ad episcopos Ægypti; quæ illustratur. Hilarii locus ex fragmentis pro Liberio, explicatur. De iterato Liberii ab Urbe recessu, Constantii metu: Luciferi locus affertur, et illustratur. Anonymus Amstelodamensis notatur.

Fabellis igitur ad eos quos illæ delectant amandatis, jam videamus quid Liberius egerit, quæve fuerit de eo opinio, postquam Felix ejectus est, ac pontificatum, quem aliquo forte tempore legitime administraverat, sponte dimittere visus est. Duo vero tempora consideranda sunt: alterum quod ab ejus reditu ad Ariminensem synodum excurrit; alterum, quod eam deinceps consecutum est. Primo igitur loco observari potest, nyspiam legi aliquid ab eo scriptum aut gestum, quo veniam, ut æquum fuerat, ab Ecclesia deprecari visus sit. Secundo non liquere eumdem sive a suis, sive ab Italiæ episcopis pro hæretico aliquando habitum: magnum vero ex hoc silentio de numquam ab eo deposita catholica fide argumentum capitur. Tertio Damasus, cum Ariminense concilium ageretur, necesse fuisse scribit, *ut Romani episcopi sententia expeteretur*, atque hinc quid fluat jam dixi. Quarto denique, cum Ariminenses episcopi imperatori scribant, rejectam a se formulam, quam Valens atque Ursacius proposuerant, eo quod vidissent, si ea recepta fuisset, *turbationem*, *ac contentionem* tum reliquis civitatibus, tum vero Romanæ Ecclesiæ suborituras esse (*c*); intelligimus tum Romanos cives ac clericum cum episcopo suo, tum eos qui scribunt, catholicos omnes episcopos, una cum illo pacifica communione ac fide jam antea conjunctos.

Ariminensis interea synodus congregata est: at Liberium neque per se, neque per legatos suos huic adfuisse scimus. Qui vulgatam sub celebri Bossueti Meldensis olim episcopi nomine *defensionem* ex latino in Gallicum sermonem nuper vertit, id factum putat fraude Ursacii et Valentis, quorum scilicet intererat in absentia Romani episcopi facinus aggredi, ne ab eo impedirentur, quominus res suas facilius agerent, ac quo vellent perducerent. Hoc ego non nego, quin fieri potuerit: at si hæc vera est ratio, viderit ille, qua deinde via, quove consilio, acta apocrypha Eusebii presbyteri cum suo auctore tueri deinceps poterit. Nam si Liberius Catholicorum persecutor fuerat, ut asserunt Acta illa, cur duo illi Arianorum coryphæi Romanum episcopum sibi consentientem abesse ab eo concilio voluissent? Videtur itaque probabilior eorum opinio, qui illum abfuisse putant, ne concilio huic, quod Constantius iniquis adeo conditionibus convocaverat, et cui certos agendi ac decernendi fines præscripserat, vim aliquam consensu suo conferre videretur: atque hanc esse causam intelligis, cur congregati episcopi lapsi sint, quia scilicet Romano absente pontifice, qui est Ecclesiæ caput, deerat illis divinum illud inerrantiæ donum, quod integro Ecclesiæ corpori numquam defuturum scimus.

At quid interea cum Athanasio? An Liberius ejus communionem retinuerat? Sic equidem puto: Arianos enim, antequam is in exsilium pelleretur, id unum voluisse constat, ut pontifex Athanasium damnaret: at de mutanda a Liberio fide, ac omittendo *homousio* ne verbum quidem. Legantur litteræ ab eo ad imperatorem tunc scriptæ, ac colloquium Mediolani habitum. Abiit itaque Berœam in Thracia exsul ob unam retentam cum Athanasio communionem: postremo fractus ad Orientales scripsit, *Sirmiensem* se suscepisse *fidem*, atque Athanasium a sua communione amovisse, pacemque cum iis habere velle: id Valenti etiam et Ursacio significavit quamquam ea epistola suspicione non vacet. Venit igitur Sirmium, Basilii Ancyrani omnia tunc pro arbitrio administrantis opera: quid actum, tractatumque tunc fuerit jam vidimus. Una fides est, quæ Constantii imperatoris, Basilii præterea atque omnium animos occupatos habuit, huc omnis omnium cura collata est: de Athanasio nihil. Cur vero? quia mutata scilicet rerum facie, alia omnino studia esse debuerant. Eruperat enim recens Eudoxii hæresis, et factio in apertum campum; adversus quam curæ fuit Basilio, eos omnes, qui *Usiam* profitebantur, aut retinere, aut sibi adjungere: hinc de Athanasio, quem haud ignorabat cum omni fere Ecclesia communione junctum, ne cogitare quidem visus est: sic etiam Constantius, qui Basilii mente regebatur, vetus erga illum odium aliquantisper deposuit. Hinc rursus factum est, ut cum Liberius rem illam tunc prorsus neglectam, atque in oblivione positam videret, ac nihil a se amplius postulari intellexisset, minime censendus sit pristinam cum Athanasio communionem, quidquid antea scripsis-

(*a*) Acta illa Sirmondus, Possinus, et Papebrochius viderunt sub *Bonifacii papæ et martyris* nomine scripta; ex quo idem Papebrochius, Dissert. X, alterum apertissimæ falsitatis eorum argumentum capit, ab Anonymo adnotatore dissimulatum.

(*b*) Anno Dom. MCCXXXVII domnus Gregorius papa nonus consecravit hanc ecclesiam in honorem D. Eusebii et Vincentii cum tribus altaribus, quorum majus altare confessoris ipsius manibus propriis consecravit. Est etiam apud Montfauc. Diar. Ital.

(*c*) Sozom. lib. IV, cap. 18.

set, re ipsa deposuisse; atque hæc est ratio, ut ego suspicor, cur Athanasius ipse, Liberium haud quidem aperte adversus se, sed *in hæresim* potius subscripsisse dicat.

Cæterum, si quo tempore Ecclesiastica communio inter utrumque abrupta est, quin hæc haud diu postea redintegrata fuerit, vix dubitaverit, qui legat ejusdem Athanasii epistolam ad episcopos Ægypti et Libyæ, sive orationem primam contra Arianos, videatque eo loco Liberium atque Hosium inter Orthodoxos episcopos, et fidei defensores laudatos (*a*). Hæc enim cum scripta sit, ut Athanasius ait, anno a Nicæna synodo trigesimo sexto, validissimum aut numquam abruptæ aut jam redintegratæ charitatis argumentum præstat; si enim rationes subducas, annus tunc labebatur 360; si vero annos illos exactos jam esse vis, annus tibi 361 occurrit. Me non latet esse, qui cum eam epistolam anno 356 atque ante Liberii lapsum exaratam censeant, annos illos ab ea expressos numerant ab Alexandrina synodo, quæ Arium damnavit, et adversus ejus hæresim classicum prima cecinit. At ii qui ita sentiunt, vim inferunt manifestam apertis Athanasii verbis, qui unius ejusdemque *generalis synodi*, Nicænæ scilicet, decreto Arianos tum hæreticos declaratos, tum ab Ecclesia ejectos ait. Cæterum, ne qua erroris atque aliud opinandi occasio esse posset, idem Athanasius quo loco *Arianos* ante 36 annos hæreticos declaratos, et ab Ecclesia pulsos asserit, *Meletianos* ante quinquaginta quinque, schismaticos factos ait (*b*). Meletiani vero schismatis initia referri oportere ad annum 305, aut ad alterum huic proximum, ut Baronio visum fuit, manifesto evicit vir doctissimus marchio Maffeius, productis Ægyptiorum quatuor sanctissimorum præsulum ac martyrum epistolis antea ineditis, quas ad Meletium iidem miserunt (*c*). Cum enim scriptæ hæ fuerint fervente Diocletianea persecutione, datæque sint ab ipso, quo illi detinebantur carcere; cumque præterea schismatis tunc temporis erumpentis indicia, et causas iidem referant, ipsumque Meletium acerbe increpent, atque hortentur, ut ad saniora consilia redeat; recte conficit vir celebris nullo prorsus solido fundamento niti, quin potius errare eos qui Meletianum schisma ad annum 300, aut ad alterum huic proximum referunt, prævertuntque triennio integro ante ipsam persecutionem.

Tempus præterea, quo eadem epistola scripta est, sequentia quoque verba demonstrant, quæ in ea leguntur: *In hisce regionibus commorans audivi, ut germani et orthodoxi fratres nuntiaverunt, aliquos ex Arii sectatoribus convenisse, ac de fide, prout voluerunt scripsisse, velleque ad vos litteras mittere, ut vel quemadmodum ipsis placet, seu potius ut illis suggessit diabolus, subscribatis, vel qui contradixerit, in exsilium ejiciatur* (*d*). Enim vero, aut anno illo, aut insequenti exaratæ ab Arianis, ac deinde promulgatæ alicujus fidei nullum omnino invenire est vestigium in veteribus monumentis: contra vero mire omnia conveniunt cum eo anno, quo scriptam eamdem epistolam diximus: nam his verbis facile quisque expressam videt Acacianam formulam, latrocinali Constantinopolitano conventu confirmatam, potestatemque nullis constrictam finibus a Constantio factam, quam Socrates et Sozomenus memorant, quo ea ubique reciperetur; tunc enim Eudoxius et Acacius simul juncti, fidei formulam, quæ Arimini recitata est una cum additamentis, quæ ipsi tamquam eam correcturi eidem adjecerant, ad omnes Romani imperii provincias miserunt, eosque qui huic fidei subscribere recusassent, in exsilium ablegari jusserunt ex imperatoris mandato (*e*), atque ea tunc potissimum inducta Ecclesiæ facies est, quam scriptores omnes eorum temporum describunt, aiuntque usque ad obitum Constantii durasse: neque vero ab hac me sententia depellit, quod Athanasius eodem loco *Georgium*, veluti tunc Alexandriam mittendum commoret: duplex enim prædonis illius in Alexandrinam sedem irruptio fuit, alia, quæ anno 356, aut ut mihi videtur, sequenti alliganda est; alia vero anno 361 post tres fere annos, ex quo pulsus ab Urbe illa populi seditione fuerat. Utramque hanc latrocinalem invasionem memorat et distinguit, suoque tempori assignat anonymus Maffeianus: ut vero priorem Heraclius comes, Cataphronius, et Sirianus vim populo illaturi, a Constantio missi præverterant, ita etiam ne quid posteriori deesset, *missus est Paulus Notarius, qui edictum pro Georgio proposuit, et domuit multos ob ejus vindictam.* Quis igitur certo nos doceat, an priorem, an vero posteriorem eadem epistola Athanasius voluerit indicare? Nam quod etiam *Cecropii* Nicomediæ episcopi, qui anno 358, die 24 Augusti sub ejus urbis Basilica terræ motu prostrata periit, mentio ibi fiat, non video, quid argui inde possit, si locus ille attente observetur: si enim cum de catholicis episcopis Athanasius agit, Maximinum Trevirensem, Julium Romanum pontificem, aliosque, quos pridem defunctos noverat, cum Hosio et Liberio tunc lucis usura fruentibus memorat, atque eos inter egregios fidei defensores collocat, in quorum de fide scriptis nullus esse poterat suspicioni locus; ita etiam non video, cur inter eos, quorum rejicienda scripta, ac dogmata, exsecranda docet, recensere non potuerit *Cecropium*, et *Leontium Castratum*, et si jam vita sublatos; siquidem hoc unum eo loco sibi proposuisse videtur, ut comparatis utriusque partis

(*a*) Epist. ad Episc. Ægypt. n. 2: *Si quæ scribunt, ea scriberent, Orthodoxi, ut magnus et confessor Osius, ut Maximinus Galliæ, aut ejus successor, vel Julius, et Liberius Romæ episcopi, aliique, qui idem ac illi sentiunt; si inquam illi* (Ariani) *his essent similes, nullus profecto in illorum scriptis esset suspicioni locus*; et n. 3.

(*b*) *Meletiani ante quinquaginta quinque annos facti sunt schismatici, et Ariani ante trigenta sex annos hæretici sunt declarati, iidemque sunt ab Ecclesia totius* (œcumenicæ) *synodi judicio rejecti.*

(*c*) Osserv. lett., tom. III, p. 11.

(*d*) N. 5.

(*e*) Soc. lib. II, cap. 43; Sozom. lib. IV, cap. 26.

episcopis, eorumque collatis inter se scriptis, episcopi Ægypti et Libyæ intelligerent, quorum eligenda, et quorum sibi fugienda sententia sit (*a*).

Redeo nunc, unde discesseram, ad synodum scilicet Ariminensem, cujus præterea occasione, hæc leguntur in Hilarii fragmentis (*b*) : *Sed Potamius, et Epictetus, dum damnare Romæ episcopum gaudent, sicut in Ariminensi synodo continetur, audire hæc noluerunt.* Locum hunc luxatum, perturbatum, ac medicam, sed frustra, exspectare manum nemo est, qui non videat ac fateatur. Si quid tamen exsculpi inde potest, videtur, actum in Ariminensi synodo de Romano episcopo Liberio fuisse. Quam vero causam? Eam scilicet quæ huic pontifici laudi et ornamento esset; hanc ut conjiciamus, præmittendum est, Potamium jam mortuum, si Faustino et Marcellino presbyteris fides, concilio nec adfuisse, nec adesse potuisse. Reliquum igitur est, ut ea quæ in Mediolanensi concilio ab eodem Potamio, et Epicteto adversus Liberium perpetrata fuerant, refricata iterum, et memorata dicamus in Ariminensi consessu, occasione recentis formulæ ab Ursacio et Valente propositæ; cui cum episcopi catholici repugnarent, ac Romanum etiam episcopum certo repugnaturum scirent, fieri non poterat, quin etiam præviderent fore, ut ille rursus vexaretur, atque iterum sede exturbaretur.

Rem vero probavit eventus : nam Liberius omnia Arimini gesta, apostolica auctoritate cassavit et in irritum misit, datis ad omnes episcopos encyclicis litteris, quas Siricius in celebri ad Himerium Tarraconensem epistola memorat. Ne vero iteratum humanæ fragilitatis exemplum ederet, ipse deinde sui conscius sese subduxit, ac in cœmeterii latebras contulit. Liberiani hujus iterati secessus Sozomenus aperte meminit, eumque a priori exsilio distinguit (*c*). Rufinus vero, a quo deceptus Socrates, cum Berœæ exsilio inscite confundit (*d*). Quamobrem Tillemontius, quamquam iterato huic ipsi exsilio aliquam veri speciem concedat, abesse tamen fundamentum ait, ex quo illud pro certo haberi possit : nam Sozomenus, ut ille putat, dubius est, Actis vero Liberii, quæ eam rem confirmant, Baronius ipse haud multam adhibet fidem : quod si Liberianus hic secessus perit, Damasi etiam vicariatus concidit. Sic saltem visum est Constantio in monito prævio ad eadem Liberii Acta in appendicem rejecta.

Verum huic duplici exsilio nec ratio deest, nec alii præter Sozomenum testes. Nam quod ad rationem attinet, ex eodem Sozomeno ac Socrate scimus eamdem, atque illam, quam in Oriente Eudoxius et Acacius habuere, Ursacio et Valenti concessam per Occidentalem potestatem fuisse (*e*). Hac vero latro-

A nes illos abusos esse, tum ex iisdem historicis, tum ex Hieronymo Vincentio Lirinensi et Augustino discimus, quorum dicta hic frustra afferrem. An igitur Liberium, qui Ariminense concilium in irritum miserat, atque unus eorum conatus fregerat, ab sceleratis illis illæsum, et intactum prætermissum dicemus?

Sed et Sozomeno accedunt Prosper in Chronico, quod integrum Canisius edidit (*f*), ac Lucifer adversus Constantium. Prioris testimonium minime dubium est, cum utrumque exsilium memoret et distinguat, atque alterum conferat in nonum Liberii pontificatus annum, alterum vero in consulatum Constantii VIII et Juliani Cæsaris : quæ vero Lucifer scribit, fateor nobis, qui ab iis temporibus longe absumus, subB obscura videri posse : at si attente observentur, argumentum præstant minime dubium iteratæ hujus Liberianæ secessionis : ait itaque ad imperatorem : *Negabis te ad idololatriam invitasse nos suscipiendam? Si censes negandum, convincent te expositiones sectæ tuæ episcoporum comblasphemorum videlicet tuorum, convincent te libelli recitati a te, ac dati Romæ episcopis etiam catholicis, ad hoc videlicet, ut omni in loco tua roborari posset blasphemia* (*g*). Sunt igitur, qui hisce verbis designari putent tempus illud, quo Constantius in Urbe substitit, anno nempe 357; eoque libellos tunc ab eo recitatos ac distributos conjiciunt catholicis, qui aderant episcopis eo consilio, ut persentisceret, quo quisque animo futurus esset erga præmeditatam jam, ac producendam ex SirC miensi Urbe blasphemiam (*h*). At cum Lucifer, *recitatos* a Constantio *libellos*, ac per manus Episcoporum traditos scribat, ut ejus *in omni loco blasphemia roborari posset*, facile lector intelligit, agere illum non de præmeditata tantum, sed producta jam in lucem et promulgata blasphemia : deinde nemo facile concessurus erit, *blasphemiam*, quam sciunt omnes Sirmiensi illo clanculari, ac fortuito congressu deinde conscriptam, eo jam tempore efformatam, lectam Catholicis episcopis, ac per manus traditam esse potuisse, quo Constantius in Urbe substitit; si quis igitur ab Lucifero designatam, significatamque censeat impiam illam, quam dixi, Ariminensem, seu potius Acacianam formulam, a vera illum ejusdem mente vix ego abiturum credo. Hæc enim illa est, D quæ post diuturnam coram imperatore ipso disputationem cum a prævaricatoribus episcopis recepta fuisset, proposita deinde, ac Constantinopoli publice *recitata* est (*i*). Quia vero Romæ, quo interea imperatoris jussu delata fuerat, *recitari* non poterat, Liberio episcopo, totaque Eccle-ia repugnante, traditam dumtaxat per manus episcoporum fuisse legimus, nullo tamen prorsus successu. Quamquam igitur Lu-

(*a*) Vid. n. 6, 7, 8, 9.
(*b*) Fragm. 4.
(*c*) Lib. IV, cap. 11 et cap. 19.
(*d*) Lib. I, cap. 27.
(*e*) Soc., lib. II, cap. 37; Sozom., lib. IV, c. 19; Iceph., lib. IX, cap. 41.
(*f*) Tom. I, edit. Basnag.
(*g*) Lib. I, p. 228, BB. PP. edit. Lugdun.
(*h*) Tillem. de Arian., art. 67, not 6.
(*i*) Vid. Socr., lib. II, cap. 41; Sozom., lib. IV, cap. 23.

cifer eo loco non exprimat, an Liberius, cum hæc Romæ agerentur, absens esset, an præsens, illum tamen abfuisse credibile est, eo consilio, ut ab eorum, quibus in episcopos huic formulæ adversantes omnia licere Constantius edixerat, potestate liber, catholicæ fidei integritati sua etiam fuga, et secessu cavere pergeret.

Cæterum quominus de altera Liberii ab Urbe migratione ego dubitem, faciunt potissimum hæc Anastasii de Julio verba : *Fuit temporibus Constantii hæretici filii Constantini. Hic in multa tribulatione, et exsilio fuit mensibus decem : et post hujus Constantii mortem cum gloria est reversus ad sedem divi Petri :* hæc ipsa habet vetus reginæ Suecorum martyrologium, a Georgio memoratum (*a*). Vides itaque Julium sub Constantio a sede pulsum ; illum præterea Constantio mortuo post decimestre exsilium ad sedem suam cum gloria reversum vides. Hæc porro si huic pontifici attribuas, falsissima sunt : at si illa expungas ab Actis Julii, ac restituas cum Baronio, aliisque eximii judicii viris, sinceris Liberii Actis, a quibus sumpta per errorem sunt, tum secundum habes ejus exsilium, tum vero omnia nitida sunt, ac sibi cohærent. Latrocinalis enim Constantinopolitana synodus in Februario mense confecta est. Valentem autem et Ursacium, quibus tunc facta Occidentales Ecclesias arbitrio suo vexandi copia, non statim ab ea urbe discessisse constat : siquidem ipsi, si Fortunato credimus, auctores Constantio fuerunt, ut Hilarius redire in Gallias juberetur (*b*). At ille primis ejus anni mensibus Constantinopoli nondum discesserat, ut ex litteris Gallicanorum episcoporum ad Orientales apud eumdem discimus (*c*). Vero autem simile est, sceleratos hosce turbones non ante iter in Italiam instituisse quam imperator viæ se daret, contra Persas iturus, *adulto* scilicet, ut Ammianus ait, *jam vere*. Hoc vero si dederis, facile etiam concedes, eosdem factam sibi ab imperatore per Occidentales Ecclesias tyrannicam potestatem explicare vix potuisse, anno illo jam medium prætervecto cursum. Hisce deinde per Ecclesias ab Urbe remotiores agendis, si aliquod aliud temporis spatium assignes, atque huic præterea decem illos menses addideris, quos Julius falso delituisse dicitur, facile pertinges ad Constantii obitum, atque ad tempus illud, quo, ut Hieronymus ait (*d*) : *Episcopi qui de propriis sedibus fuerant exterminati, per novi principis indulgentiam ad proprias Ecclesias redierunt :* prætereaque tum ea, quæ a Julio extranea sunt, ad Liberium pertinere, tum vero alterum ejus exsilium nulla solida ratione in dubium vocari.

Atque hæc sunt, quæ ex diligenti synchronorum testium lectione, de rebus a Liberio exsule gestis colligi, ac certo asseri posse existimavi. Scio non deesse viros eruditione præstantes, qui eum pontificem nullo umquam modo lapsum fuisse censeant, ac quæ adversus illum vulgata sunt, incerto tantum rumore niti, quæ vero ab eo scripta dicuntur, falsa omnia, ac Arianorum ; quorum artes, et fallaciæ aliunde probe constant figmenta esse, non sine probabili aliqua ratione opinentur, sed et si ea pro veris et genuinis habeantur a nobis, puto jam liquere nihil ex iis effici, et extundi posse, quod desperatæ eorum, qui ab Ecclesia projecti sunt, causæ prodesse possit, nullamque ideo esse solidam rationem, cur anonymus ille Vitarum Romanorum pontificum consarcinator, catholicarum partim scriptoribus ihrasonice insultare, ac captiosa perplexaque oratione ejus nobis pontificis lapsum exprobrare deinceps pergat, ut fecit (*e*) ; siquidem, si quod in eo vitium fuit, non illud amissæ fidei, sed pristinæ depositæ severioris constantiæ fuit, atque illud haud ita grave, quin ratione aliqua, si non prorsus tolli, extenuari saltem posse videatur. Nam cum is esset rerum status tunc temporis, ut una eademque reputaretur, et esset, *homousii* et *homœusii* vis, tum apud Catholicos, tum apud Anomœos, ut oppido demonstrarunt Toutteus et clar. Gorgneus Suessionensis canonicus (*f*). Liberius fidei Sirmiensi ideo fortasse subscripsit, quod duo hæc assequi se posse confideret, et ut fidem retineret integram, et ut inter Catholicos et Semiarianos homœusii assertores episcopos, arctius iniretur fœdus, quo vires amplificarentur adversus Aetii, Eudoxiique et Anomœorum tunc palam erumpentes conatus, apprime utiles et necessariæ.

DIATRIBA II.

An Damasus faverit aliquando Maximo Cynico adversus Gregorium Nazianzenum ; ac de duabus epistolis Italici ~~concili~~ nomine a Sirmondo editis. concilii

§ 1. — Basungius refellitur. Scriptores afferuntur tum qui irritam aiunt, nulloque loco ab Orientalibus habitam Maximi Cynici appellationem ad Damasum, et Occidentales, tumque effectu illam non caruisse censent, eumque in Occidentalium communionem receptum. Utraque pars una, *Italici* cujusdam *concilii* epistola nititur, quæ affertur : qui de ejus veritate dubitaverint.

Si litteræ illæ exstarent, quas Nicolaus I scripsisse Damasum narrat, ut Maximus episcopatu pelleretur, non esset huic controversiæ locus, neque ausus esset ullus famam vel ex hoc capite impetere sanctissimi sacrorumque canonum observantissimi pontificis. Verum injuria temporum factum est, ut interciderent omnes, si duas excipias, quas Holstenius edidit, atque ego quarto, et quinto loco recensui. Itaque aliunde argumenta repetenda sunt, quibus Damasi nomen a calumnia vindicetur. Cæterum cum

(*a*) Martyr. Adon., II, April. p. 662.
(*b*) Fort. vit. Hilar., n. 8.
(*c*) Fragm. 11.
(*d*) Contr. Lucif., cap. 19.
(*e*) *Il faut être horriblement prévenu en faveur de l'infaillibilité pour soutenir que Libère ne blessa point la foi en adhérant à la perfidie de Sirmium. Aussi voit-on que ceux qui parlent de la sorte sont des gens obscurs, qui n'osent se faire connaître, quoiqu'ils soient protégés des puissances ; mais la chute de Libère est un objet trop odieux dans toutes ses circonstances. Je me contente de renvoyer sur ce sujet à l'excellente dissertation de M. Larroque.*
(*f*) Toutt. ad S. Cyrill. dissert. 1, cap. 7 et 16 ; Gorgn. dissert. de Syn. Arimin., quæst. 3.

binas illas, quæ supersunt, Basnagio videndi copia fuerit, deridiculum se præbuit, cum Nicolaum ipsum mendacii expostulare ausus est, quia *nulla exstat Damasi epistola, quæ Nicolai dictis præsidio sit* (*a*). Utinam vero Romanorum pontificum regesta exstarent adhuc : ex iis enim ego minime dubito, quin maximum nobis præsidium et decus, hæreticis vero aliisque sedis apostolicæ oppugnatoribus ad cognoscendam veritatem lumen affulgeret ; sed jam ad institutum.

Eorum igitur, qui Damasum Maximo Cynico adversus Gregorium Nazianzenum studuisse arbitrantur, duo sunt scriptorum genera ; alii deprimendis Sedis Apostolicæ, et Romanorum Pontificum juribus, alii vero vindicandis intenti, uno tamen omnes, eodemque præsidio utuntur, uno scilicet *Italico Concilio*, unaque ejus epistola, atque una omnes, eademque via incedentes, contrarium sibi proponunt itineris finem. Hanc primus Epistolam in lucem protulit vir summi judicii, et infinitæ lectionis Jacobus Sirmondus, in appendice Codicis Theodosiani postremo loco (*b*), eamque deinceps omnes complexi sunt veluti ad id, quod sibi proposuerant, probandum imprimis idoneam ; ac postremi Operum Ambrosii editores, veluti fœtum tanto præsule dignum, cum reliquis ejus epistolis imprimendam admiserunt : ex ea enim Baluzius (*c*), atque alii nonnulli colligunt, nullius tunc usus, atque auctoritatis fuisse Sardicenses de appellatione canones ; nam si recepti jam fuerant, cur non propositi per Italicos præsules hac ipsa epistola, ut ea Maximi appellationem tuerentur? Dupinius autem (*d*), et Quesnellus pro more nihil non audent, asseruntque temere cum Eusebianis Philippopoli congregatis, nihil synodo Occidentalium contra Orientales licere statuere ; tum quod eorum conatus effectu caruerint, cum Maximus Cynicus perpetuo exauctoratus manserit ; tum quod Occidentales ipsi hoc aperte fateantur, cum sibi *non prærogativam vindicant examinis, sed consortium petunt communis arbitrii*. Quibus profecto verbis hoc dumtaxat volunt, ut cum Orientalibus, non de Orientalibus judicent. Ex adverso Lupus (*e*) ac Schelestratius (*f*) hanc ipsam epistolam Romanæ synodo ac Damaso attribuunt ; ex eaque conficiunt, tum Maximum beneficio appellationis, tum Damasum jure suo usum fuisse, cum eum in communionem recepit, atque in episcopi gradum restituit, a quo ille per Constantinopolitanam synodum dejectus fuerat : quod nuper etiam sentire visus est vir clar. P. Joannes Antonius Blancus ex Observantium familia (*g*), ac P. Jo. Chrysostomus a S. Joseph ex piarum Scholarum clericis (*h*) quos honoris causa nominatos velim. At vero, an hoc quod viri illi doctissimi ex hac epistola argumentum trahunt, satis firmum sit, et asserendis sedis apostolicæ juribus recte comparatum, eorum esto judicium, qui secum reputarint, quem causa illa exitum aliquando habuerit. Itaque cum ea epistola Joanni David (*e*), ac Natali Alexandro (*i*) dubiæ fidei visa fuerit, ac viri illi eximii summis tantum labiis rem attigisse potius quam confecisse videantur, opere me pretium facturum putavi, si in eam diligentius inquirerem, et graviora aliquot argumenta eorum, qui legerint, judicio subjicerem, quibus tum Damasi fama in tuto ponatur, tum falsitas ejus epistolæ, ob quam hic cujusdam veluti prævaricationis reus agitur, constare magis posset. Sed ut lectores minori incommodo rem ipsi dijudicare possint, ipsam ante omnia Italici concilii epistolam iterum hic describendam censui. *Concilii Italiæ ad Theodosium imperatorem, de episcopo Antiochiæ subrogato post mortem Melitii. Et ut Nectarius Constantinopoli post Maximum ordinatus loco cedat, aut Romæ super utriusque ordinatione concilium habeatur. Beatissimo imperatori et clementissimo principi Theodosio, Ambrosius, et cæteri episcopi Italiæ.*

Sanctum animum tuum Deo omnipotenti pura et sincera fide deditum sciebamus : sed recentibus cumulasti beneficiis, quod Catholicos Ecclesiis reddidisti, imperator Auguste. Atque utinam Catholicos ipsos reverentiæ veteri reddidisses, ut nihil noverint contra præscripta majorum, nec temere vel servanda rescinderent, vel rescindenda servarent. Itaque dolentius forte quam inconsultius ingemiscimus, imperator, facilius expelli potuisse hæreticos, quam inter Catholicos convenire. Quanta enim nuper confusio facta sit, explicari non potest. Scripseramus dudum, ut quoniam Antiochena civitas duos haberet episcopos, Paulinum atque Melitium, quos fidei concinere putabamus, aut inter ipsos pax, et concordia salvo ordine Ecclesiastico conveniret, aut certe si quis eorum altero superstite decessisset, nulla subrogatio in defuncti locum, superstite altero, gigneretur. At nunc Melitio defuncto, Paulino superstite, quem in communione nostra, mansisse consortia, quæ a majoribus inoffense ducta testantur, contra fas atque ecclesiasticum ordinem, in locum Meletii, non tam subrogatus, quam superpositus asseritur. Atque hoc factum allegatur consensione et consilio Nectarii, cujus ordinatio quem ordinem habuerit non videmus. Namque in concilio nuper, cum Maximus episcopus Alexandrinæ Ecclesiæ communionem vianere secum lectis Petri sanctæ memoriæ viri litteris prodidisset, eumque intra privatas ædes, quia Ariani basilicas adhuc tenebant, secretum esse, mandatoribus episcopis ordinantibus, dilucida testificatione docuisset, nihil habuimus, beatissime princeps, in quo de episcopatu ejus dubitare possemus, cum vim sibi repugnanti a plerisque etiam de populo et clero testatus esset illatam. Tamen ne

(*a*) Ad ann. 381, n. 5.
(*b*) Oper., tom. I, p. 429, Ver. Edit.
(*c*) Conc., lib. VII, cap. 4.
(*d*) Eccl. Discipl. diss. 2. § 2.
(*e*) De Rom. app., cap. 31.
(*f*) Antiq. Eccl. dissert. 6, cap. 4, art. 2.
(*g*) Tom. III, lib. II, cap. 3, § 11.
(*h*) Dissert. de appel. S. Athan., cap. 4.
(*i*) De Judic. epist. Can., p. 196.
(*j*) Sec. IV, dissert. 28, prop. 3.

absentibus partibus præsumpte aliquid definisse videremur, clementiam tuam datis litteris putavimus instruendam, ut ei consuleretur ex usu publicæ pacis atque concordiæ. Quia revera advertebamus Gregorium nequaquam secundum traditionem Patrum Constantinopolitanæ Ecclesiæ sibi sacerdotium vindicare. Nos igitur in synodo ea, quæ totius orbis episcopis videbatur esse præscripta, nihil temere statuendum esse censuimus. At eo ipso tempore qui generale concilium declinaverunt, Constantinopoli quæ gessisse dicuntur? Nam cum cognovissent ad hoc partium venisse Maximum, ut causam in synodo ageret suam, quod etiamsi indictum concilium non fuisset, jure et more majorum sicut, et sanctæ memoriæ Athanasius, et dudum Petrus Alexandrinæ Ecclesiæ episcopi et Orientalium plerique fecerunt, ut ad Ecclesiæ Italiæ et totius Occidentis confugisse judicium viderentur; cum eum sicut diximus, experiri velle adversum eos, qui episcopatum ejus abnuerant, comperissent, præstolari utique etiam nostram super eo sententiam debuerunt. Non prærogativam vindicamus examinis, sed consortium tamen debuit esse communis arbitrii. Postremo prius constare oportuit, utrum huic abrogandum, quam alii conferendum sacerdotium videretur, ab his præsertim, a quibus se Maximus vel destitutum vel appetitum injuria querebatur. Itaque cum Maximum episcopum receperint in communionem nostra consortia, quoniam eum a catholicis constitit episcopis ordinatum, nec ab episcopatus Constantinopolitani putavimus petitione removendum. Cujus allegationem præsentibus partibus æstimavimus esse pendendam. Nectarium autem cum nuper nostra mediocritas Constantinopoli cognoverit ordinatum, cohærere communionem nostram cum Orientalibus partibus non videmus. Præsertim cum ab iisdem Nectarius dicitur illico sine communionis consortio destitutus, a quibus fuerat ordinatus. Non mediocris igitur hic scrupulus. Nec quædam nos angit de domestico studio, et ambitione contentio, sed communio soluta et dissociata perturbat. Nec videmus eam posse aliter convenire, nisi aut is reddatur Constantinopoli, qui prior est ordinatus, aut certe super duorum ordinatione sit in urbe Roma nostrum Orientaliumque concilium. Neque enim indignum videtur, Auguste, ut Romanæ Ecclesiæ antistitis, finitimorumque, et Italorum episcoporum debeant subire tractatum, qui unius Acholii episcopi ita exspectandum esse putaverunt judicium, ut de Occidentalibus partibus Constantinopolim evocandum putarent. Si quid uni huic reservatum est, quanto magis pluribus reservandum est? Nos autem a beatissimo principe fratre tuæ pietatis admoniti; ut tuæ Clementiæ scriberemus imperio, postulamus, ut ubi una communio est, commune velit esse judicium, concordantemque consensum.

§ II. — Rei gestæ series exponitur ab iis excogitata, qui eam epistolam pro sincera habent : quo anno Maximus Cynicus Mediolanum venerit? Cui nam præterea concilio adfuerit, ut suam tueretur in eo ordinationem? Petri de Marca, Valesii, aliorumque ea de re opinio : hanc erroneam esse rationibus, et Tillemontii auctoritate evincitur.

Qui itaque hoc Italicum concilium, atque hanc ejus epistolam pro veris certisque habent, hanc fuisse aiunt rerum gestarum seriem (*a*) Maximus Cynicus, qui interea temporis in Italiam venerat, eidem concilio adest anno secundum aliquos 381 post celebratum Aquileiense concilium, secundum vero alios circa medium annum 382, seque allatis Petri Alexandrini, qui mortem jam obierat, litteris catholicum, prætereaque falsis productis testimoniis rite recteque ordinatum probat. Cur vero Tillemontius Maximum circa hoc tempus in Italiam venisse opinetur, hanc affert rationem, quia sperabat fore, ut res suas Constantinopolitanæ synodi sententia perditas, in œcumenico concilio Romæ a Damaso convocato restitueret. Italici tamen episcopi nihil a se temere definiendum rati sunt, ut causa hæc a generali illo concilio propediem futuro cognosceretur. Verum ne interea officio suo deesse ipsi viderentur, tum Maximum ad communionem receperunt, tum Theodosio scripserunt ut ejusdem jurium rationem haberi vellet, eique consuleret, ex usu publicæ pacis, et tranquillitatis. Periit autem hæc prior, ut his videtur, epistola; tres enim ab eodem concilio epistolas Theodosio scriptas inquiunt ex quibus ea, quam supra descripsi, secundum locum occupat, postremum vero altera, de qua § 4 agam deinceps. Hanc vero fuisse ejus primæ, quæ periit, epistolæ rerum summam, ex hac secunda colligunt, quam propterea transmissam aiunt non diu post primam, tunc scilicet, cum Italici illi episcopi certiores facti sunt, generale concilium a Damaso anno hoc convocatum ab Orientalibus declinari, atque aliud ab iis in regia urbe cogi.

Iis itaque acceptis ab Italico concilio litteris, nunc audi si placet, quid Theodosius ex auctorum istorum ingenio rescripserit. Aiunt rescripsisse imperatorem, rationes illas, ob quas Italiæ præsules concilium in Occidente postulaverant, minime videri idoneas, et graves : allatas enim de Flaviani et Nectarii ordinatione causas in Oriente excitatas, atque ad Orientalem Ecclesiam pertinentes, in Oriente cognoscendas et definiendas esse, nec ad Occidentis judicium transferri posse, ne fines moverentur a Patribus constituti : rem ideo iniquam ab iis postulari, et quæ Orientalibus ipsis stomachum movere posset, cum eos ad concilium Romæ congregandum ob eas res vocabant : atque ideo, si quid illis absentibus in Occidente statueretur, futurum illud irritum, ac majorem inter utramque Ecclesiam jurgiorum causam : Italicos præterea episcopos, aut Cynico mendaci præter æqui bonique consilia se nimium faciles præbuisse, aut nimio adversus Orientales zelo abripi se passos. Cur vero hæc ipsa Italicis illis præsulibus Theodosium rescripsisse putent, aliam non afferunt rationem præter hanc, quia nempe illi postrema epistola excusant sese apud imperatorem, afferuntque, ut se defendant, causas cur generale concilium necessarium judicaverint, sive ob quas, ut putant hi, peccasse se fateantur.

(*a*) Vid. Pag. ad ann. 379, n. 12, et 381, n. 6; Tillem., de Ambr., art. 33; Fleury, lib. XVI, n. 17.

At hæc, ut mihi videtur, facilius est ex ingenio fingere, quam vera esse demonstrare. Enim vero, quin Maximus in Italiam venerit, nullus dubitat. Fieri etiam potest, illum in Italiam venisse ann. 382, ut Tillemontius censet, quamquam conjectura qua vir doctus movetur, ut sic censeat, levissima profecto sit : Maximus enim a Damaso pridem rejectus, nihil boni exspectare, poterat ab ea synodo, in qua ratum haberi oportebat, quod sapientissimo pontifici placuisset. Athanasii deinde, ac Petri Alexandrini exempla, ut cætera præteream, certiorem fecisse eum poterant, apertam, expeditamque omni profecto tempore ad Romanos pontifices recursus, et appellationis viam, nulliusque in eum finem concilii convocatione opus esse. Facit itaque, ut anno illo Cynicum ad nos accessisse facilius credam, Hieronymi testimonium hæc scribentis : *Maximus philosophus, natus Alexandriæ, Constantinopoli episcopus ordinatus est, et pulsus insignem de fide adversus Arianos scripsit librum, quem Mediolani Gratiano principi dedit* (*a*). Advertendum quippe est, eum non venisse in Italiam, statim ac Constantinopoli pulsus est, sed ad imperatorem Theodosium anno 380 jam medio Thessalonicæ agentem sese contulisse, tum deinde ut canem iterum ab eo loco pulsum, Alexandriam profectum : ubi cum Petro ejus urbis episcopo molestias creasset, inde quoque opera præfecti exulare coactus est. Postremo ut Nazianzenus eleganter ait : *Quiescere* visus est, veluti *nubes, quæ gravi grandine fœta est, exspectatque ventum, quo incita in non putantes grandinem effundat suam* (*b*). Hisce autem agendis fieri non potest, quin residuum ejus anni spatium, ac majorem alterius partem attribuamus. Hinc vero conjicimus, philosophum illum sistere se Mediolani non potuisse, ac librum illum Gratiano afferre mense Martio anni 381, cujus aliquot tantum dies imperator Mediolani egit, si tamen egit, cum contra annum sequentem fere integrum in ea civitate substitisse ex codice Theodosiano constet. Verum non hoc quæritur, an scilicet Cynicus Mediolanum venerit, sed cuinam concilio causam oraturus suam adfuerit (neque enim hac de re dubitari potest) ac præterea e quibus illud episcopis collectum fuerit?

Petrus de Marca in concilio Aquileiensi gesta hæc fuisse censet : *Nectario quippe inquit in Gregorii locum ordinato spe sua dejectus Maximus in Italiam se contulit, ut pontificum Italorum, sed præcipue Damasi Romani, et Ambrosii Mediolanensis, quorum ea tempestate summa erat auctoritas, favore fultus, Nectario reprobato, Constantinopolitanam Ecclesiam retinere posset. Constat autem Nectarii ordinationem non placuisse Damaso. Itaque affirmare possumus Damasum, et Occidentale concilium, hoc Maximi confugium approbasse, eamque occasionem explicandæ auctoritatis Romanæ, et Occidentalis Ecclesiæ in sedem Constantinopolitanam avide arripuisse. Hinc factum, ut in concilio Aquileiensi sub Ambrosio, quod generale erat ex Occidente, cuique Damasi auctoritatem ex eo inter cætera intervenisse colligitur, quod de illo congregando Gratianus ad eum scripsit, ut fidem facit auctoritas Synodici cap. 74; in concilio, inquam, Aquileiensi, damnata Nectarii ordinatione, ita approbatus sit Maximus, ut episcopi ex eo concilio ad Theodosium rescripserint, nihil habuisse se, in quo de ejus episcopatu dubitare possent* (*c*). Hanc opinionem avide etiam arripuit Basnagius (*d*), atque eidem accedit Valesius, quamquam eam parum firmam cognoverit, cum hæc scribit : *Episcopi igitur Italiæ, qui Aquileiæ in concilium congregati erant, lectis Maximi litteris, eum in communionem receperunt... quin et postea cum Nectarius in concilio Constantinopolitano ordinatus fuisset episcopus ejusdem urbis, communionem ejus recusarunt, scripseruntque ad imperatorem Theodosium, ut concilium Romæ fieret, in quo Nectarii et Maximi causa disceptaretur... Initio quidem Damasus ordinationem Maximi improbavit ; postea tamen favisse videtur Maximo ; neque enim concilium, episcoporum Italiæ Maximum in communionem recepisset, aut petiisset umquam ab imperatore, ut synodus Romæ fieret super ejus ordinatione, nisi ex consensu Damasi. Utrum vero Maximus in communionem receptus sit a Damaso, obscurum est* (*e*).

At hanc, quam Baluzius quoque, Valesius, Dupinius, Constantius, aliique amplexi sunt sententiam, ipsa evertunt acta Aquileiensis concilii, et quæ illud consecuta sunt. Nam si ejus concilii Patres Maximi causam cognoverant, si eam juri consonam judicaverant, cur in actis ipsis, quæ adhuc exstant, horum nihil apparet ? Præterea si Theodosium rogaverant, ut philosopho illi *ex usu publicæ pacis et concordiæ* consuleret, cur de Antiocheno dissidio ob Flaviani ordinationem, cur de molestiis, quæ Timotheo Alexandrino inferuntur, agunt dumtaxat, Maximi vero negotium silentio prætereunt in litteris ad eumdem Theodosium missis ? Supersunt illæ ejusdem rei testes (*f*); exstant pariter apud Theodoretum (*g*) aliæ, quas Orientales episcopi Occidentalibus rescripserunt anno 382 jam provecto, atque ego alibi jam expendi, cur, cum in iis fiat mentio de acceptis illis Aquileiensis concilii litteris, nullum prorsus de Maximo, cur de ejus ad hoc concilium confugio, nullum omnino verbum est ? Valesius itaque, qui difficultatem probe advertit, ut illam effugiat, duo ex ingenio ponit : primum nempe, concilio Maximum non adfuisse, sed per litteras Aquileiam scriptas causam dumtaxat egisse suam : alterum vero, non ipsum integrum Aquileiense concilium, quod jam confectum, dissolutumque fuerat, sed Italicos illos episcopos, qui Aquileiæ, si ipsi Valesio credis, peropporA B C D

(*a*) De S. E., cap. 117.
(*b*) Carm. de vita sua.
(*c*) Lib. v, cap. 21 ; lib. vii, cap. 4.
(*d*) Ad ann. 380, n. 4, et 381, n. 5.
(*e*) Not. ad Sozom., lib. vii, c. 9.
(*f*) Conc. Ven. edit., tom. II.
(*g*) Lib. v, cap. 9.

tune substiterant, Maximi causam scripto relatam audivisse, ac epistolam, de qua agimus, Theodosio scripsisse. At hæc quam ludicra, quam falso excogitata sint, ipsa ejusdem epistolæ verba, si tantum legantur, aperte demonstrant. Huc adde litteras genuinas Aquileiensis, ac fictitias Italici concilii inter se pugnare, atque dissentire : Aquileienses namque Patres concilium, ut Alexandriæ cogatur, postulant, quo Orientales omnes conveniant : Italici vero præsules eos ipsos Romam evocant : quis autem credat utramque epistolam ab unius ejusdemque concilii episcopis, profectam? Merito igitur Tillemontius eam sententiam rejicit, quocum Pagius, Fleurius, aliique eruditi scriptores consentiunt.

§ III. — Tillemontii ipsius sententia affertur, expenditur, ac rejicitur. Afferuntur argumenta ex ipsa eadem epistola, coævisque aliis monumentis petita, ex quibus efficitur epistolam illam, nec *Italici* alicujus *concilii*, nec veram, neque Ambrosii præterea umquam esse potuisse, sed habendam pro commentitia. Brevis in ejusdem perscrutando auctore excursus.

Reliquum nunc est, ut inquiramus, an potior eorum sententia sit, qui posthabito Aquileiensi concilio, ad *Italicum* hoc, ex iis scilicet episcopis collectum, qui Ambrosio suberant, Maximum confugisse putant, atque illi adfuisse. Hoc vero, post aliquot a me propositas difficultates, lector dijudicare ipse poterit.

Primo itaque loco me haud bene habet concilii hujus, quod *Italicum* dicitur, inscriptio, qua nullus designatur certus cognitusque in Italia locus, in quo illud habitum, ac celebratum dici queat. Hoc enim insuetum est, ac alienum a recepto ecclesiastico more, quo concilia omnia ad illud usque tempus, ac quæ etiam deinceps celebrata sunt, a certo aliquo, determinatoque loco denominationem acceperant. Hinc Hieronymus Rufinum synodi se judicio probatum asserentem, interrogat : *Synodus in qua urbe fuit? dic episcoporum vocabula, profer sententias subscriptorum, doce qui eo consules fuerint; quis imperator hanc synodum jussit congregari : certe ob quam causam synodus congregata sit* (*a*).

Secundo. Vix proferri poterit concilium aliquod circa hæc tempora, quod *Italicum* dictum sit, et non potius *Romanum*. Romano siquidem episcopo veluti metropolitæ universa Italia parebat adhuc; et vix aut Mediolanensis, aut Aquileiensis ob prærogativam sedis a cæteris episcopis distingui, et jus illud exercere cœperant, quo deinde usi sunt; quod erudite probat Bacchinius in dissertatione de Ecclesiasticæ hierarchiæ originibus (*b*), aperto Eusebii testimonio concilium a Cornelio in causa Novatiani ex tota qua patet *Italia* collectum, *Romanum* compellantis : at ne longe a Damasi ætate abeamus, Julius a sua synodo ad Eusebianos scribens : *Necesse est*, inquit, *vobis notum facere etiamsi solus scripserim, non ideo mei solius, sed omnium eorum, qui in* Italia *sunt, et qui in his partibus degunt, esse illam sententiam* (*c*). Liberius præterea in litteris ad Orientales scriptis, quas Socrates recitat (*d*), episcopum se *Italiæ* vocat, unusque Italorum atque Occidentalium ore loquitur : ac Theodoretus Romanam primam sub Damaso synodum ex *Italia* et Gallia collectam dicit (*e*). Consulatur etiam P. Antonius Blancus, ex Observantium familia vir doctus, qui hanc adversus Jannonii deliria sententiam egregie confirmat (*f*). Et his igitur colligitur, unum tantum in Italia concilium, illudque Romanum ex universa Italia congregatum, tunc fuisse, atque idcirco Italicum alterum, a Romano separatum, ac diversum, aut nullum, aut recentioris ætatis. Hinc cum Hieronymus (*g*) ex male intellecto Eusebii loco *Romanam* ab *Italica* diversam synodum, ubi de Cornelio agit, agnovisse visus sit, Pearsonus merito observat de hac Italica *synodo* non liquere, ac dubitare se ait, an *Italicum* concilium illud ab Hieronymo recte conflatum sit (*h*).

Tertio. Concilium, cui Maximus adfuit, si huic epistolæ fides est, coactum fuit sub episcopatu Gregorii Nazianzeni. Do verba, ex quibus id constat. *Namque in concilio nuper, cum Maximus episcopus Alexandrinæ Ecclesiæ communionem manere secum, lectis Petri S. M. viri litteris prodidisset, quia Ariani basilicas adhuc tenebant, secretum esse mandatoribus episcopis ordinantibus dilucida testificatione docuisset, nihil habuimus, in quo de episcopatu ejus dubitare possemus : tamen ne absentibus partibus præsumpte aliquod definivisse videremur, clementiam tuam datis litteris putavimus instruendam, ut ei consuleretur ex usu publicæ pacis, atque concordiæ, quia revera advertebamus,* Gregorium *nequaquam secundum traditionem Patrum Constantinopolitanæ Ecclesiæ sibi sacerdotium vindicare.* Hinc vero, quæ sponte sua fluunt, hæc sunt : primo, si Maximus huic concilio adfuit, Nazianzeno Constantinopolis episcopo confirmato, ejus in Italiam adventus, et confugium referendum necessario foret ad primos menses anni 381, cum Gregorius in Maio aut Junio episcopus esse desierit : hoc vero falsum esse probat tum ratio temporis, ac rerum gestarum series, quam supra expendimus; tum Nazianzenus ipse in carmine de vita sua; tum Aquileiense concilium, cum nihil prorsus sive in synodo Aquileiensi, sive apud Nazianzenum ipsum legatur de illius ad episcopos Italicos confugio, aut de litteris in ejus causa ad Theodosium scriptis. Secundo, manifestum est errare eos, qui rem hanc, atque Italicum concilium transferunt ad annum 382, quo adversus Gregorium, qui jam episcopatui sponte cesserat, nulla esse controversia poterat, ob quam Italici illi episcopi

(*a*) Lib. II contr. Rufin. n. 19., Ver. edit.
(*b*) Par. II, ex § 7.
(*c*) Apud Coust. ep. I, n. 81.
(*d*) H. E. lib. IV, cap. 12.
(*e*) H. E. lib. II, cap. 22.
(*f*) Tom. IV, lib. II, § 16.
(*g*) De S. E. cap. 76.
(*h*) Ann. Cyprian. ad an. 251, n. 13.

hæc Theodosio tunc scriberent. Valesius ac Tillemontius, hac difficultate obruti, nodum gladio secant, ac in illis, quæ recitavimus, epistolæ verbis, mendum inesse aiunt, et loco *Gregorii* legi oportere *Nectarium* (*a*). At hæc lectio nullius omnino codicis auctoritate nititur et confirmatur. Deinde rerum seriem in hac epistola expositam si quis recte advertat, nullum esse errori locum, sed omnia secum recte cohærere deprehendet, ac Gregorii et Nectarii nomen, utroque, quo jacet, loco recte positum fuisse concedet. Tres enim, ut diximus, in ejusdem Maximi causa epistolæ scriptæ finguntur : hinc cum ille ad eos in concilio congregatos Italicos episcopos primum accessit, et prior epistola scripta est, Gregorius Nazianzenus; cum vero hæc altera, ac posterior, Nectarius Ecclesiæ Constantinopolitanæ jam præerat, cujus proinde etiam episcopatum improbare videntur. Hæc autem cum ita sint, aut Italicum hoc concilium extra annum 382 collocandum est, ut ad annum 381 nondum provectum referatur, quo Gregorius revera episcopus fuerat; aut si ab eo anno minime tibi removendum videatur, ac Nectarii episcopatum retinere volueris, fatearis necesse est, illud concilium ex quo cœptum est, numquam postea dissolutum fuisse, sed ad aliquot ultra integrum anni spatium menses protractum, quod nemo sane dixerit.

Quarto. In hoc concilio, cui philosophus ille præsens fuit, suamque causam dijudicandam obtulit, tria inveniamus oportet : primo nempe, ut generale sua saltem convocatione fuerit; secundo, ut habitum sit circa tempus Constantinopolitanæ synodi, qua Maximus exauctoratus est, et Nectarius ordinatus; tertio denique, ut illud ab Orientalibus declinatum fuerit. Hæc tria habes ex his epistolæ verbis : *Nos in synodo ea, quæ totius orbis episcopis videbatur esse præscripta, nihil temere statuendum esse censuimus : at* EO IPSO TEMPORE, *qui generale concilium declinaverunt, Constantinopoli quæ gessisse dicuntur? Nam cum cognovissent ad hoc partium venisse Maximum, ut causam in synodo ageret suam, cum enim experiri velle adversus eos, qui episcopatum ejus abnuerant, comperissent, præstolari utique etiam nostram super eo sententiam debuerunt.* Nunc vero hæc singula perpendenda sunt, et inquirendum utrum Italico huic concilio aptari possint, utque a primo capite initium faciam, an vero Ambrosius umquam scripserit, *Italicam* illam suam paucorum episcoporum synodum, *totius orbis episcopis præscriptam* fuisse? Nemo ne hoc cogitaverit quidem. Fleurius itaque difficultatem dissimulat. Tillemontius autem, ut eam tollat, *nos nisi in ea synodo*, legendum putat, pro unico additamento ut hypothesi subserviat facto, ait Italicos episcopos nihil definiendum censuisse in ea, quam ipsi habebant synodo; ut Maximi causa in generali illa synodo cognosceretur, quam jam indictam Damasus propediem habiturus erat (*b*), eam quoque hoc loco designatam Pagius inquit, at eo, quo Tillemontius utitur, additamento non adhibito, vim verbis apertissimam inferre, ac fucum lectori facere cogitur. Verum quo ms. aut impresso codice, aut libris impressis hæc lectio nititur, ut illam nobis a Tillemontio obtrudi liceat? Insuper an non recitata illius epistolæ verba, ac exposita rerum series, hanc illius correctionem, atque additionem respuunt? Nam quæ sit ea synodus *totius orbis præscripta episcopis*, de qua hoc loco sermo est, quæve nihil temere statuendum censuit, aperte explicant ea, quæ mox adjiciuntur verba, *at qui generale concilium declinaverunt;* quæ habitam jam in Maximi causa, non vero habendam in futurum synodum exprimunt ac præ se ferunt, ac rem non agendam, sed actam jam præteritamque ostendunt. Deinde si *Italicum* hoc concilium, a quo Maximi causa ad illud a Damaso jam convocatum rejecta est, habitum fuit *eo ipso tempore*, quo Constantinopolitana synodus congregata fuerat, aut illud retrahas non secus ac Maximi recursum ad primos menses anni 381, quo Constantinopolitana ipsa synodus jam convenerat, Nectariumque ordinaverat, Romana vero generalis a Damaso nondum convocata fuerat; vel si illud ipsum anno 382 congregatum asseris, Nectarii ipsius ordinationem conferas necesse est ad eumdem annum, atque ad conventum illum, quem eo tempore Orientales Constantinopoli habuerunt. Primum ne dicas, obstat Gregorii Nazianzeni silentium, obstant quoque Aquileiensis acta concilii, ac Tillemontius ipse : alterum vero, quamquam placuerit Joanni David (*c*), tamen omnino falsum esse liquet ex l. 3 C. Th. de Fid. cath., quæ publicata legitur die 28 julii anni 381, ac Nectarium Constantinopolitanæ Ecclesiæ jam præsedisse probat. Reliquum igitur est, ut hanc epistolam inter figmenta rejicias, vel cum Tillemontio ipso fatearis aliquando, qui eam scripsit tam vecordem fuisse, ac hardum, ut minime sciverit, adverteritque animum ad ea quæ scriberet (*d*). An vero in adeo recenti, ac manifesta re, in Ambrosio præterea, a quo epistolam ipsam scriptam censent, oscitantia tanta? Hoc credat qui velit; mihi enim profecto persuaderi non patiar.

Denique, quod tertio loco proposui, si concilium, cui Maximus adfuit, ab Orientalibus declinatum fuit, atque hoc iis Italici episcopi exprobratum aiunt, vel de Aquileiensi, vel de Italico illo, vel de Romano, quod Damasus convocaverat, intelligas necesse est, atque ut ex tribus illis unum eligas. Si primum; hoc forte jure dictum videri poterit, cum Orientales, quibus facta fuerat accedendi copia, abesse maluerint, ut ex actis constat. At ut sæpe diximus, neque Maximus huic adfuit, aut adesse potuit, neque de ejus causa actum in eo fuit. Si vero *Italicum* eligis, atque illud, quod ex vicariatus Italiæ episcopis, Tillemontius congregatum ait, hoc temere ac falso dic-

(*a*) Tillem. in Greg. Naz., not. 43.
(*b*) De Greg. Naz., cap. 81.
(*c*) De Jud. can. Epist., p. 203.
(*d*) Not. 45 in Greg. Naz.

tum videri debet : nam quo jure Ambrosius exprobratum ire poterat Orientalibus, declinatum ab iis concilium illud suum, a quo nulla ratione pendebant? An vero præterea vocati Orientales ipsi episcopi ad illud fuerant? Reliquum igitur est, ut tertium eligas, atque hæc referas ad illud concilium, quod ex Occidentis et Orientis episcopis colligendum Damasus Romæ convocaverat, ac deinde anno 382 jam exeunte coactum fuit. At si hoc asseris, necessario fateri debes Ambrosio, ac cæteris illis Italicis episcopis innotuisse jam, cum scriberent, concilium hoc ab Orientalibus certo jam *declinatum*, aut declinandum. Nunc vero hæc velim observes. *Ante mediam æstatem* hujus anni nihil illi de hoc Romano concilio intellexerant, cumque a Theodosio acciti, *juxta litteras Aquileiensis concilii* Constantinopolim venissent, certiores facti tum illud a Damaso convocatum, tum se evocatos, rei novitate perculsos fatentur, ac legatos mittunt cum litteris, quibus causas exponunt, quominus adesse omnes possent (*a*). Has vero litteras scriptas fuisse constat *post mediam æstatem*, atque ita Julio jam inclinato, aut elapso, easque ab episcopis illis, quos legatos miserant, allatas. Nunc quæro abs te, quonam anni illius mense putas illos pervenisse Romam, ut Ambrosius cæterique illi Italici episcopi certo scire possent, Romanum hoc concilium ab Orientalibus declinatum? Mihi videtur, ante octobrem mensem eorum ad Urbem adventum vix statui posse. Aut itaque Ambrosius, cæterique Italici episcopi jam Romam venerant, ut ego puto, aut non : si primum dicimus, an Damasus, an Acholius, an Orientales legati, Ambrosium ipsum Maximi fraudes ambitumque ignorare passi sunt? Id ne Tillemontius quidem decoquere potuit. An vero præterea Mediolanensis præsul concilio præsens, Damaso, Acholio cæterisque aliis jam congregatis episcopis inconsultis, rem tantam solus cum suis aggressus est? Absit ut ego hanc viro sanctissimo ac prudentissimo calumniam inferam! *Decebat enim omnibus, qui in eadem communione erant, satisfieri, ut res gestæ magis firmarentur ex multorum consensu, nec pax scinderetur, aliis abscindentibus dum alii admittebantur; sic igitur decebat consilium graviter, et leniter iniri de rebus ad omnes orbis terrarum ecclesias pertinentibus* (*b*). Quod si dixeris, Ambrosium cum Italico suo concilio hæc scripsisse, antequam Romano itineri se daret, vix mihi persuadere poteris, vel illi tempus sufficere potuisse, vel res tantas fuisse aggressum itineri jamjam paratum, atque e conspectu generalis synodi Romæ propediem futuræ. Deinde unde ille resciverat, Orientales eam generalem synodum *declinavisse*, ut hoc illis vitio verteret? At, inquit Tillemontius, jam antea intellexerat illos, quos oportuerat Romanum iter aggressos esse, Constantinopoli substitisse, ac synodum suam media jam æstate instituisse. Ita divinans ait hic auctor, ut hypothesi suæ inserviat. At ego iterum quæro, quis Ambrosium monuerat, Orientales synodum illam suam instituisse eum in finem, *ut Romanam declinarent?* An vero non poterant, synodo illa confecta in Occidentem commodo postea sese conferre? Res itaque eo semper redit, ut hac de re ille certus esse non posset, antequam Orientalium eorumdem litteræ, quibus sese excusaverant, Romam allatæ fuissent, atque eadem idcirco difficultas perpetuo manet.

Quinto. Ab Italicis episcopis Maximus ad communionem receptus dicitur, *quoniam eum a catholicis constitit episcopis ordinatum*. Duplex autem in hoc peccatum inest, primo contra Nicænum can. 5, quo edicitur, ne quis ejectus, ab allis recipiatur; quo præsidio, quamquam absurdissime, utebantur Afri episcopi, ne Cœlestinus iis, quos ipsi damnaverant, communionem daret (*c*). Deinde quo pacto hoc sibi licuisse putarunt Italici illi præsules inconsulto Damaso Romano episcopo, qui Maximum rejecerat? si enim apostolico can. 34 definitum, atque constanti Ecclesiæ disciplina receptum fuerat ubique, ut episcopi uniuscujusque gentis eum nossent, qui in iis primus esset, eum observarent, ut caput et nihil facerent, quod magni momenti esset, præter illius sententiam; hoc profecto potiori jure debebatur Romano pontifici, cui Italia universa ab ipsa nascentis Ecclesiæ origine aggregata prorsus, et quodammodo, ut Bacchinius ait (*d*), conglutinata fuerat; rem vero notissimam, e Nicæni canonis testimonio comprobatam, exemplis atque allis non necessariis argumentis, confirmare supervacaneum puto. Illud tamen a me omitti non potest, veluti rei, de qua agitur, demonstrandæ imprimis idoneum, nullum scilicet ex episcopis Occidentalibus Athanasium ab pseudosynodo Tyria et Antiochena ejectum, ad communionem existimasse sibi recipere licere, ante pronuntiatam a Julio sententiam. Hinc vero factum, ut Julius ipse in Philippolitano Arianorum conventu damnatus sit, quod *primus januam communionis sceleratis atque damnatis aperuit, cæterisque aditum fecit ad solvendum jura divina*. Liceat igitur mihi hoc loco cum Hieronymo *mirari, quomodo probaverit* Italia, *quod* Roma *contempsit, episcopi susceperint, quod sedes apostolica condemnavit* (*e*). At ne in animum meum inducam, ut hoc de Ambrosio existimem, facit ipsius Ambrosii auctoritas, qui ex Aquileiensi concilio jam nos docuerat, a *Romana Ecclesia veneranda in omnes communionis jura manare* (*f*).

Sexto. Pari modo ob Nectarium episcopum ordinatum rejecto Maximo, ruptam Italici episcopi cum Orientalibus communionem denuntiant : *Nectarium cum nuper nostra mediocritas Constantinopoli cognoverit esse ordinatum, cohærere communionem nostram cum Orientalibus non videmus... nec videmus, posse* seqq.

(*a*) Vid. cap. 20.
(*b*) Basil. epist. 265 ex BB. edit.
(*c*) Epist. 2, apud Constant., n. 2.
(*d*) De Eccles. hier. origin., par. II, § 13, cum
(*e*) Apol. adv. Ruf., lib. III, n. 13.
(*f*) Epist. 12 ex BB. edit.

hæc Theodosio tunc scriberent. Valesius ac Tillemontius, hac difficultate obruti, nodum gladio secant, ac in illis, quæ recitavimus, epistolæ verbis, mendum inesse aiunt, et loco *Gregorii* legi oportere *Nectarium* (*a*). At hæc lectio nullius omnino codicis auctoritate nititur et confirmatur. Deinde rerum seriem in hac epistola expositam si quis recte advertat, nullum esse errori locum, sed omnia secum recte cohærere deprehendet, ac Gregorii et Nectarii nomen, utroque, quo jacet, loco recte positum fuisse concedet. Tres enim, ut diximus, in ejusdem Maximi causa epistolæ scriptæ finguntur; hinc cum ille ad eos in concilio congregatos Italicos episcopos primum accessit, et prior epistola scripta est, Gregorius Nazianzenus; cum vero hæc altera, ac posterior, Nectarius Ecclesiæ Constantinopolitanæ jam præerat, cujus proinde etiam episcopatum improbare videntur. Hæc autem cum ita sint, aut Italicum hoc concilium extra annum 382 collocandum est, ut ad annum 381 nondum provectum referatur, quo Gregorius revera episcopus fuerat; aut si ab eo anno minime tibi removendum videatur, ac Nectarii episcopatum retinere volueris, fatearis necesse est, illud concilium ex quo cœptum est, numquam postea dissolutum fuisse, sed ad aliquot ultra integrum anni spatium menses protractum, quod nemo sane dixerit.

Quarto. In hoc concilio, cui philosophus ille præsens fuit, suamque causam dijudicandam obtulit, tria inveniamus oportet: primo nempe, ut generale sua saltem convocatione fuerit; secundo, ut habitum sit circa tempus Constantinopolitanæ synodi, qua Maximus exauctoratus est, et Nectarius ordinatus; tertio denique, ut illud ab Orientalibus declinatum fuerit. Hæc tria habes ex his epistolæ verbis: *Nos in synodo ea, quæ totius orbis episcopis videbatur esse præscripta, nihil temere statuendum esse censuimus: at* EO IPSO TEMPORE, *qui generale concilium declinaverunt, Constantinopoli quæ gessisse dicuntur? Nam cum cognovissent ad hoc partium venisse Maximum, ut causam in synodo ageret suam, cum eum experiri velle adversus eos, qui episcopatum ejus abnuerant, comperissent, præstolari utique etiam nostram super eo sententiam debuerunt.* Nunc vero hæc singula perpendenda sunt, et inquirendum utrum Italico huic concilio aptari possint, utque a primo capite initium faciam, an vero Ambrosius umquam scripserit, *Italicam* illam suam paucorum episcoporum synodum, *totius orbis episcopis præscriptam* fuisse? Nemo ne hoc cogitaverit quidem. Fleurius itaque difficultatem dissimulat. Tillemontius autem, ut eam tollat, *nos nisi in ea synodo*, legendum putat, pro unico additamento ut hypothesi subserviat facto, ait Italicos episcopos nihil definiendum censuisse in ea, quam ipsi habebant synodo; ut Maximi causa in generali illa synodo cognosceretur, quam jam indictam Damasus propediem habiturus erat (*b*), eam quoque hoc loco designatam Pagius inquit, at eo, quo Tillemontius utitur, additamento non adhibito, vim verbis apertissimam inferre, ac fucum lectori facere cogitur. Verum quo ms. aut impresso codice, aut libris impressis hæc lectio nititur, ut illam nobis a Tillemontio obtrudi liceat? Insuper an non recitata illius epistolæ verba, ac exposita rerum series, hanc illius correctionem, atque additionem respuunt? Nam quæ sit ea synodus *totius orbis præscripta episcopis*, de qua hoc loco sermo est, quæve nihil temere statuendum censuit, aperte explicant ea, quæ mox adjiciuntur verba, *at qui generale concilium declinaverunt*; quæ habitam jam in Maximi causa, non vero habendam in futurum synodum exprimunt ac præ se ferunt, ac rem non agendam, sed actam jam præteritamque ostendunt. Deinde si *Italicum* hoc concilium, a quo Maximi causa ad illud a Damaso jam convocatum rejecta est, habitum fuit *eo ipso tempore*, quo Constantinopolitana synodus congregata fuerat, aut illud retrahas non secus ac Maximi recursum ad primos menses anni 381, quo Constantinopolitana ipsa synodus jam convenerat, Nectariumque ordinaverat, Romana vero generalis a Damaso nondum convocata fuerat; vel si illud ipsum anno 382 congregatum asseris, Nectarii ipsius ordinationem conferas necesse est ad eumdem annum, atque ad conventum illum, quem eo tempore Orientales Constantinopoli habuerunt. Primum ne dicas, obstat Gregorii Nazianzeni silentium, obstant quoque Aquileiensis acta concilii, ac Tillemontius ipse: alterum vero, quamquam placuerit Joanni David (*c*), tamen omnino falsum esse liquet ex l. 3 C. Th. de Fid. cath., quæ publicata legitur die 28 julii anni 381, ac Nectarium Constantinopolitanæ Ecclesiæ jam præsedisse probat. Reliquum igitur est, ut hanc epistolam inter figmenta rejicias, vel cum Tillemontio ipso fatearis aliquando, qui eam scripsit tam vecordem fuisse, ac bardum, ut minime sciverit, adverteritque animum ad ea quæ scriberet (*d*). An vero in adeo recenti, ac manifesta re, in Ambrosio præterea, a quo epistolam ipsam scriptam censent, oscitantia tanta? Hoc credat qui velit; mihi enim profecto persuaderi non patiar.

Denique, quod tertio loco proposui, si concilium, cui Maximus adfuit, ab Orientalibus declinatum fuit, atque hoc iis Italici episcopi exprobratum aiunt, vel de Aquileiensi, vel de Italico illo, vel de Romano, quod Damasus convocaverat, intelligas necesse est, atque ut ex tribus illis unum eligas. Si primum; hoc forte jure dictum videri poterit, cum Orientales, quibus facta fuerat accedendi copia, abesse maluerint, ut ex actis constat. At ut sæpe diximus, neque Maximus huic adfuit, aut adesse potuit, neque de ejus causa actum in eo fuit. Si vero *Italicum* eligis, atque illud, quod ex vicariatus Italiæ episcopis, Tillemontius congregatum ait, hoc temere ac falso dic-

(*a*) Tillem. in Greg. Naz., not. 43.
(*b*) De Greg. Naz., cap. 81.
(*c*) De Jud. can. Epist., p. 203.
(*d*) Not. 45 in Greg. Naz.

tum videri debet : nam quo jure Ambrosius exprobratum ire poterat Orientalibus, declinatum ab iis concilium illud suum, a quo nulla ratione pendebant? An vero præterea vocati Orientales ipsi episcopi ad illud fuerant? Reliquum igitur est, ut tertium eligas, atque hæc referas ad illud concilium, quod ex Occidentis et Orientis episcopis colligendum Damasus Romæ convocaverat, ac deinde anno 382 jam exeunte coactum fuit. At si hoc asseris, necessario fateri debes Ambrosio, ac cæteris illis Italicis episcopis innotuisse jam, cum scriberent, concilium hoc ab Orientalibus certo jam *declinatum*, aut declinandum. Nunc vero hæc velim observes. *Ante mediam æstatem* hujus anni nihil illi de hoc Romano concilio intellexerant, cumque a Theodosio acciti, *juxta litteras Aquileiensis concilii* Constantinopolim venissent, certiores facti tum illud a Damaso convocatum, tum se evocatos, rei novitate perculsos fatentur, ac legatos mittunt cum litteris, quibus causas exponunt, quominus adesse omnes possent (*a*). Has vero litteras scriptas fuisse constat *post mediam æstatem*, atque ita Julio jam inclinato, aut elapso, easque ab episcopis illis, quos legatos miserant, allatas. Nunc quæro abs te, quonam anni illius mense putas illos pervenisse Romam, ut Ambrosius cæterique illi Italici episcopi certo scire possent, Romanum hoc concilium ab Orientalibus declinatum? Mihi videtur, ante octobrem mensem eorum ad Urbem adventum vix statui posse. Aut itaque Ambrosius, cæterique Italici episcopi jam Romam venerant, ut ego puto, aut non : si primum dicimus, an Damasus, an Acholius, an Orientales legati, Ambrosium ipsum Maximi fraudes ambitumque ignorare passi sunt? Id ne Tillemontius quidem decoquere potuit. An vero præterea Mediolanensis præsul concilio præsens, Damaso, Acholio cæterisque aliis jam congregatis episcopis inconsultis, rem tantam solus cum suis aggressus est? Absit ut ego hanc viro sanctissimo ac prudentissimo calumniam inferam! *Decebat enim omnibus, qui in eadem communione erant, satisfieri, ut res gestæ magis firmarentur ex multorum consensu, nec pax scinderetur, aliis abscindentibus dum alii admittebantur; sic igitur decebat consilium graviter, et leniter iniri de rebus ad omnes orbis terrarum ecclesias pertinentibus* (*b*). Quod si dixeris, Ambrosium cum Italico suo concilio hæc scripsisse, antequam Romano itineri se daret, vix mihi persuadere poteris, vel illi tempus sufficere potuisse, vel res tantas fuisse aggressum itineri jamjam paratum, atque e conspectu generalis synodi Romæ propediem futuræ. Deinde unde ille resciverat, Orientales eam generalem synodum *declinavisse*, ut hoc illis vitio verteret? At, inquit Tillemontius, jam antea intellexerat illos, quos oportuerat Romanum iter aggressos esse, Constantinopoli substitisse, ac synodum suam media jam æstate instituisse. Ita divinans ait hic auctor, ut hypothesi suæ inserviat. At ego iterum quæro, quis Ambrosium monuerat, Orientales synodum illam suam instituisse eum in finem, *ut Romanam declinarent?* An vero non poterant, synodo illa confecta in Occidentem commodo postea sese conferre? Res itaque eo semper redit, ut hac de re ille certus esse non posset, antequam Orientalium eorumdem litteræ, quibus sese excusaverant, Romam allatæ fuissent, atque eadem idcirco difficultas perpetuo manet.

Quinto. Ab Italicis episcopis Maximus ad communionem receptus dicitur, *quoniam eum a catholicis constitit episcopis ordinatum.* Duplex autem in hoc peccatum inest, primo contra Nicænum can. 5, quo edicitur, ne quis ejectus, ab allis recipiatur; quo præsidio, quamquam absurdissime, utebantur Afri episcopi, ne Cœlestinus iis, quos ipsi damnaverant, communionem daret (*c*). Deinde quo pacto hoc sibi licuisse putarunt Italici illi præsules inconsulto Damaso Romano episcopo, qui Maximum rejecerat? si enim apostolico can. 34 definitum, atque constanti Ecclesiæ disciplina receptum fuerat ubique, ut episcopi uniuscujusque gentis eum nossent, qui in iis primus esset, eum observarent, ut caput et nihil facerent, quod magni momenti esset, præter illius sententiam; hoc profecto potiori jure debebatur Romano pontifici, cui Italia universa ab ipsa nascentis Ecclesiæ origine aggregata prorsus, et quodammodo, ut Bacchinius ait (*d*), conglutinata fuerat; rem vero notissimam, e Nicæni canonis testimonio comprobatam, exemplis atque aliis non necessariis argumentis, confirmare supervacaneum puto. Illud tamen a me omitti non potest, veluti rei, de qua agitur, demonstrandæ imprimis idoneum, nullum scilicet ex episcopis Occidentalibus Athanasium ab pseudosynodo Tyria et Antiochena ejectum, ad communionem existimasse sibi recipere licere, ante pronuntiatam a Julio sententiam. Hinc vero factum, ut Julius ipse in Philippolitano Arianorum conventu damnatus sit, quod *primus januam communionis sceleratis atque damnatis aperuit, cæterisque aditum fecit ad solvendum jura divina.* Liceat igitur mihi hoc loco cum Hieronymo *mirari, quomodo probaverit* Italia, *quod* Roma *contempsit, episcopi susceperint, quod sedes apostolica condemnavit* (*e*). At ne in animum meum inducam, ut hoc de Ambrosio existimem, facit ipsius Ambrosii auctoritas, qui ex Aquileiensi concilio jam nos docuerat, a *Romana Ecclesia veneranda in omnes communionis jura manare* (*f*).

Sexto. Pari modo ob Nectarium episcopum ordinatum rejecto Maximo, ruptam Italici episcopi cum Orientalibus communionem denuntiant : *Nectarium cum nuper nostra mediocritas Constantinopoli cognoverit esse ordinatum, cohærere communionem nostram cum Orientalibus non videmus... nec videmus, posse* seqq.

(*a*) Vid. cap. 20.
(*b*) Basil. epist. 265 ex BB. edit.
(*c*) Epist. 2, apud Constant., n. 2.
(*d*) De Eccles. hier. origin., par. II, § 13, cum
(*e*) Apol. adv. Ruf., lib. III, n. 13.
(*f*) Epist. 12 ex BB. edit.

eam aliter convenire, nisi aut is reddatur Constantinopoli, qui prior est ordinatus, aut certe super duorum ordinationem sit in urbe Roma, nostrum, Orientaliumque concilium. Primum autem vix umquam dabo ego hæc scribi potuisse ab Italiæ vicariatus episcopis, inconsulto, ac repugnante Romano episcopo, cui parebant. Deinde falsum esse assero ruptam umquam fuisse Occidentales inter et Orientales communionem ob Nectarii contra Maximum ordinationem; atque in aperto ponunt, ni fallor, Sozomeni ac Bonifacii papæ testimonia : alter enim unam tantum orti inter utramque causam dissidii rationem affert, Flaviani scilicet episcopatum, eaque de causa dumtaxat Orientales ad Romanum concilium evocatos docet (*a*); alter vero hæc scribit : *Theodosius Nectarii ordinationem, propterea quod in nostra notione non esset, habere non existimans firmitatem, missis e latere aulicis cum episcopis, formatam huic a sede Romana dirigi regulariter depoposcit, quæ ejus sacerdotium roboraret* (*b*); nulla itaque propter Maximum rejectum quæstio, aut dissidium cum Orientalibus fuerat, nullaque communionis ex eo capite abrumpendæ causa subesse poterat. Hinc in Romano concilio cum eodem Nectario communio statim suscepta est, Flavianum vero ab omnibus rejectum scimus : summo itaque jure cum Michael imperator ejusdem Nectarii exemplo, Photii electionem tueretur, Nicolaus I rescripsit, *Nectarium vere catholicum Constantinopolitanæ Ecclesiæ gubernacula suscepisse sine scandalo,* SINE VI, SINE OMNI SCHISMATE; *et idcirco bene et optime sanctæ secundæ synodo, apostolicæ sedis auctoritate fultæ ita de Nectario placuisse* (*c*), quæ quam longe abeant ab his, quæ in hac epistola enuntiantur, nemo non videt.

Septimo. Ad hæc Italici episcopi, *Meletio defuncto, Paulino superstite contra fas et ecclesiasticum ordinem,* Flavianum *non tam subrogatum, quam superpositum* asserunt, *consensione, et consilio Nectarii :* quo in loco vides, Flavianum *contra fas atque ecclesiasticum ordinem,* non *contra pactum* Deo teste confirmatum, subrogatum dici : at hujus pacti cum mentio aperta sit in litteris Aquileiensis concilii, cur hoc loco prætermissa est, si Ambrosius utriusque epistolæ auctor est, et magnum causæ, quam tuebatur pondus adjiciebat? Præterea Flavianus ordinatus jam fuerat Antiochenus episcopus, cum de Nectario ne cogitaretur quidem. Rem Sozomenus narrat his verbis (*d*) : *Forte Diodorus... Nectarium conspicatus eum episcopatu dignum esse censuit, statimque in intimo mentis recessu suffraginm suum ei contulit, canitiem viri, vultumque sacerdotio dignum, et morum suavitatem considerans. Itaque tamquam alterius negotii causa eum ad episcopum Antiochenum deduxit, multisque laudibus prosecutus oravit episcopum, ut illum suffragio suo adjuvaret.* Flavianus itaque jam præ-

A erat Ecclesiæ Antiochenæ, cum Diodorus Tarsensis eum pro Nectario rogaturus accessit? Flavianus enim *episcopus* Sozomeno teste indiculum eligendorum componit, Theodosio imperatori offert, ac primas in electione Nectarii partes agit : an vero ille *episcopus* dici potuit ante manuum impositionem, aut tunc divisa episcopalis potestas in duplicem, jurisdictionis scilicet et ordinis, ut hæc illi nondum ordinato licere potuissent? Non itaque, quod hujus epistolæ scriptor ait, Flavianus Nectarii, sed Nectarius Flaviani opera et consilio episcopus est constitutus. Me non latet Tillemontium, qui Flavianum Constantinopoli designatum, Antiochiæ vero ordinatum putat, Sozomeni sollicitare fidem (*e*). At ejus opinio nullo prorsus teste nititur; dictoque Sozo-

B meni fidem astruit epistola, quam Orientales Damaso, Ambrosio, aliisque in Romana synodo collectis episcopis anno 382 eo consilio scripserunt, ut eorum quæ in Constantinopolitana anteacta synodo gesta a se fuerant, rationem redderent, cujus hæc sunt verba : *Antiquissimæ vero in Syria Antiochenæ Ecclesiæ reverendissimum, et religiosissimum episcopum Flavianum, tum illius provinciæ, tum Orientalis diœcesis episcopi in unum congregati ordinaverunt, tota Ecclesia consentiente, et quasi uno ore virum laudante, quam quidem legitimam ordinationem etiam* SYNODUS UNIVERSA SUSCEPIT. Non negamus igitur, quin Antiochenæ provinciæ et Orientalis diœcesis episcopi, Diodorus nempe Tarsensis et Acacius Beroeensis Flavianum ordinare

C potuerint, quod illi aiunt : sed cum addunt *ejus ordinationem ab universa synodo susceptam esse,* aperte præterea probant eam Constantinopoli celebratam, ubi synodus collecta erat; frustraque Baluzius hæc verba detorquet ad synodum Antiochenæ provinciæ (*f*) : nam si Antiochenæ provinciæ et Orientalis diœcesis episcopi, *in unum collecti* eum canonice ordinaverant, procul dubio expenderant jam, an ille ab episcopatu ratione aliqua arceretur, ut ferebant disciplina et canones : quamobrem cum additur, ordinationem illam ab *universa synodo* susceptam esse, aliam omnino, eamque graviorem designant synodum, Constantinopolitanam scilicet, quæ tunc agebatur, ut Socrates aperte explicat (*g*). Gregorius insuper Nazianzenus ab amicis se rogatum ait, turpi-

D que etiam arte tentatum, ut Flaviano cum cæteris suffragaretur, ante dimissum scilicet episcopatum, ac concilio illo, cui præsidebat, nondum soluto; legatur tota ejus rei series elegantissime ab eo descripta in carmine *de Vita sua.* Quid igitur negotii Constantinopolitano præsuli, cum Syriæ et Orientalis diœcesis episcopis, ut ejus et cæterorum ab Antiochena sede nulla ratione pendentium studia fervore tanto exquirerentur? An deinde credibile, rem quæ tanta animorum contentione agebatur, at-

(*a*) H. E. lib. VII, cap. 11.
(*b*) Apud Coust. ep. 15, n. 6.
(*c*) Epist. 8, Conc. Venet. edit.
(*d*) Sozom., lib. VII, cap. 8.
(*e*) De Flavian. art. 3, tom. X.
(*f*) De Conc., lib. VIII, cap. 3, n. 9.
(*g*) Socrat., lib. V, cap. 8.

que ita urgebatur, ut vellent illam una confectam hora, tamdiu dilatam postea fuisse, ut post plures tantum menses perficeretur? Postremo episcopatum ab eodem Gregorio dimissum constat post adventum Ægyptiorum, ac Macedonum episcoporum. Cur vero? Quia illi, *ut veteres et recentes ab Orientalibus acceptas contumelias ulciscerentur, atque aliquem illis dolorem vicissim inurerent*, canones in ipsius translatione violatos causabantur, ut idem Gregorius ait. At quæ justa, ut hoc verbo utar, *ob veteres recentesque contumelias*, vicem rependendi causa subesse poterat, si Flavianus necdum ordinatus fuerat, ac res illa confecta, prorsus ac definita? Adde tandem, electionem, seu designationem ac ordinationem, ita secum pro tunc recepta, Ecclesiæ disciplina cohærere consuevisse, ut hæc vix umquam separata fuisse, videantur (*a*), atque ideo vix esse posse, qui jure sentiat Flavianum ipsum diu antea Constantinopoli electum ac designatum, Antiochiæ deinde consecrari potuisse.

Hæc autem cum ita sint, numquam ego adducar, ut credam epistolam illam aut a Damaso scriptam, aut Ambrosium auctorem habere, aut aliquem alium illorum temporum episcopum, eorum quæ agebantur instructum. In ea vero sententia magis magisque confirmor, cum animum adverto ad stylum barbarum, salebrosum, obscurum, ac a Damasi et Ambrosii nitore ac perspicuitate alienum. Quid enim sibi volunt verba illa *dolentius forte, quam inconsultius ingemiscimus*? An forte dolor fuerat dolendi causa major? Quotus enim quisque est, qui ita loquentem ac cogitantem ferat? Deinde quid referam inconcinnam sæpe eorumdem verborum repetitionem, ut hæc sunt, *salvo ordine ecclesiastico, contra fas, et Ecclesiasticum Ordinem; cujus* (Nectarii) *ordinatio, quem ordinem habuerit, non videmus*. Contra vero quanta rerum copia, quanta verborum elegantia, cum sententiarum gravitate conjuncta in iis litteris, quas hac ipsa de causa Aquileiensis concilii nomine Ambrosius vere Theodosio scripsit! Utramque ipse, inter se conferat lector, ac suo ipse judicio censeat, an utraque ab eadem manu profecta videri possit. Quid tandem, quod auctor Italicæ hujus epistolæ pactum, quod Meletium inter, et Paulinum juratum fuerat, quodve concordiam reddiderat Antiochenæ Ecclesiæ, ignorare videtur, cum tamen illud Ambrosio perspectum optime esset? Hinc Theodosio scribens, ait: *Oblatas pietati vestræ opinamur preces nostras quibus juxta partium* PACTUM *poposcimus, ut altero decedente, penes superstitem Ecclesiæ remanerent, nec aliqua superordinatio attentaretur*: at vero alterius, de qua agimus, scriptor, hoc se postulasse ait, quod jam factum constitutumque fuerat, id est, ut concordia iniretur aliqua: *Scripseramus dudum, ut quoniam Antiochena civitas duos haberet episcopos, Paulinum, atque Meletium, quos fidei eoncinere putabamus, aut inter ipsos pax et concordia salvo ordine ecclesiastico conveniret, aut certe si quis eorum altero superstite decessisset, nulla subrogatio in defuncti locum superstite altero gigneretur*. Preces autem quas Ambrosius memorat, quo anno, quave occasione Theodosio oblatæ fuerint, alio loco a me dictum (*b*): nunc quod ad rem attinet, vide imprimis, quam distent æra lupinis; deinde facile tibi erit judicare, an idem Ambrosius, utriusque epistolæ auctor merito censeri possit.

At quis illam consarcinavit, quave de causa eamdem nobis cum hoc Italico concilio obtrusit? Hoc fateor me ignorare: si quid tamen hariolari licet, squalor latini sermonis, qui Græcam aliquando linguam sapit, ac peritia aliqua ecclesiasticæ historiæ cum ejus ignoratione conjuncta, faciunt ut hæc a Photiana officina prodiisse suspicer. Photium profecto versipellem, multa confinxisse indubium est: ea vero figmenta, quæ produxit, sæpe referre Græcam dictionem, et a proprietate Latini sermonis recedere observarunt jam viri docti (*c*). Nectarii præterea exemplum, quo ordinationem suam tueretur, sæpe et ad nauseam usque jactasse illum scimus. Cur vero hanc quoque epistolam ille non confinxerit suæ, contra apostolicam sedem, confirmandæ contumaciæ imprimis idoneam, et accommodatam? Accedat, quod idem Photius Maximo Cynico comparatus merito fuerat ab Hadriano papa, in litteris ad Basilium imperatorem scriptis, cujus hæc sunt verba: *Neque enim inter Photium mœchum, et Maximum Cynicum a secunda synodo damnatum, vel inter ordinationes hujus, et illius distinctionis aliquid esse conjicimus, atque ideo pari fine constringi debere videtur, qui par habuisse cum eo principium modis omnibus comprobatur* (*d*); atque ob hanc ipsam causam octava synodus *Photio mendaciorum fabricatori, Photio novo Maximo Cynico*, anathema dixerat: ex quibus liquet quanti Photium interesset, aliam Maximi ejusdem Cynici causæ speciem indere, quam quæ revera fuerat. Quidquid vero horum sit, quod porro asseri pro certo potest, illud primo est, post Aquileiense concilium, aliud statui non posse, quod intermedio hoc tempore collectum fuisse constet: secundo, epistolam hanc plura continere, quæ a veritate prorsus aliena sunt, atque ex hoc capite Mediolanensi præsule indignam esse. Quamobrem si (quod unum superest) Italici concilii nomine episcopos aliquot unius forte provinciæ designatos dicas, qui eam communi nomine, quamquam extra synodum scripserint, eos te afferre oportet, qui rerum, quæ gerebantur, inscientes omnino fuerint, atque eam inconsulto tum Romano pontifice, tum etiam Ambrosio ipso, scribere ausi sint. Atque hoc ut opineris, per me liceat.

(*a*) De Marc. Conc. lib. VIII, cap. 3, n. 2; Thomassin, tom. II, lib. II, cap. 8, n. 2; vid. etiam, si placet, cap. 18.

(*b*) Vid. cap. 13.
(*c*) Alat. de Phot. Syn., cap. 3 et 12.
(*d*) Apud Baron. ad ann. 869, n. 5.

§ IV. — Agitur de altera *Italici concilii* nomine a Sirmondo edita epistola; sincera hæc est, atque ab Ambrosio, vel etiam Siricio scripta : quæritur qua occasione, ac quo tempore? et ad *Capuanum* concilium, velut ejus accessio referatur? cujus sententiæ rationes afferuntur? Hæc occasione de scriptarum a Gregorio Nazianzeno ad *Cledonium* epistolarum tempore agitur : locus etiam Chrysostomi affertur, et explicatur : ac Paulinus Antiochenus ab obtorta sinistraque postremi operum ejusdem Patris editoris interpretatione vindicatur.

Reliquum modo est, ut aliquid dicam de altera Italici concilii ad Theodosium epistola, cujus initium est *Fidei tuæ*, quam in hac eadem, Maximi causa scriptam hactenus putarunt critici, eademque inter Ambrosii epistolas locum occupat 14 in editione PP. BB. Hanc itaque æque ac alias genuinam censeo, ac dignam prorsus, quæ Ambrosio tribuatur, sive finem tem stylum consideres, sive nitorem orationis, sive sententiarum gravitatem, sive animum vere apostolicum cum pari obsequio conjunctum, quo ille imperatori rescribit. Puto insuper Flaviani negotium Ambrosium permovisse, ut illam scriberet, quod non obscure liquet ex his ejusdem verbis : *Dolori enim erat, inter Orientales et Occidentales interrupta sacræ communionis esse commercia* ; siquidem constat hoc contigisse ob unam Flaviani ordinationem. Cum itaque Orientales post Paulini mortem, hujus dissidii culpam Occidentalibus ascriberent, qui Evagrium, ut videbatur, illegitime ordinatum Flaviano prætulerant (*a*), Ambrosius, qui uno pacificandæ Ecclesiæ studio tenebatur, atque opportuna ad eum finem subsidia quærebat, tum in hac epistola, tum in alia quam Theophilo Alexandrino eadem, ni fallor, occasione inscripsit, neutri partium favet, neutram damnat aperte, neque se in eam disputationem immittit, ut quærat *quorum errore quorumve delicto id evenerat, ne serere fabulas, et eloquia cassa videretur*. Constat itaque hanc epistolam in Flaviani causa scriptam esse, atque eo respicere. At qua occasione quove tempore? Non diu profecto post Capuanam synodum. Utrumque nobis indicat tum Ambrosius, tum Theodoretus, qui tamen falsa veris miscet, pro aperto suo in partes Flaviani studio. Nam cum Paulino defuncto diuturnum Antiochenæ Ecclesiæ dissidium minime extinctum esset, sed in Evagrio ejusdem successore, utriusque imperii Ecclesias divulsas teneret adhuc, non sine Theodosii tunc Romæ agentis consilio deliberatum est de convocanda in Italia generali synodo, quæ causam illam cognosceret, ac finem schismati aliquando imponeret. Huic synodo Theodosius ipse Occidentalibus episcopis spem fecerat, daturum se operam, ut Flavianus aliique ex Oriente episcopi adessent. Postquam igitur rebus in Italia pacatis ille discesserat, indicta est Capuæ ea synodus, ac Flavianus a Theodosio Constantinopolim accitus est, ut inde *Romam navigaret*. At hic causatus *hiemem jam esse, pollicitusque, ineunte vere, se imperata facturum, in patriam revertit*. Cum vero ille frustra exspectatus, non adesset præstituto tempore, habita est interea indicta synodus, qua communio iis omnibus concessa est, qui catholicam in Oriente fidem profiterentur, sive Evagrium, sive Flavianum sequerentur; duorum vero de integro episcopatu contendentium causæ judicium Theophilo Alexandrino commissum est, supremo tamen apostolicæ sedis judicio confirmandum : speraverat Ambrosius *ex his æquissimis synodi constitutis, jam remedium datum, finemque futurum discordiæ*. At certior cum esset factus, Flavianum *iterum ad precum auxilia, et imperiales rescriptorum suffragia remeavisse*, aliam, ut videtur, synodi ejusdem nomine epistolam Theodosio scripsit, qua ille Theodoreto teste *acrius perstringebatur*. Ejus nempe facilitate factum, ut *frustra tantorum sacerdotum fusus labor* pro adeunda Capuana synodo susceptus : *Iterum ad hujus sæculi indicia revertendum, iterum ad rescripta, iterum vexandos sacerdotes senes, transfretanda maria, iterum invalidos corpore patriam peregrino mutaturos solo, iterum altaria deserenda, ut in longinqua proficiscantur; interea vero Flavianus solus exlex sit*, qui neque Capuam accesserat, neque præstitutis a synodo judicibus *præsentiam fecerat sui* : hæc enim cum Ambrosius Theophilo Alexandrino tunc scripserit (*b*), vix putamus non eadem, aliaque simili vehementiori ratione Theodosio scripsisse, cujus potissimum culpa hæc contigerant. Hinc vero factum est, ut cum imperator *perstrictus* acrius rescripsisset, Ambrosio ansam dederit scribendi postremo epistolam illam, quam Sirmondus Italici concilii nomine inscriptam, veluti eam, quæ Capuanæ synodi pars, et accessio esset, in lucem protulit. Eam utique deliniendo imperatoris animo unice comparatam constat : uno scilicet pacis studio adductos Italiæ episcopos Theodosio scripsisse, eumque currentem jam horiatos esse, ut hanc restitutæ publicæ pacis gloriam sibi uni acquireret : dolere se id frustra cessisse, nec quærere velle, cujus culpa factum : cæterum cum per eos non steterit, quominus ingens hoc, optatumque bonum contingeret, se crimine vacuos esse, atque hoc saltem se tamen assecutos, ne videantur deinceps Orientalium societatem neglexisse, parvoque in pretio habuisse : Occidentales episcopos sibi indixisse laborem, ut Capuam accederent, non in Italiæ gratiam, aut Galliæ, aut Africæ, quæ concordi religione florebant, sed ut *ea, quæ communionem ex parte Orientis turbaverant, in ea synodo cognoscerentur*, atque ita aliquando *omnis e medio scrupulus tolleretur*. Quia vero Ambrosius imperatorem perstrinxerat, quod esset ex ejus facilitate factum, ut Flavianus Capuanam synodum declinavisset, ejusque præterea constitutis parere nollet ; is autem contra forte rescripserat, eam merito a Flaviano declinatam, tum quod Occidentales Evagrio studerent, tum quod nihil juris in Orientales haberent, respondit alter hac ipsa epistola, Occidentales concilium postulasse ex ipsis etiam Orientalibus congregandum, nullamque proinde aut nimiæ facilitatis aut partium studii

(*a*) Theodor., H. E. lib. v, cap. 23.

(*b*) Epist. 56.

suspicionem in eos cadere potuisse : deinde se *non definiendi, sed instruendi gratia*, causæ hujus examen delegasse Theophilo Alexandrino, cui Flavianus sistere se debuerat ; atque idcirco, qui alterius arbitrio rem commiserant, salva tamen suprema Romani episcopi auctoritate a quo judicium confirmandum esset, *justum potius judicium postulasse, quam detulisse præjudicium* : existimari non posse, aliquod ab Occidentalibus *factum* Orientalibus *convicium, cum postulatum concilium fuit*, ad quod illi quoque vocati fuerunt ; tum quia, quo frequentior est episcoporum numerus, eo melior et consultior deliberatio est ; tum quia Orientales ipsi Occidentalibus exemplo præiverant, *cum Paulus Constantinopolitanus presbyter intra Achaiam synodum Orientalium juxta atque Occidentalium postulasset* : Occidentalibus autem visum esse, ut Capuæ indiceretur, quo omnes facilius et tutius maritimo itinere accedere poterant, cum contra terrestre periculi plenum esset, quia *Illyris*, quo pertranseundum fuerat, *suspecta* tunc *movebatur*. Tandem *non evulsos* ab Occidentalibus *terminos a Patribus constitutos, nec violata* Orientalium *jura*, cum synodus Capuæ indicta fuit, ab Orientalibus etiam adeunda, sed *sanctæ memoriæ Athanasii, et eorumdem Patrum definita* se potius servasse ; ad cujus exemplum, et ad Sardicenses forte canones, atque ad causas Orientalium a Julio, Liberio aliisque antiquioribus in Romæ synodis judicatas cum Ambrosius Theodosium provocat, debitæ illi reverentiæ nihil se ait derogare. Igitur epistolam hanc pro genuino Ambrosii fœtu agnosco, eoque præsule dignam ; at si quis illam Siricio tribuere velit, minime repugno : tum quod ipsius Siricii stylus Ambrosianum sapit ; tum quod de rebus agit, quarum pars magna Siricius fuit ; tum quod Theodoretus Siricium ipsum numerare videtur inter Romanos episcopos, qui Theodosium ob hanc causam acrius perstrinxerant (*a*).

Cur vero me, ut eam epistolam scriptam existimem non diu post Capuanam synodum, ejusque sapientissimam deliberationem a Flaviano elusam, movet præterea, quod scribitur in illa, postulatum concilium, tum ad extinguendum Antiochenum schisma, tum *ut cognosceretur de iis, qui dogma, quod Apollinaris asseritur, in Ecclesiam conantur inducere* ; idemque concilium in Italia postulatum, quia cum *Illyris suspecta moveretur, maritima, et tutiora quæri oporterat*. Hæc enim nos ducunt ad tempus illud, quo Theodosius pacata Italia Constantinopolim redierat. Tunc enim Apollinaris hæresim in Oriente palam grassatam scimus, variosque per Illyricum motus exortos ab eo compressos. Primum constat ex Nazianzeno, Socrate, Sozomeno, aliisque, quos hic transcribere supervacaneum est, atque ex l. 14, lib. XVI, tit. 5, Cod. Theod. anno 388 exeunte Thessalonicæ data. Alterum vero ex Zosimo et Sigonio, cujus hæc sunt verba : *Theodosius in Græciam se recipit. Cæterum Thessalonicam progressus, magnum in Macedonia tumultum offendit. Quotquot enim barbari intra paludes et proximas silvas ex priori Romanorum expeditione salvi evaserant, ex Italicis Theodosii occupationibus excitati, Macedoniam Thessaliamque effusi, nullo resistente, populabantur ; Theodosio vero Thessalonicam regresso, in loca se abdita contulerant, atque illucescente die erumpentes, proxima omnia loca infesta habebant* (*b*). Errant igitur qui motus illos Illyricos quorum in ea epistola mentio est, referunt ad Gothicum bellum, ac concilium, quod ob eosdem motus in Italia convocatum scribitur, illud esse volunt, quod anno 382 exeunte, Romæ a Damaso celebratum fuit ; Gothicum enim bellum cum anno 380 confectum prorsus, atque omni ex parte extinctum fuisset, insulsa prorsus et deridicula, ne dicam falsa, hæc Illyricorum motuum excusatio videri potest, si de Romano illo concilio eam intelligas : ut e converso justa omnino ac vera est, si eam ad Capuanum referas.

Accedat hanc epistolam nullo alio commodiori, quam quo dixi tempore scriptam videri posse. Nam primo, tantum abest ut Orientales *convicium* sibi factum putaverint anno 382, quo ad illud concilium evocati sunt, ut ob hoc potius Occidentalium charitatem laudaverint in litteris ad eos scriptis : deinde illi se ad Romanum concilium non solum Damasi, sed etiam Theodosii litteris vocatos aiunt, quod Hieronymus etiam asseruit (*c*). Qui itaque fieri potest, ut Theodosius ea tunc Ambrosio scripserit, quæ Tillemontius, Fleurius et Cellerius aliique opinantur et fingunt ? Postremo, Theodosius ipse scribere Ambrosio hæc minime potuit ante annum 382 jam inclinatum : necesse itaque est, ut fatearis, hanc ipsam Ambrosii epistolam, de qua agimus, datam fuisse anno illo jam exeunte, atque illo ipso tempore, quo Romanum concilium habebatur. Qui vero hoc concedunt, velim ut dicant, cur non Romani ejusdem concilii nomine illa inscripta fuerit. Præterea videant illi, qui hoc aiunt, an gloriæ sanctissimi Mediolanensis præsulis recte consultum eant.

Hæc itaque sunt quæ me movent, ut hanc epistolam, sive Siricii, sive Ambrosii illa sit, non diu post Capuanam synodum, ac post declinatum ejusdem synodi, ac Theophili Alexandrini judicium, scriptam putem. Huic quæstioni lux affulgeret aliqua major, si ex historiæ monumentis scire certo possemus, quis ille fuerit, ac cujus Ecclesiæ episcopus, qui ob Apollinaris hæresin ad Romanum pontificem delatus fuerat, quique etiam *Paulus Constantinopolitanus presbyter*, qui concilium in Achaia postulasse dicitur, ex Occidentalibus et Orientalibus colligendum. Quod enim ad hunc attinet, nihil habeo certi quod afferam. Illud constat duntaxat, quod cum Constantinopolitanæ Ecclesiæ presbyter fuerit magnus ejus Ecclesiæ episcopus Paulus, qui martyr sub Constantio obierat, designari sub eo nomine non potuit, quid-

(*a*) Lib. v, cap. 23.
(*b*) De Occid. Imper., lib. IX, n. 392, t. I Oper.
(*c*) V. D. cap. 20, 21.

quid Labbeus et Sirmondus fuerint opinati. Quamobrem aliquis reipsa ex Constantinopolitano clero presbyter fuerit, necesse est, quorum plures in Ecclesia illa ministros eo nomine compellatos fuisse, constat ex Palladii Dialogo de vita Chrysostomi. Sed nec Tillemontio, aliisque Italici concilii patronis facile concedam, postulari ab eo presbytero illud in Achaia concilium potuisse, anno ut hic auctor putat, 381 aut 382, eo scilicet tempore, quo concilia tum Romæ, tum in regia urbe frequentia fuisse scimus, ac Orientales ipsi imperatorum litteris convocati, quominus Romam pergerent, alias præter hanc causas adduxerunt, et legatos miserunt; alio itaque anno epistola illa scripta fuerit, atque alio item anno concilium hoc ex utraque Ecclesia, in Achaia Paulus postulasse debuit; atque aliud nullum aptius huic rei tempus excogitari potest, quam illud, quod post frustaneam Flaviani contumacia Capuanam synodum, ac Theodosii reditum ad regiam urbem, labi cœperat. Eo enim Flavianus ab imperatore accitus, cum synodum in Oriente, atque in suorum sinu peteret (*a*) Constantinopolitanus hic presbyter publicæ concordiæ studio ductus, Achaiam veluti Occidentalibus commodiorem suggerere potuit. Hinc Ambrosius Theophilo scribens queritur, post irritam illam Capuanam synodum, sacerdotes senio confectos iterum vexandos esse, transfretanda iterum maria, ac sacra altaria deserenda, ut in longinqua proficiscerentur. Illud ipsum autem in Achaia concilium ab Occidentalibus recusatum est, quod *Illyris*, cujus Achaia pars fuerat, *suspecta* tunc *moveretur*.

Episcopi autem illius nomine, qui ob hæresim Apollinaris ad apostolicam sedem delatus fuerat, vix aut Apollinaris ipse, aut Timotheus, quod tamen plurimi opinantur, intelligi potest; tum quod uterque ab Occidentali et Orientali synodo pridem dejectus fuerat; tum quod alter jam obierat, alter vero mulctatus exsilio fuerat (*b*); difficile vero est asserere aliquid certi, cum frequentes essent in Oriente pseudoepiscopi, qui vineam Domini demoliebantur: si quis tamen conjecturis locus videtur hoc loco Vitalis indicari, qui Antiochiæ Apollinarianis præerat, quorum haud exiguus erat numerus: nam cum in Capuana synodo de extinguendo Antiocheno schismate, integraque huic Ecclesiæ aliquando restituenda pace agendum esset potissimum, vix fieri potest ut non eodem tempore de Vitali ipso, a qua maximum huic bono impedimentum afferebatur, actum fuerit, et cogitatum. Hunc præterea designare videntur hæc hujus epistolæ verba: *ut convictus in dogmate novo, nequaquam sub generali fidei lateret nomine, sed illico, quod doctrinæ magisterio non teneret, et officium deponeret, et vocabulum sacerdotis; ne fibræ aliquæ posthac fallere cupientibus, et præstigiarum commenta remanerent.* Siquidem hæc nobis hominem exprimunt, qui A suam apud Catholicos simularet fidem, ac sub agni specie lupus esset, ipsi scilicet Vitali similem, quem virum versipellem, ac fraudis et fallaciarum plenum Epiphanius, Nazianzenus, Socrates, Sozomenus, ac Theodoretus describunt (*c*).

Conjecturam hanc meam videntur confirmare epistolæ ejusdem Nazianzeni ad Cledonium, ac altera præcipue qua ille tum ipsius Vitalis, tum Damasi meminit. Hanc Tillemontius, aliique nonnulli scriptam putant, non diu post abdicatam Ecclesiam Constantinopolitanam, a Gregorio in recessu Arianziano posito, quamquam nullam ad hoc probandum idoneam rationem afferant. Quod hanc opinionem aperte destruit, illud est, quod idem Gregorius Vitalem tunc superstitem ait, ac virum sibi charissimum vo- B cat, Damasum vero, quem *beati* titulo compellat, jam tunc cum scriberet, defunctum fuisse indicat: scripta igitur epistola illa est post annum 384, quo hic obiit: at enim quo præcise anno? Tempus equidem minime definitum certumque ausim exhibere, puto tamen tuto asseri posse, scriptam esse post annum 388 ac circa Capuanæ synodi tempus. Nam primo ex l. 14 Cod. Theod. de Hæret. quæ in eosdem lata est, Apollinaristas tunc debacchatos, atque Ecclesiam catholicam tunc potissimum vexasse constat. Deinde Gregorius ipse hoc ipsum designat tempus, cum eos *ante triginta annos exortos* ait, atque ita circa annum 358 aut sequentem. Anno siquidem 356, Basilio teste (*d*), pestis illa nondum eruperat. Hinc Nicephorus ait esse qui scriberent, Apollina- C rem secessionem fecisse a Georgio Laodiceno, eo quod ille Seleuciensis synodi decretis assensum præstiterat (*e*). Contra vero anno 362, quo Alexandrina synodus eam proscripsit, Ecclesiam veneno suo jam afflaverat. Si vero Vitalis nondum hoc tempore vita excesserat; si fide se catholicum simulans, ut ex eodem Nazianzeni loco advertimus (*f*), Apollinaristis Antiochiæ positis præerat, ac magno huic hæresi incremento erat, et præsidio, si denique in Capuana synodo de illius urbis procuranda aliquando pace actum, deliberatumque fuit, vix alius ab illo in hac ipsa aut Siricii ad Theodosium epistola designatus, expressusque videri poterit.

Hinc intelligimus, quo circiter anno dicta sit homilia Chrysostomi, quæ de *anathemate* inscripta D est (*g*), quosve hæc ejusdem verba respiciant: *sed quid dicunt illi ad omnem malitiam audaces* (Flavianiani scilicet sui, quos alloquitur)? *Hæreticus, aiunt, ille factus est, inhabitantem habet diabolum, et loquitur contra Deum nequitiam, multosque subdola vanaque fallacia in profundum exitii abducit, ideoque a Patribus ejectus est, maxime hujus magister, qui partem Ecclesiæ abscidit: sic aut Paulinum, aut Apollinarium designant.* Montfauconius, cujus editione utor, his recitatis ait: *Hæc ut primo statim aspectu*

(*a*) Bar. ann. 389, n. 67.
(*b*) Vid. cap. 22.
(*c*) Vid. cap. 10.
(*d*) Epist 75, n. 4, nup. edit.
(*e*) Lib. IX, cap. 17.
(*f*) Cap. 12.
(*g*) Oper., tom. I, p. 692, edit. BB.

sese offerunt, Paulinum viventem docentemque indicant : nam ille qui loquitur contra Deum nequitiam, et multos abducit, est, ut videtur, Paulinus : neque enim in alium hæc conferri posse putamus : ejus vero magister, qui a Patribus ejectus erat, est Apollinarius secundo memoratus, qui postquam in synodo ad communionem admissus fuerat subscribente Paulino, deinde ab Athanasio, aliisque Patribus, cum ejus hæresim comperissent, ejectus fuit. Sane hæc multitudinis dicta duos tantum impetunt viros, nempe, ut explicat Chrysostomus, Paulinum et Apollinarium. Nam si post defunctum Paulinum verba hujusmodi prolata essent, Evagrium ejus successorem haud dubie impeterent, cujus tamen nulla hic mentio. Ego vero sub Paulini et Apollinarii nomine Evagrium et Vitalem designatos puto, habitamque idcirco homiliam hanc, Paulino, qui eum sibi successorem elegerat, jam defuncto, anno scilicet 388 jam elapso, ac non longe a Capuanæ synodi ætate. Enimvero Apollinarium Paulini magistrum aut videri, aut dici a Chrysostomo potuisse nemo umquam asseret, qui probe cognoverit, quot Paulinus ipse cum Apollinario, atque ejus discipulis pro catholica fide contentiones perpetuo exercuerit (*a*), nec satis mirari possum, hæc viro doctissimo adversus episcopum egregie catholicum dicta, excidisse. Unus itaque Vitalis iis designatur verbis, cujus profecto Apollinarium magistrum fuisse, Socrate, Sozomeno, ac Theodoreto teste, palam fuerat omnibus, digitoque, pene dixerim, Vitalem demonstrat Chrysostomus *multos subdola vanaque fallacia in profundum exitii abducentem.* Præterea hujus, quem Chrysostomus indicat, *magister*, partem Ecclesiæ absciderat, et abjectus ea de causa a Patribus fuerat. Hoc vero ut de Apollinario merito dictum constat, qui ex Catholicis Antiochenis plures ad Vitalem profane ordinatum a se episcopum, suamque hæresim abduxerat, ac a Patribus deinde extra Ecclesiam factus est, ita præter apertam manifestamque calumniam de Paulino ne cogitari quidem poterat, quem Catholici Eustathiani sponte secuti fuerant, antiquior certe et purior Ecclesiæ Antiochenæ pars. Chrysostomus itaque ad suos verba faciens, ne Evagrium et dubiæ hactenus fidei et communionis Vitalem tunc viventes nominatim exprimat, utrumque ex ipsis, eorumque asseclas sub Paulini, et Apollinarii, qui pridem obierant, persona indicavit. Igitur ex hac ipsa Chrysostomi homilia colligi profecto potest, magnas circa hæc tempora ob hæreticum illum turbas in Antiochena Ecclesia excitatas, eumque propterea hac eadem epistola merito designatum a me asseri, atque illam postremo ad Capuanam synodum, atque ejus gesta pertinere, secus ac eruditorum hactenus opinio tulit : sed hanc ipsam, ut alteram lectorum oculis, ac maturo indicio iterum subjiciendam hoc loco duxi.

Epistola concilii Italiæ ad Theodosium imperatorem. Inter cætera damnatos scribit in synodo fuisse, qui Apollinaris dogma inducere conabantur. Beatissimo imperatori et clementissimo principi Theodosio, Ambrosius et cæteri episcopi Italiæ.

Fidei tuæ diffusa toto orbe cognitio intimum nostræ mentis demulsit affectum. Eoque ut hæc quoque gloria imperio tuo crearetur, quod unitatem reddidisse Occidentalium juxta atque Orientalium Ecclesiis videreris, clementiam tuam obsecrandam pariter ac super ecclesiasticis negotiis instruendam nostris litteris æstimavimus, imperator tranquillissime ac fidelissime. Dolori enim erat, inter Orientales atque Occidentales interrupta sacræ communionis esse consortia. Silemus jam quorum errore, quorumve delicto, ne serere fabulas, et alloquia cassa videamur. Nec nos tentasse pœnitet, quod intentatum caderet in culpam. Isto enim sæpe arguebamur, quod posthabere Orientalium societatem, et refutare gratiam videremur. Laborem quin etiam nobis indicendum putavimus, non pro Italia, quæ jamdudum ab Arianis quieta atque secura est, nec ulla hæreticorum perturbatione vexatur, non inquam pro nobis, quia non quærimus quæ nostra sunt, sed quæ sunt omnium : non pro Gallia atque Africa, quæ omnium sacerdotum concordi societate potiuntur. Sed ut ea, quæ communionem nostram de Orientis parte turbaverunt, cognoscerentur in synodo, et omnis e medio scrupulus tolleretur. Non solum enim de his, quæ clementia tua dignata est scribere, sed etiam de illis, qui dogma nescio quod, Apollinaris asseritur, in Ecclesiam conantur inducere; nos pleraque moverunt, quæ partibus fuerant resecanda præsentibus, ut convictus in dogmate novo, et redargutus in errore, nequaquam sub generali fidei lateret nomine : sed illico, quod doctrinæ magisterio non teneret, et officium deponeret, et vocabulum sacerdotis : nec fibræ aliquæ post hac fallere cupientibus, et præstigiarum commenta remanerent. Nam qui convictus non fuerit præsentibus partibus; quod vere augusto principalique responso tua clementia definivit, referendam semper ansulam quæstionis arripiet. Eo igitur obsecravimus sacerdotale concilium, ut nemini liceret mendacium in absentem componere, et in concilio discuteretur quid esset in vero. Itaque non cadit in eos intentionis vel facilitatis ulli suspicio, qui omnia præsentibus partibus observarunt : sane allegata texuimus, non definiendi, sed instruendi gratia, et qui judicium petivimus, non deferimus præjudicium; neque ullum eorum æstimandum convitium fuit, cum rogarentur ad concilium sacerdotes, quorum frequenter præsentior absentia fuit quando in commune consuluit. Neque enim vel nos æstimavimus esse convitium, cum unus Constantinopolitanæ Ecclesiæ presbyter, Paulus nomine, intra Achaiam synodum Orientalium juxta atque Occidentalium postulaverit. Advertit clementia tua, non fuisse irrationabile postulatum, quod etiam ab Orientalibus est petitum, sed quia Illyriis suspecta movetur, ideo maritima ac tutiora quæsita sunt. Neque plane nos tamquam ex forma aliquid innovavimus : sed sanctæ memoriæ Athanasii, qui

(*a*) Vid. cap. 10, 11.

quasi columen fidei fuit, et veteris sanctitatis Patrum nostrorum in concilliis definita servantes, non evellimus terminos, quos posuerunt patres nostri; nec hæreditatis instructione fundatam, eam tenere fidem, eamque plebibus intimare, quæ a majorum institutis nulla ratione dissentiat. Neque enim aliter Dei sentire convenit sacerdotes, quorum pars est cæteros erudire. Sed Gallorum atque Venetensium fratrum relatione comperimus, nonnullos non hæresis studio, neque enim [c] hoc tantum mali cadere in Dei antistites potest, sed inscitia vel ex simplicitate quadam scævis interpretationibus æstuantes, non satis dispicere, quæ magis patrum nostrorum sit tenenda sententia, cum diversa consilia eorum auribus ingerantur [d]. Denique Auxentium Mediolanensem hac præcipue causa damnatum esse præscribunt. Par est igitur, universos [e] magistros legis per orbem Romanum paria de lege sentire, nec diversis magisteriis fidem dominicam violare. Nam cum dudum hæreticorum virus, ut nunc iterum cœpit obrepere, ac præcipue Arianorum blasphemia pullulare cœpisset, majores nostri CCCXVIII episcopi, atque ex urbe sanctissimi episcopi urbis Romæ directi, apud Nicæam confecto concilio, hunc murum adversus arma diabolica statuerunt, atque hoc antidoto mortalia pocula propulsarunt, ut Patrem, Filium, Spiritumque Sanctum unius Deitatis, unius figuræ, unius credere oporteret substantiæ, contra sentientem alienum a nostro consortio judicantes. Quam definitionem salutarem postea aliis tractatibus quidam perverti et

riæ communionis jura violamus, sed debitum vestro imperio honorificentium reservantes, studiosos nos pacis et quietis ostendimus.

SANCTI DAMASI OPUSCULA.

EPISTOLÆ.

EPISTOLA PRIMA.

EXEMPLUM SYNODI HABITÆ ROMÆ EPISCOPORUM XCIII, EX RESCRIPTO IMPERIALI.

MONITUM.

Hanc Sarazanius a Theodoreto acceptam sua interpretatione donavit : ego vero latina Holstenii editione utor, velut primigenio Damasi fœtu, ut dixi cap. 5. Cur vero apud Sozomenum et Theodoretum Illyricis, *Holsteniana vero* episcopis per Orientem constitutis *inscripta sit, vide cap. 7. Cæterum ms. codicem, ex quo sumpta est ex Bobiensi in Vaticanam bibliothecam Scipione cardinali S. Susannæ bibliothecario translatum, diu ante Holstenium inspexerat, ac se editurum promiserat Fr. Ludovicus Capellus de succes. Episc. Rom. dissert. poster. cap. 5; exstat etiam in Vallicellano cod. 23, p. 107,* exscripta ex veteri Tridentino, *ad eam scilicet urbem concilii tempore allato,* libro.

EPISTOLA.

Damasus, Valerianus [a], Vitalianus [b], Aufidius, Pacianus, Victor, Priscus, Innocentius, Abundius, Theodulus, et cæteri qui ad audiendam causam Auxentii, exponendamque fidem, in urbe Roma convenerunt, Episcopis Catholicis per Orientem constitutis in Domino salutem.

Confidimus quidem, Sanctitatem vestram Aposto-

[a] Celebris scilicet Aquileiensis episcopus, cujus ordinationem Dandulus in Chronico collocat ad ann. 368; siquidem Fortunianus anno labente 366 aut altero obierat (*Fontanin. script. Aquil. c. 2, in fin.*). Huic rescribit Basilius Magnus, epist. 91. Oper., tom. III.

[b] Vitalianum ac Victorem inter eos episcopos recensitos legimus apud Baron. ann. 155, n. 22, qui in Mediolanensi latrocinali synodo contra Athanasium subscripserunt : at Ecclesiæ, quibus præerant, non exprimuntur. Ughellius circa hæc tempora, *Victorem* Placentinam Ecclesiam administrasse ait; *Victorem* præterea Florentinum episcopum nobis statuit Petrus Casella de Tuscor. orig. cap. 12, cui Zenobium successisse tradit. *Priscus* apud Hilar. fragm. 8 legitur cum legatis Ariminensis concilii, qui postremo a fide prævaricati sunt : fieri itaque facile potest, ut cum omnes resipuissent, huic synodo sub Damaso adfuerint : de cæteris nihil mihi occurrit.

[c] Hæc clar. editor epistolarum Romanorum pontificum vix scribi potuisse censet eo tempore, quo tot Ariani episcopi in omnium oculis versabantur : atque hinc Holsteniarum exemplar non de latino authentico, sed ex græco ab imperito interprete, vel corrupto exemplari sumptum fuisse putat. At ludicra viri docti observatio est : siquidem Damasus tantum esse mali hæresim monet, ut vix cadere in Dei antistites posse videatur, sic in iis ad quos scribit ejus horrorem ingenerans, ut ad officium facilius redeant, et ab ea caveant.

[d] Sic etiam Sozomenus, et Theodoretus. Galli itaque, ac Venetenses episcopi Auxentium detulerant velut præcipuum ejus hæresis fomitem, ac malorum, quæ simplicioribus episcopis ingerebantur, consiliorum auctorem; eumque a se ob eam causam damnatum fuisse perscripserant. Cur vero? nempe ut ea sententia ab apostolica sede, unde fons communionis oritur, rata haberetur, ac promulgaretur ubique : hæc enim ejus, quam Romani pontifices synodalibus definitionibus adjiciebant, sententiæ vis erat, *ne quis* scilicet, *veritatis inimicus ex eorum silentio sese excusare præsumeret*, quin pareret, ut ait Leo M. epist. 107, n. 1. Hæc vero contigisse verisimile est, postquam Hilarius et Eusebius Vercellensis cum eo hæretico Mediolani congressi sunt, publicatusque est Hilarii ejusdem contra illum encyclicus libellus. Damnatum fatentur omnes; at hoc ex hisce litteris minime aperte constat, quod scriptæ duntaxat illæ sunt ad eos, qui nutare videbantur episcopos, in officio continendos; acta vero synodi, unde hoc demonstrari poterat, perierunt.

[e] Episcopos scilicet : sic Paulus I ad Timoth., cap. XIII, et ad Tit., cap. I.

violare tentaverunt. Sed et in ipso exordio ab iisdem ipsis, qui hoc apud Ariminum retractare cogebantur, emendatum hactenus est, ut subreptum sibi alia disputatione faterentur, idcirco quod non intellexissent patrum sententiam apud Nicæam formatam esse [a] contrarium. [b] Neque enim præjudicium aliquod nasci potuit ex numero eorum, qui apud Ariminum convenerunt: cum constet, neque Romanum episcopum, cujus ante omnes fuit expetenda sententia, neque Vicentium, qui tot annos sacerdotium illibate servavit, neque alios hujusmodi statutis consensum aliquem commodasse: cum præsertim, ut diximus, iidem ipsi, qui per impressionem succubuisse videbantur, iidem consilio meliore displicere sibi fuerint protestati.

Unde advertit sinceritas vestra hanc solam fidem, quæ apud Nicæam Apostolorum auctoritate fundata est, perpetua firmitate esse retinendam; hac nobiscum Orientales, qui se catholicos recognoscunt, Occidentalesque gloriari: non longe autem fieri posse credimus, ut qui secus sentiunt, [c] licet hoc ipso conatu a nostra communione exui possint, plebesque eorum erroribus liberatæ respirent. Quemadmodum enim poterunt corrigere errata populorum, si ipsos error obsederit [d]? Concinat ergo cum omnibus Dei sacerdotibus et vestræ sententiæ charitatis: in qua vos fixos atque firmatos ut bene credimus, ita etiam nos vobiscum recte sentire debemus [e] reciprocis sanctitatis vestræ litteris approbare.

Ego Sabinus [f] diaconus Mediolanensis legatus de authentico dedi.

EPISTOLÆ II FRAGMENTA.

SEU EXPOSITIO FIDEI IN SYNODO ROMANA SUB DAMASO PAPA EDITA ET TRANSMISSA IN ORIENTEM.

MONITUM.

Hæc duo fragmenta ad alias sub Damaso synodos pertineni, ut jam dixi. Id vidit etiam Constantius, ac cl. P. Josephus Mansi supplem. conc. tom. I, p. 234; sed una nobis non est earum synodorum tempus, supputandi ratio. Ille enim, quam ego omnium primam censeo; ac anno 369 congregatam puto, anno 372 collectam arbitratur cum Pagio. Deinde, quam ego duplicem, atque alteram anno 374, alteram anno 376 aut sequenti, ex duplici hoc fragmento statuo, ille unicam existimat, et hæc ipsa fragmenta ad eam spectare ait anno 377 congregatam. Sed quamquam maxima apud me sit, ut esse debet, viri doctissimi auctoritas, nihil tamen ex iis, quæ jam scripseram immutandum censui. Nam cum Orientales, ad quos scriptæ a Romanis illis conciliis litteræ allatæ jam fuerant, diris illis ac turbulentis sub Valente temporibus, synodos suas cogere non potuissent, statim ac eo defuncto licuit, collegerunt sese anno scilicet 379 easque synodicas omnes legerunt in frequenti consessu, definita in iis dogmata complexi sunt, atque ea, quæ necessaria visa sunt, ex iis excerpta ejus concilii actis inseruerunt (vid. cap. 14); atque hæc est ratio, cur eadem fragmenta, etsi diverso tempore scripta sunt, neque ego separanda duxerim.

FRAGMENTUM PRIMUM.

ITEM EX PARTE DECRETI.

I. Ea gratia, fratres, Jericho illa [g], quæ figura est sæcularium voluptatum, conclamata concidit, nec

[a] Valesius *contrariam*. Vallicellanus codex: *Idcirco quod non intellexissent, Patrum sententiam apud Nicæam formatam esse contrariam.*

[b] Hoc celebri loci recenter etiam usus est vir clar. Jo. Baptista Bartolus in Patavina universitate doctus, olim Canonum professor primarius, Feltrensis modo episcopus, apologia pro Honorio: nam cum alteram ad Sergium Honorii epistolam falsatam, corruptamque, alteram prorsus conflictam argumentis gravissimis evicisset, hoc tandem Damasi, aliorumque pontificum testimonio conficit, nullam epistolis illis accedere auctoritatem posse ex sexta synodo, siquidem aliud esse ait synodi definitiones, aliud vero episcoporum in synodo congregatorum judicium, illud scilicet, quod sive contra, sive præter apostolicæ sedis præcepta prolatum est. Sed eum vidisse præstabit cap. 23 et seqq.

[c] Theodoretus ἄλλα νοσοῦντας, quod longe abit a latino sensu, quamquam hoc etiam ferri possit: sic Photius BB. p. 552 edit. Ileschel. τὰ Ἀπολλιναρίου νοσοῦντας. Cæterum locum corruptum fatentur omnes, et mancum. Valesius itaque ad Theodor. lib. II, cap. 22, sic illam supplet, *ut qui secus sentiunt, licet hoc ipso conatu a nostra communione elieni sint, episcoporum nomine exui possint, plebesque*, etc.

[d] Hieronymus adv. Lucif. *Nam cum ideo episcopus in Ecclesia constituatur, ut populum coerceat ab errore, quantus error erit in populo, cum errat ille, qui docet.*

[e] Lege *debetis*, Valesio auctore. Synodicæ eo consilio mittebantur, ut reliquorum per orbem episcoporum consensus exquireretur, quo definito dogmati vis accederet indeclinabilis. Consensus ille apertis plerumque verbis peti consueverat: at petendi ratio, qua Damasus hoc loco utitur, ad Christianam humilitatem magis accedit. Sic Ancyrana synodus anno 358 congregata, *quocirca*, ait, *etiam atque etiam precamur, ven. domini et collegæ, ut lectis his litteris tum nobis tradilam a majoribus fidem cordi esse, tum nos eadem vobiscum sentire et profiteri significetis.* Constantii itaque emendatio, et interpretatio non placet. Nuperus Vitæ Hieronymi scriptor Ancobæ impressus, hasce ad Illyricos litteras missas a Damaso asserit anno 382 non aliam profecto ob causam, quam ut eas Hieronymo suo attribuat.

[f] Cum Sabinus hanc duntaxat epistolam alias ad Illyricos missam, Orientalibus attulerit, manifestum est ea, quæ sequuntur, fragmenta hac ejus legatione posteriora esse.

[g] *Mediolanensis Ecclesiæ Diaconus.* Quesnellus adnot. ad Leon. epist. 14: *Solemnissimum esse ait, ut cum Romani pontifices ad synodum, vel ad episcopos aliquos pro alicujus momenti negotio scribebant, per aliquem ex suis ad hoc imprimis destinatum id facerent, non vero per alienum Clericum.* Hoc igitur saltem exemplo refellitur.

[g] Hæc imitatur Ambrosius lib. v de Fid., cap. 4: *Non æratas acies in bella produxit, nec ariete, cæterisque tormentorum machinis, sed tubarum septem sacerdotalium sono, murorum hostilium septa deposuit.* Sic etiam Sixtus III Nestorianam hæresim Ephesino concilio eversam, ut urbem Hiericuntinam arca circumducta, et tubis sacerdotalibus clangentibus collapsam, picturis, quæ nunc etiam supersunt, repræsentavit in Liberiana basilica Ciampin. Vet. Monum. p. 75, tab. 43, p. 225.

resurgit ; quia omnes uno ore unius virtutis, unius majestatis, unius divinitatis, unius usiæ dicimus divinitatem : ita ut inseparabilem potestatem, tres tamen asseramus esse personas, nec redire in se aut minui, ut plerique blasphemant, sed semper manere [a]; nec potentiæ gradus quosdam ortusque tempora disparata ; nec prolativum, ut generationem ei demas ; nec imperfectum, ut ad personam aut Patris natura, aut divinitatis ei plenitudo defuerit ; nec dissimilem opere Filium, nec dissimilem potestate, aut per universa dissimilem : nec subsistere aliunde, sed de Deo natum, nec falsum de Deo vero, sed Deum verum de Deo vero esse generatum, lumen verum de vero lumine ; ne minutum aut diversum putetur : quod unigenitus habet splendorem lucis æternæ quia naturæ ordine neque sine splendore lumen ; neque splendor potest esse sine lumine : imaginem quoque Patris, ut eum qui viderit, viderit et Patrem. Eumdem redemptionis nostræ gratia processisse de Virgine ; ut perfectus homo pro perfecto qui peccaverat homine nasceretur. Ergo, fratres, asseramus Dei Filium et perfectum hominem suscepisse [b] Spiritum quoque sanctum [c] increatum, atque unius majestatis, unius usiæ, unius virtutis cum Deo Patre et Domino nostro Jesu Christo fateamur. Neque enim creaturæ dignus injuria est, qui emissus est ut crearet, sicut propheta sanctus astruxit dicens : *Emitte Spiritum tuum, et creabuntur :* deinde alius item posuit : *Spiritus divinus qui fecit me :* qui in operatione ac peccatorum remissione connectitur. Hæc est, fratres dilectissimi, A B

[a] Hoc loco, atque his verbis expressam legis, damnatamque hæresim Marcello Ancyrano attributam, sed ejus intactum nomen, secus ac Basilius postulaverat : eum siquidem ille Damaso detulerat, ac si *Verbi appellationem prave acciperet, ac concederet Verbum quidem dictum fuisse unigenitum, ad usum, et ad tempus progrediens, sed rursus ad eum, unde prodiit, reversum :* atque iterum, alioque tempore Paulinum Antiochenum accusans, quod in Marcelli dogmata propenderet. *Scitis*, ait, *spem nostram everti Marcelli dogmate, quod neque Filium in propria hypostasi confitetur, sed prolapsum esse, et rursus reversum ad eum ex quo processerat.* Sed vid. cap. 7.

[b] Hoc deinde Apollinaristæ fassi sunt ; sed veteratores pessimi *hominem* intelligebant, quem sibi finxerant, *divina perfectione perfectum*, Verbo scilicet animæ supplente vices. Hoc constat ex fide, quam Vitalis apud Epiphanium professus est, hær. 77, n. 23. Damaso itaque cum hæc scriberet, nondum comperta fuerat hæc hæreticorum fraus : at ea fallacia palam facta fuerat, cum idem pontifex litteras ad Paulinum scripsit, quæ de eodem Vitali agunt. Vides igitur hoc fragmentum litteris illis anterius esse. C D

[c] Hæc conferas cum Basilii epist. 242 et 243 uno eodemque tempore scriptis, ac per Dorotheum in Occidentem allatis, ac facile cognosces iis rescribi hoc eodem fragmento, ac ad ea, quæ in iis referebantur, Damasum, ac eam synodum intendisse animum.

[d] Quorsum vero hæc ? Intelligimus quo hæc tendant ab eodem Basilio, epist. 129. *Illa autem*, ait ille, *mihi visa est velut intacta esse materia, locumque litteris dare, si ipsos*, Occidentales scilicet, *adhortemur, ne sine judicio recipiant communiones ex Oriente venientium ; sed semel una parte electa, reliquos communicatorum testimonio admittant, nec cuilibet formulam scribenti, sub doctrinæ orthodoxæ obtentu assentiantur.* Hæc vero scribebat ille anno 373, cum de Dorotheo Romam iterum mittendo ageretur.

fides nostra ; quam quisque sequitur, noster est particeps. Discolor corpus membra deformat. Ilis nos communionem damus [d], quoniam (*f.* qui nostram *aut* qui istam) in omnibus sententiam probant. Absit ut fides pura variis coloribus adsuatur.

Illud præterea cavendum monemus, ne canonicus ordo in sacerdotum vel clericorum ordinationibus negligatur, aut prævaricatoribus ejus impartiatur facile communio [e], ut de reliquis peccando incentiva tribuatur. Hæc igitur de nostro fuerant intimanda judicio. Cæterum quod ad removendas vestræ dilectionis spectat injurias, nec frater noster Dorotheus presbyter explicare, omnia vivaciter prætermittit, nec nixus (*f.* nisus) nostri, ut ipse testis est, defuerunt [f].

FRAGMENTUM II.

ITEM EX PARTE DECRETI.

Illud sane miramur, quod quidam inter nostros [g] dicantur, qui licet de Trinitate piam intelligentiam habere videantur, de sacramento tamen salutis nostræ ignorantes virtutes Scripturasque, et recta non sentiant. Asserunt enim dicere, Dominum ac Salvatorem nostrum ex Maria Virgine imperfectum, id est, sine sensu hominem suscepisse. Heu ! quanta erit Arianorum in tali sensu vicinitas ! Illi imperfectam divinitatem in Dei filio dicunt : isti imperfectam humanitatem in hominis filio mentiuntur. Quod si utique imperfectus homo susceptus est, imperfectum Dei munus [h] est, imperfecta nostra salus ; quia non

[e] Quod Orientales attulerant, ab Occidentalibus merito referunt : ea enim per Orientem canonum violatio hoc in negotio fuerat, ut earum partium episcopi ab Occidentalibus vicissim jure merito reprehendi possent.

[f] Vide, si lubet, cap. 9. Quid Occidentales consilii ceperint, quo Orientalibus opem ferrent, obscurum est. Tillemontius putat censuisse illos, ut præcipui aliquod episcopi a se mitterentur in Orientem, atque hoc jure conjicit ex epistola II Aquileiensis concilii, qua Occidentales aiunt publicis tumultibus se deturbatos, quominus meditatum iter effectui darent (*Vit. Ambros. art.* 11). Sed cum postrema hæc verba aperte probent, ni fallor, si quæ Orientalium rebus afferendi auxilii excogitata via est, illam potissimum acceptam ferri oportere Damasi consilio, nulla etiam est ratio, ob quam vir doctus eam laudem uni Ambrosio attribuat, ac temere pronuntiet, nullas videri fuisse Romani pontificis in ea deliberatione partes.

[g] Basilius de Apollinario, epist. 265 : *Qui magis nos afflixit, quod ex nobis ab initio esse videbatur.* Nazianzenus etiam in iambico adversus eumdum carmine ; *quid ais acerrime verbi patrone, cui graves sunt, qui secant Deitatem ?* Amabant vero sese, offerebantque plurimum Apollinaristæ de recta Trinitatis fide, quamquam Arianos, ut iis Nissenus exprobrat in *Antirretrio*, hac etiam in parte impietate superarent.

[h] Hoc deinde argumento Patres omnes usi sunt ; at Damasi locum videtur imitatus Ambrosius ad *Sabinum : confiteantur sicut in Dei forma nihil ei defuit divinæ naturæ, et plenitudinis, sic in illa forma hominis nihil ei defuisse, quo imperfectus homo judicaretur, qui ideo venit, ut totum hominem salvum faceret : neque enim decebat, ut qui perfectum opus in aliis consummaverat, hoc imperfectum in se esse pateretur :*

est totus homo salvatus. Et ubi erit illud dictum Domini, *Venit filius hominis salvare quod perierat totum?* id est, in anima et in corpore, in sensu atque in tota substantia suæ naturæ. Si ergo totus homo perierat, necesse fuit ut id quod perierat, salvaretur. Si autem sine sensu salvatus est, jam contra Evangelii fidem invenietur non totum quod perierat esse salvatum : cum alio loco ipse Salvator dicat : *Irascimini mihi, quia totum hominem salvum feci* [a]. Quid quod ipsius principalis delicti et totius perditionis summa in hominis sensu consistit [b]; primum enim sensus hominis eligendi boni malique si non perisset, non moreretur. Quomodo ergo præsumeretur in finem salvari minime debuisse, quod ante omnes peccasse cognoscitur ; nos autem, qui integros ac perfectos salvatos nos scimus, secundum catholicæ Ecclesiæ professionem, perfectum Deum perfectum suscepisse hominem profitemur. Quapropter date operam, ut intelligentia sanæ doctrinæ etiam eorum sensus salventur, qui adhuc sensum salvatum esse non credunt.

ITEM EX PARTE DECRETI.

Non nobis quidquam suppetere facultatis, quatenus vobis nostra opera vel parvum refrigerium possint afferre : licet magnum ex hoc, beatissimi, solatium capiatis, si integritatem fidei nostræ noscentes, in unum sensum vos congruere gloriemini ; et satis atque abunde, ut convenit, præsumatis pro membris nos esse sollicitos. Ut enim Nicæni concilii fidem inviolabilem per omnia retinentes, sine simulatione verborum aut sensu corrupto, nullo modo Spiritum sanctum separamus ; sed perfectum in omnibus virtute, honore, majestate, deitate, cum Patre conveneramur et Filio : itaque etiam plenitudinem Dei Verbi, non prolativi, sed nati, neque in Patre remanentis, ut non sit, sed ex æterno in æternum subsistentem, perfectum, id est integrum hominem assumpsisse et salvasse confidimus.

Explicit hæc epistola, vel expositio synodi Romanæ habitæ sub Damaso papa, et transmissa ad Orientem ; in qua omnis Orientalis Ecclesia, facta synodo apud Antiochiam, consona fide credentes, et omnes ita consentientes eidem superexpositæ fidei, singuli sua subscriptione confirmant.

[c] Meletius episcopus Antiochenus consentio omnibus supra scriptis, ita credens et sentiens : et si quis præter hæc sentit, anathema sit.

Eusebius episcopus Samosatenus consentio omnibus supra scriptis, ita credens et sentiens : et si quis præter hæc sentit, anathema sit.

Pelagius episcopus Laudicenus consentio omnibus supra scriptis, ita sentiens et credens : et si quis præter hæc sentit, anathema sit.

Zenon episcopus Tyri ut supra credo et subscripsi.

Eulogius episcopus Edessenus similiter credo et subscripsi.

Bematius de Mallo civitate similiter credo et subscripsi.

Diodorus episcopus de Tarso ut supra et subscripsi.

Similiter et alii CXLVI Orientales episcopi subscripserunt, quorum subscriptio in authenticum hodie in archivis Romanæ Ecclesiæ tenetur.

Explicit synodus Romana et Antiochensis.

EPISTOLA III.

DAMASI PAPÆ URBIS ROMÆ AD PAULINUM EPISCOPUM ANTIOCHENÆ CIVITATIS.

MONITUM.

Cur hanc ab altera Damasi ad Paulinum epistola, secus ac Holstenius, Quesnellus ac Constantius fecerunt, ego disjunxerim, cum jam dixerim, iterum haud dicam. Holstenius tamen nihil ea de re statuit, sed ita edidit, ut illam in exemplari suo descriptam vidit : Quesnellus autem Holstenianum exemplar, quamquam perturbatum et confusum, pro lege habuit, atque omnium primus, utramque simul velut unam alteri conjunctam imprimendam censuit. Hanc vero, præter Holsteniani et sui codicis auctoritatem, potissimam rationem affert, quod cum Damasus fidem a se missam Paulino scribit, aliam prorsus quam quæ in eadem epistola continetur, indicare debuit, ab eadem scilicet epistola separatam : quam vero fidem hoc loco aliam intelligere possumus, præter illam, quæ eidem epistolæ immediate subnexa est? At quam levis hæc ratio sit, ipsa epistolæ lectio aperte probat : hæc enim cum ea dogmata exprimat, quibus a Vitali, ejusque grege subscribi jubet, ac proinde cum nihil illi profecto desit ad plenam Apollinarianæ hæresis, de qua tunc agebatur duntaxat, eversionem, nihil etiam opus est, ut aliam illi formulam adjunctam dicamus, quæ minime necessaria erat, ac præterea ab ea causa omnino aliena esse videbatur. Alium vero non quæram hujus sententiæ testem, quam ipsum Damasum, qui post expressas eadem ipsa epistola conditiones omnes, quibus Vitalis, aliique recipi ad communionem poterant, postremo ait, ut qui huic epistolæ subscriberent absque aliqua ambiguitate, susciperentur : hinc enim constat apertissime, ni fallor, alias nullas, aut ab eo adjunctas, aut desideratas, præter illas, quas in eadem epistola enuntiaverat.

si enim aliquid ei defuit, non totum redemit; si non totum redemit, fefellit igitur, qui dixit, ideo se venisse, ut totum hominem salvum faceret. Epist. 46 ex BB. edit.

[a] Vide not. superiorem.

[b] Apollinaristæ primo loco animam negarunt Deo : deinde concesserunt animam, sed quæ brutorum est, expertem scilicet rationis, et mentis : postremo mentem etiam concedere visi sunt, sed ea voce aliud nihil intelligebant, quam divinitatem mentis ipsius implentem vices. Damasianum igitur hoc fragmentum ad annum 376 aut ad sequentem pertinet : nam putidum hoc ac novissimum Apollinarii figmentum, quod hoc loco destruitur, vix anno 375 audiri cœperat ac vulgari. Vide quæ dixi cap. 10 et 11.

[c] Cur vero, non ut fieri in conciliis solet, ὁρίσαντες subscribunt? An quia agebatur de rebus a sede apostolica jam definitis? Ita prorsus mihi videtur.

Contuli etiam pro hac quæstione mss. codices, ac duos cæteris antiquiores: alterum Dionysianæ collectionis concedente abbate tunc religiosissimo ac doctissimo, nunc S. R. E. cardinali pœnitentiario Besozzio ex monasterio S. Crucis in agro Sessoriano, signat. n. 225; alterum in Vallicellana scriptum ætate Nicolai I, signat. A. V. Quæ vero ex iis deprehendi, duo sunt: primum, hanc de Vitali epistolam omnino solitariam esse, sejunctam scilicet ab altera, quæ Damasi confessio dicitur: prior enim codex eam continet ex omnibus Damasi epistolis unicam, quam deinde Siricii ad Himerium decretalis sequitur; Vallicellanus vero codex primo refert ejusdem anathematismos sub hoc titulo: Confessio fidei catholicæ, quam papa Damasus misit ad Paulinum Antiochenum episcopum; *alio deinde ac posteriori loco hanc, quæ de Vitali agit, epistolam recitat sub hac inscriptione:* Incipit rescriptum Damasi papæ ad petitum Hieronymi ad Paulinum episcopum, *atque alii hisce similes codices proferri possent. Alterum vero quod ex iisdem adverti, illud est, quod codex uterque auctior est, quam impressi libri, integra scilicet periodo illa, qua* Dominicus homo, *cujus Rufinus meminit, expressus est, ac deest in editis. Hos igitur ego codices, Isidorum præterea Mercatorem, Baronium, ac Sarazanium secutus sum, ac epistolam hanc ab eo, quæ Damasi* confessio, seu regula fidei *dicitur, separatam edidi: sed ad hoc me impulerunt præterea rationes aliæ, quas cum attulerim cap.* 10 *et* 15, *ubi de earum scribendarum occasione, ac tempore agendi locus fuit, hic ego non repetam, aliquas præterea additurus in notis.*

A

B

C

D

EPISTOLA.

Dilectissimo Fratri Paulino Damasus.

Per filium meum Vitalem [a] ad te scripta direxeram [b], tuæ voluntati et judicio omnia derelinquens: et per Petronium presbyterum breviter indicaveram, me in articulo jam profectionis ejus aliqua ex parte commotum. Unde ne aut tibi scrupulus resideret, et volentes forsitan Ecclesiæ copulari, tua cautio probanda differret, fidem misimus, non tam tibi, qui ejusdem fidei communionem sociaris, quam his, qui in ea subscribentem, tibi [c], id est, nobis per te voluerint sociari, dilectissime frater.

Quapropter si supradictus filius meus Vitalis, et [d] ii qui cum eo sunt, tibi voluerint aggregari, primum debent in ea expositione fidei subscribere, quæ apud Nicæam [e] pia patrum voluntate firmata est. Deinde, quoniam nemo potest futuris vulneribus adhibere medicinam, ea hæresis eradicanda est, quæ postea in Oriente dicitur pullulasse, id est, confitendus ipse sapientia, sermo filius Dei humanum suscepisse corpus, animam, sensum, id est, [f] integrum Adam, et, ut expressius dicam, totum veterem nostrum sine peccato hominem. Sicuti enim confitens eum humanum corpus suscepisse, non statim ei et humanas [g] vitiorum adjungimus passiones: ita et dicentes eum suscepisse et hominis animam et sensum, non statim dicimus et cogitationum eum humanarum subjacuisse peccato [h]. Si qui autem dixerit, Verbum pro humano sensu in Domini carne versatum, hunc catholica Ecclesia anathematizat:

[a] Nondum itaque Vitalis ad episcopatum evectus videri potest, cum Damasus hæc scriberet.

[b] Hæc Quesnellus adnotat dissert. 14, n. 10, ac nescio quid inde conficit, quod nullius ponderis est, quidquid illud sit. Damasus enim in una eademque epistola, tum plurali, tum singulari numero se ipsum sæpe designare solet. Vide epistolam ad *Acholium*, et epistolam ad *Orientales*.

[c] Chalcedonense concilium part. III, c. 1: *Damasus Romanæ urbis episcopus, et justitiæ decus, litteris ad Paulinum datis, dispensationis sacramenta patefecit, admonens ut his, quæ bene decreta sunt, si qui communionis suæ participes esse velint, consentiant.*

[d] Antiocheni illi scilicet, quibus regendis admotus per Apollinarium fuerat. Vid. Sozom. lib. VI, cap. 25. Hic vero perpetuo fuerat Ecclesiæ spiritus, ut hæreticorum ac schismaticorum capita iterum complecteretur, si fratres ac filios ab eo divulsos unitati ac fidei restituerint. Vid. Tertull. de Præscript. cap. 30, Cyprian. epist. 64, ad Antonian.

[e] Hue forte respexit Orientalis sub Joanne Antiocheno synodus his verbis; *Intelligimus vero eam* (fidei Nicænæ expositionem) *sicuti, qui ante nos fuerunt episcopi, in Occidente quidem Damasus, Innocentius, Ambrosius et alii*, etc. Vid. Synod. adv. Tragœd. Iræn. cap. 197. Utraque ergo pars, Catholici scilicet et Apollinariani ad Nicænum Symbolum provocabant: Catholici, ut Deum nobis similem, mente scilicet et anima præditum esse demonstrarent. Vid. Leon. Magn. epist. 134. Lugd. edit. Apollinarius autem, suum illum *e cœlo descendentem*, et carne, ut et Verbo compositum, *cœlestem hominem* confirmaret. Vid. Ambros. inter testimonia Patrum allata a Leone Magno, epist. 134, Lugd. edit.; Nyssen., Ant. cap. 9, 10; Nazianzen. epist. ad Cled. n. 8 et 23.

[f] Eusebius Vercellensis in epistola ad Antiochenses ex Alexandrina synodo ἀναλαβὼν πάντα ἄνευ ἁμαρτίας, οἷος ὁ παλαιὸς ἡμῶν ἄνθρωπος συνέστηκε. Athanas. de Salut adv. Chr. lib. II, cap. 10: *Et animam et corpus, totumque primum Adamum didicimus secundum Adamum habuisse.* Ita etiam cæteri Græci ac Latini Patres, quos afferre longum esset.

[g] Hoc palmarium Apollinarii argumentum, Fabricius ex quodam Anglicano Græco codice, quod Apollinarii pseudoquæstiones, et Basilii responsiones continet, hæc profert: *Si Christus mentem habuit hominis, etiam oblivione laboravit, et inscitia, et peccatum committere potuit.*

Bas. *Sane quidem, ni divinitati esset unitus.* BB. Gr. tom. VIII, p. 101. Sed ipse Athanasius sibi ex hæreticis accepta hæc objicit: *Si enim hanc* (mentem) *assumpsit, et principi nequitiæ subditus erit, et peccati expers non erit:* de Sal. adv. 2, cap 3. Sed hæc leguntur in Dial. 6 advers. Apollinaristas Auct. Oper. Theodoret. tom. V, p. 588.

[h] Athanasius iterum cap. 6: *Sed objicitis, Si omnia accepit, sane, et humanas cogitationes habuit; impossibile autem est humanis cogitationibus non inesse peccatum.* Vid. etiam Petav. de Inc. lib. V, cap. 11 et 12. Cæterum, ut Nyssenus respondit eleganter, *nostras sordes in semetipso assumens, earum spurcitiis non inquinatur, sed in se ipso sordes purificat. Lux enim in tenebris luxit, et tenebræ eam non comprehenderunt.* Ant. cap. 26.

Hoc loco Vallicellanus codex n. 18 et codex S. Crucis post verbum *peccato* hæc habent, quibus impressos carere dixi: *Si quid illud est, quod de homine Salvator noster suscipere timuit, non salvabit: aut si ita insuperabile malum fuit, quod ipse suscipere formidavit, quid ponit in homine, quem ipse condidit, et suscipere in suscepto homine vitavit? Itaque Dominicus homo rationabilis et intelligibilis, quod Græci dicunt* (νοερὸς), *confitendus.* Hæc ratio Pa-

necnon [a] et eos, qui duos in Salvatore filios confitentur, id est, alium ante Incarnationem, et alium post assumptionem carnis ex Virgine, et non eumdem Dei filium et ante et postea confitentur. Quicumque huic epistolæ subscribere voluerit, ita tamen ut in ecclesiasticis canonibus, quos optime nosti, et in Nicæna fide ante subscripserit, hunc debebis absque aliqua ambiguitate suscipere. Non quod hæc ipsa, quæ nos scribimus, non potueris convertentium susceptioni proponere; sed quod tibi consensus noster liberum in suscipiendo tribuat exemplum [b].

EPISTOLA IV.

CONFESSIO FIDEI CATHOLICÆ QUAM PAPA DAMASUS MISIT AD PAULINUM ANTIOCHENUM EPISCOPUM.

MONITUM.

Hæc altera est Damasi epistola ex iis quæ ad Paulinum Antiochenum exstant, cujus ab priori disjungendæ rationes jam attuli. Hoc tamen admotare iterum placet, Theodoretum scilicet eam Græce redditam Historiæ suæ attexuisse, ac ab priori disjunctam retulisse lib. v, *cap.* 11. *Cur vero non integram recitavit, si utramque Damasus sic junxerat, ut una alterius pars esset inseparabilis? An forte nihil ad Ecclesiæ historiam pertinere posse censuit, quæ de Vitalis nomine scripta fuerunt? Quis hoc ne suspicetur quidem? An potius huic parcendum esse duxit? At illius hæresim lib.* v, *cap.* 4, *minime dissimulat. Reliquum igitur est ut truncata jam et dissecta ad eum venerit. At cui bono hæc integræ epistolæ laceratio et corruptio? in tanta præsertim vicinitate temporis, et exemplarium copia? Ratum igitur, certumque sit, non unam in duas sectam partes, sed duas inter se disjunctas Damasi fuisse ad Paulinum epistolas. Cæterum hanc potissimum, de qua agimus, celebrem perpetuo fuisse, ac summo plausu exceptam colligimus ex Scriptoribus, qui eam memorant, ac pro lege habent, Cœlestino scilicet et Vigilio, Ambrosio, antiquo auctore Sermon. de Tempor.* 129, *olim Augustiniano, nunc in appendicem rejecto, tom.* V, *Serm.* 233, *ubi ex ejus anathematismis plures recitantur, Arnobio Juniore, Isidoro in Codice canonum Ecclesiæ Hispanæ, Paulino Aquileiensi, Tricassino concilio, atque aliis deinceps; ex Græcis vero, ut recentiores præteream, præter Theodoretum, concilio Constantinopolitano, ut ego quidem puto, et Nazianzeno. Cum igitur ob eam causam sæpe transcriberetur, fieri non potuit, quin varia nunc sit mss. codicum lectio, sive casu, sive temere, ac pro cujusque ingenio; cujus vel præter ea quæ ego observavi, non unum exemplum attulit Petrus Constantius ex codicibus, quos ille pro exquisita sua diligentia inspexit. Ejus itaque exemplar in hac editione ego secutus sum, tum quod illud ad Græcum a Theodoreto ad nos transmissum, tum vero ad Quesnellianum magis accedat, qui duo vivi sunt omnium, judicio meo, fonti proximiores, ac facile ob eam causam puriores; si quis enim mss. codices consulere omnes velit ac referre, cum ingens eorum copia sit, vel improbum et non necessarium laborem sustineat necesse est, vel incertus judicii sit, utrum ex iis eligat, quamquam Vallicellano codice aliquando usus sim, quod ille ad manus fuerat.*

CONFESSIO FIDEI CATHOLICÆ [c].

Post concilium Nicænum, [d] quod in urbe Roma concilium congregatum est a catholicis episcopis, addiderunt de Spiritu sancto. Et quia postea is error inolevit, ut quidam ore sacrilego auderent dicere Spiritum Sanctum factum esse per Filium [e].

I. Anathematizamus eos, qui non tota libertate proclamant, cum Patre et Filio unius potestatis esse atque substantiæ.

II. Anathematizamus quoque eos, qui Sabellii sequuntur errorem [f], eumdem dicentes Patrem esse, quem Filium.

---

tribus familiaris est. Vid. Damasc. oper. tom. I, p. 228 et p. 240.

[a] Hæc Arnobius *ex priori* ad Paulinum epistola accepta sic recitat: *Anathematizamus eos, qui duos in Salvatore filios confitentur, unum ante incarnationem, et alterum post assumptam carnem ex Virgine; et non eumdem Dei filium, et antea et postea ipsum esse Christum verum Dei Filium, qui natus est ex Virgine, confitentur*, hue etiam respicit, ni fallor, Ambrosius de Incarn. cap. 6: *Et illos condemnare debemus, qui non unum eumdemque esse Filium Dei dicunt, et alium esse, qui ex Deo natus sit, alium qui sit generatus ex Virgine.* Hæc conferas cum anathematismo 6 alterius epistolæ ad eumdem Paulinum; ac tecum reputa, an fieri possit, ut Damasus uno eodem scripto, rem ipsam iisdemque verbis repetat, quod tamen concedant necesse est, qui unicam ad Paulinum epistolam statuunt. Hinc Corbeiensis codex, Constantio teste, ut eam vitiosam repetitionem caveat, alterum anathematismum omisit secus ac Holstenianus, ac Quesnellianus.

[b] Vallicell. cod. *facultatem.*

[c] Hanc Trithemius de S. E. cap. 73, *librum de Fide* vocat, *contra hæreticos.*

[d] Hoc apud Trithemium hujus dogmaticæ initium est, *Quoniam post concilium Nicænum*, atque ita etiam apud Theodoretum legimus: eaque lectio mihi verior videtur: ea enim quæ in aliis impressis ac mss. codicibus præmittuntur, exordium potius sapiunt ab exscriptoribus adjectum; siquidem hoc ipsum Romanum concilium, quod anno 380 convocatum dixi, illud ipsum est Vigilio teste, quod Nicæno concilio addidit ea, quæ minus plene, ut Nazianzenus ait in 2 ad Cledon., dicta fuerant, et ad Spiritum sanctum attinent: in antecactis enim sub Damaso conciliis, ea quæ de sancto eodem Spiritu enuntiata sunt, nec adeo præcisa, et plena, ut hæc sunt, nec anathematismos adversus singulas omnes Pneumatomachorum blasphemias adjectos habent.

[e] Hæc Eunomii in Apologetico a Fabricio BB. Græc. tom. VIII, pag. 297, primum edito verba: *Jussu quidem Patris, operatione autem Filii factum.* Huc spectat locus Simonis Constantinopolitani apud Allat. contr. Hottinger. pag. 503: *Litteris ad Paulinum Antiochenum datis scribit Damasus additionem synodali decreto factam in S. Nicæno Symbolo ad convellendam eorum blasphemiam qui asserebant Filium quoque Patrem esse.*

[f] Nullos reipsa tunc temporis *Sabellianos* fuisse legimus, multos autem calumnia et opinione ab Orientalibus sic dictos scimus; qua de re querebatur Faustinus presbyter in libello Fidei, quem in Co-

III. Anathematizamus Arium, atque Eunomium, qui pari impietate, licet sermone dissimili Filium et Spiritum sanctum asserunt esse creaturas.

IV. Anathematizamus Macedonianos [a], qui de Arii stirpe venientes non perfidiam mutavere, sed nomen.

V. Anathematizamus Photinum, qui Hebionis hæresim *instaurans* [b], Dominum Jesum Christum tantum ex Maria confitetur,

VI. Anathematizamus eos, qui duos Filios [c] asserunt, unum ante sæcula, et alterum post assumptionem carnis ex Virgine.

VII. Anathematizamus eos, qui pro hominis anima rationali, et intelligibili [d], dicunt Dei Verbum in humana carne versatum, cum ipse Filius sit Verbum Dei, et non pro anima rationali, et intelligibili in suo corpore fuerit, sed nostram, id est intelligibilem sine peccato animam susceperit, atque salvaverit.

VIII. Anathematizamus eos, qui Verbum Filium Dei extensione, aut collectione, et a Patre separatum, insubstantivum, et finem habiturum esse contendunt.

IX. Eos quoque, qui de Ecclesiis ad Ecclesias migraverunt [e] tamdiu a communione nostra habe-

dice canonum Quesnelliano legimus, cap. 38, ac Gregorius ille, cujus est Orat. 49 inter Nazianzeni Opera. Ob eam quoque causam Paulinum Antiochenum, ejusque asseclas, ac omnes pene Occidentales ob reticentiam trium hypostaseon, vulgo traductos fuisse constat. Hanc igitur calumniam hoc promulgato anathemate Damasus forte destructum ivit, quæ etiam fuit ratio, cur Athanasius, aliique Alexandrinæ synodi Patres decreverint, *ut anathemate inurereturSabellii stoliditas : quod si ita fiat, omnis apud omnes cessabit suspicio.*

[a] Ante annum 380, quo hæc dogmatica promulgata est, *Macedonianorum* nomen nusquam usurpatum legas : illi siquidem nondum ab Ecclesia, ad quam sub Liberio redisse visi sunt, aperto rursus schismate recesserant, nec concilium Nicænum rursus repudiaverant, quod anno duntaxat 379 factum fuisse dixi cap. 15. Hi vero duplicis erant generis : alii enim recte de Filio sentiebant, prave vero de Spiritu sancto; alii vero utramque Arianam hæresim profitebantur. Posteriores igitur Damasus hoc loco respicit, quos ideo *ab Ariana stirpe venientes*, ut etiam Epiphanius vocat, et nomen, non perfidiam mutasse ait. Sed Epiphanium ipsum audiamus hær. 74, n. 1 : *Ab his Semiarianis et Orthodoxis monstrum quoddam biformium hominum et semiferorum excitatum est; alii quippe, ab Ariana stirpe profecti, Filium non absolute creaturam esse definiunt, sed sine tempore esse genitum.... Sed a priore illa sententia quam Arius evomuit, nequaquam recedunt.... tum de Spiritu sancto contumeliose garriunt.* Utramque etiam Macedonianorum sectam distinguit Auctor in Dialogis a Garnerio iterum impressis in Auctario operum Theodoreti, in quibus illum aliter cum prioribus, aliter cum aliis disputantem legimus.

[b] Hilarius de Trin. lib. VII, cap. 3 et 7 : *Hebion, quod est Photinus.*

[c] Hunc anathematismum Cœlestinus recitat his verbis : *Anathematizamus eos, qui duos Filios Dei asserunt, alterum qui ex Patre ante sæcula est genitus, et alterum qui ex assumptione carnis natus est ex Virgine.* Apollinarius hanc sententiam per summam calumniam Catholicis affinxerat ob duas in Christo Jesu assertas naturas perfecte unitas, eoque prætextu abutebatur, ut per speciem adeo absurdæ opinionis hæresim suam corroboraret. Hoc liquet ex locis a Petavio allatis de Incarn. lib. VII, cap. 2, atque eam calumniam suis ipse auribus Damasus jactari audiverat, præsente Acacio Beroeensi episcopo. Aiebat autem Apollinarius : *Si homini perfecto unitus est perfectus Deus, duo utique, non unum essent.* Nyssen. Antir., cap. 35 et 39, et cap. 42 : *Si homini copulatus est Deus perfectus, perfectus nempe perfecto, utique duo essent : alter quidem natura Filius Dei, alter adoptione.* Eam itaque a Catholicis calumniam hoc promulgato anathematismo idem pontifex removendam censet, cujus deinde exemplum Nazianzenus aperte imitatus est in 1 *ad Cledon.*, hæc scribens : *Si quis duos Filios, alterum ex Deo, et Patre, alterum ex Matre, non autem unum, atque eumdem induxerit, is ab ea quoque filiorum adoptione excidat, quæ recte credentibus promissa est.* Et rursus in secunda ad eumdem Cledon. : *Hoc quoque omnibus de nobis affirma, nos Dei Filium, qui ex Patre primum, oc deinde ex sancta Maria Virgine genitus est, in unum jungere, nec duos filios nominare, sed unum, et eumdem in invisibili Deitate adorare*, etc. Hanc etiam ab Ecclesia catholica infamiam repellunt, Athanasius, Epiphanius, Ambrosius, cæterique eorum temporum Patres : atque hinc intelligimus, quanto studio vulgata illa ac recantata ab Apollinarianis fuerat. Ab Apollinario calumniam cum hæresi accepit, atque iterum produxit adversus Catholicos Eutyches, delirus senex, et qui ab illo deinceps orti sunt Monophysitæ, Monothelitæ, ac si quis alius ex virulenta radice surculus infecit Ecclesiam. Quamobrem Marcianus imperator, scribens ad monachos Alexandrinos profitetur εἶναί τι Θεὸν καὶ ἄνθρωπον ἀληθῶς τὸν αὐτὸν, οὐκ ἄλλον καὶ ἄλλον, μὴ γένοιτο, ἀλλ' ἕνα καὶ τὸν αὐτὸν. Τοὺς δὲ λέγοντας ἢ εἰπόντας δύο Υἱοὺς ἢ δύο πρόσωπα, καὶ ἡμεῖς ὡς θεομάχους βδελυσσόμεθα, καὶ ἀναθεματίζομεν. Græcam illam epistolam, cujus major pars fugerat diligentiam summorum virorum, quibus collectionem conciliorum debemus, integram profero inferius ex Otthobboniano cod. 29, fol. 415, nuper cum reliquis in Vaticanam translato, beneficio sanctissimi pontificis Benedicti XIV, sacris litteris juvandis et illustrandis nati. Ex eodem cod. exscriptum est alterius etiam epistolæ initium, ad *Macarium* scilicet *episcopum* et *Sinaitas monachos*, quod in eadem collectione deest. Vid. tom. IV, Ven. edit. p. 1782 et 1793.

[d] Damasi anathematismo rescissum, ac perfossum, captiosum fidei libellum Romæ a Vitali oblatum, omnesque qui in fraudulenta expositione perstarent, ab Ecclesia eodem tempore alienos factos scribit Nazianzenus in 2 *ad Cledon.* Sed utrum ille hunc locum designet, an alterum huic similem in priori ad Paulinum Epistola expressum, vide ad annum 375.

[e] Hunc, atque huic proximum anathematismum, quod a suo codice abessent, Quesnellus Damaso affictos putat fraude et dolo malo Paulini Antiocheni, ut illo æmulum in episcopatu Meletium superare posset. At, oh! præceps et viro rigidioris disciplinæ vindice indignum prorsus judicium! fraudem illam scilicet minime olfecit Theodoretus, cum eosdem anathematismos retinuit, quamquam Meletium ipsum, ac ejus successorem tanti fecerit, ut omnes captet, qua certas, qua dubias utrumque laudandi vias, qui præterea, ab eo, quo res agebantur tempore, non ita distat, quin facile ludum videre, deprehendere, et attrectare posset, si vellet, ut hac Quesnellus gloria tot sæculis posterior integra fruereture. Cæterum si hæc dogmatica scripta et promulgata est ab ea Romana synodo, quæ initam jam Meletium inter et Paulinum concordiam confirma-

mus alienos, quamdiu ad eas civitates redierint, in quibus primum sunt constituti. Quod si alius alio transmigrante in locum viventis est ordinatus, tamdiu vacet sacerdotis dignitate, qui suam deseruit civitatem, quamdiu successor ejus quiescat in pace.

X. Si quis non dixerit semper Filium et semper Spiritum sanctum esse, anathema sit.

XI. Si quis non dixerit Filium natum de Patre, id est de divina substantia ipsius, anathema sit.

XII. Si quis non dixerit Verbum Domini Filium Dei Deum, sicut Deum Patrem ejus, et omnia posse, et omnia *nosse* et Patri æqualem, anathema sit.

XIII. Si quis dixerit, quod in carne constitutus

A filius Dei, cum esset in terra, in cœlis cum Patre non erat, anathema sit.

XIV. Si quis dixerit quod in passione crucis [a] dolorem sustinebat Filius Dei Deus, et non caro cum anima, qua induerat formam servi [b], quam sibi acceperat, sicut ait Scriptura, anathema sit.

XV. Si quis non dixerit quod in carne, quam assumpsit, sedet [c] ad dexteram Patris, in qua venturus est judicare vivos et mortuos, anathema sit.

XVI. Si quis non dixerit Spiritum sanctum de Patre esse vere, ac proprie, sicut Filius de divina substantia, et Deum verum, anathema sit [d].

XVII. Si quis non dixerit omnia posse Spiritum

verat, ut mihi cap. 15, visum est, jam vides, quo hæc Quesnelli somnia recidant. Nam nec anathematismi illi falsi, aut suspecti videri poterunt, sed pro constanti suo in rem ecclesiasticam studio a Damaso adjecti, ut collapsam, Athanasio teste, aliisque, per Orientem in eo capite disciplinam restitueret, ac postremo hinc facile colliges, quam iniquo erga episcopum illum optime de religione meritum, sed apostolicæ sedis observantissimum, et exulcerato animo scriptor ille damnatæ memoriæ fuerit.

[a] Gelasius hoc caput recitat inter testimonia Patrum de duab. Natur. his verbis: *Si quis dixerit, quia in passione crucis dolorem pertulit Filius Dei Deus, et non caro cum anima, quam induta est servi formam, quam sibimet assumpsit, sicut Scriptura dicit, anathema sit.* Theodoretus hoc idem caput iterum repetit Dial. 3, cujus loci verba, quam quæ in Historia recitat, ad Latinum Damasi exemplum magis accedere Valesius observat, ac tertio in epist. 144, ad Milit.: Ἀκουσάτωσαν καὶ τοῦ πολυθρυλλάτου Δαμάσου τοῦ τῆς Ῥώμης ἐπισκόπου βοῶντος· εἰ τις εἴποι ὅτι ἐν τῷ σταυρῷ πόνον ὑπέμεινεν ἡ θεότης, καὶ οὐχὶ τὸ σῶμα μετὰ τῆς ψυχῆς, τοῦ δούλου μορφὴν, ἣν τελείαν ἀνέλαβεν, ἀνάθεμα ἔστω.

Vallicellanus codex, num. 18, sic videtur corrigere: *Si quis dixerit, quod in passione crucis dolorem sustinebat Filius Dei Deus, et non caro cum anima, quam induerat in forma servi, quam sibi acceperat.* Cæterum vetustus Nicæno etiam Symbolo confirmatus Christianorum sermo hic fuerat: *Deum nostri causa passum, crucifixum, mortuum:* eo etiam Patres omnes tum vivente Damaso, tum deinceps usi sunt, quos Petavius colligit de Incarn. lib. IV, cap. 15, 16. Si itaque illud hominum genus, qui nuper vexarunt, et adhuc occulte vexant Ecclesiam vixisset ætate Damasi; collectis inconditis, undequaque vocibus inclamasset, Romanum pontificem fidem destruere. Samosateni et Photini impietatem asserere, ac Nestorianæ hæresi præludere; at nec Damasus Patres illos pro hæreticis habuit, nec illi dicam dixerunt Damaso, quin potius ob eam causam laudarunt. Hinc vero intelligis, sententias quamquam catholico sensu veras, habita tamen temporum, ac eorum, a quibus proferuntur ratione, nedum posse, sed etiam proscribi ab Ecclesia oportere, *ne error, qui*, ut ait Irenæus, lib. I, in præfat., *secundum semetipsum non ostenditur, ac subdole adornatus, veriorem se ipsum præstat, rudiores decipiat exteriori phantasmate.* Arius enim et Apollinarius eo dicto abutebantur, ac divinitatem ipsam perpessioni obnoxiam blasphemaverant, prior ut Filium Patre minorem, ac creaturam esse conficeret Hilar. de Trin., lib. X, cap. 9, alter ut illud suum *Carnis et Verbi temperamentum* astrueret, ut ex Nysseno in Antirretico, aliisque frustra referendis constat.

[b] Hoc videtur haud casu dictum. Apollinarius enim *audire non poterat, quod Dominus noster Jesus pro nobis servitutem susceperit in istius corporis susceptione, quia* scilicet *Verbum et Carnem unius esse substantiæ* asserebat. Ambros., epist. 46 ad Sabin.

[c] Hunc anathematismum aliis licet verbis repetit Nazianzenus in 1 ad Cled.: *Si quis sanctum Carnem, nunc depositam esse, nudamque ac corpore vacuam Divinitatem esse, non autem cum assumpta parte, et esse, et venturam esse duxerit, præsentem illius gloriam non cernat;* atque hanc duplicem ejus promulgandi causam affert, primam scilicet *ut suspicionem amoveat*, alteram vero, *ut errorem refellat:* fuerant siquidem nonnulli inter Catholicos, qui de humanæ naturæ in melius mutatione ita sentiebant magnifice, ut hominem posita mortalitate in Deum quodammodo absorptum existimare, ac naturarum discrimen post ascensionem tollere viderentur, atque inter eos Nazianzenus ipse, ac Nyssenus, quorum dicta legi possunt apud Petav. de Incarn., lib. III, cap. 4, et lib. X, cap. 1, ac Zaccagninm in præf. ad Antirr., cap. 21. Nyssenum ab ea labe Zacragnius egregie purgat, cap. 24. Nazianzenus vero se ipsum ab ea suscipione liberat; *error* vero, cui chordam eo loco tendit, ac quem refellit, proprius Apollinarii fuerat, ac necessarium ejus hæresis consectarium, quæ duas in Christo naturas perpetuo inficiata est. Hinc ille primo Carnem Christi Domini et cœlo allatam dixit; eam deinde consubstantialem nostræ fassus etiam aliquando est, sed brutam, ac sensu vacuam. Cum primam sententiam asseruit, carnem illam peracto dispensationis mysterio in divinam, ex qua sumpta fuerat, reincidisse naturam docuit: cum alteram admisit, aut carnem illam depositam, aut in Dei conversam substantiam, nullamque ejus superfuisse figuram dixit. Hoc etiam commentum cum tota hæresi a magistro suo Apollinario Eutyches posteriori sæculo accepit. Vid. Harduin., oper. Select. de Sacram. altar., cap. 6 et 7, hæc egregie explicantem.

[d] Hunc Briennius apud Allatium contr. Hottinger., pag. 316, sic recitat: Εἴ τις μὴ εἴποι τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκ τοῦ Πατρὸς εἶναι ἀληθῶς καὶ κυρίως, ὡς καὶ τὸν Υἱὸν τοῦ Θεοῦ ἐκ τῆς θείας οὐσίας, καὶ Θεοῦ Θεὸν λόγον, ἀνάθεμα. Quod a Theodoreto accepit, nam latina exemplaria loco *Deum Verbum* habent *Deum Verum*. Hic vero, ac sequentes anathematismi tres de sancto Spiritu, oppositi sunt impiis Pneumatomachorum thesibus, qui neque ex divina substantia, neque omnia posse, aut ubique esse, neque omnia cum Filio fecisse asserebant. Hinc Eunomius in Apologetico, cap. 25, apud Fab. BB. Græc., tom. VIII: *Tertio loco colitur, quia ordine et dignitate præstat aliis Unigeniti operibus, divinitate, et creandi potestate carens, sanctificandi autem, et docendi potestate abundans.* Vid. Athanasius, tom. I, pag. 794 et 881, edit. BB. ac Basilius de Spir. sanct., cap. 16, ac sequentibus, nec non Theodoretus, seu quisquis ille sit in Dialogis adversus Macedonianos singulas eas blasphemias exsufflans in Auctario.

sanctum, omnia nosse, et ubique esse, sicut Filium et Patrem, anathema sit.

XVIII. Si quis dixerit Spiritum sanctum factum, aut per Filium factum, anathema sit.

XIX. Si quis non dixerit omnia per Filium et Spiritum sanctum Patrem, fecisse, id est visibilia, invisibilia, anathema sit.

XX. Si quis non dixerit Patris, et Filii, et Spiritus sancti unam divinitatem, potestatem, majestatem, potentiam, unam gloriam, dominationem, unum regnum, atque unam voluntatem et veritatem, anathema sit [a].

XXI. Si quis tres personas non dixerit veras Patris, et Filii, et Spiritus sancti, æquales, semper viventes, omnia continentes visibilia, et invisibilia, omnia potentes, omnia judicantes, omnia vivificantes, omnia facientes, omnia quæ sunt salvanda, salvantes, anathema sit.

XXII. Si quis non dixerit adorandum Spiritum sanctum ab omni creatura, sicut Filium, et Patrem, anathema sit [b].

XXIII. Si quis de Patre et Filio bene senserit, de Spiritu autem sancto non recte habuerit, hæreticus est: *quod* omnes hæretici de Filio Dei, et Spiritu sancto male sentientes, in perfidia Judæorum et Gentilium inveniuntur [c].

XXIV. Quod si quis patiatur, Deum Patrem dicens, et Deum Filium ejus, et Deum Spiritum sanctum, *Deos dici*, et non Deum propter unam divinitatem et potentiam, quam credimus esse, et scimus, Patris, et Filii, et Spiritus sancti: Deum, subtrahens autem Filium, aut Spiritum sanctum, ita solum existimet esse Deum Patrem, dici, aut credi unum Deum: anathema sit. Nomen namque deorum, et angelis, et sanctis omnibus a Deo est impositum, et donatum; de Patre autem, et Filio, et Spiritu sancto, propter unam æqualem divinitatem, non nomen deorum, sed Dei nobis ostenditur, atque indicatur: ut credamus, quia in Patre, et Filio, et Spiritu sancto solum baptizamur, et non in archangelorum nominibus, aut angelorum, quomodo Hæretici, aut Judæi, aut etiam Gentiles dementes faciunt. Hæc ergo est salus Christianorum, ut credentes Trinitati, id est Patri, et Filio, et Spiritui sancto, *in ea veram solamque unam divinitatem, et potentiam, majestatem, et substantiam sine dubio credamus.* Porro constat ex Basil. epist. 131 et 169, ac ex Nazianz. or. 29 et 37, Catholicos ab Arianis tritheitarum voce traductos, quod unam in Trinitate divinitatem profiterentur; ac Socrates narrat Tripart. lib. x, cap. 8, eos, ut orthodoxos vituperarent intra portas, per plateas etiam, et porticus, ac mediam civitatem cantare, et resonare solitos, *Ubi sunt qui dicunt trina virtute unum.* Hac etiam calumnia utuntur adversus recte sentientes Catholicos, recentes Ariani et Unitarii. Videatur Crellius inter epistolas Lacrozianas, tom. I, pag. 94.

Fragmenta Græcæ epistolæ quæ desunt in actis Chalcedonensis concilii.

Ἐξέκοψε δὲ καὶ τὴν Νεστορίου δυσσέβειαν. Hactenus Græcum exemplar: desunt vero, quæ nunc sequuntur. Τὸ δὲ σταλὲν σύμβολον τῶν τριῶν ἁγίων Πατέρων σῶον διὰ πάντων ἐφύλαξε μήτε μειώσει, μήτε προσθήκῃ βλαβέν· καὶ οἶδεν μὲν ἡ ἡμετέρα γαληνότης τὰ θεῖα ἡμῶν γράμματα, ἔτι μὴν καὶ τὰ διατάγματα τὰ ἐν τῇ Ἀλεξανδρέων πόλει προτεθέντα μεγαλοπόλει ἀρκεῖν εἰς τὸ πεῖσαι οὐκ οἶδ' ὅπως ἔτι καὶ νῦν ἀμφιβάλλοντας, ὅτιπερ οὐδὲν κεκαινοτόμηται τῇ ἁγιωτάτῃ Συνόδῳ καὶ καθολικῇ, καὶ μηδένα λοιπὸν ὑπολελεῖφθαι τὸν ἀμφισβητοῦντα τούτου χάριν, οὐδὲ γὰρ ἐννοήθη (sic) τινὰ τοσοῦτον εἶναι νομίζομεν ὡς ἐντυχόντα τοσούτοις δόγμασι σαφῶς οὕτως ἀπαγγέλουσι τὴν ὀρθόδοξον πίστιν, ἔτι τῇ αὐτῇ καὶ νῦν ἐπιμένειν πλάνῃ. Εἰ δὲ ἄρα τινὲς εἶεν, ὅπερ οὐκ ἡγούμεθα τὸ τῆς ἐμφύτου ὑμῖν φιλανθρωπίας, μὴ ἀκολουθοῦντες σκοπῷ, βουλόμεθα πάλιν αὐτοὺς διὰ τῶν θείων ἡμῶν γραμμάτων πεισθῆναι ἀκριβῶς, ὡς ἅπαντα τοῖς τῶν ὁσίων Πατέρων ἀκολουθήσασα διδάγματι ἡ ἁγιωτάτη καὶ καθολικὴ Σύνοδος ἐτύπωσε, καὶ τὴν μὲν Εὐτυχοῦς ἀνεῖλε δυσσέβειαν, ἡ ὁ Διόσκορος εἵπετο, καὶ ἕτεροί τινες, οἱ ῥήτὰ τὰ Ἀπολλιναρίου βιβλία ἀπαγινήσαντες ἐγκατασπεῖραι τῷ πλήθει, Προσαγορίας ἁγιωτάτων ὀρθοδόξων Πατέρων ἑαυτοῖς ἐπιγράψαντες, ὥστε τὶς τίλειον τὴν τῶν ἁπλουστέρων ἐπὶ τὸ ψεῦδος ἐξανδραποδῶσαι διάνοιαν· ἐβεβαίωσε δὲ τὸ τῶν τιη' ἁγίων Πατέρων

[a] Hujus anathematismi Aristenus meminit apud Allat. contr. Hotting., pag. 504: Ὡσαύτως ἀνεθεμάτισε τοὺς μὴ μετὰ πάσης παῤῥησίας κηρύττοντας αὐτὸ μετὰ πατρὸς καὶ υἱοῦ μιᾶς ἐξουσίας, καὶ οὐσίας ὑπάρχειν. Eunomius enim nullam Filii et Spiritus sancti cum Patre potentiæ, imperii, et essentiæ comparationem esse posse blasphemabat, quem ideo καθ' ὑπεροχὴν ἀσύγκριτον οὐσίας καὶ δυνάμεως, καὶ ἐξουσίας asseruit. Cæterum quos hoc ac sequens caput præterea respiciant, dixi cap. 18.

[b] Hic et sequens anathematismus alterum illud perstringit *Macedonianorum* genus, qui scilicet recte de Patre et Filio sentiebant, in sancto autem Spiritu a fide aberrabant, quorum haud exiguus erat numerus, ut ex Epiphanio, Theodoreto, Socrate, ac Sozomeno intelligimus, atque ex Athanasio op., t. I, p. 649. Hos etiam veluti ab alio *Macedonianorum* grege diversos, et separatos, ac *non omnino mortuos et extinctos*, blandis verbis alloquitur Nazianzenus or. 37, num. 28. At Damasus tandem eos anathematizandos ac pro hæretici habendos statuit hoc loco, et a Catholicis separat, quibus cum fœderati, et commixti fuerant, quousque Valens per Orientem imperio potitus est, ut dixi cap. 15, qui de re videri etiam potest Basil. epist. 128. Hinc illos sequenti anno, quo ad Constantinopolitanum I concilium vocati sunt, jam pro hæreticis habitos fuisse legimus apud Socr., lib. VII, cap. 7.

[c] Alii codices, *quia*, quod magis placet; sive enim de Filio, sive de Spiritu sancto prave sentias, perinde est, atque utroque casu Ethnicus, et Judæus es, quia Trinitatem negas.

[d] Postremum hoc caput obscurum et perplexum est transcriptorum incuria, aut ingenio: ego itaque tibi sisto quam ex Vallicellano codice exscripsi lectionem nitidiorem, ac meliorem, nisi correctoris manum sapiat.

Quod si quis patiatur Deum Patrem dici, et Deum Filium ejus, et Deum Spiritum sanctum, deos dici, et non Deum, propter unam divinitatem et potentiam, quam credimus esse, et scimus Patris, et Filii, et Spiritus sancti, vel qui subtrahens Filium aut Spiritum sanctum ita ut solum existimet esse Deum Patrem, dici, aut credi, anathema sit. Nam pluraliter nomen deorum in angelis et sanctis hominibus a Deo esse positum, et donatum legimus: de Patre autem, et Filio, et Spiritu sancto propter unam et æqualem divinitatem, non nomen deorum, sed Dei nobis ostenditur, atque indicatur: et idcirco in solo nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti baptizamur, et non in archangelorum nominibus et angelorum, quomodo Hæretici et Judæi aut etiam Gentiles dementes. Hæc est ergo salus Christianorum, ut credentes Trinitati, id est Patri, et Filio, et Spiritui sancto, in eam veram solamque unam divinitatem, et potentiam, majestatem, et substantiam sine dubio credamus.

EPISTOLA V.

DAMASI PAPÆ AD ACHOLIUM ET ALIOS MACEDONIÆ EPISCOPOS.

Maximi Cynici ordinatione damnata, Damasus Macedones hortatur, ut in synodo proxime Constantinopoli celebranda dignus huic civitati præficiatur episcopus; ac majorum adversus episcoporum translatione statuta serventur.

Dilectissimis Fratribus [a] Acholio Eurydico, Severo, Uranio, Philippo et Johanni Damasus [b].

Decursis litteris dilectionis vestræ, fratres charissimi, satis sum contristatus [c]; eo tempore, quo Deo præstante hæretici iverant abjecti [d], nescio quos ex Ægypto venientes [e] in postulatione contra regulam ecclesiasticæ disciplinæ alienum a nostra professione in Constantinopolitana civitate Cynicum ad sacerdotium vocare voluisse. Qui igitur is fuerit ardor animi, quam fœda præsumptio, scire non possumus. Hinc apparet, inquietos homines, cum multa præsumunt, quid agere debeant ignorare. Non legerant Apostolum scribentem: *Vir autem si comam nutriat, ignominia est illi.* Nesciebant philosophorum habitum non convenire [f] incessui christiano. Non audierant monentem Apostolum, ne per philosophiam et inanem seductionem, quam diu crediderant, spoliarentur sanæ fidei indumento. Quanta igitur hæc festinatio fuerit nescio, ut cum Christianis hic habitus displiceret, tam insolenter totum quod non decuerat ageretur? Sed quid aliud facere debuit improbitas hominum levissimorum, quam ut expulsi [g] Ecclesia, intra [h] parietes alienos [i] ambientem, quantum intelligi datur, inquietum hominem ordinarent? Sed hæc inimici intelliguntur esse commenta, qui hæreticis subministrat materiam detrahendi. Impletum est, quod Evangelicus sermo dixerat: *Omnis*, inquit, *plantatio, quod non plantaverit pater meus cœlestis, eradicabitur.* Hoc est, quod sæpe dilectionem vestram commonui, ne fieret aliquid inconsiderate. Nescit sinceritas vestra, quod in sæcularibus bellis ibi major cura militum excubat, ubi hostis insisti? Si ergo nobis episcopalibus armis semper est resistendum, debemus sollicite agere, ne, quod Deus prohibeat, gregem Christi lupis rapacibus relinquamus. Philosophia sapientiæ sæcularis amica, est inimica fidei, venenum quoddam spei, bellum gravissimum charitatis. Qui ergo consensus templo Dei, et idolis? Quæ participatio Christo, et Belial?

τῶν ἐν Νικαίᾳ συνελθόντων σεπτὸν σύμβολον μηδὲν μήτε ὀφελοῦσα, μήτε προσθεῖσα. καθὸ βαπτισθεῖσα. καὶ πιστεύσασα ἡ ἡμετέρα γαληνότης ἐκ νέας ἡλικίας φρονεῖ. Καὶ ἐν αὐτῷ διαμένειν εὔχεται, πιστεύουσα τὸν Δεσπότην ἡμῶν καὶ Σωτῆρα Χριστὸν, τὸν Υἱὸν τοῦ Θεοῦ τὸν μονογενῆ. τὸν συναΐδιον καὶ ὁμοούσιον τῷ Πατρὶ, δι' ἡμᾶς, καὶ διὰ τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν, ἐνηνθρωπηκέναι γεγηθέντα ἐκ Πνεύματος ἁγίου καὶ Μαρίας τῆς θεοτόκου παρθένου, εἶναί τε Θεὸν καὶ ἄνθρωπον ἀληθῶς τὸν αὐτὸν, οὐκ ἄλλον καὶ ἄλλον, μὴ γένοιτο, ἀλλ' ἕνα καὶ τὸν αὐτὸν οὐδενὶ τρόπῳ μεριζόμενον ἢ χωριζόμενον ἢ τρεπόμενον. Τοὺς δὲ λέγοντας ἢ εἰπόντας δύο Υἱούς, ἢ δύο πρόσωπα καὶ ἡμεῖς ὡς θεομάχους βδελυσσόμεθα καὶ ἀναθεματίζομεν. Ταῦτα τοίνυν καὶ αὐτοὶ καταμαθόντες, εἴ τινες ἄρα εἶεν ἐν ὑμῖν ἔτι τῷ ψεύδει κατεπιμένοντες, πρὸς τὴν ἀλήθειαν ἐπαναδραμεῖν σπουδάσατε. τῶν ἀθεμίτων ἑαυτοὺς ἀφιστῶντες παρασυνάξεων. ὥστε μὴ πρὸς τὸ τὰς ψυχὰς ὑμῶν ἀπολέσαι, καὶ τοῖς ἀπὸ τῶν νόμων ἐπιτιμίοις ὑπαχθῆναι. Ἑνωτίσατε δὲ ἅπαντες ἑαυτοὺς τοῖς τῆς ἁγιωτάτης καὶ καθολικῆς Ἐκκλησίας τῶν ὀρθοδόξων, ἥτις μία ὑπάρχει, καθ' ὃ καὶ οἱ εὐαγεῖς ὅροι τῶν ἁγίων Πατέρων ἡμᾶς διδάσκουσι. Τοῦτο γὰρ ποιοῦντες τῇ μὲν ἑαυτῶν ψυχῇ χαρίεσθε σωτηρίαν. τῷ δὲ τῶν ὅλων Δεσπότῃ Θεῷ τὰ ἀρίσκοντα πράξετε. καὶ τῇ ἡμετέρᾳ ἑαυτοὺς παρατιθέμενοι γαληνότητι τῆς παρ' αὐτοῦ ἀπολαύσετε κηδεμονίας. Διὰ τοῦτο καὶ Ἰωάννην, τὸν λαμπρότατον Δεκουρίωνα ἐκλεξάμενοι ἀπεστείλαμεν, δυνάμενον ἀκριβῶς τὰ περὶ τῆς ἁγίας πίστεως παραστῆσαι. Καὶ γὰρ τῇ τῶν ὁσίων Ἐπισκόπων οἰκουμενικῇ καὶ καθολικῇ Συνόδῳ παρῆν, καὶ πάντα τὰ παρακολουθήσαντα σαφῶς ἐπίσταται. Ὥστε διὰ πάντων πληροφορηθέντας τοὺς ἔτι, ὅπερ οὐχ ὑπολαμβάνομεν, ἐνδιάζοντας. ὀψέ ποτε πρὸς τὴν ἀληθῆ καὶ ἀμώμητον πίστιν ἐπανελθεῖν.

Ἀντίτυπον θείων γραμμάτων πεμφθέντων παρὰ τοῦ αὐτοῦ Μακαρίῳ Ἐπισκόπῳ καὶ Ἀρχιμανδρίτῃ καὶ λοιποῖς ἐν τῷ ἁγίῳ ὄρει Σινᾷ εὐλαβεστάτοις Μοναχοῖς.

Οἷα κατὰ τῆς εὐαγοῦς θρησκείας καὶ τῆς ῥωμαϊκῆς πολιτείας ἐπικινδύνως νεωτερίζων Θεοδόσιος, οὐ ταῖς πράξεσιν ἐὰν εὕροι τις τιμωρίαν, ἐάλω. οὐδένα μὲν λέληθε πάντων τε καὶ τὴν ὑμετέραν εὐλάβειαν τὸ μέγεθος τῶν παρ' αὐτοῦ πλημμελημάτων. οὗτος γὰρ ἐληλυθὼς προλαβών, καθὼς οἱ θεῖοι παραγορεύουσι γραφαὶ, τὸν τοῦ Ἀντιχρίστου προσδοκώμενον παρουσίαν, τὸ δὲ ἀληθέστερον εἰπεῖν, παρ' ἐκείνου πεμφθεὶς πολεμῆσαι τῇ ἁγίᾳ καὶ ὀρθοδόξῳ πίστει, etc.

---

[a] Eos episcopus Basnagius ann. 380, num. 4, Ægyptios fuisse censuit: quod prorsus ridiculum, quid enim Acholio cum Ægyptiis? At Ambrosius ex illis aliquot, ni fallor, memorat in epistola ad Anisium Acholii successorem. Vid. cap. 17.

[b] Hæc et sequens epistola Damasi esse videntur ex earum numero, quas multas ad varios scripsisse Damasum Nicolaus I, epist. 8, testatur, quibus allaborabat, ut Maximus Constantinopoli expelleretur. Has epistolas periisse dolebat Baron. ann. 380, num. 5 (*Holsten.*). Basnagii temeritatem quis igitur non miretur Nicolaum de mendacio postulantis?

[c] Hinc facile tempus colligas, quo Maximus illegitime ordinatus, ac scripta hæc epistola fuit. Neque enim ante Martium mensem, *Gratiano et Theodosio coss.*, cum scilicet promulgata ab eo est lex. *Cunctos populos*, de fid. cath. quæ illos *ἀτίμους* esse jussit, hæretici *abjecti* videri, ac dici poterant.

[d] Eos Nazianzenus a Petro Alexandrino submissos asserit, cui Damasus hoc loco parcit. Videtur vero Alexandrinus præsul consecrationem Constantinopolitani ad se pertinere existimasse. Eam profecto sibi vindicabat Theophilus, ac Dioscorus aliquando obtinuit Anatolio consecrato.

[e] Constantius ex conjectura corrigit *sine postulatione*. Nazianzenus huic favet, qui *detensum canem, in sede locatum ait, antequam gregi ac primoribus Ecclesiæ hoc indicassent.*

[f] Assumpto ad imperium Joviano, philosophos pallium deposuisse, ac vulgarem habitum sumpsisse scribit Socrat., lib. III, cap. 23.

[g] Nazianzenus: *Magistratum statim, multi exteique confluunt etiam nothi,*

Ob hoc fuerant nam scelus cuncti.

Quid multa? referunt illico e templo pedem illud dolentes maxime cœpta irrita cessisse.

[h] Nazianzenus: *In choraulæ sordidam ingressi domum: ac quosdam habentes fœce de vulgi infimi, canem resecta præsulem signant coma.* Pseudo-Italici concilii epistola, *intra privatas ædes* Maximum *ab Ordinatoribus secretum* ait, quia Ariani basilicas tenerent.

[i] Nazianzenus: *Haud vi, nec ligatum, nam canis ad summa quæque promptus et fervens erat.*

Sed fortasse dicturi sunt aliqui : Christianus erat. Huic homini, qui in habitu [a] idoli incedit, numquam adscribendum nomen est Christiani : quia fieri non potest, ut qui hinc placere gentibus desiderat, ullum nobiscum consortium integræ fidei possit habere. Non immerito autem, qui ex Ægypto venerant, notati ab omnibus [b] discesserunt, errorem suum condemnantes : ut amputatis ejus postea capillis, qui non recte fuerat ordinatus, et jacturam capitis sustineret, et quod ambierat esse non possit. Recte igitur factum est, ut id quod male cœptum erat, auctoritate [c] publica destrueretur.

De cætero commoneo sanctitatem vestram, ut quia

[a] Maximum intelligit philosophum Cynicum palliatum, et pallium vocat habitum idoli, forte quod dii gentium eo habitu pingerentur (*Holst.*). Cur Maximum in habitu idoli incedentem Damasus ait, hæc una est ratio, quia *Cynicus* fuerat. Eorum enim hominum genus aliud gestabat nihil, præter τριβώνιον, seu tritum palliolum, ac interulam tunicam, unde seminudi fere ; comam præterea alebant, et barbam, quo habitu Hercules pingebatur, quem sibi patronum Cynici elegerant, ac imitandum proposuerant. Hoc ex Luciani Cynico discimus sic suam agente causam : *Ut autem de habitu discas, quam illum non modo bonos, sed ipsos etiam deos decentem tu deinde derideas, simulacra deorum aspice utrum similiora videantur vobisne, an mihi : neque Græcorum modo, sed barbarorum etiam templa conveniens dispice, utrum capillati sint dii, et barbati, veluti ego, an sicut vos tonsi fingantur, pinganturque : verum etiam sine tunica plerosque utique videbis.* Cap. 20, tom. III, Amstel. edit. Hinc de Diogene Ausonius :

Inventor primus Cynices Ego. Quæ ratio isthæc :
Alci les multo ulcitur esse prior.
Alcida quondam fueram doctore secundus;
Nunc ego sum Cynices primus, et ille Deus.

Quæ est ratio, cur Nazianzenus eum laudet, or. 25, num. 3, quod in *alieno habitu nostra profiteretur*.

[b] Constantius Damasum agere hoc loco putat de discessu ab Ecclesia, ubi prior comediæ pars acta fuit, ac de accessu ad choraulæ domum, ubi deinde ordinato Maximo confecta est : ac suum ordinatores episcopos *errorem condemnasse* ait, quod illum intonsum dimiserant in Ecclesia, nec incœptum facinus ad finem perduxerant. At quis error in iis fuit, si populi confluxus vetuit, ne quod incœperant, perficere possent? Errorem itaque qui iis displicuit in eo collocandus, quod ausu temerario Ægyptii aliud nihil consecuti fuerant, quam ut cynicus, et coma ut Damasus ait, et spe frustratus esset, atque ut ii ab omnibus *notati* discederent a regia urbe : Nam, *ob patratum scelus tantus dolor invasit Urbem, nemo ut tunc foret qui non fureret* : eodem, quo Damasus, sarcasmo Gregorius utitur.

Subiitque Cinnos Sertio cultos diu;
Manuum laborem non brevem solvens brevi;
Ut factus autem pastor est canis improbus,
Ex opilione fit canis rursus (o grave
Probrum) canisque solus, et pulchro carens
Jam crine sacrum nec tamen moderans gregem.

[c] Imperatoris scilicet tunc Thessalonicæ positi, a quo

Rursum pulsus, ut fœdus canis.

[d] Socrates, lib. v, cap. 8, ac Sozomenus, lib. vii, hoc concilium a Theodosio convocatum scribunt, po tquam Victor regiam urbem ingressus est, anno scilicet 380 exeunte; Theodoretus vero, lib. v, c. 6, statim ac imperium consecutus est. Hoc profecto magis videtur consentaneum veritati : neque enim tot episcopi ineunte anno illo convocati, in Martio adesse

A cognovi [d] dispositum esse Constantinopoli concilium fieri debere [e], sinceritas vestra det operam, quemmadmodum prædictæ civitatis episcopus eligatur, qui nullam habeat reprehensionem : ut Deo propitio cum integra [f] pax catholicorum sacerdotum fuerit confirmata, nullæ deinceps dissensiones in Ecclesia oriantur : ut præstante Deo, quod jam dudum optavimus, cum Catholicis sacerdotibus possit pax perpetua perdurare.

Illud præterea commoneo dilectionem vestram [g], ne patiamini aliquem contra statuta majorum nostrorum de civitate alia ad aliam transduci, et deserere plebem sibi commissam : et ad alium populum per am-

B Constantinopolim poterant, aut Damasus hæc scriberet, si non fuisset diu antea de futuro concilio certior factus.

[e] Ad hoc concilium episcopos duntaxat Orientales a Theodosio convocatos ait Theodoretus, lib. vii, c. 6 et 7. Cum itaque Acholius, cæterique sub eo episcopi Occidentalibus accenserentur, qui fieri potuit, ut Damasus illos ita moneat, quibus nullæ in ea lectione videbantur futuræ partes? Quid mihi visum fit, dixi cap. 17. Verum cum Acholius, cæterique Macedones episcopi præsentes in eo fuerint, non improbo Papæbrochii opinionem existimantis illum pro singulari sua sanctitate, ut cum suis adesset, præmature a Theodosio monitum; sero autem accessisse, ut Damasi, qui ea de re scripserat, mandata exspectaret. Baronius e contra illum post obitum Meletii vocatum putat, tunc scilicet, cum exorta de Antiocheno episcopatu contentio Orientales ipsos inter se distraxisset, atque in eam etiam sententiam Tillemontius, in Gregor. Nazianz., not. 43 propendet veluti Gregorii ipsius testimonio confirmatam hæc scri-

C bentis.

Ἴλιθον, ἧθον ἐξαίνης καλαμάνοι
ὡς δέ τι συνοίσοντες αἰρήσῃς σταυῷ
Αἰγύπτιοί τε, καὶ Μακεδόνες.

Verum obscurum est, ut Nazianzenus eo loco Macedones ex *improviso vocatos*, an vero *ex improviso venisse* velit, ac præter jam expectationem : hoc vero probabilius; siquidem tempus non patitur, ut Macedones, ac Ægyptii episcopi, si vocati post obitum Meletii fuerant, ac contentione inter Paulinum et Flavianum fervente, adesse ante ejusdem Gregorii dimissionem potuerint.

[f] Quo hæc tendant dixi cap. 17.

[g] Translationem episcoporum Nicæni concilii canone vetitam Romana quoque Ecclesia valde improbavit, nisi necessitas cogeret, aut magna, et evidentissima utilitas suaderet. Unde Nicephorus Callixtus, et alii, qui exempla ejus anxie congesserunt, unicum Perigenem Romano episcopo probante translatum in Occidente reperiunt. In Oriente quoque id

D ægre permittebant Romani pontifices nisi ex causis gravissimis. Græci minus hac in re fuere religiosi, ut exempla a Nicephoro conquisita ostendunt (*Holsten.*). Non itaque hic locus adversus Gregorium scriptus, ut Baluzius aliique suspicantur, sed adversus arbitrarias illas per Orientem de Ecclesia ad Ecclesiam migrationes, et ad promovendam ejus canonis observantiam. Cæterum si Gregorius nulli Ecclesiæ ut sæpe de se asserit, addictus, et alligatus unquam fuerat, a Damaso perstringi non potuit. Hoc tamen monito Macedones, et Ægyptii episcopi, cum ad concilium accesserunt, usi sunt, ut ejusdem Gregorii inthronizationem improbarent, sed ut ille ait : *Odio quidem non tam mei, vel ut in throno alium loca ent, quam dolorem ut inurerent aliquem his, throno qui fixerant me in præsulis; saltem remotis hoc mihi interdum arbitris ipsi asserebant.* De Vit. sua Ver. 155 et seq.

bitionem transire. Tunc enim contentiones oriuntur, tunc schismata graviora accipiunt; cum et illi qui amiserint sacerdotem, sine dolore animi esse non possunt, et illi qui alterius civitatis acceperint episcopum, etiamsi gaudeant, invidiosum sibi intelligunt fore, sub alieno se agere sacerdote.

EPISTOLA VI.

DAMASI PAPÆ AD ACHOLIUM THESSALONICENSEM EPISCOPUM.

Rusticus Gratiani [a] *Silentiarius commendatur, et confirmatur quod de Maximi ordinatione deque altero eligendo superiori epistola mandatur.*

Dilectissimo fratri Acholio Damasus.

Ad meritum filii mei Rustici addi aliquid amplius non potest, domine frater honorabilis. Hic enim cum

A habeat prærogativam officii sui, quod Silentiarius sit filii nostri Gratiani augusti, huc accedit, quod gratiam [b] Dei Romæ consecutus est, ita ut vellet munitus ad illas partes missus venire. Hinc ergo in omnibus honorificentiæ tuæ commodo, quasi proprium pignus suscipere digneris: ut Deo propitio in peregrinatione constitutus intelligat se a consacerdotibus Dei et diligi et honorari.

[c] Ad litteras sanctitatis tuæ plene rescripsi, non mihi placuisse quod nescio quem Maximum ex Ægypto venientes comatum, vel maxime cujus habitus, juxta Apostolum, ignominiosus esset, Constantinopoli episcopum ordinare voluissent. Rectius igitur fecerit sanctitas tua, si dederit operam ut de cætero catholicus constituatur, cum quo nobis, Deo propitio,

B possit pax perpetua perdurare.

EPISTOLA VII.

EPISCOPIS ORIENTEM REGENTIBUS DAMASUS.

Ὅτι τῇ Ἀποστολικῇ καθέδρᾳ τὴν ὀφειλομένην αἰδῶ ἡ ἀγάπη ὑμῶν ἀπονέμει, ἑαυτοῖς τὸ πλεῖστον παρέχετε, υἱοὶ τιμιώτατοι. Καὶ γὰρ εἰ τὰ μάλιστα ἐν τῇ ἁγίᾳ ἐκκλησίᾳ, ἐν ᾗ ὁ ἅγιος Ἀπόστολος καθιζόμενος ἐδίδαξε πῶς προσήκει ἡμᾶς τοὺς οἴακας ἰθύνειν, οὓς ἀνεδεξάμεθα, ὅμως ὁμολογοῦμεν ἑαυτοὺς ἐλάττονας εἶναι τῆς τιμῆς. Ἀλλὰ διὰ τοῦτο οἴῳ δή ποτε τρόπῳ σπουδάζομεν, εἴ πως δυνηθείημεν πρὸς τὴν δόξαν τῆς μακαριότητος σὺτοῦ παραγενέσθαι. Γινώσκετε τοίνυν ὅτι τὸν πάλαι Τιμόθεον τὸν βέβηλον, τὸν μαθητὴν Ἀπολλιναρίου τοῦ αἱρετικοῦ, μετὰ τοῦ ἀσεβοῦς αὐτοῦ δόγματος καθείλομεν· καὶ οὐδαμῶς πιστεύομεν αὐτοῦ τὰ λείψανα λόγῳ τοῦ λοιποῦ ἰσχύειν. Εἰ δ' ἔτι ἐκεῖνος ὁ ὄφις ὁ παλαιὸς, ἅπαξ καὶ δεύτερον καταδηχθεὶς πρὸς ἰδίαν τιμωρίαν ἀναζῇ, ὅστις ἐκτὸς τῆς ἐκκλησίας ὑπάρχει, ὃς σφῆλαι τοῖς ἑαυτοῦ θανατηφόροις φαρμάκοις τινὰς πίστους διαπειράζων οὐ παύεται, ταύτην ὥσπερ φθορὰν τινα ἐκκλίνατε, ὅμως μεμνημένοι τῆς ἀποστολικῆς πίστεως, ταύτης μάλιστα ἥτις ἐν Νικαίᾳ παρὰ τῶν πατέρων ἐγγράφως ἐξετέθη, βεβαίῳ βαθμῷ ἰσχυρῷ τῇ πίστει ἀμεταχίνητοι διαμείνατε, καὶ μὴ ματαιολογίας καὶ ἠφανισμένας ζητήσεις, μετὰ τοῦτο

Quod vestra charitas debitam sedi apostolicæ reverentiam tribuit, filii honoratissimi [d], vobis ipsis quoque maximo sane honori est. Nam tametsi sancta Ecclesia, in qua sanctus Apostolus sedens nos docuit quo pacto illius gubernacula, quæ suscepimus, tractanda sint, nobis [e] primæ partes deferuntur: tamen confitemur, nos illo dignitatis gradu longe inferiores esse. Verum ob hanc causam omnibus modis laboramus, uti ad gloriam beatitudinis ejus, si qua ratione possimus, tandem aliquando perveniamus. Sciatis velim, fratres, nos Timotheum illum profanum, Apollinaris hæretici discipulum, cum impio suo dogmate jampridem abdicasse; et ob eam causa credimus, reliquias ejus nihil in posterum momenti habituras. Quod si antiquus ille serpens, semel atque iterum ictus, ad suam ipsius pœnam augendam revixerit, et extra Ecclesiam ejectus, nonnullos etiamnum fideles suis mortiferis venenis, quibus eos tentare aggreditur, ad exitium trahere non cesset, vos hanc ejus astutiam velut pestem quamdam declinate, et recordamini sedulo tum fidei ab apostolis

C

D

[a] Qui ad vela excubabant, cum imperatores jus dicerent, aut legatos audirent. De horum officio est titulus in Cod. Theod.

[b] Baptismum scilicet, qua de re plura Holstenius in notis, ac ex antiquis inscriptionibus vir. clar. P. Eduardus Corsinus ad not. Græcorum erudite illustratas dissert. 2.

[c] Aliis etiam episcopis Damasus scripserat, ut vidimus: at hoc loco uni se Acholio scripsisse ait, quod is erat per Illyricum eorum caput.

[d] Quisquis hanc Damasi synodicam in Græcum sermonem transtulit, hoc loco lapsus mihi videtur, cum in vitiosum codicem incidisset; scripserat enim procul dubio Damasus: *Nobis plurimum tribuitis*, ut sensus, et orationis series postulat, ipse vero legit *Vobis* absque ullo sensu (*Valesius*). Ejus emendationem, ea quæ sequuntur, mihi profecto approbant et commendant. Hanc Damaso sententiam surripuit, et in fundum suum transtulit pseudo-Anacletus epist. 2, ex interpretatione Trip. Hist., cap. 15, lib. IX.

[e] Sic eam vocem τὰ μάλιστα Sigonius de Occid. Imp. ad ann. 382, num. 112, Mediol. edit., Latine reddit feliciter, et recte ut mihi videtur. Epiphanius et Christophorsonus ejus interpretationem omittunt, ac si nulla esset illius *dictionis* hoc loco vis. Sirmundus vero: *Etenim ut maxime in sancta Ecclesia, in qua sedens sanctus apostolus, docuit quomodo nobis tractanda sint gubernacula, quæ suscepimus*: Valesius denique, cujus versionem Constantius sequitur: *Et si enim maxime in sancta Ecclesia in qua sanctus apostolus sedens docuit, decet nos quodammodo clavum tenere, quem regendum suscepimus*, etc.; sed uterque inconcinne, ni fallor, et procul a vero sensu. Quid igitur, si post τὰ μάλιστα subandias ἔστιν? Hoc si feceris, illud τὰ μάλιστα aliud nihil exprimet, ni fallor, quam quod est τὸ πάντων μέγιστον, καὶ κυριώτατον; ac Sigonium et Sarazanium veram Damasi mentem, ac sententiam expressisse dixeris, quam Veneta conciliorum collectio retinuit. Exemplum legas apud Plutarch. de Puer. Inst., par. II. § 15, πάντων δὲ μάλιστα τὴν μνημὴν τῶν παίδων ἀσκεῖν, καὶ συνεθίζειν. Sic apud Euseb. Hist. Eccl. οἱ μάλιστα τῇ καθόλου κρατοῦντες, Imperatores: cum Sarazanio itaque Sigonii interpretationem retinui. In reliquis vid. cap. 23.

traditæ, tum hujus vel maxime quæ est a sanctis Patribus in concilio Nicæno scriptis prodita : inque ea gradum firme defigentes, immobiles perstate : et ne posthac sustinete, ut vel clerici vestri, vel laici inanes sermones, quæstionesque obscuras audiant. Jam non semel formulam edidimus, ut qui se christianum profiteatur, illud teneat, quod ab apostolis traditum est; quippe divinitus Paulus sic loquitur : Si quis vobis evangelizaverit præter id quod accepistis, anathema sit. Nam Christus Filius Dei, Dominus noster, generi humano per passionem suam plenissimam salutem reddidit, ut totum hominem peccatis implicatum ab omni peccato liberaret. Hunc si quis aut imperfectam humanitatem, aut imperfectam divinitatem habuisse dixerit, spiritu diaboli completus, se filium gehennæ ostendit. Itaque quid est, cur abdicationem Timothei a me rursus requiratis, qui etiam hic judicio sedis apostolicæ, Petro quoque episcopo Alexandriæ præsente, abdicatus est una cum magistro suo Apollinare, qui item in die judicii debitas pœnas et supplicia persolvet. Quod si ille, qui veram spem in Christum una cum fidei confessione mutarit, velut spem quamdam salutis retinens, alios quosdam, qui sunt leviores, ad suam perducat sententiam; sciant illi, se propterea cum eo similiter perituros, quod animum aliquando induxerint Ecclesiæ canoni repugnare. Deus vos, filii honoratissimi, servet incolumes.

A ὑπομείνατε ἀκούειν τοῦς κληρικοὺς ἢ τοὺς λαϊκοὺς ἡμῶν. ἤδη γὰρ ἅπαξ τύπον ἐδώκαμεν, ἵνα ὁ γινώσκων ἑαυτὸν χριστιανὸν ἐκεῖνο φυλάττοι ὅπερ παρὰ τῶν ἀποστόλων παρεδόθη, λέγοντος τοῦ ἁγίου Παύλου. Εἴ τις ὑμᾶς εὐαγγελίζεται παρ' ὃ παρελάβετε, ἀνάθεμα ἔστω. Ὁ γὰρ Χριστὸς ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ, ὁ κύριος ἡμῶν, τῷ γένει τῶν ἀνθρώπων διὰ τοῦ ἰδίου πάθους πληρεστάτην ἀπέδωκε τὴν σωτηρίαν, ἵνα ὅλον τὸν ἄνθρωπον ταῖς ἁμαρτίαις ἐνεχόμενον, πάσης ἁμαρτίας ἐλευθερώσῃ. Τοῦτον εἴ τις ἢτοι ἀνθρωπότητος ἢ θεότητος ἧττον ἰσχυκέναι εἴποι, πνεύματος διαβόλου πεπληρωμένος, τῆς γεέννης υἱὸν ἑαυτὸν ἀποδείκνυσι. Τί τοίνυν πάλιν παρ' ἐμοῦ ζητεῖτε τὴν καθαίρεσιν Τιμοθέου, ὃς καὶ ἐνταῦθα κρίσει τῆς Ἀποστολικῆς καθέδρας, παόντος καὶ Πέτρου τοῦ Ἐπισκόπου τῆς Ἀλεξανδρέων πόλεως καθηρέθη, ἅμα τῷ διδασκάλῳ αὐτοῦ Ἀπολιναρίῳ, καὶ ἐν ἡμέρᾳ τῆς κρίσεως τὰς ὀφειλομένας τιμωρίας καὶ βασάνους ὑπομένει. Εἰ δέ τινας κουφοτέρους πείθει ἐκεῖνος ὥς τινα ἐλπίδα ἔχων, ὅστις τὴν ἀληθῆ ἐλπίδα τὴν εἰς Χριστὸν τῇ ὁμολογίᾳ μετέβαλε, μετὰ τούτου ὁμοίως ἀπολεῖται ὅστις δήποτε βούληται τῷ κανόνι τῆς Ἐκκλησίας ἀντιπαλαῖσαι. Ὁ Θεὸς ὑμᾶς ὑγιαίνοντας διαφυλάττοι, υἱοὶ τιμιώτατοι.

EPISTOLA VIII.

DAMASI PAPÆ AD HIERONYMUM.

Quid apud Hebræos sonet Hosanna, *perspicue sibi explicari rogat.*

Dilectissimo filio Hieronymo Damasus episcopus in Domino salutem.

Commentaria cum legerem Græco Latinoque sermone in Evangeliorum interpretatione a nostris, id est [a] orthodoxis viris, olim ac nuper scripta de eo quod legitur : *Hosanna filio David;* non solum diversa, sed etiam contraria sibimet proferunt. Dilectionis tuæ est, ut ardenti illo strenuitatis ingenio, abscisis opinionibus, ambiguitatibusque supplosis, quid se habeat apud Hebræos, vivo sensu scribas ut et de hoc sicut et de multis, tibi curæ nostræ in Christo Jesu gratias referant.

B

EPISTOLA IX.

DAMASI PAPÆ AD HIERONYMUM.

Quanta aviditate Hieronymi scripta lectitet. Cur non pari studio legat [b] *Lactantii libros. Ut subjectas quæstiones sibi Hieronymus paucis solvat.*

Dilectissimo filio Hieronymo Damasus.

Dormientem te, et longo jam tempore legentem potius, quam scribentem, quæstiunculis ad te missis excitare disposui : non quo et legere non debeas; hoc enim veluti quotidiano cibo alitur et pinguescit oratio : sed quod lectionis fructus sit iste, si scribas. Itaque quoniam et [c] heri tabellario ad me remisso, nullas te jam epistolas habere dixisti, exceptis his, quas aliquando in heremo dictaveras, quasque tota aviditate legi atque descripsi; et ultro pollicitus es te furtivis noctium operis aliquas, si vellem, posse dictare; libenter accipio ab offerente, quod rogare volueram, etiam si negasses. Neque vero ullam puto diguiorem disputationis nostræ confabulationem fore, quam si de Scripturis sermocinemur inter nos; id est, ut ego interrogem, tu respondeas. Qua vita nihil puto in hac luce jucundius; quo animæ pabulo omnia mella superantur. *Quam dulcia*, inquit Propheta, *gutturi meo eloquia tua, super mel ori meo.* Nam cum idcirco, ut ait præcipuus orator, homines a bestiis differamus, quod loqui possumus : qua laude dignus est, qui in ea re cæteros superat, in qua homines bestias antecellunt?

C

D

Accingere igitur, et mihi quæ subjecta sunt dissere, servans utrobique moderamen, ut nec proposita solutionem desiderent, nec epistola brevitatem.

[a] Non deerant Damasi temporibus scripta hæreticorum, qui doctrina ingenioque abusi fuerant; at maluit ille ab eorum lectione cavere, secus ac nos, qui tam longe ab ejus sanctitate distamus, ac quibus mirifice sapiunt non hæreticorum tantum, sed ea ipsa impiissimorum hominum scripta, quibus christiana religio ludibrio est, atque in iis legendis, ac laudandis eruditionis gloriolam captamus, quamquam cum pietatis ac fidei jactura conjunctam.

[b] De hoc Damasi loco exspectamus quæ disseret vir cl. P. Edovardus a S. Francisco Xaverio, a quo novam, atque omnium Lactantii operum accuratissimam editionem adornatam jam, ac mirifice illustratam *scimus*.

[c] Baronius cum in animum suum induxisset epistolam hanc ab Hieronymo Hierosolymis acceptam fuisse, hinc legendum existimavit, quoniam *Etherio Tabellario*, quod et Marianus arripuit. Veram lectionem veterum codicum consensu acceptam non mutandam esse, et quæ in superiori monito asseruimus

Fateor quippe tibi, eos quos mihi jam pridem Lactantii dederas libros, ideo non libenter lego, quia et plurimæ epistolæ hujus usque ad mille spatia versuum tenduntur, et raro de nostro dogmate disputant: quo fit, ut et legenti fastidium generet longitudo; et si qua brevia sunt, scholasticis magis sint apta, quam nobis, de metris, et regionum situ et philosophis disputantia.

I. Quid sibi vult quod in Genesi scriptum est: *Omnis qui occiderit Cain, septem vindictas exsolvet?*

II. Si omnia Deus fecit bona valde, quare Noe de mundis et immundis animalibus præcepit, cum immundum nihil bonum esse possit? et in Novo Testamento, post visionem, quæ Petro fuerat ostensa dicenti: *Absit Domine a me, quoniam commune et immundum numquam introivit in os meum*, vox de cœlo responderit: *Quod Deus mundavit, tu commune ne dixeris?*

III. Cur Deus loquitur ad Abraham, quod quarta progenie filii Israel essent de Ægypto reversuri, et postea Moyses scribit: *Quinta autem progenie exierunt filii Israel de terra Ægypti?* quod utique nisi exponatur, videtur esse contrarium.

IV. Cur Abraham fidei suæ signum in circumcisione suscepit?

V. Cur Isaac, vir justus et Deo charus, non illi cui voluit, sed cui noluit deceptus errore benedixit?

DE EXPLANATIONE FIDEI. [a]

Ex concilio urbis Romæ sub Damaso papa.

Dictum est: Prius agendum est de Spiritu septiformi, qui in Christo requiescit. Spiritus sapientiæ: *Christus Dei virtus et Dei sapientia.* Spiritus intellectus: *Intellectum dabo tibi, et instruam te in via, qua ingredieris.* Spiritus consilii: *et vocabitur nomen ejus magni consilii angelus.* Spiritus virtutis, ut supra dictum est: *Christus Dei virtus et Dei sapientia.* Spiritus scientiæ, propter eminentiam scientiæ Jesu Christi, ut ait Apostolus. Spiritus veritatis: *Ego vita, et veritas.* Spiritus timoris: *Initium sapientiæ timor Domini.*

Multiformis autem nominum Christi dispensatio est. Dominus, quia Christus; Verbum, quia Dei Filius, quia unigenitus ex Patre; homo, quia natus ex Virgine; sacerdos, quia se obtulit holocaustum; pastor quia custos; vermis, quia resurrexit; mons, quia fortis; via, quia rectus per ipsum ingressus in vitam; agnus, quia passus; lapis angularis, quia instructio; magister, quia ostensor vitæ; sol, quia illuminator; verus, quia a Patre; vita, quia creator; panis, quia caro; Samaritanus, quia custos et misericors; Christus, quia unctus; Jesus, quia salvator; Deus, quia ex Deo; angelus, quia nuntius; sponsus, quia mediator; vitis, quia sanguine ejus redempti sumus; leo, quia rex; petra, quia firmamentum; flos, quia electus; propheta, quia futura revelat. Spiritus enim sanctus non est Patris tantummodo, aut Filii tantummodo Spiritus; sed Patris et Filii Spiritus: scriptum est enim: *Si quis dilexerit mundum, non est spiritus Patris in illo.* Item scriptum est: *qui autem spiritum Christi non habet, hic non est ejus.* Nominato itaque Patre et Filio, intelligitur Spiritus sanctus: de quo ipse Filius in Evangelio dicit: quia *Spiritus sanctus a Patre procedit;* et *de meo accipiet et annuntiabit vobis* [b].

Ex Baronio ad ann. 382, *num.* 19.

Post has omnes propheticas, et evangelicas, et apostolicas, quas superius deprompsimus Scripturas, quibus Ecclesia catholica per gratiam Dei fundata est, etiam intimandum putavimus, quod quamvis per orbem catholicæ diffusæ Ecclesiæ, quasi unus thalamus Christi sit, sancta tamen Romana Ecclesia nonnullis [c] synodicis constitutis, cæteris Ecclesiis prælata est: sed et evangelica voce Domini Salvatoris nostri primatum obtinuit [d]: *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam; et tibi dabo claves regni cœlorum; et quæcumque ligaveris super terram, erunt ligata et in cœlo: et quæcumque solveris super terram, erunt soluta et in cœlo.* Addita [e] etiam est societas beatissimi Pauli apostoli, vasis electionis, qui non diverso [f], sicuti hæretici garriunt, sed uno tempore, uno, eodemque die, gloriosa morte cum Petro in urbe Roma sub Cæsare Nerone agonizans, coronatus est: et pariter supradictam Romanam Ecclesiam Christo Domino consecrarunt, aliisque omnibus [g] universo mundo sua præsentia, et venerando triumpho prætulerunt.

Est ergo [h] prima Petri apostoli sedes Romana Ecclesia, non habens maculam, neque rugam, neque aliud hujusmodi.

Secunda autem sedes apud Alexandriam, beati

et ipsa Hieronymi in epistolæ sequentis exordio verba demonstrant (*Constant. adnot. ad epistol.* 16 *et* 17). Sic etiam cl. Vallarsius, mss. omnium consensum afferens.

[a] Vallicellanus cod. A. V. pag. 234: *Incipit concilium urbis Romæ sub Damaso papa*, de explanatione fidei.

[b] Post hæc idem Vallicellanus codex sic prosequitur.

Item dictum est: *Nunc vere de Scripturis divinis agendum est, quid universalis catholica recipiat Ecclesia, et quid vitare debeat.*

Incipit ordo Veteris Testamenti: Genesis liber unus; Exodi liber unus, etc. Hunc cod. cum Scripturarum constit. can. memorat Baron. ad an. 69.

[c] Quesnellianus codex in præfatione *nullis synodicis decretis, sed evangelica voce prælata est*, quod magis placet; sic etiam in decreto Gelasii de apocryphis Scripturis.

[d] Quesnell. hæc addit: *ubi dixit beato Petro.*

[e] Quesnell. *adhibita.*

[f] Hæc omittit Quesnellianus codex, scribitque *qui uno die, unoque tempore gloriosa morte*, etc. Gelasius vero ea habet, ut hic.

[g] Quesnell. addit: *urbibus*, quod minime necessarium.

[h] Quesnellianus codex: *Prima ergo sedes est cœlesti beneficio Romana Ecclesia, quam beatissimi apostoli Petrus atque Paulus suo martyrio dedicarunt*, Gelasius vero, ut hic.

Petri nomine a Marco ejus discipulo atque evangelista consecrata est [a]: ipseque in Ægyptum directus a Petro apostolo, verbum veritatis prædicavit, et gloriosum consummavit martyrium.

Tertia autem sedes est apud Antiochiam [b] beatissimi sui apostoli Petri, quæ habetur honorabilis, eo quod illam primitus, quam Romam venisset, habitaverit, et illic primum nomen Christianorum novellæ gentis exorditum est [c].

Huc usque etiam Gelasius: Quesnellianus codex aliquod habet præterea de Hierosolymitana et Ephesina sede.

[a] Quesnell.: *Quia ipse in Ægypto primus verbum veritatis a Petro directus prædicavit.*

[b] Quesnellus: *Item beati Petri habitatione venerabilis.* Gelasius vero: *Petri nomine habetur honorabilis.*

[c] Apud Quesnellum rectius *exortum.*

CARMINA [*].

CARMEN PRIMUM.

[1] *In laudem Davidis.*

Nunc Damasi monitis aures præbete benignas,
Sordibus depositis purgant penetralia cordis,
Curia cum renovant Christo servire parati.
Prophetam [a] Christi sanctum cognoscere debes:
Pastorem puerum multis e fratribus unum,
Angelus ex ovibus rapuit, regemque dicavit,
Organa qui sciret manibus componere solus,
[b] Psallere per citharam populo cœlestia regna.
Ingentem, clypeoque gravi, frustraque minantem,
[c] Impium, maledicum, phaleras ac tela gerentem,
Surdorum demens coleret qui templa deorum,
Mactavit saxo tereti, truncumque reliquit,
Judicioque Dei ingenti mox cæde peracta,
Monstravit populis, tulerat quæ ex hoste trophæa:
Nam Damasus [d] scit, Sancte, tuos Deus, ipse triumphos.

[1] Baronius hæc præfatur ante hos versus: *Acceptis his S. Hieronymi lucubrationibus in Psalterium Davidis, Damasus laudem tanti regis atque prophetæ his cecinit versibus, quos reperimus in bibliotheca basilicæ Sancti Petri, codice 1 sancti Hieronymi, qui concinet expositionem ejus in Psalmos, habet eosdem codex Vaticanæ bibliothecæ, licet utrobique admodum depravati legantur.* Hæc ille. Quæ autem de Davide canit Damasus, habentur in sacris litteris Regum I. Idem Baronius: *Hieronymi versus, quos recinens ad S. Damasum misit, habent iidem codd. cum ejusmodi inscriptione.*

VERSUS DOMNI HIERONYMI PRESBYTERI.

Psallere qui docuit dulci modulamine sanctos
Noverat iste, decem legis qui verba dedisset,
Quot digitis cithara chordis, totidemque dicavit
Nomina vel signum numerum Crux ipsa notaret.
Credere quid dubites? virtus regit omnia Christi,
Qui varias junxit uno sub carmine linguas;
Ut pecudes, volucresque Deum cognoscere possint:
His sonus est fides, mentes qui mulcet amaras;
Sic creatura prior tanto de munere gaudet,

[a] Hinc suspicor sumendum esse initium hujus carminis, ac priores tres versiculos non huc pertinere, sed potius ad eos, qui in variis cod. mss. leguntur a Hieronymo ad Damasum cum suis in psalterium lucubrationibus: nam primo citra aliquod incommodum separari a cæteris possunt, qui in laudem Davidis scripti sunt; quin potius nitor orationis id postulare videtur: deinde in Vat. cod. 4226, post priorem illum versiculum *Nunc Damasi monitis*, etc., hi sequuntur uno statim contextu, qui ex iisdem Hieronymi versibus sumpti sunt:

Offerat ut Domino salvet quos gratia vocis;
Quisque sitit veniat cupiens haurire fluenta:
Inveniet latices servant qui dulcia mella.
Oret pro nobis Beatitudo tua, beatissime Papa.

Penultimum versum: *Quisque sitit, etc.* incisum vidi in antiquo labro marmoreo, pro fontibus, ante Ecclesiam S. Bartholomæi in Insula, charactere antiquo, ut Damasi tempore scriptus videatur. Exstant etiam plures S. Damasi ad S. Hieronymum et hujus ad illum epistolæ quas in hac nostra epistolarum S. Damasi collectione hic habes.

[b] Idem cod. *per cytharam populi.*

[c] Ibid. *impia.* Scribendum impiu.

[d] Idem cod.

.....Scit, Sancte, tuos monstrare triumphos.

CARMEN II.

De Christo.

Christe potens rerum, redeuntis conditor ævi,
Vox summi sensusque Dei, quem fundit ab alta
Mente Pater, tantique dedit consortia regni,
Impia tu nostræ domuisti crimina vitæ,
Passus corporea mundum vestire figura,
Affarique palam populos, hominemque fateri.
Quem Verbo inclusum Mariæ mox numine viso
Virginei tumuere sinus, innuptaque Mater
Arcano obstupuit compleri viscera partu,
Auctorem paritura suum, mortalia corda
Artificem texere poli mundique, sub imo
Pectore, quo totum late complectitur Orbem.
Et qui non spatiis terræ, non æquoris undis,
Nec capitur cœlo, parvos [2] confluxit in artus,
Quin et supplicii nomen nexusque subisti:
Ut nos surriperes letho, mortemque fugares

[2] Antea legebatur *confluxit;* forte *confulsit* legendum a *confulcio*, si non, et *confluxit* a *confluo*, ut Lucretius lib. I:

Undique ponderibus solidis confluxit ad imum.

Carmina tamen ipsa haberi cum Claudiani poematibus reperi hoc titulo: *De Christo servatore*, apud quem verbum illud *confluxit, confuxit* legitur, et conjecturam meam confirmavit. Sed si forte non sunt Damasi versus toti, neque Claudiani certe erunt, cum a Christi nomine fuerit alienus, teste S. Augustino,

Quisque sitit, veniat cupiens haurire fluenta,
Inveniet latices, servant qui dulcia mella,
Sordibus expositis purgant penetralia cordis
Cor quoque cum renovant Christo servire parati.

Quamobrem unum omnes antea eumdemque locum occupantes, confusi deinde, ac separati sunt.

[*] Hic sicut duplex annotationum series, ita et duplex adeas lectorem remittendi modus: Sarazanii notas numeris, Merendæ litterulis designantibus.

Morte tua, mox æthereas evectus in auras,
Purgata reparans lætum te luce, Parentem
Augustum foveas, festis ut sæpe diebus
Annua sinceri celebret jejunia Sacri.

CARMEN III.

De Ascensione Christi.

Ad sedem propriam Deus exsule morte resurgit,
[1] Ut vitam doceat credentibus esse futuram,
Angelus hæc verba cecinit, quod uterque reportans
Sic venturus erit, sic Christum credere fas est.

CARMEN IV.

[1] *De Nomine Jesu.*

In rebus tantis Trina conjunctio mundi
Erigit humanum sensum laudare venuste :
Sola salus nobis, et mundi summa potestas
Venit peccati nodum dissolvere fructu
Summa salus cunctis nituit per sæcula terris.

A

CARMEN V.

De eodem.

Jure pari regnat communis conditor ævi
Et cum Patre pia regnat sublimis in arce
Sidereo sanctis insidit numine regnis.
Unde mare et terras solo videt omnia nutu
Suggerit humanis, et donat munera rebus.

CARMEN VI.

[2] *De cognomentis* [a] *Salvatoris.*

Spes, Vita, Salus, Ratio, Sapientia, Lumen,
Judex, Porta, Gigas, Rex, Gemma, Propheta, Sacer-
Messias, Sabaoth, Rabbi, Sponsus, Mediator, [dos.
Virga, Columna, Manus, Petra, Filius, Emmanuelque,
Vinea, Pastor, Ovis, Pax, Radix, Vitis, Oliva,
Fons, Paries, Agnus, Vitulus, Leo, Propitiator,
Verbum, Homo, Rete, Lapis, Domus, Omnia, Chris-
[tus, Jesus.

B

lib. v de Civitate Dei, cap. 26, et poeta paganus vocetur ab Orosio, lib. VII, cap. 37, et a Paulo diacono, lib. XIII, in additis ad Eutropium; sed Mamerti Claudiani presbyteri potius erunt, qui christianus poeta fuit, de quo Sidonius Apollinaris epist., lib. IV, epist. 3 et 11, et lib. V, epist. 2, et Gennadius, ac Honorius de Scriptoribus Ecclesiasticis. Certe carmen istud cæteris longe est elegantius.

[1] Ita emendavimus, cum antea legeretur : *Ad vitam docent credentibus esse futurum.* In actis Apostolorum, cap. I, legitur ab angelis dictum : *Hic Jesus qui assumptus est a vobis in cœlum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum.*

[2] Habet hoc et sequens epigramma nomen JESU scriptum in serie primarum litterarum versuum, quæ acrostichis dicitur, ac ultimarum etiam litterarum, quæ telestichis, quales habentur Erythrææ sibyllæ versus Græci, in oratione Constantini imp. ad sanctorum cœtum, apud Eusebium post Vitam illius; Latineque redditi apud sanctum Augustinum, lib. XVIII de Civitate Dei, cap. 23, et apud Eusebii interpretes Portesium, et Christophorsonium, ac Gyraldum de poetis, quam vero habet Panvinius in libello de Sibyllis, prior est Portesii prædicti, altera Gyraldi : in quorum acrostichide legitur, ut scribit S. Augustinus: ΙΗΣΟΥΣ ΧΡΙΣΤΟΣ ΘΕΟΥ ΥΙΟΣ ΣΩΤΗΡ, quod est Latine : *Jesus Christus Dei Filius Salvator.* In eademque oratione interpretes prædicti addunt *Crux.* Gyraldus *Crucifixus.* Eusebius refert Ciceronem, illud poema cum forte perlegisset, in Latinam convertisse orationem, suisque scriptis attexuisse; idemque Cicero, lib. de de Divinatione II, de Sibyllæ versibus ait : *ea quæ ἀκροστιχὶς dicitur, quum deinceps ex primis versus litteris aliquid connectitur, ut in quisbusdam Ennianis, atque in Sibyllinis, ex primo versu cujusque sententiæ primis litteris illius sententiæ carmen omne prætexitur.* Hæc Cicero; Ennii autem illa perierunt. Plauti etiam comœdiarum argumenta fabulæ nomen primæ versuum litteræ præ se ferunt, usus est hoc eodem genere, et Porphyrius in Panegyrico, Constantino Augusto, dicto, in acrostichidibus; teleschidibus, ac mediis etiam versuum litteris; digna lectu, quæ habes inter epigrammata et poemata veterum poetarum, usus est et Rhabanus Maurus de laudibus sanctæ Crucis, figura secunda usj sunt, et posteriores, prout in sepulcro Petri Leonis nobilissimi civis Romani ad D. Pauli basilicam; quorum initiis versuum hoc nomen (*Petrus Leonis*) conficitur, qui ante annos quingentos vixit. Pater enim Anacleti II pseudopontificis fuit. Integrum id exhibuit epigramma Baronius, tom. XII. anno 1144. Imo et in sepulcro Eusebii episcopi Vercellensis, habetur vetus memoria, in qua *Eusebius episcopus et martyr* inscribitur primis versuum litteris: integram hanc edidit Jo. Stephanus Ferrerius in lib. de episcopis Vercellensibus. Et in monumento sanctæ Eugeniæ martyris Cordubensis, apud Ambrosium Morales in Appendice ad Eulogium. Et in epitaphio Ugonis ducis, quod habet Baronius tom. Annal. II, anno Christi 1002, in principiis, mediis, ac finibus versuum. Et B. Eugenius episcopus Toletanus junior in suo epitaphio, in quo Eusebius, initii Misellus ad fines exprimitur. Et alio Eventii in quo Nicolao principiis Eventius, desinentibus litteris efficitur. Item in epistola S. Columbani abbatis in principio, quam edidit Sirmondus simul cum aliis opusculis, B. autem Eugenii epitaphium protulit, et Baronius tom. VIII. Ac in epitaphio S. Florentini abbatis, quod refert et Baronius in Appendice tom. XII, ad annum 553, cujus versuum capite hæc nomina leguntur : *Florentinus Abbas in pace quievit, Amen.* Exstat et Neapoli in ecclesia S. Januarii, Stephani ducis epitaphium, cujus primæ versus litteræ, ac etiam posteriores Stephanus consul bis legitur; refert integrum Cæsar Caracciolus in sua Neapoli Sacra, et Julius Cæsar Cappaccius in Historia Neapoli.

[3] In Græcorum Epigrammatum lib. I, duo sunt poemata, in Bacchi unum, alterum in Apollinis laudem, diversa mendacium deorum nomina exprimentia : magno studio, utraque concinnata, juxta quatuor et viginti Græcarum litterarum numerum, in versibus totidem, ac singulis etiam verbis, carminis cujusque eadem littera incipientibus. Græcorum hoc artificium sanctus Damasus feliciter æmulatus est, vel etiam superavit, qui septem hisce versibus omnia ferme nomina Christo Servatori, a prophetis atque apostolis tributa, adeo artificiose, et concinne complexus est, ut nec syllaba redundet. Cæterum cum et sanctus Dionysius Areopagita libro peculiari, et ex recentioribus nonnulli de divinis nominibus luculenter scripserint, neque ulla in his versibus sit difficultas, frustra multis congerendis tempus non perdimus. In 1 versu deest syllaba.

[a] Hæc omnia, aliaque Salvatoris cognomenta simili carmine complexus est, eorumque vim explicat Orientius, V sæculi poeta christianus, in Thesaur. Anecdot. Marl., tom. V, pag. 43.

CARMEN VII.

[1] *De S. Paulo apostolo* [a].

Jamdudum [b] Saulus, procerum præcepta secutus,
[2] Cum Domino patrias vellet præponere leges,
Abnueret sanctos Christum [c] laudare prophetas,
Cædibus assiduis [d] cuperet discerpere plebem,
Cum lacerat sanctæ Matris pia fœdera cæcus
Post tenebras verum meruit cognoscere Lumen.
Tentatus sensit posset quid gloria Christi,
Auribus ut Domini vocem, lucemque recepit,
Composuit mores, Christi præcepta secutus.
[3] Mutato placuit postquam de nomine Paulus,
[a d] Mira fides rerum, subito [e] trans æthera cœli
Noscere promeruit, possent quid præmia vitæ
Conscendit raptus martyr penetralia Christi,
Tertia lux cœli tenuit paradisus euntem,
Colloquiis Domini fruitur, secreta reservat.
Gentibus ac populis jussus prædicere vera,
Profundum penetrare maris, noctemque diemque
[4] Visere [f], cui magnum [g] satis est vixisse latentem,
[7] Verbera, vincla, famem, lapides, rabiemque ferarum
Carceris illuviem, virgas, tormenta, catenas,
[8] Naufragium, lacrymas, serpentis dira venena,
[9] Stigmata non timuit [h] portare in corpore Christi.

[1] Egregium carmen S. Damasi de conversione Pauli vocat Baronius in notationibus ad Martyrologium, 25 Januarii; estque actionum illius index.

[2] Ipsemet Paulus in epistola ad Galatas, cap. I, ait: *Et proficiebam in Judaismo supra multos coætaneos meos in genere meo, abundantius æmulator existens paternarum mearum traditionum.*

[3] Frequens in sacris Litteris hoc *plebis* nomen, idemque est ac *populus*. Paulus, epist. ad Rom., cap. IX: *Sicut in Osea dicit: Vocabo non plebem meam, plebem meam.* Porro Oseæ locus ita habet, cap. II, in fine: *Ac dicam non populo meo: Populus meus es tu.*

[4] Sic et Walfridus Strabo de S. Paulo apostolo:

Saulus qui sanctas mulctavit carcere turbas
Credulus efficitur, mutato nomine Paulus, etc.

In Actis Apostolorum a nece S. Stephani quæ scripta habetur cap. VII, semper Saulı nomen legitur: quo similiter nomine a Christo Domino in conversione illius Saulus appellatur, et ad Ananiam etiam in visu Dominus idem nomen dixit: et ab ipso Anania Saulus vocatus est, et a Spiritu sancto etiam sic dictus cap. XIII Actorum: *Separate mihi Barnabam et Saulum in opus ad quod assumpsi eos;* et paulo post eodem cap. scribitur: *Saulus autem qui et Paulus*, etc.. et deinceps semper Paulus dicitur in iisdem Actis; et a se ipso semper, et ab aliis omnibus Pauli nomine nuncupatur. De quo variæ doctorum reperiuntur opiniones. Nam a Deo impositum illi Pauli nomen volunt; Chrysostomus in homilia de conversione sancti Pauli, tom. III, et Œcumenius in Acta Apostolorum. Sed ab Anania in baptismate hoc nomine vocatum scribit S. Ambrosius serm. 31, edit. Romanæ. A Sergio Paulo denominatum Paulum vult S. Hieronymus in epistola ad Philemonem, ob victoriam de ipso Sergio Paulo ad fidem conversa, sed Baronius tom. I Annal. ab ipso Sergio Paulo traditum nomen ob clientelam, et amorem erga illum existimat: quod multis ejus ævi exemplis nititur. Duplex illi fuisse nomen Sauli, et Pauli opinatur Sedulius, in epistolas Pauli, ex verbis illis Actorum Apostolorum: *Saulus autem qui et Paulus*, etc. Item Origenes in præfatione epistolæ ad Romanos: *Hoc est, apud Hebræos Saulum vocatum, apud Romanos Paulum.* Non mutasse nomen, sed ex Saulo factum Paulum, ex superbo humilem, dicit S. Augustinus in tract. 2 in Psalmos, et S. Ambrosius in Pauli epistolas.

[5] De tempore quo raptus fuit Paulus ad tertium cœlum variant etiam doctores. Sunt qui putent eo tempore raptum, quo mansit tribus diebus, et tribus noctibus non videns, neque manducans, neque bibens; quam sententiam non approbat Baronius d. tom. I Anal. ad ann. Christi 36. Nam cum ipse Paulus in cap. II ad Corinth. dicat: *Ante annos quatuordecim*, a tempore quo eamdem epistolam scribebat, sese ad tertium cœlum evectum; certe non hoc, quo conversus, et baptizatus est anno, sed post octo annos id factum fuisse affirmandum est.

[6] Totus hic versus intercidit in cod. Fuld. in editione Veneta ann. 1533 Epistolarum divi Pauli, sicut totum prope carmen, ita et versus iste diverse:

Vixit, at hunc tantum mirum est superasse laborem.

Utraque lectio obscura: priori fortassis lux dari possit ex hoc Horatii versu:

Nec vixit male, qui natus moriensque fefellit.

ut fiat allusio ad Neoclis dictum λάθε βιώσας.

[7] De rabie ferarum fatetur Paulus Corinth., XV, se *Ephesi pugnasse cum bestiis;* sed per bestias homines feros et pravos intellexisse, sentiunt Tertullianus, Chrysostomus, et alii. Sic legimus in II ad Timoth., IV: *Eum liberatum fuisse de ore leonis:* quo loco *ore leonis*, Neronis crudelitatem significatam esse interpretes docent; sed hæc fusius Baronius, tom. I, ad ann. Christi 55, cap. V. Nam et sanctus Ignatius ad Romanos scribens ait: *A Syria Romam usque cum bestiis depugno, per terram et mare, die ac nocte vinctus cum decem leopardis, hoc est, cum militari in custodia, qui ex beneficiis priores sunt.*

[8] Hæc habentur in Actorum Apostolorum, cap. XXVII et XXVIII. Et quæ acta Arator subdiaconus heroico carmine expressit ad Vigilium pontificem: præclareque Prudentius in præfatione lib. primi contra Symmachum describit naufragium, et serpentem, etc., cujus initium: *Paulus præco Dei*, etc. Qui, et Petrum etiam naufragantem in fluctibus, ac ne emergeretur, erexit dextra Domini, in præfatione lib. II contra eumdem Symmachum eleganter cecinit:

Simon quem vocitant Petrum, etc.

Quod et Juvencus presbyter ex Evangeliis hexametris versibus transtulit lib. III.

[9] Idem Paulus ait: *Ego stigmata Domini Jesu in corpore meo porto.* Illud vero lectorem admonitum velim, carmen hoc ex duplici editione acceptum fuisse, altera est Aldi Manutii anni 1501, altera Christophori Broverii Societatis Jesu, quamplurimi æstimavimus, cum hos S. Damasi versus deprompserit ex codice manuscripto sacrarii Ecclesiæ Fuldensis antiquissimo, ut ipse testatur his verbis: *Versus sancti Damasi papæ descripti ex eo libro, quem gloriosus sanctus Bonifacius Germanicæ nationis apostolus circumtulit, cujus argumentum* NOVI

[a] At cod. Vatic. 5104 sic habet: *Damasus papa in proœmium Epistolarum Pauli de ejus mirificis præconiis.* Ven. card. Thomas. *In Conversione S. Pauli Apostoli.*

[b] Alter Vat. cod. 1598, *in modum.*

[c] Id. *laudasse.*

[d] Hæc iterum *de S. Saturnino, de SS. Nereo et Achilleo.*

[e] Prior cod. *sublimis ad æthera vectus;* alter, *trans æthera vectus.*

[f] Prior cod. *cum magnum*, sed hæc alia obscuriora.

[g] Ita etiam apud Ven. Thomas. Oper., tom. II, pag. 382. Forte Damasus alludit ad verba ejusdem apostoli, II ad Corinth., XI et XII.

[h] Iterum *de SS. Nereo et Achilleo*, et carmen *de S. Eutychio.*

Credentes docuit possent quo vincere mortem.
Dignus amore Dei [a] vivit per sæcla magister.
Versibus his breviter fateor, sanctissime doctor
Paule, tuos Damasus volui monstrare triumphos.

CARMEN VIII.

[1] *De S. Andrea Apostolo* [b].

Decus sacrati nominis,
Vitamque nomine [c] exprimens,
Hoc te [d] decorum prædicat
[e] Crucis beatæ gloria.
Andrea, Christi apostole,
Hoc ipso jam [e] vocabulo
Signaris isto nomine
Decorus idem mystice.
Quem Crux ad alta provehit,
A Crux quem beata diligit,
Cui Crux amara præparat
Lucis futuræ gaudia.
In te crevit mysterium
Cluit gemello stigmate
Dum probra vincis per Crucem,
Crucisque pandis [f] sanguinem.
Jam nos foveto languidos,
Curamque nostri suscipe,
Qui per Crucis victoriam
Cœli petamus patriam.

CARMEN IX.

[g] *In SS. Apostolorum Catacumbas* [g].

Hic habitasse prius sanctos cognoscere debes,
Nomina quisque Petri pariter Paulique requiris.

TESTAMENTI HARMONIA. Inscriptus vero liber his verbis erat: *Sanctus Bonifacius præsenti libro functus est dum vixit.* Floruit autem S. Bonifacius, Gregorio et Zacharia Romm. pontificibus anno salutis humanæ 750. Is porro titulus verbi præfigitur in eodem codice: *incipiunt versus S. Damasi in S. Paulum apostolum*, sub finem vero aliquot versus injuria temporum absumpti sunt, nonnulli aliter habentur ac in Aldi editione, nam ubi Aldus habet: *Dignus amore Dei vivit per sæcla magister*; Broverius e citato ms. edidit: *Dignus amore datus . . . . . in sæcla magister.* Si quis autem supplerit (populis) haud absurde fecerit, cum gentium magister S. Paulus dictus fuerit. Versu penultimo legitur in Aldi editione: *Versibus his breviter fateor, sanctissime doctor.* In ms. autem: *Versibus his patrone . . . . . ter justissime noster.* Quod magis probarem, absumptaque syllaba, facile restitui potest hoc modo: *Versibus his, patrone Pater justissime noster.* Neque a sensu aut a stylo S. pontificis abhorret. Versu ultimo apud Aldum: *Ipse tuos Damasus volui monstrare triumphos*; apud Broverium: *Sancte, tuos Damasus voluit monstrare triumphos.*

[1] *Elegans carmen S. Damasi papæ de Andrea crucem passo*, Baronius in Martyrologium ultima Novembris. Mihi vero non videtur esse Damasi, sed recentioris cujusdam. Et quod initio ait Damasus:

Decus Sacrati Nominis,
Vitamque nomine exprimens, etc.
Andrea, Christi apostole,
Hoc ipso jam vocabulo
Signaris isto nomine.

Alludit ad Andreæ nomen; ἀνδρεῖος enim *virilem, fortem* significat. De S. Andrea S. Paulinus natali q. S. Felicis:

Hic Pater Andreas, hic qui piscator ad agros
Missus, vaniloquas docuit mutescere linguas,
Qui postquam populos ruptis erroris laqueis
Retibus explicuit, traxitque ad retia Christi
Thessalicas fuso damnavit sanguine Patras.

[g] Justus Lipsius in lib. de Cruce, cap. 7, ambigit an vera fama sit de cruce decussata, in qua fertur S. Andreas cruciatus fuisse, nam Hippolytus scribit crucifixum Andream Patris in Achaia, ad arborem B olivæ rectam. Adde sanctum Petrum Chrysologum, qui in sermone 133, in sanctum Andream apostolum, sub finem hæc ait: *Petrus namque crucem, arborem conscendit Andreas.* Qua de re Baronius in Martyrologio, 30 Novembris, et Bosius lib. 1 de Cruce.

[g] Exstabant olim hi versus ad basilicam sancti Sebastiani, in quo loco sanctorum apostolorum Petri et Pauli corpora jacuerunt, Platoniamque eam dixere, ut apud Bedam, qui scribit: *In quo loco Platoniam ipsam ubi jacuerunt corpora sancta versibus adornavit*; apud Anastasium, qui ait: *Et ædificavit Platoniam, ubi corpora apostolorum jacuerunt, idem Petri et Pauli, quam et versibus ornavit*; apud Adonem, qui eadem quæ Beda; breviarium Romanum: *Platoniam etiam ubi corpora sanctorum Petri et Pauli aliquandiu jacuerunt ædificavit, et exornavit elegantibus versibus*; et apud alios, qui de his carminibus etiam mentionem fecere, quod et affirmat Baronius in appendice post tom. XII, pag. 911, qui ex hac editione hos versus protulit in hæc verba: *Quod pertinet ad epitaphium ibidem ad Catacumbas inscriptum, idem in chartis hactenus conservatum, hic tibi in integrum reddimus.* Platoniam vero dictam puto a fabricæ et concamerationis latitudine, sic et Platonem dictum refert Laertius a frontis latitudine, sed et ob latitudinem pectoris, apud Suidam, seu amplitudinem orationis. Bibliothecarius de Sixto III scribit: *Hic fecit Platoniam in cœmeterio Calixti via Appia*, etc., forte instauravit, vel ornavit. Vide tamen Baronium, tom IV, aliter Platoniam interpretantem. Ad hujus vero epigrammatis intelligentiam, libet huc afferre verba epistolæ S. Gregorii papæ, Regisiri lib. III, cap. 30, ad Constantinam Augustam: *De corporibus vero beatorum Apostolorum quid ego dicturus sum; dum constet, quia et tempore quo passi sunt, ex Oriente fideles venerunt, qui eorum corpora sicuti civium suorum repeterent, quæ ducta usque ad secundum Urbis milliarium, usque ad locum, qui dicitur ad Catacumbas, collocata sunt, sed cum exinde levare D omnis eorum multitudo conveniens niteretur, ita eos tonitrui atque fulguris nimio impetu terruit atque dispersit, ut alia denuo nullatenus attentare præsumerent. Tunc autem exeuntes Romani, eorum corpora, qui hoc ex Domini pietate meruerunt, levarunt, et in locis ubi nunc condita posuerunt.* Qua de re audi Anastasium

[a] Sic Paulum Apostolum præ cæteris vocari solitum intelligimus ex Paulino, epist. 23, n. 11; epist. 30, n. 5; epist. 32, n. 23; epist. 37, num. 3, et poem. 16, vers. 260, et poem. 34, vers. 555.

Maluit ille tamen Verbum curare Magistri.
Cuncta licent, non cuncta juvant;
Hoc enim in Verbo Domini docet ille Magister,
Quo duce sidereas nitimur ire vias.

[b] Ven. card. Thomasius non habet; sed legitur in Mozarabo edito per cl. Blanchinum ex archivio Veronensis Ecclesiæ oper. Thomas., tom. I, p. CXLI. Additur doxologia.

[c] Ex Blanchino, *nomenque vitam exprimens.* Sed corrigit vitam nomenque.

[d] Apud eumdem: *Hinc te*, sed corrigit *hocte* hoc ipso jam.

[e] Ibid *hoc ipse*, sed corrigit.

[f] Ibid. *pendis*; sed corrigit *crucisque pandis.*

[g] Vid. quæ de hoc carmine observavi de Damasi Carm., c. 25, § 2, n. 3, et Sarazanius (*hac ipsa col. n.* [1]).

Discipulos Oriens misit, quod sponte fatemur,
Sanguinis ob meritum [a] Christumque per astra secuti,
[b] Ætherios petiere sinus et regna piorum.
Roma suos potius meruit defendere cives.
Hæc Damasus vestras referat nova sidera laudes.

CARMEN X.

De S. Stephano P. et M.

Tempore, quo gladius secuit pia viscera Matris [c].
Hic positus [d] *Rector* [e] cœlestia jussa docebam [f];
Sed veniunt subito, rapiunt qui forte docentem :
Militibus missis populi tunc colla dedere [g].
Mox ubi cognovit Senior, qui tollere vellet
Palmam, seque suumque caput prior obtulit ipse [h],
Impatiens feritas posset ne lædere quemquam [i] :
Ostendit X P S reddit qui præmia vitæ,
Pastoris meritum, numerum gregis ipse tuetur [j].

CARMEN XI.

[1] *De S. Marcello Martyre.*

[2] Veridicus rector, lapsos quia crimina flere
Prædixit miseris, fuit omnibus hostis amarus.
[k] Hinc furor, hinc odium sequitur, discordia, lites,
Seditio, cædes, solvuntur fœdera pacis :
[l] Crimen ob alterius Christum qui [m] in pace negavit,
Finibus expulsus patriæ est feritate tyranni.

bibliothecarium, cujus liber de Rom. pontificibus ex ipso Damaso derivatus creditur, de sancto Cornelio papa sic loquentem : *Hic temporibus suis rogatus a quadam matrona Lucina, corpora apostolorum Petri et Pauli de Catacumbis levavit noctu. Primum quidem corpus beati Pauli beata Lucina posuit in prædio suo via Ostiensi, ad latus ubi decollatus est; beatus vero Cornelius episcopus accepit corpus Petri apostoli, et posuit juxta locum, ubi crucifixus est, inter corpora sanctorum episcoporum, in templo Apollinis in montem Aureum in Vaticano Palatii Neroniani, VI kalend. Julii.* Quid autem postea ad hæc sancta Apostolorum corpora rogatu sancti Silvestri egerit Constantinus imperator, idem Anastasius ex eadem Damasi fonte hæc scribit : *Item his temporibus fecit Aug. Constantinus ex rogatu Silvestri episcopi basilicam B. Petri apostoli in templo Apollinis, cujus loculum cum corpore S. Petri recondidit, ipsum loculum undique ex ære Cyprio conclusit, quod est immobile. Ad caput, pedes quinque, ad pedes, pedes quinque, ad latus dextra pedes quinque. Sic inclusit corpus beati Petri apostoli, et recondidit et ornavit supra ex columnis porphyreticis, et alias columnas vitineas, quas de Græcia perduxit.* Et infra : *Eodem tempore fecit Augustus Constantinus basilicam beato Paulo apostolo, ex suggestione Sylvestri episcopi, cujus corpus sanctum ita recondidit in ære, et conclusit, sicut et B. Petri Constantinus Augustus.*

[1] Baronius, pag. 904, Christi anno 309 : *Exstat de S. Marcello Damasi papa epitaphium una cum aliis*

[a] Baronius legerat *Christum per astra.*

[b] In append. n. 2 :

Ætheream petiere domum, regnumque piorum.

[c] Hunc Damasi versiculum legis iterum in carm. de *S. Saturnino* et in append. n. 2.

[d] Ven. card. Thomasius, Oper. tom. II, pag. 506. IV. non. August., *Natale S. Stephani P. et M. in Callixti.*

[e] Hac voce Damasus designare solet Romanos pontifices : ut in carm. 8 et 9 et in not. Saranzanii (*hac ipsa pag. not.* [1]).

[f] Act. apud Baron. ad ann. 259, n. 22, *sequenti die convenit in eadem crypta, sedensque docebat omnes de regno Dei et vita æterna.* Observandum verò hoc loco est, cryptam, seu cœmeterium Lucinæ, quo Stephanus convenisse dicitur, esse Catacumbis fere conjunctum. Vid. Bold., lib. III, cap. 18.

[g] *Audiens hæc Valerianus, misit ad eum capiendum milites.* Carm. 2, in append. :

Extemplo ducibus missis sua colla dedere.

[h] Acta : *Nos desideramus etiam et sanguinem propter nomen D. N. Jesu Christi fundere.*

[i] Acta : *qui intrepidus et constans in eodem loco in sua decollatus est sede.*

[j] *Factus est maximus planctus Christianorum, qui talem pastorem cum gloria martyris præmiserunt : sepelierunt autem ejus corpus cum ipsa sede sanguine conspersa.*

[k] Cyprian. epist. 22, edit. Veron. : *Denique hujus seditionis origo jam cœpit. Namque in provincia nostra per aliquot civitates in præpositos impetus per multi-*

luci redditum, quo alia de S. Marcello referatur historia hactenus incomperta, quod sic se habet, etc. *Romæ via Salaria natalis S. Marcelli papæ et martyris,* etc.; habetur Romano in Martyrologio, ac Usuardi, *via Salaria veteri, 16 Januarii.* In veteri vero Romano Martyrologio, ac Bedæ, Adonis, Rhabani, Notkeri, ac Breviario Romano, et apud Anastasium, *Via Salaria in cœmeterio Priscillæ.* Et in gestis S. Marcelli, quæ per Rom. Ecclesiæ notarios conscripta creduntur apud Surium : *In cœmeterio Priscillæ via Salaria non longe ab urbe Roma milliario tertio, ubi sanctus Marcellus requiescit in pace.* De hoc cœmeterio Anastasius, ac de S. Marcello scribit : *Hic rogavit quamdam matronam nomine Priscillam, et fecit cœmeterium via Salaria,* etc. Apud quem de Vigilio papa legitur : *Cujus corpus ductum est Romam, et sepultum est ad S. Marcellum via Salaria, in cœmeterio Priscillæ.*

[2] Rectorem vocat hic Marcellum pontificem Damasus; seque ipsum hoc etiam nomine appellat supra, de Mauro Martyre :

Quæ Damasus rector longo post tempore plebis.

Et in altero sequenti epigrammate :

Ornavit Damasus tumulum cognoscite rector.

Et de S. Felice, et Adaucto :

Presbyter is verus Damaso rectore jubente

Et infra de S. Tarsicio :

Quis Damasus rector titulos post præmia reddit.

tudinem factus est, et pacem sibi concessam repræsentari sibi coegerunt, etc.

[l] Hoc versiculo Papebrochius Licinium designatum putat, quem primo specie saltem christianum, tum deinde apertum idololatram, civilis belli auctorem, ac postremo victum a Constantino in Gallias relegatum fuisse notat : Hinc loco *tyranni*, quod imperitia librarii positum ait, *tyrannus* scribendum censet. Ratio vero cur sic opinetur, hæc una est, quod *Marcelliani* hujus exsilii, nulla alibi, quam hoc carmine, mentio sit. Verum hæc ratio viro illo doctissimo prorsus indigna : quid enim Licinianum bellum ad Marcellum ipsum, qui ante illud exortum, ac ne cogitatum quidem defunctus fuerat? Cæterum in genuino Bedæ martyrologio hæc de Marcello legimus ad 16 Januarii : *Jubente Maximino imperatore fustibus cæsus, et a facie ejus, quem corripuerat, expulsus est.* Si itaque loco *Maximini*, qui nec in Urbe fuit, nec corripi a Marcello potuit, atque ab imperito librario obtrusus est, *Maxentium* legas, ut hic, qui christianus aliquando videri voluit, sic corripi ab eo pontifice potuit, ac debuit, et aliud habemus Marcelliani hujus exsilii testimonium.

[m] Ex hoc loco discimus, aut mitiorem fuisse semper Romanæ Ecclesiæ disciplinam erga lapsos in idololatriam extra persecutionum tempus, *et in pace* aut eam, si durior fuerat, Marcelli ætate jam temperatam. Hoc enim pro expiando voluntario crimine vix aliquis concedebatur canonicæ pœnitentiæ locus. Vid. conc. Illiber. can. 1, et Cyprian. epist. 52.

[a] Hæc breviter Damasus voluit comperta referre,
Marcelli ut populus meritum cognoscere posset.

CARMEN XII.

De S. Eusebio Papa.

Heraclius [b] vetuit lapsos peccata dolere,
Eusebius miseros docuit sua crimina flere.
Scinditur in partes vulgus gliscente furore [c].
Seditio, cædes, bellum, discordia, lites:

[1] Pro sepulcro S. Marci papæ Baronius etiam ibid. pag. 909: *Exstat ejusdem S. Marci epitaphium a Da-*

[a] Videsne cur Damasus de uno observatam ab eo pontifice disciplinam, de tolerato vero ob fidem martyrio nihil. Hoc enim palam omnibus, et manifestum; aliud vero obscurum, incompertumque fuerat.

[b] Boldettus lib. I, c. 19, ex cœmeterio Prætextati.

EQ. HERACLIUS
QUI FUIT IN SÆCULUM
AN. XVIIII. M. VII. D. XX.
LECTOR Ꞓ. SEC. FECERUNT SIBI
ET FILIO SUO BENEMERENTI IN P.
DECESSIT VII. TRV. STEB
URSO, E POLEMIO
COSS. ANN. 338.....

An igitur hujus Heraclii Lectoris pater eo carmine indicatur? Tempora profecto satis conveniunt: atque ille, qui iniquam pro lapsis causam tuendam susceperat adversus episcopum, Christianus aliquis, atque ex illius præcipuus esse debuit. Sed iniqua hæc tempora alicubi renovari nunc dolent optimi quique Christianorum.

[c] Alios scilicet in Ecclesiam per vim, ac nulla exacta pœnitentia irrumpere obnitentibus, aliis vero disciplinæ tenacibus repellentibus. Sic factum sub Cornelio, et Cypriano discimus, ex epist. 22 et epist. 55, Veron. edit.

[d] Marcelli papæ scilicet. Ita Tillemontius, et Constantius, quibus subscribo. Confer cum antecedenti.

[e] Maxentii scilicet. Prud. lib. I contr. Symm.

Milvius exceptum Tiberina in stagna Tyrannum
Præcipitans.

Huc etiam pertinet Bucherianum kalendarium v kal. Nov.:

Evictio tyranni.

[f] Illas nimirum conditiones respuentibus lapsis, quas pro pace assequenda servari oportere anteacti Romani episcopi jusserant. Cyprian. ad Steph., epist. 67: *Servandus est enim antecessorum nostrorum beatorum martyrum Cornelii et Lucii honor gloriosus. Illi enim pleni Spiritu Dei dandam esse pacem censuerunt, et pœnitentia peracta fructum communicationis et pacis negandum non esse, litteris suis significarunt.*

[g] Rationes aliquot, ob quas hoc carmine Eusebium papam laudatum censeo, jam attuli de Damas. carm., cap. 25, § 2, n. 6, et de Gestis Liberii exsulis, § 9. Nunc vero martyrologia expendenda a me sunt, quæ de Eusebio agunt ad XIX kalendas Septemb. et VI kalendas Octob. Hieronymianum itaque, quod cæterorum omnium fons et origo est, hæc habet ad 14 Augusti: *In Venbera Syriæ, natalis sanctorum Eusebii, Tituli Conditoris Prospolini*, etc. Hos omnes Florentinus pro martyribus habet, at *Venberam Syriæ* frustra se torquet ut quærat. Corbeiense pro *Venbera Syriæ* scribit, *Vinda Syri. Natalis S. Eusebii, Siculi Conditoris*, loco *Tituli;* sic etiam aliud a Dachemo editumin limine II tom., quo loco Basnagius illud *Vinda Siri*, nomen esse martyrisinepte putat. Ant werpiense *Vinderia Siri, Eusebii, Tituli Conditoris*. Beda Eusebium presbyterum nominat, at locum et socios prudens silentio præterit, quamquam Bollandiani unum tot inter mss. codices afferant, Barberinianum scilicet, in quo locus ferre ut in Hieronymiano dicitur *Viridena Siri:* locum etiam prætervehuntur Usuardus, et Notherus, qui tamen, quod notandum est, Eusebium hunc *episcopum* nominat. Vetus Vaticanæ ecclesiæ kalendarium a Ven. card. Thomasio editum tom. IV oper. ac Gellonense martyrologium Eusebium memorat, at nihil addunt præterea, an. episcopus, an presbyter, an martyr fuerit. Nemo itaque, opinor, negaverit, quin idem Hieronymi martyrologium, atque ea quæ ab illo excripta sunt, alium a Romano presbytero *Eusebium* exprimant: sed quia manifesto locus in mendo cubat, quis ille Eusebius sit, et quis ejusdem natalis diei locus ignorare cogimur; neque enim recentiora hagiologia, quæ Romanum presbyterum Eusebium celebrant, fidem merentur, siquidem a fonte discedunt. At hic Damasi versiculus facem præstat, qua veram, ni fallor, germanamque Hieronymiani martyrologii lectionem assequamur. Suspicor itaque ex *Bidi Siciliæ, seu Bideno Syracusarum*, imperitia scriptorum factum, ut nunc monstra hæc *Vindera Syriæ, Vinderia Syri, Vinda Syri, Viridena Syri* legantur. Quis enim ignorat, quam frequens fuerit litterarum B et V inter se commutatio? ac quis non videat, quam facile *Siciliæ*, aut *Syracusiorum* vox, forte decurtato seu compendio per notarios scripta, in *Syriæ*, aut *Syri* per indoctos librarios deinde converti potuit? Clericus sane de art. Critic., tom. II, part. III, sect. I, cap. 12, plura atque huic similia exempla attulit, ortaque deinde menda, vitiosasque interpretationes. Est autem *Bidenum* oppidum haud incelebre olim, nunc magna ex parte dirutum, quinderim passuum millibus Syracusis distans, quod patria lingua nunc *Abidino* dicitur. Cicero vero II in Verr. *Bidim* vocat, ejusque cives *Bidenos*, et *Bidinos*. Cluverius præterea Sicil. antiq. lib. II, cap. 4, arcem aliam, urbemque memorat *Bidium* scilicet, seu *Bidinum*, in agro Taurominiorum positam. Quamobrem cum Eusebius papa exsul in Sicilia defunctus sit, alterutro in loco vitam deposuisse debuit, quamquam id ego libentius contigisse putem *Bideni* Syracusiorum, veluti maris proximioris, atque euntibus, et redeuntibus litteris opportunioris. Hinc vero intelligimus: 1° quid sibi velint verba hæc *Tituli Conditoris*, quæ in antiquissimis maryrologiis, ac quibus nescio quos ejus nominis inauditos martyres memoratos a nonnullis, et designatos legimus: aliud enim nihil exprimunt, quam unum illum Eusebium, cujus hac die natalis colitur, Romanum pontificem, *tituli* qui adhuc exstat, *conditorem* fuisse; 2° cur ejus *natalis*, obitus scilicet dies, referatur *ad* XIV *kalendas septembris*, depositio vero *via Appia in cœmeterio Callixti ad* VI *kalendas Octobris:* neque enim ante eam diem deponi potuit, nondum delatus ad Urbem: minime itaque necesse est, ut cum Papebrochio aliisque, Eusebium ipsum ad eam usque depositionis diem, sedem tenuisse dicamus; 3° rationem habemus justissimam, cur Eusebius hic Romanus pontifex, cujus depositio VI *kalendas Octobris* recolitur, in Vaticano, Barberino, et S. Cyriacæ, atque Adonis martyrologio, aliisque a Florentinis; et Solerio indicatis *confessor* dicitur: id enim profecto meruerat ob toleratum pro disciplina exsilium.

A Exemplo pariter pulsi [d] feritate tyranni [e],
Integra cum *Rector* servaret fœdera pacis [f]
Pertulit exsilium omnino sub judice lætus,
Littore Trinacrio [g] mundum vitamque reliquit.

CARMEN XIII.

[1] *De S. Marco Papa* [h].

Vita fuit Marci, quam novimus omnes.
Ore Dei posset qui temnere mundum

maso papa conscriptum, quod nuper in lucem emissum ipsi reddendum curavimus, utcumque vindicatum ab-

B

C

D

[h] Nihil umquam occurrit, ex quo carmen hoc, ut videtur corruptum, integritati suæ restitui possit. Præter ea quæ observavi de Dam. carm., cap. 25, § 2, n. 7, videri etiam poterit Sarazanius (*hac ipsa pag. not.* [1]).

Oravit populus quod disceret omnis,
Grandis honor vitæ contemptus habendi;
Virtus tenuit penetralia cordis
Te custos Christi perfectus amicus.
Et Damasus [a] tumulum cum reddit honorem,
Hic Marcus, Marci vita, fide, nomine consors,
Et meritis.

CARMEN XIV.[1]

[1] *De S. Laurentio* [b].

Verbera, carnifices, flammas, tormenta, catenas
Vincere Laurenti sola fides potuit.
Hæc Damasus cumulat supplex altaria donis,
Martyris egregium suspiciens meritum.

CARMEN XV.

[2] *De Sancto Felice* [c].

Corpore, mente, animo, [d] pariter de nomine Felix,

juria temporis. Sic ille. Positum autem fuisse in cœmeterio Balbinæ via Ardeatina dicendum, cum ibi sepultus fuerit teste Anastasio, de quo ipse ait : *Hic fecit duas basilicas, unam via Ardeatina ubi requiescit, et aliam in urbe Roma juxta Palatinas*, et ad finem : *Qui etiam sepultus est in cœmeterio Balbinæ, via Ardeatina*. Et in Breviario legitur : *sepultus est in cœmeterio Balbinæ*. In Romano Martyrologio habetur : 7 *Octobris Romæ via Ardeatina depositio S. Marci papæ et confessoris*. Bed. autem sic : *Romæ, via Appia natale S. Marci episcopi et confessoris, qui sedit in episcopatu annos*, etc., *qui etiam sepultus est in cœmeterio Balbinæ via Ardeatina*. Quæ iisdem verbis in Martyrologio Adonis, qui addit : *In cœmeterio Balbinæ via Ardeatina, quod ipse insistens fecit*. Usuardus etiam, et Notkerus : *Romæ via Appia*, etc. Appia autem via, et Ardeatina, ut alias dixi, contiguæ erant. Jacet vero hoc tempore sancti Marci corpus in ecclesia S. Marco Evangelistæ ab ipso sancto pontifice ædificata. Quo autem tempore hæc translatum fuerit non reperi, antiquissimo autem fuisse scimus, forte a Gregorio IV, qui absidem ipsius ecclesiæ musivo ornavit opere, et quam tempore sacerdotii sui regendam susceperat, et qui plurima dona illi obtulit, ut refert Anastasius.

[1] Et Baronius dicto tomo XII in appendice, cum aliis tribus ex pag. 1164, ut supra sunt, de ecclesia S. Laurentii titulo Damasi. Quo in loco et sequens exstabat, Damasique nostri esse non dubitandum. Edidit que Sirmondus in notis ad Synodum his verbis : *Hæc autem facit antiquum urbis epigramma, quod reliquis e bibliotheca Palatina vulgatis addi licet, ex codice S. Mariæ Virduuens.*

Attica uxor (*vid. infra not.* [b]) fuit Felicis Magni v. c. ad quem Sidonius Apollinaris excusatorium Carmen scripsit num. 9, incipit :

Dic, dic quod peto, Magne dic amabo,
Felix nomine, mente, honore, fama,
Natis conjuge, fratribus, parente, etc.

Summque condiscipulum fuisse dicit ad finem.

Quapropter facinus meum tuere
Et condiscipuli tibi obsequentis
Incautum precor asseras pudorem, etc.

Meminit et in Propemptico ad finem.

Hinc ad consulis ampla tecta Magni
Felicemque tuum verius libellos, etc.

[a] Videtur legi oportere *tumuli*, ut jam monui : vel si *tumulum* retines, lege *honorat*. Subsitit S. Marci sepulcrum cum titulo usque ad tempora Gregorii VII, quo sedente detectum cum sacris exuviis, quæ alio translatæ fuerunt, narrat. cl. Marangonus in Append. ad Chronol. Rom. Pont., § 28 :

Uranio fratri supremum frater honorem
Martyris ad lævam detulit Ambrosius.

[b] Sarazanius aliud dedit de eodem S. Laurentio, carmen scilicet XIX., quod valde dubitari potest, an Damasi sit : eo tamen, ne lector careat, hic reddo.

Non mirum est fallax nimium quod flamma minatur,
Martyris et corpus nil nocitura cremat.
Namque docet fidei magnum sine vindice pœna
Ad cœlum mediis ignibus esse viam.

Epistolam ad eumdem Felicem scripsisse Faustum episcopum refert Gennadius de Viris illustribus in Fausto, cap. 85, his verbis : *Scripsit postea ad Felicem præfectum prætorio, et patriæ dignitatis virum, filium magni consulis jam religiosum, epistolam ad timorem Domini hortatoriam, convenientem personis pleno animo pœnitentiam agere disponentium* (forte *disponentibus*).

[2] Sancti Felicis presbyteri nat le habet Romanum martyrologium 14 Januarii, ubi notat Baronius, esse *Damasi carmen quod de eo scripsit vota persolvens*. Fueratque Romæ celebris solemnitas sancti Felicis confessoris, in cujus die natali, in ejus basilica homiliam habuit S. Gregorius, qu e est 15 in Evang. unde colligitur olim fuisse in ea Basilica stationem, ut testatur Panvinius in libello de stationibus urbis Romæ. S. Felicis in Pincis ecclesiæ meminit Anastasius bibliothecarius in Hadriano papa his verbis : *Basilica vero beati Felicis posita in Pincis, quæ in ruina erat, et tectum ejus disfactum existebat, facto eodem tecto noviter, ipsam ecclesiam renovavit, et vestem super altare ejusdem ecclesiæ de quadruplo faciens obtulit*. Et in Benedicto III : *Pari modo et in ecclesia beati martyris Felicis, quæ ponitur in Pincis fecit vestem de fundato, una cum gryphis*. Meminere Cencius camerarius, qui fuit Honorius III papa in suo Rituali, Martinus Polonus in Chronico, Nicolaus Signorilis, qui Martino V papæ opus dicavit, in quo de ecclesiis Urbis; Andreas Fulvius de antiquitatibus Urbis ad Clementem VII, et Lucius Faunus sub Paulo III, et Marlianus, qui et locum indicat; sed Polonus clarius, qui loquens de portis Urbis, *Porta*, ait, *Pinciana quæ est circa ecclesiam S. Felicis in Pincis*. Et vetus liber Antiquitatum Urbis in nostra bibliotheca, manuscriptus ante annos circiter 250, Urbano VI papa, portam Pincianam prope ecclesiam S. Felicis in Pincis enumerat, et his vetustior marmorea tabula ad S. Mariæ in Cosmedin., inter alia donata a Georgio gloriosissimo dicitur *bineas qui sunt in Pincis*, in quibus conjicio portam et montem Pincium ab hac ecclesia nomen accepisse, non ut volunt Antiquarii Blondum secuti auctorem, a Pincianorum domibus, quarum fit mentio apud Cassiodorum epist. 10, lib. III : *marmora de domo Pinciniana*, etc. Anastasius bibliothecarius in S. Silvestro *Palatium Pincis vel in Pincis, vel Pincii ubi habitavit Belisarius*, quia ab hac ecclesia nomen habuisse potest, quamquam, et Pinciæ familiæ

Hunc etenim fruitur martyr Laurentius ignem,
Et meritis summis ne moriatur agit.

Huic præterea tertium addidit incerti tamen auctoris, in quo laudatur Attica Felicis Magni uxor, ob restauratam ejusdem martyris basilicam, notasque huic adjecit, n. 14.

Videtur autem utrumque, ni fallor, ab eadem manu profectum; veroque simile est, pro more ejus sæculi parietibus restauratæ basilicæ tunc ea inscripta fuisse, atque inde excepta, si non ex alia basilica in agro Verano.

[c] In Latino Vatic. cod. 5087 hæc inscriptio legitur : *Versus Damasi papæ ad honorem S. Felicis papæ de falsi criminis purgatione, et de salute sibi restituta in basilica ejusdem Felicis musivo mirifico descripti.*

[d] Idem cod. *pariterque e nomine.*

Sanctorum in numero Christi [a] sacrate triumphis,
Qui ad te sollicite venientibus omnia præstas,
[b] Nec quemquam pateris tristem [1] repedare [2] vian-
tem [c],
Te duce servatus mortis quod vincula rupi,
Versibus his Damasus supplex [d] tibi vota rependo.

mentio fiat in veteri inscriptione Probæ Faltoniæ:

Aniciæ. Faltoniæ. Probæ. Annios. Pincios. Anicosque. Decoravit.

Nam sanctus Felix dictus ipse hoc nomine *in Pincis* apud S. Gregorium in Antiphonario, tali titulo : *Nat. S. Felicis in Pincis*, et in antiquis manuscriptis, et impressis missalibus ac breviariis, *S. Felicis in Pincis presbyteri, et martyris* nomine passim vocatur, credo ut ab aliis dignosceretur. Nam supra sexaginta in martyrologiis fuisse Felices legimus, tresque ex his Nolanos unum episcopum, alterum martyrem cum sociis, tertium hunc nostrum presbyterum, quia ut habet lectio Romani, *S. Felix sepultus est prope Nolam, in loco quem in Pincis appellabant* ; et Ado in martyrologio de ipso : *sepultusque juxta urbem* (scilicet Nolam) *in loco qui dicitur in Pincis*, etc., habeturque in veteri Romano martyrologio ; et Ado in capite sui operis : *Nolæ Felicis presbyteri in Pincis sepulti*. Beda etiam in martyrologio scribit : *Sepultusque juxta urbem ab Helpidio sancto presbytero ; in loco qui dicitur in Pincis;* et Notkerii martyrologium : *Sepultusque est non longe ab urbe Nola in loco qui dicitur in Pincis*. Sepulcri S. Felicis meminit S. Augustinus epist. 187, tom. I, ad populum Hipponensem, dum ait : *Multis notissima est sanctitas loci, ubi beati Felicis Nolensis corpus conditum est*, etc. Pincianam autem portam a Procopii ævo sic dictam ipse docet lib. I de Bello Gothorum ; ante enim Collatinam vocatam, et montem seu collem Hortulorum dictum scimus. Vitam S. Felicis carmine scripsit S. Paulus Nolanus episcopus in decem Natalibus, quorum primum ita inchoavit fere ut noster Damasus :

Inclyte confessor meritis et nomine Felix ;

et secundum natale sic :

Felix hoc merito quod nomine nomine et idem, etc.;

habens inter opera sancti Paulini, et apud Lippomanum, tom. II. Et ex Paulino, Beda soluta oratione vi-

[a] Ibid. *Sociate.*

[b] Tum statim huic additur, seu potius assuitur hic versiculus :

Hostibus exstinctis fuerant qui falsa locuti,

de quo vid. de Dam. carm., cap. 25, § 2, n. 8.

[c] Prudentius in Hispanias redux de S. Laurentio :

Et tristis haud ullus redit.

Et iterum de S. Hippolyto, Hymn. XI.

[d] Hilarius Papa Baptisterio Lateranensi a se exstructo : *Liberatori suo beato Joanni Evangelistæ Hilarius episcopus famulus XTI.*

Cæterum in eodem ms. cod. hoc Damasi carmen immediate sequuntur veluti indivulsa ejusdem pars hi versiculi :

Parvus erat locus, et sacris angustus agendis,
Supplicibusque negans pandere posse manus :

Hos autem, aliosque iis conjunctos cum legamus inter opera Paulini Nolani, epist. 32, et iterum p. 568 hinc suspicari licet, eosdem vere inscriptos fuisse parietibus basilicæ S. Felicis Nolæ ædificatæ, ineptumque exscriptorem eos omnes uni Damaso tribuisse.

[e] *Nomina, nec numerum.* Paulini nat. XIII. :

Hic martyres omnes
Quos simul innumeros magnæ tenet ambitus Urbis.

CARMEN XVI.

[3] *Votum S. Damasi.*

Sanctorum, quicumque legis, venerare sepulcrum,
Nomina nec numerum potuit retinere vetustas [e].
Ornavit Damasus tumulum, cognoscite, Rector,
[f] Pro reditu cleri Christo præstante triumphans,
Martyribus sanctis reddit [g] sua vota sacerdos.

tam texuit, ut affirmat ipse ad finem vitæ, et in fine historiæ Anglorum, dicens : *Librum vitæ et passionis S. Felicis confessoris de metrico Paulini opere in prosam transtuli.* Quam vitæ historiam habes, et apud Surium. Plura Gregorius Turon. c. 104 miraculorum in gloria martyrum a Paulino etiam (ut affirmat) mutuatus ; martyremque eum vocat, qui a S. Paulino *sine sanguine martyr non semel dicitur*. Meminit et S. Augustinus in lib. de Cura pro mortuis agenda, cap. 16, apparitionis S. Felicis, cum a Barbaris Nola oppugnaretur, et S. Gregorii liber Sacramentorum, Orationes et præfationem habet Missæ hoc titulo : XVIII *kal. Februarii, natali S. Felicis.* Petrus de Natalibus in Catalogo sanctorum ex uno tres facit Felices, deque illis confusa scribit, nonnullaque perperam tradit. Mambritius habet tom. I Vitarum sanctorum : *De Sancto Felice presbytero Nolano*, etc. *Felix* autem sine diphtongo scribendum docent vetera nomismata, et antiquæ inscriptiones.

[1] *Repedare*, Festus inquit, *recedere*, Pacuvius : *Paulum repedare a vestibulo gradum.* Et Nonius Marcellus : *Repedare* ; Lucilius, lib. XXVI : *Redisse, et repedasse, ut Roma vitet gladiatoribus.* — Idemque *Sanctum ego a Metello Romam repedabam manere.*

[2] Utitur hoc vocabulo et Solinus, cap. 32, sive 42, Apuleius, lib. VI, ac Floridorum initio. Sidonius lib. IV, epist. 3, initio, sed et Symmachus, lib. I, epist. 74.

[3] Baronius, pag. 909, sub anno Christi 562 : *Reperitur in antiquis inscriptionibus Damasus pro unione sanctæ Ecclesiæ nuncupasse vota martyribus, quæ et persolvit, ubi Romanus clerus relicto schismatico Ursicino, Damaso conjunctus est. Extat de his vetus inscriptio istis verbis*, etc. In codice Palatino sequitur hoc carmen :

DE SS. MARTYRIBUS VITALI, MARTIALI, ET ALEXANDRO.

Dum peritura Gethæ posuissent castra sub Urbe,
Moverunt sanctis bella nefanda prius.
Istaque sacrilego verterunt corde sepulcra.

Vid. etiam Prudentii *hymn.* XI, quorum ocularium testium fides Dodwelliani ingenii de paucitate Martyrum commenta destruit.

[f] Sic etiam Cornelius exsultabat in reditu Confessorum qui Novatiano adhæserant, apud Cyprian., epist. 46, edit. Pamel.

[g] Lapis Christianus ad S. Mariæ ad angelos recenter effossus, atque utraque ex parte inscriptus : in priori :

SANCTIS MARTYRIBUS
PAPRO ET MAUROLEONI
DOMINIS VOTUM REDD.
CAMASIAS QUI ET ASCLEPIUS ET VICTORINA
NAT. H. DIE IN X. KAL. OCTOB.
PUERI QUI VOT. H. VITALIS. MARANUS
ABUNDANTIUS. TELESFOR.

In alia vero parte :

DOMNIS SANCTIS
PAPRO ET MAURELONI
MARTYRIBUS
CAMASIUS QUI ET ASCLEPIUS ET VICTORINA VOT.
NATAL. HAB. DXIII. KAL. OCTOB.
. . . . ARANE VITALIS
. . . . NTI. TELESFOS.

Utramque inscriptionem a viro clar. A. F. Gorio nuper impressam fuisse nos monet auctor Veneti de Italiæ Litt. commentarii, t. II, pag. 532, 533.

CARMEN XVII.

[1] *De S. Eutychio* [a].

Eutychius martyr crudelia jussa tyranni
Carnificumque vias pariter tunc mille nocendi
[b] Vincere quod potuit, monstravit gloria Christi.
Carceris illuviem sequitur nova pœna, per artus
Testarum fragmenta parant, ne somnus adiret,
Bis seni transiere dies, alimenta negantur,
Mittitur in barathrum. Sanctus lavat omnia sanguis
Vulnera quæ intulerat mortis metuenda potestas,
Nocte soporifera turbant insomnia mentem.
Ostendit latebra insontis quæ membra teneret,

Martyribus quondam rite sacrata piis,
Quos monstrante Deo Damasus sibi papa probatos
Affixo monuit carmine jure coli.
Sed periit titulus confracto marmore sanctus,
Nec tamen his iterum posse latere fuit.
Diruta Vigilius nam mox hæc papa gemiscens
Hostibus expulsis omne novavit opus.

Non est Damasi, sed inter Damasi carmina posui, quia de Damaso et illius carminibus a Vigilio papa positum, habet et Baronius, qui credidit esse Damasi, his verbis : *Sed et exstant ejusdem Damasi versus, quibus alias exornavit sanctorum martyrum Ecclesias furore barbarico dissipatas, quas ipse restituit.* Ac esse de memoriis martyrum in suburbiis notat ad oram libri. Hi vero martyres quorum nomina leguntur in titulo, videntur esse ex septem filiis S. Felicitatis, ex quibus hi tres capitali sententia puniti, ut in martyrologiis, IV idus Julii legimus, cujus Felicitatis exstabat cœmeterium via Salaria. Anastasius in S. Bonifacio : *Habitavit Bonifacius in cœmeterio S. Felicitatis martyris via Salaria.* Et infra : *Hic fecit Oratorium in Cœmeterio S. Felicitatis juxta corpus ejus, et ornavit sepulcrum S. martyris Felicitatis, et S. Silvestri, ubi et posuit hæc ;* pœnam argenteam, etc., et rursus in fine : *Qui etiam sepultus est in cœmeterio S. Felicitatis martyris via Salaria.* Et in S. Hadriano : *Cœmeterium vero S. Felicitatis via Salaria, una cum ecclesiis S. Silvani martyris, et S. Bonifacii confessoris atque pontificis, uno cohærentes solo miræ restauravit magnitudinis.* Et ibidem : *Imo et cœmeterium Jordanorum, videlicet SS. Alexandri, et Vitalis, et Martialis martyrum, seu sanctorum septem Virginum a novo restauravit.* Et in S. Symmacho : *Hic repararit basilicam S. Felicitatis, cui ruina imminebat.* Et paulo infra : *Hic fecit cœmeterium Jordanorum in melius propter corpus S. Alexandri.* De alio S. Alexandro episcopo et martyre, martyrologium Romanum 21 Septembris : *Romæ via Claudia* XX *ab Urbe milliario, passio S. Alexandri Episcopi*, etc., *cujus corpus postea B. Damasus papa in Urbem transtulit,* VI *kal. Decembris, quo die festivitatem illius celebrandam instituit.* Et in veteri Romano martyrologio apud Adonem 26 Novembris : *Beati Alexandri episcopi et martyris passi* XI *kal. Octobris a papa Damaso* VI *kal. Decembris translati, quando festivitatem ei dicavit ;* et Petrus de Natalibus in Catalogo Sanctorum, lib. VIII, c. 101, de ipso : *Sanctus autem martyr via Claudia* XX *ab Urbe milliario ductus est*, etc. ; *sed post modum papa*

A Quæritur, juventus colitur, fovet, omnia præstat.
Expressit Damasus meritum venerare sepulcrum.

CARMEN XVIII.

[c] *De S. Tarsicio* [2].

Par meritum quicumque legis cognosce duorum,
Quisquis [d] Damasus Rector titulos [e] post præmia reddit.
Judaicus populus, Stephanum meliora monentem
Perculerat saxis [f] tulerat qui ex hoste tropæum.
Martyrium primus rapuit levita fidelis.
Tarsicium sanctum Christi sacramenta gerentem,
Cum male sana manus peteret vulgare profanis,
Ipse animam potius voluit dimittere cæsus,
Prodere quam canibus rabidis [g] cœlestia membra.

B *Damasus cryptam fabricavit, et ibidem ipsum deposuit.*

[1] Martyrologium Romanum 10 Februarii, *Romæ S. Eutychii martyris, qui illustre martyrium consummavit, sepultusque in cœmeterio Callisti, cujus sepulcrum S. Damasus papa versibus exornavit.* Et hoc epigramma ad hanc diem exstat in marmorea tabula incisum in basilica S. Sebastiani, melius ac fidelius, ut in saxo, editum a Panvinio in libro de septem ecclesiis Urbis, et a Baronio in Martyrologio, tom. etiam XII, in Appendicibus ex hoc tamen inscriptionum libro, ac ut legitur in eo ; nos autem illud cum archetypo contulimus, ac ut supra exscripsimus. Nam versu 3, Panvinius scribit, *monstrante* ; Baronius in Martyrologio *monstrantis* ; versu 8 Inscriptionum liber, *tulerat* ; lapis habet, *intulerat* ; ac sequitur versus, ac principium alterius, ut superius habes, quod in eo libro deficit, duorum enim versuum medietatem in unum transcripsit, ac ex duorum parte unum fecit. Corpus autem sancti Eutychii ex hoc loco translatum jacet in basilica S. Laurentii titulo C Damasi sub ara majori, ubi et Damasi ipsius exstant corporis reliquiæ, legiturque : *sub hoc altari condita sunt corpora S. Damasi papæ et confessoris, et sancti Christi martyris Eutychii.*

[2] *Accipe, et ejusdem Damasi epigramma de Tarsicio martyre sacram eucharistiam gestante.* Idem Baronius, qui versu antepenultimo, quod ex membranis Palatinis *pulgare* perperam legitur, legendum credit *peteret vulgare*, qua dicendi formula, et Ovidius, II, de Arte amandi utitur :

Quis Cereris ritus audet vulgare profanis?

Tropæum autem hoc loco sine aspiratione scriptum veteri more, Cicero in Oratore, ad Brutum : *Cum scirem ita majores locutos esse, ut nusquam nisi in vocali, aspiratione uterentur ; loquebar sic ut pulcros, et Cetegos, triumpos, Cartoginem*, etc., passim in antiquis inscriptionibus tropæum legitur : Graeci τροπαῖον ; vide Nonium. Ad Epigrammatis intelligentiam vide Martyrologium 15 Augusti, ubi et *via* D *Appia in cœmeterio Callixti sepultum*, quod et in martyrio S. Stephani papæ apud Metaphrastem 2 Augusti, qui est apud Lipoman. tom. VII, apud Surium, tom. IV, de quo et Petrus in Catalogo, lib. VII, c. 66. Vide et notationem Baronii in Martyrolog. ; ac ne mireris acolytum Christi Corpus gestantem. Hujus sancti corpus in ecclesia S. Silvestri in Campo Martio requiescere docet vetus marmorea inscriptio, cui

[a] Ven. card. Thomasius, Oper. tom. V, pag. 465, X *kalend. Junii : Natale S. Euthicii.* In reliquis vid. Saraz. not.

[b] Sic in carm. de sancto Paulo : *sensit, posset quid gloria XPI.* De SS. Nereo et Achileo : *possit quid gloria XPI.* De sancto Laurentio : *Vincere Laurenti sola fides potuit.*

[c] Vid. quæ ad hoc observavi de Damas. carm., cap. 25, § 2, n. 10.

[d] Forte *Queis.*

[e] Sic dictæ sepulcrales inscriptiones : locos habes frequentissimos apud Gruterum, et Muratorium.

[f] Carm. de S. Paulo : *tulerat quæ ex hoste tropæa* ; carmen de sepulcro suo : *portant qui ex hoste tropæa* ; et in append., n. 4 : *sumpsit qui ex hoste tropæa.*

[g] Videant heterodoxi eorum temporum fidem.

CARMEN XIX.

[1] *De sancto Gorgonio* [a].

Martyris hic tumulus magno sub vertice montis
Gorgonium retinet [b], servat qui altaria Christi.
Hic quicumque venit, sanctorum limina quærat,
Inveniet vicina in sede habitare beatos,
Ad cœlum pariter pietas quos vexit [c] euntes.

CARMEN XX.

[2] *De S. Saturnino martyre* [d].

Tempore quo gladius [e] *secuit pia viscera Matris* [f]
Sanguine mutavit patriam, [3] *vitamque, genusque*
Romanum civem Sanctorum fecit origo.
Mira fides rerum docuit post exitus ingens.
Cum lacerat pia membra, fremit Gratianus ut hostis,
Posteaquam fellis vomuit concepta venena,
Cogere non potuit Christum te, sancte, negare,
Ipse tuis precibus meruit confessus abire.
Supplicis hæc Damasi vox est venerare sepulcrum,
Solvere vota licet, castasque effundere preces,
Sancti Saturini [g] *tumulus quia martyris hic est.*

hic titulus : ☩. *In n. Domini hæc est noticia natalicio-rum Sanctorum hic requiescentium ;* deinde sequitur : *Mense Julio die xxvi. n. Scor. Zeferini Papæ, et Tar-sicii Martyris.* Varietas est dierum festivitatis illius ; nam Martyrologium die 15 Augusti. In martyrio S. Stephani papæ 2 die Augusti, in marmoreo Kalenda-rio S. Silvestri, 26 Julii : nasci potuit a die martyrii et translationum reliquiarum illius. Est et alius Tarsicius martyr Alexandriæ passus, cum Zotico et Cyriaco, in Martyrologiis 31 Januarii.

[1] Ex alia etiam marmorea tabula olim pro sepul-cro sancti Gorgonii martyris muro nunc affixa ad januam majorem basilicæ, uti et ex altera superius exscripta. Ediderе Baronius tom. IV Annal. sub anno Domini 384, et tom. VIII in appendicibus, et Gru-terus in Romanarum Inscriptionum appendicula. Gorgonius is esse videtur, qui cum Dorotheo passus est Nicomediæ sub Diocletiano imperatore, apud Eusebium lib. VIII, cap. 6, Histor. Ecclesiast. ; Ni-cephorus lib. VII, cap. 2 ; Breviarium, et Martyrolog. Romanum, et Bedæ, Usuardi, Adonis, Notkeri, die 9 Septembris ; ac Petrum de Natalibus in Catalogo lib. VIII, cap. 53. Cujus corpus postea Romam dela-tum affirmant ; Breviarium Romanum, et Martyrol. ut et Bedæ, Usuardi, Adonis, ac Petrus in Catalogo : viaque Latina positum. Et inde scribit Maryrologium ad basilicam S. Petri translatum Gregorio IV Pont. Breviarium et Anastasius in ipso Gregorio. Ado addit *via Latina inter duas lauros*, unde emendandum puta-bam in Martyrologiis, et pro *via Latina Lavicana* reponendum, *ubi erat locus inter duas lauros S. Ti-burtii, ac SS. Marcellini, et Petri, ac Helenæ, templis ac reliquiis olim clarissimus, ac Sanctorum* XXX *Mar-tyrum natali* 22 *Decembris.* Confirmabat hanc no-stram sententiam lectio Romani Breviarii, Pii V auctoritate editi, de S. Gorgonio, qui inter duas lau-ros via Lavicana sepultum legitur, nec alibi reperie-bam viam Latinam inter duas lauros : quanquam in Breviariis recentioribus via Latina repositum fuerit. Vide quæ de via Lavicana ad duas lauros supra an-notavimus. Gorgonii et aliorum corpora martyrum in Gallias postmodum translata his verbis scribit Sigebertus in Chronico sub anno Domini 764 : « Chro-degundus episcopus corpora martyrum Gorgonii, Naboris, Nazarii, Roma ad Gallias transtulit, et Gor-gonium quidem in Gorziæ Monasterio, Naborem in Hilliariaco reposuit, etc. ; » et Beda ex quo et Raba-nus in Martyrologiis scribunt : « *idus Junii, Nazarium simul cum Gorgonio martyre transtulit a Roma in Galliam Chrodegundus* (Rabanus autem habet Hu-ruœgangus), *Metensis episcopus, permittente Paulo papa Romano, anno Dominicæ Incarnationis* DCCLXV, *et collocavit prædictus episcopus S. Gorgoneum in monasterio quod dicitur Gorzia.* Notkerus in Marty-rologio, dicta die, iisdem fere verbis ; ac Petrus etiam in Catalogo sic : *Anno autem Domini* 764, *epi-scopus Metensis, nepos Pipini regis, ipsum transtulit in Gorgotiense monasterium.* Intellige tamen de parte corporis reliquiarum, nam et in basilica Vaticana sunt adhuc hujus sancti reliquiæ, quæ in solemni feria secunda Paschatis populo exhibentur ; ibidemque corpus illius servari affirmatur. Sed et in Ecclesia S. Silvestri ad campum Martium, in marmorea tabula natalitiorum sanctorum ibidem quiescentium legitur : *Mense Septembrio die* 10, *nat. S. Gorgonii et aliorum, quorum nomina Dominus scit ;* et in Actis ejusdem S. Gorgonii, quæ manuscripta servantur in bibliotheca congregationis Oratorii, cod. n. 7. Reliquias illius in Gallias translatas fuisse habetur, cum in transla-tione facta Nicomedia Romam, corpus fuisset aspor-tatum, ac de dictis reliquiis, in Saxoniam etiam aliquid transmissum postea fuerit.

[2] *Sed et in tumulo S. Saturnini martyris via Sala-ria, hos versus incidendos curavit.* Verba sunt Baronii, versus ex eo libro exscribentis post superiores. In cod. Palat. et edit. Grut. principium hujus carminis ita legitur :

Horum martyrum cultor Damasus episcopus servus Dei
Ola nunc Christi fuerit crarta..... cinis an. t... (sic).

[3] In codice legitur *namque genusque ;* pro quo reposuimus cum Baronio, *vitamque genusque.* Satur-nini autem dies est natalis 29 Novembris in Romano, dicto? Ita creditur. Hujus enim Saturnini celebris memoria agebatur eo loco, ut constat ex Bucheriano Kalendario, aliisque veteribus monumentis ad diem 29 Novembris ; quod ego verissimum puto, cum vi-deo eodem loco posita cæterorum martyrum sepul-cra a Damaso reparata, et versibus exornata, *Chris-anthi* scilicet, et *Dariæ*, et *Mauri*, et *Hilarii*, ac forte aliorum. Ordo certe Gelasianus Missam habet *pro Saturnino, Chrissanto, Mauro*, et *Daria*, uno eodemque loco, et die. Vid. cl. Blanchinum, Oper. Thomas. p. 140.

Cur igitur, quæ idem Damasus hoc carmine scri-bit non omnino conveniunt cum iis, quæ in Actis Marcelli de sancto Saturnino legimus? In iis enim, qui martyrem excruciari, et necari jussit, *Laodicius* est, hic vero *Gratianus* dicitur. Nulla præterea in Actis iisdem de Judicis ejusdem, quisquis ille sit, christianæ fidei *confessione*, quam Damasus memorat, mentio est. Verum, ut Baronius, ac Bollandus ad-vertunt, Acta illa non omni ex parte difficultate ca-rent.

[a] Quis hic Gorgonius? Vid. de Damas. carminibus cap. 25, § 2, n. 11.

[b] Ita rursus de *Sepulcro suo de incerto Græco Mar-tyre*, atque alibi Damasus. Hinc Muratorius plura in cœmeteriis, ac super martyrum posita altaria putat ut etiam Aringhus. Vid. not. ad Paulin. poem. XIX, ver. 398, Veron. edit.

[c] Einsildensis monachus *ovantes.*

[d] Tillemontius jure queritur exscriptorum vitio factum, ut hoc carmen, atque alia etiam sæpe vix nunc intelligimus, frustraque fuerunt industriæ meæ, ut illud integritati suæ restituerem. Vide etiam Sa-razan. not.

[e] Versiculum hunc habes iterum repetitum in Carm. *de S. Stephano*, et in append. num. 2.

[f] Romæ scilicet : Saturninum siquidem : *Origo Ro-manum civem, mira* autem *fides Sanctorum civem* fe-cit. Sensus tamen subobscurior.

[g] An qui cum Sisinnio diacono passus est, ac no-men cœmeterio dedit in via Salaria, Thrasonis etiam

CARMEN XXI.

[1] *De sancto Mauro* [2].

[3] *Martyris hic Mauri tumulus pia membra retentat,*
[b] *Quem Damasus rector longo post tempore plebis*
Ornavit supplex, cultu meliore, decorans
Insontem puerum cui pœna nulla [b] *dejecti.*

CARMEN XXII.

[4] *De incerto martyre Græco* [c].

Jamdudum quod fama refert, le Græcia misit.
A Sanguine mutasti patriam, civemque fratremque [d]
Fecit amor, legis sancto pro nomine passus.
Incola nunc Domini servas qui altaria Christi,
Ut Damasi precibus faveas, precor, inclyte martyr.

CARMEN XXIII.

[5] *De SS. Marcellino et Petro.*

Marcelline [e] *tuos, pariter Petre,* [f] *nosce triumphos.*
Percussor [g] *retulit Damaso mihi cum puer essem,*

Usuardi, et copiosius in Bedæ Martyrologiis. De basilica ubi exstabant reliquiæ S. Saturnini, Anastasius Bibliothecarius, qui etiam hos versus in Felice IV refert : *Hujus temporibus consumpta est incendio basilica S. Saturnini martyris via Salaria, quam a solo refecit.* Et in sancto Hadriano : *Sed et basilica S. Saturnini in prædicta via Salaria positam, una cum cœmeterio sanctorum Chrysanthi et Dariæ* B *renovavit, atque cœmeterium sanctæ Hilariæ innovavit.* Et in Gregorio IV : *Nam eo tempore ecclesiam beati Saturnini martyris foris portam Salariam constitutam, quæ vetustate nimia, et longo jam senio a fundamentis ceciderat, novis fabricis ædificari fecit, et picturis variis decoravit, ubi etiam obtulit vestem de fundato unam.* De qua basilica, et Baronius in Martyrologio. Restant adhuc templi parietes extra Salariam portam, et locus nomen retinet S. Saturnini, ubi et cœmeterium fuit nomine Thrasonis, de quo Cencius camerarius in libro Censuum Romanæ Ecclesiæ, Volaterranus, Albertinus, Panvinius, etc.; corpus vero S. Saturnini translatum ad Ecclesiam Sanctorum Joannis et Pauli titulo Pammachii.

[1] Baronius habet ut supra ex hoc loco pag. 912, his additis verbis : *Exstant in citato codice alia epitaphia indita aliis sanctorum martyrum memoriis, quas sive ornavit vel restituit eodem volumine comprehensa, et inter alia de Mauro puero.* Maurus puer hic ferme C est Jasonis frater, Claudii Tribuni et Hilariæ filius : de quibus in omnibus Martyrologiis 3 Decembris, et in Historia sanctorum Chrysanthi et Dariæ, quam habet Metaphrastes 19 Martii apud Lippomanum tom. VII et Surium tom. V : *Qui sanctus puer ob Christi confessionem interfectus est cum Jasone fratre, sub Numeriano imperatore; exstat in eo loco ubi interfecti sunt vetus monumentum, in quo homine Christiani cum illum expurgassent, nocte omnia sanctorum martyrum corpora posuerunt haud procul ab Urbe, juxta viam quæ Mauri nuncupatur.* Hæc in illa historia. Quorum sanctorum fratrum corpora ad S. Praxedem ex cœmeteriis translata sunt, sub Paschali papa, ut habetur in marmorea tabula Ecclesiæ illius. Quæ postea ab Alexandro II papa Lucam deportata ut ex veteribus monumentis Lucen. Ecclesiæ refert Baronius tom. II, sub anno Domini 1070.

[2] Simili modo supra de Sancto Gorgonio :

Martyris hic tumulus magno sub vertice montis,
Gorgonium retinet.

[3] Hoc plebis verbo similiter usi sunt, et alii veteres summi pontifices Romani, et ad Sanctam Mariam Majorem in Arcus summitate ex musivo : *Xystus episcopus plebi Dei.* Qui est Xystus hujus nominis tertius; et ad Lateranum in marmorea ad culæ janua S. Joannis Baptistæ : † *Hilarius episcopus* † *sanctæ plebi Dei.* Et in Ecclesia S. Andreæ in Esquiliis,

[a] Claudii Tribuni et Hilariæ martyrum filii, ac Jasonis fratris, ut in Actis sanct[i] *Chrysanthi*, et *Dariæ*. Vid. Sarazan. not.

[b] Sic Baronius ex quo Sarazanius. Gruter., p. 1171, *Delicti.*

[c] Ita *de sancto Saturnino : Sanguine mutasti patriam.*

[d] Vid. Saraz. not.

[e] In veteribus martyrologiis ac monumentis Marcellinus Petro, et Petrus Marcellino præponitur, quam Catabarbara vocat Anastasius, S. Hilarii successor S. Simplicius his versibus in musivo : *Plebs devota, veni perque hæc commercia disce*, etc.; integros adhuc videmus, quos et refert Platina. Et S. Felix III, successor Joannis, ad S. Stephanum in Cœlio monte, ubi erat inscriptio musiva, ex membranis Palatinis rediviva apud Gruterum : ex quo Baronius in Appendicibus in tom. XII retulit ad annum Christi 530, in cujus fine : *Felix papa addito musivo splendore sanctæ plebi Dei perfecit.* Et noster Damasus supra de sancto Paulo : *Cuperet discerpere plebem*, etc. Leo etiam quartus in versibus, qui ad portam Æliæ arcis exstabant, et Joannes papa VIII in epigrammate, quod in porta suburbii S. Pauli olim exstitisse apparet in veteri codice manuscripto, cui titulus, DESCRIPTIO URBIS ROMÆ, eodem titulo utitur; qui liber sub Urbano VI papa scriptus fuit, quem nos habemus. Versus quales sunt hic apponimus, ut reviviscant, quandoquidem alibi illos non legi :

LEONIS QUARTI

In Introitu Urbis Romæ per Portam Æliæ arcis :

Romanus, Francus, Bardusque viator, et omnis
Hoc qui intendit opus, cantica digna canat.
Quod bonus antistes quartus Leo rite novavit,
Pro patriæ ac plebis ecce salute suæ.
Principe cum summo gaudens hæc cuncta Joannes
Perfecit, cujus emicat altus honor.
Quos veneranda fides nimio devinxit amore
Hos Deus omnipotens perferat arce poli.
Civitas Leonina vocata.

JOANNIS OCTAVI

In Porta suburbii S. Pauli.

Hic murus salvator adest, invictaque porta,
Quæ reprobos arcet, suscipit atque pios.
Hanc proceres intrate senes, juvenesque togati,
Plebsque sacrata Dei limina sancta petens.
Quam præsul Domini patravit rite Joannes,
Qui nitidis fluxit moribus et meritis.
Præsulis octavi de nomine facta Joannis
Ecce Joannipolis urbs veneranda cluit.
Angelus hanc Domini Paulo cum principe sanctus
Custodiat portam semper ab hoste nequam,
Insigne nimium muro quam construit amplo
Sedis apostolicæ papa Joannes ovans,
Ut sibi post obitum cœlestis janua regni
Pandatur, Christo sat miserante Deo.

[4] Versu secundo *fratremque* reposui carminum legis D necessitate, *fratrem* enim solummodo est in exemplari; vel potius *civem quoque fratrem.* Hoc vero epigramma sicut cætera alia, non fuit a Baronio exscriptum, credo quia incerti nominis martyr, licet patria Græcus.

[5] Est carmen de sanctis Marcellino et Petro, uno presbytero, altero exorcista, martyribus; de quibus et hymnum scripsit Rhabanus Maurus episcopus

nullo inter eos discrimine. Vid ven. Card. Thomasii *Graduale Antiphonarium*, et *Lectionarium S. Gregorii* oper. tom. II et V curante viro eruditissimo P. Vezoso editorum.

[e] Palatinus codex Gruteri *nosse*, id est percussor se nosse retulit, atque ita scribendum censet cl. Mazochius ad Neapolitanum vetus marmoreum Kalendarium 2 Junii.

[g] Hinc intelligis nulla potuisse tunc temporis Acta

Hæc tibi [a] *carnificem rabidum mandata dedisse,*
Sentibus in mediis vestra ut tunc colla secaret,

A *Nec tumulum vestrum quisquam cognoscere posset;*
Vos alacres vestris manibus mundasse sepulcra [b],

ante annos prope 800; incipit : *Claras laudes ac salubres posco, fratres, dicite;* habetur num. 23, ac post hymnum alii versus num. seq. 24. Ad intelligentiam, et ut locum, ubi hoc epigramma positum fuerat indicemus, libet hic afferre verba, quæ in martyrio præfatorum sanctorum Marcelli et Petri leguntur. Sunt autem hæc : *Iis* (Lucillæ et Firminæ) *vero in visu apparuit sanctus Tiburtius cum his duobus martyribus* (Marcellino et Petro) *edoculque eos, quemadmodum corpora eorum e nigra sylva absportata, juxta ipsum in parte inferiori in crypta sepelire deberent : fuerunt autem eis adjutorio acolythi duo Ecclesiæ Romanæ. Hæc omnia Damasus, cum lector esset puerulus, didicit ab eo, qui eos decollaverat, et postea factus episcopus, in eorum sepulcro his versibus decoravit. Marcelline, tuos pariter*, etc. Quæ omnia referuntur, et in historia Martyrum, quæ versibus iambicis scripta habetur tomo VII Surii post historiam translationis corporum ad finem. Et Romanum Martyrologium de iisdem sanctis eodem die 2 Junii : *Horum corpora in crypta juxta sanctum Tiburtium sepulta sunt; eorum sepulcrum sanctus Damasus papa versibus postea exornavit.* Et Ado in suo Martyrologio ait : *Quorum corpora revelantibus se beatis Martyribus tulerunt post modum Lucilla et Firmina, christianissimæ feminæ, et juxta sanctum Tiburtium in inferiori parte crypiæ sepelierunt.* Porro ab omnibus fere Martyrologiis Romanis, Bedæ, Usuardi, Adonis, et Notkeri, asseritur istud Tiburtii sepulcrum fuisse in via Lavicana in ab Urbe milliario *inter duas lauros*, quo in loco Constantinus imperator basilicam construxit, ut Damasus, sive is Anastasius Bibliothecarius, in S. Silvestri Vita : *Eodem tempore* (scribit) *Augustus Constantinus fecit basilicam beatis martyribus Marcellino presbytero, et Petro exorcistæ, inter duas lauros, et mausoleum, ubi beatissima mater ipsius sepulta est* C *Helena, in sarcophago porphyretico via Lavicana, milliario ab urbe Roma tertio, in quo loco, et pro amore matris suæ, et veneratione sanctorum, posuit voti sui dona, patenam ex auro purissimo pensantem libras* 35. Et pergit reliqua donaria explicare permulta, magnique pretii, et agros, etc. Eadem ferme Beda de Rat. temp. sic : *Item basilica via Lavicana inter duas lauros beato Petro et Marcellino martyribus, et mausoleum, ubi matrem suam posuit in sarcophago purpureo.* Et Ado iisdem verbis in Chronico. Et Nicephorus lib. VIII, cap. 31, Hist. Ecclesiast. scribit de Helena mortua, ex Langii interpretatione : *Extra urbem Romam in templo rotundo marmorea urna deposita, atque biennio post una cum urna Constantinopolim deportata.* Et Sigebertus in Chronico, sub anno Domini 849, scribit : *Sancta Helena imperatrix Romæ in Ecclesia sanctorum Marcellini et Petri martyrum, in mausoleo purpureo sepulta*, etc. Eadem et Petrus de Natalibus lib. VII, cap. 73. Anastasius autem Bibliothecarius refert de Honorio I Papa : *Renovavit et cœmeterium beatorum Martyrum Marcellini et Petri via Lavicana.* Et de Hadriano I : *Cœmeterium item BB. Petri et Marcellini via Lavicana, juxta basilicam B. Helenæ renovavit, et tectum ejus, id est S. Tiburtii, et eorumdem SS. Petri et Marcellini noviter fecit, quoniam nullus erat jam descensus ad ipsa sanctorum corpora.* Quorum martyrum corpora, in Gallias postea translata fuerunt. Ejusque rei historiam scripsit Einardus, sive Eginartus, et Surius tom. VIII, ubi de loco hæc habet : *Primo ad basilicam S. Tiburtii martyris in via Labicana tribus ab urbe passuum millibus distantem veniunt, deinde in cryptam eidem basilicæ contiguam, in qua BB. Christi martyrum Marcellini et Petri corpora erant tumulata descendunt*, etc. Referunt translationem et Sigebertus in Chronico anno 826, et Annonius sive Anmonius de Gestis Francorum lib. IV, cap. 114, ad finem, qui sub Gregorio IV fuisse refert, et alii. De qua re, et Rabanus Maurus in versibus de iisdem martyribus :

Hos Christi testes Romana vindicat urbe
Vir probus Ainardus constitutique locum, etc.

Et in epitaphio Einardi, idem :

B Nam horum sanctorum condigno functus honore
Exquirens Romæ corpora duxit, et huc, etc.

In hac basilica stationem fuisse referi Panvinius in libello de Stationibus Urbis : IV *Non. Junii statio ad SS. Marcellinum et Petrum via Labicana. Nam S. Gregorius stationes per basilicas vel sanctorum martyrum cœmeteria sollicitus distribuit, quem morem labentibus temporibus plebs Romana quasi eo vivente certatim retinuit.* Eas basilicas ipse pontifex Gregorius, simul venerabundus adiens, vigili homilias in Evangelia coram ecclesia diverso tempore habuit, ut scribit Joannes Diaconus in Vita S. Gregorii lib. II, num. 18. Mentionem postea fecerunt loci hujus, et Cencius Sabellus, qui fuit Honorius tertius Papa, in libro Censuum Romanæ Ecclesiæ, habuit autem unam in basilica SS. Marcellini et Petri natali eorum die : *Cœmeterium inter duas lauros ad S. Helenam;* et Nicolaus Signorilis, qui sub Martino V. papa vixit, dum recenset ecclesias omnes Urbis, quæ suo tempore exstabant : *Extra Urbem* (ait) *ecclesia S. Pauli, S. Anastasii ad aquas salvias, S. Mariæ Annuntiatæ, S. Sebastiani ad Catacumbas, Sanctæ Helenæ*, etc. Exstabant tunc, et adhuc exstant vestigia hujus templi, ac Helenæ mausolei, quæ, et jam nos olim vidimus, ac se primum detexisse, atque lustrasse refert Bosius in Notis ad Vitam S. Cæciliæ. Hæc pluribus tractavimus, quia paucis cognita hæc erat basilica : imo vulgo ea credebatur quæ prope Lateranum his est dicata martyribus, cum hanc non esse a Constantino ædificatam ex prædictis cognoscatur, quod et Ugonius de Stationibus affirmavit. Verumtamen cum nostro tempore, Urbano VIII pont. Max. sedente, templum id in lucem est restitutum, et instauratum, clara cuilibet et perspicua quæ diximus esse poterunt. Obiterque hic notandum est, quod dicitur *ad duas lauros*, forte *ad duas lauras* esse legendum, ex eo quod, ut ait Arnobius lib. III, *Græci vicos cognominant lauras.* Tertullianus autem in Apologetico : D *Unde Cassii, et Nigri, et Albini, unde qui inter duas lauros obsident Cæsarem*, etc., intelligit de Commodo imperatore, *qui ut pestilentiam evitaret, Lauretum secessit, quod frigidior ea regio sit, silvisque e lauro permultis opaca, a quo etiam regioni indictum nomen*, etc., *ibique obsessus est a Romanis Cleandrum ad necem deposcentibus;* de quibus Herodianus lib. I histor.

consularia Martyrum a Christianis excipi, aut si quæ scripta fuerant, dilacerata fuisse, *ne tenacibus libellis erudita sæcula, tempus, modumque passionis proditum dulcibus linguis per aures posterorum proderent*, ut Prudentius ait hymno de sanctis *Hometerio* et *Ckeledonio*. Vid. Acta *S. Vincentii* apud Ruinart.

[a] Ita Sarazanius et Henschenius, at sensus postulat, ut *hæc sibi* legamus, quod etiam notat clariss. Mazochius.

[b] Hic punctum, quod Sarazanius et Henschenius omittunt, idem Mazochius recte posuit : nec enim martyres postquam jacuerunt, ipsi suis manibus sibi mundaverunt sepulcri locum, sed antequam occumberent.

Candidulo occulte postquam jacuistis in antro,
Postea commonitam vestra pietate Lucillam,
Hic placuisse magis sanctissima condere membra.

CARMEN XXIV.

[1] *De SS. martyribus Felice et Adaucto.*

[2] *O semel atque iterum vero de nomine Felix* [a]
Qui intemerata fide, contempto Principe mundi [b]
Confessus Christum [c] *cœlestia regna petisti.*
O vere pretiosa fides! cognoscite, fratres,
Qui ad cœlum victor pariter properavit Adauctus [d]
Presbyter his verus, Damaso rectore [e] jubente,
Composuit tumulum Sanctorum [f] Limina adorans.

CARMEN XXV.

[3] *De SS martyribus Nereo et Achilleo* [g].

Militiæ nomen dederant, [h] almumque gerebant
Officium pariter spectantes jussa tyranni,
Præceptis pulsante metu servire parati.

A Mira fides [i] rerum! subito posuere furorem,
Conversi fugiunt, ducis impia castra relinquunt;
Projiciunt clypeos, phaleras [j] et tela cruenta;
Confessi gaudent Christi portare triumphos.
Credite per Damasum possit quid gloria Christi.

CARMEN XXVI.

[4] *De SS. martyribus Proto et Hyacintho.*

Extremo tumulus latuit sub aggere Montis;
Hunc Damasus monstrat, servat quod membra piorum.
Te Protum retinet melior sibi Regia cœli.
Sanguine purpureo sequeris, Hyacinthe, probatus.
Germani fratres animis ingentibus ambo:
[k] Hic victor meruit palmam, prior ille coronam.

CARMEN XXVII.

[5] *De eodem.*

B Aspice descensum, cernes mirabile factum,
Sanctorum monumenta vides patefacta sepulcris:

[1] *Insuper et de SS. martyribus Felice et Adaucto ejusdem Damasi ibidem.* Refert Baronius pag. 912, quorum natale III kal. Septembris habent Martyrologia. Eratque horum sanctorum cœmeterium a S. Joanne papa renovatum, apud Anastasium Bibliothecarium, qui de S. Leone III scribit: *Renovavit sarta tecta beati Felicis et Adaucti martyrum juxta S. Paulum Apostolum.* Adaucti autem nomen sancti proprium non est: nam *hujus nomen ignorantes Christiani Adauctum eum appellaverunt, ei quod S. Felici auctus sit ad coronam:* ut scribitur in Martyrologiis Romano, Bedæ, Usuardi, Adonis, Notkeri, quæ via Ostiensi passos referunt. Quin etiam sanctam Dignam et Emeritam, in persecutione Valeriani imperatoris, sub Caio judice passas, in cœmeterio Comedillæ via Ostiensi ad sanctos Felicem et Adauctum sepultas; eorum acta testari refert Baronius in Martyrologium Romanum 22 Septembris. Quo exstitisse loco hoc epigramma credi potest. S. Gregorius Antiphonam habet de horum sanctorum natali.

[2] Eodem modo supra de S. Felice presbytero:

Corpore, mente, animo pariter de nomine Felix.

[3] Baronius pag. 909 exstimavit hoc epigramma compositum fuisse, cum furens populi Romani pars, relicto Ursicino armato, conversa est ad Damasum, tamquam legitimum pontificem. Ego tamen crederem, potius SS. martyribus, et quidem militibus aptari posse, qui contempta bellica Ethnicorum triumphali gloria, nomenque Christianum professi, abjectis martialibus armis, gloriosiores Christi triumphos, Christum imperatorem sequendo duxere.

[4] Baronius pag. 913, D, Appendicis: *Et de Proto*

[a] Hujus Felicis quem Marbodus, *Romæ ortum*, et *nutritum*, et *sacerdotem* ait, basilicam in via Ostiensi ad S. Paulum, olim in *Pincis* dictam fuisse constat ex Papebroch. Paralipom. ad Conat. p. 42. Ex quo forte factum, ut clar. Mazochius in *Pincis* legerit, ac Felicem hunc, minime vero Nolensem, *in Pincis* dictum fuisse conjecerit ad 14 Januarii.

[b] In append. n. 2:

Superato Principe mundi.

[c] Carm. de *Nereo et Achilleo confessi gaudent: de S. Saturnino: Meruit confessus abire;* et in Append. n. 2, Confessi X P M., et num. 3, confessa X P M.

[d] Nomen est beati hujus martyris proprium, secus ac alii olim censuerunt. Exstant horum martyrum Acta italico sermone scripta, et notis illustrata studio docti et religiosi viri Francisci Valesii elapsis annis defuncti.

[e] Qui proinde minime dubito, quin Epitaphium hoc a se compositum inscribendum dederit.

et Hyacintho martyribus idem Damasus, etc. Exstat aliud epigramma de iisdem sanctis ex pag. 1173, n. 11, quod infra reponemus, quando et Baronius cum superiori conjunxit: *Eratque Romæ illustris memoria horum martyrum, cujus confessionem Symmachus papa exornavit, apud Anastasium legimus.* Exstitisse vero credibile est via Salaria veteri, in cœmeterio Basillæ, ubi horum sanctorum natale ponunt die 2 Septembris. Martyrologium Romanum, et Adonis, et Notkeri: *Via Salaria in cœmeterio Basillæ.* Usuardus autem, *Via Salaria*, simpliciter. Eorum sacræ reliquiæ sub Clemente Papa VIII, ab ecclesia S. Salvatoris prope pontem S. Mariæ trans Tiberim posita, ad ecclesiam S. Joannis Baptistæ Florentinæ nationis, solemni pompa fuere translatæ anno Domini 1592, die 21 Junii, refert Baronius in Martyrologio, et nos oculati testes sumus, eratque in dicta ecclesia, quæ C S. Salvatoris in pede pontis dicta, monumentum tale: *Sub hoc lapide requiescunt sanctorum corpora gloriosissimorum Proti, et Hiacynthi.* Superioris vero inscriptionis Damasi, ac marmoris anterior pars exstat adhuc in ecclesia sanctorum Quatuor Coronatorum, reliqua parte recenter suppleta, hoc titulo præposito: *Fragmentum Carminum S. Damasi papæ, ex templi pavimento, hic repositum et suppletum.* Ex his nimirum Palatinis membranis. De gestis horum sanctorum martyrum plura habemur in Martyrio S. Eugeniæ apud Metaphrastem, quæ et apud Lippomanum tom. V, Surium tom. VI et S. etiam Gregorius in Antiphonario, et libro Sacramentorum, de iisdem sanctis martyribus antiphonam et Missam habet.

[5] Ex pag. 1172, num. 9, post aliud superius re-

[f] Einsildensis monachus videtur legisse *adornans*, quod non disciplet. Cæterum alia etiam lectio nihil D habet quod offendat, si sane intelligatur, Paulin. poem. XIX, vers. 305, Veron. edit.:

Et magni solium Confessoris adorat.

[g] Eorum martyrum sepulcro inscriptum fuisse testatur Einsildensis Monachus, cui præter Ciampinum subscribit ven. card. Thomasius, oper. tom. V, p. 463. Vid. de Damas. Carmin.

[h] Mabillon. Vet. Anal. p. 363, *Sævumque.*

[i] Cod. Palatin. apud Grut., *Eorum.*

[j] Apud Mabillon., *telaque cruenta.*

[k] Videas aliquando in sarcophagis altera parte insculptam palmam, altera vero coronam. Exempla habes apud Boldettum lib. II, cap. 9, et apud Muratorium tom. IV Inscript. An igitur, quo quisque ex sanctis fratribus loco positus fuerit, Damasus hoc versiculo indicare voluit? Ita videtur. Huic carmini Einsildensis Monachus hæc addit: *Leopardus presbyter ornavit.*

Martyris hic Proti tumulus jacet atque Hyacinthi,
Quem cum jamdudum tegeret mons, terra, caligo,
[a] Hoc Theodorus opus construxit presbyter instans
Ut domini plebem opera majora tenerent.

CARMEN XXVIII.

[1] *De SS. martyribus Chrysantho et Daria* [b].

Hic votis paribus tumulum duo nomina servant
Chrysanthi, Dariæ, nunc venerandus honor.

ponendum, cum et Baronius tamquam Damasi cum illo conjunxerit; ambo namque epigrammata sunt de SS. Proto et Hyacintho, ac Damasum hoc etiam redolet.

[1] Sunt Damasi versus, Gregorii Turon. testimonio in libro de Miraculis in gloriam martyrum cap. 38. ad finem, dum loquitur de basilica sanctorum Chrysanthi et Dariæ, his verbis: *Damasus antistes sanctæ sedis apostolicæ jussit diligentius operire fenestram ubi et versibus decoravit locum*, etc. Non exscripsit Baronius ut alios; meminit tamen in Martyrologio ex Gregorio dum ait: *De eorum corporum inventione, et de epitaphio S. Damasi papæ ad sepulcrum eorum conscripto*, etc. Colligimus exstitisse hanc basilicam vel cryptam via Salaria; nam legitur ex vetustis manuscriptis codicibus apud Surium 17 Januarii de inventione sancti Diodori, et aliorum his verbis: *Beatus igitur Chrysanthus et Daria virgo*, etc. *Imperatoris furia extra portam Romanæ urbis via Salaria in arenario depositi, terra, et lapidibus obruti jussi sunt vivi.* Et lectio Romani Breviarii 25 Octobris hæc habet: *Deinde in arenariam quæ est via Salaria uterque ductus, effossa terra lapidibus obruti, parem martyrii coronam adepti sunt.* Et Martyrologium Romanum dicta 25: *Jussi sunt a Numeriano imperatore via Salaria in arenario deponi, atque illic viventes terra et lapidibus obrui.* Eadem Usuardus eademque die. Beda vero, et Ado prima Decembris; Græci etiam in Menologio, in vita apud Metaphrastem 19 Martii; quæ dierum festivitatis varietas a die martyrii aut inventionis, aut translationis nasci potuit. Et Gregorius Turon. inquit: *Etiam cryptam super eis miro opere fabricatam, quæ in arcum postea transvolutum firmissima stabilitate subsistebat.* Et Anastasius in Hadriano scribit: *Sed, et basilicam S. Saturnini in prædicta via Salaria positam una cum cœmeterio sanctorum Chrysanthi et Dariæ renovavit.* Alio autem ordine scripta habes hæc carmina eodem libro pag. 1171, sed de octo versibus quatuor posteriores tantummodo, ac legitur:

Pauper excessu melius nunc ista resurgunt.

Propterea ex hoc libro addimus verbum illud, *me-*

[a] Hoc etiam carmen Damasi esse stylus probat: alterum itaque eorumdem sanctorum martyrum tumulo, alterum vero eorum cœmeterio Theodori presbyteri cura ampliato inscriptum fuisse puto. Cœmeterii locum describit Boldett. lib. II. cap. 18.

[b] Vid. de Damas. carmin. ne quæ eo loco observata a me sunt, iterum repetam.

[c] Ita nunc legitur lapidari, aut exscriptoris vitio, cum forte scribi debuisset *Effera quæ rabies!*

[d] Lege *tumulus*. In lapidibus enim o pro u haud raro: Sic *oxori* pro *uxori*, *avoncio* pro *avunculo*, *secos* pro *secus*.

[e] Damasi scilicet pecunia; siquidem illum *Mauri* tumulum ornavisse legimus, eodem quo Chrysanthus et Daria, loco positum. Malmesburiensis apud Blanchin. ad Anastas. opusc. 14, Via Salaria in altera ecclesia sunt: *Chrysanthus, et Daria, et Saturninus, et Maurus, et Jason et Mater Hilaria.* Card. Thom. oper. tom. II, p. 518; III *kalend. decemb. Natale SS. MM. Saturnini, Chrysanthi, Mauri, Dariæ, et aliorum via Salaria in Thrasonis.*

[f] In Vaticano cod. 3860, primo loco referuntur

A [c] Effera quem rabies, neglecto jure sepulcri
Sanctorum [d] tumulos præda furentis erat.
[e] Pauperis ex censu melius nunc ista resurgunt,
Divite sed voto plus placitura Deo.
Plange tuum, Gens sæva, nefas; periere furores,
Crevit in his templis per tua damna decus.

CARMEN XXIX.

[2] *De S. Agnete Martyre* [f].

Fama refert Sanctos dudum retulisse parentes

lius, ut integer sit versus; illic autem legitur *excessu*, hic vero *ex censu*. Num. etiam 14 ejusdem folii solum priora duo sunt carmina, et legitur versu secundo:

Chrysanthi, Dariæ, nam venerandus honor;

ac duo sequentia cum alio epigrammate etiam pag. 1171, num. 15. Quorum sanctorum corpora
B a Stephano Papa VI, anno Domini 886, pontificatus anno primo cum aliis reliquiis inventa ex eoque loco translata in Lateran. palatium, et ad basilicam SS. XII Apostolorum, et alibi, condidit, ac largitus est, ut habetur in historia inventionis sanctorum Diodori et aliorum apud Surium tomo I, die 17 mensis Januarii, de qua etiam Petrus in Catalogo lib. I, cap. 12. Quorum etiam sanctorum Chrysanthi et Dariæ altare in basilica Lateran. sub abside fuit, in quo ipsorum corpora recondita olim fuerant; sed cum tempore, quo Ecclesia corruit sub Stephano VI pollutum, et dirutum fuisset, translata sunt in oratorium S. Mariæ, et S. Pancratii martyris, quod erat in dextro latere basilicæ, ubi nunc sacrarium est, ibique sub altare ipsius oratorii recondita sunt, ut scribit Panvinius de septem Ecclesiis in sancti Joannis templo: refert tamen Sigonius de Regno Italiæ lib. VI, sub anno 947, Adelandrum episcopum Regiensem sancta martyrum corpora
C Chrysanthi et Dariæ a Berengario impetrata Regium deportasse, quæ in hanc usque diem Regienses religione præcipua venerantur. Et in officiis sacris civitatis Regii habentur lectiones, et in translatione eorumdem sanctorum, ubi legitur anno Domini 915, a Joanne X papa Berengarium horum sanctorum corpora impetrasse, ipsi vero Adelardi episcopi precibus concessa.

[2] Duo hæc sequentia epigrammata Damasi esse ait Baronius in Martyrologio 21 Januarii, ac sub nomine Damasi in corpore veterum poetarum edita sunt. Prius est de martyrio S. Agnetis, cujus passionem et Prudentius hymno hoc pereleganti cecinit:

Agnes sepulcrum est Romulea in domo,
Fortis puellæ martyris inclytæ.

versus in abside basilicæ olim inscripti hoc titulo: *Versus Constantinæ Constantini filiæ scripti in abside basilicæ, quam condidit in honorem S. Agnes*, ut etiam in Grutero:

D Constantina Deum venerans, Christoque dicata,
Omnibus impensis devota mente paratis,
Numine divino multum, Christoque juvante,
Sacravit templum victricis virginis Agnes,
Templorum quod vincit opus, terrenaque juncta,
Aurea * *nam* rutilant summi fastigia tecti;
Nomen enim Christi celebratur sedibus istis,
Tartaream solus potuit qui vincere mortem,
Invectus cœlo, solusque inferre triumphum,
Nomen adhuc referens, et corpus, et omnia membra
A mortis tenebris, et cæca nocte levata.
Dignum ** *Agnes* munus, martyr devotaque Christo,
Ex opibus nostris per sæcula longa tenebis,
O felix Virgo memorandi nominis Agnes!

Tum statim, ac immediate legitur carmen S. Damasi iis ferme verbis, quibus adhuc exstat lapidi incisum in eadem Basilica, ubi illud iterum contuli.

* Cod. *quæ*. — ** Cod. *igitur*.

Agnem [a] cum lugubres captus tuba [b] concrepuisset, A
Nutricis [c] gremium subito liquisse puellam;
Sponte trucis calcasse minas, rabiemque tyranni :
Urere [d] cum flammis voluisset nobile corpus,
Viribus immensum parvis superasse timorem,
[e] Nudaque perfusos crines, et membra dedisse,
Ne Domini templum faciès peritura videret.
[f] O veneranda [e] mihi, sanctum decus alma pudoris,
Ut Damasi precibus faveas precor, [f] inclyta Virgo.

CARMEN XXX.

[g] *De S. Agatha martyre* [g].

Martyris ecce dies Agathæ
Virginis emicat eximiæ,
Christus [h] eam sibi qua sociat,
[i] Et diadema duplex decorat.
[j] Stirpe decens, elegans [i] specie,
Sed magis actibus, atque fide,
Terrea prospera nil reputans,
Jussa Dei sibi corde ligans.
[k] Fortior hæc trucibusque viris
Exposuit sua membra flagris,
Pectore quam fuerit valido
Torta mamilla docet patulo.
[l] Deliciæ cui carcer erat
[g] Pastor ovem Petrus hanc recreat.
Lætior inde magisque flagrans

De eadem hymnum composuit S. Ambrosius, qui inter ejus opera Romæ edita, hymnus est 33, cujus initium : B

Agnes beatæ Virginis
Natalis est quo spiritum, etc.

Ejusque laudes idem S. Ambrosius in lib. 1 de Virginibus scripsit, et in sermone de illius passione fusius, et lib. 1 de Officiis cap. 4. Item S. Maximus Taurinensis episcopus, homiliam habuit in natali S. Agnetis, quam inter Vitas sanctorum retulit Lippomanus tom. I, in qua plene de vita et passione illius. Hildeberius Cenomensis descripsit versu elegiaco martyrium S. Agnetis ; poema est satis longum divisum in undecim capita, edidit Gaspar Barthius in Adversariis lib. XXXI, c. 13.

[l] S. Ambrosius in citato sermone : *Ad hæc insanus judex jussit eam exspoliari, et in lupanar duci sub voce præconis dicentis : Agnem sacrilegam virginem Diis blasphemias inferentem, scortum lupanaribus datam. Statim autem ut exspoliata est, crine resoluto tantam densitatem capillis ejus divina gratia concessit, ut melius videretur fimbriis eorum, quam vestibus tecta*, etc. ; et sanctus Maximus in homilia de eadem : *Nam spoliata Virgo tegitur crinibus, et nudata ab hominibus malis vestitur ab angelis bonis, et damnata in prostibulo turpitudinis, in gremio apparuit castitatis*, etc. C

[m] O Agnes verum decus alma pudoris imago.

Sanctus Hieronymus, epist. 8 ad Demetriadem : *Omnium gentium litteris atque linguis præcipue in ecclesia Agnes vita laudata est, quæ et ætatem vicit, et tyrannum, et titulum castitatis martyrio consecravit.* Quæ S. Hieronymi verba sunt relata et in Romano Martyrologio, in festo S. Agnetis.

[n] *Scripsit de ejus die natali sacrum hymnum S. Damasus papa.* Hæc Baronius in Martyrolog. 5. Februarii : qui de ipsa plurima annotavit.

[k] Virginitatis et martyrii diademata sunt, candidum ex virginitate, ex martyrio purpureum ; duplicisque martyrii candidatam virginem et purpuratam repræsentat, vel quod sana reddita est post vulnera, D ac deinde aliis tormentis necata. Ita Prudentius de sancta Agnete :

Duplex corona est præstita martyri:
Intactum ab omni crimine virginali,
Mortis deinde gloria libera.

Et ad finem :

Intende nostris colluvionibus
Vultum gemello cum diademate.

Et S. Cyprian. in epist. 9, ad Martyres, ait : *O beatam Ecclesiam nostram, quam sic honor divinæ dignitatis illuminat, quam temporibus nostris gloriosus martyrum sanguis illustrat ; erat ante in operibus fratrum candida, nunc facta est in martyrum cruore purpurea. Floribus ejus nec lilia, nec rosa desunt ; certent nunc singuli ad utriusque honoris amplissimam dignitatem, ut accipiant coronas vel de opere candidas, vel de passione purpureas. In cœlestibus castris, et pax, et acies habent flores suos, quibus miles Christi ob gloriam coronetur.*

[o] Nobilissimis orta natalibus. Ado in Martyrolog. de festivitatibus Apostolorum. Metaphrastes in Vita illius : *Ingenua sum, et ex spectabili genere orta, ut omnis parentela mea testatur.*

[p] Apud S. Gregorium in lib. Sacramentorum ac præfatione Missæ sanctæ Agathæ legitur : *Per Christum Dominum nostrum, pro cujus nomine pœnarum, mortisque contemptum in utroque sexu fidelium, cunctis ætatibus contulisti, ut inter felicium martyrum palmas Agathen quoque beatissimam virginem, victrici patientia coronares. Quæ non minis territa, nec suppliciis superata, de diaboli sævitia triumphavit. Quia in tuæ Deitatis confessione permansit. Et ideo*, etc.

[q] Ado in Martyrologio, etc. : *Agatha autem lætissime et glorianter ibat ad carcerem, et quasi ad epulas invitata, ita gaudens agonem suum Domino precibus commendabat.*

[r] Virginem vulneribus sauciam sanavit in carcere S. Petrus, qui dixit : *Ego sum apostolus Christi ; nil in me dubites, filia. Quem antecedebat* (inquit Ado) *puer luminis portitor, mamilla quoque virgini restituta*, etc. ; similiter, et Metaphrastes.

Muratorius etiam sic retulit ex Clar. Marangono in IV. Inscript. tomo. Sic iterum Marangonus ipse, *Delle cose Gentilesche*, p. 405, ex lapide adhuc exstante.

[a] Cl. Mazocchius ad XXI Januarii disputat, an nomen Agnes aspirandum sit, ut melioribus sæculis. At lapis adhuc exstans sic habet.

[b] Basil. oper. tom. I, orat. 5. *Dies decidendæ causæ ut adveniit, en tibi præco ex nomine quemque ciebat.* Utebantur vero præcones tubo quodam argenteo, vel æreo, tamquam tuba, quo vox major et clarior audiretur, ut ex Hesichio colligit adnotator ad Lucian. de Mort. Peregr. cap. 32.

[c] Nutrices grandioris etiam ætatis puellis adstitisse discimus etiam ex Chrysostomo tom. I, hom. 51. Sic etiam de sancta Agnete Ambrosius :

Solvit fines custodiæ
Fides teneri nescia.

[d] Beda genuinus : *Natale S. Agnetis, quæ sub Præfecto Urbis Sempronio ignibus injecta ; sed his per orationem exstinctis, gladio percussa est.*

[e] Cod. Vat., sed haud recte :

O venerandum Agnes, tu mihi decus alma pudoris.

[f] Prudent. : *Agnes fortis puellæ, Martyris inclytæ.*

[g] Ven. card. Thomasius oper. tom. II. p. 384, ex veterum monumentis : *In natale S. Agathæ virginis et martyris, S. Damasi papæ.*

[h] Alii : *quia sibi Christus eam sociat.*

[i] Al. *facie.*

[a] Cuncta flagella cucurrit ovans.
[1] Ethnica turba rogum fugiens,
Hujus et ipsa meretur opem;
[2] Quos Fidei titulus decorat
His venerem magis ipsa premat.
Jam renidens quasi sponsa polo,
[3] Pro misero [b] rogita Damaso.
Sic tua festa coli faciat,
Se celebrantibus ut faveat.

CARMEN XXXI.

Epitaphium Irene Sororis.

Hoc ~~tumulo~~ sacrata Deo nunc membra quiescunt.
Hic soror est Damasi, nomen si quæris, Irene;
[c] Voverat hæc sese Christo, cum vita maneret,
Virginis ut meritum sanctus pudor ipse probaret.

[1] *Ethnici, Ætna monte ignem vomente, ad virginis templum ignem fugientes properant, acceptumque ejus amictum sepulcro impositum contra ignis impetum adhibuerunt, ignis autem protinus Dei beneficio regressus est.* Metaphrastes.

[2] Hinc imploratur Christi fidelibus auxilium Agathæ adversus Veneris ardores, sicut Ætnæ ignem Ethnicis exstinxit, ita fidelibus flammas Venereas stimulosque reprimat.

[3] Versus hic ecclesiastico usui adaptatus fuit hoc modo: *Pro miseris supplica Domino.* Sic legitur in Elucidario ecclesiastico Clichtovei, qui hunc hymnum affert et interpretatur.

[a] Baronius, pag. 910 Appendicis, anno Christi 384: *Porro aureas illas de Virginitate lucubrationes, ad sanctam sororem virginem Irenem nomine a Damaso scriptas fuisse putamus, quam et defunctam prosecutus est epitaphio, quod diu latens, Dei beneficio his diebus lucem emersit, sic se habet.* Hactenus ipse. Exstitisse autem hoc epitaphium in basilica S. Sebastiani ad Catacumbas crederem, cum Anastasius Bibliothecarius dicat de Damaso: *Hic fecit basilicas duas, unam juxta theatrum S. Laurentio, et aliam via Ardeatina, ubi requiescit in Catacumbis*, etc.; et in fine: *Qui sepultus est via Ardeatina in basilica sua in idus Decembris, juxta matrem suam et germanam.* Viam Ardeatinam cum Appia sæpe confundunt ob vicinitatem; vel quia illuc protendebatur: sic et in Gestis S. Sebastiani legitur, quod SS. Marcus et Marcellinus *sepulti sunt via Appia, milliario secundo ab Urbe, in loco qui vocatur ad arenas, quia cryptæ arenarum illic erant, ex quibus Urbis mœnia struebantur.* In Martyrologio ac Breviario legitur *in via Ardeatina.*

[b] Per extensum edidit Baronius, nam ex membranis D. M. habet.

[c] Exstat marmorea tabula in basilica SS. Martini et Silvestri titulo Equitii, ex qua hæc exscripsimus, et Baronius etiam edidit tom. VIII Annalium inter appendices. Estque pro sepulcro Projectæ filiæ Flori consulis in ea notati; fuitque anno Christi 383, secundum Panvinium, et in Fastis, et in Chronico, et Baronius tom. IV Annal. Damasus vero sedit ab anno 366, ad annum 384, eritque pontificatus annus 17. Quod ad finem scriptum DEP. *deposita* hic significat; et passim habentur hæ notæ in antiquis Christianorum inscriptionibus, ac *depos.*, *deposit.* in Martyrologiis aliquando legitur *depositio* sancti. Et Ecclesia in oratione pro mortuis, *cujus depositionis diem commemoramus.* Prudentius in hymno in exsequiis Defunctorum: *Nunc suscipe terra fovendo.* Et infra: *Tu depositum tege corpus.* Imo, et S. Paulus, II ad Timoth. I: *Scio cui credidi, et certus sum quia potens est depositum meum servare in illam diem;* et S. Petrus epist. II, cap. 1: *Certus quod velox est depositio tabernaculi mei.* Depositum autem quasi ad tempus tantum, non in perpetuum, ob spem videlicet resurrectionis, unde et dormire pro mori, et dormientes pro mortuis frequentissime in sacra Scriptura usurpatur.

CARMEN XXXII.

[d] *Epitaphium Projectæ* [f].

Quid loquar aut sileam, prohibet dolor ipse fateri.
Hic tumulus lacrymas retinet: cognosce parentem

A Bis denas hiemes necdum compleverat ætas,
Egregios mores vitæ præcesserat ætas.
Propositum mentis pietas veneranda puellæ,
Magnificos fructus dederat melioribus annis.
Te, germana soror, nostri nunc testis amoris,
Cum fugeret mundum dederat mihi pignus honestum,
Quam sibi [d] cum raperet melior tunc regia cœli,
Non timui mortem, cœlos quod libera adiret,
Sed dolui, fateor, [e] consortia perdere vitæ.
Nunc veniente Deo nostri reminiscere, virgo,
[3] Ut tua per Dominum præstet mihi facula lumen.

[a] Sic Tertullianus ad Martyr. cap. 5: *Alii inter renatorum laureas patientissimi inambulaverunt.* Stabant autem venatores flagris longo ordine dispositi, ante quos christiani martyres nudi incedere cogebantur, ut singulorum laureas acerbe inflictas exciperent. Vid. Euseb. lib. v, cap. 1, ibique Valesii aliorumque notas et lib. VII, cap. 2. Hoc igitur pœnæ genus Damasum eo versiculo respexisse putat Holstenius in not. ad act. SS. Perpetuæ et Felicitatis v. 33. Cæterum cum Acta Latina fortissimam hanc virginem, *colaphis*, Græca vero *flagellis* cæsam exprimant, Tillemontius loco ῥαβδίζεσθαι, mallet ῥαπίζεσθαι. At cum ῥαπίζω utrumque valeat, *colaphis* scilicet et *virga*, seu fuste cædere, latinum interpretem eorumdem auctorum aliud pro alio reddidisse probat idem Damasus hoc loco.

[b] Pro usu chori *pro miseris supplica Domino.* Quis vero hic Damasus? an noster? Tillemontius hoc agre sibi persuaderi patitur: usum enim rhythmorum, quibus hic hymnus constat, longe posteriorem esse putat ætate Romani hujus pontificis. At ego haud facile concesserim rhythmos ætate Damasi posteriores esse, cum potius longe antiquiores esse evincat marchio Maffeius vir. cl. Histor. diplom. p. 187. Si quis interim idem metri genus ab Hilario, Ambrosio, Paulino, Prudentio, aliisque usurpatum legat, vix negaverit, quin ea saltem ætate in usu fuerit.

[c] Paulin. poem. 21:

..... Æternis jam pacta virago
In cœlo thalamis, quam matris ab ubere raptam.
Festino placitam sibi Christus amore dicavit.

Videant qui hæc vota aut improbant, aut impune frangi posse existimant.

[d] Carmen de Proto et Hyacintho, *retinet melior sibi regia cœli; de sepulcro suo* sublimes *animas rapuit sibi regia cœli;* et in Append. n. 4, *rapuit sibi regia cœli.*

[e] Erat itaque ex sacrarum virginum genere, quæ vitam religiosam domi suæ, ac cum suis professebantur, ut Marcellina, Eustochium, Principia, aliæque.

[f] Projecta, an Prejecta? Ex Marangono viro clarissimo:

MAR
PREJECTO
IN REFRIGER

Atque iterum:

PREJECTE
QUAE VIXIT ANNO
UNO MENSES X. DIES VIIII.
QUIESCET IN PACE

Projectæ, fuerat primo quæ juncta marito,
Pulchra decore suo, solo contenta pudore;
Heu dilecta satis miseræ genitricis amore,
Accipe quid multis thalami post fœdera prima
Erepta ex oculis Flori genitoris [a] abivit,
Ætheriam cupiens cœli conscendere lucem.
Hæc [b] Damasus præstat cunctis solatia fletus.

CARMEN XXXIII.

[1] *De sepulcro suo.*

VIXIT. AN. XVI. M. X. DIES. XXV. DEP. III KAL. JAN. FL. MEROBAUDE ET. EL. SATURNIN. CONSS.

Hic congesta jacet quæris si turba Piorum,
Corpora sanctorum retinent veneranda sepulcra,

patur, *quia vigilaturos, id est resurrecturos vult intelligi*, ut ait Augustinus in Psalmum LXXXVII, inde et sepulcrum cœmeterium dictum quasi dormitorium. Inscriptionem autem hanc ex cœmeterio Priscillæ via Salaria huc translatam crederem; cum Sergius Papa II transtulerit multa corpora Sanctorum ex eo cœmeterio in hanc basilicam, ut docet vetus marmorea tabula hoc loco. Unde etiam monumenta transferre potuit Sergius, qui et ecclesiam hanc sanctorum Silvestri et Martini in meliorem pulchrioremque statum a fundamentis erexit, ut scribit Anastasius.

[1] Vidit Baronius, et ex hoc loco exscripsit pag. 913, dicens: *Rursum de loco suæ sepulturæ apud sanctos martyres collocandæ, nisi ipsum reverentia absterruisset, exstat ejusdem Damasi ejusmodi inscriptio*, etc. Versu antepenultimo, pro *quis* reponit *queis*, id est *quibus*. Est et aliud epitaphium illius quod habuimus supra ex Baronii tom. VIII. Intellige hoc loco de cœmeterio Callisti ad Sanctum Sebastianum, ibidemque positum fuisse dicendum est; nam et superius, et sequentia duo monumenta ex eodem loco sunt exscripta; ex quo verisimile est et istud. Xysti tamen II, pontificis socii, de quibus in epigrammate in cœmeterio Prætextati eadem via Appia sepulti leguntur, in Romano ac Usuardi Martyrologiis, et apud Anastasium Bibliothecarium; apud quos et Bedam nomina leguntur ipsorum Felicissimi et Agapiti diaconorum, Vincentii, et Stephani subdiaconorum. Item et beatus Quartus, ex S. Cypriani relatione Martyrolog. ac ipse etiam Xystus in cœmeterio Callisti, apud eumdem Anastasium Bibliothecarium, et Romanum, ac Bedæ, et Adonis Martyrologium. Cœmeterium autem Prætextati contiguum, et par cœmeterii Callisti fuit, quod bene affirmat et illorum gnarus Bosius in notis ad S. Cæciliæ passionem, et Parvinius de cœmeteriis hæc habet: *Cœmeterium S. Damasi papæ inter vias Ardeatinam et Appiam.* De quo Damasi cœmeterio, in Joanne VII papa scribit Anastasius: *Laboravit autem et in cœmeteriis beatorum martyrum Marcellini et Marci, Damasique sancti Pontificis.* Quod si idem non est cum Callisti cœmeterio, erit contiguum, et pars etiam illius, nam et Athanasius scribit de Damaso, ut in superiori etiam retulimus: *Hic fecit duas basilicas unam*, etc.; *et aliam via Ardeatina ubi requiescit in Catacumbis.* Et paulo infra:

[a] Lapis, *abiit.*

[b] Muratorius post fata quibus nuper cessit, superstes, Thes. Inscript. tom. IV, f. 1999, in schedis ad se missis scriptum reperit *clamans*, nullo tamen sensu ac repugnante archetypo.

[c] Vides igitur Sixtum alios habuisse martyrii socios, eos scilicet, quos Pontificale memorat; eaque de re immerito dubitasse Ruinartum in *Monito ad Martyrium S. Laurentii.*

[d] Dixi, qui sunt, de Damas. Carminibus.

A Sublimes animas rapuit sibi regia cœli,
[c] Hic comites Xysti portant qui ex hoste tropæa,
[3] Hic numerus [d] procerum servat qui altaria Christi,
Hic positus longa vixit qui in pace Sacerdos;
Hic confessores sancti, quos Græcia misit;
Hic juvenes, puerique, senes, castique nepotes,
Quis mage virgineum placuit retinere pudorem.
Hic fateor Damasus [e] volui mea condere membra,
Sed cineres timui sanctos [f] vexare piorum.

CARMEN XXXIV.

[3] *Epitaphium papæ Damasi quod sibi edidit ipse.*

Qui gradiens pelagi fluctus compressit amaros,
Vivere qui præstet [g] morientia semina terræ,

B *Qui sepultus est via Ardeatina in basilica sua* III *Id. Decembris, juxta matrem suam et germanam.* Et Beda de temporibus iisdem verbis: *Damasus Romæ episcopus fecit basilicam juxta Theatrum S. Laurentio, et aliam in Catacumbis, ubi jacuerunt corpora sancta apostolorum Petri et Pauli*, etc. Et Ado in Chronico eadem ad verbum quæ Beda, et alii. Facit ad ea, quæ Damasus in fine epigrammatis dixit, leg. 2, Cod. de Sacrosanctis Ecclesiis: *Imperator Gratianus, Valentinianus et Theodosius AAA., Pancratio P. V. Nemo apostolorum, vel martyrum sedem humanis corporibus existimet esse concessam.* Et postmodum Carolus imperator Magnus in Capitular. Franciæ lib I, num. 159, de Sepultura ubi non fiat sanxit, *ut nullus deinceps in ecclesia mortuum sepeliat.* Certe ob Ecclesiæ venerationem, nam in concilii Tiburcien. canone 17, habetur: *Nullus laicus in Ecclesia sepelitur, nisi in communi cœmeterio. Corpora tamen antiquitus in Ecclesia sepulta nequaquam projiciantur, sed pavimento desuper facto, nullo tumulorum vestigio apparente, Ecclesiæ reverentia conservetur.*

C [3] Sic supra:

Gorgonium retinet servat qui altaria Christi.

[3] Baronius: *Ad postremum autem hic subjicimus tibi ejusdem Damasi epitaphium, quod ipse vivens sibi conscripsit, pium valde; acceptum est ipsum ex pervetusto codice bibliothecæ Trevericæ ecclesiæ S. Petri; exscripsit illud Christophorus Broverus, Societatis Jesu professor. Romam vero ad nos misit Nicolaus Serrarius, ejusdem Societatis professor.* Vide infra S. Damasi epigramma de suo sepulcro collocando ex antiquarum Inscriptionem libro, ac ex pagina 1172, num. 11, a Baronio etiam notatum in Appendice XII Annal. tomo. Ex basilica vero S. Sebastiani exscriptum fuisse hoc epigramma credi potest; ubi S. Damasum sepultum ex Beda, Anastasio aliisque infra dicemus. Corporis autem reliquiæ beatissimi hujus pontificis, in basilicam S. Laurentii ab ipso conditam translatæ post modum, antiquis etiam temporibus fuere, nam Bibliothecarius D Anastasius scribit de S. Hadriano papa I: *Renovavit tectum basilicæ S. Laurentii, quam Damasi vocant, ubi et vestem super ejus altare destauracim* (sic) *simulque et aliam vestem de post altare fecit, ubi requiescit*

[e] Hoc erat antiquitus in Christianorum votis. Vid. Boldett. lib. I, cap. 14, adnot. 339, ad Paulin. oper. Veron. edit.

[f] Hinc videri potest hoc carmen a Damaso compositum jam fere octogenario, post legem scilicet 2, C. de Sacr. Eccl., Gratiano, Valentiniano et Theodosio AAA. publicatam. Vid. Saraz. adnot.

[g] Hac eadem comparatione utitur Prudent. contr. Symmach. lib. II, vers. 306 et seqq. Paulin. de Obit. Celsi vers. 245 et seqq.

Solvere [a] qui potuit Lazaro [b] sua vincula, mortis
Post tenebras, fratrem post tertia lumina solis
Ad superos iterum [c] Mariæ donare sorori,
Post cineres Damasum faciet quia surgere credo.

CARMEN XXXV.

[1] *De templo sancti Laurentii A. S. Damaso instaurato.*

Hinc ~~Hæc~~ Pater, [d] exceptor, lector, levita, sacerdos
Creverat hinc meritis, [e] quoniam melioribus actis:
Hinc mihi provecto Christus cui summa potestas
Sedis apostolicæ voluit concedere honorem.
[2] [f] Archibis fateor volui nova condere tecta,
Addere præterea dextra lævaque [g] columnas,
Quæ Damasi teneant proprium per sæcula nomen.

corpus S. Damasi. Hæc Anastasius. Itaque illic reperiebatur a temporibus Hadriani, qui sedit ab anno Christi 772, vel tempore ipsius Anastasii. Caput vero illius in basilica Vaticana servatur. Testes Panvinius, Serranus, Ugonius, et ante ipsos Signorilis, qui jam ante annos ducentos sacras reliquias Urbis retulit, cujus liber manuscriptus habetur in Vaticana bibliotheca. Quod venerandum caput populo solemniter feria 2 Paschæ ostenditur cum aliis reliquiis, brachium etiam illius ad S. Thomæ Parionis servari docet vetus marmorea tabula, in eo loco, ab anno Domini 1130, Innocentio II papa: *Reliquiæ hæc sunt, Brachium S. Damasi papæ*, etc., et de reliquiis ipsius habentur in basilica S. Mariæ Transtiberinæ, ac S. Mariæ ad Martyres, et aliis in ecclesiis Urbis.

[1] De hoc carmine et duobus sequentibus Baronius pag. 911 Appendicis in dicto tom. XII, anno Christi 384: *Exstant adhuc de eadem basilica ejusdem Damasi insignia monimenta nempe antiquæ inscriptiones ibidem ab eo tunc positæ, quæ diu oblivione sepultæ veluti postliminio reversæ suum recipiant locum.*

[2] *Archibis*, pro *Archivis*, nam *v* et *b* sæpius inter se commutantur. Archium ex Græco factum est ἀρχεῖον, quod significat Palatium, regiam, magistratuum ædes, judiciale forum, atque inde etiam chartophylacium, quia ἀρχεῖα vicina sunt chartophylacia sint illorum membra. Vulpianus leg. 9, § de Pœnis: *Ne eo loco sedeant, quo in publico instrumenta deponuntur, archivo forte, vel grammatophylacio.* In Decret. sæpius fit mentio de ecclesiarum Archivis, et Burchardus in tit. Quibus modis naturales effic. legit. § Illud in fin.: *Ecclesiæ Archivis, hoc est ubi venerabilia vasa servantur.* Præter hoc et duo alia quæ sequuntur de basilica Sancti Laurentii epigrammata, habes infra aliud ejusdem Damasi. De ea Anastasius Bibliothecarius: *Hic fecit basilicas duas, unam juxta Theatrum sancto Laurentio, et alteram via Ardeatina, ubi requiescit in Catacumbis*, etc. Et infra: *Hic constituit titulum in urbe Roma scilicet basilicam, quam ipse construxit, ubi et donavit patenam argenteam pensantem libras*, etc.; reliqua dona leges apud ipsum. Beda de sex Ætatibus, sive de Temporibus: *Damasus episcopus fecit basilicam juxta Theatrum S. Laurentio, et aliam in Catacumbas*, etc. Eadem et Ado in Chronico. S. Hadrianus I papa ad Carolum regem de Imaginibus; habetur post septimam synodum: *Item in sancto II concilio S. Damasus elegantissimus papa propriam suam fecit ecclesiam, cujus sanctus Gregorius papa meminit in dialogis, quæ ex nomine conditoris Damasi vocatur: similiter a tunc usque hactenus historiis sacris et imaginibus pictam habemus.* Sancti Gregorii in Dialogis hæc sunt verba lib. IV, cap. 31: *Ad Ecclesiam S. Laurentii martyris, quæ ex nomine conditoris Damasi vocatur*, etc. De Hadriano papa scribit Anastasius Bibliothecarius: *Renovavit etiam et tectum basilicæ S. Laurentii, quam Damasi vocant, ubi et vestem super altare de stauracim* (sic) *simulque, et etiam vestem de post altare fecit, ubi requiescit corpus S. Damasi.* Titulum autem hujus ecclesiæ fuisse ante pontificatum Damasi, innuit hoc epigramma, ipsumque Damasum clericum, diaconum, sacerdotem inibi fuisse, dum scribit:

Hinc Pater exceptor, lector, levita, sacerdos
Creverat hinc meritis quoniam melioribus actis
Hinc mihi provecto Christus, etc.

[a] Cod. Vatic. 1578.
Solvere qui potuit legalia vincula.

[b] Hac etiam voce Tertullianus utitur *de Resurr.* cap. 54, ut circumvolutas Lazaro institas exprimat.

[c] Cod. Vatic. *Marthæ*, ut etiam apud Sirmondum, oper. tom. II, p. 786. Cæterum Lazarum circumvolutis institis constrictum, atque a sororibus Martha et Maria Christo Salvatori oblatum sæpe repræsentarunt veteres Christiani, aut sarcophagis, aut cœmeteriorum picturis, velut certum futuræ resurrectionis argumentum, ut apud Aringum, Bosium, Boldettum, ac nuper apud cl. P. Thom. Mamachium antiquit. Christian. tom. I, p. 272, 273 et 282.

[d] Exceptoris ecclesiastici officium sic describit Eunodius in Vita Epiphanii Ticinensis: *Annorum ferme octo lectoris suscepit officium ..... Notarium in scribendo compendia, et figuras varias verborum multitudinem comprehendentes brevi assecutus, in* EXCEPTORUM *numero dedicatus enituit, cæpitque jam talis excipere, qualis posset sine bonorum obloculione dictare.* Sirmond. oper. tom. I, pag. 996, Ven. edit. Hinc causas errorum, qui sæpe in mss. codicibus occurrunt, facile deprehendis. Vides etiam ex lectoris ordine ad officium exceptoris gradum statui. Erantne vero exceptores in quolibet Urbis titulo? an potius septem duntaxat, quot a Clemente institutos notarios legimus pro Actis martyrum conscribendis? Ita ego crederem: cui enim bono in quolibet titulo notarii singuli et exceptores? Quamquam igitur Damasi nostri pater adscriptus fuerit S. Laurentii titulo, nihil obstat, quominus notarius et exceptor esse potuerit pro septima regione ecclesiastica, cui basilica illa accensebatur. Exstinctis vero persecutionibus, ac pace Ecclesiæ parta, adhibitos illos fuisse legimus ad excipiendas disputationes et orationes, quæ in synodis aliisque ecclesiasticis conventibus habebantur. Bingham. lib. III, cap. 13, § 5; Vales. ad Socr. lib. V, c. 22. Tenebantur præterea Acta omnia causarum, quæ ad Ecclesiam, ejusque res quoquomodo pertinebant, excipere, eaque referre jubebantur primicerio notariorum, cui parebant. Vid. Anastas. et Altaserræ aliorumque notas.

[e] Paulin. not. 5, *Crevit meritis, qui crescere sede noluit.*

[f] Si cl. Facciolato credimus, qui Vossium testem advocat, cum *Archium*, aliquando pro templo accipiatur, sive adyto templi, ea vox ferri posset. Quid vero si legamus *Arcubus hæc volui nova condere tecta?* Suspicor igitur laterales basilicæ naves, easque arcuatas, a Damaso ædificatas: id enim indicare videntur *columnæ*, quas præterea *dextra lævaque* parte a se *additas* ait. Arcuatis vero navibus, quæ columnis illis fulciebantur supersructas cellas, et mansiones, a quibus esset pro viduis et virginibus in Ecclesiam prospectus. Nam quæ de regiis ædibus, palatio, et judiciali foro Sarazanius affert, nugæ sunt.

[g] Eas ipsas scilicet, quæ nunc ornant atrium magnifici Cancellariæ palatii; eo enim translatas aiunt jussu cardinalis Riarii, cum veterem fatiscentem basilicam a fundamentis diruit, novamque et ampliorem, quæ nunc exstat, loco haud multum permutato, ædificari curavit, substratis columnarum vice pilis lapideis. Vid. cl. Marangonium *delle Cose gentilesche*, cap. 64.

Huic *de Templo S. Laurentii* jungendum esset carmen *de Fontibus S. Laurentii*, si Damasi fœtus esset,

CARMEN XXXVI.

[1] *De fontibus Vaticanis.*

Cingebant latices montem, teneroque meatu
A corpora multorum cineres atque ossa rigabant.
[2] Non tulit hoc Damasus communi lege sepultos
Post requiem tristes iterum persolvere pœnas.

Et pontifex factus novum templum exædificasse ibi:

Archibis fateor volui nova condere tecta,
Addere præterea, etc.

Mos erat pluribus hinc retro annis, in hac ecclesia pocula dari populo ad honorem S. Damasi, die illi sacro, et pro ægrotorum ac febricitantium salute, uti legitur in veteri libello mirabilium urbis Romæ, et scribit Novidius in Sacris fastis sub Paulo III papa his Carminibus:

Solvat anhelanti defecta ut corpora morbo
Pocula dat plebi, sumit et æger opem.

Antiquissimum sigillum capituli hujus ecclesiæ a me olim repertum pluribus annis in Museo nostro fuit, quod ne deperderetur, capitulo et canonicis ejusdem basilicæ dono dedi, et hoc loco repræsentandum curavi: litteræ in eo hoc sibi volunt: SIGILLUM CAPITULARE SANCTI LAURENTII IN DAMASO (*hic habetur in ed. Sarazaniana Sigillum*). Imagines in illo sculptæ sunt sanctus Damasus, sedens in solio cum pluviali credo ac mitra sive regno, manibus tenens ecclesiam, vel basilicam veteri ecclesiastico more, quo in antiquis picturis ac musivis pluribus videmus pontifices manibus gestantes ipsam Ecclesiam, quam vel ædificarunt, vel ornarunt; illamque porrigit S. Laurentio stanti dalmatica induto, illam sibi traditam recipienti. Ex pontificibus autem Ecclesiam manibus gerentes videmus Honorium I in abside musiva S. Agnetis, via Nomentana, docent carmina ibidem adscripta:

Præsul Honorius hæc vota dicata dedit.
Vestibus et factis signantur illius ora.

Cujus Anastasius etiam meminit. In Ecclesia S. Vincentii ad Lateranum visitur Joannes IV papa eodem modo cum Ecclesia ubi epigramma sic incepit:

Martyribus Christi Domini pia vota Joannes
Reddidit antistes, vivificante Deo, etc.

De qua et Anastasius. Ad S. Praxedis, et ad S. Cæciliæ trans Tiberim, videmus pontificem Paschalem cum Ecclesia. Carmina indicant in iis locis exstantia; ut Sarazanius censuit: sed cum mihi aliud videatur, ut integrum lectori judicium sit, illud hoc loco impressum dabo:

Iste salutaris Fons continet inclytus undas,
Et solet humanam purificare luem.
Munia sacrati quæ sint vis scire liquoris?
Dant regnatricem flumina sancta fidem.
Abluc Fonte sacro veteris contagia vitæ,
O nimium felix, vive renatus aqua.
Hunc fontem quicumque petit, terrena relinquit,
Subjicit et pedibus cæca ministeria.

Cæterum de fonte hoc mentio est in *Vita Damasi* a Benedicto presbytero conscripta, ex qua hæc transcribenda et huc afferenda duxi: *Nuper res est hæc gesta, quam factam vidimus in ejus ecclesia in sacro fonte, quem ipse venerandus Damasus construxit. Sabbato Paschalis festivitatis, dum turbæ sese comprimerent ad baptismum, puerulus de manu sacerdotis elapsus est, atque in uno fonte demersus, et post spatium fere unius horæ, dum sperant omnes jam mortuum, et quidam vir mansionarius ipsius ecclesiæ in fiduciam sancti Damasi se projiciens in fontem, et abstrahens eum, secum salvum et illæsum reduxit: quod nos omnes videntes non ambiguimus merita S. Damasi fuisse.* Quo vero loco fons ille positus fuerit nunc latet: solebant aquæ plerumque derivari ad atria et vestibula ecclesiarum pro usu baptismi et ad lotionem cleri et plebis. Vid. adnot. 41 et adnot. 169 ad Paulin. oper., Veron. edit.

[3] Vide ne dicta repetam, quæ cap. ultimo, § 3, ex Clampinio præmonui. Cæterum Damasus primus auctor operis, aquas, ut videtur, collegit, et derivavit in fontem. At operi ipsi studio deinde et impensis *Macrobii Longiniani P. U.* accessionem factam colligimus ex alio hoc carmine, quod Sarazanius postremo numero collocavit:

Qui peccatorum sordes abolere priorum,
Terrenisque optas maculis absolvere vitam,
Huc ades ad Christi fontem sacrumque liquorem.
Corpus ubi ac mentes pariter sensusque lavantur.
Æternumque datur casto baptismate munus.
Hanc autem fidei sedem construxit ab imo,
Militiæ clarus titulis aulæque fidelis
Romanæque urbis præfectus Longinianus.

Qua etiam de re, alia exstat inscriptio a Suaresio extra portam Portuensem exscripta, et a Muratorio relata Thes. Inscript. tom. IV, pag. 1984.

HIC EST LONGINIANUS QUI FONTES BAPTISMATIS CONSTRUXIT SANCTI PAPÆ DAMASI VERSIBUS NOBILITATOS.

Longinianus Urbanam præfecturam administrabat, eodem Muratorio adnotante, anno 394, decennio scilicet a morte Damasi elapso, atque idem ille est, quo curatore statuarum Arcadio et Honorio simulacra constituta legimus in inscriptione relata a Donat. lib. I, cap. 15. Quamobrem Prudentii carmina, quæ Baronius attulit, Fontes describunt non solum corrivatos pridem a Damaso, et exstructos, verum etiam ab eodem Longiniano novatos deinde, et elegantius ornatos.

[1] Ex tabula marmorea quæ exstat in subterraneis cryptis Vaticanæ basilicæ. Monumentum est de fontibus Vaticanis S. Petri olim dilapsis, a Damaso papa, ne mortuorum corpora labefactarent, monte exciso, exsiccatis aquis, ac reperto fonte in salutaris baptismi usum, curante Mercurio diacono. Edi-
B dit Baronius tom. Annal. IV sub anno Christi 384, Damasi 18; sed male legitur apud ipsum *lacus*, pro *latices* in primo versu: exscriptum enim fuerat ex manuscriptis basilicæ illius. De eodem fonte baptismali S. Petri vide etiam Damasi carmen infra ex Inscriptionum libro, et pag. 1163, num. 10, de quibus fontibus, et Prudentius in Peristophano, de Passione apostolorum Petri et Pauli:

Dextra Petrum regio tectis tenet æreis receptum,
Canens oliva, et murmurans fluento,
Namque supercilio saxi liquor ortus excitavit
Fontem perennem Chrismatis feracem;
Nunc pretiosa ruit per murmura lubricatque clivum
Donec virenti fluctu, et Colymbo
Interior tumuli pars est ubi lapsibus sonoris
Stagnum nivali volvitur profundo, etc.

Et sanctus Paulinus, epistola 31, ad Alithium episcopum, qui de fontibus in atrio S. Petri, dum elegantissime describit basilicam ipsam, ac fontes prædictos. His Damasi carminibus recens addita fuit me-
C moria talis ibidem:

Paulus V. Pont. Max. Carmina a S. Damaso PP. I. ante annos MCCL. ob exsiccatam ab se humiditatem in vetere hujus basilicæ pavimento multorum in Christo quiescentium memorias labefactantem edita suoque

[2] Vide ne dicta repetam, quæ cap. ultimo, § 3, ex
D et Gregorium IV ad S. Marcum eodem modo, ubi et nomen illius legitur, SANCTISSIMUS D. N. GREGORIUS PP. et in hexasticho habetur:

Hanc tibi proque tuo perfecit præsul honore,
Gregorius, Marce, eximio cum nomine Quartus.

Et post illos Innocentius II ad S. M. trans Tiberim, ubi in fine epigrammatis legimus:

Cum moles ruitura vetus foret, hinc oriundus
Innocentius hanc renovavit Papa secundus.

Protinus aggressus magnum superare laborem
Aggeris immensi dejecit culmina montis.
Intima sollicite scrutatus viscera terræ
Siccavit totum quidquid madefecerat humor,
Invenit fontem, præbet qui dona salutis.
Hæc curavit Mercurius lævita fidelis.

jussu hoc marmore incisa ad venerandæ antiquitatis monumentum pie servatum ex templi ejusdem ruinis hic reponi mandavit anno M. D. CVII.

Ex Baronii tom. VIII, in addendis ad tomum quartum pag. 789 Appendicis cum sequentibus ; et dicto tom. IV, addita in secunda editione pag. 449.

[1] Quæ sequuntur carmina, edita sunt in libro Inscriptionum antiquarum Gruteri ad finem ; descripta autem ab eo fuere ex antiquo codice, in membranis bibliothecæ Palatinæ, qui Romam postea translatus, nunc asservatur in bibliotheca Apostolica Vaticana, num. 532. Ex isto Inscriptionum libro carmen hoc 17 edidit Baron. tom. XII, in Appendice pag 913, sub anno Christi 384, legitque versu ultimo *tenent* ; cum ibidem male legatur *teneat*. Primus versus est Virgilii in Æneid. Aliud de his fontibus epigramma habuimus supra ex basilica Vaticana, quo loco etiam hæc exstitisse carmina docet titulus appositus primo epigrammati dicti codicis Palatini. Baptisterium etiam Lateranense S. Sixtus III papa versibus exornavit ut scribit Anastasius : *Hic fecit in basilica Constantiniana ornamentum super fontem, quod ante ibi non erat ; idem epistylia marmorea et columnas porphyreticas erexit, quas Constantinus Augustus congregatas dimisit, et jussit ut erigerentur, quas et versibus exornavit*, etc. Qui versus, et adhuc apparent bini per zoophorum distributi, quos primum cudit Panvinius libello de septem Ecclesiis ; sed quia apud ipsum variatus est ordo carminum, damus et nos suo ordine restitutos, nam cum eorum initium sit ea parte, qua a portico S. Venantii in baptisterium ingredimur, deinde sequendum est in gyrum usque ad finem. Carmina sunt hæc ut sequuntur :

Gens sacranda polis hic semine nascitur almo,
Quam fecundatis spiritus edit aquis.
Mergere, peccator, sacro purgande fluento ;
Quem veterem accipiet, proferet unda novum.
Nulla renascentum est distantia, quos facit unum
Unus fons, unus spiritus, una fides.

A

CARMEN XXXVII.

[1] *Ad fontes.*

Non hæc humanis opibus, non arte magistra,
Sed præstante Petro, cui tradita janua cœli est,
Antistes Christi composuit Damasus.
Una Petri sedes, unum verumque lavacrum,
Vincula nulla tenent, Acbathius votum solvit.

Virgineo fœtu genitrix Ecclesia natos
Quos spirante Deo concipit, amne parit.
Insons esse volens isto mundare lavacro
Seu patrio premeris crimine, seu proprio.
Fons hic est vita, et qui totum deluit orbem,
Sumens de Christi vulnere principium.
Cœlorum regnum sperate, hoc fonte renati;
Non recipit felix vita semel genitos.
Nec numerus quemquam scelerum, nec forma suorum
Terreat ; hoc natus flumine sanctus erit.

B Habemus et de fontibus S. Ambrosii carmina quæ hic apponimus, edita cum nonnullis aliis ejusdem sancti, ex eodem codice Palatino apud Gruterum hoc titulo :

Versus Ambrosii ad Fontem S. Teclæ.

Octachorum sanctos templum surrexit in usus ;
Octagonus fons est munere dignus eo.
Hoc numero decuit sacri baptismatis aulam
Surgere, quo populis vera salus rediit
Luce resurgentis Christi, qui claustra resolvit
Mortis, et e tumulis suscitet exanimes.
Confessosque reos maculoso crimine solvens,
Fontis purifluo diluit irriguo.
Hic quicumque volet probrosæ crimina vitæ
Ponere, corda lavent ; pectora munda gerant.
Huc veniant alacres ; quamvis tenebrosus adire
Audeat, abscedet candidior nivibus.
Huc sancti proferent, non expers ullus aquarum
Sanctus in his regnum est consiliumque Dei,
Gloria justitiæ, nam quid divinius isto?
Ut puncto exiguo culpa cadat populi.

C Post hosce Ambrosii versus, sequuntur in codice Palatino alii de ecclesia S. Anastasiæ a Damaso olim exornatæ, quos idcirco hic edendos censuimus.

In Sanctæ Anastasiæ.

Antistes Damasus picturæ ornavit honore
Tecta, quibus nunc dant pulchra metalla decus.
Divite testatur pretiosior aula nitore,
Quos rerum effectus possit habere fides.
Papæ Hilari meritis olim devota Severi
Necnon Cassiæ mens dedit ista Deo.

APPENDIX

AD OPERA SANCTI DAMASI PAPÆ.

(Carmina a Grutero ex cod. Palatin. edita.)

I.

Omnia, quæque vides, proprio quæsita labore,
Cum mihi gentilis jamdudum vita maneret,
Institui, cultum cupiens cognoscere mundi.
Judicio post multa Dei meliora sequutus,
Contemptis opibus, malui cognoscere XPM :
Hæc mihi cura fuit, nudos vestire petentes,
Fundere pauperibus, quidquid concesserat annus ;
Psallere et in populis volui modulante Prophela :
Sic merui plebem XPI retinere Sacerdos.

II.

Tempore, quo gladius secuit pia viscera matris *,
Sexaginta duo capti feritate Tyranni,
Extemplo *ducibus missis sua colla dedere*

D Confessi XPM, superato Principe mundi
Ætheriam petiere domum, *regnumque piorum.*

III.

Discite, quid meriti præstet pro rege feriri,
Fœmina non timuit gladium, cum natus obivit ;
Confessa XMP meruit per sæcula nomen.

IV.

Stringe, dolor, lacrymas ; quæris, plebs sancta, re-
Levitam, subito *rapuit sibi Regia cœli.* [demptum
Dulcia nectareo promebat mella canore,
Prophetam celebrans sacro modulamine senem ;
Hæc fuit insontis vita laudata juventus :
Invidia infelix tandem compressa quiescit ;
Nunc Paradisus habet, *sumpsit qui ex hoste tropæa.*

* Quidquid a præcedentibus carminibus hic repetitum est italico charactere scripsimus. Edd.

V.

THEODORA, QUÆ VIXIT ANNOS XXI. MENSES VII. DIES XXIV. IN PACE.

(Ex Spon. Itiner. tom I. pag. 317.)

Amplificam sequitur vitam dum casta Aphrodite
Fecit ad astra viam, XPI modo gaudet in aula:
Restitit hæc mundo semper, cœlestia quærens,
Optima servatrix legis, fideique magistra;

[1] Grut. p. 1177, *Edidit.*

A Dedit [1] egregiam sanctis per sæcula mentem
Inter [2] eximios paradisi regnat odores,
Tempore continuo vernant ubi gramina quævis:
Expectatque Deum, superas quo surgat ad auras.
Hoc posuit corpus tumulo, mortalia linquens,
Fundavitque locum conjux Eva. . . . A. N. S.

DEP. DIE . . . .
ANTONIO ET SUAGRIO CONS.

[2] Gruter. *Inde per.*

CARMINA INEDITA.

(Ex Anecdot. sac. D. de Levis, pag. 17, 20.)

OBSERVATIO.

Certum indubitatumque est primum omnium scriptorum, qui notavit complura ex Damasi carminibus intercidisse, et quidem potiora, fuisse eminentissimum cardinalem Baronium ad annum 384, § 21 *et* 31. *Et quamquam Martius Milexius Sarazanius vulgatis Palatinis membranis a Grutero opera collegerit, primusque illustraverit, quæ absoluta anno* 1638 *Federicus Ubaldinus typis edidit: hoc tamen cum Baronio in novissima sua S. Damasi operum editione aucta, atque adjectis opusculis eidem beatissimo papæ falso attributis vulgata Romæ* 1754, *et clariss. Antonius Maria Merenda de carminibus loquens cum S. Hieronymo, Catalogo de Viris illustribus cap.* 3, *simili modo concluserunt. Nam ex S. Hieronymo edocemur,* in versibus componendis ingenium habuit, atque multa brevia C edidit, *quæ omnia non habere fatentur. Cum igitur mihi ad manus devenerit codex membranaceus bibliothecæ Novaliciensis, signatus A. B., sæculo forsan* IX *vel* X *conscriptus, continens Epistolas B. Pauli Apostoli cum præfationibus B. Hieronymi, carmina nonnulla in principio D. Damaso inscripta reperi, inter quæ aderant ista; ne autem hæc, quæ mature cum editione operum S. Damasi, tum Merendæ, tum clarissimi Gallandii tom. VI Biblioth. PP. N. V. perpensa fuere, inedita, et stylo simillima, deperderentur, edi curavimus, ut gratum cupidis rei ecclesiasticæ faceremus, ut quisque possit hæc, quæ lucidamus perpendere cum editis: pauca adnotare contenti fuimus.*

Etsi hæc carmina pluribus scateant mendis in veteribus codicibus, tamen hæc emendare non duxi, ut genuina appareat horum vetustas.

[1] Codex noster legit *splendidius.*

[2] Alio in codice sic legitur hic versus:

Quæ non mortales ore referre valent.

CARMEN I.

B *In Epistolas D. Pauli apostoli.*

Sunt hic plura sacra, sunt hic mundalia plura;
Ex his, si quæ placent, carmina tolle, lege.
Prata vides plena spinis, et copia florum;
Si vis tu spinas sumere, sume rosas.
Hic geminæ radiant veneranda volumina legis,
Condita sunt pariter hic nova cum veteri.

CARMEN II.

In laudem B. Pauli apostoli.

Saulus erat [a] quondam cognomen rite tenendo,
Nam velut emerito dogmata vera premit.
Quis tandem penitus traductus lumine vero,
Paulus ut emeruit, nomine dignus erat?
Lumine privatus mentis, jam sacra vetabat;
Visum [b] dum recipit, deserit omne nefas.
Gentibus hic tradit vera [c] præcepta magistri,
Convocat et cunctos dogmate mellifluo,
Cordibus obtunsis reserat arcana beata,
Quæ tandem tenebris fulgure plena parat.
Solis more micat radios spargendo per orbem,
Lucet et in cunctis clarius [1] eloquiis.
Alta petit [d] raptus cœlestia verba secutus
Quæ [2] minus humano ore referre licet.
Fluctibus obruitur pro Christi nomine mersus,
Cæditur innocuus verbere multiplici.
Hæc patitur Christi per carnem [e] stigmata portans
Victor, et ascendit culmina clara poli.
Si tu quique legas [3] perquiras jusserat esse
Ista quis expedient prospice quæ remanent.
D At te colens cultu per thus hærebit in aula
Teter ubi nunquam zabulus esse valet.

[3] *Si tu quique.* Hæc et sequentia valde obscura sunt.

[a] In carmine VII ejusdem S. Damasi papæ de S. Paulo apostolo, supra col. 379, versu 10, hæc habentur:

Mutato placuit postquam de nomine Paulus.

[b] *Visum* sic se explicat in versu octavo:

Auribus ut Domini vocem, lucemque recepit.

[c] *Vera præcepta.* In versibus 9, 15 et 16, eadem habet.

Composuit mores Christi præcepta secutus,
Colloquiis Domini fruitur, secreta reservat
Gentibus ac populis jussus prædicere vera.

[d] *Alta petit* ut in versu 13.

Conscendit raptus martyr penetralia Christi.

[e] *Hæc patitur* ad versum 22 respondit:

Stigmata non timuit portare in corpore Christi.

Totus erat [1] pulsus de summo culmine firmanti
Eligimur sociis gratis honorifice.
Pasqua [2] lanigerii florent sine limine morea
Ecce quies dubito non ibi plena fore.
Rumor celsus erit regno cum nos gradiamur;
Terror erit lapsis, ut bonus alta petit.
Volvere quis poterit cœlorum præmia dicta?
Salve, chare Pater, accipe quodque petis.

CARMEN III.

De pœna Redemptoris.

Pœna Redemptoris fuit hæc via plena doloris :
Sputa, flagella, foris, crux, spongia furoris.
A Impetus horroris, et myrra saporis,
Spinæ terroris, fel, clavi, palor, et doloris
Clamor, mœroris acqua, lancea, gulta cruoris :
Cor peccatoris frangit pia signa amoris.

Nota. Hoc erutum fuit ex codice nostro cartaceo in quarto, ut communiter dicitur, signato I. N. 1000, in quo adsunt *Meditationes B. Bernardi abbatis de passione Christi super septem horis canonicis* sæculo XIV conscripto.

Consulant eruditi carmen VI. de cognomentis Salvatoris pag. 346 apud Gallandium superius laudatum.

[1] *Totus erat* Desinit versus verbo *firmanti*, credo *firmamenti;* adeoque corrige *cœli.*

[2] *Pasqua lanigerii.* Vereor ne hic, et in sequentibus versibus desint aliqua carmina incuria amanuensis. Nam obscurissimus est sensus. B

ADDENDA.

MONITUM.

Absoluta jam impressione communicatæ mihi fuerunt annotationes aliquot et observationes studio atque humanitate viri clar. D. abbatis Terribilini, quas hoc loco adjiciendas operi censui, ne lectores earum beneficio fraudarem.

Existimat igitur vir ille eruditus primo loco, Damasum Romæ ortum fuisse, utiturque ad hanc confirmandam opinionem rationibus iis, quas ego attigi. Observat etiam plures esse veteres scriptores a Saraziano, et Constantio memoratos, qui de eo pontifice agunt, illumque laudant : at ex eis ne unum quidem, qui eum Hispanum dixerit ante Catalogum Romanorum pontificum, quem sub Felice IV conscriptum aiunt, aut Anastasium, a quo Catalogum illum exscriptum putant sed utriusque hujus scriptoris haud magnam esse auctoritatem censet. Affert deinde recentiores ex inclyta gente illa auctores, ac eos ait nullo solido fundamento niti, prætereaque de loco digladiari inter se; postremo ex Breviario Eborensi anno 1518 impresso exscribit orationem, et lectiones Festo S. Damasi accommodatas. En vero hoc loco collecta omnia. C

Ex Breviario Eborensis Ecclesiæ in Lusitania, typis impresso anno 1548, pag. 837.

IN FESTO SANCTI DAMASI PAPÆ ET CONFESSORIS.

Oratio. — Misericordiam tuam, Domine, quæsumus, nobis interveniente beato confessore tuo atque pontifice Damaso, clementer impende : nostrisque delictis ipsius propitiare suffragiis. P.

Lect. I. — Beatus Damasus, hujus nominis primus, natione Hispanus, patria Vimaranensis, ex Bracarensi provincia, patre Antonio, secundum Hieronymum in ecclesiastica Historia Liberio, secundum vero alios Felici II in pontificatu successit, anno Domini 369, sub Valentiniano et Valente imperatoribus. Sedit annis decem et octo, mensibus duobus, diebus decem. T.

Lect. II. — Ursicinus autem, vel, ut alii legunt, Ursinus, Romanæ Ecclesiæ diaconus, Damasum sibi prælatum non ferens, in tantum furoris erupit, ut persuaso quodam imperito ac agresti episcopo, collecta turbulentorum et seditiosorum hominum manu, in basilica, quæ Sicinini appellatur, episcopum se fieri extorqueret : legibus, ordine, et traditione perversis. Itaque cum non tantum suffragiis, sed etiam vi et armis res ageretur : multi utrimque ceciderunt. Ammianus Marcellinus ejus temporis historicus, refert centum triginta septem uno die, in basilica Sicinini peremptorum reperta fuisse cadavera. Denique sacerdotum et populi consensu, Damasus confirmatus est : et Ursicinus ejectus ab Urbe, atque ad Neapolitanam Ecclesiam traductus. T.

Lect. III. — Damasus autem de adulterio per invidiam accusatus, facta synodo coram quadraginta quatuor episcopis se purgavit : a quibus innocens absolutus est, et accusatores ejus Concordius et Callixtus diaconi, damnati rejectique ab Ecclesia. Certe beatus Hieronymus, in epistola ad Pammachium, non solum virum egregium, et in Scripturis eruditum, sed virginem etiam virginis Ecclesiæ doctorem appellat. T.

Lect. IV. — Tandem pacata Ecclesia, Damasus otio litterario delectatus, Vitas Pontificum omnium, qui ante se fuere, conscripsit, easque ad Hieronymum misit : et cum multa corpora Sanctorum perquirens invenisset, eorum tumbas carminibus adornavit. Elegans enim in componendis carminibus ingenium habuit. Multa brevia opuscula heroicis versibus composuit : Epistolas item multas. T. D

Lect. V. — Templa cultumque divinum auxit magnopere. Duas enim basilicas ædificavit, alteram juxta theatrum, alteram via Ardeatina, ad catacumbas, dedicavit : et Platoniam, ubi corpora apostolorum Petri et Pauli aliquando jacuerant, et corpora sanctorum eo loci sepulta, versibus exornavit, ad posteritatis memoriam. T.

Lect. VI. — Basilicam vero, quam in honorem sancti Laurentii non longe a theatro Pompeiano con-

diderat, maximis muneribus ornavit : patina argentea pondo librarum viginti, hama argentea librarum quindecim, scypho argenteo anaglypho librarum decem : calicibus argenteis quinque, coronis argenteis quinque. Domos quoque circa basilicam positas, fundum etiam Papyrianum agri Ferentinatis, fundumque Antonianum, et balnea non longe a templo posita, dono dedit. T.

Lect. VII.— Hic celebrato Romæ concilio, Apollinarem Laodicensem et Timotheum discipulum ejus hæreseos damnavit : quemadmodum legimus in Epistola ad episcopos Orientales ab eo missa. Legimus et alias ejus synodales epistolas : ut ad episcopos per Illyrium, et ad Paulinum Thessalonicensem episcopum, contra diversas hæreses. Hic instituit ut psalmi die noctuque alternis vicibus in Ecclesia canerentur, choro in duas partes diviso, et ut in fine psalmorum accineretur, Gloria Patri et Filio, et Spiritui sancto. Mandavit etiam, ut in principio celebrationis missarum, confessio diceretur. T.

Lect. VIII. — Ad ejus quoque instantiam, Hieronymus psalterium juxta septuaginta interpretes emendavit, et per vigilias distinxit : cujus scriptis Damasus primus auctoritatem dedit. Tunc enim Biblia Hieronymi legi cœpta sunt, cum prius septuaginta interpretum scripta, tantummodo in pretio essent. Tu.

Lect. IX.— Ordinationes quinquies fecit, ex quibus presbyteros triginta et unum, diaconos undecim, episcopos per diversa loca numero sexaginta duos creavit. Mortuus est octogenarius, tertio idus Decembris : anno secundo Arcadii Augusti. Sepultus est in basilica sua, via Ardeatina, juxta matrem suam, et germanam, et cessavit pontificatus dies unum et triginta. Tu.

In fine hujus Breviarii hæc leguntur :

AD LAUDEM OMNIPOTENTIS DEI

ET ILLIBATÆ SEMPER VIRGINIS MARIÆ, EXPLICIT

Breviarium divinorum officiorum, juxta ritum sanctæ Eborensis Ecclesiæ, denuo emendatum, correctum, immutatum, ac longe jam ordinatius elegantiusque factum, jussu et auctoritate reverendissimi in Christo Patris, illustrissimique principis ac domini D. Henrici S. R. E. cardinalis tituli Sanctorum Quatuor Coronatorum, Portugalliæ Infantis, ac primi ejusdem Ecclesiæ archiepiscopi.

Olisipone, *apud* Ludovicum Rotoricium *bibliopolam, typographum regium, anno a Christo nato, millesimo quingentesimo quadragesimo octavo, mense Aprili.*

VARIA DE PATRIA S. DAMASI TESTIMONIA.

Lucius Marineus Siculus de rebus Hispaniæ lib. II, pag. 309, typis Francofurti 1603 (edit. 2, nam prima prodiit anno 1552), hæc habet de Matritensi oppido :

Quod a nonnullis Madritum, ab aliis Majoritum appellatur. In cujus circuitu turres numeravimus octo et viginti supra centum. Est, præterea felicissimum sancti Damasi summi pontificis meritis, qui MAJORITANUS fuisse perhibetur a multis. Habet etiam nunc alumnum virum sanctissimum nomine Isidorum, qui fuit agricola.

Ex Chronico Hispaniæ Joannis Vasæi Brugensis, quod una cum Marinæo impressum est iisdem typis Francofurti, hæc exscripsi pag. 653 :

Sanctus Damasus ordinatur Romanus pontifex, etc. *Fuit hic natus VIMARANIS oppido Portugalliæ, inter Durium et Minium, tribus leucis a Bracara Augusta, sicut Bracarensis cantat Ecclesia. Vide* Breviarium *Eborense a* Resendio *nitori suo restitutum.*

Ibid., pag. 656 :

Damasus papa, etc. *Petrus Antonius Beuter TARRACONENSEM fuisse dicit, Marinæus Siculus MADRITIO civem adscribit. Sed multæ, ut diximus, Hispaniæ Ecclesiæ VIMARANENSEM fuisse affirmant.*

In tomo II Hispaniæ illustratæ edit. cit. Francofurti 1603, habetur narratio apologetica de Academiis et doctis viris Hispaniæ, auctore Alfonso Garzia, matamoro Hispalensi, qui primum opellam hanc edidit anno 1553: ibique, pag. 809, legitur :

Antecesserunt ætate Osius Cordubensis ; et illa unica Hieronymi lux, Damasus MADRITENSIS si qua tamen fides Lucio Siculo citra pudorem debetur, qui ex MANTUA CARPETANUM appellat.

In eodem tomo II Hispaniæ Illustratæ prostat *Responsio I* Andreæ Resendii (is est auctor Lectionum Breviarii Eborensis) ad Bartholomæum Kebedium Toletanæ Ecclesiæ sacerdotem, in qua sic lego, pag. 1004 :

Viscella fluvius, Lusitane Vizella, *dictus, in Avum majoris famæ fluvium, paulo infra Nervæ Trajani Cæsaris memoriam, in ipsa Avi ripa perdurantem ingreditur. Intra quorum fluviorum confluentes* Vimaranensis *est civitas, sancti pontificis Damasi quondam patria, si per vestros liceret. Tametsi nondum decennium est, cum prodiit Onuphrii Veronensis viri diligentissimi, de Pontificibus Romanis liber, omnibus Urbis templis, archivis, bibliothecis perquisitis, accuratissime compositus. Is penitus Lusitanum, ac* Igæditanum *eum facit.* Sanctus, *inquit*, Damasus, Antonii filius, Egitanensis, Lusitanus Hispanus. *Sed ego* EBORENSIS *Ecclesiæ vetustum Codicem sum secutus, cum ejus vitam* Breviario *inserui.*

Petrus Antonius Beuter, patria Valentinus, edidit Chronicon Hispaniæ, Valentino idiomate lucubratum, quod hactenus non vidi; anno vero 1604 iterum recudit suum Chronicon, et Valentino in Castellanum sermonem translatum, cum titulo hoc : *Primera parte de la Cronica General de toda Espana y especialmente del reyno de Valencia*, etc. *Impressa en Valencia* 1604. Ibi, cap. 25, lib. I, pag. 146, legitur :

Despues fue Juliano Apostata treynta y seys emperador, año trezientos sesenta y cinco, y movio persecucion a la Yglesia : mas muriendo el, presto cesso. Era PAPA DAMASO, NATURAL DE TARRAGONA. Siguieron Valentiniano, y Valente, despues Graciano y Valente. Y siguio el gran Theodosio nascido y criado en España.

Henricus Florez Hispanus, Augustinianæ familiæ

Alumnus et magister, tomo IV operis, cui titulus *Espana Sagrada*, tract. 6, cap. ult., fol. 308, edit. Matritensis, anno 1751, agens de Sanctis Toletanis, hæc habet :

XII. S. Damaso, *a quien algunos hacen natural de Madrid ; y por tanto de la diecesi de Toledo : pero le reservamos para otro sitio que juzgamos muy proprio, por no pender de ninguna opinion particular : y entonces se vera, si fue* Español.

Ex Vita B. Gonsalvi Amaranthi Ordinis Prædicatorum scripta a Fr. Didaco de Rosario, de mandato Fr. Bartholomæi de Martyribus archiepiscopi Bracharensis, apud Bollandistas, ad diem 10 Januarii, n. 3, pag. 641, edit. Venet. :

In hujus ergo metropolitanæ sedis (Bracharensis) *districto..... in quo olim divus etiam Damasus ex VIMARANENSI oppido ortus*, etc.

QUARUMDAM ABBATIS TERRIBILINI SENTENTIARUM ANALYSIS.

Ad carm. IX, *de SS. AA. Catacumbis*, non dubitat beatos Apostolos in iis aliquando *habitasse*, ut Damasus ait, id est collocatos fuisse : sed eo delatos conjicit ab ipso statim martyrio, atque ibi depositos, secus ac alii sentiunt qui B. Petrum ad Vaticani radices, B. vero Paulum in Ostiensi sepultum scribunt. A Catacumbis vero ad passionis locum translatos putat diu ante Cornelii et Xysti pontificatum, quia Caius Romanus presbyter, secundo nondum elapso sæculo, *Apostolorum tropæa* Christianorum religioni, *in Vaticani, et in Ostiensi occurrisse* scribit. Equidem quæstionem hanc, quam viri longe doctissimi vix hactenus extricarunt, non attingam. Hoc adjiciam dumtaxat, nullam perspicere me rationem posse, ob quam *versiculus* ille Damasianus, de quo in *notis* monui, exprimere non debeat mirabile illud factum, quod Gregorius Magnus narrat. Si quis igitur est, qui sic non sentiat, aliam eidem loco sententiam assignet, rogo, æque aptam. Edicat etiam cui bono priori alio versiculo nos sic monuit :

Discipulos Oriens misit, quod sponte fatemur,

An forte hoc ignorari unquam potuit ? Si vero beatorum Apostolorum *tropæa* ad se rapere Orientales, et vindicare non studuerunt, proferat rationem aliquam ob quam

Roma suos potius meruit defendere cives;

ostendatque etiam, quæ sit alia ejusdem verbi *defendere* vis. Scio Pearsonum ad ann. 258, n. 2, temere scripsisse *Historiam, quam Gregorius narrat, nulla fide dignam esse*. Sed hoc illi liceat dumtaxat, ejusque similibus.

Ad carm. X. Carmen quod ego ex Palatino Gruteriano codice eo loco recensui, ac S. Stephano P. et M. aptari posse existimavi, Damasi esse fœtum censet etiam vir eruditus, sed in eo Xystum P. et M. laudari conjicit, quem in *cœmeterio animadversum* ex Cypriano scimus. Sed huic conjecturæ repugnat carmen ipsum, quo constat unum Stephanum tunc martyrem occubuisse, cæteris omnibus cum eodem in cœmeterio deprehensis, salvis dimissis. Contra vero cum Xysto *diacones quatuor* cæsi sunt, et forte alii, quod vir ipse eruditus observat ad Carm. XXXIII. Hoc igitur, de quo agitur, priori magis, quam alteri martyri sanctissimo et pontifici convenit.

Carmen XIII, *de Sancto Marco papa*, sic ex ingenio supplet :

Insons	Vita fuit Marci, quod novimus omnes
Blandus	Amore Dei posset qui temnere mundum
Exemplo	Oravit Populus quod disceret omnis
Parvus	Honor Vitæ, grandis contemptus habendi
Et solers	Virtus tenuit penetralia cordis
Justitiæ	Æ custos, Christi perfectus amicus
Ornæ	Et Damasus tumulum, cum reddit honorem, etc.

Sic in epitaphio Sisinnii presbyteri, quod ab eodem Damaso non sine probabili ratione scriptum putat apud Gruter. pag. MCLXXIII, n. 9 :

Presbyter hic voluit Sisinnus ponere membra [1]
Omnibus acceptus populis, dignusque Sacerdos
Qui sciret Sanctæ servare fœdera matris [2].
Blandus Amore Dei semper qui vivere nosset,
Contentusque suo nesciret divitis aulam.

Ad Carm. XX, *de S. Saturnino*. In carminis hujus principio Palatinus codex apud Gruter. p. MCLXXI, sic habet :

Horum martyrum cultorum Damasus episcopus servus Dei.

OLA NUNC FUERAT CRARTA..... CINIS AN..

Sic etiam apud Sarazanium *Vit. col.* 394 *huj. edit., not.* [3] not. 20. Deinde ex eodem codice p. MCLXXVI, hæc afferi :

NUNC XPI FUERAT CHARTAGINIS ANUS

Supplet igitur ac legit :

Horum martyrum cultor Damasus
IncOLA nunc XPI FUERAS Carthaginis, ante.

Sic idem Damasus, carm. XX :

Sanguine mutasti patriam, etc.
Incola nunc Domini.

Verosimilis conjectura, ac lectio, quæ si retineatur, *Saturninus* de quo agitur hoc carmine, idem ille erit, qui Romæ detentus sub Decio fuerat, laudatus apud Cyprian. ep. 20, 21, ac deinde martyr. Observat præterea in Martyrologio Hieronymi, ac Sacramentario Gelasiano ad III kal. Decembris *Romæ Thrasonis*, cœmeterio scilicet legi, *Saturninum Chrysanthum et Dariam, Maurum, et alios* LXXII. Cum igitur Damasus eos omnes laudasset beatos martyres, an illaudatos præterisset illos LXXII ? Quia vero facilis est in numeris exscribendis lapsus, hinc Vir clar. jure conjicit ad illos pertinere *versiculos* quos, *num.* 2, in *Appendice* retuli, eorumque Damasum ipsum auctorem esse.

Ob eamdem rationem *ad S. Hermetem* pertinere putat carmen XXII, *de incerto martyre Græco*, quem constat depositum fuisse in *cœmeterio Bassillæ*, Hermetis etiam dicto, atque, ut videtur, eodem fere, quo *Protus et Hiacynthus loco*. Sic enim Anonymus Mabillonianus *in via Pincia Pamphilus, Bassilla, Protus, Hiacynthus, Hermes :* ac Gelasianum Sacramentarium ad V kal. Septembris.

Ad Carm. XXXIII, *de Sepulcro suo*, scripserat Cyprianus *epistol.* 82 *Ver. edit.*, Xystum in cœmeterio animadversum, *et cum eo diacones quatuor*. Sic Baluzius et Vignolius ex mss. codicibus. Contra Fellus legit, et cum eodem *Quartum ;* sigillatque Martyrologia, quod eidem Syxto plures socios adjungant, *Felicem* scilicet, seu *Felicissimum, Agapitum, Donatianum, Faustinum, Prætextatum*, aliosque : eaque lectio placuit etiam Ruinarto, et Castellano. Observat igitur vir accuratus priorem lectionem Damasi testimonio confirmari, plures Sixto *comites* attribuentis, quo etiam argumento post Baronium usi sunt Bollandiani ad diem 6 Augusti. Huic profecto sententiæ major etiam vis ex eo accedit, quod *Quarti* hujus nullam ante Adonem et Usuardum mentionem heri observarunt Florentinius et Sollerius. Quidquid igitur de illo sit, quod asseri pro certo potest, illud est, beatum illum pontificem non sine injuria, diuturna sociorum suorum possessione exspoliari posse, quos, ut ait Sacramentarium Leonianum dictum in ejus Missa, *doctrinæ suæ filios ad eamdem gloriam promerendam incitabat :* quamquam cum eodem viro clarissimo ex eorum numero excluserim *Prætextatum*, qui inspectis Martyrologiis cæteris ac Sacramentariis, tur ille Marcelli, Eusebii et Marci ætate, sub quibus controversiæ de lapsis agitabantur.

[1] Sic in Carm. XXIII : *condere membra.*
[2] Sic Carm. XII : *servaret fœdera pacis.* Vixerat igi-

memoratur in Martyrologio Florentinii, non ut exprimat martyrem aliquem, sed celebre ab eo dictum cœmeterium, in quo Martyrum illorum memoria agebatur. Qui vero, et quot fuerint Sixti in martyrio comites, disquirunt diligenter Bollandiani socii, quos si quis consulat, operæ pretium fecerit.

Laborat etiam vir clarissimus, ut cæteros conjectura assequatur, quos Damasus eodem loco sepultos ait, sed ut videtur frustra: Equidem si quis hoc idem a me scire vellet, respondeam cum Prudentio hymn. XI, *de Coron*:

. . . . . tu singula quæris
Nomina? difficile est, ut replicare queam,
Tantos justorum populos furor impius hausit!

Ad Carm. XXXII, *Epitaph. Projectæ*. Cur Sarazanius Florum Projectæ patrem, consulem dixerit in notis, causam non attulit: forte ex Fl. quod est *Flavio* in eo lapide, *Florum* fecit, ut ait vir eruditus. Suspicatur autem *Florum* hunc illum esse, cujus exstat carmen ad Sepulcrum S. Liberalis martyris apud Gruter. p. MCLXXI, n. 9, quod affert:

Martyris hic sancti Liberalis membra quiescunt
Qui quondam in terris consul honore fuit.
Obtulit hæc Domino componens atria Florus
Ut sanctos venerans præmia justa ferat.

OPERA APOCRYPHA SANCTI DAMASI.

LECTORI.

Decreveram Apocrypha missa facere: verum cum aliquis ex Epistolis fructus, atque usus aliquando esse possit, ac librarius id a me optaret, passus sum, ut illæ genuinis Damasi opusculis adjiciantur. Nam quæ ad Stephanum et episcopos Mauritaniæ, ad Prosperum et ad episcopos Numidiæ, ad Aurelium Carthaginensem, *et ad* episcopos Italiæ *inscriptæ sunt, ex officina Isidori Mercatoris prodiisse jam demonstrarunt, ut alios omittam, Labbeus in Collectione Conciliorum, ac Coustantius in Præfatione ad Romanorum Pontificum Epistolas num.* 145. *Eas autem ad* Hieronymum *merito queritur Erasmus esse hominem potuisse sic impudentem, ut Damaso attribuere ausus sit, qua de re videri poterit Schelestratus dissertat.* 2, *cap.* 3. *Non potui tamen adduci, ut quæ ejus nomine circumferuntur,* decreta *retinerem: nam cum ea post Sarazanium, et Crabbeum Coustantius diligenter omnia iterum collegerit in ea, quam* Decretorum Damaso adscriptorum Censura *inscripsit, ac rationes sane gravissimas attulerit, ob quas illa ejus pontificis nomen et auctoritatem mentiantur, Lector, quam mecum luderet, in viro illo docto potius consulendo operam quam optime collocabit.*[a]

EPISTOLA PRIMA.

[1] Reverendissimo fratri et coepiscopo Aurelio Damasus.

Scripta Sanctitatis tuæ debita veneratione suscepimus, in quibus sitire venerationem ac prudentiam tuam Apostolica instituta (ut dignum erat) cognovimus. Qua de re quædam ex his quæ petisti, misimus: et quædam adhuc, cum iterum miseris, mittere cupimus. Nullum tamen a beati Petri principis apostolorum fine, prædecessorum nostrorum prætermisimus, de quorum statutis aliquid tibi per Ammonium presbyterum et Felicem diaconum, sub certis signaculis non mitteremus. Quæ te et custodire optamus, et aliis prædicanda ac publicanda mandamus, ut ab omnibus inviolate debita veneratione custodiantur, et inviolate serventur, atque ab omnibus futuris temporibus diligenter venerentur: quia [2] violatores voluntarii canonum graviter a sanctis Patribus judicantur, et a Spiritu sancto (cujus instinctu ac dono dictati sunt) damnantur: quoniam blasphemare Spiritum sanctum non incongrue videntur, qui contra eosdem sanctos canones non necessitate compulsi, sed libenter (ut præfixum est) aliquid aut proterve agunt, aut loqui præsumunt, aut facere volentibus sponte consentiunt. Talis enim præsumptio manifeste unum genus est blasphemantium Spiritum sanctum: quoniam (ut jam prælibatum est) contra eum agit, cujus impulsu et gratia iidem sancti editi sunt canones. Diabolica vero nequitia plerosque subtiliter fallere solet; et ita quorumdam imprudentiam per similitudinem pietatis sæpissime illudit, ut pro salutaribus nocitura persuadeat. Idcirco norma sanctorum canonum qui sunt [3] Spiritu Dei conditi, et totius mundi reverentia consecrati, fideliter a nobis est scienda et diligenter tractanda; ne quovis modo sanctorum Patrum statuta absque inevitabili necessitate, quod absit, transgrediamur: sed fidelissime per ea gradientes, cum eis qui eos instinctu condiderunt divino, mercedis gloriam et laboris cumulum, eorum meritis, auxiliante Domino, habere mereamur. His itaque rite deliberatis, et ad Ecclesiarum vestrarum notitiam deliberatione perlatis, parere vos eorumdem sanctorum canonum regulis summopere convenit, ne in aliquo eis obviare quorumdam ignavia faciat: sed vestra sapiens et sana doctrina, quæ cupit vos per omnia placere Deo, illis cohæredes et comparticipes cœlestis regni, in sedibus fideles cooperatores ostendat. Data decimo sexto kalendas Junii, Gratiano et [4] Cyricio VV. CC. Consulibus.

EPISTOLA II.

Damasus servus servorum Dei [5], atque per gratiam ejus episcopus sanctæ catholicæ Ecclesiæ urbis Romæ, Stephano archiepiscopo concilii Mauritaniæ, et universis episcopis Africanæ provinciæ.

Lectis fraternitatis vestræ litteris, primo gratias

[1] In Collect. Isidori, *Beatissimo fratri.*
[2] 5, XXV, qu. 1: *Violatores.*
[3] Vide S. Leonis Epistolas 25 et 84.
[4] Non sunt in Fastis hi consules.
[5] Vide Jo. Diac lib. II *Vitæ S. Gregorii Papæ.*

[a] Non, ne quid editioni nostræ desit, in appendice ad calcem hujus tomi sepositio quod a Merenda prætermissum est exhibebimus.

ago, quod tantorum fratrum merui [1] benedictione frui; deinde quod circa fratres sollicitos vos reperi, et cum eis crucem Domini deferre, qui ait : *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me*, et reliqua ad hunc modum pertinentia. Igitur, quoniam in præsenti opportune gestorum consultatione apostolicis vestra beatitudo visceribus [2] commota, nos hortata est, tuitionem fratrum apostolica impendere auctoritate, et eorum injuriis subvenire, dum constet, eadem vos cum Apostolo compassibiliter dicere : *Quis infirmatur, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror?* satagentes, ne aliquis de his, qui vobis crediti sunt, a sævis bestiis laceretur aut capiatur : pro qua re [3] oportet, juxta vestram prudentem commonitionem, magis autem secundum Domini divinam præceptionem, nos, qui supra domum ejus, hoc est universalem Ecclesiam catholicam, episcopale suscepimus ministerium, sollicite vigilare; ne de sacris ejus muneribus, id est, apostolicis viris, apostolorumque successoribus, atque ministris, quisquam, nobis dormitantibus, valeat supprimi, atque injuste, nobisque inconsultis, damnari.

I. Scitis, fratres charissimi, firmamentum [4] a Deo fixum et immobile, atque titulum lucidissimum suorum sacerdotum, id est, omnium episcoporum, apostolicam sedem esse constitutam, et verticem Ecclesiarum. *Tu es enim* (sicut divinum pronuntiat Verbum veraciter) *Petrus, et super firmamentum tuum Ecclesiæ columnæ*, qui episcopi intelliguntur, *confirmatæ sunt : et tibi claves regni cœlorum commisi, atque ligare et solvere potestatem quæ in cœlis sunt, et quæ in terris, promulgavi.* Tu profanorum hominum, et membrorum meorum, maximeque discipulorum meorum existis ut princeps et doctor orthodoxæ et immaculatæ fidei, cujus vice hodie gratia Dei, legatione pro Christo fungimur, et omnes hujus sanctæ sedis præsules ejus vicem gesserunt, gerunt, et gerent. Ideo omnia, quæ innotuistis, non licere mandarem, nisi vos tam pleniter instructos esse scirem, quod cuncta, super quibus consulitis, illicita esse non dubitetis.

II. Discutere namque episcopos [5], et summas ecclesiasticorum negotiorum causas metropolitano, una cum omnibus suis comprovincialibus, ita ut nemo ex iis desit, et omnes in singulorum concordent negotiis, licet : sed definire eorum, atque ecclesiasticarum summas querelas causarum, vel damnare episcopos, absque hujus sanctæ sedis auctoritate, minime licet; quam omnes appellare, si necesse fuerit, et ejus fulciri auxilio oportet. Nam (ut nostis) synodum sine ejus auctoritate fieri, non est catholicum : nec episcopus, nisi in legitima synodo, et suo tempore apostolica vocatione congregata, definite damnari potest : neque ulla umquam concilia rata leguntur, quæ non sunt fulta apostolica auctoritate.

III. Accusatores autem episcoporum, et testes, super quibus rogitastis, absque ulla infamia [6], aut suspicione, vel manifesta macula, et veræ fidei pleniter instructi esse debent, et tales, quales ad sacerdotium eligere jubet divina auctoritas : quoniam sacerdotes (ut antiqua tradit auctoritas) criminari non possunt, nec in eos testificari, qui ad eumdem non debent, nec possunt provehi honorem.

IV. Vocatio enim ad [7] synodum (juxta decreta Patrum) canonica ejus, qui impetitur, tam sua præsentia, quam, et scriptis atque apocrisariis, per spatium fieri debet congruum atque canonicum : quia nisi canonice vocatus fuerit suo tempore, et canonica ordinatione, licet venerit ad conventum, quacumque necessitate, nisi sponte voluerit, nullatenus suis respondebit insidiatoribus quoniam nec sæculi leges hoc permittunt fieri, quanto magis divinæ.

V. De ejectis vero [8] atque suis rebus exspoliatis, nihil vobis verius significare queo, quam sancti Patres definierunt, et nostri prædecessores apostolica auctoritate roboraverunt. Ita enim hæc se habent : episcopos ejectos atque suis rebus exspoliatos, Ecclesias proprias primo recipere, et sua eis omnia legaliter reddi, sancti canones decreverunt : et postea si quis eos accusare voluerit, æquo periculo facere sanciverunt, judices esse decernentes episcoporum, episcopos recte sapientes et juste volentes, ad tempus diuque illis, resumptis viribus, et suis potestative fruentibus rebus; amicisque et Dei servis sapientibus consulentibus viris, in Ecclesia convenientes, ubi testes essent singulorum, qui oppressi esse videntur. Et reliqua, ad hunc [9] ordinem pertinentia : quæ prolixitatem vitantes, hic non inserimus, quia hæc sufficere credimus. Si quis autem his non est contentus, legat ea, et satiabitur. Scimus enim homines inermes non posse cum armatis rite pugnare : sic nec illi, qui ejecti vel suis bonis sunt exspoliati, cum illis, qui in suo stant gradu, et suis fruuntur amicis atque bonis, litigare rite possunt. Nec sæculi quoque leges hæc sæcularibus fieri permittunt : sed prius ejectos vel oppressos, aut exspoliatos cum suis omnibus restitui jubent, et postea suo tempore, sicut lex eorum continet, ad placita venire præcipiunt nec ulla carceris custodia appellantem arceri permittunt. Docent enim ex parte (sicut nostis) terrena, quæ sunt cœlestia.

VI. Accusatores vero et accusationes, quas sæculi leges non adsciscunt, nullatenus sunt in horum admittendæ causis, quia omne quod irreprehensibile est, catholica [10] defendit Ecclesia. Et hoc a majoribus definitum esse propter pravorum hominum insidias, non dubitatur. Decet enim Domini sacerdotes fra-

[1] Atticus episc. C. P. epist. ad PP. Conc. Carthaginensis.
[2] Deus dedit Caralit. episc. consult. 2.
[3] Maximo Aquileiensi episc. in eodem concilio.
[4] Sergius episc. Cypri ad Theodorum Papam, ibid.
[5] 6, III, qu. 6, *Discutere episcopos.*
[6] II, qu. 7, *Testes absque ulla.*
[7] 51, II, qu. 7, *Sacerdotes ut antiqua.*
[8] 1, V, qu. 2, *Vocatio ad synodum.*
[9] 5 Al. *modum.*
[10] Nicæni conc. can. 9.

trum causas pie tractare, et venerabiliter intendere, atque eorum judicia super sacrificia ordinare; nec proterve aut tyrannica dominatione, ut de quibusdam refertur, sed charitative pro Deo et fraterno amore cuncta peragere: *et quod sibi quis fieri*, secundum dominicam vocem, *non vult, alii inferre non præsumat: et in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* Ea vero, quæ Apostolorum prædicatione et Patrum instructione percepimus, semper tenere debemus; ne aliqua nova cudere, aut ad noxam fratrum intendere videamur: *sed alterutrorum onera portemus*, ut juxta Apostolum, *legem Domini adimplere valeamus.*

VII. Tempus enim congruum prævideri oportet quando uniuscujusque accusatæ personæ causa rectissime in medio producatur, quatenus gravitatem ejus consonantiamque contra Patrum decreta, vel synodorum confessionem, prodi minime cognoscatur. Quam ordinabiliter omnes intendant, ut ad eam in omnibus rationabiliter respondeant, et juste se velle manifeste ostendant. Nullus autem introducatur [1] personaliter: sed accusatores et accusati æqua audiantur ratione, juxta quod gestorum ordo exigit. Accusatores vero et judices non iidem sint, sed per se accusatores, per se judices, per se testes, per se accusati, unusquisque in suo ordinabiliter ordine. Nam inscriptio primo semper fiat, ut talionem calumniator recipiat; quia ante inscriptionem nemo debet judicari vel damnari, cum et sæculi leges hæc eadem retineant. De quibus omnibus vera semper fiat æquitas, quatenus accusationis et judicii ac testimonii [2] mercedem per veritatem gestorum consequi valeant. Scriptum est enim: *Abominabitur Dominus labia mendacia, et testem fallacem proferentem mendacia, et seminantem inter fratres scandala atque litigia*, ipso monente atque dicente: *Non facies columniam proximo tuo, nec vi opprimes eum. Non facies quod iniquum est nec injuste judicabis. Non considerabis personam pauperis, nec honores vultum potentis. Juste judica proximo tuo. Et tibi quod non vis fieri, alteri ne facias:* et reliqua. Et maxime [3] præceptum habentes Apostolicum *attendere nobis ipsis et gregi, in quo nos Spiritus sanctus posuit episcopos, regere Dei Ecclesiam, quam acquisivit per sanguinem suum proprium*, convenit. Et iterum: Attendere lupos, attendere malos operarios, qui perversa faciunt et adversa loquuntur, ut detrahere semper discipulis Domini, et infamare queant: quos corrigere, vos et omnes Domini sacerdotes summo studio oportet: quia pejus malum non est, quam ut cives civibus invideant, et sacerdotes vel clerici, sacerdotibus vel pontificibus insidientur, testante etiam veritatis voce: *Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei; et qui scandalizaverit unum de pusillis istis, melius est ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris.* Et item: *Beatus qui non fuerit scandalizatus in me.* Ille procul dubio scandalizatus est in Deum, qui ejus scandalizat episcopum vel sacerdotem. Et multa talia, quæ hic non inferuntur, ne nimis prolixa efficiatur epistola. Monentes quoque instruere debetis memoratos vicinos vestros, ut a talibus se subtrahant, et quæ illicite contra præfixos fratres egerunt, cito corrigant. Et quos nobis inconsultis læserunt, plena satisfactione sanent, et cito sibi eos reconcilient, si noluerint apostolicæ sedis suscipere censuram. Nam si quid fortasse in eos aut contra eos emerserat, nostrum fuerat exspectandum examen, ut nostra (uti semper huic fuit sedi concessum privilegium) condemnarentur auctoritate, aut fulcirentur auxilio. Neque enim suo pro libitu nostra debuerant jura pervadere, absque apostolicæ sedis dispositione mandante. A talibus deinceps omnes se abstineant [4] sacerdotes, qui noluerint ab Apostolicæ Petræ (super quam Christus, ut prædictum est, universalem construxit Ecclesiam, cui episcoporum summa judicia atque majores causæ, sicut paulo superius memoratum est, reservatæ sunt atque solidatæ) censura ac sacerdotali honore secludi.

VIII. Inducliæ enim accusatis [5] in criminalibus episcopis sex mensium, vel eo amplius si necesse fuerit, concedendæ sunt: quoniam et laicis hoc permissum nullus sæcularibus imbutum disciplinis ignorat: quanto magis sacerdotibus, qui superiores esse eis non dubitantur. Habetur quoque [6] in decretis sanctorum Patrum sanctum, non fore canonicum quemquam sacerdotum judicare vel damnare, antequam accusatores, canonice examinatos, præsentes habeat, locumque defendendi accipiat, id est, inducias ecclesiasticas ad abluenda crimina et scelera.

IX. Ne extra propriam [7] fiat provinciam primo discussionis accusatio, sine apostolica præceptione, cui in omnibus causis debet reverentia custodiri, quoniam et antiqua docet hoc Patrum regula, in quæ et imperialia pariter statuta concinunt. Criminum, inquiunt, discussio ibi agenda est, ubi crimen admissum est. Nam alibi criminum reus prohibetur audiri. Et alibi in canonibus præcipitur: Quæcumque negotia suis locis [8], ubi orta sunt, finienda sunt: et reliqua talia et his similia: salva tamen in omnibus apostolica auctoritate, ut nihil in his definiatur, priusquam ei placere cognoscatur, qua omnes sufultos esse oportet. Et si quid eis grave intolerandumque acciderit, ejus semper exspectanda [9] censura. Neque enim proterve, aut stimulo suæ cogitationis impulsus, et (ut sæpe actum cognovimus) detrahere aut accusare præsumat quemquam sacerdotum: quia injuria eorum ad Christum pertinet, cujus vice-legatione pro populo, Christi sanguine redempto, fun-

[1] Qu. 4, *Nullus introducatur.*
[2] Martinus papa, consult. 5 conc. Later.
[3] Ejusdem Martini, consult. 1.
[4] Siricus, epist. 1, cap. 2.
[5] 4, III, qu. 3, *Inducliæ accusatis.*
[6] III, qu. 9, *Habetur quoque.*
[7] III, qu. 9, *Nec extra propriam.*
[8] Africani Patres in epist. ad Cœlestinum.
[9] S. Leo, epist. LXXXIV.

guntur. Causa enim eorum, quia Dei causæ sunt, A ejus esse [1] judicio scimus reservandas, *qui valet corpus occidere, et animam mittere in gehennam.* Qui dicit : *Mihi vindictam, et ego retribuam. Apud quem conscientia nuda est, cui non absconduntur occulta.* Instruendi etiam omnes sunt, quoniam per nos illi Christus intonuit, non esse ovium lupi insidias prævidere, sed pastoris. Monet [2] ergo beatus apostolus Paulus, ne de his temere leviterque præsumatur judicium, de quibus nemo potest verius vel melius judicare, quam Deus : *Tu autem,* inquit, *quare judicas fratrem tuum ? aut cur spernis eum ? Omnes enim stabimus ante tribunal Christi. Scriptum est enim : vivo ego, dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu, et omnis lingua confitebitur Domino.* Itaque unusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo. B In hoc ergo non sibi quisquam temerarios ausus usurpet, ut præter quod ad concordiam pertinet, aliud agat, unde unitas Ecclesiæ dissipetur. Non ergo leviter quisquam assentiat in detractione vel judicatione vel damnatione fratrum, maximeque sacerdotum, qui proximiores sunt Deo, et qui proprio ore corpus Christi conficiunt : *Quia ob hoc venit ira Dei in filios dissidentiæ, qui Christum persequuntur in suis membris. Nolite, fratres, nolite effici participes* [3] *eorum, nec communicetis peccatis talium, aut infructuosis verbis illorum. Magis autem redarguite talium cœtus, qui extendere moliuntur, quasi arcum, in fratres linguas suas.* Defendite ergo fratres, et omnes monete, ut armentur contra fratrum persecutores. *Confidimus autem de vobis meliora et viciniora saluti : quia neque mors, quia ne- C que vita, neque angeli, neque principatus, neque Virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia,* magistro gentes docente, *poterit nos separare a charitate Domini nostri Jesu Christi,* quæ maxime in sacerdotibus et reliquis perficitur membris ejus. *Nolite itaque amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem.* Ecce enim judex ante januam assistit, coronas hilariter promittens his, qui pro eo fratribus auxilium ferunt, et oppressis succurrunt atque in charitate collaborant. *Quod si subtraxerit se quis, non placebit Deo, sed cadit, quia non sublevavit cadentem, sed emarcuit. Non autem simus subtractionis in oppressionem, sed adminiculi in acquisitionem,* et supplementum fratrum. *Propter quod assumite armaturam Dei, ut possitis resistere omnibus taliter præsumentibus : et induite vos loricam justitiæ, calceati pedes in præparationem Evangelii pacis ; in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere. Et galeam salutis assumite, et gladium spiritus, quod est Verbum Dei, per omnem orationem, et obsecrationem radicati et fundati, ut idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata,* dividentes corpus Ecclesiæ bonum et integrum in tortuosas novitates. Monet ergo apostolus, non amplius nos invicem temere judicare. Temere enim judicat, si quis episcopum absque sedis apostolicæ auctoritate condemnat : cum ei (ut paulo superius prælibatum est) hoc specialiter privilegium reservatum sit. *Sed hoc judicate magis,* inquit, *ne ponatis offendiculum fratri vel scandalum.* Patenter enim his et aliis innumerabilibus decretorum testimoniis, omnibus manifestum est, non debere episcopum damnari, licet ejus perscrutetur opinio, donec judicium de eo nostræ apostolicæ auctoritatis, hoc est, principis apostolorum Petri, cognoscatur ; utpote quoniam solus et præ omnibus creditus est, atque percipere meruit a Rege regum Christo Deo claves regni cœlorum, ad aperiendum fidelibus et benevolis hominibus in eumdem Dominum nostrum, et claudendum infidelibus et malevolis, atque [4] suis sacerdotibus, et sanctæ Ecclesiæ, suo pretioso sanguine redemptæ, impugnatoribus sive nocentibus. Quod utique et nos facere postulavit. Non [5] quod novi aliquid nunc imperatur : sed illud quod per desidiam aliquorum aut scienter aut negligenter transgreditur, deinceps observetur ab omnibus : ut illa semper, quæ apostolica et Patrum traditione constituta sunt, sub metu irrefragabili auctoritate teneantur. Scriptum namque est in secunda ad Thessalonicenses Epistola, et ad Timotheum, apostolo monente : *State, et tenete traditiones vestras, quas didicistis, seu per verbum, seu per epistolam :* Item alibi per prophetam : *Exspectavi quoque,* sicut beatus Isaia intonuit, *ut facerent judicium : fecerunt autem iniquitatem, et non justitiam, sed clamorem, omnes pios conturbantes.* Et hoc scire debeant [6], quoniam judicium Dei est secundum veritatem in eos qui talia agunt : licet divitias bonitatis Dei, et sustentationis, et patientiæ contemnant, *ignorantes quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam eos adducit, secundum duritiem autem eorum et cor impœnitens, thesaurizant sibi iram in die iræ et revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera ejus.* Et alibi scriptum est : *Ego sum Dominus Deus vester : non facietis iniquitatem in judicio. Non accipies personam hominis, neque mireris vultum potentis. Ab omni iniquo verbo recedes. Innocentem et justum non oppugnabis,* D *neque interficies.* Ille procul dubio facit iniquitatem in judicio, qui ea sibi vindicat, quæ ei vindicare non licet. Ideo, quæ huic sanctæ sedi [7] concessa sunt, nullus usurpare sine ejus consultu præsumat, qui non vult honore ecclesiastico indignus, ut contemptor, judicari. Itaque oportet negligentes [8] propulsare, sed ita, ut nocentes non roborentur : et bonos improbis aut insidiatoribus fratrum resistere, ne torpore desidiæ oppressi, taciturnitatis teneantur obnoxii.

[1] Conc. Rom. III, sub Symmacho.
[2] Anast. papa ad. Anast. Aug.
[3] Martini synodica, e conc. Lateran.
[4] Forte, suorum sacerdotibus.
[5] Innoc. I, ep. II.
[6] Martin. papa. Consult. 2, conc. lateran.
[7] 3, *dist.* 17, *Hinc soli sedi.*
[8] Victor. Carthag. ad Theodorum papam.

Itaque qui potest obviare [1], et perturbare perversos, et non facit, nihil aliud est [2], quam favere eorum impietati. Nec enim caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obviare. *Sitis autem perfecti et integri in eodem sensu, et in eadem scientia firmati:* ut per eam vias vestras dirigentes in eumdem inflexibiliter, omnibus occurratis oppressis [3], quia vobis creditur Dominus, *ad quem lapidem accedentes vivum, ab hominibus quidem reprobatum propter talium impietatem, a Deo autem electum et honorificatum, super quem vos, tamquam lapides vivi, ædificamini in Dominum spiritualem, in sacerdotium sanctum, offerentes spirituales hostias ipsi in odorem suavitatis.* Gratum enim admodum est sacrificium Domino oppressis omnibus subvenire : quanto magis illis de quibus ait : *Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit,* et cætera. Libat [4] quidem Domino prospera, qui ab afflictis et oppressis pellit adversa. *Sed et nunc, fratres, commendamus vos Deo et verbo gratiæ ejus, qui potest perficere et dare hæreditatem in omnibus sanctificatis. Ipse autem Deus pacis et consolationis det vobis idipsum sapere in alterutrum, et in ipso semper et in omnibus, ut unanimes uno ore et uno corde honorificetis eum in concordiam et auxilium fratrum, qui potens est confirmare omnes, et consolari secundum Evangelium ejus, et juxta revelationem mysterii temporibus æterni taciti,* patefacti autem per Scripturas [5] sanctas et Patrum orthodoxorum doctrinas, secundum præceptum æterni Dei, ad obediendum fidei, in omnibus cognitis nobis, soli sapienti Deo, Domino nostro Jesu Christo, cum quo Patri et Spiritui sancto gloria, honor, et imperium et potestas in sæcula sæculorum. Amen. Dominus vos custodiat, dilectissimi fratres, incolumes semper. Data octavo kalendas Novembris, [6] Flaviano et Stilicone viris clarissimis consulibus.

[7] EPISTOLA III.

De Chorepiscopis, et qui iidem sint, aut si aliquid sint, aut nihil.

Dominis venerabilibus fratribus [8], Prospero Numidiæ primæ sedis episcopo, Leoni, Reparato, Alexandro, Benedicto, Rufo, et omnibus cæteris, ubique in recta, sancta, et apostolica fide consistentibus, orthodoxis episcopis, Damasus episcopus.

Licet, fratres charissimi, vobis sunt nota patrum decreta, mirari tamen non possumus vestram solertiam circa instituta majorum [9], ut cuncta quæ possunt aliquam recipere dubitationem, ad nos, quasi ad caput, ut semper fuit consuetudo, deferre non desinatis : ut inde capiatis responsa, unde accepistis institutionem et normam recte vivendi. Unde et vos non immemores canonum esse recordamur, qui et id ipsum fieri præcipiunt. Non ut vobis scientiæ ecclesiasticæ regulæ aliquid desit, sed ut auctoritate sedis apostolicæ fulti, in nullo ab ejus devietis regulis. Igitur de chorepiscopis, de quibus nos consulere voluistis, quale sit eorum ministerium, aut quid eis agere liceat, aut quam auctoritatem habeant, vel si liceat eos fieri, an non, quia audivimus eos jam esse prohibitos; aut quid de his, qui jam ordinati reperiuntur, agendum sit, nil vobis certius respondere nobis videtur, quam olim a prædecessoribus nostris decretum reperimus; ut eis ad veniam nihil prorsus aliud reservetur quam privatio sacri ministerii, quod illicite assumpserunt; quia prohibiti tam ab hac sacra sede, quam a totius orbis fuerant episcopis. Nimis ergo eorum institutio improba, nimis est prava : quia ut hi de summo sacerdotii ministerio aliquid præsumant, omni auctoritate caret, et sacris canonibus invenitur esse contrarium, atque ad totius [10] Ecclesiæ perturbationem superba et superflua tendit elatio : et vacuum est et inane, quidquid in prædicto sacerdotii summi egerunt ministerio. Quod ipsi iidem sint [11], qui et presbyteri sufficienter invenitur : quia ad formam et exemplum septuaginta inveniuntur prius instituti. Sed quia (Deo gratias) modo necessarii, sicut in primitiva Ecclesia, propter studium, quod erga pauperes exigebant, non sunt : et quia illicita præsumebant; et quod agebant, actum non erat; et propterea multi in securitatem lapsi, ecclesiastico frustrabantur et fraudabantur ministerio : et ideo tam ab hac S. sede, ut superius memoravimus, quam et ab omnibus totius orbis episcopis, a pontificalibus sunt remoti officiis. Nam (ut nobis relatum est) quidam episcoporum, propter suam quietem, eis plebes suas committere non formidabant : et ut illicita atque prohibita agant, iidem ea quæ solis pontificibus debentur, sibi usurpant; et ipsi in sua quiete torpent, et curam sibi a Deo commissam negligunt, cum Dominus dicat : *Bonus pastor animam suam ponit pro ovibus suis, et vocat eas nominatim, et cognoscit suas, et suæ cognoscunt eum.* Et idem : *Sicut novit me Pater, et ego agnosco Patrem, et animam meam pono pro ovibus meis.* De mercenario autem quid dicat, bene nostis, *quia videt lupum venientem, et dimittit oves, et fugit, et lupus rapit, et dispergit oves,* et reliqua. Pro talibus vero negligitur cura Ecclesiæ, et ejus status perturbatur. Et ideo sunt prohibiti; in tantum ut si aliqui ex his reperti fuerint, a proprio decidant gradu. Illi namque episcopi, qui talia sibi præsumunt, videntur mihi esse meretricibus similes, quæ statim ut pariunt, infantes suos aliis nutricibus tradunt educandos, ut suam citius libidinem explere

[1] 2, xxiii, qu. 3, *Qui potest obviare.*
[2] Felix III, epist. 1.
[3] Martini I papæ, synodica cit.
[4] Concil. Tolet. viii.
[5] Idem Martin. papa, ibidem.
[6] Non sunt in Fastis hi consules.
[7] Hanc sumptam esse ex can. 7 Hispal. Conc. ii, ut etiam Leonis epist. 88 in veter. edit. monet Quesnell. dissert. 11.
[8] Falsa et hæc epistola, judice Petavio, in Epiphan. pag. 278. Est in collectione Isidori.
[9] Innoc. I, epist. 4.
[10] Leo, epist. 33.
[11] In Conc. Neocæsareensi.

valeant. Sic et isti infantes suos, id est, populos sibi commissos, aliis educandos tradunt, ut suas libidines expleant, id est ut pro suo libitu sæcularibus curis inhæreant, et quod unicuique visum fuerit, liberius agant. Pro talibus enim animæ negliguntur, oves pereunt, morbi crescunt, hæreses et schismata prodeunt, Ecclesiæ destruuntur, sacerdotes vitiantur, et reliqua mala proveniunt. Non taliter Dominus docuit, nec Apostoli instituerunt: sed ipsi qui curam suscipiunt, ipsi peragant, et ipsi proprios manipulos Domino repræsentent. Nam ipse ovem perditam diligenter quæsivit, ipse invenit, ipse propriis humeris reportavit, nosque idipsum facere perdocuit. Si ipse pro ovibus tantam curam habuit, ipse docuit, ipse curavit, ipse sanavit, ipse propriis humeris reportavit, atque in tantum dilexit, ut etiam animam suam (multas sustinens injurias, multa opprobria, multasque passiones) pro nobis traderet: quid nos miseri et desides dicturi sumus, qui etiam pro ovibus nobis commissis curam impendere negligimus, et aliis eas educandas tradimus? Corrigantur hæc, fratres, necesse: quia *qui plus laborat, majorem mercedem accipiet* [1]. Nam non amplius quam duos ordines inter discipulos Domini esse cognovimus, id est, duodecim Apostolorum, et septuaginta Discipulorum: unde iste tertius processerit, funditus ignoramus. Et quod ratione caret, exstirpare necesse est. Quod enim episcopi non sint, qui minus quam a tribus sunt ordinati episcopis, omnibus patet: quoniam (ut bene nostis) prohibitum a sacris est Patribus, ut qui ab uno vel a duobus sunt ordinati episcopis, nec nominentur episcopi. Si nomen non habent, qualiter officium habebunt? Quidquid enim inter episcopos, aut de rebus ad eos solummodo pertinentibus egerint, necesse est (ut superius jam prælibatum est) ut irritum fiat: quia quod non habent, dare nequaquam possunt: præsertim cum nullum ex septuaginta Discipulis, quorum speciem isti antequam prohiberentur (ut superius memoratum est) in Ecclesia gerebant, nil de hoc, quod Apostolis eorumque successoribus specialiter debebatur, legitur assumpsisse. [2] Nec in lege Domini, quæ Mosi ab ipso Domino legitur dictata, de his, quæ summis sacerdotibus, id est, Mosi et Aaron erant specialiter concessa, filii Aaron quidquam præsumebant. Nulli enim dubium est, quod Moses et Aaron soli, præcipiente Domino, in Tabernaculo Dei erigebant altare, soli ungebant, soli sacerdotes sacra unctione instituebant, et alia, quæ ad summum sacerdotium pertinebant, de quibus sufficienter in divinis legitur Litteris, agebant: quoniam summi Domini sacerdotes erant, sicut de iis scriptum est: *Moses et Aaron in sacerdotibus ejus.* Sic et modo, quia umbra legis transiit, et lux Evangelii in nos, Dei gratia, manifeste coruscat, de his quæ in summis sacerdotibus, id est, episcopis sunt, quorum figuram Moses et Aaron tenuerunt, illi qui septuaginta Discipulorum formam gestant, in quorum videlicet typo filii Aaron erant, nihil præsumere debent, sicut nec illi quidquam de summi sacerdotii ministerio attingebant. Nam quod chorepiscopi antequam præfato prohiberentur tenore, ad formam septuaginta instituti erant, canon sufficienter manifestat, ubi ait: *Chorepiscopi quoque ad exemplum et formam Septuaginta videntur esse* [3]: et reliqua. Nec illud prætereundum nobis videtur, quod alibi in canonibus expressum est: [4] *Qui in vicis et possessionibus chorepiscopi nominantur, quamvis manus impositionem episcoporum perceperint, et ut episcopi consecrati fuerint*, et cætera. Nec ab re dictum perpendo, quamquam manus impositionem episcoporum perceperint; cum *episcoporum* nomen pluralem in se contineat numerum, et apud grammaticos pluralis sit genitivus: videtur enim mihi, quod tunc, non ab uno, sed a pluribus ordinabantur; quia nullatenus diceret, *episcoporum*, si ab uno fieret talium ordinatio, cum *episcoporum*, pluraliter dictum sit, cum autem dixit chorepiscopum, profecto villanum voluit intelligi episcopum, et si villanus, quid agit in civitate cum in una civitate duo omnino prohibeantur esse episcopi? Et si in villa et in eo loco ubi antea episcopi non fuerunt, cum et in modica civitate, [5] vel in villa, aut castello episcopus fieri prohibeatur, et in omnibus omnino locis, ubi antea episcopi non fuerunt, ne vilescat auctoritas [6] et nomen episcopi, fuerint constituti, quid, rogo, erunt? Ecce nec locus cum ordinatione concordat, nec ordinatio cum loco: quoniam si episcoporum manus impositionem perceperunt, et ut episcopi sunt consecrati, ubi sunt consecrati? Ad villam, quia χώρα, villa est apud Græcos. Et qualiter ad villam, si nec in castello aut in modica civitate licet fieri, rogo ut promatis: et si promere non potestis, quis (scio) per rationem aut plenam auctoritatem minime potestis, digitum ori imponite, et eos omni auctoritate carere non dubitate, scilicet quia tria obstant, quibus eorum cassatur actio vel institutio. Unum, quod ab uno episcopo ordinari solent, in quo eorum ordinatio a canonibus discordat, qui per manus episcoporum eos institui jubent. Aliud, si a pluribus episcopis sunt ordinati, et aut in villa, aut in castello, seu in modica civitate, aut omnino non in eo loco præfixi, quo juste episcopi fieri debent, aut dudum non fuerunt, [7] ubi vilescat auctoritas et nomen episcopi, aut si in civitate cum altero episcopo: cum (ut prædictum est) in una civitate duo non debeant [8] consistere episcopi. Tertium, si absolute [9] fuerint instituti, sicut de quibusdam audivimus, quæ omnia

[1] 5, dist. 86, *Chorepiscopi tam ab hac.*
[2] Hispal. II.
[3] In concilio Neocæsareensi, cap. 13, ex versione Dion. Exigui.
[4] In concilio Antioch., c. 10, ex ejusdem interpretatione.
[5] Concil. Laodic., cap. 57.
[6] Cart. II, c. 2; Tolet. XII, 4.
[7] Sardic. conc., c. 6.
[8] Nic. conc., c. 8.
[9] Chalced., c. 6.

episcopali omnino carent auctoritate : et illud adhuc restat, quod eorum ordo non habet in divinis litteris auctoritatem : quia (ut præfixum est) ordines sunt duo tantum primi in Ecclesia, id est, Apostolorum et septuaginta Discipulorum. Sane si nec episcopi sunt, quia pro præfatis causis episcopi esse non possunt : nec presbyteros se nominari volunt, quia amplius esse ambiunt ; atque plus quam septuaginta Discipuli fecissent (ad quorum formam, ut paulo superius prælibavimus, hi, antequam prohiberentur, a quibusdam stultis et sua quærentibus, et non quæ Christi Jesu, instituebantur), præsumere tentant, et illicita atque prohibita agere præsumunt ; nec hoc dici se volunt, quod sunt ; rogo ut manifeste prodatis, quid sint : quoniam aut aliquid sunt, aut nihil. Nam manifeste patet, quoniam episcopi non sunt. Et si episcopi non sunt, et presbyteri esse despiciunt, quid erunt ? Aut aliquid prorsus erunt, aut nihil : quia nihil potest esse, nisi habeat unde sit. Et si non habet unde sit, aut unde originem ducat ; nec auctoritatem habet, nec stare rite poterit, quia inane est, et ut destruatur et cadat necesse est, quoniam nihil est, et in nihilum reputabitur.

Si vero nihil ex his sunt, quæ superius memoravimus : tunc necesse est, ut nihil sint ex his quæ sacerdotibus debentur. Et ideo nec in sacerdotali catalogo habeantur, nisi tantum (ut primo commeravimus) ut pro misericordia illis, qui humiliter hoc ferre voluerint, nec amplius ambierint, et per scriptum propria manu subter corroboratum, idipsum confirmaverint, hoc solummodo concedatur, ut inter sacerdotes locum habeant, et ministerio presbyterorum contenti sint, atque mensæ Domini tantummodo participes existant. Amplius autem qui ambire voluerint, nec hoc retineant, ut sacerdotes sint, sed omni ecclesiastico funditus priventur honore. Quod vero eis non liceat sacerdotes consecrare, nec diaconos aut subdiaconos, nec virgines, nec altare erigere, nec ungere aut sacrare, nec ecclesias dedicare, nec chrisma [1] conficere, nec chrismate baptizatorum frontes signare, nec publice quidem in missa quemquam in pœnitentem reconciliare, nec formatas epistolas mittere, nec populum benedicere, nec ante episcopum in baptisterio aut in sacrario introire, nec præsente episcopo infantem tingere aut signare, nec pœnitentem sine præceptione episcopi sui reconciliare ; nec eo præsente, nisi illo [2] jubente, sacramentum corporis et sanguinis Christi conficere, nec eo coram posito populum docere aut salutare, nec plebem exhortari ; [3] quæ omnia solis pontificibus deberi, tam ex superioribus, quam ex aliis Patrum constitutis, aut sacris canonibus, edocti estis. Et si necesse est quibusdam minus scientibus, doceri pleniter et instrui possunt, ut per hoc et discretio graduum [4], et dignitatis fastigium summorum pontificum demonstretur. Similiter et de presbyteris hæc habeantur, ut sine jussu [5] proprii episcopi nil agant : quia quod rarum est, hoc et pulchrius esse videtur. Et si nomen vilescit pontificum, omnis status perturbatur Ecclesiæ. Triplex itaque in hac parte reatus est, quod et prohibita agunt, et quod sacrum ministerium talis consortii vilitate polluitur, et episcoporum (quantum ad illicitæ usurpationis temeritatem pertinet) jura solvuntur.

Quod autem solis [6] Apostolis eorumque successoribus proprii sit officii tradere Spiritum sanctum, liber Actuum Apostolorum docet : præsertim cum nullus ex septuaginta Discipulis, quorum isti in Ecclesia speciem gerunt, legatur donum S. Spiritus per manus impositionem (ut prædictum est) tradidisse. Hæc ergo, quia omni carent ratione, nullus deinceps usurpet aut consentiat sacerdotum, qui noluerit a nostro sacerdotali collegio separari. Nec quod a nobis extinguitur, et a prædecessoribus nostris ac reliquis, ut dictum est, totius orbis episcopis jam extinctum est, apud aliquos tenebrosis [7] seminetur radicibus : sed quæ male pullulasse noscuntur, radicitus evellantur, ne messem dominicam ulla corrumpant zizania. Ita enim fructum uberem Domini sacerdotes præstabunt, si ea, quæ natam segetem enecare consueverunt, radicitus amputentur. Cesset ergo, cesset tot vicibus prohibita et damnata præsumptio : nec imitentur summi sacerdotes mulieres meretrices, quæ infantes suos præfata voluptate aliis ad nutriendum tribuunt : sed ipsi nutriant, ipsi Domino suo fructum cum usura reddant, fructuososque manipulos ei cum gloria repræsentent. Nam si Dominus leprosos, inter cæteras ovium suarum curas, tetigit et mundavit, cur nos eadem agere dedignamur ? Aut cur nos ipsi, qui pastorale officium suscepimus, aliis alendas tradimus ? maxime cum Dominus Petro præceptori nostro dixerit : *Si diligis me, pasce oves meas :* et multa alia, et his similia. Nam benedictio, quam prædicti [8] chorepiscopi ante suam prohibitionem, per manus impositionem dabant, magis nobis videtur vulnus inferre, quam salutem. Et illi qui pontificatus apicem non habebant, quomodo ea, quæ non habebant, dare poterant ? quoniam nihil in [9] dante erat, quod ille posset accipere. Aut quis hominum, licet et more humano loquamur, dare potest quod non habet ? Præsertim cum pontifices non erant, ea quæ solis pontificibus debentur, dare non poterant. Et propterea magis vulnerabant capita, quæ per manus impositionem tangebant ; cum ea, quæ eis collata non erant, per aliquam benedictionem darent. Et ideo, quidquid ex supradictis ministeriis pontificalibus præsumebant,

[1] Hispalensis II, cap. 7.
[2] Gelas., epist. 9, cap. 7.
[3] Apud S. Leonem epist. 88.
[4] Hispal. II, 7.
[5] Laodic. 57 ; Tolet. I, 28.
[6] Innoc. I, epist. 1, cap. 3 ; Actor. VIII ; Conc. Paris. VI, an. 859.
[7] S. Leo, epist. 2 et 4, cap. 2.
[8] Capitul. lib. VII, cap. 187.
[9] Innoc., epist. 22, cap. 3.

irritum erat, et nihil tactis proficiebat : sed magis, juxta prophetam, *maledictionem pro benedictione* (si ratum est dicere) conferebant. Quapropter per illam illicitam manus[1] impositionem, ut paulo superius prælibavimus, vulneratum[2] caput illi qui videbantur aliquid accepisse, habebant. Et ubi vulnus infixum est, necesse est medicinam adhibere, qua infixa sanetur macula : id est, reiterari necessum est quod legitime actum aut collatum minime approbatur, si perfectum esse debebit. Nam quomodo honorem possit retinere, qui ab illo acceperit, qui potestatem dare legitime non habuit, invenire non possum : cum ille, qui honorem pontificalem non habuit, pontificalia non potest jura tribuere : nec hoc sibi poterant vindicare, cujus capaces per hoc quod illis obstiterat, non fuerunt. Hujus ergo discussionis[3] curam nobis specialiter vindicantes, ita misericordiam irrogamus, ut si qua forsitan de his commissa sunt, corrigantur, ne talia liceat ultra committi, et ne qua excusatio de ignoratione nascatur : quia ut nobis gratulationem facit Ecclesiarum status, salubri dispositione attributus vel adornatus ; ita non levi nos mœrore contristat, quoties aliqua contra instituta canonum vel ecclesiasticam disciplinam præsumpta aut commissa cognoscimus. Quæ si non qua debemus vigilantia resecemus, illi, qui nos speculatores esse voluit, nos excusare non possumus ; si ejus Ecclesiam, quæ nobis generaliter commissa est, in quantum prævalemus, puram a tam illicitis superstitionibus non custodiamus : quia non[4] aliter unus grex et unus pastor sumus, nisi, quemadmodum Apostolus docet, *Idipsum dicamus omnes : Simus autem perfecti in eodem sensu et in eadem sapientia.* Nec aliter veri discipuli Domini erimus, nisi radicem[5] amaritudinis sursum germinantem (sicut hoc, ut asseritis, modo facit), ne nocere valeat, aut episcopale ministerium vilescere faciat per eorum negligentiam, id est omnium sacerdotum, qui evellere mala, et meliora plantare sunt ab eo præpositi, unusquisque pro viribus exstirpare festinet : et ipse qui pro suis ovibus est æterno judici rationem redditurus, eas fovere et educare decertet. Si Domini desideramus esse discipuli, ipsius imitemur vestigia, ut de nobis dicatur : *Ego sum Pastor bonus, et cognosco oves meas, et voco eas nominatim, et cognoscunt me meæ ;* et reliqua. Et iterum monente[6] Dominicæ vocis imperio, quo beatissimus apostolus Petrus trina repetitione mysticæ sanctificationis imbuitur, is Christi oves, qui Christum amat, diligenter et cum magna cura pascat : quoniam ipsius sanctæ sedis, cui per abundantiam divinæ gratiæ præsumus, amore et reverentia coarctamur ; ut tantæ superstitionis, quæ nullius (ut sæpe dictum est) fulcitur auctoritate, periculum, quantum possumus, declinemus ; ne beati magistri nostri Petri et summi apostoli dilectio, qua se amatorem Dei esse testatus est, vana inveniatur in nobis : quoniam omnis negligenter pascens toties sibi commendatum Dominicum gregem, convincitur summum non amare Pastorem, nec ejus se velle discipulum fieri, cujus exempla negligit imitari. Nam[7] gratia prorsus major acquiritur, si de commissis ovibus lucrum offerat Domino sollicitudo pastoris. Nam et beatum Jacob[8], qui pro uxoribus diu servierat, dixisse meminimus : *Viginti annis fui tecum : oves tuæ et capræ steriles non fuerunt : arietes gregis tui non comedi, nec captum a bestia ostendi tibi. Ego damnum omne reddebam : et quidquid furto perierat, a me exigebas : die nocteque æstu urebar et gelu : fugiebat somnus ab oculis meis.* Si ergo sic laborat et vigilat qui pascit oves Laban, quanto labore, quantisque vigiliis debet intendere, qui pascit oves Dei. Sed in his omnibus ipse nos instruat, qui pro suis dedit ovibus animam ; et adjuvet nos, ut de his qui nobis commissi sunt[9], fructum multiplicem ac mensuram superfluentem ad æterna gaudia reportare concedat. Tantusque vos beati[10] Petri Apostolorum principis amor incendat, ut in ovili ipsius, cui omnes creaturæ sunt traditæ, omnes taliter errantes et illicita atque prohibita præsumentes, sanctis vestris studiis summo redintegrare cum desiderio festinetis : qualiter animæ pretioso Christi sanguine redemptæ, eorum non pereant deceptione. Restat etiam, quod per ostium hi nequaquam subintrarunt, quia non habebant ostium per quod ingrederentur : quia (ut dictum est) si nec episcopi sunt, et plusquam presbyteri esse ambiunt : per quod ostium intrabunt, cum hi tantum duo ordines in Ecclesia leguntur, nec amplius ad pastorale officium aliquod patet ostium, per quod pastor intret ? Audite, fratres, non me, sed ipsam dicentem Veritatem : *Qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, hic fur est et latro*, et reliqua. Cum etiam egregius prædicator dicat : *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est :* cum prædicta duo fundamenta in Ecclesia tantum inveniantur posita, quidquid amplius positum in his inveniatur, stare nullatenus poterit. Et ideo, cum omnibus suis fundamentis, et actionibus, atque radicibus ut evellatur necesse est, ita ut amplius pullulare nec germinare valeat. Non ergo generet, et non faciat vobis, fratres, toties repetita locutio fastidium : quia summa necessitas est sæpius prohiberi, quod toties, ut a vobis cognovimus, illicite usurpatur : et quoniam veritas[11] sæpius exagitata, magis splendescit in lucem : et quod toties repetendo admonetur, minus usurpatur. Super his enim multa jam ab antecessoribus nostris dicta sunt : a quibus ipsi, sicut nunc a nobis, ita olim ab eis damnati et prohibiti sunt. Ideo sæpius re-

[1] 25, 1, qu. 7 ; et 3, IX, qu. 1, *Per illicitam manus.*
[2] Idem Innocent. loco cit.
[3] S. Leo, epist. 1, cap. 2.
[4] S. Leo, epist. 4, cap. 2.
[5] Martinus papa, consult. 1, conc. Later.
[6] S. Leo, epist. 4.
[7] S. Greg., epist. 43, lib. VIII.
[8] Idem, epist. 48, lib. VII.
[9] Idem Gregor., ibidem.
[10] Idem, epist. 97 ejusdem lib. VII.
[11] Zozimus, epist. 1, cap. 2.

petentes, omnes monemus, ut vitent hujusmodi, et a talibus se abstineant, qui noluerint una cum eis a Sacerdotali ministerio, ut rebelles, fieri alieni. Quod ita demum probare poterimus, si tales extirpare, et non eis favere decertaveritis : et ita in postmodum de tali re querela cessabit, quia [1] contumeliæ studio fit, quidquid interdictum toties usurpatur. Omnia [2] hæc decretalia, et cunctorum prædecessorum nostrorum constituta, quæ de ecclesiasticis ordinibus et canonum promulgata sunt disciplinis, ita a vobis et omnibus episcopis, ac cunctis generaliter sacerdotibus custodiri debere mandamus, ut si quis in illa commiserit, veniam sibi deinceps noverit denegari : quoniam occurreret veritas, si falsitas displiceret. Et merito nos, qui summa Ecclesiæ tenere debemus gubernacula, causa respicit, si silentio faveamus errori. Datum kalendis Junii, [3] Libio et Theodosio viris clarissimis consulibus.

EPISTOLA IV.

Jubet ne per scripta in posterum, sed per legitimum accusatorem, quis ab eis judicetur : et causæ etiam judicandæ omnes ad apostolicam sedem deferantur.

Universis episcopis per Italiæ provincias constitutis, Damasus episcopus, in Domino salutem.

Optaveram, dilectissimi [4], pro nostri charitate collegii, omnes Domini sacerdotes (sicut in primitiva fuit Ecclesia) unum esse cor et animam unam, atque in una devotione persistere, nec quemquam sacerdotum, gratia aut formidine sæcularium depravari, aut a via veritatis quoquo modo abscedere. Sed quia multa quæ corrigi possunt, proveniunt, et superat culpa delinquentium misericordia Dei : atque ideo suspenditur ultio, ut possit locum habere correctio. Relatum est enim ad sedem [5] apostolicam, vos accusationes fratrum perscripta suscipere absque legitimo accusatore. Quod deinceps in omni orbe terrarum fieri apostolica auctoritate prohibemus, et quod nuper factum est, absque nulla retardatione corrigi rogamus : nec umquam prius per scripta, eorum qui accusantur [6], causam discutere liceat, quam [7] per querulantium [8] institutiones vocati canonice ad synodum veniant, et præsens per præsentem agnoscat veraciter et intelligat, quæ ei objiciuntur. Quod bene et per sapientiam Salomonis dicitur : *Antequam scruteris, ne reprehendas : intellige prius, et tunc increpa. Antequam audieris, ne respondeas.* Et licet apertissima sit contrariorum reprehensio : verumtamen oportet his, qui dati sunt ad eorum examinationem, ordinem servari ab his [9], qui secundum Deum perscrutari deputati sunt, quatenus ita cum operatione cooperante inveniamus et confessorem Deum, qui dicit : *Ubi duo sunt vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Nam et Dominus noster Jesus Christus Judam [10] furem esse sciebat : sed quoniam non est præsentialiter accusatus, ideo non est ejectus. Nec vos ullo modo agere oportet, quod ille noluit facere. Leges enim sæculi cunctorum accusatores præsentes exigunt, et non per scripta absentes. Unde canonica patrum constituta [11] non semel, sed sæpissime clamant, nec accusationes nec testimonia ullum per scripta posse proferre : nec de aliis negotiis quicumque testimonium dicant, nisi de his quæ sub præsentia eorum acta esse noscuntur. Similiter et qui alium accusare [12] elegerit, præsens [13], per se, et non per alium accuset, inscriptione videlicet præmissa. Neque ullus umquam judicetur, antequam legitimos accusatores præsentes habeat, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina. Curandum namque est, ne ira quemquam subripiat, faciatque citius omne, quod non licet. Omnipotens Deus hæc vos et cuncta divina mandata et apostolica præcepta custodientes, in cunctis actibus vestris cœlestis brachii extensione protegat, atque ad cœlestis remunerationem patriæ cum multiplici animarum fructu perducat. Amen. Data tertio idus aprilis, [14] Siricio et Ardabure viris clarissimis consulibus [15].

EPISTOLA V,

AD HIERONYMUM PRESBYTERUM.

Damasus episcopus fratri et compresbytero Hieronymo in Domino salutem.

Dum multa corpora librorum in meo arbitrio allata fuissent, contigit, ut in librum Psalmorum in meo animo festinus cognoscerem detineri, et memoriam capacitatis meæ imbuere. Cogitavi, frater amantissime et in Christo semper sacerdos, ut secundum Septuaginta interpretes et presbyteros, id est, Matthiam et Ptolomæum, Muchium, Sacreum, Hydronium, Pamphylum, Zoastiten, Didymum, Sanium, Epiphanium, Ciatrem, Simonem, et cæteros, in quantum nostra recurrit conscientia, de Septuaginta invenire vestigia. Peto etiam tuam charitatem, ut sicut a rectore tuo Alexandro episcopo nostro didicisti, Græcorum psallentiam ad nos dirigere tua fraternitas delectetur : qui taniæ apud nos simplicitatis indago est, ut tantum in die Dominica Apostoli epistola una recitetur, et Evangelii capitulum unum dicatur : et nec psallentium mos tenetur, nec hymni decus in ore nostro cognoscitur. Peto ergo per fra-

[1] S. Leo, epist. 1, cap. 5.
[2] S. Cœlest., epist. 1, cap. 1.
[3] Non sunt in fastis hi consules.
[4] S. Leo, epist. 47.
[5] 5, qu. 2, *Relatum est ad sedem.*
[6] 76, qu. 3, *Eorum qui accusantur.*
[7] 4, Ms. *querelantium*; al. *querelarum.*
[8] Martinus I papa, consult. 2 conc. Lateran.
[9] 5, qu. 3, *Relatum est ad sedem.*
[10] Ambrosiaster in I ad Cor. v.
[11] 5, qu. 1, *Relatum est ad sedem.*
[12] 3, qu. 6, *Qui accusare alium.*
[13] Ex Aniano. *ipsa sententia*, inquit Hincmarus adversus nepotem, cap. 43, *de antiquis Romanis legibus fuit assumpta.*
[14] Non sunt in Fastis hi consules.
[15] Damasi papæ nomine affert præterea Gratianus decreta ista duo, 2, quæst. 3, *Calumniator*; 15, 1, quæst. 1, *Hanc consuetudinem.*

trem et compresbyterum nostrum Bonifacium, ut lubeat Fraternitas tua rei hujus nobis aperire vestigia. Missa v kalendas Novembris, per Bonifacium presbyterum Hierosolymam.

EPISTOLA VI.

Damasus episcopus urbis Romæ Hieronymo Presbytero.

Gaudet Ecclesia tuo fonte jam satiata, et amplius sitit curiositas temporum sacerdotalium, ut quod dignum est, cognoscatur, quod indignum respuatur. Verum gesta pontificum, quæ potuimus reperire A nostræ sedis studio, ad tuam charitatem gaudentes direximus. Ora pro nobis ad sanctam resurrectionem frater, et compresbyter. Vale in Christo Deo et Domino nostro. Data x kal. Junii, et accepta VI kal. Octobris missa de Roma Hierosolymam.

In nomine Domini incipit series pontificum Romanorum, qui in sede beati Petri apostoli ab ipso usque ad hoc tempus sederunt.

Beatus Petrus princeps Apostolorum, natione Galilæus, de vico Bethsarda, filius Jobii, frater Andreæ, etc.

ANNO DOMINI CCLVIII.

CATALOGUS ROMANORUM PONTIFICUM

SUB LIBERIO DESCRIPTUS;

CUI ACCEDUNT IN CONFIRMATIONIS VICEM DUO MARTYROLOGIA ECCLESIÆ ROMANÆ NEC NON CALENDARIUM ANTIQUISSIMUM ECCLESIÆ CARTHAGINENSIS.

(Ex opere paucis abhinc annis edito, cui titulus : *Origines de l'Eglise romaine, par les membres de la communauté de Solesmes.*)

PROŒMIUM

Ex capite quarto citati operis excerptum, notionesque prævias gallico sermone concinnatas exhibens.

Exploratis anterioribus de successione Romanorum pontificum monumentis, catalogum de quo agitur illustrandum in hunc modum aggrediuntur doctissimi auctores.

Jusqu'ici nous n'avons pu consulter les archives de l'Église Romaine elle-même sur la succession des pontifes. Les ravages des persécutions et plus encore l'injure des temps nous ont privés de tous les documents antérieurs au quatrième siècle, mais non sans un dessein profond de la divine Providence. Il était beau que la première page des annales du Siége Apostolique, manquant en ses propres archives, se retrouvât dans les traditions de toutes les Églises, et qu'avant même que Rome chrétienne eût trouvé le loisir de rédiger ses chroniques domestiques, les histoires ecclésiastiques rendissent témoignage de sa haute action durant trois siècles sur les églises.

La paix donnée au Christianisme par Constantin, entre autres avantages, apporta celui d'une stabilité tranquille à l'aide de laquelle il devint possible de dresser des mémoires et de recueillir mille traditions dont la persécution de Dioclétien avait fait périr les titres, ou qui du moins, faute d'être enregistrées dans les chroniques plus générales, couraient risque de disparaître avec les monuments isolés sur lesquels elles reposaient. L'existence des chrétiens n'était plus furtive et précipitée; ils habitaient désormais en repos un monde que jusqu'alors ils n'avaient fait que traverser en toute hâte : l'Église avait une place, et la première, dans les annales de l'humanité. Ce fut B l'idée qu'Eusèbe voulut rendre dans sa Chronique où il groupe autour de l'histoire sacrée et ecclésiastique les ères, les olympiades, les royaumes, les dynasties, en sorte que c'est merveille de voir tous les fastes de la terre s'épuiser les uns après les autres, tandis que l'Église judaïque, puis l'Église chrétienne, traversent majestueusement les âges.

De toutes parts on se livrait à la recherche des origines et des antiquités, et, comme nous l'avons vu précédemment, l'Occident voulut avoir sa version latine de la Chronique d'Eusèbe, en attendant qu'il pût lui-même explorer en grand la science des temps. Une raison qui portait non moins puissamment les chrétiens en ce genre de travaux était la supputation de la fête de Pâques, question du plus haut intérêt C religieux dans tous les temps, mais surtout alors où elle avait été l'objet de vives controverses, et qui nécessitait pour sa solution de profondes investigations dans la chronologie aussi bien que de doctes observations astronomiques. C'est ainsi que, dès le siècle précédent, Saint Hippolyte, en composant son Cycle Pascal, avait été conduit à consigner ses recherches dans une véritable Chronique. Tout se réunissait donc à cette époque pour engager les chrétiens à recueillir leurs monuments primitifs; c'est aussi celle où fut dressée la Chronique qui fait le sujet de ce chapitre.

En 1634, le P. Gilles Boucher, savant Jésuite, publia à Anvers un célèbre commentaire sur le Cycle Pascal de Victorius d'Aquitaine (*a*), et parmi D les monuments qu'il inséra dans cet ouvrage, on remarque surtout cinq opuscules chronologiques du plus haut intérêt, et que l'auteur attestait avoir ex-

(*a*) *Ægidii Buchérii Atrebatis e Societate Jesu de doctrina temporum commentarius in Victorium Aquitanum.* Antverpiæ, 1634.

traits d'un même manuscrit. Le premier était une suite de Fastes Consulaires depuis Antonin *secundo*, et Géta, jusqu'à Constance Auguste *septimo* et Constance César *tertio*. Le second était une liste des Préfets de Rome depuis Lollianus, en charge sous le consulat de Valérien *secundo* et Gallien, jusqu'à Vitrasius Orfitus sous celui des deux Constance ci-dessus nommés; ce qui revient à l'an 354. Le troisième, un ancien Calendrier Ecclésiastique contenant la fête et le jour mortuaire de plusieurs saints martyrs et évêques de Rome dont le dernier est le Pape saint Jules, mort l'an 352. Le quatrième est la Chronique des Papes qui fait le sujet de ce chapitre, laquelle va jusqu'à Libère, dont elle annonce l'avénement sous les consuls Constance *quinto* et Constance César, sans marquer sa mort, arrivée l'an 366, parce que sans doute il vivait encore. Le cinquième enfin est un ancien Calendrier civil qui marque les naissances des principaux Césars, et s'arrête à Constance, qui s'y trouve qualifié non *Divus* comme les autres, mais *Dominus*, comme vivant encore au moment où fut dressé ce calendrier. On sait que Constance mourut en 361. Ainsi donc, ces cinq monuments ont dû être écrits dans l'espace d'environ dix ans, savoir, de l'an 354 à l'an 364. Il est clair qu'ils se prêtent un mutuel appui, et que, si on ne peut déterminer l'auteur qui les a composés, il faut du moins reconnaître, avec le P. Boucher et l'universalité des doctes, que leur époque est incontestablement fixée au milieu du quatrième siècle.

De ces cinq monuments, le quatrième est le seul qui doive nous occuper spécialement. Il contient les noms des Papes depuis saint Pierre jusqu'à Libère, avec leurs années distinguées par les consuls et quelques autres particularités dont nous discuterons plus tard l'authenticité. En un mot, ce monument est d'une importance véritablement grave, et mérite toute notre attention; car, de l'aveu de Pearson, « si l'on peut trouver quelque certitude de ces temps chez les chronologistes latins, c'est dans cet ancien catalogue qu'il la faut aller chercher » (*a*).

Toutefois avant d'examiner quel degré de confiance nous devons donner à cette fameuse chronique que nous appellerons désormais le Catalogue de Libère, par la raison qu'elle s'arrête à ce Pape, nous consacrerons quelques pages à faire l'histoire de sa découverte et de sa publication.

Ce monument précieux, qui était demeuré manuscrit jusqu'en 1634, que le P. Boucher le publia pour la première fois, avait déjà avant cette époque attiré l'attention des savants qui s'étaient trouvés à portée de le consulter. Le premier que l'on trouve en avoir fait usage est Spiesshammer, plus connu dans le monde de la science sous le nom de Cuspinien. Dans son commentaire sur la Chronique de Cassiodore, il s'en servit à cause des fastes consulaires qu'il renferme, et l'inséra presque en entier, mais par parties, dans son commentaire à mesure qu'il en avait besoin. Il le qualifie d'opuscule très-ancien (*b*), et parle en divers endroits des quatre autres qui lui étaient joints, et qu'a publiés pareillement le P. Boucher. Le manuscrit de Cuspinien, qui semble avoir été l'original des diverses copies dont nous parlerons, aurait, à ce qu'il paraît, été primitivement entre les mains d'un conseiller privé du roi catholique que le P. Boucher nomme en latin *Assonvillius*, lequel l'avait reçu de Jean Brenner, secrétaire du même prince, et membre du sénat de Luxembourg (*c*). Quoi qu'il en soit, ce manuscrit original n'existe plus depuis longtemps (*d*).

Henschenius (*e*) a prétendu qu'Onuphre Panvini avait eu aussi entre les mains le catalogue de Libère lorsqu'il travaillait à Rome sur les Fastes consulaires, vers le milieu du seizième siècle; Pagi a cru la même chose, ainsi qu'il s'en explique dans sa Critique de Baronius (*f*), mais ils se sont trompés l'un et l'autre. Emmanuel de Schelstrate atteste dans son grand ouvrage sur l'Antiquité Ecclésiastique avoir trouvé dans la Bibliothèque Vaticane à laquelle il se trouvait préposé vers la fin du dix-septième siècle, un index des livres et manuscrits dont s'était servi Panvini dans son travail sur les fastes consulaires, et il déclare qu'il n'y est fait mention d'autre catalogue des Papes que du *Liber pontificalis* (*g*).

Voici maintenant quelque chose de plus certain. Vers l'an 1620, Nicolas Fabry de Peiresc, conseiller au parlement d'Aix, homme d'une véritable érudition, reçut d'un magistrat d'Arras la communication d'un manuscrit précieux sur lequel se trouvait le catalogue de Libère, avec les quatre autres opuscules, monuments dont Peiresc vante l'importance dans une lettre que Pagi a insérée en substance à l'endroit de sa Critique que nous avons déjà cité. Peiresc qui, d'après l'intention expresse de son correspondant d'Arras, devait seulement prendre copie du manuscrit et le renvoyer ensuite, remplit fidèlement cette double condition, mais il ne fit point jouir le public du fruit de cette découverte.

Pagi parle encore de deux autres copies du catalogue de Libère qui auraient existé manuscrites à Paris, dans le courant du dix-septième siècle : l'une

(*a*) *De successione primorum Romæ Episcoporum*, cap. XII, p. 133. Si qua apud latinos chronologos certitudo istorum temporum haberi posse videatur, non aliunde quam ex isto vetustiori catalogo petenda erit.

(*b*) Præterea oblatum est mihi perveius opusculum anonymi authoris quo Pontifices maximi sub quibus Coss. fuerint enumerantur. In eo ita scribitur : *Imperante Tiberio*, etc. (Joannis Cuspiniani de Consulibus Romanorum Commentarii, ex optimis vetustissimisque authoribus collecti. In Chronica magni Aurelii Cassiodori Commentarius. Basileæ, 1553. *Ad annum urbis conditæ* 781, pag. 369.)

(*c*) Bucherius, *De doctrina temporum*, pag. 243.

(*d*) Noris, *Epistola Consularis*. Bononiæ, 1673, pag. 7.—Pagi, Critica Baronii, *ad annum Christi*, 67.

(*e*) *Acta Sanctorum*. April., tom. I. — *Diatriba in catalog. Rom. Pont.*

(*f*) Pagi, *Ad annum Christi*, 67.

(*g*) *Antiquitas Ecclesiæ illustrata*, tom. I dissertat. 3, cap. II

à la bibliothèque des Chanoines Réguliers de Saint-Victor, inscrite au catalogue sous ce titre : *Chronica Damasi* ; mais elle avait disparu depuis, sans qu'on sût ce qu'elle était devenue ; l'autre, dans la bibliothèque des Jésuites du collége Louis-le-Grand, où elle avait été déposée par le P. Sirmond. Elle était d'ailleurs conforme en tout à celle publiée par les Bollandistes, suivant l'attestation qu'en fit le P. Hardouin lui-même au P. Pagi.

Le P. Boucher est donc le premier qui, non content de se servir du précieux monument qui nous occupe, ait songé à admettre le public dans sa confidence, en publiant à part et en entier le fameux catalogue dont Cuspinien n'avait inséré que des lambeaux détachés dans l'ouvrage que nous avons cité. En octobre 1632, étant venu de Liége à Anvers pour traiter avec la maison Plantin de l'impression de son traité *de Doctrina temporum*, il se trouva naturellement en rapport avec le P. Bollandus. Celui-ci, dans l'intention d'aider son confrère dans l'explication du cycle de Victorius, qui faisait l'objet de cette publication, lui communiqua une copie prise autrefois par le P. Rosweid sur le manuscrit que Cuspinien avait eu entre les mains, et cette copie renfermait précisément les cinq opuscules chronologiques qui nous occupent (*a*). L'original était dès lors égaré ; mais le P. Boucher n'en crut pas moins devoir donner en entier, dans son travail sur Victorius, ces diverses pièces, et ce fut par lui que le monde savant en entra véritablement en possession.

En 1675, on vit paraître à Anvers une nouvelle édition du catalogue de Libère, par les soins du P. Henschenius, en tête du premier tome d'avril des *Acta Sanctorum*. On remarqua dans cette nouvelle édition qui fut répétée de mot à mot par le P. Papebrock, dans son *Conatus chronologico-historicus ad catalogum Pontificum Ramanorum*, quelques variantes assez graves avec le texte publié par le P. Boucher. Pagi semble vouloir les attribuer à des corrections qu'Henschenius se serait permis de faire à la leçon du manuscrit ; mais cette conjecture paraît perdre beaucoup de son importance, s'il est démontré que le P. Boucher aurait établi son texte non-seulement d'après le manuscrit des Bollandistes, mais aussi d'après un autre qui se conserve à la bibliothèque impériale de Vienne. Dans ce cas, Henschenius et Papebrock publiant leur manuscrit d'Anvers avec exactitude, devaient par cela même présenter dans leur leçon quelques différences avec celle qui aurait été dressée sur deux manuscrits au lieu d'un.

Quant au manuscrit du catalogue de Libère conservé à la bibliothèque de Vienne, entre les mss. latins, n° 56, il a été publié par Schelstrate dans son *Antiquitas illustrata*, et l'on ne saurait manquer d'être frappé de l'identité qui règne entre son texte et celui du P. Boucher. Ils ont aussi cela de commun qu'ils suppléent de la même manière à plusieurs lacunes qui se rencontrent dans l'édition d'Henschenius. Il est donc impossible que le P. Boucher, dont les relations scientifiques étaient très-étendues, n'ait pas eu communication du manuscrit de Vienne : autrement, comment ses divergences avec celui d'Anvers se retrouveraient-elles reproduire les propres paroles du premier ? Lambecius avait prétendu que le manuscrit de Vienne était le plus ancien de tous, et que celui dont Cuspinien s'était servi n'en était qu'une copie (*b*). Schelstrate, aidé du P. Conrad Janning, l'un des Bollandistes, a renversé l'assertion de l'illustre bibliographe. Ces deux savants ont prouvé que le manuscrit de Vienne n'avait pas en 1688 plus de trois ou quatre cents ans, et qu'il était, aussi bien que celui d'Anvers, une copie d'un original plus ancien (*c*). Maintenant ce manuscrit original, source de ceux d'Anvers et de Vienne, est-ce bien celui qu'ont eu entre les mains Cuspinien et Peiresc ? Nous ne pouvons guère en douter. Le P. Boucher lui-même ne l'a-t-il pas eu à sa disposition, plutôt que la copie de la bibliothèque de Vienne ? Nous ne savons trop que répondre à cette question. Tout ce qu'il y a de certain, c'est que ces diverses copies, divergentes, il est vrai, en quelques détails non-essentiels, et d'accord sur la presque totalité de l'ensemble, en même temps qu'elles démontrent l'existence d'un original commun, font voir clairement qu'on ne les doit point croire l'œuvre d'un faussaire. Aussi n'est-il jamais venu dans l'esprit de personne de croire qu'on eût fabriqué à plaisir la Chronique de Libère.

Outre Schelstrate, qui a reproduit le texte de cet opuscule, suivant le manuscrit de Vienne, en son premier tome de l'*Antiquitas illustrata*, et Henschenius en tête du premier tome d'Avril des *Acta Sanctorum*, nous ne connaissons plus que du Cange, dans les pièces justificatives du *Chronicon paschale*, et Bianchini, à la tête du deuxième volume de l'édition d'Anastase, qui se soient faits éditeurs du catalogue de Libère ; encore ces deux derniers se sont-ils contentés de reproduire simplement le texte, tel qu'il est donné par le P. Boucher.

Nous réduisons donc à trois les éditions proprement dites, savoir : celle du P. Boucher, celle du P. Henschenius et celle de Schelstrate, et pour que le lecteur soit à même d'en balancer l'autorité, nous les établissons ci-après toutes les trois sous un même coup d'œil avec les notes dont les ont enrichies les trois savants éditeurs auxquels nous les devons.

(*a*) *De Doctrina temporum*, p. 243.
(*b*) *Commentar. de Augustissima Bibliotheca Vindobonensi*, lib. IV.
(*c*) *Antiquit. illustrat.* dissertat. III, cap. II, n. 2.

CATALOGUS ROMANORUM PONTIFICUM.

LECTIO ÆGIDII BOUCHERII.

Commentar. in Victorii Aquitani Canonem Paschalem, pag. 269, Antverpiæ. Plantin. 1634.

Catalogus hic ad Callistum usque confusior et vitiosus est : post illum paulo distinctior, maxime post Lucium.

Imperante Tiberio Cæsare, passus est Dominus noster Jesus Christus, duobus Geminis Consulibus, VIII Kalendas Aprilis, et post adscensum ejus, Beatissimus Petrus Episcopatum suscepit. Ex quo tempore per successionem dispositum, quis Episcopus, et quot annis præfuit, vel quo imperante.

Petrus, annis viginti quinque, mense uno, diebus novem. Fuit temporibus Tiberii Cæsaris, et Caii, et Tiberii Claudii, et Neronis, a Consulatu Vinicii et Longini usque Neronis et Veteris [1]. Passus autem cum Paulo die tertia Kalendas Julias, consulibus SS. imperante Nerone.

Linus annis duodecim, mensibus quatuor, diebus duodecim. Fuit temporibus Neronis a Consulatu Saturnini et Scipionis usque Capitone et Rufo.

Clemens annis novem, mensibus undecim, diebus duodecim. Fuit temporibus Galbæ et Vespasiani, a Consulatu Trachali et Italici, usque Vespasiano VI et Tito.

(*Clementem Eusebius et Baronius Cleto postponunt.*)

Cletus annis sex, mensibus duobus, diebus decem. Fuit temporibus Vespasiani et Titi, et initio Domitiani, a Consulibus Vespasiano VIII et Domitiano V, usque Domitiano IX et Rufo.

Anacletus annis duodecim, mensibus decem, diebus tribus. Fuit temporibus Domitiani, a Consulibus Domitiano X, et Sabino, usque Domitiano XVII et Clemente.

Evaristus [2] annis tredecim, mensibus septem, diebus duobus. Fuit temporibus novissimis Domitiani, et Nervæ, et Trajani; a Consulatu Valentis et Veri, usque Gallo et Bradua.

Alexander annis septem, mensibus duobus, die uno. Fuit temporibus Trajani, a Consulatu Palmæ et Tulli usque Veliano [3] et Vetere.

Sixtus annis decem, mensibus tribus, diebus viginti uno. Fuit temporibus Hadriani, a Consulatu Nigri et Aproniani, usque Vero III, et Ambibulo.

Telesphorus annis undecim,

[1] *Ms. meus habet* Nervæ et Veri.
[2] *Ms.* Aristus.

LECTIO P. GOTOFREDI HENSCHENII.

Acta Sanctor. Aprilis, tom. I. — *Diatriba præliminaris in Catalogos veteres Rom. Pontificum, ex antiquissimis codicibus* MSS. *acceptos*, pag. 4.

Imperante Tiberio Cæsare passus est Dominus noster Jesus Christus, duobus Geminis Consulibus, VIII Kalendas Aprilis, et post ascensum ejus, Beatissimus Petrus Episcopatum suscepit. Ex quo tempore per successionem dispositum, quis Episcopus, et quot annis præfuit, vel quo imperante.

Petrus annis viginti quinque, mense uno, diebus novem. Fuit temporibus Tiberii Cæsaris, et Caii, et Tiberii Claudii, et Neronis; a Consulatu Vinicii et Longini, usque Nervæ et Vestini. Passus autem cum Paulo die tertia Kalendas Julias. Consulibus supradictis, imperante Nerone.

Linus annis duodecim, mensibus quatuor, diebus decem. Fuit temporibus Neronis a Consulatu Saturnini et Scipionis usque Capitone et Rufo.

Clemens annis novem, mensibus undecim, diebus duodecim. Fuit temporibus Galbæ et Vespasiani, a Consulatu Trachali et Italici, usque Vespasiano VII et Tito.

Cletus annis sex, mensibus duobus, diebus septem. Fuit temporibus Vespasiani et Titi, et initio Domitiani, a Consulibus Vespasiano VIII et Domitiano VI, usque Domitiano IX et Rufo.

Anacletus annis duodecim, mensibus decem, diebus tribus. Fuit temporibus Domitiani, a Consulibus Domitiano X et Sabino, usque Domitiano XVII et Clemente.

Evaristus annis tredecim, mensibus septem, diebus duobus. Fuit temporibus novissimis Domitiani, et Nervæ et Trajani; a Consulatu Valentis et Veri, usque Gallo et Bradua.

Alexander annis octo, mensibus duobus, die uno. Fuit temporibus Trajani, a Consulatu Palmæ et Tulli, usque Æliano et Vetere.

Sixtus annis decem, mensibus tribus, diebus viginti uno. Fuit temporibus Hadriani, a Consulatu Nigri et Aproniani, usque Vero III, et Ambibulo.

Telesphorus annis undecim,

[3] *Forte* Æliano.

LECTIO EMMANUELIS SCHELSTRATII.

Antiquitas Ecclesiæ illustrata, tom. I, pag. 402.

Juxta antiquiorem catalogum Biblioth. Cæsareæ, ad MS. *exemplar et editionem Cuspiniani.*

Imperante Tiberio Cæsare, passus est Dominus noster Jesus Christus duobus Geminis Consulibus, VIII Kal. Aprilis, et post ascensum ejus Beatissimus Petrus Episcopatum suscepit. Ex quo tempore per successionem dispositum, quis Episcopus, quot annis præfuit, vel quo imperante.

Petrus annis 25, mense 1, diebus 9. Fuit temporibus Tiberii Cæsaris, et Caii, et Tiberii Claudii, et Neronis a Consulatu Vinicii et Longini, usque Neronis et Veteris: passus autem cum Paulo die 3. Kal. Julias, Consulibus suprascriptis, imperante Nerone.

Linus annis duodecim, mensibus 4, diebus 12. Fuit temporibus Neronis a Consulatu Saturnini, et Scipionis, usque Capitone et Rufo.

Clemens annis IX, mensibus XI, diebus XII. Fuit temporibus Galbæ et Vespasiani, a Consulatu Trachali et Italici, usque Vespasiano VII et Tito.

(*Clemens tertio, Cletus quarto loco ponuntur, qua vero ratione ignoratur : cum canon Missæ Traditionem Ecclesiæ Romanæ his verbis exhibeat :* Lini, Cleti, Clementis.)

Cletus annis 6. mensibus 2. diebus 10. Fuit temporibus Vespasiani et Titi, et initio Domitiani a Consulibus Vespasiano VIII et Domitiano V, usque Domitiano IX et Rufo.

Anacletus annis 12. mensibus 10. diebus 3. Fuit temporibus Domitiani, a Consulibus Domitiano X et Sabino, usque Domitiano XVII et Clemente.

Evaristus annis 13. mensibus 7. diebus 2. Fuit temporibus novissimis Domitiani, et Nervæ, et Trajani, a Consulatu Valentis et Veri, usque Gallo et Bradua.

Alexander annis septem, mensibus duobus, die uno. Fuit temporibus Trajani, a Consulatu Palmæ et Tulli, usque Æliano et Vetere.

Sixtus annis decem, mensibus tribus, diebus viginti uno. Fuit temporibus Hadriani, a Consulatu Nigri et Aproniani, usque Veronio et Ambibulo.

Telesphorus annis undecim

BOUCHERIUS.

mensibus tribus, diebus tribus. Fuit temporibus Antonini Macrini, a Consulatu Titiani et Gallicani, usque Cæsare et Balbino.

Hyginus annis duodecim, mensibus tribus, diebus sex. Fuit temporibus Veri, a Consulatu Gallicani et Veteris, usque Præsente et Rufino.

(*Deest hic Anicetus cui dant annos pene octo.*)

Pius annis viginti, mensibus quatuor, diebus viginti uno. Fuit temporibus Antonini Pii, a Consulatu Clari et Severi, usque duobus Augustis. Sub hujus Episcopatu frater ejus Hermes librum scripsit, in quo mandatur, contineturque quod ei præcepit Angelus, cum venit ad eum in habitu pastoris.

Soter annis novem, mensibus tribus, diebus duobus. Fuit temporibus Antonini et Commodi, a Consulatu Veri et Erenniani, usque Paterno et Bradua.

(*Deest rursus Eleutherius quem volunt sedisse annos quindecim.*)

Victor annis novem, mensibus duobus, diebus decem. A Consulatu Saturnini et Galli, usque Præsente et Extricato.

(*Deest item Zephyrinus cui dant annos decem et octo.*)

Callistus annos quinque, menses duos, dies decem. Fuit temporibus Macrini et Heliogabali, a Consulatu Antonini et Adventi, usque Antonino III et Alexandro.

Urbanus annos octo, menses undecim, dies duodecim. Fuit temporibus Alexandri a Consulatu Maximi et Æliani, usque Agricola et Clementino.

Pontianus annis quinque, mensibus duobus, diebus septem. Fuit temporibus Alexandri, a Consulatu Pompeiani et Peligniani. Eo tempore Nepotianus [1] Episcopus et Hippolitus Presbyter exules sunt deportati in insulam nocivam Sardiniam, Severo et Quintiano Consulibus. In eadem insula discinctus est IV Kalendas Decembris, Consulibus SS.

Anteros mense uno, diebus decem. Dormit III. Nonas Januarii, Maximo et Africano Consulibus.

Fabianus annos quatuordecim, mensem unum, dies decem. Fuit temporibus Maximini, et Gordiani, et Philippi. A Consulatu Maximini et Africani, usque Decio II, et Grato. Passus XII. Kalendas februarii.

HENSCHENIUS.

mensibus tribus, diebus tribus. Fuit temporibus Hadriani, a Consulatu Titiani et Gallicani, usque Cæsare et Balbino.

Hyginus, annis duodecim, mensibus tribus, diebus sex. Fuit temporibus. . . . . .

Anicetus *annis*. . . . . a Consulatu Gallicani et Veteris, usque Præsente et Rufino.

Pius annis XV, mensibus IV, diebus XX. Fuit temporibus Antonini Pii, a Consulatu Clari et Severi usque duobus Augustis. Sub hujus Episcopatu frater ejus Hermes librum scripsit, in quo mandatur contineturque quod ei præcepit Angelus, cum venit ad eum in habitu pastoris.

Soter annis novem, mensibus tribus, diebus duobus. Fuit temporibus. . . . . .

Eleutherius *annis*. . . Fuit temporibus Antonini et Commodi, a Consulatu Veri et Erenniani, usque Paterno et Bradua.

Victor annis novem, mensibus duobus, diebus decem. . . . . .

Zephyrinus *annis*. . . . A Consulatu Saturnini et Galli, usque Præsente et Extricato.

Callistus annos quinque, menses duos, dies decem. Fuit temporibus Macrini et Heliogabali, a Consulatu Antonini et Adventi, usque Antonino III et Alexandro.

Urbanus annos octo, menses undecim, dies duodecim. Fuit temporibus Alexandri a Consulatu Maximi et Æliani, usque Agricola et Clementino.

Pontianus annos quinque, menses duos, dies septem. Fuit temporibus Alexandri, a Consulatu Pompeiani et Peligniani. Eo tempore Pontianus Episcopus et Hippolitus Presbyter exules sunt deportati in insulam nocivam Sardiniam, Severo et Quintiano Consulibus. In eadem insula discinctus [2] est IV Kalendas Octobris, et loco ejus ordinatus est Anteros XI Kalendas Decemb. Consulibus suprascriptis.

Anteros mense uno, diebus decem. Dormit III Nonas Januarii, Maximino et Africano Consulibus.

Fabianus annos quatuordecim, menses undecim, dies decem. Fuit temporibus Maximini et Gordiani et Philippi, a Consulatu Maximini et Africani, usque Decio II et Grato. Passus XIII Kalend. Februarii.

SCHELSTRATIUS.

mensibus tribus, diebus tribus. Fuit temporibus Antonini Macrini [3], a Consulatu Titiani et Gallicani, usque Cæsare et Albino.

Hyginus annis duodecim, mensibus tribus, diebus sex. Fuit temporibus [4]. . . . . .

Anicetus annis. . . . . a Consulatu Gallicani et Veteris, usque Præsente et Rufino.

Pius annis viginti, mensibus quatuor, diebus viginti uno. Fuit temporibus Antonini Pii, a Consulatu Clari et Severi, usque duobus Augustis. Sub hujus Episcopatu frater ejus Hermes librum scripsit, in quo mandatum continetur quod ei præcepit Angelus, cum venit ad eum in habitu pastoris.

Soter annis novem, mensibus tribus. Fuit temporibus [5]. . . . . .

Eleutherius annis. . . . . Fuit temporibus Antonini Commodi a Consulatu Veri et Ereniani, usque Paterno et Bradua.

Victor annis decem, mensibus duobus, diebus decem. . . . . .

Zephyrinus annis. . . . a Consulatu Saturnini et Galli, usque Præsente et Extricato.

Callistus annos 5. menses 2. dies 10. Fuit temporibus Macrini et Heliogabali, a Consulatu Antonini et Adventi, usque Antonino III et Alexandro.

Urbanus annos octo, menses 11, dies 12. Fuit temporibus Alexandri a Consulatu Maximi et Æliani, usque Agricola et Clementino.

Pontianus annos quinque, menses duos, dies septem. Fuit temporibus Alexandri, a Consulatu Pompeiani et Peligniani. Eo tempore Pontianus Episcopus et Hippolitus Presbyter exules sunt deportati in insulam nocivam Sardiniam, Severo et Quintino Consulibus : in eadem insula discinctus est IV. Kal. Octobris, et loco ejus ordinatus est Anteros XI. Kal. Decembris Consulibus suprascriptis.

Anteros mense uno, diebus decem. Dormit III Nonas Januarii, Maximino et Africano Consulibus.

Fabianus annos quatuordecim, mensem unum, dies decem. Fuit temporibus Maximini, et Gordiani, et Philippi, a Consulatu Maximini et Africani, usque Decio II et Grato. Passus XIII. Kal. Februarias. Hic

[1] *Cuspinianus legit* : Pontianus : *credo melius.*

[2] *An* defunctus?

[3] *Loco Antonini* Macrini *legunt Henschen. et Papebrochius* : Hadriani ; *cum tamen in ms. Codice habeatur ut nos hic edimus.*

[4] *Lacunæ in Hygino et Aniceto reperiuntur in ms. Cæsareo, quæ tamen ex secundo catalogo suppleri possunt, utpote cujus auctoris temporibus in ms. Cod. exstabant, ex quo Imperatorum et consulatuum notas colligere licet.*

[5] *Lacuna Catalogi in Sotere suppleri posset ex ms. Cæsareo, in quo habetur* : Temporibus Antonini et Commodi, a Consulatu Veri et Herenniani, usque Paterno et Bradua. *Verum vitio librarii, Consulatus hic aliunde in ms. irrepsit,*

BOUCHERIUS.

Hic regiones divisit Diaconibus : et multas fabricas per cœmeteria fieri jussit. Post passionem ejus, Moyses et Maximus Presbyteri, et Nicostratus Diaconus comprehensi sunt, et in carcerem missi. Eo tempore supervenit Novatus ex Africa ; et separavit de Ecclesia Novatianum, et quosdam confessores, postquam Moyses in carcere defunctus est, qui fuit ibi menses undecim, dies undecim.

Cornelius annos duos, menses tres, dies decem. A Consulibus Decio IV. et Decio II. usque Gallo et Volusiano. Sub Episcopatu ejus Novatus extra Ecclesiam ordinavit Novatianum in urbe Roma, et Nicostratum in Africa. Hoc facto, Confessores qui se separaverunt a Cornelio, cum Maximo Presbytero, qui cum Moyse fuit, ad Ecclesiam sunt reversi ; post hoc Centumcellis expulsi. Ibi cum gloria dormitionem accepit.

Lucius annos tres, menses octo, dies decem. Fuit temporibus Galli et Volusiani, usque Valeriano III, et Gallieno II. Hic exul fuit, et postea nutu Dei incolumis ad Ecclesiam reversus est [1], tertio Nonas Martias, Consulibus SS.

Stephanus annos quatuor, menses duos, dies viginti unum. Fuit temporibus Valeriani et Gallieni, a Consulatu Volusiani et Maximini, usque Valeriano III et Gallieno II.

Sixtus annis duobus, mensibus undecim, diebus sex. Cœpit a Consulatu Maximi et Glabrionis, usque Tusco et Basso, et passus est VIII Idus Augusti, a Consulatu Tusci et Bassi, usque in die XII Kalendas Augusti, Æmiliano et Basso Consulibus.

Dionysius annis octo, mensibus duobus, diebus quatuor. Fuit temporibus Gallieni, ex die undecimo Kalendarum Augusti, Æmiliano et Basso Consulibus, usque in diem septimum Kalendas Januarii, Consulibus Claudio et Paterno.

Felix annis quinque, mensibus undecim, diebus viginti quinque. Fuit temporibus Claudii et Aureliani : a Consulatu Claudii et Paterni, usque in Consulatum Aureliani II. et Capitolini.

Eutychianus annis octo, mensibus undecim, diebus tribus. Fuit temporibus Aureliani, a Consulatu Aureliani III et Marcellini, usque in diem VII Idus Decembris, Caro II et Carino Consulibus.

Caius annis duodecim, mensibus quatuor, diebus septem. Fuit temporibus Cari et Carini, ex die XVI Kalendas Januarii, Consulibus Caro II et Carino, usque in X Kalendas Maii, Diocletiano VI et Constantio II Consulibus.

Marcellinus annis octo, mensi-

HENSCHENIUS.

Hic regiones divisit Diaconibus, et multas fabricas per cœmeteria fieri jussit. Post passionem ejus, Moyses et Maximus Presbyteri et Nicostratus Diaconus comprehensi sunt, et in carcerem missi. Eo tempore supervenit Novatus ex Africa, et separavit de Ecclesia Novatianum et quosdam confessores, postquam Moyses in carcere defunctus est : qui fuit ibi menses undecim, dies undecim.

Cornelius annos duos, menses tres, dies decem, a Consulibus Decio II et Decio, usque Gallo et Volusiano. Sub Episcopatu ejus Novatus extra Ecclesiam ordinavit Novatianum in urbe Roma, et Nicostratum in Africa. Hoc facto, Confessores qui se separaverunt a Cornelio, cum Maximo Presbytero, qui cum Moyse fuit, ad Ecclesiam sunt reversi. Post hoc Centumcellis expulsus, ibi cum gloria dormitionem accepit.

Lucius annos tres, menses octo, dies decem. Fuit temporibus Galli et Volusiani, usque Valeriano III et Gallieno II. Hic exul fuit et postea nutu Dei ad Ecclesiam reversus. (Decessit) Tertio nonas Martii, Consulibus suprascriptis.

Stephanus annos quatuor, menses duos, dies viginti unum. Fuit temporibus Valeriani et Gallieni, a Consulatu Volusiani et Maximini, usque Valeriano III et Gallieno II.

Sixtus annis duobus, mensibus undecim, diebus sex. Cœpit a Consulatu Maximi et Glabrionis, usque Tusco et Basso, et passus est VIII Idus Augusti (et presbyteri præfuerunt) a Consulatu Tusci et Bassi usque in diem XII Kalendas Augusti, Æmiliano et Basso Consulibus.

Dionysius annis octo, mensibus duobus, diebus quatuor. Fuit temporibus Gallieni ex die undecimo Kalendarum Augusti, Æmiliano et Basso Consulibus, usque in diem septimum Kalendas Januarii, Consulibus Claudio et Paterno.

Felix annis quinque, mensibus undecim, diebus viginti quinque. Fuit temporibus Claudii et Aureliani, a Consulatu Claudii et Paterni, usque in Consulatum Aureliani II et Capitolini.

Eutychianus annis octo, mensibus undecim, diebus tribus. Fuit temporibus Aureliani, a Consulatu Aureliani III et Marcellini, usque in diem VII Idus Decembris, Caro II et Carino Consulibus.

Caius annos duodecim, mensibus quatuor, diebus septem. Fuit temporibus Cari et Carini, ex die XVI Kalendas Januarii, Consulibus Caro II ex Carino, usque in X Kalendas Maii, Diocletiano VI et Constantio II Consulibus.

Marcellinus annis octo, mensi-

SCHELSTRATIUS.

regiones divisit Diaconibus, et multas fabricas per cœmeteria fieri jussit. Post passionem ejus, Moyses et Maximus Presbyteri et Nicostratus Diaconus comprehensi sunt, et in carcerem sunt missi. Eo tempore supervenit Novatus ex Africa, et separavit de Ecclesia Novatianum, et quosdam Confessores, postquam Moyses defunctus est, qui fuit ibi menses undecim, dies undecim.

Cornelius annos duos, menses tres, dies decem, a Consulibus Decio IV et Decio II usque Gallo et Volusiano. Sub Episcopatu ejus Novatus extra Ecclesiam ordinavit Novatianum in urbe Roma, et Nicostratum in Africa. Hoc facto, confessores qui se separaverunt a Cornelio cum Maximo Presbytero, qui cum Moyse fuit, ad Ecclesiam sunt reversi. Post hoc Centumcellis expulsus, ibi cum gloria dormitionem accepit.

Lucius annos tres, menses octo, dies decem. Fuit temporibus Galli et Volusiani, usque Valeriano III et Gallieno II. Hic exul fuit, et postea nutu Dei, incolumis ad Ecclesiam reversus est. Decessit 3 Nonas Martii, Coss. suprascriptis.

Stephanus annos quatuor, menses duos, dies viginti unum. Fuit temporibus Valeriani et Gallieni, a Consulatu Volusiani et Maximini, usque Valeriano III et Gallieno II.

Sixtus annis duobus, mensibus undecim, diebus sex. Cœpit a Consulatu Maximi et Glabrionis, usque Tusco et Basso, et passus est VIII Idus Augusti. . . . . a Consulatu Tusci et Bassi, usque in diem XII Kalendas Augusti, Æmiliano et Basso Consulibus.

Dionysius annis octo, mensibus duobus, diebus quatuor. Fuit temporibus Gallieni ex die XI Kalendarum Augusti, Æmiliano et Basso Consulibus, usque in diem septimum Kalendar. Januarii, Consulibus Claudio et Paterno.

Felix annis V, mensibus XI, diebus XXV. Fuit temporibus Claudii et Aureliani, a Consulatu Claudii et Paterni, usque in Consulatum Aureliani II, et Capitolini.

Eutychianus annis octo, mensibus undecim, diebus tribus. Fuit temporibus Aureliani III, et Marcellini, usque in diem IV Idus Decembris, Caro II et Carino Consulibus.

Caius annis XII, mensibus IV, diebus VII. Fuit temporibus Cari et Carini ex die XVI Kalendas Januarii, Consulibus Caro II et Carino, usque in X Kalendas Maii, Diocletiano VI et Constantio II Consulibus.

Marcellinus annis octo, mensibus

[1] *Videtur hic deesse* Decessit.

BOUCHERIUS.

bus tribus, diebus viginti quinque. Fuit temporibus Diocletiani et Maximiani, ex die pridie Kalendas Julias, a Consulibus Diocletiano VI, et Constantio II, usque in Consulatum Diocletiani IX, et Maximiani VIII. Quo tempore fuit persecutio et cessavit Episcopatus annis VII [1], mensibus VI, diebus XXV.

Marcellus anno uno, mensibus septem, diebus viginti. Fuit temporibus Maxentii, a Consulatu X et Maximiano [2], usque post Consulatum X, et septimum.

Eusebius menses quatuor, dies sedecim, a XIV. Kalendas Maias, usque in diem XVI Kalendas Septembris.

Miltiades annis tribus, mensibus sex, diebus novem, ex die sexto Nonas Julias, a Consulatu Maximiano VIII solo; quod fuit mense septembri, Volusiano et Rufino, usque in III Idus Januarii, Volusiano et Anniano Consulibus.

Silvester annis viginti uno, mensibus undecim. Fuit temporibus Constantini, a Consulatu Volusiani et Anniani, ex die pridie Kalendas Februarii, usque in diem Kalendarum Januariarum, Constantio et Albino Consulibus.

Marcus menses octo, dies viginti. Et hic fuit temporibus Constantini, Nepotiano et Facundo Consulibus ex die XV Kalendas Februarias, usque in die Nonarum Octobrium, Consulibus SS.

Julius annos quindecim, mensem unum, dies undecim. Fuit temporibus Constantini, a Consulatu Feliciani et Titiani, ex die VIII. Idus Februarii, in diem pridie Idus Aprilis, Constantio V, et Constantio Cæsare Consulibus. Hic multas fabricas fecit: Basilicam in via Portense, milliario III. Basilicam in via Flaminia, milliario II. quæ appellatur Valentini. Basilicam Juliam, quæ est regione VII, juxta forum Divi Trajani: Basilicam trans Tiberim, regione XIV juxta Callistum: Basilicam in via Aurelia, milliario III ad Callistum.

Liberius fuit temporibus Constantii, ex die XI. Kal. Junias, in diem. . . . . a consulibus Constantio V, et Constantio Cæsare.

(*Omnia pene hæc opuscula desinunt his Coss. unde apparet anno isto, Christi 354, scripta aut circiter.*)

HENSCHENIUS.

bus tribus, diebus viginti quinque. Fuit temporibus Diocletiani et Maximiani, ex die pridie Kalendas Julias, a Consulibus Diocletiano VI et Constantio II, usque in Consulatum Diocletiani IX et Maximiani VIII. Quo tempore fuit persecutio et cessavit Episcopatus annos IV, mensibus sex, diebus viginti quinque.

Marcellus anno uno, mensibus septem, dies viginti. Fuit temporibus Maxentii a Consulatu (Maximiani Herculei) X et Maximiani (Galerii) VII, usque post Consulatum X et VII.

Eusebius menses quatuor, dies sedecim, a XIV Kalend. Maias usque in diem XVI Kalendas Septembris.

Miltiades annis tribus, mensibus sex, diebus novem [3], et die sexto Nonas Julias, a Consulatu Maximiano VIII solo, quod fuit mense Septembri, Volusiano et Rufino, usque in III Idus Januarii, Volusiano et Aniano Coss.

Silvester annis viginti uno, mensibus undecim. Fuit temporibus Constantini, a Consulatu Volusiani et Anniani, ex die pridie Kalendas Februarii, usque in diem (pridie) Kalendarum Januariarum, Constantino et Albino Coss.

Marcus menses VIII, dies XX. Fuit temporibus Constantini, Nepotiano et Facundo Consulibus; ex die XV Kalendas Februarii, usque in diem Nonarum Octobrium, Consulibus supradictis.

Julianus annos quindecim, menses duos, dies sex. Fuit temporibus Constantis, a Consulatu Feliciani et Titiani, ex die VIII Idus Februarii, in diem pridie Idus Aprilis, Constantio V et Constantio Cæsare Consulibus. Hic multas fabricas fecit, basilicam in via Portuensi, milliario III; basilicam in via Flaminia, milliario II, quæ vocatur Valentini; basilicam Juliam, quæ est regione VII, juxta forum Divi Trajani; basilicam trans Tiberim, regione XIV, juxta Callistum; basilicam in via Aurelia, milliario III ad Callistum.

Liberius fuit temporibus Constantii, ex die XI Kalendas Junias, in diem. . . . . a Consulibus Constantio V et Constantio Cæsare.

SCHELSTRATIUS.

tribus, diebus viginti quinque. Fuit temporibus Diocletiani et Maximiani, ex die pridie Kalendas Julias, a Consulibus Diocletiano VI, et Constantio II, usque in Consulatum Diocletiani IX et Maximiani VIII. Quo tempore fuit persecutio et cessavit Episcopatus annos VII [4], mens. VI, dies XXV.

Marcellus anno I, mensibus VI, diebus XX. Fuit temporibus Maxentii a Consulatu Maximiani Herculei X et Maximiani Galerii VII, usque post Consulatum X et VII.

Eusebius menses IV, dies XVI, a XIV Kalendas Maii, usque in diem XVI Kalendas Septembris.

Miltiades annis tribus, mensibus sex, diebus octo, a die sexto Nonas Julias, a Consulatu Maximiano VIII solo, quod fuit mense Septembri, Volusiano et Rufino, usque in III Idus Januarii, Volusiano et Aniano Consulibus.

Sylvester annis viginti uno, mensibus undecim. Fuit temporibus Constantini, a Consulatu Volusiani et Aniani, ex die pridie Kalendas Februarii, usque in diem pridie Kalendarum Januariarum Constantino et Albino Consulibus.

Marcus menses VIII, dies XX. Fuit temporibus Constantini, Nepotiano et Facundo Consulibus, ex die XV Kalend. Februarii usque in diem Nonarum Octobrium, Consulibus supradictis.

Julius annos quindecim, mensem unum, dies undecim. Fuit temporibus Constantini, a Consulatu Feliciani et Titiani ex die VIII Idus Februarii, in diem pridie Idus Aprilis, Constantio V, et Constantio Cæsare Consulibus. Hic multas fabricas fecit. — Basilicam in via Portuensi milliario III. Basilicam in via Flaminia milliario II, quæ vocatur Valentini; Basilicam Juliam, quæ est regione VII, juxta forum D. Trajani, Basilicam trans Tiberim, regione XIV, juxta Calistum, Basilicam in via Aurelia, milliario tertio ad Calistum.

Liberius fuit temporibus Constantini, ex die XI Kalend. Junias, in diem. . . . a Consulibus Constantio V, et Constantio Cæsare.

[1] *Videtur hic legendum* III, *ex consulum serie, quæ tamen hic confusa.*

[2] *Videtur hic de esse* VII. *Alii legunt.* IX, et Maximiano.

[3] *Al.* Octo *verum in Cod. Cæsareo habetur ut nos edidimus.*

[4] *Papebrochius legit :* ann. IV, menses VI, dies XXV;

DISQUISITIO GALLICE ADORNATA.

DE PRÆCEDENTIS CATALOGI EPOCHA, AUCTORE ET AUCTORITATE.

Postquam hunc catalogum sub oculos lectoris posuere, sequentia subjungunt eruditi Benedictini :

Telle est la Chronique des Pontifes Romains connue sous le nom de catalogue de Libère. Avant d'en

établir l'autorité, nous avons d'abord à examiner l'époque à laquelle elle aura été rédigée, et l'auteur à qui il serait possible de l'attribuer.

De tous les savants qui se sont occupés de ce monument, nous ne connaissons que Dodwel qui l'ait voulu faire plus récent que l'époque de Libère, et il a été refuté par Tillemont lui-même. Sans parler de l'argument qu'on doit naturellement tirer de la coïncidence de date de ce monument avec les quatre autres opuscules qui l'accompagnent sur les divers manuscrits, circonstance qui suffit à elle seule pour en préciser l'époque, n'y ayant dans le texte du catalogue rien qui contredise cette antiquité, cette chronique ne porte-t-elle pas irrécusablement la date de sa rédaction dans ces dernières lignes : *Liberius fuit temporibus Constantii, ex die* XI *Kalend. Junias, in diem... a consulibus Constantio V. et Cæsare.*

« Cette fin, comme le dit Tillemont, convient bien moins à un copiste arrêté par quelque accident, qu'à un auteur qui savait le commencement de Libère, mais qui n'en savait pas la fin parce qu'elle n'était pas encore arrivée » (*a*).

Mais il est un autre argument plus invincible encore. Outre le catalogue des Papes dit de Libère, il en existe un autre composé au sixième siècle et s'arrêtant à Félix IV. Or, ce second catalogue, que Dodwel voudrait faire passer pour le plus ancien, tandis que celui de Libère n'en serait que l'abrégé (*b*), le second, disons-nous, insère textuellement les fastes consulaires établis dans le premier pour les années de chaque Pape, et, arrivé à l'époque de Libère, il cesse de les donner, il n'y supplée en aucune façon et ne les reprend que plus d'un siècle après l'époque où s'arrête la Chronique Libérienne. Pourquoi, sinon parce que le monument qu'il transcrivait n'allait pas au delà du consulat de Constance *quinto* et Constance César ? Or, quel peut être ce monument, si ce n'est celui qui fait l'objet de la présente discussion ? Il est donc antérieur à la Chronique de Félix IV, dont lui seul peut même expliquer l'étrange lacune. Pearson n'a pas craint d'en faire la remarque (*c*), et Tillemont, presque aussi sévère dans l'examen des traditions catholiques, observe judicieusement que les conjectures de Dodwel pour faire du catalogue de Libère un simple abrégé de monuments du sixième siècle, sont renversées par l'expérience des critiques, qui, dit-il, ont toujours observé *que ces sortes d'ouvrages vont plutôt en augmentant qu'en diminuant, comme on le voit par expérience* (*d*).

La question de savoir quel est l'auteur du catalogue de Libère est loin d'être aussi facile à éclaircir. Henschenius a prétendu que la première partie de la Chronique qui va de saint Pierre à saint Urbain aurait été rédigée par saint Anteros et le reste jusqu'à Libère par saint Damase. Papebrock, dans son *Conatus Chronico-historicus ad Catalogos Romanorum Pontificum*, a même été plus loin, cherchant à prouver que la seconde partie de ce Catalogue offre des traces de quatre mains différentes. Schelstrate combat vigoureusement ce système (*e*), qui nous semble, à nous aussi, donner beaucoup trop à la conjecture ; mais si nous sommes portés à suivre cet auteur lorsqu'il fait voir qu'on ne saurait nommer avec précision les rédacteurs de ce Catalogue, ni les multiplier ainsi à fantaisie, sans courir le risque de procéder un peu au hasard, il nous paraît que ses arguments, pour prouver l'identité de style dans toutes les parties de cette Chronique, sont loin d'être concluants. Quand on y regarde de près, il est difficile de ne pas apercevoir dans les différentes parties une grande diversité de forme ; mais ne serait-il pas possible de l'expliquer en considérant ce monument comme l'assemblage, la compilation de notes ou mémoires rédigés à plusieurs époques ? Rien ne ressemble mieux à une série d'inscriptions enregistrées à la suite les unes des autres, que ce Catalogue qui ne présente d'unité que dans la pensée qui a présidé à son arrangement en manière de Chronique.

Maintenant quel aurait été le rédacteur, le compilateur de cet ensemble ? Tillemont et Pagi en attribueraient volontiers l'honneur à saint Damase, et nous sommes très-portés à nous ranger nous-mêmes de ce parti. Toutefois nous n'appuyons pas notre sentiment sur les deux fameuses lettres, dont l'une est attribuée à ce saint Pape et l'autre à saint Jérôme, et qui ont agité en sens divers les savants qui les ont jugées. Elles paraissent abandonnées aujourd'hui de tout le monde, et cependant, suivant nous, les arguments que produit en leur faveur Ciampini dans son *Examen Libri Pontificalis*, sont loin d'être méprisables. Quoi qu'il en soit, nous nous abstenons de les citer dans cette discussion, nous contentant de les placer en note sous les yeux du lecteur, afin de ne rien omettre de tout ce qui peut rendre plus complet notre travail sur les origines de la Papauté (*f*).

(*a*) *Mémoires sur l'Hist. Ecclés.*, tom. II. Notes sur S. Clément, pag. 551.

(*b*) *De Romanorum Pontificum primæva successione*, cap. XV, pag. 224.

(*c*) *De successione primorum Romæ Episcoporum*, cap. XII, pag. 130.

(*d*) Tillemont. *Ibid.*, tom. II, pag. 551.

(*e*) *Antiquit. Eccles. illustrat.*, tom. I, dissertat. 3, cap. 2, nos 6, 7, 8, 9.

(*f*) BEATISSIMO PAPÆ DAMASO HIERONYMUS.

Gloriam Sanctitatis Tuæ nostra humilitas deprecatur, ut secundum Apostolicæ Sedis authoritatem, quam cognovimus per tuam Sanctitatem gubernari, actus gestorum a Beati Petri Apostoli Principatu usque ad vestra tempora, quæ scilicet in Sede tua gesta sunt, nobis per ordinem paucis enarrare digneris, quatenus nostra humilitas sentiens recognoscat, quis meruerit de Episcopis supradictæ Sedis martyrio coronari, vel si quis contra Canones Apostolorum excessisse cognoscatur. Ora pro nobis Beatissime Papa.

(*Vid. sup. col.* 441, *Sancti Damasi rescriptionem.*)

Si donc nous attribuons a saint Damase la rédaction du catalogue de Libère, ce n'est point sur la foi de ces deux lettres, mais sur le témoignage de nombre d'auteurs qui, depuis le septième ou huitième siècle environ, n'ont cessé de considérer ce Pape comme auteur d'une Chronique des Pontifes Romains. Comme nous ne pouvons faire saint Damase auteur du *Liber Pontificalis*, ni même du Catalogue de Félix IV, monuments d'un style trop différent du sien, on est essentiellement conduit à lui laisser la Chronique de Libère. Ici encore, quoique par une route totalement différente, nous nous rencontrerons avec Tillemont, qui s'exprime ainsi, dans le passage que nous avons cité plus haut : « Je ne vois pas pourquoi on dit que c'est faussement qu'on attribue à saint Damase ce catalogue, et pourquoi il ne l'aura pas pu dresser, étant diacre en 353, lorsque le pape Libère fut banni, et le catalogue paraît fait l'an 354, sous le pape Libère » (*a*).

C'est en vain que dom Ceilier objecte que, dans la notice des écrits de saint Damase, saint Jérôme ne nomme point ce Catalogue (*b*) ; car ce Catalogue, qui ne semble d'ailleurs rédigé que dans un intérêt de localité, n'est pas véritablement un livre, et il est naturel de supposer qu'il n'a pas pénétré jusqu'en Orient, où écrivait saint Jérôme, quand on voit qu'en Occident même on n'a commencé à s'en occuper qu'au seizième siècle. L'autre difficulté de dom Ceilier, que saint Damase n'a pas mis son nom à cet opuscule, *ainsi qu'il l'a mis à presque toutes ses épigrammes et ses inscriptions*, n'est pas plus sérieuse. D'abord, c'est déjà convenir qu'il ne l'a pas mis à tout ce qui est sorti de sa plume ; ensuite, comment saint Damase aurait-il songé à mettre son nom en tête d'une Chronique qui n'est autre chose que la compilation en deux pages d'une suite de notes et d'inscriptions ? Concluons donc que le sentiment qui fait ce saint Pape auteur de la Chronique de Libère est appuyé sur de solides fondements. Une autre question bien autrement grave, celle de la vérité des faits contenus dans ce catalogue, réclame maintenant toute notre attention.

Les faits contenus dans le Catalogue de Libère sont simplement les fastes consulaires correspondants à l'avénement et à la mort de chaque Pape, le compte des années, des mois et des jours de son pontificat, enfin quelques détails historiques, en petit nombre et fort succincts, ainsi qu'on a pu le remarquer ci-dessus. Nous allons examiner successivement quel degré d'autorité nous devons donner à ces différents détails. Commençons par les fastes consulaires.

L'antiquité du Catalogue de Libère une fois établie, il nous semble évident que l'on doit reconnaître une véritable autorité aux indications de consuls qu'il renferme, à moins que l'on ne puisse démontrer deux choses, savoir : que les Chrétiens de Rome, qui, comme on ne peut en douter d'après tout ce que nous avons prouvé dans les précédents chapitres, avaient conservé les noms de leurs évêques, ne se servaient point des fastes consulaires pour marquer les années de leur siége ; et, en second lieu, que, s'ils en usaient ainsi, il eût été impossible en 354 de recueillir les monuments de ce genre dressés par eux durant les trois premiers siècles. Or nous défions qui que, ce soit d'administrer la plus légère preuve à l'appui de ces deux assertions, et il faudrait pourtant commencer par les démontrer, avant d'attaquer l'autorité du Catalogue de Libère sur la vérité des supputations consulaires qu'il contient. En attendant, nous espérons prouver que les deux thèses opposées sont certaines.

Premièrement, les chrétiens de Rome se servaient des fastes consulaires pour compter les années des Papes. Nos lecteurs ne peuvent ignorer que pendant toute la durée de l'empire romain, la manière la plus usitée et la plus nationale de mesurer le temps et de classer les événements historiques était de le faire par les consuls. Non-seulement cet usage était reçu pour les faits intéressant l'ordre public, mais les circonstances de la vie privée y étaient soumises ; les contrats entre particuliers, tout, jusqu'aux détails du ménage les plus familiers, recevaient cette sanction aussi bien que les actes mêmes du pouvoir gouvernant. Ainsi l'avaient établi de concert les lois et la coutume ; et peut-être cet usage était-il d'autant plus volontiers observé, qu'en même temps qu'il offrait un moyen de se rappeler les faits, moins abstrait que la supputation par les chiffres, il flattait l'orgueil des particuliers, en associant en quelque sorte les faits de leur existence avec les destinées de l'empire.

Le christianisme trouva cette pratique établie lorsqu'il parut en ce monde ; et comme elle ne présentait rien de contraire à ses dogmes ni à sa morale, les premiers fidèles, qui étaient dans l'usage de l'employer dans la vie civile pour donner autorité à leurs actes, durent naturellement la transporter avec tous ses avantages dans les supputations de la religion. Que pouvait-il en effet y avoir pour eux de plus important, de plus digne de mémoire, que la suite et les années des successeurs de saint Pierre, dans lesquels cet apôtre continuait toujours d'enseigner et de régir l'Église ? Y avait-il un sujet plus digne d'émouvoir ce sentiment de nationalité qu'éprouve toujours davantage une société, en proportion du degré de spiritualisme dont elle fait profession, que le désir de conserver pures et certaines les annales de ces Pontifes si humbles, si obscurs, et pourtant dépositaires d'une autorité dont les effets, comme on peut en voir plusieurs exemples dans Eusèbe, retentissaient jusqu'aux extrémités de l'Orient, et dont la puissance, tout enfouie qu'elle était sous les arceaux de Rome souterraine, s'élevait, dès le troisième siècle, assez rivale des Césars pour qu'un Décius la redoutât à l'égal

(*a*) Pag. 550.

(*b*) *Hist. des Aut. Eccléс.*, tom. VI. pag. 477.

d'un compétiteur à l'empire (a) ? N'en doutons pas, les chrétiens firent bien pour conserver la mémoire des chefs de l'Eglise ce qu'ils faisaient chaque jour dans l'intérêt de leurs affaires domestiques; et quand bien même les dernières traces en seraient aujourd'hui effacées, ne soyons point si ignorants de la nature humaine pour croire que les premiers chrétiens auront laissé passer tant de gloire, et d'une gloire si pure, sans rien faire pour en conserver le souvenir.

Dira-t-on que cette manière de compter par les consuls leur aura semblé trop profane, trop séculière, contraire même à l'austère dignité d'une religion qui ne prenait acte des particularités de la vie présente que pour les mépriser ? A cela nous répondrons que bien loin de là, le Christianisme leur faisait une sorte de devoir d'employer ce mode de supputation. Personne sans doute n'ignore le respect souverain qu'avaient les premiers fidèles pour les Ecritures saintes, le zèle qu'ils mettaient à en reproduire le génie et les circonstances dans leurs habitudes, dans leur langage. Non-seulement les cérémonies du culte y prenaient leur origine, mais les usages de la vie privée en étaient comme imprégnés : ils ne pensaient, ils ne s'exprimaient que par ces livres divins. Leur style, leurs images embellissaient les écrits des Tertullien et des Origène, en même temps que leurs sentences renforçaient les réponses déjà si sublimes des martyrs. Or, ces livres eux-mêmes, tout célestes, tout surnaturels, ne dédaignaient point de se servir, dans la supputation des événements divins, du mode en usage pour les calculs terrestres. Ils procédaient à l'aide des fastes de l'humanité comme à la lueur d'un flambeau, et la parole de Dieu empruntait en quelque sorte sa certitude de fait aux événements de cette demeure mortelle.

Pour n'en rappeler ici que quelques exemples, ouvrez d'abord l'Ancien Testament, à l'article des prophéties, ces phénomènes tout spirituels de l'infusion première du Verbe divin par l'Esprit-Saint dans l'humanité, vous y trouverez les années passagères des rois de la terre accolées comme un sceau nécessaire aux oracles de la Sagesse éternelle. Choisissons entre mille exemples : « *La vision d'Isaïe fils d'Amos sur Juda et Jérusalem, en les jours d'Ozias, Joathan, Achaz et Ezéchias, rois de Juda* (b). Plus loin : *En l'année que mourut le roi Ozias, je vis le Seigneur assis sur un trône*, etc. (c). *Paroles de Jérémie fils d'Helcias, l'un des prêtres qui furent en Anathoth, en la terre de Benjamin. La parole du Seigneur fut sur lui en les jours de Josias fils d'Amon roi de Juda, en la treizième année de son règne* (d). *Parole qui fut donnée à Jérémie, touchant le peuple de Juda, en la quatrième année de Joakim fils de Josias roi de Juda, laquelle est la première année de Nabuchodonosor roi de Babylone* (e). *En la première année de Baltazar roi de Babylone, Daniel vit un songe*, etc. (f). *En la troisième année du règne de Baltasar* (g). *En la première année de Darius fils d'Assuérus, de la race des Mèdes, qui régna sur l'empire des Chaldéens*, etc. (h). *En l'année troisième de Cyrus roi des Perses, la parole fut révélée à Daniel*, etc. (i). C'est assez sans doute et nous pouvons nous dispenser de citer les petits Prophètes, qui fournissent un bien plus grand nombre d'exemples de cette particularité. Passons au Nouveau Testament.

Aux jours d'Hérode, roi de Juda, il y eut un prêtre nommé Zacharie, etc. (j). Ainsi commence le récit de l'histoire évangélique dans saint Luc. Au chapitre suivant : *En ces jours-là il sortit un édit de César Auguste pour le dénombrement de tout l'univers. Ce dénombrement fut fait, Cyrinus étant gouverneur de Syrie* (k). Saint Matthieu parlant de la venue des mages : *Jésus étant né en Bethléem de Juda, en les jours du roi Hérode, voici que des Mages vinrent d'Orient à Jérusalem* (l). Saint Luc voulant annoncer la prédication de saint Jean, solennel prélude de celle du Christ, en détermine aussi l'époque par celle des princes du temps : *En l'année quinzième de l'empire de Tibère César, Ponce Pilate étant gouverneur de Judée, Philippe son frère tétrarque de l'Iturée et de la région de Thrachonite, et Lysanias d'Abilène, sous les princes des prêtres Anne et Caïphe, la parole du Seigneur fut sur Jean fils de Zacharie, dans le désert*, etc. (m).

Voilà certes plus qu'il ne fallait pour excuser les premiers chrétiens à leurs propres yeux, lorsqu'ils se servaient des fastes consulaires pour fixer les années des Pontifes Romains; et afin que l'on ne pense pas que ces observations soient le fruit d'une recherche systématique plus ingénieuse que concluante, nous ne résistons pas au désir de citer ici le passage suivant de saint Ambroise, qui a vu la chose du même point de vue, et qui commente de la manière suivante l'un des textes que nous venons de citer : « Le dénombrement dont parle saint Luc eut lieu *Cyrinus étant gouverneur de Syrie*, comme si l'Evangéliste eût voulu mettre à son livre,

(a) (Cornelium) sedisse intrepidum Romæ in sacerdotali cathedra, eo tempore cum tyrannus infestus sacerdotibus Dei fanda et nefanda comminaretur, cum multo patientius et tolerabilius audiret levari adversus se æmulum principem quam constitui Romæ Dei sacerdotem. (*Cyprian. Epist. ad Antonianum.* Edit. Rigalt. 1666, pag. 68.)
(b) Isaïæ, c. I, v. 1.
(c) *Ibid.*, VI, 1.
(d) Jerem., I, 1
(e) *Ibid.*, XXV, 1.
(f) Daniel, VII, 1.
(g) *Ibid.*, VIII, 1.
(h) *Ibid.*, IX, 1.
(i) *Ibid.*, II, 1.
(j) Luc., I, 5.
(k) *Ibid.*, II, 1.
(l) Matth., II, 1.
(m) Luc., III, 1.

comme un sceau, une sorte d'indication consulaire. En effet, si l'on marque les consuls sur les contrats d'achat, quoi de plus juste que d'employer cette supputation de temps pour fixer l'époque du rachat universel ? Vous avez ici tout ce que l'on a coutume de placer sur les contrats : d'ordinaire, on y met le nom du dépositaire de l'autorité souveraine, le jour, le lieu, la cause, les témoins. Le Christ a voulu aussi faire servir ces différentes marques à certifier sa nativité et sa génération suivant la chair, lui qui a dit à ses apôtres : *Soyez-moi témoins en présence de Jérusalem* » *(a)*.

Il n'y a donc pas lieu de s'étonner que les premiers fidèles transportassent dans les faits de la religion une manière de compter que le génie des livres saints leur rendait sacrée, en même temps que les usages du temps n'en laissaient pas même une autre à leur disposition. Ainsi s'explique ce passage de Tertullien, dans le livre de la *Couronne du Soldat* : « Le vulgaire a ses fêtes et ses couronnes, tantôt en l'honneur de la fortune des princes, tantôt pour les solennités particulières de la cité, et la luxure fait le fond de toutes ces joies publiques. Toi, chrétien, tu es étranger à ce monde, citoyen de la céleste Jérusalem, comme dit l'Apôtre : *Notre cité est le ciel*. Mais n'as-tu pas aussi tes listes ? N'as-tu pas aussi tes fastes *(b)* ? »

Après avoir montré que l'existence de fastes chrétiens, durant les trois premiers siècles, ne présente rien que de très-naturel, nous n'aurons pas de peine à faire voir qu'on pouvait lire encore en 354 ceux que les chrétiens de Rome eussent rédigés sur les années des papes. Une seule raison eût rendu cette lecture impossible : ce serait le cas où ils eussent tous péri avant cette époque, mais cette supposition est inadmissible. Sans doute les persécutions, la dernière surtout, détruisirent une grande quantité de monuments ; mais le petit nombre qui nous en est resté, et qui devait être nécessairement plus considérable encore au quatrième siècle, suffit pour prouver que tout n'avait pas péri : nous allons fortifier par des faits ces conjectures inattaquables d'ailleurs.

Prenons pour exemple les Actes des Martyrs, monuments si importants dans les mœurs de l'Eglise primitive, et sur lesquels naturellement les chrétiens devaient inscrire les consuls pour fixer l'époque de la glorieuse confession. Tout le monde sait que la plus grande partie de ces actes précieux s'est perdue; mais telle est la certitude de notre assertion, qu'un seul coup d'œil sur les débris qui nous sont restés suffira pour montrer aux moins clairvoyants, qu'à l'époque de Libère, on pouvait bien mieux encore constater, à l'aide du flambeau consulaire, les actes ecclésiastiques des trois siècles précédents. Nous ne citerons point ici les actes des martyrs, jugés authentiques par les Bollandistes dans leur immense compilation, ni dans plusieurs autres recueils postérieurs à celui de dom Ruinart : arrêtons-nous simplement à la collection de celui-ci comme la plus répandue, et lisons-y tout aussitôt ce qu'on pouvait bien mieux encore lire au quatrième siècle sur tant de monuments que le temps et l'incurie de ceux qui les devaient mieux conserver, joints aux ravages des barbares, ont fait disparaître de la terre. Prenons à livre ouvert dans les *Acta sincera* du savant et très-impartial bénédictin.

En l'an de Jésus-Christ CVII, les actes de saint Ignace d'Antioche : *Facta autem sunt hæc die ante* XIII *Kalendas Januarias, præsidentibus apud Romanos Syrio et Senecio secundo*. En l'an CC, les actes proconsulaires des martyrs Scillitains : *In diebus illis præsidente bis Claudiano consule* XVI *Kal. August.* En l'an CCL, le martyre de S. Pionius : *Acta sunt hæc sub Proconsule Julio Proclo et Quintiliano consule, Imperatore Gaio, mense quinto, Traiano Decio et Vizeto Grato, et, ut Romani dicunt,* VIII *Idus Martii, et, ut Asiani dicunt, mense sexto, die sabbati, hora decima*. En l'an CCLVIII, les actes proconsulaires de saint Cyprien : *Imperatore Valeriano quartum et Gallieno tertium Consulibus, tertio Kalendarum Septembrium*, etc. En l'an CCLIX, les actes des saints martyrs Fructuosus, Augurius et Eulogius : *Valeriano et Gallieno imperatoribus, Æmiliano et Basso coss.* XVII *Kal. Februarii, die Dominico*, etc. En l'an CCLXXXV, les actes des saints martyrs Claude et Asterius : *Habita est passio hæc in civitate Ægea, sub Lysia præside,* X *Kalendas Septembris, Augusto et Aristobolo consulibus*, etc. En l'an CCXCV, les actes de S. Maximilien : *Tusco et Anulino consulibus,* IV *Id. Martii, Teveste*, etc. En l'an CCCIII, les actes de S. Félix évêque : *Diocletiano octies et Maximiano septies consulibus, Augustis*, etc. En l'an CCCIV, les actes des saintes Agape, Chionie, Irène, etc., *in consulatu Diocletiani Augusti nono, Maximiani autem August. octavo, Kalendis Aprilis*, etc. Même année, les actes de S. Euplus, diacre : *Diocletiano novies, et Maximiano octies consulibus, pridie Idus Augusti, in Catanensium civitate*, etc.

Nous nous arrêtons enfin ; mais nous voulions

(*a*) Præside Cyrino facta est hæc prima professio : ut quasi consulem quemdam signi gratia huic libro evangelista adscripsisse videatur. Nam si consules adscribantur tabulis emptionis, quanto magis redemptioni omnium debuit tempus adscribi ? Habes ergo omnia quæ in contractibus esse consueverunt ; vocabulum summam illic potestatem gerentis, diem, locum, causam, testes quoque adhibere solent. Hos quoque nativitati suæ et generationi secundum carnem Christus adhibuit qui signarent evangelium dicens : *Vos critis mihi testes in Hierusalem* (Ambros. in Luc., cap. 2).

(*b*) Coronatur et vulgus nunc ex principalium prosperitatum exsultatione, nunc ex municipalium solennitatum proprietate : et est omnis publicæ lætitiæ luxuria captatrix. Sed tu peregrinus mundi hujus, civis supernæ Jerusalem. Nostier, inquit, municipatus in cœlis. Habes tuos census, tuos fastos (Tertull. *De Corona milit.*, edit. Rigalt., pag. 109).

mettre le lecteur à portée de juger par lui-même que la critique la plus exigeante ne saurait rejeter la chronologie consulaire du Catalogue de Libère, pour cette raison seule que cet opuscule n'a été rédigé qu'au quatrième siècle. Or, le Catalogue de Libère ne se borne pas à indiquer les consuls correspondants à l'avénement et à la mort des Pontifes Romains, il donne aussi les années, les mois et les jours de leur siége. Examinons maintenant la certitude de ces détails.

Après avoir fait observer au lecteur que ces assignations d'années, de mois et de jours, ont dû prêter aux erreurs des copistes, à travers les siècles, plus encore que les fastes consulaires eux-mêmes, et que par conséquent nous n'entendons point répondre de tous les chiffres dont est rempli le Catalogue de Libère, nous disons que rien n'est moins étonnant en soi que la conservation de ces détails chronologiques à Rome, au quatrième siècle. Les monuments de l'histoire, et Dodwel en est lui-même convenu (*a*), n'ont-ils pas conservé, malgré la distance des temps, les années, les mois et les jours des empereurs? Pour faire la même chose dans la chronique des Papes, dont les années étaient déjà déterminées par les consuls, fallait-il donc de si grands efforts? et lorsque les volumineux écrits des Clément d'Alexandrie et des Origène traversaient sains et saufs de si désastreuses tempêtes, avait-il été si impraticable de sauver la page sur laquelle on avait écrit les années, les jours et les mois qu'avaient siégé environ trente évêques, surtout quand le contenu de cette page était si populaire, qu'il était, par là même, impossible qu'il se perdît?

Car les faits viennent encore ici à l'appui de ce qu'on pourrait appeler nos conjectures, et voici de quelle manière. N'est-il pas vrai que si nous pouvons prouver que les chrétiens connaissaient naturellement le jour du décès de la plupart des anciens Papes, il leur était, par là même, facile de supputer non-seulement les années de leur Pontificat déjà désignées par les consuls, mais même d'une certaine manière les mois et les jours, indépendamment des mémoires que l'Église devait conserver sur toutes ces choses? Or c'est ce que personne ne peut révoquer en doute, avec la plus légère teinture de l'antiquité ecclésiastique. Dès l'origine du christianisme, le jour de la mort des saints fut consacré par une fête en leur honneur sous le beau nom de naissance, *Natalis*, conservé dans la liturgie romaine. Ainsi, dès l'an 107, dans la circulaire partie de Rome pour annoncer la confession de saint Ignace d'Antioche, on disait aux Églises : « Nous vous indiquons le jour et le temps, afin qu'à l'anniversaire de son martyre, nous nous réunissions tous en l'honneur d'un si généreux athlète et témoin du Christ (*b*). » Telle était la tradition apostolique. Lorsque l'Église Romaine adressait un message aux autres Églises pour leur notifier le trépas sublime de son Pontife (*c*), elle n'oubliait jamais de transmettre en même temps, pour qu'on l'enregistrât, le jour où le sacrifice avait été offert. « Vous saurez, écrit saint Cyprien à Successus, un des évêques de sa province; vous saurez que Sixte a été mis à mort dans le cimetière, le huit des ides d'août » (*d*).

On conservait donc à Rome, au moyen des mémoires et commémorations des martyrs, le jour précis où chaque Pape avait terminé sa carrière; et c'est ici le lieu de mettre sous les yeux du lecteur le fameux calendrier ecclésiastique de l'Église Romaine, qui, rédigé aussi vers l'an 354, faisait partie des quatre opuscules que Cuspinien et le P. Boucher trouvèrent sur le même manuscrit à côté du Catalogue de Libère. On y verra les anniversaires des divers martyrs dont Rome chrétienne célébrait la fête au quatrième siècle, et l'inspection de ce monument ne servira pas peu à faire toucher au doigt la vérité de nos assertions. Nous donnons ce calendrier, non d'après Dom Ruinart, qui n'a fait que reproduire la leçon du P. Boucher, mais d'après le P. Conrad Janning, qui l'a publié en 1717 (*e*), sans rien changer à la leçon originale, comme l'avait fait le P. Boucher en quelques endroits.

DEPOSITIO EPISCOPORUM.

VI *Kal. Januar.*	Dionisi, in Calisti.
III *Kal. Jan.*	Felicis, in Calisti.
Prid. Kal. Jan.	Silvester, in Priscillæ.
IV *Idus Jan.*	Miltiades, in Calisti.
XVIII *Kal. Febr.*	Marcellini, in Priscillæ (*f*).
III *Non. Mart.*	Luci, in Calisti.
X *Kal. Mai.*	Gai, in Calisti.
IV *Non. Aug.*	Steffani, in Calisti.
VI *Kal. Octobr.*	Eusebii, in Calisti.
VI *Idus Decembr.*	Eutichiani, in Calisti.
Non. Octobr.	Marci, in Balbinæ.
Prid. idus April.	Julii, in via Aurelia, milliario III, in Calisti.

DEPOSITIO MARTYRUM.

VIII *Kal. Jan.* Natus Christus in Betleem Judeæ.

MENSE JANUARIO.

XIII *Kal. Febr.* Fabiani, in Calisti; et Sebastiani in Catacumbis.

XII *Kal. Feb.* Agnetis, in Nomentana.

MENSE FEBRUARIO.

VIII *Kal. Mart.* Natale Petri de Catedrâ.

(*a*) *De Romanorum Pontificum primæva successione*, cap. XV, p. 225.

(*b*) Vobisque diem et tempus indicavimus, ut tempore ejus martyrii convenientes, athletæ et generoso Christi martyri communicemus.

(*c*) Jam de bono et pacifico pastore, ac propterea beatissimo martyre ab urbe nuntius venerat (Pontius, *In vita Cypriani*, n. XIV).

(*d*) Xystum autem in cœmeterio animadversum scialis, Octavo Iduum Augustarum (*Cyprian. ad Success.*, edit. Rigalt., pag. 160).

(*e*) *Acta Sanctorum*, tom. VII. Junii, pag. 185.

(*f*) Il faut lire : XVII *Kal. Febr.* Marcelli, in Priscillæ.

MENSE MARTIO.

Non. Martii. Perpetuæ et Felicitatis, Africæ.

MENSE MAIO.

XIV *Kal. Jun.* Partheni et Caloceri, in Calisti, Diocletiano VIII et Maximiano VIII Coss.

MENSE JUNIO.

III *Kal. Julii.* Petri, in Catacumbas; et Pauli, Ostense; Tusco et Basso. Coss.

MENSE JULIO.

VI *Idus.* Felicis et Filippi, in Priscillæ; et in Jordanorum, Martialis, Vitalis, Alexandri : et in Maximi, Silani ; hunc Silanum martyrem Novati (*a*) furati sunt : et in Prætextati, Januari.

III *Kal. Aug.* Abdos et Semnes, in Pontiani, quod est ad Ursum Piliatum.

MENSE AUGUSTO.

VIII *Idus Aug.* Xysti, in Calisti; et in Prætextati, Agapiti et Felicissimi.

VII *Idus Aug.* Secundi, Carpoferi, Victorini et Severiani, Albano et Ostense.

VI Ballistaria (*b*) Cyriaci, Largi, Crescentiani, Memmiæ, Julianetis et Ixmaracdi.

III *Idus Aug.* Laurenti, in Tiburtina.

Ib. Aug. Ypoliti, in Tiburtina; et Pontiani, in Cal.

(*a*) Lisez : *Novatiani.*
(*b*) Lisez : *Via Salaria.*
(*c*) Lisez : *Claudi.*
(*d*) *Hic continentur dies natalicorum Martyrum et depositiones Episcoporum, quos Ecclesia Cartagenis anniversaria celebrant.*

XIIJ Kalend. Maias martyris Mappalici.
IIJ Kal. Mai. martyris Pudentis.
IJ Kal. Mai. martyris Claud.
IIJ Non. Mai. depositio Grati Episcopi.
IJ Non. Mai. Marini et Jacobi martyris.
Nonas Mai. depositio Genecli Episcopi.
V Idus Mai. sancti Majuli.
IIJ Idus Mai. martyris Secundiani.
IJ Idus Mai. sanctæ Felicis, Cecili, et comitum.
XJ Kal. Junias sanctorum Casti et Emili.
X Kal. Jun. sanctorum Luci et Montani.
VIIJ Kal. Jun. sancti Flaviani et Septimiæ.
IJ Kal. Jun. sanctorum Timidensium.
IIJ Non. Jun. sancti Perseverani martyris.
Nonas Jun. sancti Systi.
IIJ Idus Jun. sancti Galloni.
XIIJ Kal. Julias sancti Gervasi et Protasi martyrum.
VIIIJ Kalend. Jul. sancti Johannis Baptistæ sancti... et Rogati martyris.
... Jul. sancti E..... martyris.
... Jul. sanctorum..... Apostolorum.
... Jul....
Idus Julias sancti Catulini martyris.
XV... Kal. Agustas sanctorum Scilitanorum.
XIIJ Kal. Ag. depositio sancti Aurili Episcopi.
XJ Kal. Ag. sanctorum Maxulitanorum.
... Kal. Ag. depositio sancti Capreoli Episcopi.
IIJ Kal. Ag. sanctarum Tuburbitanarum, et Septimiæ.
Kal. Ag. sanctorum Maccabeorum.
VIIJ Idus Ag. sancti Systi Episcopi et martyris Romæ.
IV Idus Ag. sancti Laurenti.
IJ Idus Ag. de sanctos Marinus.
Idus Ag. sancti Hippoliti.
... Kal. Sept. sanctorum Massæ Candidæ.
... Kal. Sept. sancti Quadrati.

A XI *Kal. Sept.* Timothei, Ostense.
V *Kal. Sept.* Hermetis, in Basillæ, Salaria vetere.

MENSE SEPTEMBRE.

Non Sept. Aconti, in Porto, et Nonni et Herculani et Taurini.

V *Idus Sept.* Gorgoni, in Labicana.

III *Idus Sept.* Proti et Jacincti, in Basillæ.

XVIII *Kal. Octob.* Cypriani, Africæ; Romæ celebratur in Calisti.

X *Kal. Octob.* Basillæ, Salaria vetere; Diocletiano VIII, Maximiano VIII Coss.

MENSE OCTOBRE.

Prid. idus Octobr. Calisti, in via Aurelia milliario III.

MENSE NOVEMBRE.

VI *Idus Novemb.* Clementis, Semproniani, Claui
B (*c*), Nitrati, in comitatum.
III *Kal. Dec.* Saturnini, in Trasonis.

MENSE DECEMBRE.

Idus Decemb. Ariston, in Pontum.

Dom Mabillon a publié au troisième volume de ses *Analecta* un calendrier du même genre et presque du même âge, à l'usage de l'Église de Carthage. Nous le reproduisons ci-dessous dans une note comme complément de celui de Rome (*d*). Le lecteur sera

... Kal. Sept. sancti Timothei.
... Kal. Sept. sancti Genesi mimi.
IV Kal. Sept. depositio Restituti et Agustini Episcopi.
IIJ Kal. Sept. sancti Felicis, Evæ et Regiolæ mart.
C ... Idus Sept. sancti Ampeli.
XVIIJ Kal. Octo. sancti Cypriani Episcopi et martyris Cartag.
XVJ Kal. Oct. sanctæ Eufimiæ.
... Kal. Oct. sancti Januarii martyris.
... Kal. Oct. sancti Sossi.
VJ Id. Oct. sancti Quintasi.
IIJ Id. Oct. sancti Luce Evangelistæ et martyris.
XVJ Kal. Nov. sanctorum Volitanorum.
... Kal. Nov. sancti Leuci et Victurici martyr.
... Kal. Nov. sanctæ Victuriæ.
IV Kal. Nov. sancti Feliciani et Vagensium.
Kal. Nov. sancti Octavi.
... Id. Nov. sanctorum Capitanorum.
Idus sancti Valentini.
... Kal. Dec. sancti Clementis.
... Kal. Dec. sancti Crysgoni martyris.
... Kal. Dec. sancti Andreæ Apostoli et martyris.
Nonas Dec. sanctorum martyrum Bili, Felicis, Potamiæ, Crispinæ et comitum.
D IV Id. Dec. sanctæ Eulaliæ.
IIJ Id. Dec. sanctorum martyrum Eronensium.
XVJ Kal. Jan. sanctorum martyrum Felicis, Clementiane, Honorate, et Massariæ.
X... Kal. Jan. sancti Nemessiani.
VIIJ Kal. Jan. Domini nostri Jesu-Christi, filii Dei.
VIJ Kal. Jan. sancti Stefani primi martyris.
VJ Kal. Jan. sancti Johannis Baptistæ, et Jacobi Apostoli, quem Herodes occidit.
V Kal. Jan. sanctorum Infantum, quos Herodes occidit.
Nonas Jan. depositio sancti Deogratias et Eugeni Episcoporum.
VIIJ Id. Jan. sanctum Epefania.
VJ Idus Jan. depositio Quodvuldeus Episcopi.
IIJ Idus Jan. sancti martyris Salvi.

(Carthaginensem hunc Catalogum videsis in appendice hujus tomi ex integro expressum, cum uberioribus Mabillonii notis.)

par là à même de juger comment, au moyen de la confrontation des calendriers des diverses églises, il devint aisé de rédiger ce fameux martyrologe de l'Église Romaine dont parle saint Grégoire le Grand à Eulogius, et dans lequel il dit expressément qu'on trouvait le jour précis auquel chaque martyr avait souffert (*a*). Enfin tous ces détails que nous nous plaisons à accumuler auront abondamment servi à prouver que l'on ne saurait sans témérité prétendre qu'il était impossible au quatrième siècle de déterminer dans le détail les menues circonstances du temps de chaque pontificat : nous allons maintenant répondre à nos adversaires protestants.

La première objection, qui est commune à Dodwel (*b*) et à Pearson (*c*), est que saint Irenée et saint Epiphane qui ont cité la succession des Pontifes Romains dans leurs traités contre les hérétiques, Eusèbe, Rufin, saint Prosper et les autres historiens et chroniqueurs qui l'ont insérée dans leurs récits, n'ont point, ni les uns ni les autres, déterminé dans le même détail que le Catalogue de Libère les années, les mois et les jours du siége de ces évêques de Rome. Rien n'est plus aisé à résoudre que cette difficulté. Pourquoi les saints docteurs Irénée et Epiphane, auxquels on eût pu joindre encore saint Optat et saint Augustin, eussent-ils cité si minutieusement aux hérétiques les mois et les jours des Pontifes Romains, tandis qu'ils n'avaient besoin que d'en montrer simplement la succession pour fermer la bouche à tous les novateurs ? Quant aux chroniqueurs, qui ne voit que ce détail si multiplié de mois et de jours les eût fait sortir du genre de leur travail, qui consiste uniquement à tracer les principales lignes chronologiques et non point à sonder ces particularités indifférentes ? Enfin, quand bien même la nature du travail historique que s'étaient imposé Socrate, Sozomène, Théodoret, eût exigé qu'ils entrassent dans ces minuties que doit négliger la chronique, quoi d'étonnant que ces auteurs les eussent ignorées dans l'Orient où ils écrivaient, tandis que Rome gardait en toute certitude ces traditions domestiques ?

Pearson, qui a été frappé comme nous de l'argument qu'on peut former en faveur des supputations de mois et de jours dans le Catalogue de Libère, par la considération des usages de l'ancienne Eglise qui conservait soigneusement les mémoires anniversaires des martyrs, fait tous ses efforts pour échapper aux conséquences que nous en tirons (*d*). Il regarde comme nous le calendrier romain que nous venons de citer comme un monument fort respectable et très-important pour la chronologie des Papes dont il renferme les jours de *Déposition;* mais il se jette dans une assertion toute gratuite, lorsqu'il prétend que l'auteur du Catalogue de Libère n'a pas eu d'autres mémoires pour dresser le compte des mois et des jours qu'il a assignés aux différents Papes, et que, comme ce calendrier, suivant Pearson, ne renferme la *Déposition* que de douze Papes, de saint Lucius à saint Jules, le rédacteur du Catalogue a dû prendre nécessairement dans son imagination les circonstances de temps qu'il a attribuées aux pontificats précédents.

Nous répondons d'abord qu'il n'est pas exact de ne compter que douze *Dépositions* d'Évêques dans le calendrier, lorsqu'en examinant de plus près il est facile d'en trouver encore quatre autres sous le titre de *Dépositions des martyrs*, savoir de saint Fabien, XIII *Kal. Feb.;* de saint Sixte, VIII *Id. Aug.;* de saint Calixte, *Pridie Id. Nov.* et de saint Clément, V *Id Nov.* Donc, seize en tout auxquelles nous serions en droit d'ajouter encore saint Pierre, dont le jour du martyre est marqué III *Kal. Jul.* Maintenant, parce que ce précieux calendrier est arrivé jusqu'à nous, est-il sensé de conclure qu'il était la seule indication qu'on pût trouver au troisième siècle sur les jours de décès de trente Papes qui avaient siégé jusqu'alors, et cette conjecture négative toute gratuite peut-elle prévaloir sur les graves motifs à l'aide desquels nous avons cherché à démontrer au bon sens du lecteur qu'une institution religieuse aussi forte et aussi puissante que l'Église Romaine devait avoir, après trois siècles de durée, des titres un peu plus étendus et circonstanciés que ceux que nous pouvons aujourd'hui enregistrer en deux pages?

L'auteur du Catalogue de Libère aura eu entre les mains le calendrier et s'en sera servi pour composer sa chronique, nous dit Pearson. Pour nous, nous aimerions tout autant dire que ces deux opuscules ont été simultanément composés sur des mémoires antérieurs; car l'auteur du Catalogue de Libère ne saurait avoir pris sur le calendrier les fastes consulaires dont il se sert, puisqu'ils n'y étaient pas, mais en revanche l'auteur du calendrier pourrait bien

XVIIII Kal. Feb. sancti Felicis Nolensis.
XVJ Kal. Feb. sanctorum Rubrensium.
XIV Kal. Feb. sanctorum Tertullensium et Fiariensium.
XIIJ Kal. Feb. sancti martyris Sivastiani.
XIJ Kal. Feb. sanctæ martyris Agnes.
XJ Kal. Feb. sancti martyris Vincenti.
VIIJ Kal. Feb. sancti martyris Agelei.
Kalend. Feb. sanctorum Luciani et Vincenti martyr.
IV Non. Feb. sanctorum Carteriensium.
Nonas Feb. sanctæ martyris Agatæ.
V Idus Feb. sanctorum Filicis, Victoris, et Januarii.
XIV Kalendas Mart. sanctorum martyrum Macrobi, et Lucillæ, Nundinari, Cæcilianæ et Petrensium.

(Vide, si lubet, in hunc Carthaginensem catalogum notas Mabillonii amplissimas, quas ad calcem hujus tomi reperies sub titulo ADDENDA.)

(*a*) Pene omnium martyrum, distinctis per singulos dies passionibus, collecta, in uno codice nomina habemus..... Non tamen in eodem volumine quis qualiter sit passus indicatur, sed tantummodo nomen, locus, dies passionis ponitur. (Regest., lib. VII, epist. 29.)

(*b*) Dodwel, *De Romanorum Pontificum primæva successione*, cap. XV, pag. 225.

(*c*) Pearson, *De successione primorum Romæ episcoporum*, cap. IV, p. 17.

(*d*) *Ibid.*, pag. 18, 19 et 20.

avoir rédigé d'après le catalogue les dates de décès des souverains Pontifes; quoique cependant nous ne prétendions pas l'affirmer, mais simplement opposer une probabilité à une assertion dépourvue de toute ombre de vraisemblance.

Mais, dit encore Pearson, on peut tirer des annales même du siége de Rome la preuve certaine que tout ce qu'il y a d'authentique dans les fastes de la Papauté des trois premiers siècles se trouve sur le *Calendarium* du P. Boucher; car les douze Evêques dont on donne la date certaine de Déposition sont postérieurs à Fabien qui établit les notaires et fonda, au milieu du troisième siècle, les archives de l'Eglise Romaine, qui n'en avait pas jusqu'alors. Comme nous établirons dans le volume suivant que l'institution des notaires du siége apostolique date du premier siècle, et non du troisième, et que nous ne pouvons entamer ici cette intéressante discussion, nous nous bornerons à répéter ce que déjà nous avons eu occasion de remarquer plusieurs fois, c'est-à-dire que des notes sur les noms, les années, les mois et les jours des évêques de Rome, ne formaient point une œuvre si considérable, qu'on soit obligé de se figurer un corps de notaires officiellement occupé à l'accomplir; que l'on ne peut supposer sans absurdité que l'Eglise Romaine, qui jouait dès lors un si grand rôle, comme on le voit par l'affaire de la Pâque, et qui adressait aux autres Eglises des épîtres si puissantes, dès le temps de saint Clément, aurait traversé plus de deux siècles sans avoir même songé à créer pour ses propres besoins aucune espèce d'archives; en sorte que saint Fabien, appelé à la gouverner, l'eût trouvée muette sur tout son passé si fécond, si glorieux pourtant, sans souvenirs ni écrits, ni monumentaux, en un mot connue de toutes les églises, suivant saint Irenée, et ne se connaissant pas elle-même. En vérité, le docte Anglican compte par trop sur la simplicité de ses lecteurs, et nous ne saurions assez nous étonner que les paradoxes de son ouvrage n'aient pas plus tôt été réfutés par les auteurs catholiques.

Toutefois, comme il n'est jamais d'erreur qui n'ait eu son prétexte plus ou moins fondé, nous reconnaîtrons volontiers que depuis environ l'époque de saint Fabien, c'est-à dire à partir de la moitié du troisième siècle, on trouve dans le Catalogue de Libère plus de positif dans les détails, des dates moins flottantes, mais plus précises et plus circonstanciées. On voit que depuis cette époque il a été mis plus de soin dans la rédaction des mémoires, et que les améliorations du saint Pape ont produit leur fruit dans les archives du Siége Apostolique. De son côté, l'auteur du catalogue a enregistré les monuments tels qu'il les a trouvés, sous leur forme plus ou moins disparate, sans essayer de donner à son œuvre une unité de couleur qu'un faussaire n'eût pas manqué de rechercher; et ceci nous ramène encore à notre conclusion, que dans l'assignation qu'il a faite des années, des mois et des jours de chaque Pape, en même temps que son autorité ne peut manquer d'être très-grande, sa bonne foi reste pleinement à couvert.

Nous n'avons que quelques mots à dire sur l'authenticité des faits insérés, outre les notions chronologiques, dans le Catalogue de Libère. D'abord, ils sont très-peu nombreux. C'est, au Pontificat de saint Pie, une note sur Hermas, l'auteur du *livre du Pasteur*, que l'on dit avoir été frère de ce Pape. Ce livre est certainement d'Hermas et existe encore. La parenté de son auteur avec saint Pie est une question débattue entre les savants. A l'article de saint Pontien, il y a quelques lignes dans lesquelles on dit qu'il fut relégué en Sardaigne et qu'il y fut martyrisé. Rien de moins suspect que cette tradition si simple et si peu ambitieusement racontée. Sur saint Fabien, il est dit qu'il divisa les régions aux diacres et fit faire des constructions dans les cimetières. Nous prouverons plus tard la certitude de ces renseignements. Ce qui est dit de Moïse, Maxime et Nicostrate, ainsi que de Novat et de Novatien, est appuyé abondamment sur les lettres de saint Cyprien. On peut vérifier à la même source les faits allégués au Pontificat de saint Corneille. La note sur l'exil et le retour de saint Lucius ne présente pas non plus de matière à contestation. Personne ne doute de la persécution de Dioclétien et de Maximien, de laquelle il est parlé à l'article de saint Marcellin. Enfin, rien n'est plus aisé à justifier que les détails insérés au Pontificat de saint Jules sur la construction des basiliques qui le reconnaissent pour leur fondateur.

Nous terminons ici ce que nous avions à dire sur le Catalogue de Libère; et nous éprouvons en même temps le besoin de répéter que si nous donnons ce monument comme antique et vénérable, nous sommes loin de dissimuler les imperfections qu'il présente. Il en est qu'il faut mettre sur le compte des copistes, d'autres qu'on doit attribuer à l'injure des temps; plusieurs peut-être qui seront venues de l'insuffisance des mémoires, auxquels, dans telle ou telle circonstance, le compilateur aura cherché à suppléer par des conjectures plus ou moins heureuses. L'assignation des consuls à certains Pontificats est évidemment fautive et jette plusieurs fois une certaine confusion dans les années. Outre les explications générales que nous venons de donner, nous aimons assez le système du Père Henschenius, qui conjecture que plusieurs fois des personnages élevés à la Papauté ayant été quelques années vicaires de leur prédécesseur, comme saint Clément le fut de saint Lin et de saint Clet, on aura confondu l'année de leur ordination épiscopale avec celle de leur avénement au Saint Siége, et il n'en aura pas fallu davantage pour engendrer une confusion devenue presque irrémédiable par le laps de temps (*a*). De même pourrions-nous, en adoptant avec modération une autre idée du sa-

(*a*) *Diatriba in Catalog. Rom. Pont. Acta SS. April.*, tom. I.

vant jésuite, fortement combattue par le Père Pagi (a) en ce qu'elle est fausse dans sa généralité, expliquer quelques erreurs commises sur les jours et les mois, au moyen d'une méprise commune qui eût fait prendre pour le jour de la mort de tel ou tel Pape celui de sa sépulture, inscrit par un motif ou par un autre au calendrier. Nous laissons d'ailleurs ces hypothèses pour ce qu'elles sont; mais devant quelquefois combattre et réformer le Catalogue de Libère dans certains détails, nous devions au public cette explication franche, qui n'affaiblit en rien à nos yeux l'importance de ce monument, l'un des plus authentiques de toute l'antiquité chrétienne.

(a) *Critic. Annal.*, tom. I.

ANNO DOMINI CCCLXXX-CCCXCIV.

THEODOSIUS MAGNUS ET PACATUS.

Pars prima.

EXHIBENS PANEGYRICUM PACATI THEODOSIO MAGNO DICTUM, IN VICEM PRÆFATIONIS AD ILLIUS IMPERATORIS OPERA.

(Ex Panegyric. Vett. Jacobi de la Baume.)

INTRODUCTIO AD PANEGYRICUM.

§ I. *Index chronologicus gestorum Theodosii.*

Anno U. C. 1098, *Christi* 345, *Constantini imp.* 9.

Flavius Theodosius Senior, sive Magnus, patre non Theodoro, ut ait Aur. Victor, sed Theodosio, et matre Thermantia, nascitur in Hispania, ubi educatus est in urbe Cauca Gallæciæ provinciæ, ut refert Zosimus, vel ut Marcellinus ait, Italicæ in Trajani, a quo genus ducebat, patria.

An. U. C. 1119, *Christi* 366, *Valentiniani et Valentis Augg. imp.* 3, *Theodos. ætat.* 21.

Cum esset adhuc adolescens præclara habuit in patre bellicæ virtutis exempla, namque is Francos, et Saxonas ad Rhenum et Vahalim in Batavia, et ad Bononiam attrivit.

An. U. C. 1120, *Christi* 367, *Valentiniani et Valentis Augg. imp.* 4, *Gratiani imp.* 1, *Theodos. ætat.* 22.

Theodosius pater in Britanniam cum exercitu missus quadriennio totam pacat, Valentinum tyrannum opprimit. Utroque in bello Theodosium sub patre meruisse indicat Ammianus, cum ait Maximum antequam in Britannia tyrannidem reprimeret, *Theodosii principis in Britannia commilitonem fuisse.*

An. U. C. 1123, *Christi* 370, *Valentiniani et Valentis Augg. imp.* 7, *Gratiani imp.* 4, *Theodos. ætat.* 25.

Theodosius pater post pacatam Britanniam Constantinopolim redit.

An. U. C. 1125, *Christi* 372, *Valentin. et Valent. Augg. imp.* 9, *Gratian. imp.* 6, *Theodos. ætat.* 27.

Dum pater tum equitum magister Alamannos metu dispersos aggressus per Rhætias partim cædit, partim in Italiam abducit, ipse Mœsiæ dux cum esset, bellum contra Quados infelici exitu susceptum instaurat et Sarmatas reprimit (*Ammianus l.* XXVIII).

An. U. C. 1126, *Christi* 373, *Valentin. et Valent.* 10, *Gratiani* 7, *Theodos. ætat.* 28.

Theodosius pater Firmum Africæ tyrannum ad deditionem cogit, atque iterum rebellantem ad laqueum adigit (*Ammianus*). Idem Carthagine in Africa post susceptum baptismum iniquissima nece affectus est a Valente, quod huic de successore per magicas artes inquirenti, prima illius nominis elementa prodita fuissent Theod. Theodorus vero quod sibi ob affinitatem nominis imperium præsumeret, scelestæ cupidinis justas pœnas persolvit. Quæsitus ad parem subeundam sortem Theodosii filius jam bellica virtute clarissimus fuga suæ saluti providit.

An. U. C. 1132, *Christi* 379, *Gratiani* 13, *Valentin. jun.* 5, *Theodos. ætat.* 34.

Cum Gratianus imperium a Germanis Gothisque gravissime vexatum videret, Theodosium ex Italica patria, quo se post patris mortem ad declinandam Valentis ferociam receperat, evocatum imperii consortem facit Sirmii (quæ civitas est Illyrii) XIV aut juxta Socratem XVII kal. Febr. Statim Gratianus in Occidentem profectus Alamannos vincit. Theodosio committitur Orientis cura. Is Gothos, Scythas, Taifalos, Hunnos, fœderatis viribus adversus se congressos cum magna strage e Thracia pellit, a quibus acceptis obsidibus firmata pace ad Gratianum redit. (*Sozom.*, *Idat.*, *Prosper.*, *Theodoret.*)

An. U. C. 1133, *Christi* 380, *Gratiani* 14, *Valentin. jun.* 6, *Theodosii* II *imp.* 2, *ætat.* 35.

Theodosius primum consul Thessalonicæ gravi morbo correptus ab Acholio ejus urbis antistite viro sanctissimo baptizatur, statimque convalescit. Sancit III kal. Mart. ut ne quis aliam fidem profiteretur,

nisi quam Damasus pontifex Romanus et Petrus Alexandrinus a divo Petro acceptam fidelibus præscripserant. Procurante Gratiano, propterea quod, ut ait Socrates, Theodosius ægrotaret : pax firmatur cum Gothis VIII kal. Decemb. Maximum philosophum Cynicum, de quo multa in Juliani Vita dicta sunt, e Constantinopolitana, cui is præerat, ecclesia pellit Theodosius (*Greg. Nazianz.*). Constantinopolim ingressus XVIII kal. Dec., Arianis ecclesias adimit. Gregorium Nazianzenum in ecclesiam introducit VI kal. Decemb. (*Socrates, Idatius, Marcellinus Comes*).

An. U. C. 1134, *Christi* 381, *Gratiani* 15, *Valentin. jun.* 7; *Theodos. imp.* 3, *ætat.* 36.

Theodosius Athanaricum Gothorum regem a suis pulsum, suam opem Constantinopoli implorantem perhonorifice excipit III id. Januar. eumdemque VIII kal. Febr. mortuum regiis plane exsequiis cohonestat. Qua Theodosii magnificentia deliniti Gothi ab incursationibus abstinent (*Idat., Zosimus, Prosper., Marcell. Comes*). Eodem anno secunda synodus œcumenica Constantinopoli habita est, in qua ab 150 episcopis contra Macedonium de Spiritus sancti divinitate decretum editum est cum fidei Symbolo.

An. U. C. 1135, *Christi* 382, *Gratiani* 16; *Theodos. imp.* 4, *ætat.* 37.

Theodosius Valentiniani Magni, anno Christi 375, in Galliis apud Bergentionem cum Quadorum legatis responsum daret, apoplexia mortui cadaver deportatum IX kal. Mart. regia munificentia excipit. Interim Clemens Maximus (sic enim a Severo appellatur) origine Britannus in Britanniis tyrannidem occupat, et sede imperii Treveris collocata, victorem filium imperii consortem adhibet (*Zosimus, Socrates, Aurel. Victor*).

An. U. C. 1136, *Christi* 383, *Gratiani* 17, *Valentin.* 9; *Theodos. imp.* 5, *ætat.* 38.

Theodosius filium Arcadium Augustum facit XVII, vel, ut ait Socrates, XIV kal. Febr., ad quem moderandum Arsenius vir non minus integritate morum, quam eruditione insignis, a Damaso Papa Constantinopolim mittitur. Cum Maximus tyrannus Gratianum Germanicis bellis debilitatum aggressus Lugduni VIII kal. Sept. dolo per Andragathium peremisset, is a Valentiniano ad imperii societatem, at ex necessitate, admittitur. Theodosius ejus legatis id ipsum a se postulantibus nihil certi respondit, ne insidiæ quoque Valentiniano juniori ab eodem Maximo struerentur, antequam collectis copiis pupilli imperatoris puericiam armis posset tutari. Hoc subodoratus tyrannus, quamvis fœdus cum Valentiniano inisset, Mediolanum ubi Valentinianus versabatur venturus, numerosum exercitum apparat. Ille cum matre Justina et Probo Hyparcho Thessalonicam fugit, Theodosii opem imploraturus. Martinus Maximo prædixerat futurum ut si in Italiam adversus Valentinianum veniret, primo quidem impetu victor esset, at parvo post tempore periret, ut reipsa contigit.

An. U. C. 1137, *Christi* 384, *Valentin.* 10; *Theodosii imp.* 6, *ætat.* 39.

Theodosius Persarum legatis ad se Constantinopolim pacis petendæ causa missis votum eo lubentius annuit quod de bello adversus Maximum gerendo cogitaret. Relicto itaque Constantinopoli Arcadio filio cum Augusti nomine, Valentinianum Thessalonicæ convenit. Interim ei ex Placilla uxore, ut aiunt Idat. et Marcell., nascitur Honorius V id. Septemb. Themistius sextam orationem Theodosio panegyricam dicit. Iterum Ambrosius ad Maximum legatus mittitur ad Gratiani corpus repetendum.

An. U. C. 1138, *Christi* 385, *Valentin.* II; *Theodosii imp.* 7, *ætat.* 40.

Theodosius Arcadio Augusto consulatum dat.

An. U. C. 1139, *Christi* 386, *Valentin.* 12; *Theodosii imp.* 8, *ætat.* 41.

Honorium Cæsarem simul et consulem facit; ipse una cum Arcadio triumphans, ut referunt Idatius, Marcellinus, Zosimus, Constantinopolim ingreditur IV id. Octobris ubi Placilla priore conjuge exstincta, Gallam Placidiam Valentiniani Senioris et Justinæ filiam ea conditione ducit, inquit Zosimus, ut jam meditatam animo et promissam sæpius adversus Maximum expeditionem ocyus conficeret : promissis stetit, statimque Justinam cum filio Valentiniano et filia Galla navibus impositam Romam ablegat.

An. U. C. 1140, *Christi* 387, *Valentin.* 13; *Theodosii imp.* 9, *ætat.* 42.

Theodosius cum filio Arcadio, ut ait Idatius, quinquennalia celebrat indictionibus et ludis. Sub id tempus teste Marcellino Maximus repente in Italiam, quo Valentinianum cum matre et sorore advenisse audierat, irrumpit. Ille metu perculsus iterum Thessalonicam ad Theodosium fugit, cui quidem tendere in transitu insidias Maximus frustra nititur.

An. U. C. 1141, *Christi* 388, *Valentin.* 14; *Theodos. imp.* 10, *ætat.* 43.

Cum Theodosius secundum consul ad bellum contra Maximum sese compararet, novum quoddam tributi genus Antiochenis indixerat. Illi exacerbati Placillæ statuam eversam per ludibrium raptant, qua injuria vehementer commotus Theodosius, missis jam qui pœnas expeterent militibus, Flaviani Antiochensium episcopi sancti et prudentis viri legatione placatur. Interim Maximus tota, præter Mediolanensem urbem quam episcopi sui Ambrosii sanctitas et industria servavit, vastata Italia in Urbem cogitabat. Quare Theodosius sanctorum inprimisque Joannis Anachoretæ ac Senuphii precibus commotus Aquileiam contendit. Hic, ut ait Socrates, Maximi exercitum plane delet VI kal. Sept., eumque captum et a Theodosii oculis abductum irati milites regiis ornamentis exuunt et interficiunt tertio ab Aquileia milliario, kal. Aug. Victor Maximi filius haud multo post per Arbogastem comitem in Galliis occiditur (*Zosimus*). Andragathius ejus comes, qui fretum Ionium tenebat cum ingenti classe, audita Maximi nece sese præcipitem in mare misit.

An. U. C. 1142, *Christi* 389, *Valentin.* 15; *Theodosii imp.* 11, *ætat.* 44.

Theodosius Mediolano digressus cum Valentiniano et Honorio filio suo admodum adolescente quem Constantinopoli eam ob rem ad se evocarat, victor ingreditur, idibus Junii, Valentiniano non Italiam modo quam tenuerat, sed et Gallias, Hispanias, Britanniasque omnes quas ipse numquam, sed soli pater avusque habuerant, ultro restituit. Hic Latinus Pacatus orationem panegyricam victori Theodosio dixit. *Justina autem*, Valentiniani mater, *ne regnum cum filio reciperet, morte præventa est* (*Prosper Pithœi, Sozomen.*)

An. U. C. 1143, *Christi* 390, *Valentin.* 16; *Theodos. imp.* 12, *ætat.* 45.

Thessalonicenses Boterichum in Illyrico militiæ præfectum perimunt: quare ita exarsit imperator ut populum ad circenses ludos invitatum sine discrimine per milites eam ob rem in theatrum immissos ad septem hominum millia interfici jusserit. Id post cæsum Eugenium contigisse ait solus Sozomenus. Ut ut est, Theodosius publicam pœnam ab illo impositam insigni pietatis exemplo persolvit (*Rufin., Theodor., Paulin. in Vita S. Ambr., Prosper*). Galla Theodosii conjux per Arcadium privignum suum ejicitur (*Marcellin.*).

An. U. C. 1144, *Christi* 391, *Valentin.* 17; *Theodosii imp.* 13, *ætat.* 46.

Theodosius cum cætera omnia præclare dispensasset, urbis gubernationem Valentiniano reliquit. Inde cum filio (Honorio) *Constantinopolim iter capit, eoque adventat iisdem Tatiano, Symmachoque coss.* IV *idus Novemb.* (*Socrates*).

An. U. C. 1145, *Christi* 392, *Valentin.* 18; *Theodosii imp.* 14, *ætat.* 47.

Valentiniano ab Arbogaste comite apud Viennam in Gallia occiso; *Arbogastes oriundus e gente Francorum, quem secundum a Baudone duce* viro ejus temporis omnium potentissimo, *locum Gratianus imperator obtinere jusserat, illo rebus humanis exempto, fretus industria sua, citra principis auctoritatem, imperium sibi militare vindicaverat.* Is habebat in aula sibi a Ricomere commendatum et traditum ludi litterarii magistrum Eugenium, cui summa doctrina pari conjuncta vitæ integritate et morum elegantia magnam in Galliis auctoritatem fecerat. Igitur amoliturus a se affectatæ tyrannidis invidiam, simul ut ipse sub ejus nomine administraret imperium, hunc Augustum in occidente acclamat.

An. U. C. 1146, *Christi* 393; *Theodos. imp.* 15, *ætat.* 48.

Theodosius tertium consul contra tyrannum Eugenium ante sibi conciliato precibus ac jejuniis divino numine, relictoque Constantinopoli Arcadio, atque etiam, si Socrati credimus, Honorio, quem Augustum in Hebdomo renuntiarat IV id. Januar. ut ait idem Socrates, vel, ut alii omnes volunt II kal. Decemb., cum numerosissimo Transistrianorum exercitu, quibus Gainem et Saulum præfecerat, Alpes ingreditur.

An. U. C. 1147, *Christi* 394; *Theodos. imp.* 16, *ætat.* 49.

Theodosius primo quidem prælio quod Septembris initio datum, decem millia suorum perdidit: *ita permittente Deo*, inquit Rufinus, *non ut Theodosius vinceretur, sed ne per barbaros vincere videretur.* Nocte vero prostratus in pedes Theodosius ab Apostolis duobus de victoria, quam ante Joan. Anachoreta, Theodosiusque sibi prædixerant, certior fit. Igitur pugna postridie mane commissa ad ripam amnis cui nomen Frigida, prope Aquileiam, sublatus repente ventus vehementior, excutere clypeos de manibus hostium, abripere scuta, tela in ipsorum ora retorquere. Hic vero incredibilis Eugenianorum pavor et strages sese suis sagittis confodientium. Eugenius captus, ac detractis insignibus imperatoriis cum demississime vitam precaretur, interfectus est. Arbogastes rebus desperatis *biduo post prælium fugiens sua se manu perculit* (*Orosius*).

An. U. C. 1148, *Christi* 395; *Theodos. imp.* 17, *ætat.* 50.

Theodosius Aquileia, ubi post cæsum Eugenium aliquandiu restiterat, Mediolanum reversus Arcadium et Honorium Constantinopoli ad se evocatos in ecclesia suscipit, et Ambrosio traditos commendat. Honorium unum evocatum esse aliqui asserunt, eumque a Serena Stiliconis conjuge et Theodosii ex fratre nepte ad eum esse deductum, ac Stiliconis tutelæ commissum. His rebus ita compositis Theodosius aqua intercute XVII kal. Febr. de nocte, cum ipse mane ludis circensibus interfuisset, obiit ætatis anno non 60, ut vult Socrates, sed 50, imperii vero 17 (*Victor, Prosper, Marcellinus*). Corpus ejus magna pompa Constantinopolim translatum ibique sepultum est.

Non alius imperator aut plura aut difficiliora bella fortius suscepit, confecit celerius et gloriosius; ut dubitari possit, fortior fuerit, an felicior. Non sibi, sed aliis vincebat: oppressorum regum defensor simul et strenuissimus, et integerrimus. Vir animo rerum omnium capaci, quique, ut nomen ipsum indicabat, ad totius orbis bonum et pacem divino quodam munere concessus videretur. Ad hæc Christianæ religionis pietate insignis, perpetua belli consuetudine nihilum efferatus, in omnes officiosus, imperatorum nulli secundus, si ad cæteras virtutes in iracundia moderatio accessisset.

§ II. *De auctore et anno hujus panegyrici.*

Hujus orationis auctor est Latinus Pacatus Drepanius, non Italus, aut Siculus, ut inepte quidam suspicantur, sed natione Gallus, ut apparet ex paneg. n. 24: *Unde igitur ordiar*, inquit Pacatus, *nisi a tuis, mea Gallia, malis?* Patria Burdegalensis fuit, ut Elias Vinetus in Ausonium notat ex paneg. n. 2, ubi idem Pacatus Transalpinum se dicit, et ex ultimo Galliarum recessu. *Qua litus*, inquit, *oceanicadentem*

excipit solem, ac deficientibus terris sociale miscetur elementum. Præterea fuit ei cum Ausonio Burdegalensi magna familiaritas, qui eum proconsulem non uno in loco appellat, ipsique nonnulla opuscula, ut epigrammata, ludum sapientium, technopægnion, et grammaticomastigem inscripsit. Eumdem eximium poetam appellat Idyl. 7. Tamen utrum idem fuerit cum eo, cujus exstant psalmi, hymnique aliquot, ac alia carmina, et in iis epistola elegiaca ad Augustodunensem episcopum, dubitat idem Elias Vinetus in Ausonium. Noster vero Petrus Franciscus Chiffletius in Paulino illustrato negat hunc Pacatum nostrum eumdem fuisse atque is, qui ad Uranium scribens S. Paulini Vitam vincta numeris oratione scripturum se receperat. Sed hunc Pacatum nostro tribus et quadraginta annis juniorem ait ad quem Symmachus mittit epistolam 12 l. VIII, et ep. 58 et 69 libri IX.

Pronuntiatus est hic panegyricus an. Christi 391, secundum Haloandri rationes, ad kal. Septembr. ut tradit Marcellinus Comes; Romæ, quo relatam de Maximo tyranno victoriam gratulaturus e Gallia missus erat; coram imperatore, quem compellare præsentem videtur; spectante senatu, ut ipse ait panegyrici hujus initio.

§ III. *Synopsis panegyrici.*

Exordium. — Cum multa sibi dicenti metum afferant, tum in primis commoveri se ait, quod coram imperatore, coram senatu, Romæ, homo Gallus dicat: accedere se tamen ad laudandum Theodosium; et quia longo locorum intervallo eam ob rem Romam venerit, et quia laudandi principis nulla incumbit necessitas.

Distributio. — Videtur hæc esse: I. vita Theodosii privata; II. vita ejusdem publica laudatur.

Prima pars. — Theodosius difficillimis temporibus ideo a Gratiano in imperii societatem adsciscitur, ut inclinantem in præceps rempublicam sustineat (*n.* 2). Non alium eligendum fuisse declarant, ejus patria (*n.* 4), parentis victoriæ, domus splendor (*n.* 5), formæ præstantia (*n.* 6), ætas integra et matura imperio (*n.* 7). A fortunæ donis transit ad animi dotes. Usus belli quo puer jam fingebatur ad imperium (*n.* 8), res præclare in bello gestæ (*n.* 10), modestia in recusando imperio (*n.* 11), in eodem administrando minuendisque palatinis sumptibus frugalitas, in sanciendis legibus providentia (*n.* 13); in iis quibus committeret arcana, quos promoveret ad magistratus, seligendis prudentia (*n.* 15); egregia in amicos fides (*n.* 16), in exsequendis promissis religio (*n.* 17); erga eos quorum ambitioni pro magistratuum paucitate facere satis non poterat, singularis humanitas commendatur (*n.* 20).

Secunda pars. — De publicis ejus virtutibus. Quam bonus et civilis in admittendis ad se omnibus, in eorum querelis audiendis (*n.* 21). De vultu non minus hostibus, quam civibus notus. Memorantur ejus victoriæ de Gothis, Hunnis, Saracenis, Scythis, Albanis, et Persis (*n.* 22). In extremam Galliarum partem cum exercitu progreditur adversus Maximum Galliæ tyrannum, multarum legionum defectione (*n.* 23), quinquennii impunitate inflatum; peremptо Gratiano in Gallia cædibus, rapinis, et omni genere crudelitatis grassantem (*n.* 24). Non sine divino auxilio factum, ut tyrannus ille fœdus cum Theodosio utcumque initum violaret (*n.* 30), ut Theodosii adventum sustinere non potuerit (*n.* 31), ut ad Asciam fluvium fusus ac plane deletus sit (*n.* 32), ut Marcellini pariter exercitus profligatus sit (*n.* 35). Theodosius abjicienti arma vitam condonat (*n.* 36). Hæmonam ingreditur victor: quanto populorum concursu (*n.* 37). Maximus quo fugiat incertus, Aquileia se includit (*n.* 38). Huc cum exercitu mira celeritate convolat Theodosius (*n.* 39); singulas imperatoris virtutes in hujus triumphi partem venisse: in primis felicitatem qua factum est ut Maximus voluntaria nece turpiorem, qualis sceleri debebatur, mortem non effugerit (*n.* 40); ut spoliatus regiis ornamentis ad Theodosii pedes captivus adductus (*n.* 43); ut statim ab imperatoris conspectu abductus eo inscio peremptus sit (*n.* 44); futurus posteris vindicatæ tyrannidis exemplum. Laudatur summa victoris clementia (*n.* 45), Cinnæ, Syllæ, Marii, Cæsaris dissimilis (*n.* 46). Theodosii in Urbem ingressus. Leges ab eo sapienter instauratæ (*n.* 47).

Conclusio. — Postremum sibi gratulatur, quod tantarum rerum testis futurus e Gallia Romam venerit. Quanta alacritate excipiendus sit a suis civibus, ea quæ ibi viderit narraturus; qua auditorum frequentia stipandus, et quam multa poetis et oratoribus suppeditaturus argumenta scribendi.

INCIPIT PACATI PANEGYRICUS.

I. Si quis unquam fuit, imperator Auguste, qui te præsente dicturus [1] ante trepidaverit, eum profecto me esse et ipse sentio, et his [a] qui consilium tuum participant videri posse video. Nam cum te semper

INTERPRETATIO.

[a] *Qui tibi sunt a consiliis.*

NOTÆ.

I. — [1] *Ante trepidaverit.* In Pithœano codice est, *jure trepidaverit*; Bertiniensi, *in re trepidaverit*, in aliis *ore trepidaverit*.

ultra omnes retro principes laudari oportuerit, [a] nunc porro ultra quam alias prædicatus es, in ea urbe conveniat dicendo celebrari, cujus et libertatem [1] armatus asseruisti, et auxisti dignitatem togatus, quo tandem modo consequi majestatem utriusque vestrum oratione mea potero, hoc præcipue in tempore, quo [2] ambo ita mutuo crevistis, ut nec tu fueris adhuc major, nec illa felicior? Huc accedit auditor senatus, cui cum difficile sit pro amore quo in te præditus est de te satis fieri, [b] tum difficilius, pro ingenita [4] atque hæreditaria orandi facultate, non esse fastidio rudem hunc et incultum transalpini sermonis horrorem, præsertim cum absurdæ sinistræque jactantiæ possit videri, his ostentare facundiam, quam de eorum fonte manantem in nostros usque usus derivatio sera traduxit. [c] Quibus equidem cogitatis adeo sollicitor, ut non eos tantum hodie arbitrer interesse quos cerno, sed assistere obversarique dicturo Catones ipsos, et Tullios, et Hortensios, omnesque illos oratores putem, qui me [5] in posteris suis audiunt. Ita multiplici circumventus metu, quasi parum habeam timere quod video, [6] video quod timeam.

II. Quid ergo? novusne me pavor et [d] inopina trepidatio in ipso dicendi tempore deprehendit? Mihi vero ii omnes quibus [e] altrinsecus jactor æstus diu ante meditati, longeque prospecti sunt. Sed cum admiratione virtutum tuarum [1] ab ultimo Galliarum recessu, qua littus Oceani cadentem excipit solem, [f] et deficientibus terris sociale miscetur elementum, ad contuendum te, adorandumque properassem, ut bona quæ auribus ceperam etiam visu usurparem: timui, fateor, laboris officium ipsa taciturnitate corrumpere. [g] Ita dum obsequio interpretor impudentiam, dum in eumdem hominem non puto convenire gaudium et silentium, duas res diversissimas junxi: metum et temeritatem. Quin et illud me impulit ad dicendum, quod ut dicerem nullus adigebat. [3] Non enim jam coacta laudatio, et expressæ metu voces periculum [h] silentii redimunt. Fuerit, abieritque tristis illa [3] facundiæ ancillantis necessitas, [i] cum [4] trucem dominum auras omnes plausuum publicorum ventosa popularitate captantem mendax assentatio titillabat, cum gratias agebant dolentes, et tyrannum non prædicasse tyrannidis accusatio vocabatur. Nunc par dicendi tacendique libertas; et quam promptum laudare principem, tam tutum siluisse de principe. Libet igitur redditam postliminio securitatem loquendo experiri: libet inquam, quia neminem magis laudari imperatorem decet [j] quam quem minus necesse est.

III. [1] De te igitur mihi sermonis hujus auspicium erit ille felicitatis publicæ auspex [2] dies, qui te primus inauguravit imperio. Nam ut divinis rebus operantes in eam cœli plagam [5] ora convertimus a qua lucis exordium est, sic ego vota verborum quæ olim nuncupaveram soluturus, id oratione mea tempus arripiam quo Romana lux cœpit. Jacebat innumerabilibus malis ægra, vel potius dixerim, [6] exanimata respublica, barbaris nationibus Romano nomini velut quodam diluvio superfusis. [3] Sed parcam replicare causas, et [6] placatum vulgus offendere. Nam cum per se vivax sit recordatio calamitatum, tum [k] mihi metus hanc gaudiorum

INTERPRETATIO.

[a] *Nunc cum præter laudes quibus olim celebratus es, laudandus sis in ea urbe*, etc.

[b] *Propter innatam et quam a majoribus accepere facundiam, difficilius est ut impolita et imperfecta* hominis *trans Alpes nati oratio non tædio sit, atque adeo horrida* videatur.

[c] *Quod quidem ita me cruciat, ut*, etc.

[d] *Repentinus metus invasit.*

[e] *Utraque ex parte.*

[f] *Et extremis terris cingitur Oceanus, ad te videndum*, etc.

[g] *Sic dum obsequii nomine excuso impudentiam.*

[h] Quod est in *silentio.*

[i] *Cum improbi assentatores palpabant ferocem imperatorem publicos plausus inani ambitione aucupantem.*

[j] *Quam enim quem laudandi necessitas non incumbit.*

[k] *Vereor ne præsentis hujus lætitiæ sensum* rerum *tristium recordatione minuam.*

NOTÆ.

[1] *Armatus.* Nempe victo, cæsoque Maximo tyranno. *Togatus*, id est, sapientissimis legibus.

[2] *Ambo.* Roma, et Theodosius.

[4] *Atque hæreditaria.* In aliis est, *atque adeo hæreditaria.*

[5] *In posteris suis.* Quasi hodie in posteris suis reviviscentes huic meæ orationi coram intersint.

[6] *Video quid timeam.* Illud *video*, quod abest in editione Putеana, addendum visum est ex Livineio et Balduino. Sensus vero est, quasi non satis timoris incutiant, quæ versantur ob oculos, nempe senatus et imperator; occurrunt præterea aliæ timoris causæ, nempe veterum oratorum cogitatio, quos hic intueri mihi videor.

II.—[1] *Ab ultimo Galliarum recessu.* Ab Aquitania, ubi natum, et inde Romam missum Pacatum diximus.

[3] *Non enim.* Respexit ad illud Plin. paneg. n. 2: *Quare abeant voces illæ, quas metus exprimebat*, etc.

[3] *Facundiæ ancillantis.* Servilem in modum blandientis.

[4] *Trucem dominum.* Alludit ad Neronum, Domitianorumque tempora.

III.— [1] *De te igitur.* Pulmannus legit, *dei igitur mihi hujus sermonis initium ille*, etc. Ita etiam Ant. Sconhovius ex veteri codice.

[2] *Dies, qui te primus.* Dies quo Theodosius a Gratiano primum ad imperii societatem est adscitus, fuit decimus quartus aut juxta Socratem XVII kal. Februarii anni Christi 379.

[5] *Ora convertimus.* Fuit hæc olim paganorum itidem et Christianorum consuetudo, ut ad orientem solem conversi preces suas funderent. Tertull. Apologet. ad gentes de Christianis: *Suspicio est*, inquit, *solem nos adorare, quod innotuerit ad Orientis regionem precari: sed et plerique affectatione aliquando et cœlestia adorandi, ad solis ortum labia vibratis.*

[6] *Exanimata respublica.* A Germanis, Gothis, Scythisque gravissime vexata.

[3] *Sed parcam.* Id est, sed abstinebo a pervestigandis tot malorum causis. Infra n. 6, *parcam arcanum cœleste rimari.*

[6] *Placatum vulgus.* Alii legunt *placatum ulcus*, ut dicat nolle se vulnus illud imperii jam sanatum refricare.

præsentium lucem tristium commemoratione fuscare. Faciam ergo quod facere præstantes scientia medicos sæpe vidi; altorum vulnerum cicatrices, postquam cutem sanitate duxerunt, manu pendente tractabo, præsensisse, et singulos universosque rogitasse contentus, an cum inter omnes liqueret fessis rebus medendum, tali aliquo viro publicis gubernaculis admovendo, qui [7] imperatoris unius tueretur ætatem, [8] alterius juvaret laborem, potuerimus hujusmodi principem vel optare. In integro itaque rem totam esse faciamus, et in quodam orbis terrarum comitio quæri putemus quisnam sit ille qui debeat tantam molem subire, et nutantia Romanæ rei fata suscipere. Nonne is omnium suffragiis hominum [9] tributim centuriatimque legeretur, [10] cui felix patria, cui domus clara, cui forma divina, cui ætas integra, cui militarium civiliumque rerum usus contigisset?

IV. Cuncta igitur a capite proposito ordine prosequamur, jam profecto constabit eum principem declaratum qui et ab omnibus legi debuerit, et ex omnibus. Nam primum [1] tibi mater Hispania est, terris omnibus terra felicior, cui excolendæ, atque adeo ditandæ impensius quam cæteris gentibus supremus ille rerum fabricator indulsit. Quæ nec Austrinis obnoxia æstibus, nec Arctois subjecta frigoribus, media fovetur axis utriusque temperie. Quæ hinc [2] Pyrenæis montibus, illinc Oceani æstibus, inde Tyrrheni maris littoribus coronata naturæ solertis ingeni ovelut alter orbis includitur. Adde tot egregias civitates, adde culta, incultaque omnia vel fructibus plena, vel gregibus; adde auriferorum opes fluminum, adde radiantium metalla gemmarum. Scio fabulas poetarum, auribus mulcendis repertas, aliqua nonnullis gentibus attribuisse miracula; quæ [3] ut sint vera, sunt singula. Nec jam excutio veritatem. Sint, ut scribitur, [4] Gargara proventu læta triticeo, [5] Mevania memoretur armento, [6] Campania censeatur [7] monte Gaurano, [8] Lydia prædicetur amne [9] Pactolo; dum Hispaniæ uni quidquid ubique laudatur assurgat. Hæc durissimos milites, hæc [10] experientissimos duces, hæc facundissimos [11] oratores, hæc [12] clarissimos vates parit: hæc judicum mater, hæc principum est. Hæc Trajanum illum, hæc deinceps Adrianum misit imperio; huic te debet imperium. Cedat his terris [13] terra Cretensis parvi Jovis gloriata cunabulis, et geminis [14] Delos reptata numinibus, et alumno Hercule nobiles [15] Thebæ. Fidem constare nescimus auditis; deum dedit Hispania, quem videmus.

V. Erat justæ compensationis occasio, ut qui de patriæ tuæ laudibus pauca dixissem, [1] patris saltem virtutibus prædicandis prolixius immorarer; sed quid faciam? Novam quamdam patior ex copia difficultatem. Quid, inquam, faciam? Quæ [2] Rhenus, aut Vahalis vidit aggredior? Jam se mihi [3] Sarmatica cæde sanguineus Ister objiciet. Attritam pedestribus prœliis Bataviam referam? Saxo consumptus bellis navalibus offeretur. Redactum ad paludes suas Scotum loquar? Compulsus in solitudines avias omnis Alamannus, et uterque Maurus occurrent. Cum igitur impediat turba dilectum; ad hoc viri

NOTÆ.

[7] *Imperatoris unius.* Valentiniani junioris, qui mortuo patre apud Bergentionem in Galliis, ipse cum adhuc quadriennis esset, ibidem creatus erat imperator. *Epit. Victoris.*

[8] *Alterius.* Gratiani, qui cum Gothos, Taifalos, atque omnium atrocissimos Hunnos, et Alanos, a Thracia et Dacia expellere unus non posset, consortem imperii Theodosium ex Hispania evocavit.

[9] *Tributim, centuriatimque.* Unde comitia alia centuriata, alia tributa, alia curiata dicebantur.

[10] *Cui felix patria.* Habes hic totius orationis summam.

IV.— [1] *Tibi mater Hispania.* Theodosium genere Hispanum fuisse in ejus Vita diximus.

[2] *Pyrenæis montibus.* Hi sunt Hispaniæ limites. Pyrænæis montibus a Gallia dividitur, Oceano vero et mari Mediterraneo instar peninsulæ tribus lateribus circumflua est.

[3] *Ut sint vera.* Id est, *etiamsi vera essent:* quomodo apud Horatium Epod. lib. od. 1: *Non, ut adsit, auxili latura plus præsentibus.* Plura ejus generis exempla, referre abstineo, ne infinitus sim.

[4] *Gargara.* Vertex est montis Idæ; item oppidum est ad ejusdem montis radices, apud Ilium urbem, Pergamis proximum, ubi planities maximæ uberiatis.

Ipsa suas mirantur Gargara messes.
Virgil. Georg. I, 103.

[5] *Mevania.* Urbis Umbriæ ad Clitumnum fluvium in via Flaminia, Propertii patria, pascuis uberrima, quam ideo Lucanus l. I Tauriferam vocat:

Est qui Tauriferis ubi se Mevania campis, etc.

[6] *Campania.* Regio Italiæ inter Anienem fluvium et Tiberim, juxta mare Mediterraneum extensa, pars Latii antiqui.

[7] *Monte Gaurano.* Gauranum mons Campaniæ prope Puteolos.

[8] *Lydia.* Asiæ minoris regio, inter Ioniam ad occasum, Phrygiam Magnam ad ortum et boream, et Lyciam ad meridiem comprehensa.

[9] *Pactolo.* Pactolus Lydiæ fluvius aureis arenis notissimus.

[10] *Experientissimos duces.* Ut Viriathum ducem strenuissimum, qui cum C. Lælium prætorem, Q. Fabium Maximum Æmilianum proconsulem et Servilianum ejus fratrem consulem adversus se missos variis prœliis fregisset, tandem a Q. Servilio Cæpione, corruptis suis legatis, dolo peremptus est an. U. C. 614.

[11] *Oratores.* Puta Quintilianum et utrumque Senecam.

[12] *Clarissimos vates.* Lucanum Cordubensem, Martialem Bilbili haud ignobili oppido Celtiberiæ natum. Senecam eum qui tragœdias scripsit.

[13] *Terra Cretensis.* Insula haud multum distans a Peloponneso, Jovis natalibus inclyta (*hodie* Candie).

[14] *Delos.* Maris Ægæi insula ad quam Latona cum Diana et Apolline liberis adrepsit.

[15] *Thebæ.* Civitas Bœotiæ primaria ad Ismenum fluvium, Pindari patria.

V. — [1] *Patris.* Is Theodosius fuit, non ut Victori placet, Theodorus.

[2] *Rhenus, aut Vahalis.* Id tangit Zosimus l. IV: *Transrhenani barbari, qui quandiu Julianus superstes fuit, satis habuerant si nemo eos molestaret, Juliani morte nunciata, continuo sedibus egressi,* bellum movebant: adversus quos Theodosius a Valentiniano missus anno 366. Bataviam a Francis et Saxonibus piratis liberavit; *Ammianus l.* XXVII, XXVIII *et* XXIX.

[3] *Sarmatica cæde.* Idem Sarmatas ad Danubium obtrivit; Scotos Britanniam populantes dissipavit, Londinum victor ingressus; et Mauros superavit. *Ammianus l.* XXVII.

tanti præstet gesta in summam referre, quam enumerando tenuare. Dixisse sufficiat unum illum divinitus exstitisse in quo virtutes simul omnes vigerent quæ singulæ in omnibus prædicantur. An si ejus sæculo nios ille vixisset quo Romani duces [a] Macedonici, [b] Cretici, [c] Numantini de vocabulis gentium subactarum adoptivum insigne sumebant : nonne hodie pauciora in annalium scriniis quàm in vestræ domus titulis cognomenta legerentur ; cum ipse Saxonicus, ipse Sarmaticus, ipse Alamannicus diceretur, et quantum tota respublica habet hostium, tantum una familia ostenderet et triumphorum ?

VI. [a] Sed quid necesse est mihi in præteritum diligentiam curiosam ? Patrem, Imperator, tuum de te æstimemus. Nec difficilis conjectatio est. Nam cum duo sint quæ claros duces faciant : summa virtus, summaque felicitas ; scire obvium est quis prædilus fuerit virtute [1] qui te docuit, quis fuerit felicitate præditus qui te genuit. O digna imperatore nobilitas, [b] ejus esse filium principem, qui princeps esse debuerit, qui hunc Romani fastigii apicem non solum fortitudine atque sapientia, sed decore etiam corporis et dignitate potuerit æquare ! Velut tua hæc forma venerabilis, quam fortunæ suæ par est ! quam longe lateque conspicua commendat imperium ! Ut plane in ambiguo sit utrumne te magis nostris mentibus virtus, an obtutibus vultus insinuet. [c] Non frustra plane opinione sapientium qui naturalium momenta causarum subtilius scisciati, arcanis cœlestibus nobiles curas intulerunt, augustissima quæque species plurimum creditur trahere de cœlo. Sive enim divinus ille animus venturus in corpus dignum prius [2] metatur hospitium ; sive, cum venerit, fingit habitaculum pro habitu suo ; sive aliud ex altero crescit, et, cum se paria junxerunt, utraque majora sunt, paream arcanum cœleste rimari. Tibi istud soli pateat, imperator, [3] cum deo consorte secretum. Illud dicam quod intellexisse hominem, et dixisse fas est : talem esse debere qui a gentibus adoratur; cui toto orbe terrarum privata, vel publica vota redduntur ; a quo petit navigaturus serenum, peregrinaturus reditum, pugnaturus auspicium.

VII. Dudum, ut video, dedignaris hanc gloriam ; sed patere [4] ea a me in laudum tuarum parte constitui, quæ solebant in aliis sola laudari. Virtus tua meruit imperium, sed virtuti addidit forma suffragium. Illa præstitit ut oporteret te principem fieri, hæc ut deceret. An vero quidquam putamus in imperii tui declaratione præteritum, cum ducium esse rationem ipsorum etiam videamus [5] annorum ? Cujus quidem rei tanta fuit cura majoribus, ut non solum [6] in amplissimis magistratibus adipiscendis, sed in præturis quoque, aut ædilitatibus capessendis ætas specialis sit petitorum, nec quisquam tantum valuerit nobilitate, vel gratia, vel pecunia, qui annos [7] comitiali lege præscriptos festinatis honoribus occuparit. Nec injuria id quidem. Nam et [d] qui venturi sunt in virtutis adoptionem, illo tamen adolescentiæ lubrico, [e] ut non cadant, timebant. An non clarissimos nominis Romani viros [8] Sullas, Catulos,

INTERPRETATIO.

[a] Sed quid opus diligentius et curiosius versari circa id quod præteritum est ?

[b] Ejus esse filium, qui imperator esse debuerit, quique supremam hanc Romanæ reipublicæ dignitatem meruerit, non tantum, etc.

[c] Non temere creditur juxta mentem sapientium qui rerum naturalium causas curiosius perscrutati, cœlestia arcana magna cum cura investigant, præstantissimam quamque formam e cœlo ducere originem.

[d] Quos virtus sibi mancipatura est.

[e] Etsi non labuntur in scelus.

NOTÆ.

[1] *Macedonici.* Philippus Alexandri magni pater rex Macedonum.

[2] *Cretici.* Puta Metellum, ob Cretensem insulam an. U. C. 687 expugnatam, dictum Creticum. Vide *Florum l.* III, *c.* 7, *de bello Cretico.*

[3] *Numantini.* Nempe Scipionem dictum Æmilianum aut Juniorem Africanum, Pauli Æmilii filium, a Scipione Africano adoptatum, qui ob Numantiam an. U. C. 621 eversam dictus est Numantinus.

VI. — [1] *Qui te docuit.* Id est, parens qui te ad artem bellicam erudivit.

[2] *Metatur hospitium.* Respexit ad locum Eumenii plane similem n. 17 *Gratiarum actionis :* « Naturam ipsam magnis mentibus domicilia corporum digna metari. » Et vero notum est Æthiopas et Indos in rege deligendo id primum observare solitos, ut aliis regendis qui præponerentur, insigni et excelsa corporis statura præcellerent. (*Aristoteles l.* VII *Politic.*).

[3] *Cum deo consorte.* Cum eo genio, qui consiliis tuis præest. Veteres erant in ea opinione, suum unicuique, in primis vero imperatoribus genium adesse.

VII. — [4] *Ea a me.* Fr. Balduini emendationem sequor, cum in Putcana editione sit, *sed patere eam in laudum tuarum parte constitui, quæ solebant in aliis sola laudari.* Quod ferri non potest, nisi pro *solebant* legatur *solebat.*

[5] *Annorum.* Theodosius agebat annum 35 cum factus est Augustus.

[6] *In amplissimis magistratibus.* In consulatu.

[7] *Comitiali lege.* Legem Annalem intelligit qua definitum est *ab L. Villio tribuno plebis, quot annos quemque magistratum peterent, caperentque. Inde cognomen familiæ inditum, ut Annales appellarentur.* Livius, l. XL, c. 43. Quamquam id quidem fuerat multo ante definitum, ut ex Livio ipso, et aliis scriptoribus facile colligitur. At Villius dici potest eam legem aut renovasse, aut novo edicto sanxisse, ut religiosius servaretur. Sæpe autem gloriatur Tullius se magistratus omnes anno suo, id est legibus definito consecutum. Atque is quidem Quæstor in Sicilium ivit anno ætatis suæ 31. Ædilis curulis fuit an. 37, prætor an. 40, ac demum consul an. 43. Idem Tullius, 5 Philippica, n. 48, Alexandrum dicit *tertio et trigesimo anno mortem obiisse : Quæ est,* inquit, *ætas nostris legibus decem annis minor, quam consularis.*

[8] *Sullas, Catulos, Scipiones.* Hos tangit Tullius oratione pro Cælio n. 28 : *Equidem multos et vidi in hac civitate, et audivi, non modo qui primoribus labris gustassent genus hoc vitæ, et extremis, ut dicitur, digitis attigissent, sed qui totum adolescentiam voluptatibus dedidissent, emersisse aliquando, et se ad frugem bonam, ut dicitur, recepisse, gravesque homines atque illustres fuisse.* De his fusius agit Valer. Maximus l. VI, c. 9.

Scipiones loquor, aliquantisper sibi luxuria vindicavit? Quos etsi ad portum mutati in melius revexerint flatus, diu tamen vitiorum turbo jactavit, et naufragos atque fluctuantes, ab illis quibus mersabantur erroribus ægre ætas recepit. Bene igitur cuncta quadrarunt, et cæteris, quæ innumera congruebant, [a] anni quoque suum junxere suffragium, qui soli in homine perfecti bono duarum potiuntur ætatum, virtute juvenum, et maturitate seniorum. Prius forsasse imperium inire debueris, ut diutius imperares: sed [b] sine exempli periculo providebitur ne quid amiseris. Vita longiore pensandum quod ex præterito perdidisti. Parum interest quando cœperit quod terminum non habebit.

VIII. Hactenus in te prædicata sint, Imperator, dona fatorum; nunc ad ea proferamus gradum quæ tibi debes. Neque enim tua illa præterita bellicæ rei gloria, quam per tot laborum experimenta quæsisti, adscribenda fortunæ est. Cui hoc nomine etiam succenseri potest, quod quem sceptro et solio destinaverat, [1] numquam indulgenter habuit. Sed ut severi patres his quos plus diligunt filiis [b] tristiores sunt, ita illa te plurimis bellis, et difficillimis reipublicæ temporibus exercuit, dum aptat imperio. Et prius quidem quam ad illa veniam, quæ [2] ævi maturus egisti, summatim tuum illud attingam cum patre divino castrense collegium, actas sub pellibus hiemes, æstates inter bella sudatas, dies noctesque præliando aut vigilando consumptas, gravissimas pugnas terra marique pugnatas. Non tam patiens [3] Africanus prima rudimenta militiæ sub Paulo patre toleravit, nec pari indole [4] Annibal puer in tentoria Hispana successit, nec futurarum spe certiore virtutum Philippæa castra Alexander nondum Magnus implevit. Quos etsi plurima laude dotaverit amplificatrix veri vetustas, nihil plus tamen blandita præstitit quam ut eos in his annis secutos regum, aut ducum castra vulgaret, in quibus tu ita fortiter multa gessisti, ut ea non tantum Alexander, aut Africanus, aut Annibal videre dum discerent, sed parentes atque institutores eorum optassent facere dum docerent.

IX. [c] Quam tecta sunt semper consilia fortunæ! Quis, quæso, tum publicis rebus non putasset, inimicum [1] tuum illum a statione castrensi ad quietem receptum? Enimvero illa futurum [d] principem [2] comens, idcirco paulisper voluit esse privatum, ut quia jam ad plenum bellicis artibus abundabas, usus civilis experiens sub otii tempore reddereris. Quod ego tuum otium aliorum negotiis anteverto. Non enim te amœna littora, nec dispositi [3] ad temporum vices habuere secessus, sed sive tu agris, sive oppidis tempus dabas, rem et famam pariter augebas. Et in urbibus quidem omnium ætatum ordinumque homines his, aut illis beneficiis [f] apprehendebas, amicorum commoda, absentium negotia assiduitate, consilio, re juvabas. Jam si placuisset [4] oppida rure mutare, ut tu vitæ oblitus urbanæ exsequebaris agricolam? Audio etiam, Imperator, et credo sæpe [g] aliqua te laborum tibi injunxisse, et ne contraheres corporis veternum, cujuscemodi semper opere insidiantis otii tersisse rubiginem. Sic agrestes [5] Curii, sic veteres [6] Coruncani, sic nomina reverenda [7] Fabricii, cum induciæ bella suspenderant, inter aratra vivebant; et ne virtus [h] quiete langnesceret, depositis in gremio Capitolini Jovis laureis, triumphales viri rusticabantur. Inde est quod accepimus datos serentibus fasces, et missas cum curulibus suis per rura [7] pal-

INTERPRETATIO.

[a] Ætas etiam convenit: quæ una in homine perfecta est.
[b] Asperiores sunt.
[c] Quam occulta!
[d] Imperatorem sedulo exornans.
[e] Pro variis tempestatibus.
[f] Tibi obstringebas.
[g] Aliquid laboris tibi sumpsisse.
[h] Cessatione enervaretur.

NOTÆ.

[a] *Sine exempli periculo.* Absque eo quod quisquam sperare idem possit.

VIII. — [1] *Numquam indulgenter.* Theodosius enim post patrem imperatoris jussu interfectum fugere in Hispaniam necesse habuit, ut periculo se subduceret, ibique delituit donec ad imperium revocaretur. Fuit et aliis adversæ fortunæ casibus exercitus, ut non immerito de eo Ambrosius in oratione funebri dixerit: *Portavit jugum grave Theodosius a juventute, quando insidiabantur ejus saluti, qui patrem ejus triumphatorem occiderant.*

[2] *Ævi maturus.* Æneid. v, 73: *Ævi maturus Acestes*; et l. ix, 246: *Animi maturus Alethes.*

[3] *Africanus.* Scipio minor Æmilianus, Pauli filius, sub patre bellum gessit in Hispania an. U. C. 603.

[4] *Annibal. Amilcaris filius, novem annos natus, a patre aris admotus, odium in Romanos perenne juravit, exinde socius et miles in castris fuit.* Plura vide apud A. Victorem.

IX. — [1] *Tuum receptum.* Intelligo de tempore quo Theodosius statim a parentis nece in Hispaniam se recepit: ubi annum fere integrum privatus vixit, donec a Gratiano inde ad imperii societatem revocatus est.

[2] *Comens.* An *conans*, ut vult Barthius adversar. l. xxiv, c. 2.

[3] *Oppida rure mutare.* Horat. l. 1, od. 17: *Velox amœnum sæpe Lucretilem mutat Lycæo Faunus*, etc.

[4] *Curii.* Intellige de Marco Curio Dentato, qui post Samnites, Sabinos et Lucanos variis bellis subactos rus concessit, ut privatus viveret.

[5] *Coruncani.* Is omnium primus de plebe a Romanis factus pontifex, cum ad Teuram Illyriorum reginam esset legatus, præter jus fasque interfectus est. Huic a populo Romano statuam dedicatam esse tradit Plinius l. xxxiv, c. 6. Hujus continentiam laudant Tullius, *pro Domo*, et Livius.

[6] *Fabricii.* De Fabricii abstinentia supra dictum. Videri etiam potest Cicero in Catone, et pro Rosc. Amer.; *Plinius l.* xviii, *c.* 8; *Columella l.* i, *in præfatione*; *Seneca consol. ad Helviam.*; *Valer.*

[7] *Palmatas.* Vestis palmata, seu triumphalis dicebatur qua triumphantes, aut certe qui palmam meruerant, uti solerent. Hinc illud Sidonii in paneg.: *Post palmam palmata venit.* Videtur etiam ad consulem pertinuisse; nam Auson. paneg.: *Palmata vestis ut in pace consulis est, sic in victoria triumphantis.*

matas, quod agricolas consulares, pastoresque trabeatos, et dictatores inter armenta [a] vestitos. Sed illos quidem angusta res familiaris addicebat labori, ut quibus ipsi suburbani horti, præcepsque [9] Janiculum, et jugera arctata pomœrio vomere essent aut ligone versanda, [10] nec injuria opus reverteretur ad dominos, cum deerant quibus juberent. Detrahit laudem patientiæ inopia: majoris exempli est labor sine necessitate.

X. Gaudent profecto divina [a] perpetuo motu, et jugi agitatione se vegetat æternitas, et quidquid homines vocamus laborem, vestra natura est. Ut indefessa vertigo cœlum rotat, ut maria æstibus inquieta sunt, ut stare sol nescit, ita tu, imperator, continuatis negotiis, [b] et in se quodam orbe redeuntibus semper exercitus es. [c] Vix [1] tecta Hispana successeras, jam Sarmaticis tabernaculis tegebaris. Vix emerita arma suspenderas, jam hosti armatus instabas. Vix Iberum tuum videras, jam Istro prætendebas. Ne tum quidem [2] cum in altiorem provectus gradum, jubere tantum, et [3] dividere cum negotiis otium, et parta gloria [d] velut [4] reposito frui posses honore, operam remisisti, quin omnium castrensium [5] munerum numeros primus, aut cum primis obires, stare pro signis, excubias sorte agere, [6] vallum ferre, locum bello antecapere, speculatum egredi, castra metari, A in prælium primus ire, prælio postremus excedere, dux consilio esse, miles exemplo: ut jam tum posset intelligi alios imperatori pugnare, te tibi. Illud tamen præ cæteris mirum, quod cum omnia faceres ut imperare deberes, nihil tamen faciebas ut imperares.

XI. Argumento est dies ille communis boni auctor, quo tu cum ad suscipiendam rempublicam vocaberis, oblatum imperium deprecatus es: nec id ad speciem tantum, ut cogi videreris, sed obnixe, et diu, et velut impetraturus egisti. Quippe aberat causa fingendi. Non enim te princeps solus et domi, et tanquam tentaret ambibat, sed publice et [1] in comitio, et ut aliud jam facere non posset. Prorsus [e] ut, nisi imperium affectu simplici noluisses, potueris velle securus. Expostulari hoc loco tecum reipublicæ verbis necesse est, quæ in summam tua cunctatione formidinem a media spe relapsa, [f] tali aliqua te profecto, sed quam solus audires, voce convenit: Parumne me, Theodosi, hactenus distulere fata, ut tu insuper tentes moras augere fatorum? An nescis rem tuam per momenta consumi? Nescis me tibi, [2] tuisque decrescere? Quidquid atterit [3] Gothus, quidquid rapit [4] Hunnus, quidquid aufert [5] Alanus, [6] id olim desiderabit Arcadius. [7] Perdidi infortunata Pannonias; [8] lugeo funus Illyrici; [9] specto excidium Galliarum. [10] Principum senior in tanta bella non B

INTERPRETATIO.

[a] Continua actione.

[b] Et per aliquem circulum sibi succedentibus, semper te exerces.

[c] Vix in Hispaniam adveneras: et jam castra metabaris in Sarmatia; vix abjeceras arma victricia, jam, etc.

[d] Tanquam deposito *militiæ* onere.

[e] Ut, nisi imperatoriam dignitatem vere et ex animo recusasses, potueris tuto illam admittere.

[f] Te sane hujusmodi verbis, sed quæ solus audivisti, compellavit.

NOTÆ.

[a] *Vestitos.* Indutos consulum insignibus. Forte legendum *quæsitos* ut Claudian. de consul. Mallii Theodor. v. 9:

In mediis consul quæsitus aratris.

[9] *Janiculum.* Collis est, qui transtiberinæ regioni imminet, a Jano dictus. Romæ adjectus est ab Anco Martio, hunc que non muro solum, sed etiam sublicio ponte, tum primum Tiberi imposito, conjungi urbi placuit.

[10] *Nec injuria.* Quia enim deerant quibus agri sui colendi curam committerent, necesse erat ut hunc ipsi laborem susciperent.

X. — [1] *Tecta Hispana.* Tangit tempus cum Theodosius ad Valentis furorem evitandum sese in Hispaniam recepit an. Christi circiter 370.

[2] *Cum in altiorem provectus gradum.* Cum factus es imperator.

[3] *Dividere cum negotiis otium.* Tale illud Plinii l. VIII ad Arrianum: *Graviora opera lusibus, jocisque distinguo.* Velleius l. I: *Neque enim quisquam hoc Scipione elegantius intervalla negotiorum otio dispunxit.*

[4] *Reposito honore.* Velut deposita ad tempus dignitate. Alii pro *honore* legunt *onere*, ut est apud Catullum.

[5] *Munerum numeros.* Id est, partes et officia. Haud absimile illud Plinii, *omnes comitatis numeros obibas.*

[6] *Vallum ferre.* Terram ferre vallo exstruendo.

XI. — [1] *In comitio.* Comitium vel pro consessu ipso sumitur, vel pro loco, in quo ad eligendos magistratus conveniebatur.

[2] *Tuisque.* Liberis.

[3] *Gothus.* Gothi populi ex Scandinavia oriundi, C in Scythiam inde transgressi, paulo post in totam Europam exundarunt.

[4] *Hunnus.* Hunni Sarmatiæ Europæ populi juxta Mæoticam paludem olim incolentes, unde egressi in Pannonias primum, tum in Gallias migrarunt; ubi in Catalaunicis campis ab Aetio et Merovæo junctis Wisigothorum Burgundionumque ducibus victi an. Chr. 451. (*Jornande de rebus Geticis c. 24, et Ammian. l.* III).

[5] *Alanus.* Alani populi Scythiæ Europæ ad Mæotidas paludes, a fluvio cognomine nomen traxere.

[6] *Id olim desiderabit Arcadius.* Haud absimile illud quod Æneas de Ascanio filio, Æneid. IV, 354:

Me puer Ascanius, capitisque injuria chari,
Quem regno Hesperiæ fraudo et fatalibus armis.

Arcadius autem fuit Theodosii magni liberorum natu maximus.

[7] *Perdidi Pannonias.* Apparet, inquit Rhenanus, hoc tempore Pannoniam inferiorem, quæ hodie Hungaria nominatur, ab Hunnis occupatam. Quid si intelligamus illud de Quadorum motibus in Pannonia, ob Gabinium eorum regem a Romanis interfectum, cum ita exarserunt ut Danubium transgressi, occupatam circa messes agrestem plebem trucidarint, parumque abfuerunt quin Constantii filiam Gratiano Augusto mox nupturam abduxerint (*Ammian. l.* XXIX, c. 35). D

[8] *Lugeo funus Illyrici.* Intelligit funestam cladem quæ an. Chr. 374 sub Valentiniano contigit. (*Ammian. l.* III, *c.* 8.)

[9] *Specto excidium Galliarum.* Transrhenanis populis in Gallias irrumpentibus. (*Ammianus.*)

[10] *Principum senior.* Gratianus tum erat 20 annorum.

sufficit; aliter etsi futurus sit aliquando fortissimus, [11] adhuc tamen parvus est. Tu dubitas excipere collapsam, et [a] ut nihil differas, sero reparandam? Hanc mihi gratiam refers quod te etiam felix desideravi? quod cum me Nerva tranquillus, amor generis humani Titus, pietate memorabilis Antoninus teneret; cum [12] mœnibus Augustus ornaret, legibus Hadrianus imbueret, finibus Trajanus augeret, parum mihi videbar beata, quia non eram tua? Quid tu mihi faceres si juris tui esses? Orat ecce [13] te dominus meus, orat ecce te dominus adhuc tuus, et, qui posset cogere, mavult impetrare. Imperium quod ab imperatore defertur, tam tibi nolle jam non licet, quam velle non licuit.

XII. Solus igitur, Auguste, solus inquam omnium qui adhuc imperaverunt [1] ut princeps esses præstitisti. Alios empta legionum suffragia, alios vacans aula, alios affinitas regia imposuere reipublicæ: te nec ambitus, nec occasio, nec propinquitas principem creaverunt. Nam et eras a familia imperatoris alienus, et [2] asciscebaris tertius, et cogebaris invitus, invitus inquam. Audite hoc [3] publici parricidæ, qui [b] oblita fide, dominorum sceptra cepistis, et periculo non minore quam scelere, imperium vita paciscentes, sanguinis pretio regium nomen emistis; repulsam patitur principatus', et unus est [4] ambitus candidati ne declaretur. Credetne hoc olim ventura posteritas, et præstabit nobis tam gloriosam fidem, [b] ut nostro demum sæculo annuat factum quod tantis infra supraque temporibus nec invenerit æmulum, nec habuerit exemplum? Sed qui [6] vitæ tuæ sectam rationesque cognoverit, fidei incunctanter accedet, nec abnuisse dubitabit imperium sic [7] imperaturum. Illi enim, illi avide regna desiderent, quos soluta legibus vita delectat, quorum crudelitas indamnatos necandi, cupiditas privata rapiendi, libido honesta fœdandi jus atque impunitatem requirunt. Quid tua intererat te principem fieri, qui futurus eras [8] in imperatore privatus? [9] Nisi forte in te hodie aut pudicitiæ remissior cultus, aut minor sanguinis humani metus, aut alienæ rei major est appetitus. Idem es qui fuisti, et tantum tibi per te licet quantum per leges licebat. Jus summum facultate et copia commodandi, non securitate peccandi experiris. Unum tibi præstitit principatus, ut certum haberemus omnes, etiam sub imperatoribus aliis vixisse te legibus tuis. Nam qui nihil facit licenter cum potest, nunquam voluit.

XIII. Quin ubi primum te imperio præstitisti, non contentus ipse [c] ultra vitia recessisse, alienis vitiis corrigendis curam adjecisti; idque moderate, ut suadere potius honesta quam cogere videreris. Et quia vel [1] longo Orientis usu, vel multorum retro principum remissione, tantus quosdam luxus infecerat, ut adulta consuetudo lasciviæ haud quaquam facile videretur obtemperatura medicinæ, ne quis se pati injuriam putaret, a te voluisti incipere censuram, et [2] impendia palatina minuendo, nec solum abundantem rejiciendo sumptum, sed vix necessarium usurpando [3] demensum, quod natura difficillimum est, emendasti volentes. An quis ferret moleste ad principis semet modum coerceri? aut subtractum sibi doleret de privata luxuria, cum videret imperatorem, rerum potentem, terrarum hominumque dominum, parce contenteque viventem, modico et [4] castrensi cibo jejunia longa solantem? ad hoc aulam omnem [5] Spartanis gymnasiis duriorem, laboris, patientiæ, frugalitatis exemplis abundantem? neminem unum inveniri, qui auderet ad penum regium

INTERPRETATIO.

[a] Serius instaurandam, vel si moram nullam adhibeas.

[b] Ut nostra tandem ætate fateatur contigisse quod etc.

[c] Ab omni vitio immunem te præstitisse.

NOTÆ.

[11] *Adhuc parvus est.* Valentinianus Junior nonum tantum agebat annum, teste Ammiano, Idatio, Chronico Alexandr., etc.

[12] *Mœnibus ornaret.* Balduinus pro *mœnibus* restituit *moribus*. Juxta illud Horatii l. II, ep. 1:

Res Italas armis tuteris, moribus ornes.

[13] *Dominus meus.* Gratianus.

XII. — [1] *Ut princeps esses præstitisti.* An ut placet Acidalio addendum *restituisti?*

[2] *Asciscebaris tertius.* Tum enim Gratianus et Valentinianus imperium obtinebant.

[3] *Publici parricidæ.* Et si hoc in multos cadere possit, tamen alludere mihi videtur potissimum ad Tyrannum Maximum, Gratiani interfectorem. Recens enim erat factum.

[4] *Oblita fide.* Oblita παθητικῶς sumitur ut apud Virg. Ecl. IX, 53:

Nunc oblita mihi tot carmina.

Alii legunt *obliti cæde*, id est, contaminati.

[5] *Ambitus candidati.* Nova species candidatus. Neque enim postulabat ut fieret, sed ut ne fieret imperator.

[6] *Vitæ tuæ sectam.* Respexit ad illud Plinii pan. n. 84: *Sed qui vitæ tuæ instituta, rationemque cognoverit, facile fontem copiæ hujus inveniet.*

[7] *Imperaturum.* Id est, eum qui tanta cum laude erat administraturus imperium.

[8] *In imperatore privatus.* Qui in imperio privati hominis modestiam servaturus esses.

[9] *Nisi forte.* Εἰρωνικῶς illud accipio.

XIII.—[1] *Longo Orientis usu.* Propter gesta in Syria bella.

[2] *Impendia palatina minuendo.* Id quod aiunt alii Theodosianæ vitæ scriptores negat Zozimus Histor., lib. IV. Quin potius tantum impendiorum in mensam regiam ait invectum a Theodosio, ut *præ multitudine ciborum et lautitia, populosæ coquorum ac pocillatorum cohortes sint institutæ.* Sed quæ fides huic scriptori in iis quæ ad imperatores Christianos spectant?

[3] *Demensum.* Demensum proprie dicebatur, quod servis in alimenta singulis mensibus dabatur. Terent. Phorm. Act. I, sc. I: *Quod ille uncialim vix de demenso suo Suum defrandans genium, comparsit miser.* Hic latius sumitur pro quocumque victu necessario.

[4] *Castrensi cibo.* Id est, *larido, caseo, et posca*, inquit Spartianus in Hadriano. Locus autem ille de Theodosii frugalitate et temperantia sumptus videtur ex Mamertini in Julianum paneg. n. 11.

[5] *Spartanis gymnasiis duriorem.* Spartanos enim

flagitare remotorum littorum piscem, peregrini aeris volucrem, alieni temporis florem ?

XIV. Nam delicati illi ac [1] fluentes, et quales fuit sæpe respublica, parum se lautos putabant, nisi luxuria [a] vertisset annum, nisi hybernæ poculis rosæ innatassent, nisi æstiva [b] in gemmis capacibus glacie falerna fregissent. Horum gulæ angustus erat noster orbis. Namque appositas dapes non sapore, sed sumptu æstimantes, illis demum cibis acquiescebant, quos extremus Oriens, aut positus extra Romanum Colchus imperium, aut famosa naufragiis maria misissent, quos invitæ quodammodo reluctantique naturæ hominum pericla rapuissent. Ut taceam infami sæpe dilectu scriptos in provinciis aucupes, ductasque sub signis venatorum cohortes militasse conviviis, nonne cognovimus cujusdam retro principis non prandia sæpe, sed fercula [2] sestertium millies æstimata, patrimoniorum equestrium pretia traxisse ? Tuæ, imperator, epulæ, mensis communibus parciores, locorum ac temporum fructibus instruuntur. Hinc certatim [c] in omnes luxuriæ pudor, parcimoniæ cultus inolevit, et quiescentibus legum minis, subiit quemque privatim sui pœnitentia. Sic est enim, sic est, exasperat homines [d] imperata correctio, blandissime jubetur exemplo.

XV. Sed cum hæc, et ad hunc modum cætera mores hominum et instituta formarint, tum nihil abdicandis vitiis, adoptandisque virtutibus impensius sentio profuisse, quam quod his te viris semper dedisti, [e] quos affectare publica deberet imitatio, qui, quam facile tibi fuissent [f] sequacesque discipuli, tam cæteris expetendi essent magistri. Ut de his sileam, [g] quos tibi primus ille nascentis imperii dies obtulit, tantis virtutibus præditos, ut non pro copia sumpti, sed ex copia viderentur optati, quot tu postea qualesque legisti, quibus provinciarum custodiam, quibus militaris rei summam, quibus consiliorum tuorum arcana committeres ? Ergo cum duplex fuerit iste dilectus, unus ex judicio, alter ex fato, incertum meliores viros sapientia tua, an fortuna quæsiverit, cum tales vel [1] acceptos habeas, vel repertos, ut et illi meruerint teneri, et isti debuerint cooptari.

XVI. Ecquis imperatorum unquam putavit amicitiæ cultum in regia laude ponendum ? Humilis hæc virtus, dubiumque an virtus judicabatur, nec palatiis digna, sed periculis habebatur. [1] Inde facilius inveneris, qui pecuniam ex ærario, quam qui ex animo fidem prompserint. [2] Optimus ille ditabat, non etiam diligebat, prodesse noverat, amare nesciebat. [3] Tu amicitiam, nomen ante privatum, non solum intra aulam vocasti, sed indutam purpura, auro gemmisque redimitam, solio recepisti, reque, non verbis asseruisti, principis mentem tanto in suos benigniorem esse debere, quanto sit fortuna præstantior, [h] cum fide ac facultate paribus agas, et familiaribus tuis imperator tribuas, quod privatus optaras. Quanquam [i] quæ capere vota potuerunt, quod plerique te principe consecuti sunt ? Nec nunc de his honoribus loquor, quos in quemcumque conferre imperatori necesse est. Dux aliquis evehitur ? Exigit disciplina castrorum. Præfectus attollitur ? Imponendum est provinciæ caput. Consul creatur ? [j] Habiturus est nomen annus. Ita in summis illis pulcherrimisque beneficiis, [k] est aliqua præstantis utilitas. A te, nova benignitate, is amicis honos habitus est, qui totus esset illorum, quibus deferebatur, nihilque ex eo ad te redundaret nisi dandi voluptas. Cui cum essent domi [l] filii, geminæ illæ spes oculique reipublicæ, dilatis eorum magistratibus [5] amicos consulatu ornavit. Si mehercule vir ille divinus, felicitatis publicæ auctor, [6] parens tuus

INTERPRETATIO.

[a] Tempestatum *ordinem* pervertisset.
[b] In poculis e gemmis grandibus.
[c] Apud omnes luxuriæ odium et parcimoniæ amor invaluit.
[d] Correctio *eum* imperio conjuncta.
[e] Quos populi deberent imitandos sibi proponere.
[f] Obsequentes.
[g] Qui magistratus gerebant, cum imperium adeptus es.
[h] Cum *tua* fides sit par *tuæ* liberalitati.
[i] Quænam vota attingere *unquam* potuerunt, quod te imperante, etc.
[j] Necesse est ut ab eo nomen imponatur anno.
[k] Aliquod commodum redit ad eum qui *illud* præstat.

NOTÆ.

pueros ad Dianæ aram loris flagellari solitos, usque dum sanguis profluereat, nemini opinor non notum.

XIV. [1] *Fluentes.* Luxu diffluentes. Velleius, *Fluens mollitiis Sardanapalus.* Item *otio ac mollitiis pene ultra fœminam fluens.* Quintilianus pueros molles ac delicatos, *solutos* dicit *ac fluentes.* Plura intemperantiæ exempla vide apud Capitolinum in Ælio Vero, cujus convivium æstimatum dicitur sexagies LLS. et Vitellius novies millies sestertium epulis absumpsit (*Tacit. Hist.* l. II). Quæ posterior summa libras Gallicas conficit 59, 375, 000.

[2] *Sestertium millies.* Hunc in locum irrepsit manifestum mendum, cum ex Horatio, Juvenale, Plinio, cæterisque constet censum equestrem fuisse tantum quadringentorum sestertium. Quare legendum hic sesterliis quadringentis, eo libentius puto, quod cum in antiquis exemplaribus haberetur, fortasse CD. LL. quadringentis sestertiis facillimum fuerit librariis propter notarum affinitatem exscribere CIↃ LL. millies sestertium. Porro summa illa quadringentorum sestertium ad libras nostrates 17,500 reducitur, cum sestertium millies ad 4,375,000 libras Gallicas excrescat. Nota autem fercula, etsi ut plurimum pro cibis sumuntur, interdum etiam pro machinis quibusdam accipi, in quibus plures cibi mensæ imponebantur, ut videre est apud Petronium.

XV. [1] *Acceptos habeas.* Id est a fato. Mox *vel repertos*, id est, industria tua.

XVI. [1] *Inde facilius.* In principibus facilius est liberalitatis, quam fidei et amicitiæ exempla reperire.

[2] *Optimus ille.* Fortasse *optimos.* Mox *ille*, id est, Gratianus.

[3] *Tu amicitiam.* Sumptum illud ex Juliani pan. n. 23.

[4] *Filii.* Arcadius et Honorius.

[5] *Amicos.* Nempe Mamertinum et Nevitam.

[6] *Parens tuus.* Theodosius.

viveret, quid aliud exspectasset a filio, quam ut nepotibus anteferretur ? Præstitisti igitur amicis, quo plus nec patri præstare potuisses. O benevolentiæ tuæ singulare consilium ! Auges tempore dignitatem, quæ incrementum ex magnitudine non habebat. Renuntiantur amici ante filios tuos consules, [7] quia non poterant plus esse, quam consules.

XVII. Eat nunc sui ostentatrix vetustas, et illa innumeris litterarum vulgata monumentis jactet exempla. [a] Pirithoi fidem prædicet, et decantatum omnibus scenis Phocæi juvenis laudet officium ; Pythiam etiam, si videtur, dicat et Damona, quorum alter in amici morte se vadem obtulit, alter ad diem vadatæ mortis occurrit. Ut hæc esse vera credamus, quæ mendaciis vatum in plausus aptata [1] cavearum, [a] fidem tempori debent : num præstare credendo plus possumus, quam ut istos, qui amicitiæ laude censentur amicorum fuisse, quam sui diligentiores putemus ? Sed cum instituente natura plus fere filios, quam nosmetipsos diligamus, omne vicit exemplum, qui amicos his prætulit, quos sibi præferebat. [2] Sed tu quidem, [b] ad exonerandam debentium verecundiam, quæ in tuos confers, non vis videri præstare, sed reddere. Geramus tibi morem, [c] et beneficiorum summas tuorum pro tua voluntate ducentes, quidquid familiaribus tuis tribuis non expendi potius, sed rependi putemus ; enimvero cum leviter cognitos, aut etiam semel visos iis honoribus simul ditas, quibus et amici possent esse contenti, nonne omnibus vis probare amicum tibi esse qui bonus sit ? Cuicumque quid publici mandatum fuerit officii, præmium spondetur, et redditur. Sibi humilitatem et tenebras suas imputet jacens virtus, quæ non obtulit se probandam. [3] Quod conscientiæ tuæ sufficit, honoratus est qui probatus.

XVIII. Velim tamen dicas unde, cum [1] tantis promissa persolvas, quid cui promiseris scias, nec te vel reipublicæ cura, vel ipsa illa tuorum beneficiorum turba confundat, [2] ut parcior, tardiorve, tempore quem, modove decipias. Quis debitor verecundus ita mutuum ad diem reddit, ut tu, quod promittis, appendis ? [3] Nec imponi negligentibus arbitreris. Quotidie [d] in beneficia tua quærimus, et memoriam convenimus, et ne singulis insidietur oblivio, cum altero quisque conferimus. Unum invenire non possumus, cujus spem atque exspectationem non dicam fefelleris, sed, quæ [4] [e] delicatior est querela, distuleris. Solamne me, imperator, benevolentiam tuam mirari putas ? At ego miror etiam memoriam. Nam cui [5] Hortensio, Lucullove, vel Cæsari tam parata umquam adfuit recordatio, quam tibi sacra mens tua loco momentoque, quo jusseris, reddit omne depositum ? [6] Utrum te tamen ipse admones ? an ut illi majestatis tuæ participi [7] deo, feruntur assistere fata cum tabulis, sic tibi aliqua vis divina subservit, quæ quod dixeris, scribat, et suggerat ? Nihil ita primoribus labris polliceris, quin promisso fidem subdas, et verba re sancias. Nemo jam, nemo beneficia, quæ dederis, ab eo credit tempore computanda, quo dederis, quia [8] tam sint certa, quæ spondes, ut tum videantur accepta, cum spondes.

XIX. Jam idipsum, quod [1] ante promittis, nonne repetimus ac ne quis ullus eorum obliviscatur, inter nos de iis quasi ea *comparantes* colloquimur.

INTERPRETATIO.

[a] Vetustati debent *quod* fidem *faciant*.
[b] Ut consulas pudori eorum quos obstringis.
[c] Et summa tua beneficia ex arbitrio.
[d] Beneficia tua animo computamus, et memoria sorum modum tempusque, ut facile decipi non possint.
[e] Longe minor.

NOTÆ.

[7] *Quia non poterant*. Beneficium consulatus quo nullum majus conferre amicis poteras, si spectetur supremi illius magistratus dignitas, fecisti ut majus esset, cum ut cito conferres, eos filiis etiam antetulisti.

XVII. — [1] *Pirithoi fidem*. De Pirithoi et Thesei, Pyladæ et Orestis, Damonis et Pythiæ seu Pinthiæ, amicitia nihil dico, quoniam res nota est.

[a] *Cavearum*. Cavea proprie est area in medio theatro, in qua equitum subsellia constituta esse consueverant, quod velis tecta cavæ similitudinem referrent. Sæpe tamen uti hoc in loco pro toto theatro sumitur, ut Æneid., l. v, 340 :

Hic totum caveæ consessum ingentis, etc.

[2] *Sed tu quidem*. Fortasse *et tu quidem*, ut notat Acidalius : inconcinnum enim quiddam habet repetito particulæ *sed*.

[b] *Quod conscientiæ tuæ*. Respexit ad *Gratiarum actionem* Eumenii, n. 20 : *Sibi imputet quisquis uti noluit beneficio tuo, nec se dignum vita judicavit, cum per te liceret ut viveret (tu quod sufficit conscientiæ tuæ) etiam non merentibus pepercisti*.

XVIII. — [1] *Tantis*. Pro *tot*.

[2] *Ut parcior*. Ita ut alicui aut id non des quod promisisti, aut non des eo tempore quo daturum te promisisti.

[3] *Nec imponi*. Sic agis cum iis quibus promisisti, quasi existimes eos ita diligenter observare promis-

[4] *Delicatior est*. Delicatiorem vocat dilati, quam non dati omnino beneficii querelam ; quia promissa denegare hominis est nullius fidei : differre vero, negligentiæ cujusdam quæ in hominem quemvis cadere posse videatur.

[5] *Hortensio, Lucullove*. Præstantem hujus memoriam commendat Tullius *Tuscul.* 1, et extremo *de Oratore* l. III, ubi et Hortensii meminit, ibidem et in *Bruto*, n. 301. Cæsarem vero tradit Plinius l. VII, c. 25, *scribere et legere simul, dictare et audire solitum, epistolas vero tantarum rerum quaternas pariter librariis dictare : aut si nihil aliud ageret, septenas*. De aliis præstantis memoriæ exemplis a nobis supra dictum est.

[6] *Utrum te tamen*. Alii *utrum autem ipse te*.

[7] *Deo*. Utrum vero Deo an Jovi ? Etenim an Pacatus christianus fuerit incertum est. Jovi autem Martianus Capella l. I : *Parcas superum librarias assistere ait, ejusque sententias excipere*. Quod et scite suo more refert Lucianus, 366. Poetæ Græci et mythologici dicunt Parcas esse scribas Jovis.

[8] *Tam sint certa*. Fortasse *tam sunt certa* ut ad oram editionis suæ notat Livineius ex Viennensi codice.

XIX. — [1] *Ante promittis*. Promittis, antequam beneficium ullum conferas.

de summo purissimæ mentis candore proficiscitur? nam cujus est animi [a] nec vota hominum fatigare, nec adhibere muneribus artem difficultatis, sed denuntiare præstanda, ut et prolixior sit sensus bonorum, nec repentina felicitas faciat attonitos, et similes reddat ingratis? animos enim nostros, subitis affectibus impares, proinde lætitia ac dolor, si deprehendat, [b] externat. An non illa Romana [c] pietatis notissimæ mater, nuntio mali Cannensis exterrita, filio reduce, quem flebat, [d] diriguit in mortem, nec par esse gaudio potuit quæ superfuerat orbitati? Consciusigitur cœlestis arcani, et naturalium [e] depositorum, mavis hominibus sperata procedere, quam insperata supervenire beneficia. Nec immerito. Namque fugitiva succe-suum repentinorum voluptas [f] ut occupat, sic relinquit; felicitas longior est, [g] expectare securum. Itaque cum hactenus a natura esset statutum, ut bona sua homines nescirent, et tum primum inciperent felicitate gaudere, cum cœpissent esse felices, tu promittendo præstanda invenisti tempus, quod nobis natura subtraxerat, ut quos adepta solum juvabant, etiam adipiscenda delectent.

XX. Pari benignitate cum plures afficere honoribus velles, quam [i] honorum loca admitterent, et angustior esset materia voluntate, nec mentem tuam quamvis diffusum caperet imperium, quem nondum aliquo provexisti gradu, tamen [k] dignatione es solatus. Atque haud scio, an quibusdam consolatio ista suffecerit. Ille cohonestatus affatu, ille mensa beatus, ille osculo consecratus est. Ita omnibus, qui te principe sibi jure confiderent, aut processit dignitas, aut satisfecit humanitas, humanitas inquam, quæ tam clara in imperatore quam rara est. [l] Nam cum indiscreta felicium pedissequa sit superbia, vix cuiquam contigit et abundare fortuna, [m] et indigere arrogantia. Cujus quidem ita majores nostros pertæsum est, ut graviorem semper putaverint servitute contemptum, ejusque impatientia sint coacti post [n] bellatores Tullos, [o] Numasque sacrificos, et [p] Romulos conditores regnum usque ad nomen odisse. Denique ipsum illum Tarquinium execratione postrema hoc damnaverunt meledicto; et hominem libidine præcipitem, avaritia cæcum, immanem crudelitate, furore vecordem vocaverunt superbum, et putaverunt sufficere convicium. Quod si per rerum naturam liceret, ut ille Romanæ libertatis assertor, regii nominis [q] Brutus osor, [r] precariæ redditus vitæ, sæculum tuum cerneret studiis virtutis, parcimoniæ, humanitatis imbutum ac refertum; nullum toto orbe terrarum superbiæ, libidinis, crudelitatis exstare vestigium; jam te ipsum qua publice, qua privatim videret priscorum duritia ducum, castitate pontificum, consulum moderatione, [s] petitorum comitate viventem; mutaret profecto sententiam tanto post suam: et cum Romanam dignitatem ac libertatem probaret, meliore in statu imperatore te esse quam consule se fuisset, necessario fateretur Tarquinium submoveri debuisse, non regnum.

XXI. Sed quod facere magnas urbes ingressi solemus, ut primum sacras ædes, et dicata numini summo delubra visamus, tum fora, atque gymnasia, et pro suis extenta porticibus ambulacra miremur, ita in laudibus tuis sanctos palatii ritus, et priscis æquanda cerimoniis instituta venerati, gradum ad illa proferimus, quæ in medio constituta, et ad publicos usus facientia, [t] non partim, sed in commune conducunt, nec parietibus, sed orbe clauduntur, nec tecto, sed cœlo operiuntur. Velut primum illud est, ne statim summa captemus, quod [u] creber egressu exspectantibus [x] populis te fateris, nec videri modo patiens, sed [y] facilis adiri, e proximo accipis vota hominum tuorum: [z] ut, quisquis ille consultor est, etiamsi

INTERPRETATIO.

[a] Mortis frigore rigefacta est.
[b] Dignatus es *hunc* solari.
[c] Nam cum superbia eorum qui beati sunt indissociabilis comes sit.
[d] Et carere superbia.
[e] Impetrato precibus ad vitam reditu.
[f] Crebro *in publicum* prodis.
[g] *Intuendum* te præbes et agnoscendum.
[h] Ut quisquis ad te de negotio aliquo refert.

NOTÆ.

[a] *Nec vota hominum fatigare.* Id est, cito votis hominum annuere, vel etiam vota beneficentia et liberalitate anteverlere.

[b] *Externat.* Attonat. Catul. in Argon. *Ah! miseram assiduis quam luctibus externavit Spinosas Erycina serens in pectore curas!*

[c] *Pietatis notissimæ mater.* Ita referunt Plinius l. VII, c. 53; A. Gellius l. III, c. 15; Valer. Maxim. l. IX, c. 12.

[d] *Depositorum.* Arcanorum, quæ paucorum fidei commissa sunt, atque ut ita dicam in eorum manus deposita. Gruterus mavult *repositorum*, ut infra n. 21, *nisi eos intra repositum*, etc. Vide hunc locum.

[e] *Ut occupat.* Quam repente occupat, tam cito relinquit.

[f] *Exspectare securum.* Exspectare aliquid certi.

XX. — [g] *Honorum.* Ita sensus postulare mihi videtur, non *bonorum*. Itaque suspicatur Puteanus, ut ad oram editionis Livincianæ annotavit post Rittersbusium.

[h] *Bellatores Tullos.* Tulli Hostilii in Sabinis Albanisque subigendis nota fortitudo.

[i] *Numas sacrificos.* Numæ Pompilii secundi Romanorum regis celebrata est insignis in instituendis sacris pietas et religio.

[k] *Romulos conditores.* Cui non notus Romanæ urbis conditor Romulus?

[l] *Brutus.* Respexit ad illud Martialis l. II, ep. 5, de Trajano: *Si redeant veteres ingentia nomina patres, Elysium liceat si vacuare nemus. Te duce gaudebit Brutus.... Ipse quoque infernis revocatus Ditis ab umbris, Si Cato reddatur, Cæsarianus erit.*

[m] *Petitorum comitate.* An legendum *prætorum comitate*, ut Balduino placet? Satis apte ad illud Plinii paneg. n. 9: *Vos mihi in tribunatu quietis, in prætura modestiæ*, etc. Fortasse etiam *petitores* sumuntur pro candidatis.

XXI. — [n] *Non partim.* Id est, *non privatim*, inquit Puteanus. Aliqui legunt *patentia* alii *valentia*, alii *parti*.

[o] *Facilis adiri.* Pro *facilis* aditu.

meruerit, quod est rarum, repulsam, [a] ferat tamen visi numinis conscientiam. At [b] quam alter illorum principium mos fuit, quos loquar notum est, qui majestatem regiam imminui et vulgari putabant, nisi eos [c] intra repositum palatinæ ædis inclusos tanquam aliquod [d] Vestale secretum veneratio occulta consuluisset, [d] nisi intra domesticam umbram jacentes solitudo provisa et silentia late conciliata vallassent. Quin siquando in lucem venire et diem ferre potuissent, [h] lecticis [g] tensisque subvecti, et densissima circum supraque cooperti virorum armorumque testudine sensim atque adnumerum movebantur. Tum longe populus abigebatur, nec otiosa [e] viatoris manus plebem verbere submovebat : ut secretum [f] esset in publico. At noster hic omnibus spectandus affertur, nec magis communem hunc diem atque solem quam nostrum imperatorem videri licet. Quin, cum vicinum habeant permissa fastidium, numquam iste mirantes explet oculos. Magis magisque visus expetitur, et, novum dictu, præsens desideratur.

XXII. Miremur in urbibus tuis, et a tuis populis te videri, quem fere nulla in solo suo natio externa non vidit, idque ita crebro, ut pene tam notus sit barbaris vultus iste quam nobis? Nec frustra, cum æstates omnes foris, hyemes domi ducens, civibus hostibusque pari sorte anni spatia diviseris : et si qui forte sunt barborum, qui non virtutis tuæ fulmen exceperint, nominis terrore perculsi et velut afflati quiescant. [e] Tua enim, imperator, auspicia non hæ tantum gentes tremunt, quas ab orbe nostro silvarum intervalla, vel flumina, montesve distinguunt, sed quas æternis ardoribus inaccessas, aut continua hyeme separatas, aut interfusis æquoribus abjunctas natura disterminat. Non oceano Indus, non [i] frigore Bosphoranus, [g] non Arabs medio sole securus est; et quo vix pervenerat nomen ante Romanum, accedit imperium. Dicamne ego receptos ad servitium [a] Gothos, castris tuis militem, terris sufficere cultorem? Dicam a rebellibus [k] Saracenis pœnas polluti fœderis expetitas? Dicam [a] interdictum Scythis Tanaim, et imbelles arcus etiam fugientis [e] Albani? Quæcumque natio barbarorum robore, ferocia, numero gravis unquam nobis fuit, [f] aut [f] boni consulit ut quiescat, aut lætatur, quasi amica, si serviat. Persis ipsa, reipublicæ nostræ retro æmula, et multis Romanorum ducum famosa funeribus, quiquid unquam in principes nostros inclementius fecit, excusat obsequio. Denique [a] ipse ille rex ejus, dedignatus antea confiteri hominem, jam fatetur timorem, et in his te colit templis, in quibus colitur : tum legatione mittenda, gemmis, sericoque præbendo, ad hoc triumphalibus belluis in tua esseda suggerendis; etsi adhuc [g] non est fœderatus, jam tamen tuis cultibus tributarius est.

XXIII. Ne tamen, imperator, existimes cuncta me [l] ad aurium gratiam locuturum, [a] triumphis tuis Gallicis, stupeas licebit, irascimur. Dum [a] in remota terrarum vincendo procedis, dum ultra terminos rerum, metasque naturæ [b] regna Orientis extendis, dum

INTERPRETATIO.

[a] Saltem conscius sibi sit visi numinis.
[b] Quam dissimilis.
[c] Intra penetralia sacræ ædis.
[d] Nisi intra domesticos parietes solitudo quæsita, etc.
[e] Fortunam tuam.
[f] Præclare secum agi putat, quod fruatur pace.

NOTÆ.

[a] *Vestale secretum.* Alludit ad ignem illum, qui in intimis Vestæ penetralibus summa cum religione a Vestalibus custodiebatur.

[b] *Lecticis.* Lecticas ante Ciceronis tempora in agris, non in urbe : ad iter tantum, non ad desidiam urbanam adhiberi solitas notat Lipsius : postea vero easdem ita communes factas, ut ad certas personas, ætatem ac certos dies restringi illas oportuerit. Vide *Lipsium Elect. l.* I *c.* 19, ubi plura de lecticarum varia forma.

[c] *Tensisque.* Tensæ, seu ut alii scribunt, thensæ erant sacri currus, quibus in ludis circensibus deorum simulacra vehebantur.

[d] *Viatoris.* De his vide Panegyricum Plinii Trajano dictum, n. 79, not. 8.

[e] *Esset in publico.* Id est, ut etiam tum cum in publico versabantur, in secreto esse viderentur.

XII. — [a] *Frigore Bosphoranus.* Populus Sarmatiæ Europæ versus Bosphorum Cimmerium, ubi nunc pars Tartariæ Precopensis. De hujus regionis frigoribus cum Geographi omnes, tum in primis multa habet Ovidius lib. de Ponto.

[g] *Non Arabs sole.* Ex ipso Arabum colore nigro, unde in sacris litteris Æthiopes dicuntur, satis patet quanto fervore solis regio illa ardeat.

[a] *Gothos.* Qui Athanarico rege suo mortuo, sese Romano imperio dediderunt. (*Marcell. in Chronico, Oros. l.* VII, *c.* 34.)

[k] *Saracenis.* Saraceni populi Arabiæ Felicis.

[a] *Interdictum Scythis Tanaim.* Ita referi Oros. l. VII, c. 34, et Zonaras III tomo Annal. Duplex autem est Tanais : alter in Moscovia, qui Asiam ab Europa dividens in paludem Mæotidem se exonerat : alter in Scythia Orientali, qui ex Parapamiso monte in mare Caspium profluit. Atque is quidem Jaxartes proprie dicitur, sed a Macedonibus Tanais nominatus est.

[e] *Albani.* Populi sunt Orientis inter Iberiam et mare Caspium, quos Strabo jaculandi peritos fuisse tradit l. II.

[f] *Aut boni consulit.* Frequens apud Tullium loquendi modus. *Boni consulere* seu *æqui bonique consulere.*

[g] *Ipse ille rex.* Artaxerxes, sive alius fuit, qui Richomere, et Clearcho coss. per legatos cum muneribus missos, pacem a Theodosio petiit, ut aiunt Socrates, l. V, Marcellinus comes, et Claudian. de VI consulatu Honorii : *missique rogatum fœdera Persarum proceres*, etc.

[g] *Non est fœderatus.* At postea fuit, ut observat Puteanus ex Aurel. Victore, qui Persas cum Theodosio pacem pepigisse ait. Quod confirmat Orosius.

XXIII. — [l] *Ad aurium gratiam.* Tale est illud Trebonii ad Tullium : *Noli putare, mi Cicero, me hoc auribus tuis dare.* Tullii Ep. l. XII, ep. 16. Id est, ne id putes a me dictum adulandi causa.

[a] *Triumphis tuis Gallicis.* Maximus enim Gallias occuparat.

[a] *In remota terrarum.* Pacatus Romæ loquitur et coram imperatore Romano.

[b] *Regna Orientis.* Theodosio uni Orientis regnum obtigerat Gratiani a Maximo interfecti cæde.

ad illos primæ lucis indigenas, et in ipsum, si quod est solis cubile, festinas, invenit tyrannus [8] ad scelera secretum. O quam parvis veniunt summa mala principiis! Sic in ultimum propre Italici generis excidium, [9] effracto Cnæi Lentuli ludo mirmillonum agmen emicuit. Sic bella consulibus ancipiti Marte pugnata [7] Cilix pirata conflavit. Sic [8] tenentibus arma fugitivis Romana diu pila cesserunt ferro ergastulorum. Quis non ad primum novi sceleris nuntium hominem risit? nam res infra dignitatem iracundiæ videbatur, cum pauci homines, et insulani totius incendium continentis adolerent, et regali habitu exsulem [9] suum illi [10] exsules orbis induerent? At quantos parturiebat fortuna motus, quantum republicæ malum pestis augenda, quantam tibi gloriam restinguenda servabat? præcipue cum [11] perfidia ducum, defectione legionum contra rempublicam foret versum quicquid pro republica fuerat armatum.

XXIV. Nolo tamen usquequaque miserorum vel factum [a] onerare, vel fatum, qui dum carnifici purpurato, tua se et affinitate et favore jactanti, infeliciter credunt, gravissimum omnium nefas fecerunt affectu innocentium. Intelligo quam difficilem in locum scopulosumque devenerim. Nam cum [b] revolvi id [1] lustrale justitium, aures tuæ respuant, laudes petant; gloriæque intersit ad præsentium commendationem bonorum mala decursa reputari, contra vero clementia summa beneficium suum maluit imminui, quam tristium enumeratione [c] cumulari, necesse erit me, vel tacentem publica incommoda, vel loquentem, aut ingratum virtuti, aut onerosum esse pietati. Sed tamen, imperator, exiguam sensibus tuis injunge patientiam. Nam si dulcis in bonis miseriarum recordatio est, si nautas tempestatum, si medicos juvat meminisse morborum, cur non tu quoque mala nostra audias, ut tua beneficia recognoscas? Unde igitur ordiar, nisi a tuis mea Gallia malis? [d] quæ ex omnibus terris, quas illa pestis insederat, haud injuria tibi vindicas privilegium miseriarum, non auribus modo, quarum [2] sensus est levior, sed coram oculis ferre compulsa victoriam Maximi, [3] interitum Gratiani. [4] Alia licet vulnera, quod fatendum est, proximus nobis Italus, et contiguus ostendat Hispanus; sed in dolore summo habet suum uterque solatium. Tyrannidem ille non vidit, hic tyrannicidium vidit. Nos primi impetum belluæ furentis excepimus, nos sævitiam ejus innocentium sanguine, nos cupiditatem publica paupertate satiavimus. Apud nos semet exercuit crudelitas jam secura, et adhuc inops avaritia. Alibi malum publicum aut [5] cœpit, aut destitit; in Gallia sedit.

XXV. [e] Quis se nobis calamitate contulerit? Tyrannum et cum aliis tulimus, et soli. Quid ego referam vacuatas municipibus suis civitates, impletas fugitivis nobilibus solitudines? quid perfunctorum honoribus summis virorum bona publicata, [1] capita diminuta, vitam ære taxatam? Vidimus redactas [3] in

INTERPRETATIO.

[a] Aggravare.
[b] Commemorari.
[c] Quam adjecta rerum tristium narratione fædari.
[d] Quæ omnium terrarum quas tyrannus ille populatus est gravissime vexata esse merito diceris.
[e] Cujus terræ calamitas cum nostra conferri potest?

NOTÆ.

[8] *Ad scelera secretum.* Locum aptum ad tyrannidem nefarie occupandam.

[9] *Effracto Cn. Lentuli ludo.* Tangit servile bellum, dictum Spartacium, quod in Italia suscitatum an. U. C. 681, auctore Spartaco Ænomao, et Crixo: qui effracto Capuæ Lentuli ludo in quo alebantur cum 74 gladiatoribus quos Mirmillones appellat, vocatisque ad arma servis occuparunt montem Vesuvium et Claud. Pulchrum legatum, ac P. Vatinium prætorem bello vicerunt. (*Florus*, l. III, c. 20, *Eutrop. Epit. Victoris.*)

[7] *Cilix pirata.* Intelligit bella piratica a Pompeio confecta. *Florus.* Cilix autem populus oram Amano et Tauro montibus, Pamphylia, et mari circumscriptam habitabat.

[8] *Tenentibus arma fugitivis.* Intellige de bellis servilibus, quæ gesta anno U. C. 681 et 683 refert Florus.

[9] *Suum.* Maximum, origine Britannum.

[10] *Exsules orbis.* Virgil, Eclog. I, 67:

Toto divisos orbe Britannos;

et Horat. lib. I, od. 35;

Ultimos orbis Britannos.

[11] *Perfidia ducum.* Nempe Merobaudis, inquit Vulgaris Prosper in Chronico.

XXIV. — [1] *Lustrale justitium.* Quinquennium intelligit, quo per vim et absque ullo legum et æquitatis usu tyrannidem Maximus occupavit.

[2] *Sensus est levior.* Nam ut ait Horatius de Arte poetica: *Segnius irritant animos, demissa per aures, Quam quæ sunt oculis subjecta fidelibus.*

[3] *Interitum Gratiani.* Qui, ut ait hoc loco Pacatus, item et Zosimus ac Prosper in Chronico, a Maximo victus; juxta aliquos vero ab exercitu proditus, atque a Maximo per dolum oppressus; juxta alios cum trecentis equitibus Parisiis Alpes et Italiam versus ad Valentinianum fratrem confugiens Lugduni per Andragathium a Maximo immissum interfectus est.

[4] *Alia licet.* Quamvis ad Italiam et Hispaniam Galliis conterminam Maximi fama pervaserit, ea re certe utraque recreatur, quod *ille*, id est, Hispania Maximi furorem non viderit: *Hic*, id est, Italia ejusdem cædem viderit. Nam apud Aquileiam, quam Plinius in decima Italiæ regione collocat, Maximus occisus est. Nota autem pronomen *hic* ad remotius nomen, *ille* ad propinquius contra solitum referri.

[5] *Cœpit.* In Britannia; *desitit* in Italia.

XXV. — [1] *Capita diminuta.* Diminutio capitis apud Jurisconsultos est prioris status permutatio, cum scilicet aut libertatem, aut civitatem, aut familiam amittimus. Quare triplex est capitis diminutio, maxima, media, et minima. De quibus Jurisconsultos vide.

[3] *In numerum dignitates.* Seu *in ordinem:* utrumque enim eodem sensu sæpe apud Tullium aliosque scriptores dicitur, ducta metaphora, inquit Lipsius, vel a militia, vel a magistratibus. Quippe quia inter milites sunt extra vel supra ordines legati, tribuni, etc., il cogi in ordinem videntur, cum spoliati suo munere pares habentur gregariis. Itidem in magistratu qui eminet, nec est in vulgi classe vel ordine, is redigi in ordinem dicitur, cum auctoritas ejus spernitur aut violatur.

numerum dignitates, et [3] exutos trabeis consulares, et senes [b] fortunarum superstites et infantium sub ipso sectore ludentium flendam securitatem; cum interim miseri vetabamur [a] agere miseros, imo etiam cogebamur mentiri [b] beatos, et cum domi atque secreto solis conjugibus ac liberis [3] credidissemus furtivum dolorem, procedebamus in publicum [c] non nostræ fortunæ vultu. Audires enim dicere delatorem: Quid ita ille tristis incedit? An quia pauper ex divite est? Non enim se vivere gratulatur? Quid ita hic publicum [7] atratus incestat? Luget, credo, fratrem. Sed habet filium. Ita fieri non licebat amissa, metu reliquorum. Serenos ergo nubilis mentibus vultus induebamus, et ad illorum vicem, qui degustato [8] Sardorum graminum succo, feruntur in morte ridere, imitabamur læta mœrentes. Est aliquod calamitatum delinimentum dedisse lacrymas malis, et pectus laxasse suspiriis. Nulla major est pœna quam esse miserum, nec videri. Spes inter hæc nulla prædonis explendi. Nec enim, ut natura fert, copiam satietas sequebatur, crescebat in dies habendi fames, et parandi rabiem parta irritabant. Ut ægrorum sitim potus accendit, ut ignis arentibus non obruitur, sed augetur, ita coactæ publica egestate divitiæ aviditatem jejunæ mentis acuebant.

XXVI. [1] Stabat ipse purpuratus [c] ad lances, et momenta ponderum, [9] nutusque trutinarum pallens atque inhians exigebat. Comportabantur interim spolia provinciarum, exuviæ exsulum, bona peremptorum. Hic aurum matronarum manibus extractum, illic raptæ pupillorum [5] cervicibus bullæ, istic dominorum cruore perfusum appendebatur argentum. Numerari ubique pecuniæ, fisci repleri, æra cumulari, vasa concidi; cuivis ut intuenti non illud imperatoris domicilium, sed latronis receptaculum videretur. Sed tamen latro raptis abutitur, et ablata aliis sibi reddit; nec ideo vias saltusque obsidet, ut thesaurum struat atque defodiat, et cum scelere miser sit; sed ut gulæ ventrique suppeditet, nec desit sumptus impendiis. Nam et effundit et negligit, eadem perdendi et quærendi facilitate. Noster ille pirata, quidquid undecumque [b] converrerat, id nobis sibique periturum, in illam specus sui [3] Charybdim congerebat. Charybdim loquor? quæ cum plena navigia sorbuerit, dicitur tamen rejectare naufragia, et contortas fundo rates [6] Tauromenitanis littoribus exponere. Bona nostra ad ærarium una et perpetua via ibant, nullas eorum reliquias, nulla fragmenta vel sero victa fastidio illa communis vorago revomebat.

XXVII. Est improborum principum postrema defensio, auferre donandi gratia, et invidiam rapinarum magnitudine munerum [d] deprecari; quæ, malum! ratio est, abstulisse omnibus, quod nullus habiturus sit? Et privatorum quidem avaritiæ licet mala, tamen aliqua defensio est, timetur inopia, et [1] reponitur senectuti, et prospicitur hæredi. Quam affert causam concupiscendi, qui, quantum ubique est, habet? Quin ego, si fas piumque mortalibus existimare cœlestia, nullam majorem crediderim esse principum felicitatem quam fecisse felicem, et [e] intercessisse inopiæ, et vicisse fortunam, et dedisse homini [f] novum fatum. Itaque imperatori propriam majestatem bene æstimanti, non tam illud videri suum debet, quod abstulit, quam quod dedit. Nam cum intra ipsum volutantur omnia, et ut ille, qui cuncta ambit oceanus, quas suggerit aquas terris recipit e terris, ita quidquid in cives manat a principe redundat in principem; et rei et famæ bene consulit munificus imperator. Lucratur enim gloriam, cum det pecuniam reversuram.

INTERPRETATIO.

[a] Pro miseris nos gerere.
[b] Hilares.
[c] Et inclinationes ponderum, ac lancium motus levissimos anxie et avide observabat.
[d] Excusare.
[e] Removisse inopiam.
[f] Novam sortem.

NOTÆ.

[3] *Exutos trabeis.* Id est, consulatus insignibus spoliatos.

[b] *Fortunarum superstites.* Id est, senes prius fortunis, quam vita cassos.

[3] *Credidissemus.* Clanculum de malis nostris conquesti eramus.

[c] *Non nostræ fortunæ.* Vultu non conveniente nostræ conditioni.

[7] *Atratus.* Atra vestis propria fuit virorum in luctu. Nam quod ad fœminas spectat, alia aliis temporibus fuit: modo nigra, modo alba.

[8] *Sardorum succo.* Notum est, quod de Sardoa herba ferunt, ita eorum a quibus degustaretur ora contrahente, ut agerent animam veluti ridentes. Unde Sardonicus risus celebratus pro ficto, aut amarulento risu. Quamquam non desunt, qui aliam hujus rei originem referunt. *Sardi* autem, Sardiniæ insulæ populi.

XXVI. — [1] *Stabat ipse.* ὑποτύπωσις hominis nequiter attenti ad eorum bonorum venditionem, quibus summis perfunctos honoribus viros, matronas, pupillos ac provincias integras spoliasset.

[9] *Nutusque trutinarum.* Nutus trutinarum appellat, cum altera lanx deorsum vergit, propendetque.

[5] *Cervicibus bullæ. Bulla suspendi in collo infantibus ingenuis solet aurea, libertinis scortea*, inquit Asconius. Quem morem a Tarquinio Prisco inductum ferunt, cum filium suum 14 annos natum de Sabinis victorem hoc honore donavit.

[b] *Converrerat.* Ita Balduinus post complures alios legit, pro *convenerat*, uti est in aliis editionibus.

[3] *Charybdim.* Fretum inter Italiam et Siciliam, contrariorum fluctuum collisione rapta quæque absorbens et eructans. Charybdim autem poetæ ferunt mulierem fuisse rapacissimam, quæ cum Herculis vaccas rapuisset, a Jove percussa fulmine, in monstrum conversa est.

[6] *Tauromenitanis littoribus.* Tauromenium urbs est Siciliæ, cum portu in ora orientali inter Messanam et Catanam, hodie *Taormina*.

XXVII. — [1] *Reponitur senectuti.* Sic apud Horat. serm. l. 1, Sat. 1: *Hac mente laborem sese ferre senes, aiunt, ut in otia tuta recedant . . . . sicut parvula nam exemplo est magni formica laboris.*

XXVIII. Sed illi quidem stulta omnis ratio captandæ laudis videbatur, qui, præter insitum pessimo cuique boni exempli odium, [a] summam felicitatem habendi ac nocendi fine determinans, non solum ut quam plurimum [b] quæreret, sed ut nihil cuiquam reliqui faceret, laborabat. Nec enim, qui regibus mos est, [1] exercendis invigilabat metallis, ut latentia naturæ bona in usum arcesseret, et pararet innoxias nullo pauperiore divitias. Parum ille pretiosum putabat aurum, quod [2] de montium venis, aut fluminum glareis [3] quæsitor Bessus, aut scrutator [4] Callaicus eruisset, illud purius splendidiusque credebat, quod dedissent dolentes, quod hominum lacrymæ, non amnium aquæ abluissent, nec e terrenis specubus egestum, sed e cervicibus jugulisque cæsorum esset effossum. Sic cum immitis tyranni [5] et stylus timeretur et gladius, transierat in vota paupertas, et ut possemus effugere carnificem, optabamus [6] subire sectorem. Quod si cui ille pro cæteris sceleribus suis minus crudelis fuisse videtur, vestrum is vestrum, [7] Vallio triumphalis, et [8] trabeate Merobaudes recordetur interitum. Quorum alter post amplissimos magistratus, et purpuras consulares, [9] et contractum intra unam domum quemdam bonorum senatum, vita sese abdicare compulsus est; alteri manibus [10] satellitum Britannorum gula domi fracta et [c] inusta [11] fœmineæ mortis infamia, ut scilicet maluisse vir ferri amantissimus videretur laqueo perire quam gladio. Sed in illos fortasse speciales putaretur habuisse odiorum causas tyrannus; steterat enim uterque in acie Gratiani, et Gratianus utrumque dilexerat: quid de his dicimus, [d] qui honorum ac principum nescii, et tantum inter suos clari, nobiles animas sub carnifice fuderunt?

XXIX. De virorum mortibus loquor, cum descensum recorder ad sanguinem fœminarum, et in sexum cui bella parcunt non parce sævitum? Sed nimirum graves suberant, invidiosæque causæ ut [1] unco ad pœnam [2] clari vatis matrona raperetur. Objiciebatur enim, atque etiam exprobrabatur mulieri [3] viduæ nimia religio, et diligentius culta divinitas. Quid hoc majus poterat intendere [4] accusator sacerdos? fuit enim, fuit et hoc delatorum genus, qui nominibus antistites, revera autem satellites, atque adeo carnifices non contenti miseros avitis [e] evolvisse patrimoniis, calumniabantur in sanguinem, et vitas premebant reorum jam pauperum. Quin etiam cum judiciis [5] capitalibus astitissent, cum gemitus et tormenta mi-

INTERPRETATIO.

[a] Ratus eo se feliciorem fore, quo plus haberet ac noceret.
[b] Raperet.
[c] Imposito mortis ignavæ probro, quasi, etc.
[d] Qui honorum et principum amicitiæ expertes.
[e] Evertisse.

NOTÆ.

XXVIII. [1] *Exercendis metallis.* Aut eruendis, aut conflandis, aut signandis.

[2] *De montium venis.* Aurum invenitur 1° in fluminum glareis, ut in Tago Hispaniæ, Pado Italiæ, Hebro Thraciæ, Pactolo Asiæ, et Gange Indiæ; 2° in puteorum scrobibus; 3° in ruinis montium ac terræ visceribus. Ita ex Plinii l. xxxiii, c. 4, notat Puteanus.

[3] *Quæsitor Bessus.* Bessi populi Thraciæ ad Hæmum montem incolentes, quos scrutandi per cuniculos auri peritissimos referunt Vegetius l. iii, c. 11, et Claudianus de cons. Mallii 39. *Quidquid fluviis evolvitur auri: Quidquid luce procul venas rimata sequaces Abdita pallentis fodit solertia Bessi.*

[4] *Callaicus.* Populus Hispaniæ eam regionem incolens, quæ nunc Gallæcia dicitur. Ubi magnam auri copiam fuisse tradit Plinius l. xiii, c. 4.

[5] *Et stylus.* Id est proscriptiones. Verbum juris est, sic Tullius pro Cluentio, *stylum Censorium gladiumque Dictatorium* appellat.

[6] *Subire sectorem.* Budæus eos proprie dicit *sectores* appellatos, qui delationibus faciendis confiscationes a principibus impetrabant, ut homines interdum insontes fortunis omnibus everterent. Ita censet Asconius et post eum Jurisconsulti pene omnes. Supra vero mentio est *puerorum sub sectore ludentium.*

[7] *Vallio triumphalis.* *Balio* pro *Vallio* reponunt Balduinus, et Puteanus ex Ambrosii ep. 27, ubi Balio bellator egregius, cum a Maximo interfici jussus esset, sibi ipsi manus attulisse dicitur. Sunt qui Vallionem hunc, sive Balionem non alium fuisse putant a Saturnino, qui tum erat cum Merobaude consul, cum Gratianus interfectus est. Errant autem, qui pro Bautone consule illum accipiunt. His enim aperte refragatur Ambrosius: cum addit eodem loco Maximum de Bautone, quasi de altero Balione decernere voluisse.

[8] *Trabeate Merobaudes.* Id est tum consul, cum Gratianus cæsus est. Merobaudem ortu Hispanum fuisse, eumdemque eloquentiæ im primisque poeticæ studio præstantem refert Idatius in chronico. Is cum fugienti Gratiano socium sese adjunxisset, quo ipsum in Italiam ad Valentinianum fratrem deduceret, uterque Lugduni ab Andragathio opprimitur. Quare graviter hallucinatur Prosper Vulgaris in Chronico, cum dicit Gratianum *Parisiis Merobaudis magistri militum proditione superatum fugisse.*

[9] *Et contractum.* Postquam magistratus omnes, ac dignitates senatus in familiam suam intulisset.

[10] *Satellitum Britannorum.* Nam Maximus tyrannidem primum in Britannia occuparat.

[11] *Fœmineæ mortis.* Ignavæ.

XXIX. [1] *Unco ad pœnam.* Reos unco ad mortem raptari solitos supra diximus in Plinii paneg. n. 33. not. 11.

[2] *Clari vatis matrona.* Euchrocia uxor Delphidii poetæ, de quo Anson. *de profess. Burdegal. carm.* 6. Illa autem ob Priscilliani errores Treveris cum multis aliis ejusdem noxæ consortibus morti addicta est. (*Prosper in Chronico.*)

[3] *Viduæ.* Mortuo Delphidio.

[4] *Accusator sacerdos.* Idatium episcopum innuit; mox enim addit: *qui nominibus antistites, revera autem satellites.* Idatium autem ideo excommunicatum narrat Ambrosius, quod Priscilliani errores proscribere non contentus, ejus sanguinem in consistorio regis peteret, sanctos viros bene multos, imprimisque S. Martinum, tamquam ejusdem erroris reos, apud imperatorem accusaret. Quod sævitiæ exemplum cum secuti essent, ex iis qui in Maximi aula erant plures episcopi, cum iis communicare noluit D. Ambrosius.

[5] *Capitalibus.* Id est, ubi de reorum capite ageretur.

serorum auribus ac luminibus hausissent, cum lictorum arma, cum damnatorum [a] [6] fræna tractassent, pollutas pœnali manus contactu ad sacra referebant, et cæremonias quas incestaverant mentibus, etiam corporibus [b] impiabant. Hos ille [7] Phalaris in amicis habebat, hi [8] in oculis ejus, atque etiam in osculis erant; nec injuria, [c] a quibus tot simul votiva veniebant, avaro divitum bona; cruento innocentium pœna; impio religionis [d] injuria.

XXX. Tandem in nos oculos Deus retulit, et bonis Orientis intentus, ad mala nostra respexit, et [e] hunc sacerrimo capiti [1] objecit furorem, ut [2] fœdus abrumpere, [3] jus feciale violare, bellum edicere non timeret. An ego sine divino numine factum putem, ut qui sub nomine pacis ludere, et [4] primi sceleris pœnas lucrari quiescendo potuisset, secundum tertiumque vexillum latrocinii civilis attolleret, et superatis [5] Alpibus Cottiis, Julia quoque claustra laxaret, tibique, imperator, imponeret, servatæ adhuc veniæ fidem, vincendi necessitatem. Agebat eum, credo, præcipitem vindicanda jam proximo ultore respublica, et exs'inctus aperto [6] dominus parricidio pœnas ab eo debitas expetebat. Non id confidentia, sed amentia; non temeritas, sed necessitas erat; nec ultro lacessebat ille te bello; sed ulterius [f] se negare supplicio non poterat. Alioquin quomodo tantam concepisset audaciam, ut ruere in ferrum, et obviam morti venire tam ignavus et timens mortis anderet, ut qui se non potuerit postea vel victus occidere? Et te quidem, imperator Auguste, ad asserendam rem; ublicam, usurpandamque victoriam suf- fecisset in bella vel solum venire. Nam si olim domini adversum rebelles servos dimicaturi [7] flagra in aciem detulerunt, tantaque vis conscientiæ fuit, ut ab inermibus verterentur armati, et qui obtulerant mortibus pectora darent terga verberibus: nonne tu quoque legionibus otiosis rem totam visus, egisses?

XXXI. An sustinere te coram, et solum oculorum tuorum ferre conjectum ille quondam domus tuæ [1] negligentissimus vernula, mensularumque servilium statarius lixa potuisset? Non statim totum subisset hominem præterita sui inique reputatio? Non ipse sibi objecisset te esse [2] triumphalis viri filium; [g] se patris incertum? te hæredem nobilissimæ familiæ; [3] se clientem? te omni retro tempore Romani exercitus ducem, libertatis patronum; [h] se [4] orbis extorrem, patriæque fugitivum? jam vero te principem in medio reipublicæ sinu, omnium suffragio militum, consensu provinciarum, ipsius denique ambitu imperatoris optatum; se in ultimo terrarum recessu, legionibus nesciis, [i] adversis provinciarum studiis, nullis denique auspiciis in illud tyrannici nominis aspirasse furtum? postremo tecum fidem; secum perfidiam; tecum fas; secum nefas; tecum jus; secum injuriam; tecum clementiam, pudicitiam, religionem; secum impietatem, libidinem, crudelitatem, et omnium scelerum, postremorumque vitiorum stare collegium? Res ipsas interrogemus, et, quæ certissima conjectatio est, [j] colligamus gerenda gestis. Num tandem dubitari potest, quid fuerit eo præsente, facturus, quem non vidit, et fugit?

XXXII. Quamvis igitur, imperator, hoste tali abu-

INTERPRETATIO.

[a] Vincula.
[b] Polluebant.
[c] Per quos tot res optatissimas simul consequebatur.
[d] Vio'atio.
[e] Homini improbissimo injecit.
[f] Se subducere morti.
[g] Se incerti patris.
[h] Se ejectum ab omnibus et patria pulsum.
[i] Adversantibus.
[j] Ex gestis rebus gerendas æstimemus.

NOTÆ.

[6] *Fræna.* An potius *funera*, ut emendat Livineius.

[7] *Phalaris.* Phalaridis Agrigentinorum tyranni nota crudelitas, ut ferocis alicujus tyranni exemplum quærenti, statim ille occurrat.

[8] *In oculis ejus. Esse alicui in oculis.* Ciceronianus, Tereutianusque loquendi modus pro *amari unice*: *esse* vero *in osculis*, ubi præterea legatur haud scio.

XXX. — [1] *Objecit furorem.* A diis iratis mala consilia in hominum mentes immitti veteres existimabant. Quare Pacatus hoc loco Deo totius Orientis patrono Maximi furorem tribuit. Sic Homerus Iliad. A, vers. 8:

Τίς δ' ἄρ σφωε θεῶν ἔριδι ξυνέηκε μάχεσθαι.

Quisnam ipsos deorum contentione commisit pugnare? Tullius pro Milone, n. 88: *Hic dii immortales, ut supra dixi, mentem dedernnt illi perdito, ac furioso, ut huic faceret insidias; aliter perire pestis illa non poterat.* Sic apud Virgil. Æneid. I, 72:

Quis deus in fraudem, quæ dura potentia nostra
Egit?

[2] *Fœdus abrumpere.* Maximus suscepto invadendæ Italiæ consilio, veritus ne in Alpium transgressu concideretur, Domnino, quem Valentinianus Aquileia, quo se receperat sibi legarat, pacem petenti in speciem annuit, at redeuntem cum exercitu suo occulte insecutus, Italiam subito occupavit (*Prosper Pithœi*).

[3] *Jus feciale violare.* Id est bellum inferre ante missos feciales. Neque enim licebat bellum inferre, nisi hi et justa causa susceptum declaravissent, et prius indixissent. (*Varro.*)

[4] *Primi sceleris.* Occupati imperii pœnam effugere.

[5] *Alpibus Cottiis.* Alpes aliæ *Cottiæ*, aliæ *Juliæ*: etc.

[6] *Dominus.* Gratianus.

[7] *Flagra in aciem.* Id de Scythis referunt Herodotus initio Melpomenes. Justinus l. II; et Claudianus l. I in Eutropium 508. *Ut Scytha post multos rediens exercitus annos cum sibi servili pro finibus obvia pubes iret, et arceret dominis tellure reversos, armatam ostensis aciem fudere flagellis.*

XXXI. — [1] *Negligentissimus vernula.* Nempe Maximus, quem mox *statarium lixam* Ausonius; *armigerum lixam* appellat Pacatus. Atqui Zosimus l. IV Maximum Theodosii commilitonem fuisse dicit. Sed quæ, ut jam sæpe dixi, huic auctori fides esse debeat. Nisi forte commilitonem Theodosii vocet, qui ei pugnanti instar calonis aut vernulæ ministrasset. *Vernula* autem is est, qui ex famula natus. Ita *glossa editionis Basileensis.*

[2] *Triumphalis viri filium.* Theodosii pater triumphalia meruerat post Gothos superatos.

[3] *Se clientem.* Tuæ familiæ.

[4] *Orbis extorrem.* Quia ex divisa toto orbe Britannia esset oriundus

tereris, nec tam ad prælium conserendum quam ad supplicium de nefario capite sumendum venires, consiliis tamen tantis, tantisque rationibus bellum administrabas, [1] ut cum Perse aliquo decertaturus, aut Pyrrho, aut cum illo ipso Annibale videreris. Nam primum fidem regum, quibus limes Orientis ambitur, data atque accepta dextera firmas, quo foris securus agitares, si nihil sollicitum et suspectandum domi reliquisses. Tunc copias tuas [a] trifariam dividis, ut et hostis audaciam multiplicato terrore percelleres, et [b] fugam circumfusus ambires. Postremo [2] populis barbarorum, ultroneam tibi operam ferre voventibus commilitonum munus [c] indulges, ut et [3] limiti manus suspecta desederet, et militi auxiliator accederet. Qua tua benignitate pellectæ omnes Scythicæ nationes tantis examinibus confluebant, ut, quem remiseras tuis, barbaris videreris imperasse dilectum. O res digna memoratu! Ibat sub ducibus vexillisque Romanis hostis aliquando Romanus, et signa contra quæ steterat sequebatur, urbesque [4] Pannoniæ, quas inimica dudum populatione vacuaverat, miles impleverat. [5] Gothus ille, et Hunnus, et Alanus respondebat ad nomen, et alternabat excubias, [d] et notari infrequens verebatur. Nullus tumultus, nulla confusio, nulla direptio, [e] ut a barbaro, erat. Quin si quando difficilior frumentaria res fuisset, inopiam patienter ferebat, [f] et quam numero arctarat annonam, comparcendo laxabat; pro omni præmio omnique mercede id unum reposcens, ut tyus diceretur. Quanta est virtutis ambitio! [6] Accipiebas beneficium quod imputares.

XXXIII. Memorabile putavit antiquitas, quod [1] Actiaco aliquando bello ducibus motibusque Romanis peregrina Ægyptus arma permiscuit, tantumque res credita est habere novitatis, [g] ut nisi frequenter isset in litteras, apud posteros videretur facti fides laboratura. Nam quis annalium scriptor, aut carminum tuas illas, [2] Cleopatra, classes, et [h] eborata navigia, et purpurea cum auratis funibus vela tacuit? Quin ita crebro historia recantata est, [i] magis ut ab eisdem sæpe dicta, quam ut ab aliquo intermissa videatur. Non contendam duces. Nec enim principem nostrum non dicam victus Antonius, sed victor Augustus æquaverit. Quid in cæteris saltem simile deprehendimus? maxime [j] si rerum temporumque facies altrinsecus conferamus, et [3] hos illosque populos animorum subjiciamus oculis. Illos vela facientes [k] data ventis classis attulerat, hi longum iter [l] sub armorum [4] fasce carpebant. Illos [5] peregrino igne suspirans regina pellexerat; hos amor laudis, et participandæ gloriæ cura rapiebat. Illos tepens [6] Pharus, et [7] mollis Canopus, lævumque populorum [8] altor Nilus emiserat; hos [9] minax Caucasus, et [10] rigens Taurus, et ingentium corporum [11] durator Ister effuderat. Illos tenero perlucentes amictu, et vix leve carbasum [m] vitando sole tolerantes alterno concussa tinnitu [12] sistra ducebant; hos [n] loricis onustos in-

INTERPRETATIO.

[a] In tres partes.
[b] Fugiendi viam undequaque involvens præcluderes.
[c] Tribuis ut suspecti homines de finibus abscederent, et copiis tuis auxiliares se adjungerent.
[d] Et metuebat ne officio defuisse accusaretur.
[e] Ut barbari solent.
[f] Et quam annonam ob multitudinem, etc.
[g] Ut nisi sæpe traditum fuisset litteris factum istud, vix apud posteros inventurum esset fidem.
[h] Ebore ornata.
[i] Potius.
[j] Si conditionem rerum et temporum utraque ex parte conferamus.
[k] Ventis permissa.
[l] Onere.
[m] Ad arcendum solem.
[n] Cataphractis.

NOTÆ.

XXXII. —[1] *Ut cum Perse.* De Perse Macedonum ultimo rege, quem vicit Æmilius. Vide Livium l. XL, Justinum l. XXXIII, et de Pyrrho Epirotarum rege vide Plutarchum.

[2] *Populis barbarorum.* Scythicas nationes, ut mox ait.

[3] *Limiti.* Istriano.

[4] *Pannoniæ.* De Pannonia vide Plinii paneg., n. 8, not. 5.

[5] *Gothus ille.* De Gothis vide, si lubet, Genethliacum Maximiani Augusti, auctore Claudio Mamertino, n. 17, not. 2.

[6] *Accipiebas beneficium.* Ita conferebant in te beneficium, ut te magnam a se gratiam inire putarent.

XXIII.—[1] *Actiaco bello.* Virg. Æneid. I. VIII, 685:

Hinc ope barbarica variisque Antonius armis
Victor ab Auroræ populis, et littore rubro
Egyptum viresque Orientis et ultima secum
Bactra vehit.

[2] *Cleopatra.* De Ægypti regina Cleopatra ejusque classe magnifica passim exstat apud historiæ Romanæ scriptores.

[3] *Hos illosque populos.* Elegans Antonii et Theodosii oppositio.

[4] *Sub armorum fasce.* Tale illud Virg. Georg. III, 346.

Non secus ac patriis acer Romanus in armis
Injusto sub fasce viam cum carpit, etc.

[5] *Peregrino igne.* Antonii amore incensa.

[6] *Pharus.* Olim insula fuit Nili ostio objecta, dieque unius navigatione a continente dissita, hodie vero Alexandriæ ponte conjuncta. Hic ingens turris fuit, in qua noctu accensæ faces navigantium cursum regebant, unde speculæ similem in usum constructæ *Phari* appellatæ sunt.

[7] *Mollis Canopus.* Urbs Ægypti ad ostium Nili, dictum ex ea Canopicum *mollis* dicitur, quia molles Ægyptii.

[8] *Altor Nilus.* De Nilo propter Ægyptum, quam suis eluvionibus fœcundat ejus regionis altore vide Plinii paneg. n. 30.

[9] *Minax Caucasus.* Pars Tauri montis, inter Pontum Euxinum et mare Caspium. *Minax* dicitur quia altus ac præceps ac ruenti similis,

[10] *Rigens Taurus.* Propter nives, quibus ut plurimum mons iste opertus est.

[11] *Durator Ister. Indurator*, Germani procero corpore.

[12] *Sistra ducebant.* Virg. Æneid. VIII, 696, de Cleopatra regina,

In mediis patrio vocat agmina sistro.

De forma et figura sistri vide Ruæum nostrum in hunc Virgilii locum.

clusosque ferro [13] fractæ voces tubarum, ingenium que luctuum clangor acuebat. Quæ tandem, ut collatio posset esse populorum, [a] etiamsi tanta non esset dissimilitudo causarum, ut ab illis fuerit Romani imperii appetita captivitas, ab his repetita libertas. Quo tibi, Imperator, indignius videbatur [b] ejus piaculi quemquam inveniri potuisse consortem, cujus se barbarus agebat ultorem.

XXXIV. Sed illi quidem nefario sanguine belli primitias imbuentes, par pœnæ culpæque documentum fuerunt. Testis est [1] Siscia, testis [2] pulcherrimi Savæ conflictus, si conflictus ille dicendus est, quo ita in publicos proditores animi plenus miles [c] invasit, ut eum nec numerus resistentium, nec maximi fluminis altitudo remorata sit, quin, ut erat ex longissimo itinere anhelus atque pulvereus, equos calcaribus incitaret, amnem nando conjungeret, ripam insiliret, paratos denique exspectantesque deprehenderet. Sermo iste prolixior est, quam illa res fuerit. Vix fluvium manus invicta transierat; jam locum belli tenebat. Vix hostem invenerat, jam urgebat. Vix pectora viderat; jam terga cædebat. Datur debito rebelle agmen exitio; volvuntur impiæ in sanguine suo turbæ; tegit totos strages una campos, continuisque funeribus cuncta late operiuntur. Jam qui ad muros [d] differenda morte properaverant, aut fossas cadaveribus æquabant, aut [e] obviis sudibus induebantur, aut portas, quas eruptione patefecerant, morte claudebant. At quorum se fugæ impervius ripis amnis objecit, trepidando collecti, et alterum quisque complexi, per abrupta glomerantur. Spumat decolor cruore fluvius, [f] et cunctantes meatus vix eluctatis cadaveribus evolvit, [g] utque se tibi posset speciali imputare militia, ipsum illum [3] vexillarium sacrilegæ factionis avidis gurgitibus absorbuit; et, ne morti sepultura contingeret, cadaver abscondit. Nonne [h] utroque credendus tuæ studuisse vindictæ, et adjuvando victoriam, et [4] occupando clementiam?

XXXV. En tibi alteram pugnam, alteramque victoriam. Dilectas in prælium Marcellinus cohortes, et ipsum factionis nefariæ robur illa [1] belli civilis Megæra rapiebat, tanto cæteris satellitibus audentior, quanto [2] exertiorem operam navabat tyranno frater tyranni. Quo quidem maxime, tuus gaudebat exercitus, cum se ultro videret lacessi, qui nihil magis timuerat [3] quam timeri; adeo quidem, ut castris ad castra collatis, quod [i] præcipiti die manum conserere non poterat, spe victoriæ cum luce venturæ [j] pervigil ageret, tardum solem, desertorem diem, [k] annuum noctis æstivæ tempus criminaretur. Ecce lux tandem, et jam omnis campus horrebat exercitu: [4] divisi in cornua equites, leves ante signa [5] velites, dispositæ [6] manipulatim cohortes, [l] et gradu pleno ferentes agmina [7] quadratæ legiones universa late, qua visus agi poterat, occuparant. Nondum se virtus [m] experiebatur; jam disciplina vincebat. At postquam intra conjectum teli acies utraque promovit, et effusis hinc inde jaculorum sagittarumque nimbis [8] res venit [n] ad capulos, milites pristinæ virtutis, Romani nominis, imperatorum denique memores, causam

INTERPRETATIO.

[a] Vel si causæ non adeo diversæ *ad bellum impulissent*, ut illi Romani imperii libertatem impeterent, si isti suam tuerentur.

[b] Ullum ejus sceleris reperiri potuisse conscium cujus *vel ipsi* barbari ultores esse non recusabant.

[c] Irruit

[d] Ad differendam necem.

[e] Impingebant in adversos sudium *mucrones*.

[f] Et fluctus ægre agit.

[g] Ut suo modo tibi militare posset ac favere.

[h] Utraque re.

[i] Inclinante.

[j] Noctem ageret.

[k] Æstivam noctem accusaret, quasi anno longiorem.

[l] Et confertis ordinibus agentes agmina, procul loca, quæ oculi pertingere poterant, repleverant.

[m] Expromebat.

[n] Ad gladios.

NOTÆ.

[13] *Fractæ voces tubarum.* Inconditæ. Virg. Georg. IV, 72:

Et vox auditur fractos sonitus imitata tubarum.

XXXIV. — [1] *Siscia.* Seu *Syscia* nobilis urbs Pannoniæ ad Savum seu Savam fluvium, et Segesticam ejus insulam, qua ex Pannonia itur in Italiam. De qua Strabo l. V, et Plinius l. III, c. 25. Hic primum victus est Maximus.

[2] *Pulcherrimi Savæ.* A Puteano discedo in quo est *pulcherrimus amne conflictus*, ut Cuspiniani codicem sequar. *Savus* enim seu *Sava* Siscize fluvius, est ad quem pugna commissa est, victusque a Theodosio Maximus.

[3] *Vexillarium sacrilegæ factionis.* Andragathium intelligit.

[4] *Occupando clementiam.* Clementiæ locum non relinquendo.

XXXV. — [1] *Belli civilis Megæra.* Marcellinus tyranni Maximi frater. Altera autem Maximi clades ad Petavionem contigit, cum cæsus est Marcellinus, ut innuere videtur Ambrosius ep. 29.

[2] *Exertiorem.* Statius *exertum bellum* dicit pro *aperto*. Hic sumitur pro *acriore*, vehementiore. Exerit enim se, qui omnes exercet nervos, qui nihil relinquit inexpertum.

[3] *Quam timeri.* Similis locus apud Claud. versu 235 et 240: *Res mira relatu, ne timeare times.*

[4] *Divisi in cornua.* In exercitu cornua dicuntur partes aciei ab utroque latere prominentes. Alterum dextrum est, alterum sinistrum; quod inter utrumque interjectum est, media acies dicitur.

[5] *Velites.* Milites levis armaturæ, et expeditiores ad cursum propterea quod gravioribus armis non uterentur. Alii velites dictos putant quasi velatos, quod vestiti essent potius quam armati. Alii velites a celeritate dictos putant, quasi volites *o* in *e* mutato. Alii rursus ἀπὸ τοῦ βάλλειν, hoc est, a jaculando, quod jaculis potissimum et fundis pugnarent (*Livius* VI *belli Punici*).

[6] *Manipulatim.* Id est, per manipulos. Manipulus autem, auctore Livio, leves vicenos milites, aliam turbam scutatorum habebat. Vegetius vero I. II *de Re militari* scribit manipulum vocari contubernium decem tantum militum sub uno eodemque tecto degentium. Vide Lipsium *de Milit. Rom.* I. II.

[7] *Quadratæ legiones.* Legio quadrata dicebatur a forma, et ordine quem in acie teneret, non quod ex quatuor militum millibus constaret, ut male putant nonnulli. Sed de his supra.

[8] *Res venit ad capulos.* Id est, cum cominus agi cœptum est educto ense.

publicam manu agere. Hostes venditam operam, laceratam Italiam, spem in ferro reliquam cogitantes, gladiatoria desperatione pugnare, nec gradu cedere, sed in vestigio stare, vel cadere.

XXXVI. At ubi impulsa acies, fronsque laxata, et [a] fiducia in pedes versa est, ire præcipites, aut [a] globo fugere, et se invicem festinando tardare. Armati, inermes, integri, saucii, primi, postremique misceri. Miles urgere eminus, cominus, gladiis, hastis, [b] punctim, cæsim ferire. Alii [b] poplitibus imminere, alii terga configere, aut quos cursu non poterant [c] contingere, jaculis [b] occupare. Arma, tela, equi, homines, viva, perempta, prona, supinaque corpora passim, vel in acervo jacere. Illi mutilis excisisque membris, reliqua sui parte fugiebant; hi dolorem vulnerum sequebantur; isti [c] mortes receptas in silvas, et flumina deferebant. Illic postremum spiritum in admiratione nominis tui, et sui ducis detestatione fundebant. Nullus finis cædendi, insequendique, nisi subtraxisset aliquando victoribus mors hostem, et nox diem. At quanto melius [d] manus illa consuluit, quæ submissis precabunda vexillis petiit [a] veniam necessitatis, et terram in oculis premens calcanda [e] vestigiis tuis corpora et arma projecit? Quam tu non superbe, ut victam, non irate, ut ream, non negligenter, ut parum necessariam, præteristi, sed blande liberaliterque tractatam jussisti esse Romanam. Junguntur socia agmina, et sub uno capite diversa reipublicæ membra coalescunt. Ambo pari gaudio feruntur exercitus. Hic opera sua gaudet, hic venia, uterque victoria.

A [f] XXXVII. Nec pia [f] Hæmona cunctantius, ubi te affore nuntiatum, impulsis effusa portis obviam provolavit, et, ut est omne desiderium post spem impatientius, parum credens patere venienti, festinavit occurrere venturo. [f] Fingit quidem, ut scimus, timor gaudium, sed ita intimos mentis affectus proditor vultus [g] enuntiat, ut in speculo frontium imago extat animorum. Velut illa civitas a longa obsidione respirans, quod eam tyrannus Alpibus objacentem tamquam belli limen attriverat, tanta se et [h] tam simplici exultatione jactabat, ut ni esset vera lætitia, nimia videretur. Ferebant se obviæ tripudiantium catervæ. Cuncta cantu, et [i] crotalis personabant. Hic tibi triumphum chorus; ille contra tyranno funebres [j] nænias et carmen exequiale dicebat. Illic perpe-
B tuum victis abitum; ille victoribus crebrum optabat adventum. Jam quocumque tulisses gradum sequi, circumcursare, præcedere; vias denique, quibus ferebaris, obstruere. Nullus cuiquam sui tuive respectus blandam tibi faciebat injuriam [i] contumacia gaudiorum. Quid ego referam [j] pro mœnibus suis festum liberæ nobilitatis occursum, conspicuos veste nivea senatores, reverendos [k] municipali purpura flamines, [g] insignes apicibus sacerdotes? Quid portas virentibus sertis coronatas? Quid [k] aulæis undantes plateas, accensisque funalibus auctum diem? Quid effusam in publicum turbam [d] domorum, [l] gratulantes annis senes, pueros tibi longam servitutem voventes, matres lætas, virginesque securas? Nondum omne confeceras bellum, jam agebas triumphum.

C XXXVIII. Ibat interim Maximus, ac te post terga

INTERPRETATIO.

[a] Turmatim.
[b] Assequi.
[c] Acceptas lethales plagas.
[d] Turba illa.
[e] Gressibus tuis.
[f] Lætitiam simulare potest.
[g] Indicat.
[h] Tam non fucata.
[i] Significatio lætitiæ nimis obstinata.
[j] Ad mœnia.
[k] Ornatas undantibus tapetis.

NOTÆ.

XXXVI. — [a] *Fiducia in pedes versa est.* Ac spes in fuga poni cœpta est. Sumptum illud ex panegyrico Constantini; auctore Nazario, n. 28, *ubi relaxaverit acies, aut frons impulsa titubaverit, fiducia manuum in pedes versa est.*

[b] *Punctim, cæsim ferire.* Modo cuspidem intentantes, modo totam gladii molem vibrantes: qua loquendi formula utuntur Livius et Vegetius. Ipsaque cessit in proverbium, pro eo quod est *totis viribus, omnique conatu rem agere.*

[b] *Poplitibus imminere.* Tale illud Horatii l. III, D od. 4:

Mors et fugacem persequitur virum,
Nec parcit imbellis juventæ
Poplitibus, timidove tergo.

[c] *Contingere.* Ita restituo cum Grutero, pro *continere.*

[a] *Veniam necessitatis.* Postulavit ignosci sibi, quod necessitate impulsa contra te pugnasset.

XXXVII.—[f] *Hæmona.* Urbs Aquileiam ex urbe Siscia tendenti in itinere hodie *Laubach.* Rhenanus vero errat ut Livineius recte advertit, cum pro *Hæmona* reponit *Narona.* Nam quomodo Theodosius exercitum properantem, *ut spatio lucis unius Illyrico continuaret Aquileiam* (sic loquitur Pacatus) longissimo tractu retro agat in imum pene Illyricum, ubi est Narona? Balduino videtur id de Aquileia ipsa intelligendum, ubi postremum victus est Maximus. Sed male mea quidem sententia.

[i] *Crotalis.* Crotalum erat crepitaculum ex ligno, ære, aliave materia ita concinnatum, ut efficere sonum posset manu pulsum. Crotala dicta sunt ἀπὸ τοῦ κροτεῖν a percutiendo.

[j] *Nænias.* Quintilianus l. VIII, c. 2: *Carmen funebre propriè nænia dicitur*, a νέατον ultimum. Erat enim ultimum quod defunctis caneretur, ad tibiam ante cadaver sepultum. Horat. l. II, od. 20: *Absint inani funere næniæ, Luctusque turpes et querimoniæ*, etc.

[k] *Municipali purpura flamines.* Videtur ex hoc loco nonnullarum civitatum flamines habuisse jus purpuræ.

[g] *Insignes apicibus.* Id est, insigniti pileis in acumen desinentibus, quos quia æstivo tempore citra molestiam ferre non poterant, et nudis penitus capitibus incedere nefas erat, filo religarunt: unde flamines dicti sunt, quasi filamines.

[d] *Domorum.* Id est, effusam e domibus multitudinem. Aliqui legunt *bonorum.* In aliis editionibus vox illa plane expungitur.

[l] *Gratulantes anni senes.* Simile quiddam est in Plinii paneg. n. 22: *Te parvuli noscere, ostentare juvenes, mirari senes*, etc.

respectans in modum amentis attonitus avolabat. Nec ullum ille consilium, ullamve rationem, aut denique spem, quæ [a] postrema homines deserit, [a] sequebatur; quin ipsos viæ implicabat errores, et [b] nunc dexter, aut lævus, nunc vestigiis suis obvius incertum iter ancipiti ambage texebat. Quoties sibi ipsum putamus dixisse, [a] quo fugio? Bellumne tentabo? [c] Ut quem viribus totis ferre non potui parte sustineam! Alpes Cottias [d] obserabo? [e] Quia Juliæ profuerunt! Peto Africam? quam exhausi. Repeto Britanniam? quam reliqui. Credo me Galliæ? sed [b] invisus sum. Hispaniæ committo? sed notus sum. Quid ergo faciam, inter arma et odia medius? A tergo premor hostibus, a fronte criminibus. Si morerer [e] evaseram? Sed ecce [c] nec animum sequitur manus, nec manum gladius; labitur ferrum, tremit dextera, [f] mens fatiscit. O quam difficile est miseris etiam perire! Ergo ut clausæ cassibus feræ quæsito diu exitu, desperatoque, consistunt, et præ timore non fugiunt, ita ille, ipso quo agitabatur metu, alligatus in oppidum semet Aquileiense præcipitat; non ut vitam defenderet resistendo, sed ne pœnam frustrando differret. Quamquam quæ poterat ulterior e se dilatio? cum ita vestigiis ejus ac tergo ardens miles insisteret, ut pene omnem, quæ est secuta pompam ultio festinata [e] percepit.

XXXIX. Recte profecto [g] germana illa [g] pictorum, poetarumque commenta, victoriam finxere pennatam, [h] quod hominum cum fortuna euntium non cursus est, sed volatus. Ille ab ultimo orientis sinu festinatis itineribus raptus exercitus, [i] tot nationibus relinquendis, tot fluminibus enatandis, tot scandendis montibus fatigatus, in alio orbe, et sub alio, pene dixerim, sole positus, spatio lucis unius [j] Illyrico continuavit Aquileiam. Nihil tamen sibimet hoc nomine [a] vindicant, et si quando [a] mirantium circulos contrahunt, aut convivia nostra sermone producunt, [k] operam omnem suam fine Alpium terminantes, deberi sibi abnuunt illam celeritatem, quod expertes laborum pervenisse se viderint, quo ire non senserant. Negant imo se suis vectos esse corporibus, sed tanquam per aliquas imagines somniorum ferrentur [b] absentes, præbuisse gestantibus ventis otiosorum ministeria membrorum. [l] Nec fides anceps. Nam si olim severi credidere majores [g] Castoras geminos, albentibus equis, et stellatis apicibus insignes, pulverem cruoremque Thessalicum aquis Tyberis abluentes, et nuntiasse victoriam, et [m] imputasse militiam, cur non [n] tuæ publicæque vindictæ confessam aliquam immortalis dei curam putemus annixam? Nisi forte majorem divini favoris operam res Romana poscebat Macedonico augenda regno, quam tyrannico eximenda servitio. Ego vero, si [o] cœleste studium pro dignitate causarum æstimandum sit, jure contenderim equites tuos [g] Pegasis, [f] talaribus pedites vectos ac suspensos fuisse. [s] Neque enim quia se divina mortalibus dedignantur fateri, idcirco quæ visa non fuerint dubitavimus facta, cum facta videamus, quæ dubitaverimus esse facienda.

XL. [p] Anguste fortunam tuam, Imperator, expendit quisquis id de te tantum, quod fieri potest, credit. An ego, cum ab Alpibus Juliis otioso [q] feriatoque ferro non prælium fuisse videam, sed triumphum, dubitaverim illam specialem quamdam [r] felicitatis tuæ dixisse militiam? Scimus quidem, Imperator, ita te cuncta administrasse, [s] ut non possint

INTERPRETATIO.

[a] Reliquam habebat.
[b] Modo in hanc, modo in illam partem ferebatur, modo vestigia sua relegebat.
[c] Ut cui resistere cum integro exercitu non potui.
[d] Præcludam.
[e] Nec voluntati manus paret.
[f] Animus deficit.
[g] Pictoribus et poetis communia figmenta.
[h] Quod quibus favet fortuna non tam eunt, quam volant.
[i] Tot regionibus peragrandis.
[j] Ex Illyrico venit Aquileiam.
[k] Susceptos a se labores.
[l] Nec fides incerta.
[m] Operam dedisse Romanis in eo prælio.
[n] Manifestam tuæ publicæque vindicte allaborasse.
[o] Deorum favor.
[p] Nimis parce de tua felicitate sentit.
[q] Cessante.
[r] Fortunæ quasi tibi militantis obsequium.
[s] Ut casibus nihil debeas.

NOTÆ.

XXXVIII. — [a] *Postrema homines deserit.* Notus ille Tibulli versiculus l. II, eleg. 6:

Spes fovet, et melius cras fore semper ait.

Plura ex selectissimis auctoribus in unum collegit Aldus Manutius in suis ad Catilinam notis.

[b] *Qua fugio.* Pro *quo fugiam?* Ut passim apud Tullium, *quid ago* pro *quid agam?* Nota autem elegantem et factum expresse Maximi dialogismum.

[c] *Quia Juliæ profuerunt.* Εἰρωνικῶς: Juliæ enim nihil profuerant, easque perruperat Theodosius.

[d] *Invisus sum.* Propter Gratianum interfectum.

[e] *Evaseram.* Hæc mala effugeram.

[f] *Percepit.* Lege cum Acidalio et Livineio *præceperit.*

XXXIX.—[g] *Pictorum, poetarumque,* Magna pictores inter et poetas affinitas. Horat. de Arte poet. 361,

Ut pictura, poesis erit, etc.

[a] *Vindicant.* Nullam sibi laudem ob id tribui volunt milites tui.

[a] *Mirantium circulos contrahunt.* Et si quando res gestas narrant in circulis, ac cœtibus hominum ad eos se audiendi causa confestim certatimque applicantium: quomodo apud Horatium, canente Alcæo, l. II, od. 13. *Pugnas et exactos tyrannos Densum humeris bibit aure vulgus.*

[b] *Absentes.* Forte *obsequentes* ut suspicantur Livineius et Acidalius.

[g] *Castoras geminos.* Id est, Castorem et Pollucem fratres gemellos ex Leda et Jove.

[g] *Pegasis.* De Pegaso poetarum fabulis notissimo supervacaneum est dicere.

[f] *Talaribus.* Per talaria intelligit alas, quas in pedibus Pegasus habuisse dicitur.

[s] *Neque enim.* Etenim cum divina mortalibus oculis se subducant, dubitare non debemus illud contigisse, quod visum non fuerit, cum factum videamus, id est, victum Maximum, quæ vix fieri posse putabamus

se tibi imputare successus, sed fatearis necesse est quantum te in bello, tantum fortunam tuam egisse post bellum.[a] Cui si vocem demus, et judicem, nonne prolixe suam enumerabit operam, et ut virtutibus tuis multa concedat, [f] sibi aliquam vindicabit? Et cur, quæso, non demus, ut acciplamus [g] utriusque partis asserta, cum sit quæ viceris tua? [g] Audio constantiam dicere, Bellum atrox periculosumque suscepi; memorare patientiam, imminensum fier, tempus anni grave semper armata, sæpe jejuna toleravi; tenere prudentiam, [h] partita sum militem, et multiplicavi arte terrorem; asserere fortitudinem, [g] bis conflixi cum hoste, bis vici; omnes postremo clamare: quid tibi debemus, Fortuna, [c] quam fecimus? Sed si illa dicat: properationem militum ego juvi, fugam hostium præpedivi, ego Maximum in muros coegi, et quem vos cogebatis mori, vivum domino reservavi, non video, [b] quod possit esse judicium, quin cum ista pars imputet tyranni fugam, illa custodiam; respublica quæ utrique pariter obnoxia est, ita utramque conjungat, ut fateatur uni semet victoriam, alteri debere vindictam.

XLI. Sed nec tu debitam gratiam beneficii inficiatur abjuras. Nam etsi per te confecteris quæ volebas, per fortunam tamen plus adeptus es quam volebas. Agedum, si videtur, præteritas cogitationes tuas consule, [c] et vota conveni. Num amplius speravisti, quam ut Maximus tibi nuntiaretur occisus, quam ut semivivum ejus caput, nondum clausis tota morte oculis, ex acie referretur, quam ad summum ut fugiens resistensve caperetur? Cæterum quando quod factum est vel optasti, ut se tibi ipse servaret, ut consciscere sibimet interitum nollet, et posset? A Magno quidem, fateor, pectoribus humanis, atque adeo maximo [d] lux amori, interitus horrori est, sed quatenus aut ista optari potest, aut ille vitari. At si ultima supra caput steterit hora, et venerit dies nunquam reversurus, [e] ac se confessa mors fuerit, non timentur extrema, cum certa sunt. Hinc reorum usque ad damnationem metus, postea attonitus stupor, et ex desperatione securitas, et ad locum supplicii voluntaria, carnifice non trahente, properatio. Ut de his taceam qui, cum fatis [i] fortius paciscentes, incertum exitum certo [f] occupaverunt; ut nihil de servis loquar, qui verbera vitavere suspendio, [g] et motus heriles usque ad præcipitia fugerunt; quis unquam [h g] ultra spem timuit? quis idcirco semet occidere noluit, ut occideretur? Nisi vero vel [i] levior B manus aliena quam propria, vel fœdior mors privata quam publica, vel longior pœna ferro incumbere, et corpore vulnus onerare, et recipere interitum statim totum, [j] quam supplicium dividere, poplitem flectere, cervicem extendere ad plagam, fortasse non unam.

XLII. [k] Et tamen quando secum ille ferro transigendum putabat, non potius ignem, laminas, crucem, [l] culeum, et quidquid merebatur, timebat? [l] Numquam profecto tam bene de sceleribus suis sensit, ut mortem potuerit sperare, qua periit. Si igitur nec præsumere veniam reus, nec sperare fugam clausus, nec mortem potuit timere morituros, [m] et certo extremorum levior videri debuit voluntarius quam coactus, honestior privatus quam publicus, postremo brevior occupatus quam exspectatus interitus, [g] num, C cui dubium est in eo, quod non habuit rationem, fuisse fortunam? Illa, illa tyranni consilia cæcavit, illa et animum ejus obtudit et gladium, illa expedi-

INTERPRETATIO.

[a] Et si pro se coram judice diceret.

[b] Quæ super ea contentione sententia ferri possit: nisi cum altera pars sibi ascribat fugatum tyrannum, altera vivum reservatum; respublica quæ utrique multum debet, ita conciliet utramque ut fateatur, etc.

[c] Ac vide quid optaveris maxime.

[d] Vita.

[e] Ac mortis manifestum fuerit periculum.

[f] Prævenerunt.

[g] Et ut herorum manus fugerent, ruerunt in præcipitia.

[h] Amissa spe.

[i] Minus timenda.

[j] Quam mortem per partes ferre.

[k] Quæ cum ita sint, an Maximus quando sibi ipse manus afferre decernebat, non minus hoc mortis genus reformidasse censendus est, quam, etc.

[l] Notiora ei semper sua scelera fuerunt, etc.

[m] Et qui extrema vitare non potest.

NOTÆ.

XL. — [1] *Sibi aliquam vindicabit.* Respicit ad locum Tullii pro Marcello, n. 6.

[2] *Utriusque partis asserta.* Quæ sibi una quæque pars vindicaverit: sive enim quæ fortunæ, sive quæ virtuti tribuetur, tua est.

[3] *Audio constantiam.* Plena artis Prosopopœia, ad Theodosii virtutes percurrendas aptissima.

[4] *Partita sum militem. Trifariam* ut supra dixit, n. 32, *ut et hostis audaciam multiplicato terrore percelleret, et fugam circumfusus ambiret.*

[5] *Bis conflixi cum hoste.* Ad Siscíam et Aquileiam.

[6] *Quam fecimus.* Quæ nobis debes quodcumque es, sive quod.

XLI. — [1] *Fortius paciscentes.* Fortiore animo pactionem cum morte facientes, hoc est eam minus refugientes.

[2] *Ultra spem timuit.* Cum spei nihil æque adversetur ac timor: notatum tamen est a sapientissimis viris, ubi omnis omnino sublata spes est, ne timorem quidem posse subsistere. Pendeat enim oportet metuentis animus; qui si spei, quo sustentetur, nihil prorsus reliquum sit, plane jacet. Atque hoc eleganter admodum expressisse videtur adolescens Terentianus. Andria act. 2. sc. 1: *Væ misero mihi! ut animus in spe, atque in timore usque antehac attentus fuit, ita postquam adempta spes est, lassus, cura confectus stupet.* Muretus Var. lection. l. XII, c. 8.

XLII. — [1] *Culeum.* Culeus uter fuit, seu saccus ex lino, vel cannabe, vel corio factus, ab occulendo, sive claudendo; quod nocentes eo inclusi in profluentem mitterentur: quod parricidæ supplicium fuit.

[2] *Num, cui dubium est.* Quis dubitare potest, id ubi rationi locus non fuit, totum fortunæ fuisse tribuendum?

tam in vulnus manum [g] percussit et tenuit. Nisi vero tu tuum, venerabilis Gratiane, carnificem [a] Diris comitatus ultricibus obsidebas, et irata [i] minax umbra ob os ejus oculosque fumantes infernis ignibus tædas, et crepitantia torto angue flagra quatiebas, [b] ne morti honestæ vacaret, ne regalem illum sacrosanctumque vestitum impio cruore polluëret, ne [c] cultus olim tuus, [g] ac deinceps fratrum futurus, funestum [d] sanguinem, vel dum vindicatur, acciperet, ne postremo te manus ulciscerëtur tyranni, et deberes Maximo vel [e] suam mortem.

XLIII. Et plane ita cuncta diciderunt, ut [e] non servata modo ultio, sed ordinata videatur. Nam unde, quæso, tam repentina conversio, ut qui oppetere timuerat interitum, [f] non timeret expetere, et quem inclusérat metus, proferret audacia? Hic nulla jam reliqua festinandis rebus mora. Actutum fortissimi duces instruendo accinguntur triumpho, capiti diadema [g] decutitur, humeris vestris aufertur, pedibus ornatus evellitur, totus denique homo aptatur [h] ad interitum. Publicè publicus spoliator exuitur, nectuntur manus rapaces, nudantur crura fugitivo, talis denique tuis offertur oculis qualem offerri decebat victori captum, domino servum, imperatori tyrannum. Nec tu illum, qua es clementia, in conspectum tuum venire voluisses, ne oculos istos omnibus salutares [i] homo funebris implaret, nisi famam confutare mendacii, teque purgare eodem teste, [j] quo insimulatore voluisses. Habet vires, habet nescio quos internos mens scelerata carnifices, aut ipsa sibi carnifex conscientia est; aut, quod magis credo, [k] omni severius quæstione est a te interrogari. Ad primam tuam vocem nefario pectori excussa confessio est, nec cunctari saltem, aut mussitare potuit, quin consilium omne [l] nudaret, se videlicet favoris tui obtendisse prætextum, quod aliter non potuisset allicere militum societatem, [m] nisi [1] auctoramenti sui te finxisset auctorem.

XLIV. Et post hanc tu vocem non illum in crucem tolli, non culeo insui, non discerpi in frusta jussisti, non postremo illam tanti ream mendacii linguam radicitus erui præcepisti, cum eorum parte [n] vitalium, quorum fuerat locuta commentum? Quin jam cœperas de ejus morte dubitare, et dejeceras oculos, et vultum rubore suffuderas, et cum misericordia loquebaris. Sed bene est, quod non omnia potes. [1] Tute vindicant et invitum. [2] Rapitur ergo ex oculis, et ne quid licere posset clementiæ, inter innumeras manus fertur ad mortem. Ecce iterum, imperator, averteris, [o] et illam tyrannici exitus relationem gravaris. Jam jam esto securus, geram clementiæ tuæ morem; quod noluisti videre non audies. Huc huc totas pii vates doctarum nocium conferte curas, hoc omnibus linguis litterisque celebrate. Nec sitis de operum vestrorum perennitate solliciti. Illa quam præstare historiis solebatis [3] ab historia veniet æternitas. Vos quoque, quibus [4] secunda sors cessit dare famam rebus, artifices, vulgata illa veterum fabularum argumenta despicite; [5] Herculeos labores, et Indicos Liberi triumphos, et anguipedum bella monstrorum. Hæc potius, hæc gesta solertes manus [p] ducant; his fora, his templa decorentur; hæc ebore [q] reddantur, hæc marmore, hæc in coloribus vivant, hæc in æra moveantur, hæc [6] gemmis augeant prætium.

XLV. Pertinet ad securitatem omnium sæculorum,

INTERPRETATIO.

[a] Furiis.
[b] Ne honestam mortem cogitaret.
[c] Insignia regia.
[d] Cruore macularetur.
[e] Non modo sumpta vindicta, sed etiam cum ordine sumpta videatur.
[f] Non dubitaret.
[g] Dejicitur.
[h] Ad mortis supplicium.
[i] Morti destinatus polluëret.
[j] Qui accusator tuus fuerat.
[k] Dirius omni tormento.
[l] Palam faceret.
[m] Nisi se auctoritatem sibi te accepisse simulasset.
[n] Præcordiorum, quorum mendacium protulerat.
[o] Et illum de exitu Tyranni narrationem refugis.
[p] Exprimant.
[q] Exhibeantur.

NOTÆ.

[g] *Percussit.* Utrum *perculsit*, ut volunt aliqui, an *repressit?*

[i] *Minax umbra.* Nota veterum opinionem, interfectorum manes iis, à quibus interfecti sunt, infensos esse. Quod et a Platone traditur l. IX *de Legib.* sic Oresten in tragœdiis persequitur mater: sic Virgiliana Didò l. IV, 386, Æneæ minatur:

Omnibus umbra locis adero: dabis improbe pœnas.

[g] *Ac deinceps fratrum.* Valentiniani, qui Gratiani frater.

[e] *Suam mortem.* Non erat majestati tuæ conveniens, ut Maximo deberes vel suam mortem.

XLIII. — [1] *Auctoramenti sui.* Hunc locum restitui ex Viennensi editione omniumque interpretum emendatione. In aliis est, *nisi se auctoramenti tui finxisset auctorem.*

XLIV. — [1] *Tui te vindicant.* Sumptum illud ex Panegyrico ubi Eumenius ad Constantinum de Maximiano simili plane ratione a militibus occiso. *Dii te vindicant*, inquit, *vel invitum.*

[2] *Rapitur ergo ex oculis.* Ita refert Socrates.

[3] *Ab historia.* Ab historiæ ipsius dignitate.

[4] *Secunda sors.* Vos quoque artifices in quibus altera post vates ac scriptores immortalis gloriæ spes posita est.

[5] *Herculeos labores.* De Herculis laboribus adesis, si lubet, Panegyricum Mamertini Constantino, n. 4. not. 3.

[6] *Gemmis augeant pretium.* Majus enim gemmæ pretium, quæ arte laborata nobile aliquod facinus, aut principis alicujus vultum repræsentat.

[a] quod est factum videri, ut si quis unquam nefaria vota conceperit, monumentis nostrorum temporum [b] recensitis per oculos [c] hauriat innocentiam. Quisquis purpura quandoque regali vestire humeros cogitabit; Maximus ei exutus occurrat. Quisquis aurum gemmasque privatis pedibus optabit; Maximus ei plantis nudus appareat. Quisquis imponere capiti diadema meditabitur; avulsum humeris Maximi caput, et [1] sine nomine corpus aspiciat. Scimus quidem [d] nihil umquam novandum, cum Romanum semper imperium aut tuum futurum sit, aut tuorum; pertinet tamen ad geminam reipublicæ securitatem, quod fieri non potest etiam non timeri. Sed utcumque virtutis tuæ opera curiosæ posteritatis oculis artificum manus reddet, cum te vel Alpium dorsa superantem, vel flumina objecta tranantem, vel agmen hostile triumphalibus vestigiis atterentem, pictorum atque fictorum assequetur imitatio, clementia, Imperator, tua quo cœlo, quo [e] pigmento, quo ære, aurove ducetur, qua tu ipsius [2] victoriæ victor ita omnem cum armis iram deposuisti, ut ceciderit nemo post bellum, certe nemo post Maximum? Paucis Maurorum hostium, quos secum velut agmen infernum moriturus [3] incluserat, et duobus, aut tribus furiosi gladiatoris [4] lanistis [f] in belli piaculum cæsis, reliquos omnes, venia complexa, velut quodam materno sinu clausit. Nullius bona publicata, nullius mulctata libertas, nullius præterita dignitas imminuta. Nemo affectus nota, [g] nemo convicio, aut denique castigatione perstrictus, culpam capitis [5] aurium saltem molestia luit. Cuncti A domibus suis, cuncti conjugibus ac liberis, cuncti denique, quod est dulcius, [h] innocentiæ restituti sunt. Vide, Imperator, quid hac clementia consecutus sis. Fecisti, ut nemo sibi victus te victore videatur. Spectabas hæc a tuis collibus, Roma, et [6] septena arce sublimis celsior gaudio ferebaris.

XLVI. Tu, quæ experta [1] Cinnanos furores, et Marium post exilia crudelem, et Sullam tua clade felicem, et Cæsarem in mortuos misericordem, ad omne civilis motus classicum tremiscebas; quæ præter stragem militum utraque tibi parte pereuntium exstincta domi senatus tui lumina, suffixa pilo consulum capita, [2] Catones in mortem coactos, [3] truncosque Cicerones, et [4] Pompeios fleveras insepultos; cui damna graviora scissus in partes civium furor B quam [5] portis imminens Pœnus, [6] aut receptus muri. Gallus intulerat; cui [7] Alliensi die [8] Æmathia funestior, [9] Cannis [10] Collina feralior, tam altas olim reliquerunt cicatrices, ut; gravius semper tuam quam alienam experta virtutem, nihil tibi magis quam te timeres; vidisti civile bellum hostium cæde, militum pace, Italiæ recuperatione, tua libertate finitum. Vidisti, inquam, finitum civile bellum, cui decernere posses triumphum.

XLVII. Hactenus memet, Imperator Auguste, præteritas res tuas attrectasse fas fuerit. At cum tempus admoneat meminisse præsentium, finem sermoni facere maluerim, quam [1] amplissimi ordinis munus invadere. Dabitur utcumque venia piæ temeritati, si usurpasse communia, non occupasse videamur aliena. C Licuerit mihi, quæ in barbaris gentibus, longinquis-

INTERPRETATIO.

[a] Quod gestum est, conspisci a posteris.
[b] Perlectis.
[c] Discat.
[d] Neminem unquam res novas moliturum.
[e] Colore.
[f] Ad expianda belli scelera.
[g] Probro.
[h] Innocentiæ famam ac decus recuperaverunt.

NOTÆ.

XLV. — [1] *Sine nomine corpus.* Tale illud Virgilii Æneid. II, 557 :

Jacet ingens littore truncus,
Avulsumque humeris caput et sine nomine corpus.

[2] *Victoriæ Victor.* Sumptum illud ex Tullio pro Marcello, n. 12 : *Ipsam Victoriam vicisse videris, cum ea ipsa, quæ illa erat adepta, victis remisisti*, etc.

[3] *Incluserat.* In urbe Aquileiensi, ubi obsessus a Theodosio captusque est.

[4] *Lanistis.* Lanistæ dicebantur præfecti ludis gladiatoriis magistri, qui gladiatores instituerent, exercerentque ad mutuam lanienam.

[5] *Aurium molestia.* Nemo quam culpam capite luere debuit, audienda saltem objurgatione dependit.

[6] *Septena arce.* Virgilius Æneid. VI, 783, de urbe Romana :

Septemque una sibi muro circumdabit arces.

XLVI. — [1] *Cinnanos furores.* De Cinna, Mario, Sylla, confer, si lubet, Incerti Panegyricum Constantino, n. 20, not. 1 et 4; Incerti Panegyricum Maximiano et Constantino, n. 13, not. 91. (*La Baune, Paneg. vett.*)

[2] *Catones.* Catonem innuit dictum Uticensem, quod Pompeio victo Uticæ sibi manus violentas attulerit, ne victoris Cæsaris vultum intueri necesse haberet.

[3] *Truncos Cicerones.* Augustus et Antonius gravissimis odiis inter se pugnantes pacta Ciceronis morte conciliati sunt.

[4] *Pompeios insepultos.* Pompeius enim satellitibus a Ptolemæo missis peremptus in Nilum fluvium projectus est.

[5] *Portis imminens Pœnus.* Cui non notum illud *Annibal ad portas?*

[6] *Receptus muris Gallus.* Tangit Senonensium Gallorum in Urbem irruptionem, cum direpta Italia in Capitolium ascendissent, ni M. Manlius Capitolinus clangore anseris excitus eos repulisset.

[7] *Alliensi die.* Cum Romani a Gallis fusi, fugatique ad Alliam. *Allia* autem fluvius est a Crustuminis montibus quadragesimo ab Urbe lapide in Orientalem Tiberis partem defluens. D

[8] *Æmathia.* Celebrem pugnam intelligit Pompeium inter et Cæsarem in campis Æmathiis commissam. *Æmathia* autem proprie regio est Thraciæ finitima, quod nomen primum alicui Macedoniæ regioni, tum toti Macedoniæ, atque etiam ipsi Thessaliæ a poetis attributum est.

[9] *Cannis.* Cannensem pugnam tangit, ubi ab Annibale cæsa Romanorum quadraginta millia. *Cannæ* autem vicus est in Apulia, ad Aufidum fluvium.

[10] *Collina feralior.* Collina porta, quæ fuit in colle Quirinali sita, unde et nomen accepit. Hic celebris fuit Syllam inter et Marium pugna, de qua Velleius Histor, l. II.

XLVII. — [1] *Amplissimi ordinis.* Senatus. Collige ex hoc loco orationem hanc Romæ dictam in Senatu.

que provinciis [1] pro summa re fortiter feliciterque fecisti, et annuente numine tuo, et senatu favente dixisse. Ea vero, quæ Romæ gesta sunt et geruntur, ingeniis permittenda Romanis sunt, [2] qualem te Urbi dies primus invexerit; quis [3] in curia fueris, quis in rostris; ut pompam præeuntium [4] ferculorum curru modo, modo pedibus subsecutus, alterno clarus incessu, nunc de bellis, nunc de superbia triumpharis; ut te [5] omnibus principem, singulis exhibueris senatorem; ut crebro, civilique progressu non publica tantum opera lustraveris, sed privatas quoque ædes divinis vestigiis consecraris, remota custodia militari, tutior publici amoris excubiis. Horum hæc linguis, horum, inquam, voce laudentur, qui de communibus gaudiis et dignius utique quæ maxima, et A justius poterunt prædicare quæ propria sunt. O mea felix peregrinatio! O bene suscepti, et exhausti labores! Quibus ego interfui bonis! [a] Quibus paror gaudiis! Quæ reversus urbibus Galliarum [b] dispensabo miracula! Quantis stupentium populis, quam multo circumdabor auditore, cum dixero, Romam vidi, Theodosium vidi, et utrumque simul vidi; vidi illum [7] principis patrem; vidi illum [8] principis vindicem; vidi illum [9] principis restitutorem! Ad me longinquæ convenient civitates; a me gestarum ordinem rerum stylus omnis accipiet; a me argumentum poetica; a me fidem sumet historia. Compensabo tibi istam, Imperator, injuriam; si, quando de te ipse nihil dixerim, [10] quod legendum sit, instruam qui legantur.

INTERPRETATIO.

[a] Quæ mihi gaudia parantur.

[b] Enarrabo.

NOTÆ.

[1] *Pro summa re.* Pro recuperanda Italia, Gallia et Britannia.

[2] *Qualem te Urbi.* Triumphalis Theodosii in Urbem ingressus post cæsum Maximum.

[3] *In curia.* Quid sit *curia* vide Plinii paneg. n. 66, not. 2, et n. 65, not. 1 (*la Baune, Paneg. vett.*).

[4] *Ferculorum.* De *ferculis* supra in Plinii paneg. n. 17, not. 5.

[5] *Omnibus principem.* Tua majestate omnes protegens, *singulis senatorem.* Eximia tua comitate singulos compellans. B

[7] *Principis patrem.* Id est, Honorii, quem Pacatus præsentem intuebatur.

[8] *Principis vindicem.* Gratiani a Maximo cæsi.

[9] *Principis restitutorem.* Valentiniani junioris.

[10] *Quod legendum sit.* Cum nihil dixerim quod venturum sit ad posteros, ab iis legendum. Alios ego, quorum scripta ætatem latura sunt, docebo quæ scripturi sint.

THEODOSIUS MAGNUS ET PACATUS.

Pars secunda,

COMPLECTENS SELECTA THEODOSII DE RELIGIONE DECRETA.

LIB. I. TIT. X. DE OFFICIO COMITIS SACRARUM LARGITIONUM. C

1. *Imppp. Gratianus, Valentinianus et Theodosius AAA. ad Syagrium Pf. P.* Palatinos strenuos regionibus singulis attributos jubemus eam in cunctis adhibere solertiam, ut non modo abire e provincia non sinatur, qui canonem propriæ administrationis exactum certissimis nequeat approbare documentis, verum etiam mansuetudinis nostræ instructa cognitio eum graviore vindicta censeat corrigendum. *Dat. III Non. Jul. Viminacio, Syagrio et Eucherio Coss.* (381).

2. *Imppp. Valentinianus, Theodosius et Arcadius AAA. Trifolio Comiti sacrarum largitionum.* Palatini D monitores frequentissimi ad profligandos largitionales titulos judicibus ordinariis semper assistant; deinde, si alicujus remissior super hoc fuerit cura detecta, tamdiu unusquisque judex a palatinis intra provinciam a se administratam peracto jam honore teneatur, quamdiu per eum id, quod debitum fuerit, exigatur. *Dat. VII Id. April. Constantinopoli, Arcadio A. I. et Bautone Coss.* (385).

3. *Iidem AAA. ad Florianum Comitem sacrarum largitionum.* In omnibus causis ita cognitioni jurgiorum operam dabis, ut extra ordinem ac sine temporibus recognoscens, mature, cum ratio tulerit, ac rursus severius, si justitia persuaserit, definitivam scias promendam esse sententiam. *Dat. V Kal. Dec. Arcadio A. I. et Bautone Coss.* (385).

4. *Iidem AAA. Severino Comiti sacrarum largitionum.* Comperimus, inconsulto præfecto urbis ac penitus ignorante, raptos ad supplicium mercatores, corporalibus affectos injuriis, gravis insuper mulctæ acerbitate nudatos. Cum igitur omnia corporatorum genera, quæ in Constantinopolitana urbe versantur, universos quoque cives atque populares, præfecturæ urbanæ regi moderamine recognoscas: si cujuspiam fortasse persona fisci flagitabit examen, vel in aliquem horum simili posthac redundabit invidia, is non per officium palatinum, sed per apparitionem sedis urbanæ cognoscendo negotio præparatus, ad eum cognitorem, cui urbs tota subjacet, deducetur, ut ab eo possit audiri aut, si necessitas suaserit, ad judicium tuum, te peten-

te, transmitti. *Dat. XVII Kal. Mai. Mediolani, Tatiano et Symmacho Coss.* (391).

8. *Impp. Theodosius et Valentinianus AA. ad Volusianum Pf. P.* Non amplius, quam semel, intra eamdem provinciam quidquam publici muneris palatinus exerceat, sed adjutoris suggestio gestis expressa teneatur, quæ et nomen palatini et ei, qui dirigendus, in eamdem provinciam nihil ante commissum, evidenter exprimat. Quod si aut hujusmodi solemnitate neglecta, aut repetito actu ad provinciam missus fuerit palatinus, adjutorem officii et primicerium atque secundicerium triginta librarum auri pœna percellat, nec uti licebit his fortasse prærigiis, quod eidem, non eadem tamen, possint gerenda committi: eumdem enim palatinum intra eamdem provinciam quidquam publici muneris iterum procurare non licet. Palatini vero scient, sibi cum provincialibus nihil esse commune. Judicibus sane oportebit insistere, et si inter eos breves, quos ad provinciam deferent, et eos, qui a provinciarum tabulariis proferuntur, fuerit aliqua diversitas, adscitis sibi in consilium ex provincia quinque honoratis, inter palatinum ac tabularium provinciæ moderator cognoscat, et discussa brevium fide accelerari exactionem jubebit aut censuræ legum veterum subjacebit. Noverint sane provinciarum moderatores, nullam prorsus exactionis partem ad palatinum officium pertinere, nec unquam his adminicula prœbenda; sed nec susceptori quidem aut tabulario provinciæ palatinus incumbet, neque a susceptore summam illatorum, neque nominatorios breves a tabulario postulabit, cum hæc omnis sollicitudo sit judicis. Comitibus quoque titulorum, si quando eos ad provinciam mitti ratio necessitatis exegerit, nulla adminicula de palatino dari jubemus officio, sed sola eis provincialis apparitio parebit, pœna viginti librarum auri comitem titulorum et officium feriente palatinum, si quis palatinorum cuilibet comiti titulorum fuerit adjunctus. *Dat. III Kal. Mart. Ravennæ, Felice et Tauro Coss.* (428).

LIB. II. TIT. VIII. DE FERIIS.

18. *Imppp. Gratianus, Valentinianus et Theodosius AAA. ad Principium Pf. P. Solis die, quem dominicum rite dixere majores, omnium omnino litium, negotiorum, conventionum quiescat intentio; debitum publicum privatumque nullus efflagitet; nec apud ipsos quidem arbitros* vel judiciis flagitatos vel sponte delectos ulla sit agnitio jurgiorum. *Et* non modo notabilis, verum etiam sacrilegus judicetur, qui a sanctæ religionis instinctu rituve deflexerit. *PP. III Non. Novemb. Aquileiæ. Acc. VIII. Kal. Dec. Romæ, Honorio N. P. et Evodio Coss.* (386).

19. *Imppp. Valentinianus, Theodosius et Arcadius AAA. Albino Pf. U.* Omnes dies jubemus esse juridicos. Illos tantum manere feriarum dies fas erit, quos geminis mensibus ad requiem laboris indulgentior annus accepit, æstivis fervoribus mitigandis, et autumnis fœtibus decerpendis. § 1. Kalendarum quoque Januariarum consuetos dies otio mancipamus. § 2. His adjicimus natalitios dies urbium maximarum, Romæ atque Constantinopolis, quibus debent jura deferre, quia et ab ipsis nata sunt. § 3. Sacros quoque Paschæ dies, qui septeno vel præcedunt numero vel sequuntur, in eadem observatione numeramus, nec non et dies solis, qui repetito in se calculo revolvuntur. § 4. Parem necesse est haberi reverentiam nostris etiam diebus, qui vel lucis auspicia vel ortus imperii protulerunt. *Dat. VII Id. Aug. Romæ. Timasio et Promoto Coss.* (389).

INTERPRETATIO. *Causas per anni spatium omnibus diebus secundum leges audiri præcipimus. Et licet lex quatuor menses ad fructus colligendos indulserit, sed ita pro provinciarum qualitate et præsentia dominorum credidimus faciendum, ut a die VIII Kalendarum Juliarum usque in Kalendas Augusti messivæ feriæ concedantur, et de Kalendis Augusti usque in X Kalendas Septembris agendarum causarum licentia tribuatur. A X autem Kalend. Septemb. usque in Idus Octobr. vindemiales feriæ concedantur. Dies etiam dominicarum, qui feriati sunt, ab audiendis negotiis vel exigendis debitis sequestramus. Sanctos etiam Paschæ dies, id est septem qui antecedunt, et septem qui sequuntur. Nec non et dies natalis Domini nostri vel Epiphaniæ sine forensi strepitu volumus celebrari. Natalem etiam principis vel initium regni pari reverentia convenit observari.*

20. *Iidem AAA. Proculo Pf. U.* Festis solis diebus Circensium sunt inhibenda certamina, quo Christianæ legis veneranda mysteria nullus spectaculorum concursus avertat, præter clementiæ nostræ natalitios dies. *Dat. XV Kal. Mai. Constantinopoli, Arcadio A. II, et Rufino Coss.* (392).

21. *Iidem AAA. Tatiano Pf.* P. Actus omnes seu publici seu privati diebus quindecim Paschalibus sequestrentur. *Dat. VI Kal. Jun. Constantinopoli, Arcadio A. II et Rufino Coss.* (392).

25. *Impp. Honorius et Theodosius AA. Jovio Pf. P. Post alia:* Dominica die, quam vulgo solis appellant, nullas edi penitus patimur voluptates, etsi fortuito in ea aut imperii nostri ortus, redeuntibus in semet anni metis, effulserit, aut natali debita solemnia deferantur. *Dat. Kal. April. Ravennæ, Honorio VIII, et Theodosio III, AA. Coss.* (409).

26. *Iidem AA. Joanni Pf. P. Post alia:* Die Sabbato ac reliquis, sub tempore, quo Judæi cultus sui reverentiam servant, neminem aut facere aliquid aut ulla ex parte conveniri debere præcipimus: cum fiscalibus commodis et litigiis privatorum constat reliquos dies posse sufficere, etc. *Dat. VII Kal. Aug. Ravennæ, DD. NN. Honorio VIII, et Theodosio III. AA. Coss.* (409).

INTERPRETATIO. *Die Sabbati nullum Judæorum aut pro fiscali utilitate aut pro quolibet negotio volumus conveniri, quia religionis eorum dies non debet actione aliqua perturbari.*

LIB. III. TIT. VII. DE NUPTIIS.

2. *Imppp. Valentinianus, Theodosius et Arcadius*

AAA. Cynegio Pf. P. Ne quis Christianam mulierem in matrimonium Judæus accipiat, neque Judææ Christianus conjugium sortiatur. Nam si quis aliquid hujusmodi admiserit, adulterii vicem commissi hujus crimen obtinebit, libertate in accusandum publicis quoque vocibus relaxata. *Dat. prid. Id. Mart. Thessalonica, Theodosio A. II et Cynegio V. C. Coss.* (388).

INTERPRETATIO. *Legis hujus severitate prohibetur, ut nec Judæus Christianæ matrimonio utatur, nec Christianus homo Judæam uxorem accipiat. Quod si aliqui contra vetitum se tali conjunctioni miscuerint, noverint se ea pœna, qua adulteri damnantur, persequendos, et accusationem hujus criminis non solum propinquis, sed etiam ad persequendum omnibus esse permissam.*

LIB. V. TIT. III. DE BONIS CLERICORUM ET MONACHORUM.

1. *Impp. Theodosius et Valentinianus AA. ad Taurum Pf. P. et Patricium.* Si quis episcopus aut presbyter aut diaconus aut diaconissa aut subdiaconus vel cujuslibet alterius loci clericus aut monachus aut mulier, quæ solitariæ vitæ dedita est, nullo condito testamento decesserit, nec ei parentes utriusque sexus vel liberi, vel si qui agnationis cognationisve jure junguntur vel uxor exstiterit, bona, quæ ad eum pertinuerint, sacrosanctæ ecclesiæ vel monasterio, cui fuerat destinatus, omnifariam socientur (exceptis iis facultatibus, quas forte censibus adscripti vel juri patronatus subjecti vel curiali conditioni obnoxii clerici vel monachi cujuscumque sexus relinquunt. Nec enim justum est, bona seu peculia, quæ aut patrono legibus debentur aut domino possessionis, cui quis eorum fuerat adscriptus, aut ad curias pro tenore dudum latæ constitutionis sub certa forma pertinere noscuntur, ab ecclesiis detineri; actionibus videlicet competenter sacrosanctis ecclesiis reservatis, si quis forte prædictis conditionibus obnoxius aut ex gestis negotiis aut ex quibuslibet aliis ecclesiasticis actibus obligatus obierit): ita ut, si qua litigia ex hujusmodi competitionibus in judiciis pendent, penitus sopiantur, nec liceat petitori post hujus legis publicationem judicium ingredi, vel œconomis aut monachis aut procuratoribus inferre molestiam, ipsa petitione antiquata, et bonis, quæ relicta sunt, religiosissimis ecclesiis vel monasteriis, quibus dedicati fuerant, consecratis. *Dat. XVIII Kal. Jan. Ariovindo et Aspare Coss.* (434).

INTERPRETATIO. *Si quis episcopus, vel quos lex ipsa commemorat, aut quilibet religiosi vel religiosæ intestati sine filiis, propinquis vel uxore decesserint, qui tamen nec curiæ quidquam debuerint nec patrono, quidquid dereliquerint, ad ecclesias vel monasteria quibus obsecuti fuerint, pertinebit. Qui si testari voluerint, habebunt liberam potestatem.*

LIV. V. TIT. V. DE POSTLIMINIO.

2. *Impp. Honorius et Theodosius AA. Theodoro Pf. P.* Diversarum hominum provinciarum cujuslibet sexus, conditionis, ætatis, quos barbarica feritas captiva necessitate transduxerat, invitos nemo retineat, sed ad propria redire cupientibus libera sit facultas. § 1. Quibus si quidquam in usum vestium vel alimoniæ impensum est, humanitati sit præstitum, nec maneat victualis sumptus repetitio: exceptis iis, quos barbaris vendentibus emptos esse docebitur a quibus status sui pretium, propter utilitatem publicam, emptoribus æquum est redhiberi. Ne quando enim damni consideratio in tali necessitate positis negari faciat emptionem, decet redemptos aut datum pro se pretium emptoribus restituere, aut labore, obsequio vel opere quinquennii vicem referre beneficii, habituros incolumem, si in ea nati sunt, libertatem. § 2. Reddantur igitur sedibus propriis sub moderatione, qua jussimus, quibus jure postliminii etiam veterum responsis incolumia cuncta servata sunt. § 3. Si quis itaque huic præcepto fuerit conatus obsistere actor, conductor procuratorque, dari se metallis cum pœna deportationis non ambigat; si vero possessionis dominus, rem suam fisco noverit vindicandam sequedeportandum. § 4. Et ut facilis executio proveniat, Christianos proximorum locorum volumus hujus rei sollicitudinem gerere. Curiales quoque proximarum civitatum placuit admoneri, ut emergentibus talibus causis sciant, legis nostræ auxilium deferendum; ita ut noverint rectores universi, decem libras auri a se et tantundem a suis apparitionibus exigendum, si præceptum neglexerint. *Dat. IV Id. Decemb. Ravenna, Honorio VIII, et Theodosio III, AA. Coss.* (409).

INTERPRETATIO. *Hi, qui ab hostibus tempore captivitatis ducti sunt, si ab aliquibus vel ad victum vel ad vestitum aliquid acceperunt, cum redire ad propria voluerint, minime aliquid pro eorum requiratur expensis. Tamen si pretium pro captivo suo prædator acceperit, quod dedisse emptor probaverit, sine dubitatione recipiat. Quod si pretium non habuerit, quinquennio serviat captivus emptori et post quinquennium sine pretio ingenuitati reddatur, qui, cum ad propria redierit, omnia sua integra et salva recipiat. Si quis itaque huic tam justæ præceptioni resistere tentaverit, noverit se in exsilio deputandum: si vero possessor fuerit, facultatem suam fisci viribus addicendam. Sane Christianos, qui redemptioni studere debent, pro captivis volumus esse sollicitos. Ad curiales etiam ista sollicitudo pertineat, ita ut omnes judices sciant, decem libras auri fisco se daturos, qui hujus legis præcepta neglexerint.*

LIB. IX. TIT. VII. AD LEGEM JULIAM, DE ADULTERIIS.

5. *Imppp. Valentinianus, Theodosius et Arcadius AAA. Cynegio Pf. P.* Ne quis Christianam mulierem in matrimonium Judæus accipiat, neque Judææ Christianus conjugium sortiatur. Nam si quis aliquid hujus modi admiserit, adulterii vicem commissi hujus crimen obtinebit, libertate in accusandum publicis quoque vocibus relaxata. *Dat. III Id. Mart. Thessalonica, Theodosio A. II et Cynegio Coss.* (388).

INTERPRETATIO. *Nec Judæus Christianam nec Chri-*

stianus Judæam ducat uxorem. Quod si fecerit, cujus- A *libet accusatione, velut in adulteros vindicetur.*

LIB. IX. TIT. XXV. DE RAPTU VEL MATRIMONIO SANCTIMONIALIUM VIRGINUM VEL VIDUARUM.

3. *Impp. Honorius et Theodosius AA. Palladio Pf. P. Post alia :* Si quis dicatam Deo virginem, prodigus sui, raptor ambierit, publicatis bonis deportatione plectatur; cunctis accusationis hujus licentia absque metu delationis indulta. Neque enim exigi convenit proditorem, quem pro pudicitia religionis invitat humanitas. *Dat. VIII Id. Maii Ravenna, Theodosio A. IX, et Constantio III, V. C. Coss.* (420).

LIB. IX. TIT. XXXV. DE QUÆSTIONIBUS.

4. *Imppp. Gratianus, Valentinianus et Theodosius AAA. Albuciano Vicario Macedoniae.* Quadraginta B diebus, qui auspicio cæremoniarum paschale tempus anticipant, omnis cognitio inhibeatur criminalium quæstionum. *Dat. VI Kal. April. Thessalonica, Gratiano A. V, et Theodosio A. I, Coss.* (380).

INTERPRETATIO *Diebus quadragesimæ pro reverentia religionis omnis criminalis actio conquiescat.*

5. *Imppp. Valentinianus, Theodosius et Arcadius AAA. Tatiano Pf. P.* Sacratis quadragesimæ diebus nulla supplicia sint corporis, quibus absolutio exspectatur animarum. *Dat. VIII Id. Sept. Foroflaminii, Timasio et Promoto Coss.* (389).

LIB. IX. TIT. XXXVIII. DE INDULGENTIIS CRIMINUM.

6. *Imppp. Gratianus, Valentinianus et Theodosius AAA. ad Antidium V. C. Vicarium.* Paschalis lætitiæ dies ne illa quidem tenere sinit ingenia, quæ flagitia C fecerunt; pateat insuetis horridus carcer aliquando luminibus. Alienum autem censemus ab indulgentia, qui nefariam criminum conscientiam in majestatem superbe animaverit, qui parricidali furore raptus sanguine proprio manum tinxit, qui cujusque præterea hominis cæde maculatus est, qui genialis tori ac lectuli fuit invasor alieni, qui verecundiæ virginalis raptor exstitit, qui venerandum cognati sanguinis vinculum profano cæcus violavit incestu, vel qui noxiis quæsita graminibus et diris immurmurata secretis mentis et corporis venena composuit, aut qui sacri oris imitator et divinorum vultuum appetitor venerabiles formas sacrilegio eruditus impressit. His ergo tali quoque sub absolutione damnatis, indultum nostræ serenitatis eo præcepti fine concludimus, ut remissionem veniæ crimina, nisi semel commissa, non habeant, ne in eos liberalitatis augustæ referatur humanitas, qui impunitatem veteris admissi non emendationi potius quam consuetudini deputarunt. *Recitata XII Kal. Aug. Romæ, Syagrio et Eucherio Coss.* (381).

7. *Iidem AAA. ad Marcianum Vicarium.* Religio anniversariæ obsecrationis hortatur, ut omnes omnino periculo carceris metuque pœnarum eximi juberemus, qui leviore crimine rei sunt postulati. Unde apparet eos excipi, quos atrox cupiditas in scelera compulit sæviora : in quibus est primum crimen et maxime majestatis, deinde homicidii veneficiique ac maleficiorum, stupri atque adulterii parique immanitate sacrilegii, sepulcrique violatio, raptus monetæque adulterata figuratio. *Dat. XI Kal. April. Mediolano, Richomere et Clearcho Coss.* (384).

8. *Iidem AAA. ad Neoterium Pf. P.* Nemo deinceps tardiores fortassis affatus nostræ perennitatis exspectet : exsequantur judices, quod indulgere consuevimus. Ubi primum dies paschalis exstiterit, nullum teneat carcer inclusum, omnium vincula solvantur. Sed ab his secernimus eos, quibus contaminari potius gaudia lætitiamque communem, si dimittantur, advertimus. Quis enim sacrilego diebus sanctis indulgeat? quis adultero vel incesti reo tempore castitatis ignoscat? quis non raptorem in summa quiete et gaudio communi persequatur instantius? Nullam accipiat requiem vinculorum, qui quiescere sepultos quadam sceleris immanitate non scivit; patiatur tormenta veneficus, maleficus adulteratorque monetæ; homicida, quod fecit, semper exspectet; reus etiam majestatis de domino, adversum quem talia molitus est, veniam sperare non debet. *Dat. V Kal. Mart. Mediolano, Arcadio A. I et Bautone Coss.* (385).

INTERPRETATIO. *Sacrilegus, adulter, incesti reus, raptor, sepulcrorum violator, veneficus, maleficus, adulterator monetæ, homicida diebus Paschæ nullatenus absolvantur. Reliqui omnes, quos minorum causarum culpa constringit, diebus venerabilibus Paschæ specialiter absolvantur.*

LIB. IX. TIT. XLV. DE HIS QUI AD ECCLESIAS CONFUGIUNT.

1. *Imppp. Theodosius, Arcadius et Honorius AAA. Romulo Comiti S. L.* Publicos debitores, si confugiendum ad ecclesias crediderint, aut illico extrahi de latebris oportebit, aut pro his ipsos, qui eos occultare probantur, episcopos exigi. Sciat igitur præcellens auctoritas tua, neminem debitorum posthac a clericis defendendum, aut per eos ejus; quem defendendum esse crediderint, debitum esse solvendum. *Dat. XV Kal. Nov. Constantinopoli, Arcadio A. II. et Rufino Coss.* (392).

LIB. XV. TIT. VII. DE SCENICIS.

4. *Imppp. Gratianus, Valentinianus et Theodosius AAA. ad Paulinum Pf. U.* Mulieres, quæ ex viliori D sorte progenitæ spectaculorum debentur obsequiis, si scenica officia declinarint, judicris ministeriis deputentur, quas necdum tamen consideratio sacratissimæ religionis et Christianæ legis reverentia suæ fidei mancipavit; eas enim, quas melior vivendi usus vinculo naturalis conditionis evolvit, retrahi vetamus. Illas etiam feminas liberas a contubernio scenici præjudicii durare præcipimus, quæ mansuetudinis nostræ beneficio expertes muneris turpioris esse meruerunt. *Dat. V. Kal. Maii Mediolano, Gratiano V, et Theodosio I, AA. Coss.* (380).

5. *Iidem AAA. ad Paulinum Pf. U.* Quisquis thymelicam ex urbe venerabili, immemor honestatis, abduxerit eamdemque in longinqua transtulerit, seu

etiam intra domum propriam, ita ut voluptatibus publicis non serviat, retentarit, quinque librarum auri illatione mulctetur. *Dat. V Kal. Maii Mediolano, Gratiano V, et Theodosio I, AA. Cos.* (380).

6. *Iidem AAA. ad Valerianum Pf. U.* Equos, quos ad solemne certamen vel mansuetudinis nostræ largitio subministrat vel diversorum ex amplissimo ordine magistratuum, hactenus ad copiam providendos serenitas nostra decrevit, ut, quidquid illud est, quod palmarum numero gloriosum, et celebratis utrimque victoriis nobile congregatur, spectaculis potius urbanæ plebis inserviat, quam prædæ atque compendio deputetur. Quisquis igitur ex eo, quod vel serenitas nostra vel ordinarii consules vel prætores in hujusce modi tribuunt voluptates, quamlibet commodis compendioque privato derivandam duxerit esse jacturam, unius auri libræ condemnatione mulctatus, largitionibus nostris cogatur esse munificus. *Dat. VIII Kal. Maii Treviris, Eucherio et Syagrio Coss.* (381).

7. *Iidem AAA. ad Valerianum Pf. U.* Eos qui agitandi munus exercent, illustris auctoritas tua nullis, præter circense certamen, affici noverit oportere suppliciis. *Dat. VIII Id. Maii Eucherio et Syagrio Coss.* (381).

8. *Iidem AAA. ad Valerianum Pf. U.* Scenæ mulier si vacationem religionis nomine postularit, obtentu quidem petitionis veniæ non desit: verum si post, turpibus volutata complexibus, et religionem, quam expetierit, prodidisse, et gerere, quod officio desierat, animo tamen scenica detegetur, retracta in pulpitum, sine spe absolutionis ullius ibi eo usque permaneat, donec anus ridicula, senectute deformis; nec tunc quidem absolutione potiatur, cum aliud quam casta esse non possit. *Dat. VIII Id. Maii Aquileia, Syagrio et Eucherio Coss.* (381).

9. *Iidem AAA. Herasio Proconsuli Africæ.* Quæcumque ex hujus modi fæce progenitæ scenica officia declinare, ludicris ministeriis deputentur, quas necdum tamen sanctissimæ religioni et in perenne servandæ Christianæ legis secretorum reverentia suæ fidei vindicarit. Illas etiam fœminas liberatas contubernio scenici præjudicii durare præcipimus, quæ mansuetudinis nostræ beneficio expertes muneris turpioris esse meruerunt. *PP. Karthagine, V Kal. Sept. Eucherio et Syagrio Coss.* (381).

10. *Iidem AAA. Cynegio Pf. P.* Fidicinam nulli liceat vel emere vel docere vel vendere vel conviviis aut spectaculis adhibere. Nec cuiquam ad delectationis desiderium erudita feminea musicæ artis studio liceat habere mancipia. *Dat. VIII Kal. Jul. Constantinopoli, Arcadio A. I et Bautone Coss.* (385).

11. *Imppp. Theodosius, Arcadius et Honorius AAA. Rufino Pf. P.* Nulla mima gemmis, nulla sigillatis sericis aut textis utatur auratis. His quoque vestibus noverint abstinendum, quas Græco nomine a Latino crustas vocant, in quibus alio admixtus colori puri rubor muricis inardescit. Uti sane iisdem scutulatis et variis coloribus sericis, auroque sine gemmis collo, brachiis, cingulo non vetamus. *Dat. XI Kal. Oct. Constantinopoli, Theodosio A. III et Abundantio Coss.* (393).

12. *Iidem AAA. Rufino Pf. P.* Si qua in publicis porticibus vel in his civitatum locis, in quibus nostræ solent imagines consecrari, pictura pantomimum veste humili et rugosis sinibus agitatorem aut vilem offerat histrionem, illico revellatur, neque unquam posthac liceat in loco honesto inhonestas annotare personas. In aditu vero circi, vel in theatri proceniis ut collocentur, non vetamus. § I. His illud adjicimus, ut mimæ, et quæ ludibrio corporis sui quæstum faciunt, publice habitu earum virginum, quæ deo dicatæ sunt, non utantur, et ut nulla femina, nec puer thymelici consortio imbuantur, si Christianæ religionis esse cognoscitur. *Dat. III Kal. Jul. Heracleæ, Arcadio A. III, et Honorio A. II, Coss.* (394).

LIB. XVI. TIT. I. DE FIDE CATHOLICA.

2. *Imppp. Gratianus, Valentinianus et Theodosius AAA. Edictum ad Populum urbis Constantinopolitanæ.* Cunctos populos, quos clementiæ nostræ regit temperamentum, in tali volumus religione versari, quam divinum Petrum apostolum tradidisse Romanis religio usque ad nunc ab ipso insinuata declarat, quamque pontificem Damasum sequi claret et Petrum Alexandriæ episcopum, virum apostolicæ sanctitatis; hoc est ut secundum apostolicam disciplinam evangelicamque doctrinam Patris et Filii et Spiritus sancti unam deitatem sub parili majestate et sub pia trinitate credamus. § 1. Hanc legem sequentes Christianorum catholicorum nomen jubemus amplecti, reliquos vero dementes vesanosque judicantes hæretici dogmatis infamiam sustinere, nec conciliabula eorum ecclesiarum nomen accipere, divina primum vindicta, post etiam motus nostri, quem ex cœlesti arbitrio sumpserimus, ultione plectendos. *Dat. III Kal. Mart. Thessalonica, Gratiano A. V, et Theodosio A. I, Coss.* (380).

3. *Iidem AAA. ad Auxonium proconsulem Asiæ.* Episcopis tradi omnes ecclesias mox jubemus, qui unius majestatis atque virtutis Patrem et Filium et Spiritum sanctum confitentur, ejusdem gloriæ, claritatis unius, nihil dissonum profana divisione facientes, sed trinitatis ordinem, personarum assertionem et divinitatis unitatem; quos constabit communione Nectarii episcopi Constantinopolitanæ ecclesiæ, Timothei necnon intra Ægyptum Alexandrinæ urbis, episcopos esse sociatos; quos etiam in Orientis partibus Pelagio episcopo Laodicensi et Diodoro episcopo Tarsensi: in Asia necnon proconsulari atque Asiana diœcesi Amphilocio episcopo Iconiensi et Optimo episcopo Antiocheno: in Pontica diœcesi Helladio episcopo Cæsariensi et Otreio Meliteno et Gregorio episcopo Nysseno, Terennio episcopo Scythiæ, Marmario episcopo Martianopolitano communicare constiterit. Hos ad obtinendas catholicas Ecclesias ex communione et consortio probabilium sacerdotum oportebit admitti: omnes

autem, qui ab eorum, quos commemoratio specialis expressit, fidei communione dissentiunt, ut manifestos hæreticos ab ecclesiis expelli, neque his penitus posthac obtinendarum ecclesiarum pontificum facultatemque permitti, ut veræ ac Nicenæ fidei sacerdotia casta permaneant, nec post evidentem præcepti nostri formam malignæ locus detur astutiæ : *Dat. III Kal. Aug. Heraclea, Eucherio et Syagrio Coss.* (381).

LIB. XVI. TIT. II. DE EPISCOPIS, ECCLESIIS ET CLERICIS.

25. *Imppp. Gratianus, Valentinianus et Theodosius AAA.*..... Qui divinæ legis sanctitatem aut nesciendo confundunt aut negligendo violant et offendunt, sacrilegium committunt. *Dat. III Kal. Mart. Thessalonica, Gratiano A. V, et Theodosio A. I, Coss.* (380).

26. *Iidem AAA. ad Tuscianum Comitem Orientis.* Universos, quos constiterit custodes ecclesiarum esse vel sanctorum locorum, ac religiosis obsequiis deservire, nullius attentationis molestiam sustinere decernimus. Quis enim eos capite censos patiatur esse devinctos, quos necessario intelligit supra memorato obsequio mancipatos? *Dat. prid. Kal. April. Constantinopoli, Eucherio et Syagrio Coss.* (381).

27. *Imppp. Valentinianus, Theodosius et Arcadius AAA. Tatiano Pf. P.* Nulla nisi emensis sexaginta annis, cui votiva domi proles sit, secundum præceptum apostoli ad diaconissarum consortium transferatur. Tum filiis suis curatore, si id ætas poscit, petito, bona sua idoneis sedula religione gerenda committat, ipsa tantum prædiorum suorum reditus consequatur, de quibus servandi, abalienandi, donandi, distrahendi, relinquendi, vel quoad superest, vel cum in fata concedit et libera ei voluntas est, integra sit potestas. Nihil de monilibus et supellectili, nihil de auro, argento cæterisque claræ domus insignibus sub religionis defensione consumat, sed universa integra in liberos, proximos vel in quoscumque alios, arbitrii sui existimatione, transcribat. Ac si quando diem obierit, nullam ecclesiam, nullum clericum, nullum pauperem scribat hæredes. Careat namque necesse est viribus, si quid contra vetitum circa personas specialiter comprehensas fuerit a moriente confectum. Imo, si quid ab his morienti fuerit extortum, nec tacito fideicommisso aliquid clericis in fraudem venerabilis sanctionis callida arte aut probrosa cujuspiam conniventia deferatur; extorres sint ab omnibus, quibus inhiaverant, bonis. Et si quid forte per epistolam, codicillum, donationem, testamentum, quolibet denique delegitur genere conscriptum erga eos, quos hac sanctione summovimus, id nec in judicium devocetur, sed vel ex intestato is, qui sibi competere intelligit, statuti hujus definitione succedat; si quis se agnoscit filium, si quis probat propinquum, si quis denique vel casu vel judicio pro solido, pro portione hæres, legatarius, fideicommissarius apertis deprehenditur codicillis, fruatur fortunæ munere conscientiæ suæ fructu, et summotis his atque dejectis in hæreditariis corporibus potestate utatur hæredis. § 1. Fœminæ, quæ crinem suum contra divinas humanasque leges instinctu persuasæ professionis absciderint, ab ecclesiæ foribus arceantur. Non illis fas sit, sacrata adire mysteria, neque ullis supplicationibus mereantur veneranda omnibus altaria frequentare; adeo quidem, ut episcopus, tonso capite feminam si introire permiserit, dejectus loco etiam ipse cum hujusmodi contuberniis arceatur : ac non modo si fieri suaserit, verum etiam si hoc ab aliquibus exigi, factum denique esse quacumque ratione compererit, nihil sibi intelligat opitulari. Hoc absque dubio emendandis pro lege erit, emendatis pro consuetudine, ut illi habeant testimonium, isti incipiant timere judicium. *Dat. XI Kal. Jul. Mediolano, Valentiniano A. IV et Neoterio V. C. Coss.* (390).

28. *Iidem AAA. Tatiano Pf. P.* Legem, quæ de diaconissis vel viduis nuper est promulgata, ne quis videlicet clericus neve sub ecclesiæ nomine mancipia, supellectilem prædam, velut infirmi sexus dispoliator, invaderet, et, remotis affinibus ac propinquis, ipse sub prætextu catholicæ disciplinæ se ageret viventis hæredem, eatenus animadvertat esse revocatam, ut de omnium chartis, si jam nota est, auferatur, neque quisquam aut litigator ea sibi utendum, aut judex noverit exsequendum. *Dat. X Kal. Sept. Veronæ, Valentiniano A. IV et Neoterio Coss.* (390).

LIB. XVI. TIT. III. DE MONACHIS.

1. *Imppp. Valentinianus, Theodosius et Arcadius AAA. Tatiano Pf. P.* Quicumque sub professione monachi reperiuntur, deserta loca et vastas solitudines sequi atque habitare jubeantur. *Dat. III Non. Sept. Veronæ, Valentiniano A. IV et Neoterio Coss.* (390).

2. *Iidem AAA. Tatiano Pf. P.* Monachos, quibus interdictæ fuerant civitates, dum judiciariis aguntur injuriis, in pristinum statum, summota hac lege, esse præcipimus : antiquata si quidem nostræ clementiæ jussione, liberos in oppidis largimur eis ingressus. *Dat. XV Kal. Maii Constantinopoli, Arcadio A. II et Rufino Coss.* (392).

LIB. XVI. TIT. IV. DE HIS, QUI SUPER RELIGIONE CONTENDUNT.

1. *Imppp. Valentinianus, Theodosius et Arcadius AAA. Eusignio Pf. P.* His, qui sibi tantummodo existimant colligendi copiam contributam, si turbulentum quippiam contra nostræ tranquillitatis præceptum faciendum esse tentaverint, ut seditionis auctores pacisque turbatæ Ecclesiæ, majestatis capite ac sanguine sint supplicia luituri. *Dat. X Kal. Febr. Constantinopoli, Honorio NB. P. et Evodio Coss.* (386).

2. *Iidem AAA. Tatiano Pf. P.* Nulli egresso ad publicum vel disceptandi de religione vel tractandi vel consilii aliquid deferendi pateseat occasio. Et si quis posthac ausu gravi atque damnabili contra hujus modi legem veniendum esse crediderit, vel insistere

motu pestiferæ perseverationis audebit, competenti pœna et digno supplicio coerceatur. *Dat. XVI Kal. Jul. Stobis, Theodosio A. II et Cynegio Coss.* (388).

3. *Iidem AAA. Potamio Pf. augustali.* Deportatione dignus est, qui nec generali lege admonitus, nec competenti sententia emendatus et fidem catholicam turbat et populum. *Dat. XV Kal. Aug. Constantinopoli, Arcadio A. II et Rufino Coss.* (392).

LIB. XVI. TIT. V. DE HÆRETICIS.

5. *Imppp. Gratianus, Valentinianus et Theodosius AAA. ad Hesperium Pf. P.* Omnes veritæ legibus et divinis et imperialibus hæreses perpetuo conquiescant. Quisquis opinionem plectibilibus Dei profanus imminuit, sibi tantummodo nocitura sentiat, aliis obfutura non pandat. Quisquis redempta venerabili lavacro corpora reparata morte tabificat, id auferendo, quod geminat, sibi solus talia noverit, alios nefaria institutione non perdat. Omnesque perversæ istius superstitionis magistri pariter et ministri, seu illi sacerdotali assumptione episcoporum nomen infamant, seu, quod proximum est, presbyterorum vocabulo religionem mentiuntur, seu etiam se diaconos, cum nec Christiani quidem habeantur, appellant, hi conciliabulis damnatæ dudum opinionis abstineant. Denique antiquato rescripto, quod apud Sirmium nuper emersit, ea tantum super catholica observatione permaneant, quæ perennis recordationis pater noster et nos ipsi victura in æternum æque numerosa jussione mandavimus. *Dat. III Non. Aug. Mediolano. Acc. XIII Kal. Sept. Ausonio et Olybrio Coss.* (379).

6. *Iidem AAA. Eutropio Pf. P.* Nullus hæreticis mysteriorum locus, nulla ad exercendam animi obstinatioris dementiam pateat occasio. Sciant omnes, etiamsi quid speciali quolibet rescripto per fraudem elicito ab hujusmodi hominum genere impetratum est, non valere. § 1. Arceantur cunctorum hæreticorum ab illicitis congregationibus turbæ. Unius et summi Dei nomen ubique celebretur; Nicænæ fidei, dudum a majoribus traditæ et divinæ religionis testimonio atque assertione firmatæ, observantia semper mansura teneatur; Photinianæ labis contaminatio, Ariani sacrilegii venenum, Eunomiæ perfidiæ crimen et nefanda monstruosis nominibus auctorum prodigia sectarum ab ipso etiam aboleantur auditu. § 2. Is autem Nicænæ assertor fidei et catholicæ religionis verus cultor accipiendus est, qui omnipotentem Deum et Christum filium Dei unum nomine confitetur, Deum de Deo, lumen de lumine: qui Spiritum sanctum, qui id, quod ex summo rerum parente speramus, accipimus, negando non violat: apud quem, intemeratæ fidei sensu, viget incorruptæ trinitatis indivisa substantia, quæ Græci assertione verbi οὐσία recte credentibus dicitur. Hæc profecto nobis magis probata, hæc veneranda sunt. § 3. Qui vero iisdem non inserviunt, desinant affectatis dolis alienum veræ religionis nomen assumere, et suis apertis criminibus denoteptur. Ab omnium summoti ecclesiarum limine penitus arceantur, cum omnes A hæreticos illicitas agere intra oppida congregationes vetemus, ac, si quid eruptio factiosa tentaverit, ab ipsis etiam urbium mœnibus exterminato furore propelli jubeamus, ut cunctis orthodoxis episcopis, qui Nicænam fidem tenent, catholicæ ecclesiæ toto orbe reddantur. *Dat. IV Id. Jan. Constantinopoli, Eucherio et Syagrio Coss.* (381).

7. *Iidem AAA. Eutropio Pf. P.* Si qui Manichæus Manichæave ex die latæ dudum legis, ac primitus a nostris parentibus, in quamlibet personam condito testamento vel cujuslibet tituli liberalitatis atque specie donationis transmisit proprias facultates, vel quisquam ex his aditæ per quamlibet successionis formam collatione ditatus est, quoniam iisdem sub perpetua justæ infamiæ nota testandi ac vivendi jure B Romano omnem protinus eripimus facultatem, neque eos aut relinquendæ aut capiendæ alicujus hæreditatis habere sinimus potestatem, totum fisci nostri viribus imminentis indagatione secutur. Sive id marito sive propinquo aut cuilibet bene merito sive etiam filiis, quos tamen vitæ ejus et criminis facinora sociata conjungant, sive etiam per interpositam quamlibet personam profuturum eidem, quæ tali hominum genere et grege reperitur, illicita liberalitate provenerit, caduci tituli vindicetur. § 1. Nec in posterum tantum hujus emissæ per nostram mansuetudinem legis forma prævaleat, sed in præteritum etiam, quidquid talium personarum aut proprietas reliquit, aut successio habuit, usurpatio fiscalis commodi persequatur. Nam licet ordo cœlestium C statutorum secuturis post observantiam sacratæ constitutionis indicat, neque actis obesse consueverit, tamen, quoniam et quid consuetudo, obstinationis pertinax natura, mereatur, in hac tantum, quam specialiter vigere volumus, sanctione justæ sensu instigationis agnoscimus, eos, qui, etiam post legem primitus datam, nequaquam ab illicitis et profanis coitionibus refrenari divina saltem monitione potuerint, tamquam in ipsius depictæ legis injuriam veluti sacrilegii reos tenemus; severitatem præsentium statutorum non tam ad constituendæ, sed ad ulciscendæ legis sanximus exemplum, ita ut nec defensio temporis prosit. § 2. His tantum filiis paternorum vel maternorum bonorum successio deferatur, qui, licet ex Manichæis orti, sensu tamen et D affectu propriæ salutis admoniti ab ejusdem vitæ professionisque collegiis pura semet dediti religione demoverint, tali immunes a crimine. § 3. Illud etiam huic adjicimus sanctioni, ne in conventiculis oppidorum, ne in urbibus claris consueta feralium mysteriorum sepulcra constituant, a conspectu celebri civitate penitus coerceantur. Nec se sub simulatione fallaciæ eorum scilicet nominum, quibus plerique, ut cognovimus, probatæ fidei et propositi castioris dici ac signari volent, maligna fraude defendant; cum præsertim nonnulli ex his Encratitas, Apotactitas, Hydroparastatas vel Saccophoros nominari se velint, et varietate nominum diversorum velut religiosæ professionis officia mentiantur. Eos enim om-

nes convenit non professione defendi nominum, sed notabiles atque exsecrandos haberi scelere sectarum. *Dat. VIII Id. Maii Constantinopoli, Eucherio et Syagrio Coss.* (381).

8. *Iidem AAA. ad Clicherium Comitem Orientis.* Nullum Eunomianorum atque Arianorum vel ex dogmate Ethi in civitatibus vel agris fabricandarum ecclesiarum copiam habere præcipimus. Quod si temere ab aliquo id præsumptum sit, domus eadem, ubi hæc constructa fuerint, quæ construi prohibentur, fundus etiam vel privata possessio protinus fisci nostri viribus vindicetur, atque omnia loca fiscalia statim fiant, quæ sacrilegi hujus dogmatis vel sedem receperint vel ministros. *Dat. XIV Kal. Aug. Constantinopoli, Eucherio et Syagrio Coss.* (381).

9. *Iidem AAA. Floro Pf. P.* Quisquis Manichæorum vitæ solitariæ falsitate cœtum bonorum fugit, ac secretas urbes eligit pessimorum, ita ut profanator atque corruptor catholicæ, quam cuncti suspicimus, disciplinæ legi subjugetur, ut intestabilis vivat, nihil vivus impendat illicitis, nihil moriens relinquat indignis, omnia suis non moribus, sed naturæ restituat, aut proximis, si deerit legitima successio, melius regenda dimittat, aut fisci dominio, deficiente agnatione, sine fraude molitionis intelligat obligata. Hæc de solitariis. § 1. Cæterum quos Encratitas prodigiali appellatione cognominant, cum Saccophoris sive Hydroparastatis refutatos judicio, proditos crimine vel in mediocri vestigio facinoris hujus inventos, summo supplicio et inexpiabili pœna jubemus affligi, manente ea conditione de bonis, quam omni huic officinæ imposuimus, a latæ dudum legis exordio. Sublimitas itaque tua det inquisitores, aperiat forum, indices denuntiatoresque sine invidia delationis accipiat. Nemo præscriptione communi exordium accusationis hujus infringat. Nemo tales occultos cogat latentesque conventus : agris vetitum sit, prohibitum mœnibus, sede publica privataque damnatum. § 2. Ac summa exploratione rimetur, ut quicumque in unum Paschæ diem non obsequenti religione convenerint, tales indubitanter, quales hac lege damnavimus, habeantur. *Dat. prid. Kal. April. Constantinopoli, Antonio et Syagrio Coss.* (382).

10. *Iidem AAA. Constantiniano Vicario diœceseos Ponticæ.* Tascodrogitæ a sedibus quidem suis minime propellantur, ad nullam tamen ecclesiam hæreticæ superstitionis turba conveniat, aut si forte convenerit, a conventiculis suis sine ulla mora propulsetur. *Dat. XII Kal. Jul. Constantinopoli, Merobaude II et Saturnino Coss.* (383).

11. *Iidem AAA. Postumiano Pf. P.* Omnes omnino, quoscumque diversarum hæresum error exagitat, id est Eunomiani, Ariani, Macedoniani, Pneumatomachi, Manichæi, Encratitæ, Apotactitæ, Saccophori, Hydroparastatæ, nullis circulis coeant, nullam colligant multitudinem, nullum ad se populum trahant, nec ad imaginem ecclesiarum parietes privatos ostendant, nihil vel publice vel privatim, quod catholicæ sanctitati officere possit, exerceant. Ac si qui exstiterit, qui tam evidenter vetita transcendat, permissa omnibus facultate, quos rectæ observantiæ cultus et pulchritudo delectat, communi omnium bonorum conspiratione pellatur. *Dat. VIII Kal. Aug. Constantinopoli, Merobaude II et Saturnino Coss.* (383).

12. *Iidem AAA. Postumiano Pf. P.* Vitiorum institutio Deo atque hominibus exosa, Eunomiana scilicet, Ariana, Macedoniana, Apollinariana cæterarumque sectarum, quas veræ religionis venerabili cultu catholicæ observantiæ fides sincera condemnat, neque publicis, neque privatis aditionibus intra urbium atque agrorum ac villarum loca aut colligendarum congregationum aut constituendarum ecclesiarum copiam præsumat, nec celebritatem perfidiæ suæ vel solemnitatem diræ communionis exerceat, neque ullas creandorum sacerdotum usurpet atque habeat ordinationes. Eædem quoque domus, seu in urbibus seu in quibuscumque locis passim turbæ professorum ac ministrorum talium colligentur, fisci nostri dominio jurique subdantur, ita ut hi, qui vel doctrinam vel mysteria conventionum talium exercere consueverunt, perquisiti ab omnibus urbibus ac locis, propositæ legis vigore constricti expellantur a cœtibus, et ad proprias, unde oriundi sunt, terras redire jubeantur, ne quis eorum aut commeandi ad quælibet alia loca aut evagandi ad urbes habeat potestatem. Quod si negligentius ea, quæ serenitas nostra constituit, impleantur, et officia provincialium judicum et principales urbium, in quibus coitio vetitæ congregationis reperta monstrabitur, sententiæ damnationique subdantur, *Dat. III Non Sept. Constantinopoli, Merobaude II et Saturnino Coss.* (383).

13. *Iidem AAA. Cynegio Pf. P.* Eunomiani, Macedoniani, Ariani, nec non Apollinariani inter sacræ religionis officia pro suis erroribus famosa sunt nomina. Omnes itaque, qui harum professionum vel pontificium sibi vel ministerium vindicarunt, qui se fugati nominis asserunt sacerdotes, quique in criminosa religione ministrorum sibi nomen imponunt, qui docere se dicunt, quod aut nescire aut discere sit dedecorum, omnibus hujus urbis latebris indagine curiosiore perspectis, sine ulla gratiæ interventione pellantur ; in aliis locis vivant, ac penitus a bonorum congressibus separentur. *Dat. XII Kal. Febr. Constantinopoli, Richomere et Clearcho Coss.* (384).

14. *Iidem AAA. Cynegio Pf. P.* Apollinarianos cæterosque diversarum hæresum sectatores ab omnibus locis jubemus inhiberi, a mœnibus urbium, a congressu honestorum, a communione sanctorum ; instituendorum clericorum non habeant potestatem ; colligendarum congregationum vel in publicis vel in privatis ecclesiis careant facultate. Nulla his episcoporum faciendorum præbeatur auctoritas ; ipsi quoque episcopi, nomine destituti, appellationem hujus dignitatis amittant. Adeant loca, quæ hos potissimum, quasi vallo, quodammodo ab humana communione secludant. His etiam illud annectimus, ut supra memoratis omnibus adeundi atque interpellandi sere-

nitatem nostram aditus denegetur. *Dat. VI Id. Mart. Thessalonica, Theodosio A. II et Cynegio Coss.* (388).

15. *Iidem AAA. Trifolio Pf. P.* Omnes diversarum perfidarumque sectarum, quos in Deum miseræ vesania conspirationis exercet, nullum usquam sinantur habere conventum, non inire tractatus, non cœtus agere secretos, non nefariæ prævaricationis altaria manus impiæ officiis impudenter attollere, et mysteriorum simulationem ad injuriam veræ religionis aptare. Quod ut congruum sortiatur effectum, in specula sublimitas tua fidissimos quosque constituat, qui et cohibere hos possint et deprehensos offerre judiciis, severissimum, secundum præteritas sanctiones, et Deo supplicium daturos et legibus. *Dat. XVIII Kal. Jul. Stobis, D. N. Theodosio A. II et Cynegio V. C. Coss.* (388.)

16. *Iidem AAA. Cynegio Pf. P.* Nonnullos Arianorum formam nostrarum talem proferre jussionem comperimus, ut his liceat usurpare, quæ suis videantur utilitatibus convenire. Qua sublata sciant, nullam hujusmodi jussionem e nostro sacrario profluxisse. Quidquid itaque fuerit ab his pro eorum commoditate prolatum, ut falsi reus teneatur, qui deinceps ea circumtulerit. *Dat. V Id. Aug. Constantinopoli. Theodosio A. II et Cynegio Coss.* (388).

17. *Imppp. Valentinianus, Theodosius et Arcadius AAA. Tatiano Pf. P.* Eunomiani spadones nec faciendi, nec adipiscendi habeant licentiam testamenti. Quod circa omnes, quos vivos lex invenerit, volumus custodiri, nec quemquam præteritæ cujuspiam voluntatis privilegio defensari, cum, seu facta prius testamenta seu infecta doceantur, post hanc nostri oraculi sanctionem non habeant possidendi licentiam, non petendi, non etiam relinquendi hæredem nomine principali, non fideicommissario, non legatario, non tacito fideicommisso, vel quamcumque in hujuscemodi negotiis nuncupationem juris ordo constituit: sed omnia, quæ talium esse vel futura esse constiterit, ut caduca fisci nostri viribus vindicentur. Nihil ad summum habeant commune cum reliquis. *Dat. III Non. Maii Mediolano, Timasio et Promoto Coss.* (389).

18. *Iidem AAA. Albino Pf. U.* Quicumque sub nomine Manichæorum mundum sollicitant, ex omni quidem orbe terrarum, sed quam maxime de hac urbe pellantur, sub interminatione judicii. § 1. Voluntates autem eorumdem, quinimo ipsæ etiam facultates, populo publicatæ nec vim testamentorum teneant, nec derelinqui per eos aut iisdem fas sit. Nihil ad summum his sit commune cum mundo. *Dat. XV Kal. Jul. Roma, Timasio et Promoto Coss.* (389).

19. *Iidem AAA. Tatiano Pf. P.* Hi, qui scævi dogmatis retinent principatum, hoc est episcopi, presbyteri, diaconi atque lectores, et qui clericatus velamine religioni maculam conantur infligere, sub cujuslibet hæresis sive erroris nomine constituti, ex funestis conciliabulis, seu intra urbem seu in suburbanis esse videantur, omni modo propellantur. *Dat. VI Kal. Dec. Mediolano, Timasio et Promoto Coss.* (389).

20. *Exemplum sacrarum Litterarum.* Hæreticorum polluta contagia pelli urbibus, vicis proturbari ac nullis penitus jubemus patere conventibus, ne in quoquam loco sacrilega cohors talium hominum colligatur. Nulla eorum perversitati vel publica conventicula vel latentiora erroribus secreta tribuantur. *Dat. XIII Kal. Jun. Roma, Tatiano et Symmacho VV. CC. Coss.* (391).

21. *Iidem AAA. Tatiano Pf. P.* In hæreticis erroribus quoscumque constiterit vel ordinasse clericos vel suscepisse officium clericorum, denis libris auri viritim mulctandos esse censemus: locum sane, in quo vetita tentantur, si conniventia domini patuerit, fisci nostri viribus aggregari. Quod si id possessorem, quippe clanculum gestum, ignorasse constiterit, conductorem ejus fundi, si ingenuus est, decem auri libras fisco nostro inferre præcipimus, si servili fæce descendens paupertate sui pœnam damni ac vilitate contemnit, cæsus fustibus deportatione damnabitur. Tum illud specialiter præcavemus, ut, si villa dominica fuerit seu cujuslibet publici juris, et conductor et procurator licentiam dederint colligendi, denis libris auri proposita condemnatione mulctentur. Verum si quos talibus repertos obsecundare mysteriis ac sibi usurpare nomina clericorum jam nunc proditum fuerit, denas libras auri exigi singulos et inferre præcipimus. *Dat. XVII Kal. Jul. Constantinopoli, Arcadio A. II et Rufino Coss.* (392).

22. *Imppp. Theodosius, Arcadius et Honorius AAA. Victorio Proconsuli Asiæ.* Hæretici neque episcopi faciendi potestatem, neque episcoporum confirmationes licitas habeant. *Dat. XVII Kal. Maii Constantinopoli, Arcadio III, et Honorio II, AA. Coss.* (394).

23. *Iidem AAA. Rufino Pf. P.* Eunomianis, ne caperent aliquid vel relinquerent testamento, legem dudum credidimus promulgandam, quam quidem nunc consilio pleniore revocamus. Vivant jure communi, scribant pariter ac scribantur hæredes. *Dat. XII Kal. Jul. Hadrianopoli, Arcadio III, et Honorio II, AA. Coss.* (394).

24. *Iidem AAA. Rufino Pf. P.* Hæreticorum dementia nec ulterius conetur perpetrare, quæ repererit, nec illicita habere concilia: nusquam profana præcepta vel docere vel discere. Ne antistites eorumdem audeant fidem insinuare, quam non habent, et ministros creare, quod non sunt. Ne per conniventiam judicantium omniumque, quibus per constitutiones paternas super hoc cura mandata est, ejus modi audacia negligatur et crescat. *Dat. VII Id. Jul. Constantinopoli, Arcadio III, et Honorio II, AA. Coss.* (394).

LIB. XVI. TIT. VII. DE APOSTATIS.

1. *Imppp. Gratianus, Valentinianus et Theodosius AAA. ad Eutropium Pf. P.* Eis, qui ex Christianis pagani facti sunt, eripiatur facultas jusque testandi,

et omne defuncti, si quod est, testamentum summota conditione rescindatur. *Dat. VI Non. Maii Constantinopoli, Syagrio et Eucherio Coss.* (381).

2. *Iidem AAA. Posthumiano Pf. P.* Christianis ac fidelibus, qui ad paganos ritus cultusque migrarunt, omnem in quamcumque personam testamenti condendi interdicimus potestatem, ut sint absque jure Romano. § 1. His vero, qui Christiani et catechumeni tantum venerabili religione neglecta ad aras et templa transierint, si filios vel fratres germanos habebunt, hoc est suam aut legitimam successionem, testandi arbitratu proprio in quaslibet alias personas jus adimatur. § 2. Pari et circa eorum personas in capiendo custodienda forma, ut præter suas et legitimas, quæ iisdem ex parentum vel germanorum fratrum bonis pervenire potuerint, successiones, judicio etiam, si ita res ferant, conditæ voluntatis, nulla omnino in capiendis hæreditatibus testamenti jura sibi vindicent, et indubitate ab omni testamentorum, debeant non solum condendorum, sed etiam, sub adipiscendæ pontificio hæreditatis, usurpandorum potestate excludi. *Dat. XIII Kal. Jun. Constantinopoli, Merobaude II. et Saturnino Coss.* (383).

3. *Iidem AAA. ad Hypatium Pf. P.* Christianorum ad aras et templa migrantium negata testandi licentia vindicamus admissum. Eorum quoque flagitia puniantur, qui Christianæ religionis et nominis dignitate neglecta, Judaicis semet polluere contagiis. Eos vero, qui Manichæorum nefanda secreta et scelerosos aliquando sectari maluere secessus, ea jugiter atque perpetuo pœna comitetur, quam vel divalis arbitrii genitor Valentinianus adscripsit, vel nostra nihilominus sæpius decreta jusserunt. Auctores vero persuasionis hujus, qui lubricas mentes in proprium deflexerant consortium, eadem, quæ reos erroris hujusce modi, pœna comitetur; quin etiam graviora plerumque, pro motibus judicium et qualitate commissi, extra ordinem promi in nefarios sceleris hujus artifices supplicia censemus. § 1. Sed ne vel mortuos perpetua vexet criminationis injuria, vel hæreditariæ quæstiones, temporum varietate longorum prorsus emortuæ, in redivivos semper exagitentur conflictus, hujusce modi quæstionibus metam temporis adscribimus, ut, si quis defunctum violatæ atque desertæ Christianæ religionis accusat, eumque in sacrilegia templorum vel in ritus Judaicos vel ad Manichæorum dedecus transisse contendit, eaque gratia testari minime potuisse confirmat, intra quinquennium juge, quod inofficiosis actionibus constitutum est, proprias exserat actiones, futurique judicii hujusce modi sortiatur exordium, ut eodem in luce durante, cujus prævaricatio criminanda est, flagitii hujus et sceleris particeps fuisse doceatur publica sub testificatione testatus, probet indicium, neque quam superno nomini tacitus præstitit perfidiam, sceleribus acquiescens, prævaricatione deinceps tamquam ignarus accuset. *Dat. XII Kal. Jun. Patavi, Merobaude II et Saturnino Coss.* (383).

4. *Imppp. Valentinianus, Theodosius et Arcadius AAA. Flaviano Pf. P.* Hi, qui sanctam fidem prodiderint et sanctum baptisma profanaverint, a consortio omnium segregati sint, a testimoniis alieni, testamenti, ut ante jam sanximus, non habeant factionem, nulli in hæreditate succedant, a nemine scribantur hæredes. Quos etiam præcepissemus procul abjici ac longius amandari, nisi pœnæ visum fuisset esse majoris, versari inter homines et hominum carere suffragiis. § 1. Sed nec umquam in statum pristinum revertentur, non flagitium morum oblitterabitur pœnitentia, neque umbra aliqua exquisitæ defensionis aut muniminis obducetur, quoniam quidem eos, qui fidem, quam Deo dicaverant, polluerunt et prodentes divinum mysterium in profana migrarunt, tueri ea, quæ sunt commentitia et concinnata, non possunt. Lapsis etenim et errantibus subvenitur; perditis vero, hoc est sanctum baptisma profanantibus, nullo remedio pœnitentiæ, quæ solet aliis criminibus prodesse, succurritur. *Dat. V Id. Maii Concordiæ. Tatiano et Symmacho Coss.* (391).

5. *Iidem AAA. Flaviano Pf. P.* Si quis splendor collatus est in eos vel ingenitus dignitatis, qui fide devii et mente cæcati sacrosanctæ religionis cultu et reverentia descivissent, ac se sacrificiis mancipassent, perdant, ut de loco suo statuque dejecti perpetua urantur infamia, ac ne in extrema quidem vulgi ignobilis parte numerentur. Quid enim his cum hominibus potest esse commune, qui infandis et feralibus mentibus, gratiam communionis exosi, ab hominibus recesserunt? *Dat. V Id. Maii Concordiæ, Tatiano et Symmacho Coss.* (391).

LIB. XVI. TIT. VIII. DE JUDÆIS, CŒLICOLIS ET SAMARITANIS.

8. *Imppp. Theodosius, Arcadius et Honorius AAA. Tatiano Pf. P.* Judæorum querelæ quosdam auctoritate judicum recipi in sectam suam reclamantibus legis suæ primatibus asseverant, quos ipsi judicio suo ac voluntate projiciunt. Quam omnino summoveri jubemus injuriam, nec eorum in ea superstitione sedulus cœtus aut per vim judicum aut rescripti surreptione, invitis primatibus suis, quos, virorum clarissimorum et illustrium patriarcharum arbitrio, manifestum est habere sua de religione sententiam, opem reconciliationis mereantur indebitæ. *Dat. XV Kal. Maii Constantinopoli, Arcadio A. II et Rufino Coss.* (392).

9. *Iidem AAA. Addeo Comiti et Magistro utriusque militiæ per Orientem.* Judæorum sectam nulla lege prohibitam, satis constat. Unde graviter commovemur, interdictos quibusdam locis eorum fuisse conventus. Sublimis igitur magnitudo tua, hac jussione suscepta, nimietatem eorum, qui sub Christianæ religionis nomine illicita quæque præsumunt, et destruere synagogas atque exspoliare conantur, congrua severitate cohibebit. *Dat. III Kal. Oct. Constantinopoli, Theodosio A. III et Abundantio Coss.* (393).

LIB. XVI. TIT. X. DE PAGANIS, SACRIFICIIS ET TEMPLIS.

7. *Imppp. Gratianus, Valentinianus et Theodosius*

AAA. Floro Pf. P. Si qui vetitis sacrificiis, diurnis nocturnisque, velut vesanus ac sacrilegus incertorum consultorum immerserit, fanumque sibi aut templum ad hujusce modi sceleris excusationem assumendum crediderit, vel putaverit adeundum, proscriptioni se noverit subjugandum, cum nos justa institutione moneamus, castis Deum precibus excolendum, non diris carminibus profanandum. *Dat. XII Kal. Jan. Constantinopoli, Eucherio et Syagrio Coss.* (381).

8. *Iidem AAA. Palladio Duci Osroenæ.* Ædem olim frequentiæ dedicatam, cœtui et jam populo quoque communem, in qua simulacra feruntur posita, artis pretio quam divinitate metienda, jugiter patere, publici consilii auctoritate decernimus, neque huic rei obreptivum officere sinimus oraculum, ut conventu urbis et frequenti cœtu videatur. Experientia tua, omni votorum celebritate servata, auctoritate nostri ita patere templum permittat oraculi, ne illic prohibitorum usus sacrificiorum hujus occasionis aditus permissus esse credatur. *Dat. prid. Kal. Dec. Constantinopoli, Antonio et Syagrio Coss.* (382).

9. *Iidem AAA. Cynegio Pf. P.* Ne quis mortalium ita faciendi sacrificii sumat audaciam, ut inspectione jecoris extorumque præsagio vanæ spem promissionis accipiat, vel, quod est deterius, futura sub exsecrabili consultatione cognoscat. Acerbioris etenim imminebit supplicii cruciatus eis, qui, contra vetitum, præsentium vel futurarum rerum explorare tentaverint veritatem. *Dat. VIII Kal. Jun. Constantinopoli, Arcadio A. I. et Bautone V. C. Coss.* (385).

10. *Iidem AAA. ad Albinum Pf. P.* Nemo se bestiis polluat, nemo insontem victimam cædat, nemo delubra adeat, templa perlustret, et mortali opere formata simulacra suspiciat, ne divinis atque humanis sanctionibus reus fiat. Judices quoque hanc formam contineant, ut, si quis profano ritui deditus templum uspiam vel in itinere vel in urbe adoraturus intraverit, quindecim pondo auri ipse protinus inferre cogatur; nec non officium ejus parem summam simili maturitate dissolvat, si non et obstiterit judici, et confestim publica attestatione retulerit. Consulares senas, officia eorum simili modo, correctores et præsides quaternas, apparitiones illorum similem normam æquali sorte dissolvant. *Dat. VI Kal. Mart. Mediolano, Tatiano et Symmacho Coss.* (391).

11. *Iidem AAA. Evagrio Præfecto Augustali et Romano Comiti Ægypti.* Nulli sacrificandi tribuatur potestas, nemo templa circumeat, nemo delubra suspiciat. Interclusos sibi nostræ legis obstaculo profanos aditus recognoscant adeo, ut, si qui vel de diis aliquid contra vetitum sacrisque molietur, nullis exuendum se indulgentiis recognoscat. Judex quoque si quis tempore administrationis suæ, fretus privilegio potestatis, polluta loca sacrilegus temerator intraverit, quindecim auri pondo, officium vero ejus, nisi collatis viribus obviarit, parem summam ærario nostro inferre cogatur. *Dat. XVI Kal. Jul. Aquileia, Tatiano et Symmacho Coss.* (391).

12. *Imppp. Theodosius, Arcadius et Honorius AAA. ad Rufinum Pf. P.* Nullus omnino, ex quolibet genere, ordine hominum, dignitatum, vel in potestate positus vel honore perfunctus, sive potens sorte nascendi seu humilis genere, conditione, fortuna, in nullo penitus loco, in nulla urbe sensu carentibus simulacris vel insontem victimam cædat, vel, secretiore piaculo, larem igne, mero genium, penates odore veneratus, accendat lumina, imponat thura, serta suspendat. § 1. Quod si quispiam immolare hostiam sacrificaturus audebit aut spirantia exta consulere, ad exemplum majestatis reus, licita cunctis accusatione, delatus excipiat sententiam competentem, etiamsi nihil contra salutem principum aut de salute quæsierit. Sufficit enim ad criminis molem naturæ ipsius leges velle rescindere, illicita perscrutari, occulta recludere, interdicta tentare, finem quærere salutis alienæ, spem alieni interitus polliceri. § 2. Si quis vero mortali opere facta et ævum passura simulacra imposito thure venerabitur, ac ridiculo exemplo metuens subito, quæ ipse simulaverit, vel redimita vittis arbore, vel erecta effossis ara cespitibus, vanas imagines, humiliore licet muneris præmio, tamen plena religionis injuria honorare tentaverit, is, utpote violatæ religionis reus, ea domo seu possessione mulctabitur, in qua eum gentilitia constiterit superstitione famulatum. Namque omnia loca, quæ thuris constiterit vapore fumasse, si tamen ea in jure fuisse thurificantium probabuntur, fisco nostro associanda censemus. § 3. Sin vero in templis fanisve publicis aut in ædibus agrisve alienis tale quispiam sacrificandi genus exercere tentaverit, si ignorante domino usurpata constiterit, viginti quinque libras auri mulctæ nomine cogetur inferre, conniventem vero huic sceleri par ac sacrificantem pœna retinebit. § 4. Quod quidem ita per judices ac defensores et curiales singularum urbium volumus custodiri, ut illico per hos comperta in judicium deferantur, per illos delata plectantur. Si quid autem ii tegendum gratia aut incuria prætermittendum esse crediderint, commotioni judiciariæ subjacebunt. Illi vero moniti si vindictam dissimulatione distulerint, triginta librarum auri dispendio mulctabuntur: officiis quoque eorum damno pari subjugandis. *Dat. VI Id. Nov. Constantinopoli, Arcadio A. II et Rufino Coss.* (392).

APPENDIX.

EPISTOLA CONCILII CONSTANTINOPOLITANI ŒCUMENICI AD THEODOSIUM IMPERATOREM.

(Labb. Concil. t. II, col. 945-946.)

Religionis ac pietatis observantissimo, Deique amantissimo imperatori Theodosio, sanctum concilium episcoporum, qui ex diversis provinciis Constantinopoli convenerunt.

A Τῷ εὐσεβεστάτῳ βασιλεῖ Θεοδοσίῳ ἡ ἁγία συνόδος τῶν ἐπισκόπων τῶν ἐκ διαφόρων ἐπαρχιῶν συνελθόντων ἐν Κωνσταντινουπόλει.

Initio quidem nostri ad tuam pietatem scripti, gratias agimus Deo, qui tuæ pietatis imperium constituit ad communem pacem Ecclesiarum, et sanæ fidei confirmationem : agentes autem Deo debitas gratias, necessario quoque ea quæ acta sunt in sancto concilio, ad tuam referimus pietatem; nempe quod ex quo tempore juxta litteras tuæ pietatis Constantinopoli convenimus, primum quidem mutuam inter nos concordiam renovavimus : deinde vero breves etiam pronuntiavimus definitiones, quibus et patrum, qui Nicææ congregati fuerunt, fidem confirmavimus; et, quæ adversus eam obortæ sunt, perversas hæreses B ac pravas opiniones extrema cum exsecratione ac detestatione reprobavimus. Præterea etiam ad recte constituendum et ordinandum statum et disciplinam Ecclesiarum, certos canones statuimus : quæ omnia huic nostro scripto subjecimus (*a*). Rogamus igitur tuam clementiam, ut per litteras quoque tuæ pietatis ratum habeatur concilii decretum : ut sicuti litteris, quibus nos convocasti, Ecclesiam honore prosecutus es, ita etiam finem eorum quæ decreta sunt, obsignes. Dominus autem imperium tuum in pace et justitia stabiliat, et producat in multas ætates et generationes, atque ad terrenum imperium cœlestis quoque regni gaudium et fructum adjiciat. Gratificetur Deus orbi terrarum, ut te, qui revera pietatis studiosissimus, Deique amantissimus imperator es, valentem, omnibusque præclaris rebus florentem et excellentem videat : id quod sancti etiam ab illo precibus ac votis petunt et orant.

Ἀρχὴ μὲν ἡμῖν τοῦ πρὸς τὴν σὴν εὐσέβειαν γράμματος, εὐχαριστία πρὸς τὸν Θεὸν τὸν ἀναδείξαντα τῆς ὑμετέρας εὐσεβείας τὴν βασιλείαν, ἐπὶ κοινῇ τῶν ἐκκλησιῶν εἰρήνῃ καὶ τῆς ὑγιοῦς πίστεως στηριγμῷ· ἀποδιδόντες δὲ τῷ Θεῷ τὴν ὀφειλομένην εὐχαριστίαν, ἀναγκαίως καὶ τὰ γεγενημένα κατὰ ἁγίαν συνόδον πρὸς τὴν σὴν εὐσέβειαν ἀναφέρομεν· καὶ ὅτι συνελθόντες εἰς τὴν Κωνσταντινού πόλιν κατὰ τὸ γράμμα τῆς σῆς εὐσεβείας, πρῶτον μὲν ἀνενεωσάμεθα τὴν πρὸς ἀλλήλους ὁμόνοιαν· ἔπειτα δὲ καὶ συντόμους ὅρους ἐξεφωνήσαμεν, τήν τε τῶν πατέρων πίστιν τῶν ἐν Νικαίᾳ κυρώσαντες, καὶ τὰς κατ' αὐτῆς ἐκφυείσας αἱρέσεις ἀναθεματίσαντες. Πρὸς δὲ τούτοις, καὶ ὑπὲρ τῆς εὐταξίας τῶν ἐκκλησιῶν ῥητοὺς κανόνας ὡρίσαμεν· ἅπερ ἅπαντα τῷδε ἡμῶν τῷ γράμματι ὑπετάξαμεν. Διόμεθα τοίνυν τῆς σῆς εὐσεβείας ἐπικυρωθῆναι τῆς συνόδου τῆς ψῆφον· ἵν' ὥσπερ τοῖς τῆς κλήσεως γράμμασι τὴν Ἐκκλησίαν τετίμηκας, οὕτω καὶ τῶν δοξάντων ἐπισφραγίσῃς τὸ τέλος. Ὁ δὲ Κύριος στηρίξῃ σου τὴν βασιλείαν ἐν εἰρήνῃ καὶ δικαιοσύνῃ, καὶ παραπέμψῃ γενεαῖς γενεῶν, καὶ προσθείῃ τῷ ἐπιγείῳ κράτει καὶ τῆς βασιλείας τῆς ἐπουρανίου τὴν ἀπόλαυσιν. Ἐρρωμένον σε, καὶ ἐν πᾶσι τοῖς καλοῖς διαπρέποντα ὁ Θεὸς χαρίσαιτο τῇ οἰκουμένῃ. εὐχαῖς τῶν ἁγίων, τὸν ὡς ἀληθῶς εὐσεβέστατον καὶ θεοφιλέστατον βασιλέα.

(*a*) Hæc Constantinopolitani concilii statuta videsis, si libuerit, in Labb. tom. II, col. 946.

(Vide alias epistolas eidem imperatori Theodosio ab Ambrosio episcopo scriptas inter Opera hujus Sancti Antistitis.)

ANNO DOMINI CCCLXXXI-CCCXCVIII.

SANCTUS VIGILIUS,

EPISCOPUS TRIDENTINUS ET MARTYR.

PROLEGOMENA.

NOTITIA HISTORICA.

Ex Gallandii Bibliotheca. tom VIII, p. x-xii.

I. Pauca sunt admodum, neque usquequaque in- D dubia, quæ de rebus gestis sancti Vigilii Tridenti episcopi et martyris, in promptu habentur. Exstant ejus Acta, *si non omnino primigenia*, judice Papebro-

chio (*a*), *tamen primigeniis proxima;* quæ ex ms. codice Trevirensi S. Maximini deprompta evulgarunt Bollandiani (*b*). Neque sane hujusmodi Actis antiquius aut sincerius monumentum occurrit, quo de nostro præsule securius aliquid statuamus. Ex his itaque Actis edocemur (*c*), Vigilium *genere* fuisse *Romanum, civem Tridentinum, atque Athenis liberalibus litteris eruditum.* Tridentum autem reversus, traditur *ordinatus dictæ civitatis episcopus, a primo tertius :* successor nimirum Abundantii, quem constat anno CCCLXXXI Aquileiensi concilio interfuisse, adversus Palladium et Secundianum coacto. Ætatis annum XX egisse Vigilium, quo tempore ad episcopalem cathedram fuit evectus, perhibent eadem Acta : quorum tamen auctoritati hac de re fidem detrahit Tillemontius (*d*). Verum ex ejus animo scrupulum eximunt viri eruditi, Galeardus (*e*) et Tartarottus (*f*). Neque enim insolens fuit antiquitus, ut aliquando præter morem Ecclesiæ receptum, nonnulli eximia pietatis et doctrinæ laude præstantes, immatura licet ætate, ad episcopatum proveherentur. Qua de re complura exstant apud veteres scriptores exempla. De Gregorio namque Thaumaturgo atque Athenodoro ejus fratre tradit Eusebius (*g*), eos *tantopere in divinis eloquiis profecisse, ut ambo adhuc juvenes, ecclesiarum in Ponto episcopi fuerint constituti :* τοσαύτην ἀπηνέγκαντο περὶ τὰ θεῖα λόγια βελτίωσιν, ὡς ἔτι νέους ἄμφω ἐπισκοπῆς τῶν κατὰ Πόντον ἐκκλησιῶν ἀξιωθῆναι. Gaudentius præterea, Brixiensis episcopus, qui eadem tempestate floruit qua noster Vigilius, Tractatum de sua ordinatione sic inchoat (*h*) : *Imperitiæ meæ conscius, et ætatis ipsius immaturæ ad sacerdotii dignitatem pudore deterritus, merito silendi licentiam a summis sacerdotibus postulabam.* Denique, ut reliqua prætereamus exempla, Remigius *ubi vigesimum secundum ætatis subiit annum, in urbe Rhemensi, omnium generaliter votis ad apicem pontificatus non tam electus quam raptus fuit,* ut ex Flodoardo erudimur (*i*).

II. Ordinatum fuisse Vigilium ab episcopo Aquileiensi ejus Acta modo laudata testantur (*j*); qui sane fuerit Valerianus, Fortunato suffectus anno CCCLXVIII. Porro Valerianus annos XX Ecclesiam Aquileiensem rexisse perhibetur, qui scilicet supremum diem obiit anno CCCLXXXVIII, ut pluribus ostendit V. C. Bernardus de Rubeis (*k*). Cum autem constet Vigilium Abundantio successisse post annum CCCLXXXI, quo is synodo Aquileiensi subscripsit, ut superius admonuimus; ante annum proinde CCCLXXXVIII Valeriani emortualem consignanda fuerit Vigilii ordinatio : secus atque conjecit Tartarottus (*l*). Id vero confirmari posse videtur ex epistola sancti Ambrosii Mediolanensis, eidem Vigilio ad episcopatum recens adlecto inscripta, ut ex ipsius epistolæ initio liquet. Sic enim loquitur sanctus Doctor (*m*) : *Poposcisti a me institutionis tuæ insignia, quoniam* NOVUS *accitus es ad sacerdotium. Et quoniam te ipsum ædificasti, ut oportuit, qui dignus habitus es tanto munere; quomodo et alios ædifices, significandum videtur.* In qua quidem epistola cum ante omnia novum Tridentinum episcopum hortetur Mediolanensis (*n*), ut plebem sibi commissam doceat *conjugii copulam non ex alienigenis, sed ex domibus christianis esse quærendam;* neque uspiam memoret Theodosii legem ineunte anno CCCLXXXVIII latam, qua Judæorum cum Christianis conjugia prohibebantur, quamque profecto in medium adduxisse par erat Ambrosio, cui scilicet eadem lex incomperta esse non poterat, ut suam magis admonitionem confirmaret : hinc proinde rite conficitur, Ambrosianam illam epistolam scriptam fuisse ante annum CCCLXXXVIII et fortasse anno CCCLXXXV, ut ex mox dicendis manifestum fiet. Quæ est sententia cll. virorum Nourrii (*o*) et Bernardi de Rubeis (*p*) modo laudatorum. Neque enim peremptoriæ sunt conjecturæ, quibus eam infirmare nititur Tartarottus (*q*).

III. Quot demum annos Ecclesiam Tridentinam rexerit Vigilius, definiendum superest ex temporis notatione, quo fuit martyrio sublatus. Porro ex Actis superius excitatis perhibetur (*r*) *passus beatus Vigilius* THEODOSII *et Honorii Augustorum regnantium tempore,* STILICONE *consule urbis Romæ.* Neque aliter legit Bartholomæus Tridentinus (*s*), quem circa medium sæculi XIII floruisse novimus. Intelligimus autem ex Fastis consularibus, Stiliconem semel iterumque consulatum gessisse : primum quidem anno CCCC, deinde anno CCCCV. At vero Theodosius Junior cujus mentio in Actis, AUGUSTUS creatus est die 10 aut 11 Januarii anno CCCCII (*t*), cum nondum vitæ annum impleverit, natus nimirum die 10 vel 11 Aprilis præcedente anno CCCCI, adeoque ut Actis veritas constet, in annum CCCCV, quo Stilico secundum consulatum obtinuit, inciderit passio sancti Vigilii. Neque enim cum Papebrochio (*u*) sollicitanda est Actorum lectio, qui *Theodosii* loco legendum *Arcadii*

(*a*) *Papebr.*, ad Act SS. tom. V Junii, pag. 163, num. 1.
(*b*) Ibid., pag. 165 seqq.
(*c*) Ibid., § 1.
(*d*) *Tillem.*, Mem. eccl. tom. X, pag. 812, not. 1, *sur S. Vigile.*
(*e*) *Galeard.*, ad S. Gaudent. Serm., pag. 332 nov. edit., not. *f.*
(*f*) *Tartar.*, de Orig. Eccl. Trident., § 43, p. 79.
(*g*) *Euseb.*, Hist. eccl., lib. VI, cap. 30.
(*h*) *Gaud.*, Serm., pag. 332, nov. edit.
(*i*) *Flodoard.*, Hist. eccl. Rhemens., lib. I, cap. 11.
(*j*) Act. SS., l. c., § 2.
(*k*) *Bern. de Rub.*, Monum. eccl. Aquil., cap. 7 et 10, pag. 64, 89.
(*l*) *Tartar.*, de Origin. eccl. Trident, § 44, pag. 81, et *Apolog delle Memor. di Rover.*, pag. 288, not. 2.
(*m*) *Ambros.*, epist. 19, opp. tom. II, pag. 842, n. 1.
(*n*) *Id.* ibid. num. 2, pag. 843.
(*o*) *Nourr.*, in recens. epistol. Ambros. ad ann. 383.
(*p*) *Bern. de Rub.*, l. c., pag. 87.
(*q*) *Tartar.*, de Origin. eccl. Trident., § 44, p. 83.
(*r*) Act. SS., l. c., § 13, pag. 167.
(*s*) *Barth. Trid.*, apud Tartarott. *Apolog. delle Mem. di Rover.*, pag. 310.
(*t*) Vid. *Tillem., Hist. des Emper.*, tom. V, p. 470.
(*u*) Act. SS., l. c., pag. 168, not. *m.*

exi-timat, ut sententiam suam statuat, Stilicone primum consule, anno scilicet sæculari CCCC passum esse Vigilium : eo in primis nomine, inquit (*a*), quod cum non legatur *Stilicone* II, nulla subsit causa, cur ea mors ad annum CCCCV differatur. Atque in eamdem sententiam ivit Tartarottus (*b*) : quæ quidem nobis haud probatur; quamvis enim in Actis non legatur *Stilicone* II, attamen secundum Stiliconis consulatum satis evincit imperii *augustalis* Theodosii Junioris mentio, quo regnante consul secundo Stilico processisse intelligitur. Cum itaque martyrio fuerit coronatus Vigilius anno CCCCV, postquam in episcopatu annos XX transegisset, ut habent præ cæteris ejus Acta a Donato Fætio evulgata; cumque præterea ex superius dictis annos natus XX ad ecclesiam Tridentinam regendam fuerit assumptus : relinquitur, ut ortus fuerit anno CCCLXV, ejusque ordinatio in annum CCCLXXXV inciderit, adeoque anno ætatis suæ XL martyr e vivis excesserit. Haud quidem me fugit, doctissimum Mabillonium quoddam ms. exemplar Actorum ejusdem Vigilii conspexisse (*c*), sub quorum finem legitur egisse beatus martyr *episcopatum in urbe Tridentina* XII *annos*. Verum, præterquam quod facile in numerum annorum error irrepere potuit; quo minus demum hisce Actis fidem adhibeamus, illa potissimum prohibent quæ hactenus edisseruimus.

IV. Nunc vero superest, ut de nostri præsulis Tridentini litterarum monumentis sermonem habeamus. De his autem sic Gennadius (*d*) : *Vigilius episcopus scripsit ad quemdam Simplicianum libellum, et epistolam continentem gesta sui temporis apud barbaros martyrum.* Quibus sane verbis presbyter hic Massiliensis innuere videtur duas Vigilii Epistolas de martyrio sanctorum Sisinnii et sociorum : quarum altera inscribitur Simpliciano episcopo Mediolanensi, altera Joanni episcopo Constantinopolitano, qui pro temporum ratione Chrysostomus fuerit. Et priorem quidem Epistolam primus edidit Lipomanus (*e*), eamque deinceps excuderunt Surius (*f*) et Baronius ex variis codicibus emendatiorem (*g*) : posteriorem vero quam idem Baronius intercidisse censuit (*h*), evulgavit Papebrochius ex ms. codice bibliothecæ Vaticanæ (*i*), alteri adjectam quæ jamdudum prodierat. Utramque autem Ruinartius inter Acta martyrum sincera denuo excudendam curavit (*j*).

V. Neque porro illud hic præterire fas est, quod quamvis plerique omnes viri docti, præeunte magno Baronio (*k*), ea Gennadii verba, *ad quemdam Simplicianum*, de uno Simpliciano Mediolanensi antistite accipienda esse merito existimarint; huic tamen sententiæ intercessere, primum Labbeus Miræum perstringens (*l*), deinde Natalis Alexander ipsummet annalium ecclesiasticorum parentem aggressus (*m*); ea scilicet ratione ductus, quod iis verbis, *ad quemdam Simplicianum*, alium Gennadius indicarit a Simpliciano episcopo Mediolanensi, cujus capite proxime antecedenti cum laude meminerat. At virum summum egregie defendit eruditus Tartarottus (*n*); cujus propterea verba hic describere juverit : « Nimis infirma, inquit, est hujusmodi (Natalis Alexandri) argumentatio. Gennadius, ut videtur, Vigilii Epistolas non legerat. Domus etiam legisse : compertum tamen non habuit, ad eum Simplicianum de quo capite proxime antecedenti mentionem fecerat, priorem missam esse : ideo *ad quemdam* dixit. Non est igitur, cur ea de causa a priori sententia recedamus : atque vel ob id saltem parcendum videbatur Baronio, quod is hæc in hanc rem habeat (*o*) : *Sed cum* (Gennadius) *mentionem habens Simpliciani, non dicat eum Mediolanensis Ecclesiæ fuisse episcopum, sed* QUEMDAM, *quasi incertum ejus nominis virum; revocari posse videtur in dubium, num hic ille sit Simplicianus antistes, successor sancti Ambrosii : cum præsertim præcedenti capitulo idem de eodem Mediolanensi episcopo auctor agat, recensens edita ab eo scripta.* En prævisam a doctissimo annalium ecclesiasticorum parente critici Galli oppugnationem : quam tamen ille non adeo invictam existimavit, ut ob eam rem priori conjecturæ valedicendum esse putaret, quam his rationibus fultus probat eodem loco : Primo, quod Vigilii epistola in codicibus omnibus inscripta sit, *ad Simplicianum episcopum*. Secundo, quod licet cujus ecclesiæ antistes fuerit, minime exprimat; tamen quod eum *Patrem* appellet, cum episcopi collegas *fratres* consueverint nominare, non alium quam Simplicianum, longo senio venerandum fuisse, suspicari liceat : præsertim cum sanctus Augustinus ipse, jam episcopus, ad eumdem Simplicianum scribens libros Quæstionum, eum, licet tunc tantum presbyterum, *Patrem* appellet. Tertio tandem, quod constet auctoritate Paulini (*p*), horum martyrum reliquias mox Mediolanum fuisse translatas. His addi potest, in confesso esse apud omnes, inter Ambrosium, Simpliciani de quo loquimur, alumnum ac in episcopatu antecessorem, et Vigilium, mutuum intercessisse

(*a*) *Id.* ibid. pag. 163. Comment. prævv., num. 2.
(*b*) *Tartar.*, de Origin. eccl. Trident., pag. 81, et *Apolog. delle Mem. di Rover.*, pag. 313, not. 15.
(*c*) *Mabill.*, prælat. ad sæc. V, Bened., § 93, pag. 46.
(*d*) *Gennad.*, lib. de Vir. illustr., cap. 37.
(*e*) *Lippom.*, tom. II Vit. SS. priscor. PP., pag. 151 primæ edit. Venet. ann 1553.
(*f*) *Sur.*, Vit. SS., 29 Maii, tom. III, pag. 319.
(*g*) *Baron.*, ad ann. 400, §§ 7 seqq.
(*h*) *Id.* ibid., §§ 7, 11.
(*i*) Act. SS., Maii, tom. VII, pagg. 42 seq.
(*j*) *Ruinart.*, Act. Mart. pagg. 334 seqq. edit. Veron.
(*k*) *Baron.*, l. c., § 2.
(*l*) *Labb.*, Dissert. de Script. eccl., tom. II, pag. 475.
(*m*) *Nat. Alex.*, Hist. eccl. tom III, pag. 1, in synops. sæc. V, cap. 1, sub. init.
(*n*) *Tartar.*, de Orig. eccl. Trident., § 36, pagg. 66 seq.
(*o*) *Baron.*, ad ann. 400, § 2.
(*p*) *Paulin.*, Vit. S. Ambros., sub fin.

litterarum officium. Hujc Alexandri errato facem fortasse prætulit Labbeus (*a*), qui ob id etiam non quidem Baronium, sed Miræum *audaciæ* insimulat : quasi vero Miræus omnium primus opinionem illam invexerit, aut eam attingendo inauditum faciuus perpetraverit. » Hucusque cl. Tartarottus.

VI. Unum adhuc inquirendum superest : quo nimirum tempore ambas illas epistolas scripserit sanctus Vigilius. Utramque vero, vel saltem priorem, fuisse ab eo scriptam eodem anno quo passi sunt martyres, cum ex contextu satis intelligimus, tum in primis ex auctoritate Paulini, qui post duos fere menses ab obitu sancti Ambrosii, cum jam Simplicianus Ecclesiæ Mediolanensi præesset, illuc relatas eorumdem martyrum reliquias refert his verbis (*b*) : *Sisinnii etiam et Alexandri martyrum, qui nostris temporibus, hoc est, post obitum sancti Ambrosii, in Anauniæ partibus, persequentibus gentilibus viris martyrii coronam adepti sunt, quum reliquias Mediolani summa cum devotione susciperemus*, etc. Porro Epistolam 1 de Sisinnii et sociorum martyrio, hac temporis notatione consignat sanctus Vigilius (*c*) : *Dies autem passionis sanctorum, quarto kalendas Junias, sexta feria, luce nascente.* Et in epistola 2 hæc tantum habet (*d*) : *Sextæ feriæ lux alma processerat.* Quibus quidem chronicis characteribus indicatur annus CCCXCVII, quo dies IV kalendas Junias in feriam VI incidit, ut post Papebrochium (*e*) Pagius (*f*) aliique observarunt. Sed probe perspexit Tillemontius, quod aliis invisum : nimirum (*g*), eamdem temporis notam Vigilianam recurrere quoque anno CCCCIII. Hinc Scaliger Baronium corrigens, qui putabat (*h*) martyrium sanctorum Anaunensium contigisse anno CCCC, adeoque scriptam eodem anno Vigilii epistolam ad Simplicianum, ex ipsius Vigilii verbis quæ modo retulimus, sic arguit (*i*) : *Passi ergo sunt anno* CCCCIII, *cyclo solis* XX, *quando* XXIX *Maii erat feria* VI. Subdlique : *At in Annalibus dicitur scripta* (Vigilii epistola) *anno* CCCC *Christi. Scripta ergo fuisset triennio ante cædem illorum martyrum. Cui absurditati ipse* (Baronius) *non adscribet, certo scio.* Belle scilicet. Erravit quidem Baronius Mombritiana editione deceptus, in qua Stiliconis consulatu sanctorum martyrum Anaunensium Acta consignata invenit. Sed multo fœdius peccavit Scaliger Baronii censor. Primum enim non advertit vir κριτικώτατος notam illam Vigilii chronicam anno etiam CCCXCVII congruere, quo cyclo lunæ XVIII, solis XIV, littera dominicali D pascha fuit V Aprilis, atque adeo *dies* IV *kalendas Junias* seu XXIX Maii incidisse *in feriam sextam.* Neque advertit præterea, quod rei caput est, illam nimirum Vigilii epistolam fuisse inscriptam Simpliciano episcopo Mediolanensi, qui currente anno CCCC, ut norunt eruditi (*j*), ex hac vita migravit. *Scripta ergo fuisset* Vigilii epistola, ut suamet verba reddam Scaligero, *triennio post* obitum Simpliciani. *Cui absurditati ipse non adscribet, certo scio.* Hæc fusius edisserere libuit, quod impotens censura Scaligeri ejusque pingnumendum aliis hactenus noverim incomperta.

(*a*) *Labb.*, Dissert. de Script. eccl., l. c.
(*b*) *Paulin.*, Vit. S. Ambros., § 52, in Append. ad tom. II Ambros., pag. XIII.
(*c*) *Vigil.*, Epist. 1, § 3 in fin.
(*d*) *Id.* Epist. 2, § 11.
(*e*) Act. SS., Maii tom. VII, pag. 39, in Comment. prævi. num. 4.
(*f*) *Pagi*, ad ann. 400, § 2.
(*g*) *Tillem.*, Mem. eccl. tom. X, pag. 812, not. 3 *sur S. Vigile.*
(*h*) *Baron.*, ad ann. 400, § 2.
(*i*) *Scalig.*, de Emend. tempor., in prolegom., pag. 19.
(*j*) *Tillem.*, Mem. eccl., tom. X, pag. 797, not. 3, *sur S. Simplicien.*

SANCTI VIGILII EPISTOLÆ DUÆ.

(Ex Gallandii Biblioth. tom. VIII, pag. 203-206.)

EPISTOLA PRIMA.

AD SIMPLICIANUM EPISCOPUM MEDIOLANENSEM.

De martyrio SS. Sisinnii, Martyrii et Alexandri.

I. Domino sancto ac venerabili Patri, bonis omnibus præferendo Simpliciano, Vigilius episcopus Tridentinæ Ecclesiæ, salutem.

Quamvis facta Martyrum mentione, non verbis merita, sed verba meritis commendentur; potiusque sit constantiæ silentio præterire, quibus est probata virtus : tamen quia me suggerere causas, loca pugnasque martyrii pietas impulit, admonuit debitum, coegit officium ; trepidante mœrore linguam paginæ non negavi, quia nec abscondi poterat lucerna sub modio, nec vox pii sanguinis reticeri. Post multos namque patientiæ gradus et sedulas pugnas, recens perfidiæ accessit iniquitas ; quia ministri in ecclesiis quæ nuper fundatæ fuerant, lacessiti sunt, ac martyrii titulos comparaverunt ; parati ad omnia, libenter omnia sustinentes, nulli dantes occasionem, occasione gloriæ gloriam meruerunt. Quorum vita, ut summa rerum fastigia referam, propter scientiæ notitiam, fuit tam sollicitudinis quam propositi singularis : nam omnes liberi nexu conjugii, Deo immaculatas animas, ut sanctas hostias, præstiterunt. Denique primus, vocabulo Sisinnius, novam Christiani nominis pacem intulit barbaræ nationi : quam per annorum seriem, quod in se fuit, jugiter custodivit, nullum consortium pollutæ hospitalitatis ag-

noscens, velut Loth Sodomis, stupendo timore religionem servavit : sed ovis tuta [1], quamvis in luporum medio constituta, ovile quæsivit, quod, impensis pusillæ fidei votis munificus, primus in illa regione fundavit : cujus minister, si mecum recensere dignaris, per hoc velut ex debito esse promeruit, senex ut ævo, ita merito præcesserit.

II. Lector quoque Martyrius, ejus adminiculo sociatus, jam nominis pignore commendante eum, religiosæ professionis exordia post militiam temporalem catechumenus induit. Nam projecto a se cingulo, rejectoque parentum vel fratrum carnalium cœtu, intelligens sese veræ lucis auctore Deo gratiam consecutum, inter lectores officio sociatus, divinæ laudis canticum auribus primus surdæ regionis intonuit, attentus operibus jugiter spiritalibus, lassatus jejuniis continuis, lectionis suæ pædagogus, in lucrandis animabus anxius : quare brevi temporis impendio tantum fenus ante præmisit, ut illi corona merito crederetur. Quid liberatas animas referam, in sinum Abrahæ plena luce profectas, quas perfida superstitiosorum dierum observantia, alienato jure naturæ, crudeli morte damnabat ? Verum ille, subductus maternis uberibus lacte turgentibus, peregre enutritus, condecentem semper matri quærebat affectum, resurrectionem exemplis prædicatam videntibus oculis dicaturus. Hæc sunt pauca de multis.

III. Alexander quoque, Martyrii consanguinitate germanus, tertius trinitatis hostiam complens, parem confessionis januam reseravit. Nam patriam, Dei causa [2] peregrinus, parentesque deseruit, comes in probationibus fidus, fide magnanimus, miseratione propensus. Et si testimonio meo utcumque creditur, non sunt, nisi ipsi sibi, altrinsecus præferendi : quos commendari non opus fuit, nisi forte quod decuit. At vero hactenus sunt allevata fastidia, si adhuc auribus libenter admittis. Nam fumosa gentilitas contra vaporem fidei, zelo diaboli flamma furoris incaluit : exinde jam lentum fomitem serpens, quod opibus, ut dixi, fidei paupertate devota, primus id loci diaconus ecclesiæ tabernaculum posuisset. Accessit quoque justæ ad titulos causæ, quod condonari hostias diabolo de christiana domo, diaconi fideli ministerio prohiberet, et lustri feralis vexillo præferri vexillum vetuit [3] passionis. Nam invitata sub uno præmio manus, ad sanguinem convolavit ; ac matutinis horis, nimium antecedentis diei vulneribus fatigatum, nec aliter leculo deprehensum, emerita quiete sepelivit. Lector quoque haud umquam impiger, et ad ministerium antelucanum serviebat, cui in sacrificio diaconus famulabatur ; et medicinam vulneribus memoratus Martyrius exhibebat, quam opere quo deprehensi sunt, compleverunt. Siquidem secedens ad hortum lector, qui ecclesiæ cohærebat, captus, vitæ suæ arborem a radice plantavit. Ostiarius etiam passioni adjunctus est : in hospitio deprehensus,

A animam suam ut non obtulit, ita non negavit. Verum omnes in unum collecti, per aliquot spatia tracti, Deo animas exspirarunt. Et duorum quidem ductum est corpus exanime : tertio vero quo tenacior vita, ita fuit pœna sensibilior : nam vivus suas spectavit exsequias. Præparatus est de sacris ecclesiæ culminibus seu trabibus rogus : hæc flamma martyres velavit. Reverenti autem voto, cogitamus nobiscum, ut id loci basilica construatur, ubi primum fidei gloriosæ testimonium meruerunt. Nunc me immeritum, in utroque consortem, paterno amore consolare, et cum eodem [4] sanctos apud ipsos exorator accede, quatenus possim die illa fimbriam aut sacerdotum aut martyrum, jam omnibus sepositis, peccator attingere. Salutamus speciali servitio sanctitatem
B tuam : quæso, ut mœrorem meum Domino commendare digneris. *Item alia manu.* Denegare non potui, quod tuum in nobis erat, gloriosius fieret suscipientis merito, non gratia largientis. Dies autem passionis sanctorum, quarto kalendas Junias, sexta feria, luce nascente.

EPISTOLA II.

Ad S. Joannem Chrysostomum.

De iisdem martyribus.

Incipit Epistola sancti Vigilii de laudibus beatissimorum martyrum Sisinnii, Alexandri et Martyrii, quorum reliquiæ per Jacobum virum illustrem ad Joannem episcopum urbis Constantinopolitanæ pervenerunt.

I. Ad sanctas aures novus charitatis hospes non aliter applicaret, aut verecundiam primi motus non provocatus impelleret, vel imbueret ignotus alloC quium ; nisi provocaret et præmium. Ab homine itaque apostolico, frater charissime, præsentis tenor atque epistolæ incipiet plenitudo, ut facili confinio intelligas, quod martyrum præconia subsequantur. Jacobus etenim, desideriorum cœlestium vir fidelis, Comitivam reclinaturus in Christi comitibus dignitatem, sanctorum recentium et vapore fumantium reliquias postulavit. Reclinaturus dixi, quia deponi non potest, quæ apud Dominum dignitas cumulatur. Cui ego satis timidus, nec parum prudens causæ, mecum dispensatione luctatus, quo minus distributor idoneus, pene dum vereor denegavi : quod semper debere, ut quis fenereturr, expendi feceram. Confiteor ; multum multorum privatam timui privato timore jacturam, nisi ad Jacobum respexissem, sancto
D Joanni per quædam alimenta reverentiæ traditurο, ut delegato amore per religiosa vocabula martyrum, deferretur, et iterum sanguine jungeretur, non peregrina germanitas. Hanc quoque inter cætera opinionem fidei libenter accipiens, quæ bene in meo mœrore ridebat, tantum distuli, non negavi. Distuli, ut iterum lentitudo mea aperte proderetur, qui sequi meos comites minime meruissem. Confiteor, optavi : sed non est in solo desiderio corona justitiæ. Nunc autem si decens ordo gravis non erit auribus sitientibus, a regionis situ vel itineris inchoabo ; summa rerum vestigia sine fastidio secuturus, ut proclivius

[1] Ed. *tota.*
[2] Ed. *deinde peregr.*
[3] Ed. *meruit.*
[4] Ed. *iisdem.*

confluat inundatio meritorum, si ad originem fontis capaci amore pervenias.

II. Positus namque (cui inquilinum est Anagnia vocabulum) locus viginti quinque stadiis a civitate divisus, tam perfidia quam natura angustis faucibus interclusus, uno pene aditu relaxatus (iter trium martyrum dicas) qui resupinus molli dorso, vallo ex omni latere desidente, castellis undique positis in coronam, vicinis sibi perfidia conspirantibus, spectaculi genus exhibet scena naturæ. Causa loco derat: sed fuit causa Christus idonea, ut daret diaboli ludus pompam martyrio. Non sit auribus audientis odiosa locorum relatio. Fuit enim sibi semper male socius, concavus in montibus consonus locus: ad quem cum Christi primum militia conscendisset, tubis sæpe excita truculenta gentilitas, æmulo furore bellique clangoribus inflammatur. Verum unum genus pugnæ sanctorum fuit perfectum, omnia sustinere, lacessitos cedere, patienter ferre, passuros privata mansuetudine furorem publicum refrenare, vincere detrectando: sed prædestinata gloria maturi exitus titulis perurgebat, quos debitus ordo pepererat. Nam prætermissis ambagibus et longis anfractibus amputatis (solum non reticebo) quibus est virtus nutrita martyrum, damnum laudis ablaturo compendio.

III. Cum adhuc esset in supradicta regione nomen Domini peregrinum, neque ullum signum esset quod (fidei) signaculum demonstraret, fuerunt hi tunc numero, nunc merito singulares advenæ, tam religione quam gente, a quibus non immerito Deus prædicaretur ignotus, longi temporis quieta conversatione compositi, dum nulla fidei utilitas titillaret. Verum nunc, si causa in Dominum surgentis odii requiratur, (violatæ) pacis titulus fuit; quia unus ex his, nomine Sisinnius, utroque grandævior, in quo esset vel sola venerabilis senectus, ecclesiam propriis sumptibus elevavit. Fide ditior quam facultate, locuples spiritu, pauper censu, tradidit ovile pastori. Factus est cujus erat conditor, excubator: sed fuit lupis ovile contrarium. Invidit ruina diaboli culmen erectum. Hæc fuit sors prima martyrii, ut oves dum agnum persequuntur, occiderent. Addita est velut hostia, illa Deo justior causa: quod cum lustrale malum circa fines agrorum cuperent ducere scena ferali, ac sata nascentia tam protererent quam fœdarent; Christi quoque germina calcaturi, luctuosis ornatibus coronati, ululato carmine diaboli, diversarum pecorum pompis erectis in Domini ædem vexillis, nuper de sua gente conversum, victimas dare cogebant operibus tenebrarum. Quod cum Domini ministri sine suo reatu fieri vix viderent, quia assistentes ipsi quoque operibus videbantur communicare confusis; oppignerata sunt illa die sanctorum corpora cædi funestæ, dilata tamen palma victoriæ.

IV. Hic conferre, frater, paululum volo tecum titulos rerum, ne cui pedestre videatur martyrium esse humilitate susceptum: quia vile putatur bonum omne quod præsens est; cum novum sit atque mirandum, sine invidia temporis suscitatum, et ita completum, ut nec ante quid præcesserit, nec sequatur; sed sit singulare, quod solum data consummatione conclusum. Ovem qui a prædone custodit, puto, non mercenarius, sed Christi ostenditur esse discipulus; et qui fugit, conductitius; qui non deserit, pastor. Qui ponit animam, vivit; qui servat, amittit. Nam quid aliud egit Magister et Dominus, nisi ut non derelinqueret desertores; aut Agnus, nisi ut agnam defenderet, ut pro ovibus pia victima consummaretur? Sed ingressurus passionum portam, post editam multiplicem causam, peregrinam laudem non contraham, neque furabor: quia nec aliena velle, martyrum est; nec fallere, sacerdotum: nisi quia impossibilem me, ut insequendo ista confiteor referendo, et in hoc minime, quia minora dicturus.

V. Post vexillum namque diabolicorum lustrorum, quod, ut retulimus, erat indicium gloriæ mox futuræ, una nocte dilatam ascenditur ad coronam. Nam matutinis horis auroræ repente cœli umbra cedente, manus inopinata, sed conspirata colligitur, præustis armata sudibus atque securibus, et quod rimantibus diaboli ira telum fecisset; ibique levitis aliquantis in ecclesia deprehensis, hymnum cantantibus matutinum, fit vasta depopulatio, sæva direptio: profanantur omnia tam secreta quam divina mysteria; fit postremo præda, religio. Ne quis hoc vulgare putet fuisse certamen, cum aut insensibilia idola a sensibilibus diruuntur, aut saxorum moles cum suis molitoribus commoventur; ut de cultore et de colendo incertum habeas, quem judices duriorem. Petra Christus in omnibus vexabatur, angularis lapis reprobabatur a gentibus, probandus iterum; mundo sanguine ædificaturus ruinam surgentem. Habebat inter ista fides spectaculum suum. Sisinnii tunc diaconi corpus lectulo tenebatur, confossum ac saucium pristinis quoque vulneribus, cum aut ovem ad hostiam revocare, aut hostia fieri juberetur, nisi feralibus hostiis consensisset; tuba percussus qua canticum diaboli personabant, non immerito qui sonum fidei primus intulerat: securibus cæsus, qui securem ab infecunda gentilitatis arbore defendebat. Ac ne longius protraham confirmata; emerita, ut diximus, lectuli deprehenditur quiete; confessus, credo, ut privato mysterio ad crucem citius perveniret, paralyticum populum soluturus.

VI. Per lignum funibus alligatur lector quoque Martyrius: confessor consimiliter et assertor nominis sui; qui canticum novum, tunc primus, et nunc solus in terra aliena cecinerat; inter strepentes et horridos jubilos pastorales, jam tunc dulcis eloquii redditis Deo laudibus, ut superius memoravi; ac diacono Sisinnio medicinam vel fomenta contulerat, sanaturus dolores, quamvis vulnera susceperus; revocans eximiis haustibus animam fugientem, non corpori, sed passioni. Verum sanctus, jam martyrii ad Christum itinere destinato, aquæ potum, quia vinum passionis venerat, refutabat, quod vitæ verioris fluentis miscuerat calice propinato. In hac itaque cura deprehensus, qui semper de animarum sancti-

tate sollicitus, non sibi soli natus, aut soli sibi certe victurus, in horti qui contiguus jungebatur secreta secessit, hoc est ab ecclesia non recessit. Est enim, sicut melius nosti, hortus ecclesia, sepibus mandatorum plantata viventium. Non ingessit corpus, quod negare nolebat : nec temeritatis sumpsit audaciam, confidentia pietatis. Sicut in Africanis regionibus dicitur, qui in ultroneum funus armantur, quod sine timore faciunt, ambiunt præ tumore. Stetit autem martyr futurus, captus, liber; intrepidus, confessus; agens gratias, vulneratus; sanctus corpore, mente securus, cæso capite, privato baptismate, lotus cruore. Nemo illum sequi meruit qui fugere putabatur, unde vana similisque timori est secessisse, religio : sed comprehensi justa confessio demonstravit, quod ille stetit tantum ut vinceret; ille secessit, ut et persecutor in ejus gloria deperiret. De horto quo fugerat, Martyrius adducitur. Genus est hoc secessisse mysterii, ut purpureus flos locis vernantibus inquilinus, non immerita tingeretur rosa, novum præcedens martyrem; aut inter albentes liliorum per baptismum comas rigatis omnibus recidiva morte plantatis, voluntas vitæ tacita dictaretur. Transfixus etiam stipitibus ducebatur ad idolum : sed ante victima esse promeruit, quam ad aram diaboli perveniret.

VII. Tertia quoque, Alexandrum honoratura, Domini corona completur. Familiariter invenit aditum, qui ad Christi januas excubabat; quo custode velum templi tecta gentilium corda diruperant. A multitudine studiose quæsitus, quia zelo fidei satis omnibus notus, captus, non tamen captivatur; timor, non timuit. Illusus sæpe est Christi discipulus, in hocque vivaciorem pœnam fecit major in tormentis martyrialibus labor : ac sic compensaturus dignitatem excessu passionis, sorte promernit, ut nihil in tribus esset inferius. Nam in cæteris furor tormenta non distulit; hunc lenta in Dominum pœna servavit : sensit se scire quod sustinebat, spectator corporis sui : et quamvis supradictum ex diacono martyrem illata vulnera distulissent, hunc sibi exhibuerunt tormenta custodem. Junctis namque ac nexis corporibus, ac per publicum tractis more canum, sed non ad vomitum reversuris, vivus inter illos Alexander innexis pedibus ducebatur, per scopulos partem membrorum palpitantium dimissurus, donec ad loci, vitæ inquam, terminum duceretur. Itum est post hæc in religiosa fastigia, hoc est, alta Dei templa; post corpora, strata solo culmina, sacratis facta pyra trabibus, in conspectu Saturni, idoli veteris tempestate longæva. Præmissis in ignem geminis atque germanis ante corporibus, stetit sanctus Alexander, iterum confessurus; cui præmium vitæ propositum est, ut vita careret; flammam præsentem si velit evadere, dicat se eorum tenebris consensisse. Verum illi, transversa tuenti et impiorum munera reprobanti, contra lucem lux ante oculos fuit; pœnam timor pœnæ prohibuit : calor fidei repulit flammam : gradus reverentiam ordo quoque tenuit passionis. Ultimus suscipitur : sed non inter fratres infimus coronatur. Impletum est, fratres, in tribus ministris, nunc vero in cœlestis lætitiæ convivio, mysterium Trinitatis; cum et alii potuissent hostia viva pati, sorte consimili, nisi cuncta trino perfecta numero censerentur. Fuimus enim inter hæc portio forte non minima : et horum causa sumus a gentibus increpati; nec dereliquimus socios : sed electionem habet gradus.

VIII. Multa præterea diebus propinquantibus passionis, non tam demonstrata sunt quam veritate depicta, quæ in compendium dimittimus; ut per hæc pauca quæ gesta sunt, plenius mysteria doceamus. Si tamen mecum patienter relegere relata dignaberis, ab ipsis cunabulis regionis quidem, Sisinnius fuit Cappadox gente vel Græcus, apud vos olim sanguinis primi; fide velox, spiritu magnanimus, laboris prodigus, ad omnia perseverans, metam suam palma concludens non sera, [1] septima repromissionis sorte venturus, junctus semper copula charitatis, pace concordans, divinæ frena retinens disciplinæ, jugalis tanti populi domitor, Christi index; postremo futuri gregis aut sanguinis germani (sicuti usus, magister rerum loquitur) ducatum viæ tenens, periculi proculcator audax et auctor agnoscitur, ut secure pone tenus agmina subsequantur. Ita in nostro fidei indice matutino primatus fuit sanguinis et ducatus : qui post demonstratam viam duxit ad vitam, aut induxit ad gloriam, seductor salutis, cognitor veritatis; Propheta testante, [2] *Et index meus in matutino.* Atque ut plus facta mysteria cumularent, et Indici suo non deesset indicium; cum velut animal traherent sancti Sisinnii corpus exanime, collo aerii testis tinnitum concavum ligaverunt, quod vulgus tintinnabulum vocant; insultantes corpori, increpantes morti, exprobrantes non vindicem Christum; et irridentes Domini discipulum, impleverunt salutare mysterium. Quid enim voluit sibi ille tinnitus aut sequacibus animalibus utilis sonus, decori quoque congruus, collo suspensus? nisi quod vox ructaret nomen Christi, rauca clamando surdis; et principem, ut gregis, ita gentis, in omnibus approbaret. Primus enim verbum religiosæ vocis increpuit, primus concavis vallibus personavit : adhuc prope brutis animalibus, aut certe pecoribus dux pastus intacti, novi tinnitor auditus, florulentæ legis ruminator in gentibus.

IX. Ordine proposito, Martyrii sibi quoque consequens nomen, prophetiam quam tenebat implevit : exposuit vocabuli parabolam, verus in omnibus revelator : arrisit quod vocabatur nomen, et meritis cumulavit : statuit natale vocabulum, ut origine, sic passione venturum. Quid pœnæ conscia horti secreta dissolvam? quod illo se primum contulit, ad quod

[1] Forte *optima.*
[2] Vetustam Latinam versionem Scripturæ consulas oportet, ut hunc locum invenias. PAPEBR.

iterum martyr intravit, januam paradisi, mundam voluptatem ac venerandas sui veris delicias meditatus; animatum florem, male hærentem adhuc spinæ sæculi, locis virentibus plantaturus; a virgine demonstratus, cujus erat hortus. Quid me iterum ad mysteria facta revolvitis? Illa virgo prodidit, quæ suos tenere semper optavit : voluit dimittere quem recepit : cultorem quem probavit, elegit. Jam noti amoris affectu Deum quoque tenuit invitatum, dicente in Canticis Salomone, *Descendat frater meus in hortum suum* (*Cant.* v, 1). Descendit et certe descendit : nam exire noluit quem dives voluntas adamavit quoque tempore passionis, ut rem notam nostris temporibus exprimamus. In horto cum Judæis comprehendit Dominum Scariotes. Nemo de tali secessione discipuli causetur : ita Magister et Dominus invenitur. Putatus est hortulanus, rigator viventium, plantator animarum. Hortus est ergo non fugientis, sed confugientis asylum, intelligentibus horti facient meruisse paradisum.

X. Alexandro vero quod conferre mysterium mortis potuit, qui totum vivus implevit; nisi quod ad gentis vitium nomen arrisit; ut Alexandria putaretur Anagnia, privatis religiosa portentis, numerosa dæmonibus, biformis Anubibus, idolis multiformis semi-hominibus, quod est legis irrisoribus; plena Isidis amentia, Serapis fuga; blanda postremo inquilinorum mater criminum, quin potius noverca; viperarum alumna progenie, per sobolem venenatæ gentis, quæ nescit concipi, nisi patris orbitate lætetur; nescit crescere, nisi morte nascatur; nescit vivere, nisi nesciverit matrem; ut in fidei conversione malæ sobolis proles, concepta jactura Dei Patris, capite denegato nata, perfossa alvo matris Ecclesiæ parta, per sanctorum mortem vitæ sumat originem; sed jam crescit damno fecundior, letho vivacior, lætior post mœrorem. Nam planum est et plene perspectum, quod est Scripturis dictantibus reseratum (*Rom.* xi, 32), cuncta uno peccato [1] conclusa, ut omnes misericordiam mererentur. Hi sunt centuplicati reditus passionis, quibus suos jam gens illa reatus absolvit : captivitas liberos fecit, laxavit indulgentia vinculatos. Cœlum tunc consensit in tenebras, lux inhorruit passione, mentis credo perfidiæ cæcitate confusa.

XI. Crede, frater, oculis fratris. Umbra quædam nigræ nubis totam texit sive contexuit regionem; proxima terræ fulmina crepuerunt; dirus sæpe fragor intonuit; coruscans rutilus plus ignis emicuit : conscium sanguinis diceres cœlum. Non est ultra post umbram peregrinæ, ut ita dixerim, noctis, manifestam celare sub nebula veritatem. Dies quoque horrorem prodidit passionis, non tantum refugus, sed privatus. Nam sextæ feriæ lux alma processerat, semper post Deum amica martyribus : tenens reverenter partem adhuc dominici corporis, per sanctos alumnos famulis Dei præstitit famulatum, æmulante tamen invidia religionis sorte ventura. Sic se asserit Dominus operibus suis; sic se socium præstat in omnibus, ut æqualitate jungatur et tempore. Spectator, confiteor, fui inter ista mysteria, et ad sanctorum cineres excubator : qui particeps esse non merui, sensi ad quod pervenire non potui. Vidi, vix hodieque credulus mihi : excedunt facta reverentiam relata dictorum : unde Dei erit, frater, asserere quod elegit, et testanti testimonium perhibere. Suscipe nunc, frater, trium munera puerorum, aut tres pueros de camino, anheli ignis adhuc propemodum ambulantes incendia; et nisi invidus flammæ furor semineces suscepisset, historiæ revixisset exemplum : ita omnia se pene simili honore pinxerunt : Vox, Ros, Numerus, Caminus. Vox fidem consonam : Ros, pluviam; Caminus, pyram; Numerus Trinitatem.

[1] *Conclusa.* Sic emendamus pravam editorum lectionem *concussa*. Respicit enim S. Vigilius ad *Rom.* xi, 32.

MONUMENTA VETERA AD ARIANORUM DOCTRINAM PERTINENTIA.

ANNO DOMINI CCCXXXVI.

EPISTOLA PRIMA CONSTANTII AD ATHANASIUM [*].

Constantius Victor Augustus Athanasio.

Diu te jactari vexarique immanibus undarum procellis nostræ clementiæ humanitas non permisit : nudatum siquidem paternis sedibus bonisque tuis spoliatum, et in inviis feralibusque locis errabundum nostra indefatigabilis pietas non deseruit. Nam tametsi jampridem supersedi mentis meæ propositum ad te scribere, eo quod te ultro adventurum exspecta-

Κωνστάντιος νικατὴς Αὔγουστος Ἀθανασίῳ ἐπισκόπῳ.

Ἐπὶ πολύ σε κλυδωνίζεσθαι, καὶ χειμάζεσθαι τοῖς τῆς θαλάσσης ὁμοίως κύμασιν ἀγρίοις, οὐκ ἀφῆκεν ἡ τῆς ἡμετέρας ἡμερότητος φιλανθρωπία· γυμνωθέντα σε τῆς πατρῴας ἑστίας, καὶ στερηθέντα τῶν ἰδίων, καὶ πλανώμενον ἐν θηριώδεσιν ἀνοδίαις, οὐ παρεῖδεν ἡ ἀκάματος ἡμῶν εὐσέβεια· εἰ καὶ τὰμάλιστα ἐπιπολὺ ὑπερεθέμην γραψαί σοι τῶν προθέσεων τῆς ἐμῆς διανοίας προσδοκῶν αὐ-

[*] Hæc et seqq. epp. usque ad Constit. Valent., col. 573, ex Labb. desumptæ sunt, tom. II, col. 319-341.

rem, et postulaturum malorum tuorum remedium, tamen, quia fortasse voluntatem propositi tui metus impedivit, ideo litteras munificentiæ nostræ plenissimas ad tuam constantiam misimus, ut secure conspectui nostro quamprimum tuam præsentiam offeras, ut voti particeps, nostramque humanitatem expertus, luis restituaris. Hac enim de causa dominum meum et fratrem Constantem victorem augustum pro te adhortationibus conveni, ut tibi veniendi facultatem daret, quo utriusque nostrum nutu patriæ restituaris, et hoc pro pignore nostræ gratiæ habeas.

A θαίρετόν σε παραγενέσθαι πρὸς ἡμᾶς, καὶ τῶν καμάτων αἰτεῖν θεραπείαν· ὅμως ἐπειδὴ ἴσως ὁ φόβος, τὴν προαίρεσιν τῆς σῆς προθύσεως ἐνεπόδισε, διὰ τοῦτο δωρεᾶς πληρέστατα γράμματα πρὸς τὴν σὴν στερρότητα διεπεμψάμεθα· ἵνα ἀφόβως ταῖς ἡμετέραις προσόψεσι ταχεῖαν τὴν σαυτοῦ παρουσίαν παρασχεῖν σπουδάσῃς, ὑπὲρ τοῦ τῆς σαυτοῦ ἐπιθυμίας ἀπολαύσας καὶ περασθεὶς ἡμῶν τῆς φιλανθρωπίας, τοῖς ἰδίοις ἀποκατασθῇς· τούτου γὰρ ἕνεκα καὶ τὸν δεσπότην καὶ ἀδελφόν μου Κώνσταντα, τὸν νικητὴν Αὔγουστον, ὑπὲρ σοῦ παρεκάλεσα, ἵνα τοῦ ἐλθεῖν ἐξουσίαν σοι δῷ, ἐπὶ τῷ ἀμφωτέρων ἡμῶν ἐπινευσάντων, τῇ πατρίδι ἀποκατασταθῇς, ἔχων τοῦτο τῆς ἡμῶν χάριτος ἐνέχυρον.

EPISTOLA SECUNDA CONSTANTII IMPERATORIS AD ATHANASIUM.

Et si superioribus litteris significavimus, ut secure ad nostrum comitatum accederes, eo quod maxime cupiamus te ad tuos remittere, tamen etiam has litteras nunc ad tuam soliditatem misimus, quibus adhortamur, ut sine omni diffidentia aut metu publica vehicula ascendas, et properes ad nos, ut, quæ concupiscis, assequare.

B Εἰ καὶ μάλιστα διὰ προτέρων γραμμάτων ἐδηλώσαμεν, ὅπως ἀμερίμνως, εἰς τὸ ἡμέτερον κομιτάτον παραγένῃ, διά τὸ μάλιστα βουλεύεσθαι ἡμᾶς ἀποστεῖλαί σε εἰς τὰ ἴδια, ὅμως καὶ νῦν ταῦτα τὰ γράμματα, πρὸς τὴν σὴν στερρότητα διεδηλώκαμεν· διὸ, προτρεπόμεθα χωρὶς τινος ἀπιστίας καὶ φόβου, ἐπιβῆναί σε δημοσίοις ὀχήμασι καὶ σπουδάσαι πρὸς ἡμᾶς, ἵνα ὧν ἐπιθυμεῖς, ἀπολαῦσαι δυνηθῇς.

EPISTOLA TERTIA CONSTANTII IMPERATORIS AD ATHANASIUM.

Cum Edessæ commoraremur, præsentibus tuis presbyteris, placuit ut misso ad te presbytero, festinares ad nostrum comitatum venire: ut ubi nostrum vidisses conspectum, statim Alexandriam transires. Sed quia plurimum temporis intercessit, ex quo litteris nostris acceptis non venisti, ideo te nunc denuo admonitum volumus, ut vel nunc saltem quam celerrime ad nos te conferas, quo tu ita patriæ tuæ restituaris, et nos tuis precibus frui possimus. Ad pleniorem autem cognitionem Achitam diaconum ad te misimus, a quo discere licebit et mentis nostræ voluntatem, et te assequi posse quæ votis optas.

EPISTOLA PRIMA CONSTANTII AD CLEROS ALEXANDRINOS.

Victor Constantius, Maximus, Augustus, episcopis et presbyteris catholicæ Ecclesiæ, salutem.

Non est derelictus a Dei gratia reverendissimus Athanasius, tametsi ad breve tempus humanæ probationi subjectus fuerit: justum enim debitumque jam ab omnia ferente et sustinente Providentia calculum retulit, eo quod et voluntate Optimi, et judicio nostro, patriam et ecclesiam, quam antea divino nutu possedit, recipiat: ad quem congruentia enim a nostra humanitate perferri oportet: adeo ut omnia, quæ antea contra eos, qui cum eo communionem celebrarunt, decreta fuere, oblivioni tradi velim; omnisque deinceps suspicio contra aboleatur; et immunitas, quam olim habuere ipsius clerici, firma illis et rata (prout decet) conservetur. Quin et hoc quoque ejus gratia adjici, æquum arbitrati sumus, ut apud universos sacri ordinis viros promulgetur, cunctis qui Athanasio adhæsere datam esse securitatem, sive episcopi, sive clerici sint. Abunde enim argumenti erit, unumquemque eorum probi animi esse, vel eo solo quod Athanasio consociati fuere. Quicumque enim meliori et judicio et factione hujus communionem elegerunt, hos omnes jussimus ad exemplar superioris Providentiæ, et secundum nostram voluntatem, ut gratia ab optimo Deo tributa securiter perfruantur. Deus vos servet.

Νικητὴς Κωνστάντιος, μέγιστος, σεβαστὸς, ἐπισκόποις καὶ πρεσβυτέροις τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας.

Οὐκ ἀπελείφθη τῆς τοῦ Χριστοῦ χάριτος ὁ αἰδεσιμώτατος ἐπίσκοπος Ἀθανάσιος· ἀλλὰ εἰ καὶ ἐν βραχεῖ χρόνῳ τῇ κατ' ἀνθρώπους δοκιμασίᾳ ὑπεβλήθη, ὅμως τὴν ὀφειλομένην παρὰ τῆς παντοφόρου προνοίας ὑπηνέγκατο ψῆφον, ἀπολαβὼν βουλήσει τοῦ Κρείττονος, καὶ κρίσει τῇ ἡμετέρᾳ τὴν πατρίδα ὁμοῦ καὶ τὴν ἐκκλησίαν, ἣν θείῳ νεύματι προστάτης ἐτύγχανε, τούτῳ τὰ ἀκόλουθα ἔδει παρὰ τῆς ἡμετέρας ὑπάρξαι πραότητος· ὥστε πάντα τὰ πρὸ τούτου κατὰ τῶν αὐτῶν κεκοινωνηκότων ὡρισμένα νῦν, ἀμνηστίᾳ παραδοθήσεται, πᾶσάν τε ὑποψίαν τοῦ κατ' αὐτοῦ χολάσαι τοῦ λοιποῦ τὴν τε ἀτέλειαν ἧς ἔτυχον πάλαι οἱ ἅμα αὐτῷ κληρικοὶ, τούτοις δὲ βεβαιωθῆναι προσηκόντως· ἀλλὰ μὴν καὶ τοῦτο τῇ εἰς αὐτὸν χάριτι προστεθῆναι ἰδικαιώσαμεν ὥστε πάντας τοὺς τοῦ ἱεροῦ καταλόγου γινώσκειν ἐκδεδόσθαι τὸ ἄφοβον πᾶσι τοῖς αὐτῷ προστεθειμένοις, εἴτε ἐπισκόποις, εἴτε κληρικοῖς· ἱκανὸν δὲ γνώρισμα τῆς ἑκάστου ὀρθῆς προαιρέσεως, ἔσται ἡ πρὸς τοῦτον ἕνωσις· ὅσοι γὰρ ἂν τῆς καλλίονος ὁμοῦ κρίσεώς τε καὶ μοίρας γενόμενοι τὴν τούτου ἕλωνται κοινωνίαν, τούτους πάντας ἐκελεύσαμεν καθ' ὁμοιότητα τῆς θεανούσης προνοίας, καὶ νῦν τῇ ὑφ' ὑμῶν βουλήσει, τοῦ Κρείττονος παρασχεθείσης χάριτος ἀπολαύειν.

EPISTOLA SECUNDA EJUSDEM AD EOSDEM.

Victor Constantius, Maximus, Augustus, populo Alexandriæ catholicæ ecclesiæ, salutem.

Cum ante oculos habeamus vestram in omnibus disciplinam, et nequaquam inscii simus vos jam pridem episcopali providentia destitutos, decrevimus Athanasium episcopum, virum apud omnes rectitudine morumque probitate clarum, ad vos remittere. Hunc igitur si libenter et decenter receperitis, eumque ad Deum fusis precibus apitulatorem adhibueritis, concordiam et vobis decoram et nobis gratissimam simul pacemque perpetuam et ecclesiæ legem conservabitis. Absurdum enim est discordiam aut seditionem inter vos agitari, et alienum hoc ipsum est a nostrorum temporum integritate. Volumus igitur et hoc vitium prorsus a vobis abesse, et vos in vestris precibus perpetim illo (ut dixi), præside et opitulatore apud Deum uti, et in eo studio solito more perseverari; ut tali proposito, vestro omnium ore celebrato, Gentiles, qui etiamnum idolorum erroribus inhærent, ad sacræ religionis cognitionem promptissime decurrant.

Rogat suscipi Athanasium. — Quapropter denuo vos admonemus, ut superioribus dictis acquiescentes, episcopum suffragio Optimi, et nostra voluntate, huc remissum, libenter suscipiatis, eumque ab animis sententiisque vestris indissolubilem putetis: id enim vos decet, et nostræ mansuetudini congruum est. Ad omnem siquidem conturbationis et seditionis materiam exstirpandam, qua cupidi malorum libenter utuntur, nostris apud vos judicibus per litteras injunximus, ut, quotquot seditiosos invenerint, pœnis suppliciisque legum coerceant. Omnia igitur ista præ oculis habentes, et nostram cum optimo Deo conjunctam sententiam, curamque vestram simul et concordiæ, pœnamque in immodestos constitutam, congrua decentiaque sacræ religionis legibus servantes, prædictum Athanasium cum omni reverentia et honore colite, vestrasque preces cum eo et pro nostra et pro cujusque vitæ sanctitate Deo omnium parenti offerte.

A Νικητὴς Κωνστάντιος, μέγιστος, σεβαστὸς, τῷ λαῷ τῆς κατ' Ἀλεξάνδρειαν καθολικῆς ἐκκλησίας.

Σκόπον ποιούμενοι τὴν ὑμετέραν ἐν ἅπασιν εὐνομίαν, εἰδότες τε ὡς ἐπιπολὺ τῆς τοῦ ἐπισκοποῦντος προνοίας ἐστερῆσθαι, Ἀθανάσιον τὸν ἐπίσκοπον, ἄνδρα τοῖς πᾶσι, διά τε τὴν προσοῦσαν ὀρθότητα, καὶ διὰ τὴν οἰκείαν εὐτροπίαν γνώριμον, πάλιν πρὸς ὑμᾶς ἀποστεῖλαι ἐδικαιώσαμεν· τοῦτον συνήθως καὶ προσηκόντως ὑποδεξάμενοι, καὶ ταῖς πρὸς τὸν Θεὸν εὐχαῖς βοηθὸν προστησάμενοι, τὴν ὑμῖν τε πρέπουσαν καὶ ὑμῖν ἀριστὴν ὁμόνοιαν καὶ εἰρήνην κατὰ τὸν τῆς ἐκκλησίας θεσμὸν διάρκη φυλαττέον σπουδάσατε. οὐδὲ γὰρ εὔλογόν ἐστι διχόνοιάν τινα ἢ στάσιν ἐν ὑμῖν κινηθῆναι, ὑπεναντίαν τῆς τῶν ἡμετέρων καίρων εὐμοιρίας· καὶ τοῦτο μὲν ἀπεῖναι ἀφ' ὑμῶν παντελῶς βουλόμεθα· τὸ δέ γε ταῖς εὐχαῖς ὑμᾶς B διαρκῶς αὐτῷ, ὡς προείρηται, προστᾶτη καὶ ἐπικούρῳ χρωμένους, πρὸς τὸ θεῖον ἐμμένειν συνήθως παραινοῦμεν ὡς ἂν τῆς τοιαύτης ὑμῶν προσθέσεως εἰς τὰς ἁπάντων εὐχὰς διαβαινούσης, καὶ ἐκ τῶν ἐθνῶν, οἳ τῇ τῶν εἰδώλων πλανῇ ἔτι καὶ νῦν προανέχοντες, ἐπὶ τὴν τῆς ἱερᾶς θρησκείας ἐπίγνωσιν, προθυμότατα σπούδοιεν, Ἀλεξανδρεῖς προσφιλέστατοι.

Καὶ αὖθις οὖν παραινοῦμεν, τοῖς προειρημένοις ἐμμένειν, τὸν δὲ ἐπίσκοπον, ψήφῳ τοῦ Κρείττονος, καὶ ἡμετέρᾳ γνώμῃ ἀπεσταλμένον, ἡδέως δέξασθε, πάσης ψυχῆς γνώμῃ ἀσπαστὸν ἡγήσασθε· τοῦτο γὰρ καὶ ὑμῖν πρέπει, καὶ τῇ ἡμετέρᾳ πραότητι προσήκειν συνέστηκεν· ὑπὲρ γὰρ τοῦ πᾶσαν ἀνασκεύην, καὶ στάσεως πρόφασιν περιαιρεσθῆναι τῶν ἐθελοκακίᾳ χρωμένων, τοῖς παρ' ὑμῖν δικασταῖς διὰ γραμμάτων προσετάξαμεν ἅπαντας, οὓς ἂν στασιώδεις καταμάθοιεν τῇ τῶν νόμων ὑποβάλλειν ἐκδικίᾳ. ἀμφότερα τοίνυν συνορῶντες, καὶ τὴν ἡμετέραν μετὰ τοῦ Κρείττονος γνώμην, καὶ τῶν ὑπὲρ ὑμῶν καὶ τῆς ὁμονοίας λόγων, καὶ τὴν κατὰ τῶν ἀτάκτων τιμωρίαν, τὰ πρέποντα καὶ ἁρμόζοντα τῷ τῆς ἱερᾶς θρησκείας θεσμῷ διαφυλάττοντες, καὶ τὸν προειρημένον διὰ πάσης αἰδοῦς καὶ τιμῆς ἄγοντες, τὰς εὐχὰς ἅμα αὐτῷ ὑπέρ τε ἑαυτῶν καὶ τῆς τοῦ βίου εὐνοίας τῶν ὅλων Θεῷ πατρὶ ἀναπέμπειν σπουδάζετε.

EPISTOLA EJUSDEM AD NESTORIUM.

Victor Constantius Augustus Nestorio, et eadem forma Augustamnicæ, Thebaidis, et Africæ præfectis.

Si quid unquam ad noxam contumeliamve eorum, qui Athanasio communicarunt, decretum invenitur, id omnino deleri volumus. Nam et officium quod antea habuerunt ejus clerici, iterum eosdem habere volumus. Hoc enim decretum observari jubemus, ut restituto Athanasio suæ ecclesiæ, communicatores illius idem habeant officium quod antea possederunt, quo et ipsi se gaudeant prorsus restitutos esse.

D Νικητὴς Κωνστάντιος Αὔγουστος Νεστορίῳ, τῷ δὲ αὐτῷ τύπῳ καὶ τοῖς ἐν Αὐγουσταμνίκῃ, καὶ Θηβαΐδι, καὶ Λιβύῃ ἡγεμόσιν.

Εἴ τί ποτε πρὸ τούτου, ἐπὶ βλάβῃ καὶ ὕβρει τῶν κοινωνούντων Ἀθανασίῳ τῷ ἐπισκόπῳ πραχθὲν εὑρίσκεται, τοῦτο νῦν ἀπολειφθῆναι βουλόμεθα, καὶ γὰρ τὴν ἀλειτουργησίαν ἣν οἱ αὐτοῦ κληρικοὶ εἶχον, τὴν αὐτὴν πάλιν θέλομεν ἔχειν· ταύτην δὲ τὴν ἡμετέραν πρόσταξιν φυλαχθῆναι βουλόμεθα, ὥστε ἀποδοθέντος Ἀθανασίου τοῦ ἐπισκόπου τῇ ἐκκλησίᾳ, τοὺς κοινωνοῦντας αὐτῷ ἔχειν ἀλειτουργησίαν ἣν ἀεὶ ἔσχον, ἣν καὶ οἱ λοιποὶ κληρικοὶ ἔχουσιν, ἵνα οὕτως ἔχοντες καὶ αὐτοὶ χειρωσιν.

EPISTOLA QUARTA EJUSDEM AD ATHANASIUM.

Victor Constantius Augustus Athanasio salutem.

Votum meum fuisse ut omnia ex sententia fratri nostro Constanti procederent, neque vel tuam con-

Νικητὴς Κωνστάντιος Αὔγουστος, Ἀθανασίῳ.

Εὐχὴν ἀεί μοι ταύτην γεγενῆσθαι, ὥστε πάντα κατὰ θυμὸν ἀποβαίνειν τῷ ποτέ μου ἀδελφῷ Κώνσταντι, οὐδὲ

scientiam latet. In quanto autem mœrore fuerim, cum didicissem eum a quibusdam impiis sublatum esse, facile iterum tua prudentia divinaverit. Cæterum quia nonnulli sunt in hoc luctuoso tempore, qui te terrere satagunt, ideo has litteras tuæ firmitudini porrigendas censuimus, quibus tibi auctor sum, ut, quemadmodum episcopum decet, ea quæ ad sacram religionem pertinent, populos doceas, tuisque consuetis precibus vaces, neque vanum rumorem ferentibus credas, quicumque etiam fuerint. In nostro autem animo fixum est, ut secundum nostram voluntatem perpetuo in sede tua episcopus maneas. Divina providentia te plurimis annis conservet, parens charissime.

A τὴν σὴν σύνεσιν ἔλαθεν, ἐν ὅσῃ τε λύπῃ διετέθην, μαθὼν τοῦτον ἀνῃρῆθαι παρά τινων ἀνοσιωτάτων, στοχάζεσθαι πάλιν δύναται ἡ σὴ φρόνησις. ἐπεὶ οὖν τινές εἰσιν οἱ ἐν τῷ παρόντι καιρῷ, τῷ οὕτως πενθικῷ, πειρώμενοί σε ἐκφοβεῖν, διὰ τοῦτο ταῦτα πρὸς τὴν σὴν στερρότητα, θοθῆναι τὰ γράμματα ἐδικαίωσα, προτρεπόμενός σε, ἵνα, ὡς πρέπει ἐπίσκοπον, τοὺς λαοὺς τὰ ὀφειλόμενα τῇ θείᾳ θρησκείᾳ διδάσκῃς, καὶ μετ' αὐτῶν συνήθως εὐχαῖς σχολάζῃς, καὶ μὴ ματαίοις θρύλλοις, οἵ τινες ἂν γένοιντο, πιστεύσῃς, ἡμῖν γὰρ τοῦτο ἐν ψυχῇ πέπηγεν, ὥστε σε ἀκολούθως τῇ ἡμετέρᾳ προαιρέσει, διὰ πάντος ἐν τῷ τόπῳ σου θέλειν ἐπίσκοπον εἶναι· ἡ θεία πρόνοια πολλοῖς ἔτεσί σε διατηροίη, γονεῦ προσφιλέστατε.

ANNO DOMINI CCCXXXVII.

EPISTOLA IMPERATORIS CONSTANTINI JUNIORIS AD ALEXANDRINOS.

Constantinus Cæsar populo catholicæ ecclesiæ Alexandrinæ salutem.

Neque vestram sacram mentem latere arbitror, ideo Athanasium adorandæ legis interpretem in Gallias missum esse, ne quo tempore sanguinolentorum hostium feritas sacro ejus capiti quam maxime immineret, implicitusque malorum collimitio, aliquid intolerandum, et cui remedium nullum esset, pateretur. Ad hanc igitur feritatem eludendam, tot faucibus inhiantium subtractus, ut sub me ageret jussus est. Atque ita in hac urbe commoratus est, ut omnibus rebus necessariis abundaret, tametsi ejus reverenda virtus, divina ope fretus, onera asperioris fortunæ vilipenderet. Jam cum imprimis vestræ in Deum pietati, suisque sedibus hunc episcopum dominus noster et pater Constantinus restituere vellet, et humana sorte præventus, antequam hoc votum impleret, requieverit; ego mihi convenire puto, ut, susceptæ voluntate sacræ memoriæ imperatoris, id ipsum adimpleam quod ille non potuit. Cum igitur Athanasius ad vestrum conspectum penetraverit, tunc demum intelligetis quantæ apud nos reverentiæ fuerit. Neque id mirum videri debet, si quid hujusmodi in ejus gratiam fecerim; ad hoc enim faciendum meam mentem et vestri desiderii imago, et species tanti viri instigavit. Divina providentia vos servet, dilecti fratres. Datum Treveris XV calendas Julias.

B Κωνσταντῖνος Καῖσαρ τῷ λαῷ τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας πόλεως Ἀλεξανδρείας.

Οὐδὲ τὴν τῆς ὑμετέρας ἱερᾶς ἐννοίας ἀποπερινοεῖναι γνῶσιν οἶμαι, διὰ τοῦτο Ἀθανάσιον τὸν τοῦ προσκυνητοῦ νόμου ὑποφήτην πρὸς καιρὸν εἰς τὰς Γαλλίας ἀπεστάλθαι, ἵν' ἐπειδὴ ἡ ἀγριότης τῶν αἱμοβόρων αὐτοῦ καὶ πολεμίων ἐχθρῶν εἰς κίνδυνον τῆς ἱερᾶς αὐτοῦ κεφαλῆς ἐπέμενε, μή ἄρα διὰ τῆς τῶν φαύλων διαστροφῆς ἀνήκεστα ὑποστῇ· πρὸς τὸ διαπαῖξαι τοίνυν ταύτην ἀφαιρεθεὶς τῶν φορύγγων τῶν ἐπικειμένων αὐτῷ ἀνδρῶν, ὑπ' ἐμοὶ διάγειν κεκέλευσται· οὕτως ὡς ἐν ταύτῃ τῇ πόλει ἐν ᾗ διέτριβε, πᾶσι τοῖς ἀναγκαίοις ἐμπλεονάζειν, εἰ καὶ τὰ μάλιστα αὐτοῦ ἡ ἀοίδιμος ἀρετὴ ταῖς θείαις περιουσία βοηθείαις, καὶ τὰ τῆς τραχυτέρας τύχης ἄχθη ἐξουδενεῖ. τοιγαροῦν εἰ καὶ τὰ μάλιστα πρὸς τὴν προσφιλεστάτην ὑμῶν θεοσέβειαν, ὁ δεσπότης ἡμῶν Κωνσταντῖνος ὁ σεβαστὸς, ὁ ἐμὸς πατὴρ, τὸν αὐτὸν ἐπίσκοπον τῷ ἰδίῳ τόπῳ παρασχεῖν προῄρητο, ὅμως ἀνθρωπίνῳ κλήρῳ προληφθεὶς πρὸ τοῦ τὴν εὐχὴν πληρῶσαι ἀνεπαύσατο, ἀκόλουθον ἡγησάμην τὴν προαίρεσιν τοῦ τῆς θείας μνήμης βασιλέως διαδεξάμενος πληρῶσαι· ὅστις ἐπειδὰν τῆς ὑμετέρας τύχοι προσόψεως, ὅσης αἰδοῦς τετύχηκε γνώσεσθε· οὐ γὰρ θαυμαστὸν εἴ τι δ' ἂν ὑπὲρ αὐτοῦ πεποίηκα, καὶ γὰρ τὴν ἐμὴν ψυχὴν ἥτε τοῦ ὑμετέρου πόθου εἰκὼν, καὶ τὸ τοῦ τηλικούτου ἀνδρὸς σχῆμα, εἰς τοῦτο ἐκίνει καὶ προέτρεπεν. ἡ θεία πρόνοια ὑμᾶς διαφυλάξαι, ἀγαπητοὶ ἀδελφοί. ἐδόθη πρὸ δεκαπέντε καλανδῶν Ἰουλίων ἐν Τριδέροις.

ANNO DOMINI CCCXLIX.

[1] EPISTOLA URSACII ET VALENTIS AD ATHANASIUM.

Domino et fratri Athanasio episcopo Ursacius et Valens episcopi salutem.

Nacti occasionem per fratrem et compresbyterum nostrum Museum istuc ad tuam dilectionem eumtem, chare frater, ejus opera admodum te ex Aquileia salutatum voluimus, optamusque te salvum nostras epistolas perlegere: cujus rei fiduciam nobis daturus es, si tu quoque in scribendo vices observaris. Scire enim te volumus, pacem tibi nobiscum esse, et communionem ecclesiasticam intercedere: cujus rei fidem esse volumus nostram istis litteris inscriptam salutationem. Divina providentia te conservet, dilecte frater.

C

D

ANNO DOMINI CCCLV.

[2] EPISTOLA CONSTANTII AD EUSEBIUM.

Constantius victor ac triumphator semper Augustus Eusebio episcopo.

Metiri facile posse, rei magnitudine commonente, gravitatem tuam, omnibus ad meam diligentiam pertinentibus præterre me coram religione superna, quod præcellit, et in meo animo præeminere confido, tamen id prudentiæ tuæ, documentis etiam frequenter emissis, compertum, cum perspicias, id me agere noctibus

[1] Exstat apud Athan. apol. II; Baron. an. 350, n° 22.

[2] Habetur in actis Eusebii.

ac diebus, quod ad venerabilem cultum proficere posse confido. Quid enim mihi gratius esse aut utilius, quam Deo animum devovisse : usque adeo, ut hujus modi studio facilitatem omnem sentiam esse obnoxiam ? Itaque ecclesias venerabiles ex intimo mentis affectu semper intueor, earumque unitatem omnibus salutarem cupio recuperare ac firmiter obtinere : ob quam causam conventum sanctorum episcoporum in Mediolanensi placuit fieri civitate, eos vel maxime qui alibi gesta possint facile revelare, (revellere) ; in diversis quippe provinciis episcoporum sunt coacta concilia, sed quid per singulos concordi unanimitate decreverunt prudentissimi episcopi, in synodo Mediolanensi perspicue declaratum est. Denique venientes pauci de provinciis singulis voluntate communi unanimes protulerunt, et juxta B venerationem legi debitam firmaverunt. Quod ergo religioni (religiosis) fuerat consentaneum, eorumdem placito corroboratum est ; ut ad sanctitatem tuam quatuor de consortio suo censuerint esse mittendos, pariter commonentes se id sequi gravitatem tuam, quod ad utilitatem Ecclesiæ non abhorret. Nos certe qui esse Dei famulos gloriamur, hortamur pariter ac monemus, ut consensui fratrum tuorum adhærere non differas. Confidimus quippe, cum hoc fuerit factum, unitate firmissima posse ecclesias gratulari. Deus te semper tueatur multos annos, frater charissime atque amantissime.

ANNO DOMINI CCCLIX VEL CCCLX.

EPISTOLA CONSTANTII AD SYNODUM ARIMINENSEM.

Constantius monuit ne quid de orientalibus, qui seorsim convenirent Seleuciæ, definire præsumerent.

Victor Constantinus (*Constantius*) Maximus triumphator semper Augustus episcopis.

Continent priora instituta, venerabiles, sanctiA moniam legis rebus ecclesiasticis niti : satis superque perspeximus litteris ad nostram (*f.* vestram) prudentiam datis, iisdem oportere operam dare : cum profecto et episcoporum id officio congruat, et salus omnium longe lateque populorum hoc fundamine roboretur. Sed res admonuit instituta rursus exsistere (*al. insistere*). Non enim aliquis definita geminari superfluum judicabit, cum (crebra) rebus consueverit admonitio augere cumulum diligentiæ. Illis ita se habentibus, de fide atque unitate tractari debere cognoscat sinceritas vestra, et operam dari ut ecclesiasticis rebus ordo competens præbeatur. Discurret namque cunctorum posteritas ubique populorum, et concordia fida servabitur, cum penitus amputatis nec hujusmodi quæstionibus cunctis sectando commoverit, res ista non debet ita intentionem animi (longius) propagare. Non enim de orientalibus episcopis in concilio vestro patitur ratio aliquid definiri. Proinde super his tantum quæ ad vos pertinere cognoscit gravitas vestra, tractare debebitis, et completis celeriter universis, consentiente consensu, decem mittere ad comitatum meum, ut prudentiæ vestræ prioribus litteris intimavimus. Prædicti enim poterunt omnibus, quæ eisdem orientalibus proposuerint, respondere, vel tractare de fide, ut exitu competenti omnis quæstio terminetur, et ambiguitas sopiatur. Quæ cum ita sint, adversus orientales nihil statuere vos oportet, aut si aliquid volueritis C contra eosdem prædictis absentibus definire, id quod fuerit usurpatum irrito evanescet effectu. Non enim illa vires habere poterit definitio, cui nostra statuta testantur jam nunc robur et cupiam (*al.* copiam) denegari. Quæ cum ita sint, moderatione religionis venerabilibus antistitibus consentanea debetis veneranda perficere, ut id quod religio postulat, explicetur, et quod audiri prohibet ratio, nullus usurpet. Divinitas vos servet per multos annos, parentes charissimi. Dat. vikal. Junias, Eusebio et Hypatio coss.

[1] EPISTOLA PRIMA ARIMINENSIS SYNODI AD CONSTANTIUM.

Dei jussui, tuoque pio edicto parentes quæ olim dogmatibus tradita ita esse, ut tradita sunt, nostris suffragiis stabilienda judicavimus. Nam Ariminum ex omnibus ad occidentem positis civitatibus in unum convenimus, ut fides catholicæ Ecclesiæ cognosceretur, et qui alterius opinionis essent, manifesti fierent. Ibique post longam deliberationem optima visa est ea fides, quæ hactenus usque a priscis temporibus perduravit, quam et prophetæ, et evangelistæ, et apostoli per Dominum nostrum Jesum Christum prædicarunt, qui est tui imperii custos, et tuæ valetudinis defensor. Statutum est igitur, ut eam retinentes coleremus, et colentes usque ad finem conservaremus. Indecens enim et nefarium, aliquid ex recte et juste decretis, et ex Nicææ publice cum illustrissimo principe Constantino patre tuo per accuratam deliberationem constitutis immutare velle, in quibus tanta doctrina est et prudentia, ut ea ubi-

Ἐκ τε τῆς τοῦ Θεοῦ κελεύσεως, καὶ τῆς σῆς εὐσεβείας προστάγματος, τὰ πάλαι δογματισθέντα γεγενῆσθαι πιστεύομεν· εἰς γὰρ Ἀρίμινον ἐκ πασῶν τῶν πρὸς δύσιν πόλεων, εἰς τὸ αὐτὸ πάντες ἐπίσκοποι συνήλθομεν, ἵνα καὶ ἡ πίστις τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας γνωρισθῇ, καὶ οἱ τὰ ναντία φρονοῦντες ἔκδηλοι γένωνται· ὡς γὰρ ἐπὶ πλεῖστον διασκοποῦντες εὑρήκαμεν, ἀρεστὸν ἐφάνη τὴν πίστιν τὴν ἔκπαλαι διαμένουσαν, ἣν καὶ οἱ προφῆται καὶ τὰ εὐαγγέλια, καὶ οἱ ἀπόστολοι διὰ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐκήρυξαν, τοῦ καὶ τῆς βασιλείας φρουροῦ, καὶ τῆς σῆς ῥώσεως προστάτου, ἵνα ταύτην κατασχόντες φυλάξωμεν, καὶ φυλάττοντες μέχρι τέλους διατηρήσωμεν. ἄτοπον γὰρ καὶ ἀθέμιστόν ἐφάνη τῶν ὀρθῶς καὶ δικαίως ὡρισμένων τι μεταλλάσσειν, καὶ τῶν ἐν Νικαίᾳ κοινῇ μετὰ τοῦ ἐνδοξοτάτου σου πατρὸς καὶ βασιλέως Κωνσταντίνου ἐσκεμμένων, ὧν ἡ διδασκαλία τε καὶ τὸ φρόνημα διῆλθε καὶ ἐκηρύχθη εἰς πάσας ἀνθρώπων ἀκοάς τε καὶ διανοίας· ἥτις ἀντίπαλος μονὴ καὶ ὀλετὴρ τῆς Ἀρείου αἱρέσεως ὑπῆρξε· δι' ἧς οὐ μόνον αὐτὴ, ἀλλὰ καὶ

[1] Exstat apud Athanas., de synod.

que deprædicata ad omnium aures animosque perverenerit, quæ sola hostis et interfectrix Arianæ hæreseos, et per quam non illa sola, sed reliquæ hæreses sublatæ sunt: in qua certe et addere aliquid, temerarium est; et auferre, periculosum: quorum si alterutrum fiat, erit hostibus quidlibet agendi libera facultas.

De damnatione Ursacii et Valentis. — Atque ea de causa Ursacius et Valens, jampridem socii et astipulatores Ariani dogmatis, a nostra communione, sententia data, segregati fuere: quam ut denuo recuperarent, de peccatis suis, in quibus se conscios agnoscebant, pœnitentiam veniamque postularunt ut eorum syngraphæ testantur: et ob id illis venia gratiaque delictorum facta est. Hæc autem per id temporis facta sunt, cum Mediolani synodus in consessum ibat, præsentibus ibidem Romanæ Ecclesiæ presbyteris: fuitque proinde nobis persuasissimum, iniquum esse, cum imperator Constans ab obitu suo dignus omni memoria hanc fidem omni cura et diligentia conscriptam promulgarit, tum demum ex quo ille baptizatus, ex hominibus in requiem sibi debitam translatus est, aliquid novi in ea fide moliri velle, et tot sanctos confessores et martyres hujus placiti scriptores auctoresque contemnere, qui pro veteri lege, rituque Ecclesiæ, in ea sententia permansere: quorum fidem Deus per Dominum Jesum Christum in tempora tui imperii contulit: per quem ita late regnas, ut etiam nostro orbi imperes.

De inconstantia Ursacii et Valentis. — Verum denuo miseri isti deplorati animi, nefario ausu, impiæ sententiæ sese præcones ostendunt, et omnia veritatis decreta convellere nituntur. Eo enim tempore, quo pro tuo edicto synodus cogebatur, ipsi fraudis suæ consilia denudarunt: conati enim sunt per vafriciem et tumultum, cum sociis istius factionis, Germinio, Auxentio, Caio, contentiones discordiasque seminantibus, novas res facere. Quorum doctrina una eademque omne genus blasphemiarum superat. Ubi autem viderent, non esse ibi hominés ejusdem studii, neque illorum pravis sententiis astipulaturos, in nostrum consilium se transtulerunt, ut viderentur aliud quippiam scribere: sed ipsi non ita diu postea animum suum ostenderunt. Ne igitur res ecclesiasticæ in easdem molestias cadant, neve turbatio et tumultus denuo omnia involvat et confundat; constanter visum est, olim decreta pro legitimis inconcusse servanda, et istos a nostra communione submovendos esse.

De legatione ad Constantium missa. — Atque ideo legatos nostros ad tuam æquitatem misimus, qui tibi sententiam synodi ex epistola ostenderent: idque legatis nostris ante omnia mandatum est, ut veritatem priscis et justis rerum allegationibus probarent, et tuæ sanctitati ostenderent, quod non, quemadmodum Ursacius et Valens inquiunt, pax futura sit, si aliqua ex rebus justis subvertantur. Nam quomodo pacifice agere poterunt, qui pacem tollunt? sed potius inde contentionem turbatio-

A αἱ λοιπαὶ αἱρέσεις καθηρέθησαν· ἐν ᾗ ὄντως καὶ τὸ προσθεῖναί τι σφαλερὸν, καὶ τὸ σφαλέσθαι ἐπικίνδυνον ὑπάρχει. ὡς εἶπερ καὶ θάτερον γένοιτο, ἔσται τοῖς ἐχθροῖς ἄδεια τοῦ ποιεῖν ἅπερ βούλοιντο· ὅθεν Οὐρσάκιός τε καὶ Οὐάλης ἐπειδὴ ἔκπαλαι μέτοχοί τε καὶ σύμβρονες τοῦ ἀρειανικοῦ δόγματος ἦσαν καθεστηκότες, καὶ τῆς ἡμετέρας κοινωνίας χωρισθέντες ἀπεφάνθησαν. ἧς ἵνα μετάσχωσιν, ἐφ' οἷς ἑαυτοῖς συνεγνώκεισαν πλημμελήσαντες, μετανοίας τε καὶ συγγνώμης ἠξίουν τυχεῖν, ὡς καὶ τὰ ἔγγραφα τὰ ὑπ' ἐκείνων γεγενημένα μαρτυρεῖ, δι' ὧν ἁπάντων φειδὼ γεγένηται, καὶ τῶν ἐγκλημάτων συγγώμη. ἦν δὲ ὁ καιρὸς καθ' ὃν ταῦτα ἐπράττετο, ὅτε ἐν Μεδιολάνῳ τὸ συνέδριον τῆς συνόδου συνεκροτεῖτο· συμπαρόντων δὲ καὶ τῶν πρεσβυτέρων τῆς Ῥωμαίων ἐκκλησίας.

B ἐγνωκότες δὲ ἅμα καὶ τὸν μετὰ τὴν τελευτὴν ἄξιον μνήμης Κωνσταντῖνον, μετὰ πάσης ἀκριβείας, καὶ ἐξετάσεως τὴν συγγραφεῖσαν πίστιν ἐκτεθεικότα· ἐπειδὴ δὲ ὡς ἐξ ἀνθρώπων ἐγένετο βαπτισθείς, καὶ πρὸς τὴν ὁπτιλομένην εἰρήνην ἀνεχώρησεν, ἄτοπον ἐνομίσαμεν εἶναι μετ' ἐκεῖνόν τι καινοτομεῖν, καὶ τοσούτους ἁγίους ὁμολογητὰς καὶ μάρτυρας, τοὺς καὶ τοῦδε τοῦ δόγματος συγγραφεῖς τε καὶ εὑρετὰς ὑπεριδεῖν· οἵ τινες κατὰ τὸν παλαιὸν τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας θεσμὸν, ἅπαντα φρονοῦντες διαμεμενήκασιν· ὧν ὁ Θεὸς τὴν πίστιν καὶ εἰς τοὺς σοὺς χρόνους τῆς βασιλείας μετέδωκε, διὰ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, δι' οὗ σοι καὶ τὸ βασιλεύειν οὕτως ὑπῆρξεν, ὡς καὶ τῆς καθ' ἡμᾶς οἰκουμένης κρατεῖν· πάλιν γοῦν οἱ ἀλιτενοὶ καὶ οἰκτροὶ τῷ φρονήματι, ἀθεμίστῳ φρονήματι τῆς δυσσεβοῦς φρονήσεως, κήρυκας ἑαυτοὺς ἀνήγγειλαν, καὶ ἐπιχειροῦσιν

C ἀνατρέπειν πᾶν τὸ τῆς ἀληθείας σύνταγμα· ὡς γὰρ κατὰ τὸ σὸν πρόσταγμα τὸ συνέδριον τῆς συνόδου συνεκροτεῖτο, κἀκεῖνον τῆς ἰδίας ἀπάτης ἐγύμνουν τὴν σκέψιν· ἐπειρῶντο γὰρ πανουργίᾳ τινὶ καὶ ταραχῇ προσφέροντές τι καινοτομεῖν τῆς τοιαύτης ἑτεροίας τοὺς συναλισκομένους, εὑρόντες, Γερμήνιον, Αὐξέντιον καὶ Γάϊον, τοὺς τὴν ἔριν, καὶ διχοστασίαν ἐμποιοῦν τας. ὧν ἡ διδασκαλία μία μὲν οὖσα, πᾶν πλῆθος βλασφημιῶν ὑπερβέβηκεν· ὡς δὲ συνεῖδον οὐχὶ τῆς αὐτῆς προαιρέσεως ὄντας, οὔτε ὁμογνωμονοῦντας ἐφ' οἷς κακῶς ἐφρόνουν, εἰς τὸ συμβούλιον ἡμῶν μετήγαγον ἑαυτούς. ὡς δοκεῖν ἕτερον γράφειν· ἦν δὲ ὁ καιρὸς βραχὺς, ὁ καὶ τὰς γνώμας αὐτῶν ἐξελέγχων· ἵνα μὴ οὖν μὴ τοῖς αὐτοῖς ἀεὶ τὰ τῆς ἐκκλησίας περιπίπτῃ, καὶ ταραχῇ καὶ θόρυβος κυλινδούμενος ἅπαντα συγχέῃ, βέβαιον ἐφάνη τὰ πάλαι ὡρισμένα, ἔμμονα καὶ ἀμετακίνητα διαφυλάττειν· τοὺς δὲ προειρημένους,

D ἀπὸ τῆς ἡμετέρας κοινωνίας ἀποκεχωρίσθαι. δι' ἣν αἰτίαν, τοὺς ἀναδιδάξαντας πρέσβεις πρὸς τὴν σὴν ἐπιείκειαν ἀπεστάλκαμεν, τὴν γνώμην τοῦ συνεδρίου διὰ τῆς ἐπιστολῆς μηνύσοντας· τοῖς γε πρεσβεύουσι, πρό γε πάντων τοῦτο παρακελευόμεθα τὸ τὴν ἀλήθειαν πιστώσασθαι, ἐκ τῶν πάλαι ἀρχαίων καὶ δικαίων ὁρμωμένους, οἳ καὶ τὴν σὴν ἀναδείξουσιν ὁσιότητα, ὅτι οὐχ' ὥσπερ ἔφησαν Οὐρσάκιός τε καὶ Οὐάλης, ἔσται εἰρήνη, εἶπερ τι τῶν δικαίων ἀνατραπείη· πῶς γὰρ εἰρήνην οἷόν τε ἄγειν, τοὺς τὴν εἰρήνην καταλύοντας; μᾶλλον γὰρ ἔρις καὶ ταραχὴ ἐκ τούτων σὺν ταῖς λοιπαῖς πόλαις, καὶ τῇ Ῥωμαίων ἐκκλησίᾳ γενήσεται· διὸ δὲ καὶ ἐκτενούμεν τὴν σὴν ἐπιείκειαν, ἵνα προσηνέστῃ ἀκοαῖς καὶ γαληναίῳ βλέμματι τὰ τῆς ἡμετέρας πρεσβείας ἀθρήσειας, μὴ τε

nemque tum reliquis civitatibus, tum Romanæ urbi oborituras esse. Quapropter supplicamus tuæ humanitati, ut benignis auribus et sereno vultu nostros legatos intuearis, neque ad contumeliam mortuorum aliquid novi induci permittas, sed nos sinas in institutis decretisque majorum permanere, quos magno ingenio, prudentia, et Spiritu sancto omnia fecisse asseveravimus. Certe res novæ quas isti moliuntur, credentibus incredulitatem, incredulis credulitatem inducunt.

Episcopi petunt missionem. — Iterum te nostris supplicationibus convenimus, ut jubeas episcopos peregre commorantes, quos et gravitas ætatis et paupertas affligit, quam facillime in patriam deduci; ne ecclesiæ, absentibus episcopis, desertæ relinquantur. Id quoque nostris precibus addimus, quo nihil desit rerum priscarum, nihilque exuberet, sed omnia firma maneant, usque a temporibus beati patris tui in hodiernum diem observata; ne nos posthac vexari, et a nostris diœcesibus segregari permittas; sed ut episcopi cum suis populis pacem ad preces cultusque divinos et otium habeant, orantes pro tuo imperio, salute, et pace, quam tibi in perpetuum divinitas largiatur. Nostri porro legati subscriptiones, salutationesque episcoporum afferunt, qui tuam sanctitatem de hac causa ex ipsis sacris litteris edocebunt.

πρὸς ὕβριν τῶν τετελευτηκότων καινόν τι μεταλλάττειν ἐπιτρέψειας, ἀλλ' ἐάσεις ἡμᾶς ἐμμένειν τοῖς παρὰ τῶν προγόνων ὁρισθεῖσί τε, καὶ νενομοθετημένοις, οὓς ἅπαντα μετὰ ἀγχινοίας τε καὶ φρονήσεως, καὶ Πνεύματος ἁγίου πεποιηκέναι ἐφήσαμεν ἄν. τὰ γὰρ νῦν παρ' ἐκείνων καινοτοκούμενα, τοῖς μὲν πιστεύσασιν ἀπιστίαν ἐμποιεῖ, τοῖς δὲ ἀπιστήσασιν ὠμότητα· ἱκετεύομεν δὲ ἔτι ἵνα κελεύσῃς τοὺς ἐπισκόπους, τοὺς ἐν ταῖς ἀλλοδαπαῖς διατρίβοντας, οὓς καὶ τὸ τῆς ἡλικίας ἐπίπονον, καὶ τὸ τῆς πενίας ἐνδεὲς τρύει, τὴν εἰς τὴν οἰκίαν ἀνακομιδὴν ποιήσασθαι ῥᾳδίαν, ἵνα μὴ ἔρημοι τῶν ἐπισκόπων ἀφωρισμένων αἱ ἐκκλησίαι διαμένωσιν· ἔτι δὲ πρὸς ἅπασι καὶ τοῦτο δεόμεθα, ἵνα μὴ τε ἐλλείπῃ τι τῶν προϋπαρξόντων, μή τε πλεονάζῃ, ἀλλὰ πάντα ἄῤῥηκτα διαμένῃ ἐκ τῆς σοῦ πατρὸς εὐσεβείας, καὶ εἰς τὸν νῦν χρόνον διαφυλαττόμενα· μήτε λοιπὸν ἡμᾶς μοχθεῖν, καὶ ἐκτὸς τῶν ἰδίων παροικιῶν ἀλλοτρίους ἐπιτρέψειας γενέσθαι, ἀλλ' ἵνα οἱ ἐπίσκοποι συν τοῖς ἰδίοις λαοῖς μετ' εἰρήνης εἰς εὐχάς τε καὶ λατρείας σχολὴν ἄγοιεν ἱκετεύοντες ὑπὲρ τῆς σῆς σωτηρίας καὶ βασιλείας καὶ εἰρήνης, ἣν ἡ θειότης σοι εἰς τὸ διηνεκὲς χαρίσεται· οἱ δὲ ἡμέτεροι πρίσβεις τὰς ὑπογραφὰς, καὶ τὰς τῶν ἐπισκόπων προσηγορίας κομίζουσιν, οἵ τινες καὶ ἐξ αὐτῶν τῶν θείων γραφῶν, τὴν σὴν ἀναδιδάξουσι θειότητα.

[1] EPISTOLA CONSTANTII AD EAMDEM SYNODUM.

Episcopos Arimini suum ab expeditione barbarica reditum exspectare jubet imperator.

Constantius victor et triumphator Augustus, omnibus episcopis, qui sunt Arimini coacti, salutem.

Κωνστάντιος, νικητὴς καὶ θριαμβευτὴς, Αὔγουστος, πᾶσι τοῖς ἐν Ἀριμίνῳ ἐπισκόποις συνειλεῦσιν.

Quamquam vestræ sanctitati minime obscurum est, nos maximam curam divinæ et venerandæ religionis Christi semper habuisse : tamen viginti episcopos, quos vestra prudentia ad legationem vestram obeundam misistis, hoc tempore ad nostrum conspectum admittendi, otium non erat; nam expeditio, quam contra barbaros in præsentia suscipimus, nos districtos tenet : et par est (uti nosti) ut ei, qui sit sacrosanctæ religionis negotia tractaturus, animus ab omni cura et perturbatione liber sit. Proinde episcopis mandavimus, ut Hadrianopoli nostrum reditum exspectent : uti, cum ea quæ ad rempublicam pertinent, rite procurata fuerint; illa deinceps, quæ sint nobis proposituri, diligenter audire expendereque possimus. Vestræ autem gravitati interea ne molestum sit eorum reversionem exspectare; ut cum redierint, nostraque retulerint ad vos responsa, illa quæ sint ex usu Ecclesiæ catholicæ futura, possitis ad exitum perducere.

Ἀεὶ προηγουμένην ἔχειν ἡμᾶς φροντίδα, περὶ τοῦ θείου καὶ προσκυνητοῦ νόμου οὐδὲ ἡ ὑμετέρα χρηστότης ἀγνοεῖ· ἀλλὰ νῦν τοὺς ἀπὸ τῆς συνέσεως ἡμῶν ἀποσταλέντας εἴκοσι ἐπισκόπους ἀναδιξαμένους τὴν παρ' ἡμῶν πρισβείαν, τέως οὐκ ἠδυνήθημεν ἰδεῖν· ἀναγκαία γὰρ ἡμῖν ἡ πρὸς τοὺς βαρβάρους ὁδὸς· καὶ ὡς οἶδατε, πρέπει τὴν ψυχὴν καθαρὰν οὖσαν ἀπὸ πάσης φροντίδος, τὰ περὶ τοῦ θείου νόμου γυμνάζειν. τοιγαροῦν τοὺς ἐπισκόπους ἐκελεύσαμεν ἐν τῇ Ἀδριάνου πόλει, ἐκδέξασθαι τὴν ἡμετέραν ἐπάνοδον· ἵν' ἐπειδὰν πάντα καλῶς διατεθῇ τὰ δημόσια, τότε λοιπὸν ὅπερ ὑποβάλλουσιν ἀκοῦσαι, καὶ δοκιμάσαι δυνηθῶμεν· τῇ μέντοι στερρότητι ὑμῶν μὴ βαρὺ φανέσθω, ὥστε ἐκδέξασθαι τὴν αὐτῶν ἐπάνοδον· ἵν' ἐπειδὰν ἐπανέλθωσι κομίζοντες ὑμῖν τὰς ἡμετέρας ἀποκρίσεις, δυνηθῆτε εἰς πέρας ἀγαγεῖν τὰ πρὸς τὴν λυσιτέλειαν ἀνήκοντα τῇ καθολικῇ ἐκκλησίᾳ.

[1] Exstat apud Socrat. lib. II, cap. 29.

[1] EPISTOLA SECUNDA SYNODI ARIMINENSIS AD CONSTANTIUM.

Petit synodus veniam Arimino discedendi ante hiemis asperitatem.

Tuæ clementiæ litteras accepimus, imperator sanctissime, ex quibus didicimus, tibi, propter necessaria reipublicæ negotia, eo tempore non satis suppetivisse otii legatos nostros in conspectum tuum admittendi, nobisque in mandatis dare, ut illorum reditum usque eo exspectemus, quoad tua prudentia

Τὰ γράμματα τὴς σῆς φιλανθρωπίας ἐδεξάμεθα, κύριε θεοφιλέστατε βασιλεῦ, τὰ περιέχοντα διὰ τὴν τῶν δημοσίων ἀνάγκην, τέως μὴ δεδυνῆσθαί σε τοὺς ἡμετέρους πρίσβεις θεωρῆσαι· ἡμᾶς δὲ κελεύεις ἐκδέξασθαι τὴν αὐτῶν ἐπάνοδον ἕως ἂν τὰ παρ' ὑμῶν ὁρισθέντα ἀκολούθως τοῖς προγόνοις ὑμῶν ἐπιτύχῃ παρ' αὐτῶν ἡ σὴ εὐλο-

[1] Exstat apud Socr. lib. II, cap. 29.

intellexerit ea, quæ sint a nobis convenienter majorum nostrorum institutis decisa decretaque. Cæterum jam per hasce litteras confitemur, ubique confirmamus, nos a nostro proposito et sententia nequaquam discessuros : legatis etiam nostris idem imperavimus. Quamobrem rogamus te, ut placido vultu litteras hasce, a nostra modestia ad te perscriptas, legendas cures : quin etiam ea, quæ nostris legatis obeunda imposuimus, æqui bonique consulas. Illud præterea tua benignitas ista nobiscum intelligit, quam tristis et acerba res sit, tot ecclesias, in tuis istis beatissimis temporibus, episcopis suis destitutas esse : et propterea tuam clementiam iterum obtestamur, imperator augustissime, ut ante hiemis asperitatem (modo tuæ pietati ita visum fuerit) nobis ad nostras Ecclesias revertendi facias potestatem, quo possimus Deo Patri omnipotenti, et Domino ac Salvatori nostro Christo Filio ejus unigenito, pro tuo regno consuetas preces cum populo fundere, sicut et ante semper fecimus, et adhuc facere non desistimus.

A θεια· ἀλλὰ καὶ νῦν διὰ τούτων τῶν γραμμάτων ὁμολογοῦμεν καὶ διαβεβαιούμεθα, μηδαμῶς ἡμᾶς ἀναχωρεῖν τῆς ἡμετέρας προθέσεως· τοῦτο γὰρ καὶ τοῖς πρόσθεσιν ἡμῶν ἐνετειλάμεθα· ἀξιοῦμεν τοίνυν ὅπως γαληναίᾳ τῇ προσόψει, τάτε νῦν γράμματα τῆς ἡμετέρας μετριότητος κελεύσεις ἀναγνωσθῆναι· ἀλλὰ γὰρ κἀκεῖνα ἃ διὰ τῶν πρέσβεων ἡμῶν ἐνετειλάμεθα ἡδέως ὑποδέξαι· ἐκεῖνο μέντοι συνορᾷ μεθ' ἡμῶν καὶ ἡ σὴ ἡμερότης, ὅση νῦν ἐστι λύπη καὶ κατήφεια, ὅτι ἐν τοῖς μακαριωτάτοις καιροῖς τοσαῦται ἐκκλησίαι χωρὶς ἐπισκόπων εἰσὶ· καὶ διὰ τοῦτο πάλιν τὴν σὴν φιλανθρωπίαν ἀξιοῦμεν, κύριε θεοφιλέστατε βασιλεῦ, ὅπως πρὸ τῆς τραχύτητος τῶν χειμώνων, εἴπερ ἀρέσει τῇ σῇ εὐσεβείᾳ, κελεύσεις ἡμᾶς εἰς τὰς ἡμετέρας ἐκκλησίας ἐπανελθεῖν, ὑπὲρ τοῦ δύνασθαι ἡμᾶς τῷ παντοκράτορι Θεῷ καὶ τῷ δεσπότῃ καὶ σωτῆρι B ἡμῶν Χριστῷ, τῷ υἱῷ αὐτοῦ τῷ μονογενεῖ, ὑπὲρ τῆς σῆς βασιλείας, τὰς ἐθίμους εὐχὰς μετὰ τῶν λαῶν ἀποπληροῦν, καθὼς καὶ ἀεὶ ἐπετελέσαμεν καὶ νῦν ἐχόμενοι.

ANNO DOMINI CCCLXV.

[1] EPISTOLA EPISCOPORUM ITALIÆ ILLYRICIS DE FIDE NICÆNA SUSCEPTA GRATULANTIUM.

Dilectissimis fratribus per Illyricum fidem paternam retinentibus, episcopi Italiæ, in Domino æternam salutem.

Divini muneris gratia est, ut secundum apostolum omnes unum sapere, omnes unum confiteri cœperimus : et quantum ad Italiam pertinet, cum [2] fidei paternæ, hoc est apud Nicæam scriptæ se reddidit, fraudem quam passa est apud Ariminum recognoscens, Illyricum etiam Deum clementi nutu respexisse gaudemus, et consortio infidelitatis, quo gravabatur, abjecto, ea quæ sunt rectæ sententiæ probare cœpisse, gratulamur. Nostram igitur, dilectissimi fratres, unam eamdemque accipite firmam subscriptione sententiam. Nicæni tractatus adversus Arium, Sabelliumque, cujus Photinus partiaria hæreditate damnatur, decreta servamus. Ariminensis concilii stata quorumdam tergiversatione corrupta, consensu omnium provinciarum jure rescindimus ; quorum etiam exemplaria transmittenda censuimus, ut nec in fide retinenda, nec in confutando Ariminensi concilio aliqua videretur [3] condescensio.

Quicumque igitur nostræ unanimitatis optat habere consortium, quicumque individuam pacem nobiscum habere desiderat, quæ sunt nostræ sententiæ, comC probare festinet, et fidei nobis memoratæ subscriptionem, et rescissionem Ariminensis concilii sine ambiguitate mittendo. Id certe petimus, quod complurium harum provinciarum porrigimus ipsi consensum. Auctores autem hæresis Arianæ vel Aetianæ Valentem et Ursacium, cæterosque eorumdem consortes, non nunc esse quod manifestari apud Illyricum cœperunt, sed olim condemnasse, manifestum est.

[1] Exstat apud Hilar., frag. lib. 1, pag. 38. Baron., anno 365, num. 26 et 27.

[2] Olim.
[3] Esse.

[1] EPISTOLA SYNODI SINGEDUNENSIS AD GERMINIUM SEMIARIANUM.

Domino religiosissimo fratri Germinio, Valens, Ursacius, Gaius et Paulus, salutem.

Cum de spe et salute sollicitudo incumbit, magis laudandi esse debent qui solliciti sunt, quam reprehensionem aliquam sustinere. Salus autem ac spes principaliter in fide catholica consistit : et ideo [2] quamvis conventione ad omnes nostros fratres et coepiscopos nostros Valente et Paulo admonita noluerit, ad id quod rumor [3] latitat de te respondere, domine religiosissime, tamen quia litteris tuis testificatus es, te in eadem charitate perseverare, et paratum esse illibatam dilectionem habere erga nos ostendere ; propterea in unum apud [4] Singedimum congregati, iterum his commonefacimus sanctitatem tuam, ut omni occasione ambigui exclusa, digneris rursus rescribere nobis, si a fide catholica, quæ Arimini a sancto concilio exposita confirmataque est, cui etiam universi Orientis episcopi consenserunt, sicut jam professus es te non recessurum, apertus [5] quæritur significes. Est autem hoc, sicut in ea cautum est : Similem dicimus Filium Patri secundum Scripturas, non secundum substantiam, aut per omnia, sed absolute. Si enim hæc expositio immutata fuerit, manifeste quondam Basilii perfida assertio, propter quam

[1] Lib. 1 frag. S. Hilarii p. 40. Baron. ann. 366, num. 26.
[2] Quavis contentione a dominis nostris fratribus et coepiscopis Valente, et.
[3] Jactitat.
[4] Singedunum.
[5] Apertius.

synodus facta est, qua etiam merito damnata est, reparabitur. Dignare igitur hoc quod quæritur, evidenter litteris tuis declarare : non dixisse, aut dicere, vel dicturum, similem esse per omnia Filium Patri, excepta innativitate, ne quod perlatores litterarum Jovianus diaconus et Maryrius subdiaconus verbo deprecationis suæ, ante prædictos dominos meos fratres, et coepiscopos nostros Valentem et Paulum asserebant, magis credibile esse videatur, quia per omnia similem esse Filium Patri profitearis. Si enim sic te, sicut optavimus, sentire scriptis tuis manifestaveris, querelam pro injuria a quibusdam clericis tuis Palladio et Gaio fratribus et coepiscopis nostris factam, licet nolueris, sicut prima conventione admonitus es, exquirere, ad [1] æstimationem tuam pertinet, illis scilicet præstantibus pro sua temeritate rationem. Hæc per Secundianum presbyterum, Pullentium lectorem, et Candidianum exorcistam transmisimus charitati tuæ, decimo quinto Calendas januarii, Gratiano nobilissimo P. et Dagalaifo consulibus, exemplum penes nos retinentes.

[1] Existimationem tuam non pertinent, illi scilicet.

[1] EPISTOLA GERMINII SEMIARIANI ADVERSUS ARIANOS.

Dominis fratribus religiosissimis Rufiano, Palladio, Severino, Nichæ, Heliodoro, Romulo, Muciano, et Stercorio, Germinius in Domino salutem.

Vitalis nunc militantis in officio sublimis præfecturæ relatione comperimus, desiderare sanctitatem vestram significari vobis aperte, quid est quod de fide nostra Valenti, Ursacio, Gaio et Paulo displiceat. Necessarium duxi his litteris patefaciendum sanctitati vestræ, et id quod in [2] vobis ipsis ab initio esse confido, dicere, nos hoc quod a patribus traditum accepimus, et divinis scripturis, quod semel didicimus et quotidie docemus, Christum Dei Filium Dominum nostrum per omnia Patri similem, excepta innativitate, Deum de Deo, lumen de lumine, virtutem de virtute, integrum de integro, perfectum de perfecto, ante sæcula et ante universa, quæ intelligi vel dici possunt, genitum, cujus nativitatem nemo scit nisi solus Pater, ipso Filio asserente : *Quia nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare* (*Matth.* XI) : *per quem facta sunt omnia, sine quo factum est nihil* (*Joan.* I), secundum divinas voces ipsius Salvatoris nostri Filii dicentis : *Pater meus usque modo operatur, et ego operor* (*Joan.* V). Et iterum : *Quæcumque enim Pater facit, hæc et similiter Filius facit* (*Ibidem*). Et iterum : Ego et Pater *unum sumus*. Et iterum : *Qui me vidit, vidit et Patrem*. Et iterum : *Quo modo Pater vitam habet a semetipso, ita dedit et Filio vitam habere in semetipso* (*Joan.* XIV). Et iterum : *Sicut Pater suscitat mortuos et vivificat, ita et Filius* [3] *quod vult, vivificat*. Et iterum : *Creditis in Deum, et in me credite* (*Joan.* V). Et iterum : *Neque enim Pater judicat quemquam; sed omne judicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem*. Et iterum cui Pater dixit : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (*Gen.* I) : nec dixit, ad imaginem tuam, vel ad imaginem meam, ne aliquam dissimilitudinem in Filii sui divinitate demonstraret, sed propterea conjunxit ad imaginem et similitudinem nostram, ut Filium suum sibi similem per omnia Deum manifestaret. Iterum Evangelista : *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratia et veritate* (*Joan.* I). Et Apostolus ad Corinthios : *In quibus Deus hujus sæculi excæcavit mentes infidelium, ut non refulgerent illuminatione evangelii gloriæ Christi, quæ est imago Dei* (II *Cor.* IV). Et iterum idem Apostolus : *Et transtulit nos in regno Filii charitatis* [4], *in quo habemus redemptionem et remissionem peccatorum, qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ* (I *Thess.* I). Et iterum idem Apostolus : *Hoc enim sentite in vobis quod et in Christo Jesu, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, se esse æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus* (*Philip.* IV). Quis non intelligat, quia quemadmodum secundum servi formam vera fuit caro nostra in Christo, ita et in Dei forma vera sit divinitas Patris in Filio? Et iterum : *Videte ne quis vos seducat per philosophiam et inanem fallaciam, secundum traditionem hominum, secundum elementa hujus mundi, et non secundum Christum, quia in ipso habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter* (II *Coloss.* II, 8). Si ergo omnis plenitudo divinitatis inhabitat in Christo, jam non ex parte similis, et ex parte dissimilis, sicut nunc asserunt, qui propter contentionem suæ libidinis retrorsum abeuntes, semetipsos a nobis [5] avertunt.

Nam quod putant se pro magno de divinis scripturis proferre, ut dicant, Christum facturam et creaturam : e contrario nos secundum scripturas dicimus, et viam, et januam, et lapidem offensionis, et petram scandali, et fundamentum, et brachium, et manum, et sapientiam, et verbum, et agnum, et ovem, et pastorem, et sacerdotem, et vitam, et diem, et alia. Sed hæc omnia sic intelligimus et dicimus, ut virtutes et operationes Filii Dei intelligamus, non ut divinam ejus ex Patre nativitatem hujuscemodi nominibus comparemus, quia ex nihilo omnia per Filium facta sunt, Filius autem non ex nihilo, sed ex Deo Patre est genitus.

Valentis vafricies notata.— Miror autem prædictum Valentem aut oblitum esse, aut certe subdole dissimulare, quid in præteritum gestum definitumque sit. Nam sub bonæ memoriæ Constantio imperatore quando inter quosdam cœperat esse de fide dissensio, in conspectu ejusdem imperatoris præsentibus Georgio episcopo Alexandrinæ ecclesiæ, Pelusino-

[1] Lib. 1 fragm. sancti Hilarii p. 41. Baron., ibid., num. 27.
[2] Nobis.
[3] Quos.
[4] Suæ.
[5] Averterunt.

rum, Basilio episcopo tunc Anquiritano, præsente etiam ipso Valente et Ursacio, et [1] in ea pravitate, post habitam usque in noctem de fide disputationem, et ad certam regulam perductam, Marcum ab omnibus nobis [2] ejectum fidem dictasse, in qua fide sic conscriptum est : Filium similem Patri per omnia, ut sanctæ dicunt, et docent scripturæ : cujus integræ professioni consensimus omnes, et manu nostra subscripsimus. Si autem nunc aliquid spiritus hujus mundi suggerit, ex aperto adhuc scire non possumus. Nam, ut nos professi sumus de scripturis, per omnia similem Filium Patri excepta innativitate, exponant et illi de scripturis, quemadmodum parte similis sit, parte dissimilis. Et ideo, fratres dilectissimi, hæc intrepidanter et sine mora vestræ dilectionis ad conscientiam, per Cyriacum officialem, cujus prima inventa occasio est post Carinium diaconum, quem ad vos misi, professionem destinavi, ut per vestram quoque vigilantissimam devotionem apud Deum, universæ fraternitati intimetur, ne quis [3] fallacia diaboli laqueis ignorans implicetur. Jam vestræ est unanimitatis rescribere mihi, quid vobis sanctus Spiritus suggerat. Sane intimo charitati vestræ, me huic epistolæ, propterea quod manus dolerem, subscribere non potuisse : subscribendum autem mandasse fratribus et compresbyteris nostris Innocentio, Octavio, et Catulo.

[1] Mea parvitate.
[2] Electum.
[3] Fallacis.

ANNO DOMINI CCCLXX.

CONSTITUTIO VALENTINIANI IMPERATORIS AD DAMASUM PAPAM.

(*Ex Const. pag.* 473.)

Ut ecclesiastici et continentes de viduarum bonis nihil vel testamento, vel donatione valeant percipere.

Imperatores Valentinianus, [a] Valens et Gratianus augusti ad Damasum episcopum urbis Romæ. Ecclesiastici aut ex ecclesiasticis, vel qui [b] continentium se volunt nomine nuncupari, viduarum ac pupillorum domos non adeant ; sed publicis [c] exterminentur judiciis, si posthac eos affines eorum vel propinqui putaverint deferendos. Censemus etiam, ut memorati nihil de ejus mulieris, cui se privatim sub prætextu religionis adjunxerint, liberalitate quacumque vel [d] extremo judicio possint adipisci : et omne in tantum inefficax sit, quod aliqui horum ab his fuerit derelictum, ut neque per subjectam [e] personam valeant aliquid vel donatione vel testamento percipere. Quin etiam si forte post admonitionem legis nostræ, aliquid iisdem eæ feminæ vel donatione vel extremo judicio putaverint relinquendum, id fiscus usurpet. Cæterum si [f] earum qui voluntate percipiunt, ad quarum successionem vel bona jure civili vel edicti beneficiis adjuvantur, capiant ut propinqui. [g] Lecta in ecclesiis romanis IV Kalendas Augusti Vfilentiniano et Valente tertio Augustis consulibus.

[a] In ms. Coislin. desideratur *Valens.*

[b] *Continentium* nomine monachos hic intelligit Hieronymus epist. 2 ad Nepotian. ubi ait : *sacerdotes idolorum, mimi et aurigæ et scorta hæreditates capiunt : solis clericis ac monachis hac lege prohibentur.*

[c] hoc est sæcularibus judiciis, ut liquet ex codice can. eccl. Afric.; tum, cap. 15., quo secundum concilium Carthaginense III, cap. 9 præcipitur, *ut quisquis episcoporum, presbyterorum, diaconorum seu clericorum, cum in ecclesia ei fuerit crimen institutum, vel civilis causa fuerit commota, si relicto ecclesiastico judicio, publicis judiciis purgari voluerit, etiamsi pro ipso fuerit prolata sententia, locum suum amittat* ; tum cap. 104 ubi sancitur : *Placuit ut quicumque ab imperatore cognitionem judiciorum publicorum petierit, honore proprio privetur ; si autem episcopale judicium ab imperatore postularit, nihil ei obsit.*

[d] Nihil hic et infra *vel extremo judicio* sonare aliud videtur, quam quod mox *vel testamento* quod quidem dicitur *extremum judicium*, quia nonnisi extrema voluntate ac morte intercedente valet.

[e] Hic prohibentur *fideicommissa*, quibus Hieronymus huic legi etiam postea illusum fuisse queritur, ut supra observatum.

[f] Hoc est *si qui* (seu *si aliqui*) *earum*. Tum hic, tum in reliqua constitutione ab unarum viduarum donatione percipienda clerici et continentes prohibentur. Hinc quod Ambrosius et Hieronymus locis laudatis generatim de qualibet donatione cujusvis testamento relicta dixisse videbantur, de unarum viduarum donatione intelligendum est. Hoc et ipse Ambrosius in citata epistola clarius significat his verbis : *Quod sacerdotibus fani legaverit christiana vidua, valet ; quod ministris Dei, non valet.* Imo etiam Baronius ecclesiasticis tantum personis, non item ecclesiis hac lege interdictum esse existimat, ne viduarum legata caperent ; eique suffragatur illud Hieronymi epist. 2 ad Nepotianum : *Sit hæres, sed mater filiorum, id est gregissui ecclesia, quæ illos genuit, nutrivit et parit, quid nos inserimus inter matrem et liberos?*

[g] In ms. Coislin. *lecta in ecclesia Rom.* III *kal.*, etc.

ANNO DOMINI CCCLXXVIII VEL CCCLXXXI.

EPISTOLA ROMANI [a] CONCILII SUB DAMASO HABITI AD GRATIANUM ET VALENTINIANUM IMPERATORES.

(*Const. p.* 523.)

Ut exsecutioni prospiciant legis, qua sanxerant, ut de religione religionis pontifex cum consortibus judicaret, et ut sacerdos nulli usquam profani judicis sententiæ facile subjaceret.

1. *Ut quod imperatores jam sponte concesserant, effectu non careat.* — Et hoc gloriæ vestræ, clementissimi principes, pietatisque est illustre documentum, quod innumeri fere ex diffusis Italiæ partibus ad sublime sedis apostolicæ sacrarium congregati, cum quæreremus quid pro ecclesiarum statu poscendum esset a vobis, nihil melius potuimus reperire, quam quod spontanea vestri providentia contulistis. Videmus quod nec rogandi jam pudor esse debeat,

[a] Jac. Sirmondi opera in appendice Cod. Theod. pag. 78, prodiit hæc epistola. Ideo, ut videtur, concilii Romani, non Damasi nomine inscripta est, quia licet huic concilio interfuerit, in eo tamen non sedit ut judex, sed ut innocentiam suam imperatoris sententia jam testatam, etiam sacerdotum judiciis probaret. Ejus nihilominus præcipuus auctor jure

nec [a] impetranda beneficia jam vestra sint, et imperialium series decretorum pro nobis ambiat. Nam quod ad æquitatem petitionis attinet, jam dudum meruimus impetrare quæ poscimus : quod vero ad necessitatem spectat orandi, ita impetratorum caremus effectu, ut iterum impetrare cupiamus. Quod quidem, clementissimi principes, hominum perditorum exponit amentiam, vestræ autem justitiæ munus accumulat, ut in Ecclesia vestra beneficia sæpius conferantur.

2. *Lex de causa religionis judicandi potestatem Rom. pontifici tribuens.* — Namque a principio, divino repleti spiritu, et sanctorum Apostolorum, quorum habetis in vestro honore suffragium, servantes in dominica religione præceptum, statuistis ad redintegrandum corpus Ecclesiæ, quod furor Ursini, qui honorem arripere est conatus indebitum, diversas secuerat in partes, ut auctore [b] damnato, cæterisque, quos ad turbarum sibi incentiva sociaverat, sicut oportebat, a perditi conjunctione divulsis, de reliquis ecclesiarum sacerdotibus episcopus Romanus haberet examen : ut et de religione religionis pontifex cum consortibus judicaret, nec ulla fieri videretur injuria sacerdotio, si sacerdos nulli usquam profani

A Judicis, quod plerumque contingere poterat, arbitrio facile subjaceret.

3. *Legis hujus laus.* — Præclara ista plane et religiosis principibus digna sententia, quæ divino ministerio plurimum deferat, nec pateat errori. Quid enim dignius, quam ut is demum judicet de sacerdotis errato, qui vel internæ conscientiæ favorem sine periculo suo parere se non posse cognoscat; seque reatu implicet, si absolvat indignum, vel si damnet innoxium; qui postremo dum injuriam religionis ulciscitur, non eam in lateribus [c] innocentium, sed accusati quærat in moribus? Quam multos etenim sæpe patuit, quos absolverint judicia, ab episcopis esse damnatos, et quos judicia damnaverint, absolutos? ut melior eorum sit causa, qui non sæcularia judicia, sed divina pensantes, abstulerunt supplicium suum, ne vexarentur innoxii, quam qui vitam suam tormentis innocentium probaverunt. Compluria

B texeremus, tranquillissimi principes, nisi esset injuria asseri magis decreta imperialia, quam teneri.

4. *Ut eadem lex firmetur. Ursinus motus occulte ciet.* — Sed quoniam, licet jamdudum vestræ clementiæ judicio [d] relegatus Ursinus, per eos quos

censeatur. Nemo certe negaverit, quidquid ea petitur, illius saltem instinctu atque consensu postulatum. Merito itaque inter epistolas Damasi locus huic tribuatur.

Illam alii ad annum 381, alii ad exitum anni 378 referunt. Argumenta, quæ primæ opinioni adversentur, quæque postremæ faveant, Labbeus, tom. II conc., pag. 1005, paucis perstringit *. Horum palmare ac præcipuum est, quod in epistolæ hujus titulo, sicut in inscriptione rescripti sequentis, una Gratiani et Valentiniani, non Valentis aut Theodosii nomina annotentur. Unde et epistolam hanc intra illud tem-

pus, quo Valens exstinctus, et Theodosius imperator salutatus est, hoc est intra nonum Augusti anni 378 diem et decimum nonum Januarii anni 379 dictatam esse colligunt.

[a] *Hoc est*, nec jam nobis opus est impetrare.

C [b] Baronius diversa refert Imperatorum in causa Ursini rescripta : primum ad annum 368, quo Ursinus cum sociis ac ministris ab Urbe pellitur, facultate eis relicta, ut *ubicumque voluerint absque religionis injuria, ut peregrinari potius quam exsulare videantur, proprio liceat jure versari :* alterum ad eumdem annum, quo idem imperator Valentinianus Ursino ac sociis indulget, ut qui expulsi fuerant, in Urbem revocentur; severius tamen puniendi, si quid deinceps motus cierent : tertium ad annum 369, quo eorum *extramuraneis conventibus*, unde frequens strepitus excitabatur, prohibitis, sancitur ut *ab his, quos juvat turbulenta sejunctio, nullus intra vigesimum lapidem conventus habeatur*. Præterea quartum ante annum 371, prodiit, a Baronio quidem tacitum, sed ex eo quod postremo loco refert, satis notum, quo Ursinus ejusque consortes, Gaudentius videlicet, Ursus, Rufus, Auxano, Auxanius, Adiedus et Rufus, uno in loco intra Gallias commorari jussi sunt. Quintum demum refert laudatus Cardinalis ad annum 371, quo antecedens præceptum ita mitigatur [e], ut iisdem e Gallia discedendi copia fiat *ea conditione, ne ad urbem Romam vel regiones suburbicarias valeant commanere*. Verum in nullo ex his præceptis ab Ursino divellebantur consortes ejus, aut cum ipso commanere prohibebantur. In singulis et auctori et sociis seu communis pœna, seu communis decernitur indulgentia. At edictum Simplicio datum, quod sub initium epistolæ sequentis memoratur, quodque hic notari prope certum est, a sociis Ursinum divellit, dum hunc in Gallia *cohibet Agrippina secessio*, cæteri vero *ad centesimum Urbis milliare* dumtaxat pelluntur. Simplicius autem anni 374 initio vicarii Urbis munus gerebat.

[c] Ad tormenta respiciunt, quibus accusati aut aliorum latera vexari mos erat : a quo more ecclesiastica judicia abhorrere extremis hujus epistolæ verbis dicitur.

[d] Jam ab anno saltem 370, ut ex edictis proxime

* Hæc sunt Labbei verba : « Concilium Romanum a quo data fuit præcedens epistola anno 281 docuerant Baronius, Sirmondus aliique. Verum eos hisce argumentis refellit : *Primum* ex titulo illius epistolæ sumitur; cum enim nec Valentis nec Theodosii mentionem ullam habeat, post illius deflagrationem ante hujus ad imperium erectionem scriptam fuisse palam est. Periit Valens an. 378, die 9 Augusti; die vero 19 januarii proxime sequentis Theodosius salutatus est Augustus. Unde arguitur vel extremo anno 378, vel ineunte 379, epistolam illam fuisse scriptam. *Secundum*, anno 381 Ursicinum Mediolani Arianis copulatum cum Valente Murcensi eorum signifero consilia miscuisse docent Patres Aquileiensis concilii epistola prima mox edita, col. 998, E. At quo tempore Romana synodus ad imperatores scripsit, eumdem Ursicinum Galliæ coercebat et cohibebat Agrippina secessio longe a Mediolanensi urbe dissita, prout ex ipso imperatorum ad Aquilinum vicarium Urbis rescripto constat supra, col. 1004. *Tertium*, anno 381 vicarium Urbis administrarunt Antidius, ad quem lex C. Theod., lib. IX, tit. 38, c. 7, Julii 21 data, et Potens, ad quem C. Theod., lib. IV, tit. 22, c. 2, Octobris 14 directa, non vero Aquilinus, quem mendose Baronius vocavit vicarium ordinariorum, cum fuerit vicarius Urbis, ut scite pro more annotavit Sirmondus. *Quartum*, quia fundamentum sententiæ contrariæ sponte sua corruit; neque enim Florentius Puteolanus damnatus fuit anno Domini 367, sed anno 372; neque in rescripto imperatorum legendum est supra col. 1004, Post quintum decimum annum, ut habebat ms. cod. quo Baronius et Sirmondus usi sunt, sed, Post quintum demum annum. Hic quippe anno illo 372 synodi judicio damnatus, anno seq. 373 imperatoris jussu Puteolis extrusus, anno 378 exeunte qui post synodi sententiam sextus (sup. col. ead. in ep. concilii Romani), post extrusionem quintus turbas denuo ciere cœpit. Adde quod annus Christi 381, ab Ursicini damnatione decimus quintus iniens, non post decimum quintum dicendus, ut idem annotavit Blondellus. »

illicite sacrilegus ordinavit, vilissimum quemque, occulte licet, sollicitare conatur, eoque exemplo nonnulli episcopi, qui male ecclesiis incubant, usu temeritatis suæ et profani conspiratione contemptus, ne adquiescant Romani sacerdotis judicio, lacessunt; ita ut etiam qui se intelligunt pro meritorum suorum ratione damnandos, vel damnatos esse viderunt, redempta vulgi multitudine, judices suos terrore mortis exagitent, contemptisque cognitoribus vel fugatis, illicitum obtineant sacerdotium : idcirco statuti imperialis non novitatem, sed firmitudinem postulamus. Indignum quippe est, ut conventus quisque adhibita manu eo sit munitior, quo flagitiosior fuerit.

5. *Episcopi depositi ecclesias retinent.* — Sicut [a] Parmensis episcopus, dejectus judicio nostro, ecclesiam tamen retinet impudenter. Damnatus æque Florentius Puteolanus, postea quam dejectus est, cum aures tranquillitatis vestræ inquietasset, atque hujuscemodi rescriptum [b] meruisset, ut si judicio sacerdotum in urbe Roma fuisset depositus, ne vocem quidem in judiciis proferre deberet, post sextum annum repsit ad civitatem, tenuit ecclesiam, multas in oppido Puteolano, de quo dejectus fuerat, seditiones insolentia concitavit.

6. *Restitutus causam dicere jussus præceptum eludit.* — Per Africam quoque Restitutum nomine causam dicere apud episcopos jussit vestra clementia.

A Debuit adquiescere : sed idem sæva et insolentium manu a causæ dicendæ necessitate diffugit.

7. *Claudianus pseudoepiscopus Donatista Romæ nefanda audet.* — Per Africam rursum sacrilegos rebaptizatores nutu Dei præcepistis [c] expelli : sed ab expulsis Claudianus est ordinatus, et ad perturbandam urbem Romam quasi [d] episcopus destinatur. Qui contra Scripturæ præcepta divinæ, contra jura evangelica, vacuos omnes mysteriorum, atque, ut ejus verbum exprimamus, paganos [e] fuisse vel præteriti temporis dicat episcopos, vel præsentis. Quem quidem jussit tranquillitas vestra Roma pulsum patriam repetere propriam. Sed contemptis judiciis, et quidem sæpe constrictus, residet tamen, sollicitans pretio frequenter pauperiores, et redemB ptos rebaptizare non veretur. Spoliat magis eo quod fuerant consecuti, quam tribuit quod manifestum est bis non posse conferri.

8. *Ursinus Isaacum subornat Damasi accusatorem.* — Sic denique factio profecit Ursini, ut Isaac [f] Judæo subornato, qui facto ad synagogam recursu cœlestia mysteria profanavit, sancti fratris nostri Damasi peteretur caput, sanguis innocentium funderetur, componerentur doli, quibus divino plane instinctu providentia vestræ pietatis occurrit, spoliarétur prope ecclesia omnibus ministeriis, ea fraude videlicet, ut dum causam dicit qui in omnes judex fuerat constitutus, nemo esset qui de lapsis, vel certe de factiosis posset episcopatus invasoribus judicare.

recensitis liquet, Ursinus in Gallias relegatus fuerat.

[a] Hic *Portuensis* legendum esse Tillemontius conjectat, hac præsertim ratione, quod Gratianus in rescripto sequenti Simplicium alloquens, quem Romæ præfectum fuisse pro certo habet, Florentium decessoris ejus negligentia Parmensem ecclesiam retinere conqueritur. Atqui, inquit, Parma Æmiliæ civitas erat : Æmilia autem Italiæ, non Romæ præfecto subjacebat. Addit, et in eodem rescripto Florentium eo perniciosiorem dici, quo *urbi inclytæ magis proximus* sit; cum id ipsum de Puteolano episcopo, qui longe vicinior erat, minime dicatur. At quominus eruditi viri conjecturæ concedamus, id maxime prohibet, quod cum epistolam istam sequensque rescriptum e diversis codicibus prodiisse constet, utrobique tamen *Parmensis* legatur. Vix enim fieri potest, ut in uno nomine efferendo librarii diversi diversis in scriptis sic eadem ratione peccent. Ad hæc, observamus Florentium non simpliciter urbi inclytæ proximum, sed *magis proximum* dici, comparate scilicet ad Ursinum et Isaacum; qui quidem cum eorum alter in Gallia, alter in Hispania detineretur, ambo ab Urbe remotiores Florentio erant. Ipso Florentio vicinior quidem erat Puteolanus episcopus : sed idcirco forsan non censebatur perniciosior, quia intra Puteolos se continebat. Forte etiam ad Simplicium hæc pertinuit cura, ut Romani concilii judicium violari non pateretur, ut Florentium in suburbicariis regionibus motus cientem extra earum fines extruderet, ut eumdem Ursino addictum, pœna, quam Imperatores in Ursini socios decreverant, plecteret.

[b] Si hic ipsummet recolitur, quod in epistola sequenti, n. 1, rescriptum Simplicio datum, cum hunc Simplicium initio anni 374 Urbis vicarium exstitisse constet, inde non levis erit conjectura, Florentium C circa annum 373 ab ecclesia sua dejectum, circa anni 378 exitum in eamdem repere cœpisse.

[c] Exstat Gratiani lex Cod. Th., lib. XVI, tit. VI, l. 11, mense Octobri anni 377, ad Vicarium Africæ data, qua qui *Christiani nominis sacramenta sortitos alio rursus baptismate non purificant, sed incestant, jubentur absistere ecclesiis, quas contra fidem retinent, restitutis Catholicæ*. Tum in ipsius serie constitutionis Gratianus parentum, nominatimque Valentiniani, decreta sequi se testatur, ac statim adjungit : *Sed plerique expulsi de ecclesiis, occulto tamen furore grassantur*. Quocirca vel hoc ipsum Gratiani, vel alterum Valentiniani præceptum hic memorati commode intelligatur.

[d] Hujus Claudiani, et eorum quibus successerat, Optatus aliquanto post initium libri II, mentionem facit. Ille Romæ Donatistis præerat, cum idem Optatus opus suum lucubraret. Ab eo dicti videntur Claudianistæ, ab Augustino, tum in libro IV contra D Cresconium, c. 9, tum in concione 2 in psal. XXXVI, n. 20, memorati.

[e] Is non unius Claudiani, sed cæterorum etiam ejusdem sectæ mos erat, ut alibi quam apud se baptizatos, paganos vocarent. Eos generatim Optatus, lib. III, post med. sic alloquitur : *Jam illud quale est, quod hominibus Christianis etiam clericis dicitis : Estote Christiani; et cum admiraculo quodam unicuique dicere : Cai Sei, aut Caia Seia, adhuc paganus es aut pagana? . . . Si aliquid Christianus, quod absit, unusquisque deliquerit, peccator dici potest, paganus iterum esse non potest.*

[f] Non alius putatur iste Isaac ab eo, qui a Gennadio inter ecclesiasticos scriptores, c. 26, est recensitus, et cujus librum de Trinitate et Incarnatione Jac. Sirmondus anno 1630, in lucem emisit.

9. *Damasus insons probatur : Isaac calumniæ pœnas luit. Judicio ecclesiastico resistens quo pacto coercendus.* — Quia igitur vestræ judicio tranquillitatis probata est innocentia memorati fratris nostri Damasi, integritas prædicata est, Isaac quoque ipse, ubi ea quæ detulit probare non potuit, meritorum suorum sortem [a] tulit : quæsumus clementiam vestram, ne rursus in plurimis causis videamur onerosi, ut jubere pietas vestra dignetur, quicumque vel ejus, vel nostro judicio, qui catholici sumus, fuerit condemnatus, atque injuste voluerit ecclesiam retinere, vel vocatus [b] a sacerdotali judicio per contumaciam non adesse, seu ab illustribus viris præfectis prætorio Italiæ vestræ, sive a Vicario accitus ad urbem Romam veniat : aut si in longinquioribus partibus hujusmodi emerserit quæstio, ad metropolitani per locorum judicia deducatur examen : vel si ipse metropolitanus est, Romam necessario, vel ad eos quos Romanus episcopus judices dederit, contendere sine dilatione jubeatur : ita ut qui depositi fuerint, ab ejus tantum civitatis finibus segregentur, in qua gesserint sacerdotium, ne rursus impudenter usurpent quod jure sublatum sit. Certe si vel metropolitani, vel cujusce alterius sacerdotis suspecta gratia vel iniquitas fuerit, vel ad Romanum episcopum, vel ad concilium certe quindecim [c] episcoporum finitimorum ei liceat provocare. Quicumque vero ita meruerit excludi, sileat et quiescat ; et si Dei judicium non veretur, minus tamen peccare vel necessitate cogatur : ut saltem de cætero pacifici atque concordes serenitati vestræ congruas apud Dominum nostrum referre gratias possimus.

10. *Damaso uti licuisse jure, quo sacerdotum causa judiciis sacerdotum attribuitur.* — Memoratus frater noster Damasus, quoniam in sua causa vestri tenet insigne judicii, non fiat inferior his, quibus etsi æqualis est munere, prærogativa tamen apostolicæ sedis excellit, ut judiciis publicis [d] videantur esse subjecti, quibus sacerdotale caput lex vestra summovit. In quo post sententiam non videtur declinare judicium, sed delatam a vobis honorificentiam flagitare. Nam quod ad leges publicas pertinet, quæ potest esse vita munitior, quam vestra clementia qua innititur [e] judicata? Quod vero ad prædicandam episcopi conscientiam [f], severioribus se dedit ipse judiciis sacerdotum, a quibus non nominis, sed etiam morum ratio pensatur, ne quis iterum calumniator exsistens, dum memoratum conatur appetere, virum quidem ipsum non queat lædere, quem innocentia sua munit ; religioni tamen fiat injuria in vexationibus ministrorum.

11. *Ut episcopus Romanus aut apud suum aut apud imperiale concilium se defendat. Judici facta inquirere, non de iis sententiam ferre liceat. A tormentis abhorret*

[a] In remotum scilicet Hispaniæ angulum, ut Gratianus in epistola sequenti, n. 2, loquitur, deportatus vi legum illarum, quas a parentibus latas, Gratianus anno 385, data constitutione, quæ Cod. Th., lib. IX, tit. XXXIX, leg. 2, habetur, confirmavit his verbis : *Nostris et parentum nostrorum constitutionibus comprehensum est*, etc. *Ideo calumniosissimum caput et personam judicio irritæ delationis infamem deportatio sequatur, quo posthac singuli universique cognoscant, non licere in eo principum animos commovere, quod non possit ostendi.*

[b] Sequens epistola, n. 6, hunc confirmans locum, ita illum repetit : *qui evocatus ad sacerdotale judicium per contumaciam non ivisset.* Ex quo etiam hic *ad sacerdotale judicium* legendum esse conjectura est : nisi quis, sublata præpositione *a*, malit *sacerdotali judicio* in dandi casu, quod ad verbum *adesse* referatur.

[c] Carthaginensis II concilii canon 10, Codici can. Eccl. Afric. c. 12, insertus, etiam ad primam causæ cujuslibet episcopi cognitionem decernit *secundum statuta veterum conciliorum, ut si quis episcopus in reatum aliquem incurrerit, et fuerit ei nimia necessitas non posse plurimos congregari, ne in crimine remaneat, a duodecim episcopis audiatur.* Quem morem etiam ab Ecclesia Romana teneri consuevisse Nicolaus I, epist. ad Salomonem regem, prolatis decessorum suorum Leonis II et Benedicti III testimoniis confirmat. His Gregorium I, lib. V, Ind. 13, epist. 53, et alios adjicere potuisset.

[d] Mallemus, *videatur esse subjectus*. Ambrosius, epist. 21 ad Valentinianum juniorem, n. 2, Valentiniani senioris laudat legem, qua iste imperator sanxit, *in causa fidei vel ecclesiastici alicujus ordinis eum judicare debere, qui nec munere impar sit, nec jure dissimilis* (*hæc enim verba rescripti sunt*), *hoc est, sacerdotes de sacerdotibus voluit judicare. Quin etiam si alias quisque argueretur episcopus, et morum esset examinanda causa, etiam hæc voluit ad episcopale judicium pertinere.* Quam legem a concilio Romano hic indicari eo probabilius videatur, quod ipsius legis verbis, *nec munere impar sit, nec jure dissimilis*, quodam modo respondeant ista concilii, *æqualis est munere, prærogativa tamen sedis apostolicæ excellit.* Nec repugnat quod Ambrosius legem laudet quam Valentiniano adscribit, concilium vero legem hic indicet quam tribuit Gratiano. Nihil enim vetat, quominus eadem lex, quæ utriusque nomen præ se ferebat, et Valentiniano seorsim ab Ambrosio dum ipsius filium alloquebatur, et seorsim Gratiano a concilio in precibus quas ei offerebat, tribueretur. Quamquam et in collectaneis, quæ Coislinus codex nono sæculo exaratus asservat, aliam ea de re legem nactus sum in hunc modum laudatam : *Gratianus, Valentinianus et Theodosius constituerunt, ne quis audeat apud judices publicos episcopum accusare, sed in episcoporum audientiam perferre non differat quidquid sibi pro qualitate negotii putat posse competere, ut in episcoporum aliorum judicio quæ adserit contra episcopum debeant definiri.* Si autem hanc legem nunc a Romano concilio commemorari judicaretur, eorum, qui epistolam hanc ante quam Theodosius imperium iniisset scriptam putant, fundamentum rueret. Porro de lege mox laudata Valentinianus III, Novella anno 452 data, tit. 12, derogavit.

[e] Hoc est, quam vita ejus, qui ab ipso imperatore judicatus et absolutus fuit. Nihil enim eam post hujusmodi judicium possunt publici judices.

[f] Idem verbum *pertinet* in illis, *quod ad leges publicas pertinet*, expressum, in istis, *quod vero ad prædicandam episcopi conscientiam*, subauditur. Incirco et interpunctionem prius vulgatam, qua concilii sententia prorsus confundebatur, mutamus. Concilium illud si ejus hoc in loco verba probe assequimur, Damasum quidem Gratiani sententia absolutum causæ ejusdem cognitionem ecclesiastico judicio permisisse non diffitetur : sed ne hac agendi ratione de imperatoris auctoritate nonnihil derogasse videatur, ipsius factum nunc imperatori excusat.

sacerdotis religio. — Accipite aliud quoque, quod vir sanctus vestræ magis conferre pietati, quam sibi præstare desiderat, nec derogare cuiquam, sed principibus arrogare; quoniam non novum aliquid petit, sed sequitur exempla majorum : ut episcopus Romanus, si concilio ejus causa non creditur, apud concilium se Imperiale defendat. Nam et Silvester papa a sacrilegis accusatus, apud parentem vestrum Constantinum causam propriam prosecutus est. Et de Scripturis similia exempla [a] suppeditant : quod cum a præside sanctus apostolus vim pateretur, Cæsarem appellavit, et ad Cæsarem missus est (*Act.* xxv, 11 *et* 12). Certe prius examinet causam vestra clementia, et si emerserit quæstio, interroganda distinguat : ut quemadmodum dudum estis censere dignati, factorum a judice ratio quæratur, non arbitrium sententiæ vindicetur. Ita enim fiet, ut nulli perdito vel infami aut accusandi summi sacerdotis, aut testificandi in eum facultas pateat illicita : si quidem non modo in episcopum, sed ne in presbyterum quidem, accusationem facile suscipiendam, nisi idoneis testibus, lectio sancta præscribat (I *Tim.* v, 19). Neque enim vel inimico, vel calumniatori, vel istiusmodi viris, quales nuper insimulatores patuit exstitisse, tribuenda misericordia est, quorum vita non mereatur fidem, tormenta abhorreat religio sacerdotis.

ANNO DOMINI CCCLXXX.

[b] RESCRIPTUM GRATIANI AUGUSTI AD AQUILINUM VICARIUM URBIS,

Quo id omne prope conceditur, quod superiori epistola petitum est.

(*Const. p.* 330.)

Gratianus et Valentinianus Augusti Aquilino vicario.

1. *De neglectis præceptis Gratianus queritur. Edicta adversus Ursinum jam ad Simplicium data.* — Ordinariorum sententiæ judicum, aut quæ temporum limes, aut contumaciæ pronuntiatio, aut habitum coram [c] patribus sanxit examen, nec a mediocri auctoritate labefactari atque convelli, nec a potentioribus, nec impudentibus pertimescunt. Nostra præcepta, per vestram negligentiam destituta, quæ tandem poterit firmare sententia? quam quidem, dum despicitis, non excitetis ut longæ tolerantiæ in desperatos sumat effectum, et officium metus cogat agnosci. At nonne absurdius est quod Ursini jussit amentia, quam quod serenitas nostra mitibus persuasit [d] edictis, ut omnes qui impios cœtus profanata religione tentarent, vel ad centesimum Urbis milliare pellerentur, ubi pertinax furor ab obsequentibus destitutus in ejus tantum perniciem rueret, qui solus erraret; et ut condemnati judicio recte sentientium sacerdotum, reditum postea vel ad ecclesias quas contaminaverant non haberent, vel redintegrationem judicii frustra a nobis impudenti pervicacia precarentur? Repetat laudanda et spectata tua sinceritas, quales ad virum clarissimum Simplicium quondam vicarium [e] litteras clementia nostra transmiserit, et desinat iterationem sperare mandati : quia pigendus mansuetudinis nostræ pudor est instaurare præceptum.

2. *Ecclesiam turbant, Ursinus, Parmensis episcopus, Florentius Puteolanus.* — Ursinum quidem Gallia coercet, et ne motus aliquos inquietos exerceat cohibet [f] Agrippina secessio : quem tamen ipsum per occursantes [g] obtundentem sæpius, quam monentem, ad hoc ut sequentes abjiceret, audivimus. Isaacem

[a] *Id est*, suppetunt.

[b] Hoc rescriptum Baronius in Vaticano codice inventum, ac deinde cum altero exemplari collatum, ecclesiasticis annalibus ad annum 381 inseruit. Huic superior concilii Romani epistola occasionem dedit. An ad ipsummet concilium rescripserit Gratianus, ignoratur. Idem argumentum ex inscriptione petitum, in qua nec Valentis nec Theodosii nomen comparet, unde proximam synodi epistolam intra mensem Augustum anni 378 et Januarium anni 379 scriptam esse eruditi colligunt, etiam hic valet, quo rescriptum istud eodem intervallo datum conjiciamus.

[c] *F. partibus.*

[d] Edicta illa, ac forte hoc ipsum rescriptum, ab Honorio Cod. Th., lib. XVI, tit. II, leg. 33, laudantur in hunc modum : *Quicumque residentibus sacerdotibus fuerit episcopali loco detrusus et nomine, si aliquid vel contra custodiam vel contra quietem publicam moliri fuerit deprehensus, rursusque sacerdotium petere a quo videtur expulsus, procul ab ea urbe, quam infecit, secundum legem divæ memoriæ Gratiani, centum millibus vitam agat; sit ab eorum cœtibus separatus, a quorum est societate discretus, sitque hujusmodi personis tenore hujus legis illicitum, sacra nostra adire secreta, et impetrare rescripta.* Nec assentiendum videtur Godefrido, qui hic legem ab Honorio memorari putat, quam Gratianus post Cæsaraugustanum concilium in causa Priscillianistarum edixerit. Gratiani enim legem eorum causa latam, de quibus superior synodus Romana conqueritur, ab Honorio laudari, longe est probabilius. Quod ut manifestius fiat, hic adjicienda sunt quæ Honorius apud Sirmondum app. Cod. Theod., pag. 6, ubi ejus constitutio amplior legitur, verbis proxime relatis præmittit in hunc modum : *Suggerentibus episcopis didicimus, quosdam sacerdotes Christianæ legis, quorum delicta cœtu episcopali et deprehensa fuerint, et eorum sententia vindicata, in sinu earum urbium, in quibus talia commissa sunt, permanere, et quærere turbas populi convocare, turbatores quietis exsistere, tumultus popularis auctores innocentes se post judicium dicere, plebem colligere, et velut adhuc episcopos salutari, comitatum sacrum petere, mereri mendaciis oracula et furtiva rescripta.* Sane cum iis quæ concilium Romanum in superiori epistola exponit, nihil potest hac præfatione convenientius cogitari. Porro id certum occasione Ursini et sociorum, Gratianum præcepisse, ut episcopi sacerdotali judicio dejecti, procul ab urbe quam infecissent, centum millibus vitam agere cogerentur.

[e] Eum mense Martio anni 374, hoc munere functum esse liquet ex Cod. Th., lib. IX, tit. XXIX, leg. 1. Jam vero ab anno 376 capitis pœnas dederat.

[f] Labbeus ad marginem notat id factum anno 378, hoc est eo ipso anno, quo rescriptum istud datum censet. At ex verbis superioris epistolæ, tum num. 2, ubi Ursinus damnatus et ab iis quos sibi sociaverat divulsus dicitur, tum num. 4, ubi etsi *jamdudum relegatus*, id nihilo minus per suos conari denuntiatur, ut turbas cieat, colligere est eam hic potius memorari relegationem, qua Ursinus anno 374, litteris ad Simplicium datis mulctatus sit.

[g] Mallemus *obtendentem* seu *obtinentem sæpius quam moventem* : adeo ut imperatores inquietas notent Ur-

remotus Hispaniæ angulus titulo damnationis inclusit, non bene capiti [1] consultum, si quid turbarum vesanus agitaverit. Parmensis episcopus eo perniciosior, quod inclytæ urbi [a] magis proximus, et imperitorum multitudinem magis exagitat, et Ecclesiam, de qua judicio sanctorum præsulum dejectus est, inquietat, inanem videlicet gloriam sententiæ gravioris exspectans. Quem, si quid decessor tuus devoti vigoris habuisset, protinus ultra fines debuisset extrudere. Et Florentius Puteolanus, post damnationem quam recto judicio convictus accepit, mansuetudinem nostram inquietare conatus, dignum tulit in progressione responsum. Post [b] quintum decimum annum Ecclesiam, de qua extrusus fuerat, rursus contaminare conatur : congressiones illicitas facere molitur, egentemque consilii multitudinem, perditi animi persuasione depravat. Nostrorum videlicet judicum socordia fretus, qui privatæ gratiæ imperialia præcepta condonant, et religionem, quam nos jure veneramur, quam fortasse ipsi negligunt, inquietari patienter accipiunt.

3. *Claudianus Donatista.* — Claudianus etiam ab his, qui contra divina præcepta [c] vitia religionis instaurant, ab his, inquam, quos expelli jusseramus, accitus, quasi parum facinoris aggressus esset, si in Africa perstitisset, Romæ sese dicitur [2] intimasse : falsusque præceptor vel expertes [3] adhuc devio profanare mysterio, vel jam initiatos ex integro nititur flagitio majore corrumpere : cum religionis sanctissimæ disciplinam non cumulet iteratio, sed evertat. Quem nos Claudianum dissimili pœna ac meruit prosequentes, repetere tantummodo patriam hactenus, remota severitate, præcepimus. Sed residere etiam nunc dicitur imperitos sollicitans, et cassam omnino mercedem requirens, perdit animas corporum redemptorum.

4. *Damasi innocentia Valentiniano I probata.* — Hinc illi insectatores sanctissimæ sedis, non solum Dei numine, quod satis erat, sed etiam judiciorum examine exploratum mentis sanctissimæ virum, ut etiam divo patri Valentiniano est comprobatum, turpissimis calumniis episcopum Damasum inquietare non veriti, postquam desperaverunt posse percelli, populum pro quo ille divinitati obsecs est inquietant. Sed hactenus stertit iners dissimulatio judicantium, nec est admonere necesse, quo possit sanctio contempta procedere : hactenus, inquam, stertit apparitorum supina desidia.

5. *Turbarum auctores ult. C. millia ab Urbe pellendi.* — Post hæc nisi omnes, ut nominatim jussionis nostræ summa complectitur, vel quos turbas istiusmodi molientes sanctorum episcoporum concilia consensu ostenderint, ultra centesimum milliarium ab Urbe depuleris, atque earum civitatum finibus extorres esse præceperis, quarum plebem vel ecclesias, vel per se, vel per simile sui vulgus exercent, præter æstimationis injuriam, cujus apud bonos non levis jactura est, piaculum neglectæ sanctionis incurres.

6. *Judiciorum ecclesiasticorum ordo, quo contumaces reprimantur.* — Volumus autem, ut quicumque judicio Damasi, quod ille cum consilio quinque vel septem habuerit episcoporum, vel eorum, qui catholici sunt, judicio vel concilio condemnatus fuerit, si [d] injuste voluerit ecclesiam retentare, ut qui evocatus ad sacerdotale judicium per contumaciam non ivisset; [e] aut ab illustribus viris præfectis prætorio Galliæ atque Italiæ, sive a proconsulibus, vel vicariis, auctoritate adhibita, ad episcopale judicium remittatur, vel ad urbem Romam sub prosecutione perveniat : aut si in longinquioribus partibus alicujus ferocitas talis emerserit, omnis ejus causæ dictio ad metropolitæ in eadem provincia episcopi deducatur examen; vel si ipse metropolitanus est, Romam necessario, vel ad eos quos Romanus episcopus judices dederit, sine dilatione contendat; ita tamen ut quicumque [f] dejecti sunt, ab ejus tantum urbis finibus segregentur, in quibus fuerint sacerdotes. Minus enim graviter meritos coercemus, et sacrilegam pertinaciam lenius quam meretur ulciscimur. Quod si vel metropolitani episcopi vel cujuscumque sacerdo-

[1] *Forte* consulturum.

[2] *Forte* insinuasse.

[3] *Supple* baptismi.

sini molitiones, de quibus admoniti fuerant his superioris epistolæ n. 4, verbis : *Relegatus, per eos quos illicite sacrilegus ordinavit, vilissimum quemque, occulte licet, sollicitare conatur.*

[a] Num et Mediolanum, ob sedem quam imperatores Occidentis habere in ea solebant, *inclytæ urbis* nomine intelligere licet? Sed si vult usus ut hoc de Roma interpretemur, huic urbi, ut jam observavimus, Florentius Isaace et Ursino *magis proximus* erat. Mox *sententiæ gravioris* vocabulis imperiale judicium, vel sententiam judicum ab imperatoribus datorum, intelligenda esse suadent hæc num. 1 : *ut condemnati judicio recte sentientium sacerdotum..... redintegrationem judicii frustra a nobis impudenti pervicacia precarentur.*

[b] In epistola superiori n. 5, legimus : *Post sextum annum repsit ad civitatem.* Unde hic, *post quintum decimum annum*, restituendum esse Blondellus merito observavit : adeo ut quod in superiore epistola nonnihil, ut sæpe fit in hujusmodi causis, exaggeratum fuerit, nunc imperatores corrigant et accuratius enuntient.

[c] Nihil prope ambigimus, quin hic legendum sit *mysteria religionis*, quæ scilicet in baptismi præsertim collatione peraguntur. Unde Romanum concilium in proxima epistola num. 7, cum Claudiano ipso expostulat, quod episcopos catholicos *vacuos omnes mysteriorum* dicat. Is igitur notatur accitus a Donatistis, qui baptismum renovare atque iterare non timent.

[d] Apud Baron. *si juste* : male, ut ex epistola superiori, n. 9, liquet. Mox pro *ut qui*, magis placeret, *vel qui.*

[e] Apud eumdem, *ut ab*, et mox, *vel vicariis ut ad urbem Romam sub prosecutione perveniat.*

[f] Sirm. et Lab. ut apud Baron. *detecti*, et mox solus Lab. *orbis finibus.* Istud epistolæ superioris num. 9 : *ut qui depositi fuerint, ab ejus tantum civitatis finibus segregentur*, dubitare non sinit, quin restituendum fuerit *dejecti*; adeo ut *dejecti* hic idem sit, quod illic *depositi*; nec minus certo evincit, deinde vocem *orbis*, loco *urbis*, mendose apud Lab. irrepsisse.

tis iniquitas est suspecta, aut gratia : ad Romanum episcopum vel ad concilium quindecim episcoporum finitimorum accersitum liceat provocare : modo ne post examen habitum quod definitum fuerit integretur.

7. *Qui adversus episcopum non facile audiendi.* — Jam vero illud, quod in negotiis quoque rerum minorum et in levibus causæ dictionibus animis nostris justitia naturalis inseruit, multo diligentius in causis justissimis volumus convalescere : ne facile sit cuiquam prædito notabili pravitate morum, aut infami [a] calumnia notato, personam criminatoris assumere, aut testimonii dictionem in accusationem episcopi profiteri [b].

[a] Hoc est, cui infamis nota calumniatoris inusta est. Quippe calumniatorem Gratianus Cod. Th. lib. IX, tit. XXXIX, leg. 2, *infamem* declarat.

[b] Rescriptum hoc integrum non esse jure suspicemur. Nam quidquid petierat concilium Romanum, eo ordine quo postulatum fuerat, imperatores recensent atque confirmant. Ubi vero venitur ad causam Damasi, in cujus maxime gratiam concilium ad ipsos scripserat, repente silent. Ea sane, quæ tam religiose concedunt, non permittunt ut episcopos in hac una re repulsam passos esse, aut imperatores tam pios nullam hujus repulsæ causam indicasse credamus.

ANNO DOMINI 381.

EPISTOLA [a] AQUILEIENSIS CONCILII AD GRATIANUM IMPERATOREM.

(D. Coust. col. 551.)

Ne Ursinum sibi patiatur obrepere, sed importunissimi hominis abjectione paci Ecclesiæ prospiciat.

Imperatoribus clementissimis et principibus Christianis, gloriosissimis ac beatissimis Gratiano, Valentiniano, et Theodosio sanctum concilium quod convenit [b] Aquileiæ.

I. *Imperiali decreto Ariana lues compressa.* — Provisum est quidem, clementissimi principes, vestræ tranquillitatis [c] statutis, ne Arianorum perfidia ulterius possit latere vel serpere. Etenim effectum concilii decretis putamus minime defuturum. [d] Nam quantum ad partes spectat Occidentis, duo tantum [e] reperti sunt, qui auderent profanis et impiis vocibus obviare concilio, [f] vix angulum Ripensis Daciæ turbare consueti.

II. *Ne sinat imperator Ursinum sibi obrepere.* — Aliud est quo magis angimur, de quo, quoniam convenimus, fuit [g] rite tractandum, ne totum corpus posset Ecclesiæ toto orbe diffusum et universa turbare. Nam licet frequenter [h] compererimus Ursinum non potuisse obrepere pietati vestræ, quamvis quietum nihil esse patiatur, et inter tot bellicas necessitates obreptio importuna tentetur : tamen ne sancta mens vestra animique tranquillitas, quæ omnibus consulere gestit, importuni hominis simulata adulatione flectatur, deprecandos vos et obsecrandos, si dignanter ducitis, æstimamus : non solum præcaventes futura, sed etiam præterita, quæ jam ipsius temeritate gesta sunt, perhorrescentes. Nam si aliquam viam nactus fuerit audaciæ, quid non ille confundat ? Sed si unius [i] miseratio inflectere potest ; multo magis vos precatio omnium moveat sacerdotum. Quis enim nostrum ei communionis societate jungetur, cum indebitum sibi gradum usurpare conatus sit, nec jure ad eum potuerit pervenire ; et quem importune affectavit, importunissime repetere moliatur ?

[a] In appendice cod. Th. quam Jac. Sirmondus anno 1631 edidit, exstat, non ab eo tamen primum, ut Labbeus existimavit, vulgata, cum antea in Romana operum S. Ambrosii editione lucem vidisset. Non indignam putamus, quæ inter epistolas Damasi locum obtineat, cum in gratiam ipsius contra Ursinum scripta sit. Ex Ambrosii et Sirmondi editionibus simul collatis castigatior prodit.

[b] Scilicet III nonas Septembris, Syagrio et Eucherio consulibus, hoc est III die mensis Septembris anni 381, ut in fronte Gestorum apud Ambrosium legitur, et quidem auctoritate rescripti imperialis, quod iisdem actis præmittitur, convenerat.

[c] Hoc edictum eorumdem imperatorum nominibus prænotatum, ac die 27 mensis Februarii anni 380, datum Cod. Th. lib. XVI, tit. 1, leg. 2, habemus : *Cunctos populos, quos clementiæ nostræ regit temperamentum, in tali volumus religione versari, quam divinum Petrum apostolum tradidisse Romanis religio usque nunc ab ipso insinuata declarat, quamque pontificem Damasum sequi claret, et Petrum Alexandriæ episcopum*, etc. Altera ibid. tit. V, leg. 6, eorumdem imperatorum refertur constitutio nono Januarii die anni 381, consignata, qua præcipitur, ut *nullus hæreticis mysteriorum locus, nulla ad exercendam animi obstinationis dementiam pateat occasio, et ut cunctis orthodoxis episcopis, qui Nicænam fidem tenent, catholicæ ecclesiæ reddantur.* Hinc concilii hujus Aquileiensis Patres apud Ambrosium epist. XII, n. 1, imperatoribus gratias agunt, quod *omnes Ecclesiæ Dei, maxime quæ per Orientem, Catholicis restitutæ sint.*

[d] In prisca Ambrosii editione Rom. hic additur, *nec id temere* : quod regii ms. auctoritate in novissima expunctum. Apud Sirmondum vero pro, *Nam quantum*, habetur, *Sed tamen quantum.*

[e] Hos idem concilium apud Ambros. epist. X, ad Gratianum, n. 2, appellat, ac de iis sic scribit : *Nec ulli de hæreticis episcopi sunt reperti, nisi Palladius et Secundianus, nomina vetustæ perfidiæ.* Et il quidem, ut apud Ambros. epist. IX, n. 2, narratur, *debitam præsentes excepere sententiam, super impietate convicti.*

[f] Sirm. *juxta angulum.* Concinnius edit. Ambros. *vix angulum.* In epistola ad Theodosium inter Ambrosianas XII, n. 1, legere est : *In Occidentalibus partibus XVI duo hæretici, qui obviare possint sancto concilio, sint reperti ;* et n. 3 : *Equidem per Occidentales partes duobus in angulis tantum, hoc est in latere Daciæ Ripensis ac Mœsiæ, fidei obstrepi videbatur.*

[g] Particula *rite* apud Sirm. desideratur.

[h] Apud Ambros. *convenerimus.* Magis placet cum Sirm. *compererimus.* Id vero compertum illis erat tum variis exsiliis, quibu Ursinus punitus fuerat, in Gallias tandem intra Agrippinam relegatus, ut alibi in Rescripto præcedenti legimus, tum ipsius Gratiani judicio, quo Damasi innocentia et integritate probata, accusatorem ejus Isaacem in Hispaniam amandavit, uti epist. rom. conc. ad Grat. et Valent., n. 8, et in Rescripto cit., n. 2, docemur.

[i] Ursini videlicet, cujus precibus ne imperatorum miseratio commoveatur timent, experti eum identidem ab illis exsilii **relaxationem seu remissionem quamdam impetrasse.**

III. *Ursinus Arianis copulatus.* — Turbarum toties damnatus, [a] incedit adhuc quasi præteritis non perhorrescendus exemplis. [b] Quid quod, plerique sicut in hoc concilio cognovimus et vidimus, cum Arianis copulatus atque conjunctus erat eo tempore, quo turbare Mediolanensem Ecclesiam cœtu detestabili moliebantur, cum [c] Valente nunc ante synagogæ fores, nunc in Arianorum domibus, miscens occulta consilia, et suos eis jungens; et, quoniam ipse aperte in eorum congregatione prodire non poterat, instruens et informans quemadmodum pax Ecclesiæ turbaretur? [d] Quo furore sperabat, quod eorum posset fautores et socios emereri.

IV. *Devitandus est.* — Cum igitur scriptum sit, *Hæreticum post unam correptionem devita* (*Tit.* III, 11); cum et alius vir sancto locutus Spiritu dixerit, declinandas hujuscemodi bestias (II *Joan.*, 10), nec salutatione recipiendas atque congressu: quomodo fieri potest, ut eum quem societati eorum insertum vidimus, non etiam assertorem perfidiæ judicemus? Quod etiamsi deforet, tamen totius orbis Romani caput Romanam Ecclesiam, atque illam sacrosanctam fidem Apostolorum ne turbari sineret, obsecranda fuit clementia vestra; inde enim et in omnes venerandæ [e] communionis jura dimanant.

A Et ideo petimus et rogamus, ut [f] obripiendi ei adimere dignemini facultatem.

V. *Ut importunissimi hominis objectione paci Ecclesiæ consulatur.* — Scimus clementiæ vestræ sanctum pudorem. Ne auditu vestro indigna ingerat, non aliena ab officio et nomine sacerdotis interstrepat, non inverecunda vobis loquatur, quem cum habere oportuerit testimonium etiam ab iis qui foris sunt, (I *Tim.* III, 7), quali testimonio et cives proprii prosecuti sint, clementia vestra meminisse dignetur. Pudet enim dicere, inverecundum est recensere, quam [f] turpis fama eum convicio sauciaverit. Quo saltem pudore perstrictus conticescere debuisset: et si haberet aliquam conscientiam sacerdotis, pacem Ecclesiæ concordiamque ambitioni suæ et stu-
B dio præoptaret. Verum longe alienus ab omni verecundia, per abscisum hominem Paschasium signiferum furoris sui missis litteris, ferit turbas, gentiles quosque ac perditos homines concitare conatur. Oramus ergo, ut jam et populo Romano, qui post relationem præfecti Urbis [g] pendet incertus, et nobis sacerdotibus securitatem interdictam importunissimi hominis abjectione tribuatis: quo impetrato, apud Deum omnipotentem Patrem, et Christum [h] Dominum ejus filium, gratias jugi continuatione celebremus.

[f] Al. *obrependi.*

[a] Sirm. *incessit tamen quasi.*

[b] In edit. Ambros. *Qui plerumque sicut*, et infra *moliebatur*, pro *moliebuntur*. Quæ hic narrantur, quo tempore contigerint, unis conjecturis assequi licet. C Baronius ad annum 371 Valentiniani rescriptum refert, quo Ursini in Gallias ita mitigatur exsilium, ut quocumque abscedendi potestas ei fiat, modo *ne ad urbem Romam vel certe suburbicarias regiones pedem inferat, neque nequitiæ suæ contagionem conetur infundere.* Anno autem 374, ut in epist. cit. Rom. Conc., n. 2, not. *b*, observavimus, Ursinus Gratiani rescripto in Gallias Agrippinam amandatus est. Unde conjectura est, eo intervallo quod inter utrumque rescriptum excurrit, maximeque post excessum Valentiniani, Ursinum sese Mediolanum recepisse, ac tunc temporis, ea quæ modo narrantur contigisse. Quod si ita est, Valens Petavionensis episcopus ab anno 375 Italiam turbare cœperit, nec nisi hoc anno 381 desiterit oportet. Certe Aquileiense concilium apud Ambrosium epist. X, n. 10, a Gratiano petit ut pseudo-episcopus ille *domum repetat suam, non contaminet florentissimæ Italiæ civitates, qui nunc illicitis ordinationibus consimiles sui sociat sibi, et seminarium quærit suæ impietatis atque perfidiæ per quosque perditos derelinquere, qui episcopus esse nec cœpit.* Si D etiam his Hieronymi verbis supra epist. X, n. 4: *Cum Ambrosio societur Auxentius*, junior intelligatur Auxentius, hunc adulterinum episcopum ab eodem Valente ordinatum fuisse merito conjecemus.

[c] Apud Ambrosium epist. X, *n.* 9, hæreticus iste Julianus Valens nuncupatur, diciturque n. 10, *primo Petavione superpositus sancto viro Marco, sed dejectus a plebe* Mediolanum inequitasse. Ibi et de perditis ejus moribus plura videsis.

[d] In edit. Ambros. *quorum furore respirabat quod.*

[e] Sirm. *commonitionis.* Rectius Ambros. edit. *communionis.* Hoc dicitur eo sensu, quo Cyprianus edit. Pamel. epist. LV, post med., Romanam Ecclesiam vocat *Ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exoria est*: observatque lib. de Unitate Eccl. Christum, *ut unitatem manifestaret, unam cathedram constituisse et unitatis ejusdem originem ab uno* (Petro) *incipientem constituisse.* Quocirca ecclesiasticæ unitatis centrum et catholicæ communionis fons et origo semper Ecclesia Romana credita est.

[f] Magis placeret *turpi*, scilicet *convicio.*

[g] Anno 381 præfectus Urbis Valerianus annotatur Cod. Th. lib. VI, tit. 10, leg. 2, et tit. 26, leg. 2.

[h] Ambros. Edit. *Dominum Deum gratias.*

ANNO DOMINI 385.

[a] EPISTOLA MAXIMI IMPERATORIS AD SIRICIUM PAPAM.

(D. Coust., col. 640.)

Maximus catholicæ fidei curam pollicetur. Spondet et Agricii, quem Siricius ad presbyterii gradum indebite provectum scripserat, causam in synodo examinandam esse. Suum denuo profitetur pro catholica

[a] Primum Romæ inter pontificias epistolas e vetusto Vaticanæ bibliothecæ codice edita est, atque inde a Baronio ad exitum anni 387 relata. Eam potius ad annum 385 attinere Tillemontius arbitratur. Et ea quidem rescripsisse videtur Maximus litteris, quibus Siricius paulo post initum Ecclesiæ regimen Maximum ad catholicæ fidei defensionem cohortatus esset. Deinde quod Maximus de concilio omnium episcoporum ex Galliis seu ex quinque provinciis congregando eloquitur, indicio est nihildum enim de bello, quod sibi a Theodosio immineret, et in quo anni 388 Augusto mense victus atque interemptus est, quidquam suspicatum esse. Ipse Baronius id, quod num. 4 *de Manichæis proxime proditum* dicitur, de

fide studium; ac mittit gesta, quibus recens prodita sunt Manichæorum seu Priscillianistarum scelera.

Victor Maximus perpetuus triumphator Augustus domino vere sancto [a] apostolico viro Siricio episcopo salutem.

I. *Siricii litteræ ipsius dignitati congruæ.* — Accepimus litteras Sanctitatis tuæ, quæ nobis fuere gratissimæ, quæque plane et nomini sacerdotis, et dignitati Urbis splendidissimæ convenirent. Fidei vero catholicæ, de qua clementiam nostram consulere voluisti, quo majus circa me et speciale judicium divinitatis experior, hoc me confiteor curam habere majorem; qui videlicet ad imperium ab ipso statim salutari fonte conscenderim, et cui in omnibus semper conatibus atque successibus Deus fautor adfuerit, cujusque hodie et, ut spero, perpetuo protector et custos esse dignetur, pater charissime.

II. *Agricii causa in Gallicano conventu dijudicanda.* — Cæterum de Agricio, quem indebite ad presbyterii gradum conscendisse commemoras, quid religioni nostræ catholicæ possum præstare reverentius, quam ut de hoc ipso, cujusmodi esse videatur, catholici judicent sacerdotes? Quorum conventum ex opportunitate omnium vel qui intra Gallias, vel qui intra quinque provincias [b] commorantur, in qua elegerint urbe constituam, ut iisdem residentibus et cognoscentibus, quid habeat consuetudo, quid legis sit, judicetur. Hæc enim, quæ libris sunt asserenda et majorum nostrorum religiosissimis constitutis, ipsi possunt melius adstruere qui norunt.

III. Cæterum id nobis animi et voluntatis esse profitemur, ut fides catholica, procul omni dissensione submota, concordantibus universis sacerdotibus et unanimiter Deo servientibus, illæsa et inviolabilis perseveret. Nam noster adventus ita inquinata aliqua et sceleratorum labe polluta deprehendit et reperit, ut nisi nostra provisio atque medicina, quæ ex Dei summi timore veniebat, his opem celeriter attulisset, ingens profecto divulsio atque perditio fuisset exorta, et vix sananda postea vitia concrevissent.

IV. *Manichæorum infanda scelera.* — Cæterum quid adhuc proxime proditum sit Manichæos [c] sceleris admittere, non argumentis, neque suspicionibus dubiis vel incertis, sed ipsorum confessione inter judicia prolatis, malo quod ex gestis ipsis tua sanctitas, quam ex nostro ore cognoscat; quia hujuscemodi non modo facta turpia, verum etiam fœda dictu, proloqui sine rubore non possumus. *Manu Imperatoris*, Divinitas te servet per multos annos.

Priscillianistis interpretandum esse notat, ejusque interpretationi nemo merito refragetur. Atqui Priscillianus ac socii anno 385 convicti punitique sunt. Ad eumdem igitur annum referri jure potest scriptum in quo Maximus quid de illis *proxime proditum* sit, nuntiat, et quid hac occasione sit gestum, velut recens ac nondum Romæ notum, significat.

[a] Hoc est, apostoli Petri successori, cujus sedes *apostolica*, et successores *apostolici* dici meruerunt.

[b] Narbonenses scilicet, ut Tillemontius interpretatur.

[c] Hoc est, uti jam secundum Baronium observavimus, Priscillianistas, ideo quidem sic appellatos, quia insana Manichæi commenta instaurabant. Nil videtur incommodi, si quod Maximus et superius de sceleratorum quorumdam sordibus, quibus opem ferre festinavit, et nunc de Manichæorum sceleribus *adhuc proxime* detectis eloquitur, de iisdem Priscillianistis interpretemur, primo quidem Burdigalæ in concilio, quod hujus imperatoris jussu circa annum 384 celebratum est, ac deinde Treviris ab ipsomet Maximo, quem appellaverant, condemnatis. Nempe particula *adhuc* aliquid novi sceleris Treviris proditum indicat, præter ea quæ jam Burdigalæ detecta probataque fuerant.

EPISTOLA MAXIMI IMPERATORIS AD VALENTINIANUM AUGUSTUM.

(Labb. Concil. tom. II. col. 1031.)

Valentinianus junior Augustus, Justina matre, quæ Arianæ hæresi erat addicta, instigante, Mediolani S. Ambrosium, et cæteros Catholicos acriter insectabatur: qua re cognita, Maximus Valentinianum hortatur, ut paternam imitatus religionem, a vi ecclesiis et sacerdotibus inferenda abstineat.

Nisi clementiæ nostræ circa serenitatem tuam fides simplex esset, et gratia plena concordiæ, confido etiam, quod commoda rationibus meis esse possent hæc, quæ nunc agi dicuntur in partibus tranquillitatis tuæ, catholicæ legis turbatio atque convulsio. Quid enim tam optandum possit esse ei, si quis esset inimicus, quam adversus ecclesias Dei, hoc est, adversus Deum ipsum, et aliqua moliri, et ubi error excusabilis non est, ibi velle peccare? Sed quoniam serenitati nostræ et in Deum religio major, quam violari etiam ab inimicissimo quoque non optabile nobis arbitramur, et circa serenissimam juventutem tuam tam arcta nostri cura, tam sedula est, ut recte facta magis nos sua, quam errata delectent; idcirco perennitatem tuam credidimus commonendam, ut introspecta ratione nominis summi, et majestatis ipsius considerata potentia, quid agere debeas, solida mente perpendas. Audivi enim (nam fama non patitur occultari, præsertim quod agatur in populos) novis clementiæ tuæ edictis ecclesiis catholicis vim illatam fuisse, obsideri in basilicis sacerdotes, mulctam esse propositam, pœnam capitis adjectam, et legem sanctissimam sub nomine nescio cujus legis everti. Hoc quam grave sit, poteris intueri, si Dei magnitudinem volueris cogitare. Erubesco, si quam crediderit serenitas tua adstruere vellem rationem, et Dei agere causam. Quid enim si hoc solum esset? Si enim jam per tot sæcula coalita et confirmata mutare, parvamne excitare discordiam videretis? ipsis humanis legibus in hac mortalitate habet nostra reverentiam consuetudo, et in re jam vetusta atque usitata aliquid novum fecisse, reprehensio est. Italia omnis atque Africa hoc sacramento credunt, hac fide gloriantur Gallia, Aquitania, omnis His-

pania, Roma ipsa venerabilis, cujus etiam in hac parte principatus est, quod Deum sicut sequi voluit, agnovit. Confitebor ipse quod non sine mœrore dictum est, solum dissentiebat Illyricum ; utinam quod errasset, non exstaret exemplum! Utinam illud incolume Arianæ legis Mursinense oppidum permaneret, et non ad judicium quondam erroris miseri concidissent, quia ipsos erudisset auctores, ne præcipua irati numinis ultione procumberent : periculose, mihi crede, divina tentantur. Venerabilis memoriæ D. Valentinianus pater clementiæ tuæ, hæc fide fideliter imperavit. Nihil ille attingere voluit, quod bene constitutum videbat. Hi certe sub eodem episcopi jam fuerunt. Quæ tanta mutatio, ut qui antea sacerdotes, nunc sacrilegi judicentur ? Iisdem certe præceptis, iisdem sacramentis dicati, eadem fide credunt, qui ante crediderunt. An putat venerabilis mihi serenitas tua conceptam semel in animis hominum religionem, quam Deus ipse constituit, posse convelli ? A quantæ ex hoc discordiæ excitabuntur! quantæ contentiones oborientur ! quam crebræ ac pestiferæ seditiones ! quanta et quæ pervenientia ad Deum vota justorum ! cum inter christianos (quod dictu nefas sit) quædam persecutionis imago nascatur. Videris in quam partem hanc sedulitatem nostram interpreteris. Nullo certe majori genere curam meam circa clementiam tuam probare tibi possem, quam si te horter, ut desinas. Puto enim recognosces, quod nemo hoc suaderet inimicus. Hæc amabiliter a nobis dicta esse opto ut intelligas, spero quod credas : unde æquum admodum est, ne sancto numini dicata convellas. Italiam omnem, et venerabilem Romam, cæterasque provincias suis ecclesiis, suis sacerdotibus reddas, neque te medium interseras, cum fas sit B justius eos, qui a catholica Ecclesia Arianorum interpretatione discesserint, errorem suum vera religione mutare, quam recte sentientibus suam immittere pravitatem.

[a] EPISTOLA VALENTINIANI IMPERATORIS AD PINIANUM.

(D. Coust. Ep. Pont., col. 639.)

Qua Sirici Romanii antistitis electionem approbat.

[1] Abe, Piniane charissime nobis.

Populum Urbis æternæ gaudere concordia, et optimum eligere sacerdotem, populi Romani esse credimus instituti, et nostris gratulamur advenire C temporibus. Proinde quoniam religiosum Siricium antistitem sanctitatis sic præesse sacerdotio voluerunt, ut Ursinum improbum acclamationibus [2] violarent ; nostro cum gaudio memoratus episcopus ipse permaneat, Piniane charissime ac jucundissime : si quidem magnum innocentiæ et probitatis exemplum est, in una acclamatione et ipsum eligi, et cæteros improbari. Data [3] VII Kalendas Martii.

[1] Ave.
[2] Forte *noluerint*.
[3] Februarii 25 die.

[a] Rescriptum hoc e Vaticano codice erutum Baronius ad annum 385, n. 6, in lucem emisit. Pinianus, cui inscribitur, Augustini epistolis 124, 125, et 126 celeberrimus est. Hunc anni 386 mense Julio, et anni 387 mense Junio Urbi præfectum fuisse constitutiones imperiales fidem faciunt. Sed eumdem ante mensem Julium prædicti anni 386 hac dignitate decoratum non fuisse, leges Salustio præfecto Urbis datæ, quæ mense Junio anni 386 consignantur, argumento sunt. Quamobrem Tillemontius t. X, pag. 788, Pinianum vicarii potius, quam præfecti, vel alio affini munere tum functum fuisse conjectat, cum hoc ei rescriptum Valentinianus dedit. Nec deest idonea ratio, cur alteri a præfecto negotium illud commissum D fuerit, maxime si Symmachus præfecti munus, quod anno 384 ab eo gestum esse constat, necdum posuerat. Manifestum quippe est Valentinianum, ubi primum Siricii electionem rescivit, calculo suo illam approbare festinasse, adeoque rescriptum istud ad mensem Februarium anni 385 esse referendum. Hujusmodi autem opus imperator Symmacho præfecto demandare prudens noluit ; quia et Gentilis erat, et eo quod Christianis infestus esset, ut in Notitia epistolarum nomine, Damasi § 19 exposuimus, novissime ad imperatores delatus fuerat. Iteratæ Ursini molitiones, rescripti hujus exigendi necessitatem imposuerunt, quo novi schismatis semina citius opprimerentur.

SERMONUM ARIANORUM FRAGMENTA ANTIQUISSIMA

IN RESCRIPTIS MEMBRANIS REPERTA ET NUNC PRIMUM CUM IDONEIS REFUTATIONIBUS EDITA [a].

(Maii Coll. t. III, part. II, p. 208.)

FRAGMENTUM PRIMUM.

Nuper me, charissime frater, de calumniatoribus admonendum censuisti [b] adversus fidem nostram, quæ est vera, dicentibus, quomodo vos unum Deum dicitis esse, et iterum, filium habere Christum adseritis ? Necesse, si filium habet Deus, et uxorem

[a] Fragmenta hæc partim ex Ambrosiano codice rescripto, partim e Vaticano item rescripto proferuntur, ut dixi in prologo. Ambrosianæ quidem sunt codicis paginæ 17, 18, 19, 20, 23, 24, 25, 26, 29, 30, 31, 32, 115, 116. Reliquæ Vaticanæ. Superfuisse hæc Ariana fragmenta, saltem in palimpsestis, nemo mirabitur, dicente Hilario lib. adv. Const. ff. 7 : *impiissimis Arianorum blasphemiis plenæ omnes eccle-siarum chartæ, plenique jam libri sunt.*

[b] Spatium est vacuum in codice trium brevis latercuti versiculorum, quem ego hiatum conjecturaliter explevi, habita spatii ratione. Causa lacunæ est, quia solebant veteres auro vel succo aliquo scripta exordiri, quæ materia in conficiendo deinde palimpsesto evanuit.

habet [1], aut certe femininus est, et aliunde concepit et genuit filium. Ecce vos dicitis jam plures deos; quomodo nos insultatis, quod deos dicimus esse [a] ?

Hæc nobis [2] opponere sacrilegos, a vobis didicimus. Quapropter necessarium arbitravimus [3] et illorum occurrere errori, et tuam instruere sanctitatem de spe nostra, quam gerimus. Nec enim potuimus amplius contradicere, desiderante [4] sanctitate tua veræ fidei conscriptam accipere instructionem : non tamen ex nobis, sed secundum divinarum scripturarum traditionem, per gratiam Dei omnipotentis, auxiliante domino nostro Jesu Christo, subministratione spiritus sancti, qui dividet [5] gratias sine hæsitatione credentibus Deo per Christum [6]. Præsumpsimus itaque orationibus tuis confidentes, bonum esse quoque desiderium Sanctitatis tuæ probantes; cui, adnuente Domino, satisfacere festinavimus, charissime frater : quoniam sæpius suggerente atque frequentius importuno, jam amplius dissimulare non potuimus : non sublimitate sermonis, vel compositæ orationis verbo confidentes, quorum omnino studium non habuimus [b]; sed ad misericordiam Domini confugientes, ad cujus gloriam loqui proposuimus, credentes et qui dixit : *Dilata os tuum, et ego adimplebo eum* [7]. Et iterum dicente propheta : *Dominus davit* [8] *verbum evangelizantibus virtute multa.* Et iterum : *Non vos estis qui loquimini, sed spiritus Patris vestri.* Loqui itaque et nos sacrilegorum [9] permovit insultatio : tuæ quoque charitatis compulit importunitas. Qui autem dedit os ad loquendum, potens est et nobis orationibus tuis subministrare verbum, ut gratia ipsius confoti oportune [10] ad communem loquamur utilitatem, et gloriam ejusdem factoris naturæ nostræ. Nam sanctæ ac divinæ Scripturæ profundos atque infinitos habentes in se thesauros, lucentes non requirunt; dicente Domino : *Scrutamini Scripturas, quoniam in ipsis vitam æternam putatis habere. Et hæ sunt quæ* [11] *testimonium perhibent de me. Et non vultis venire ad me, ut vitam æternam habeatis ?* Et iterum : *Qui credit in me, sicut dixit Scriptura, flumina* [12] *de ventre ejus fluent aquæ vivæ.* Ait autem et hoc Dominus noster Jesus Christus : *Ego sum lux hujus mundi; qui sequitur me, in tenebris non manet, sed habebit lumen vitæ.* Hunc sancti prophetæ solem justitiæ pronuntiaverunt. Hic est itaque sol justitiæ Christus Filius Dei. Hic [13] est lumen verum, quod illuminat omnem hominem, veniens in hunc mundum; quod tenebræ non comprehenderunt. Hic in mundis cordibus lucet, limpido autem videtur oculo animi in unigeniti singulare atque incorruptibile [14] propria natura, qui omnibus cupientibus evidentissime [15] ostendit unius veri Dei scientiam dicens ad Judæos : *Quomodo potestis credere, gloriam ab invicem accipientes ? et gloriam ab uno Deo non quæritis.* Et iterum ad patrem ait : *Venit hora; honorifica filium tuum, ut et filius honorificet te; sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, ut omne quod dedisti ei, det illis vitam æternam. Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum et verum Deum, et quem misisti Jesum Christum* [c]. Cognoscere itaque necessarium est eos, qui volunt esse christiani, unum verum Deum, qui est sine initio ingenitus solus; et unigenitum filium ejus in sua propria ac singulare genita natura verum Deum obedientem [16]

[1] Ita cod.
[2] Cod. *vobis.*
[3] Sic activa forma etiam in juris fragmentis vet.
[4] Cod. *desiderantes.*
[5] Ita cod. pro *dividit*, ut infra *loquetur* pro *loquitur*. Nimirum *e* pro *i* sæpe occurrit in quarti sæculi scriptis.
[6] Hic relinquitur breve spatium.
[7] Ita cod. *eum.*
[8] Ita cod. ut alibi.
[9] Cod. *sacrilegum.*
[10] Ita cod. cum unica *p*, ut in aliis antiquis codd.
[11] Cod. *qui.*
[12] Ita hic cod.; at idem alibi *fluenta.*
[13] Ita cod.
[14] Ita cod.
[15] Cod. *ævidentissime.*
[16] Ita cod.

[a] Hanc esse objectionem ethnicorum constat. Cæteroquin eadem aliquando processit etiam ab hæreticis Anomœis, quorum putida vel potius αἰσχρὰ verba recitat S. Hilarius lib. contra Const. ff. 13. Porro ineffabilem esse Filii Dei æternam divinitatem neque humanæ similem, late dicit idem Hilarius de Trin. III, 17, sqq. In Breviario fidei adversus Arianos sic : *Si Ecclesiam interrogas de Patre quid sit, dicit Deum : sed et Filium et Spiritum sanctum dicit Deum; et tamen non dicit tres Deos, ne gentibus comparetur, qui plures deos conjungunt. Credamus Scripturæ dicenti, quia Deus unus est : et si unus major, alter minor est, ut Ariani dicunt, unus dici non potest; inæqualitas unitatem excludit. Unitatem facit æqualitas virtutum; trinitatem proprietas personarum.* Videsis etiam Arnobium de Deo trino et uno, Ferrandum ep. Casin. ff. 2, et Fulgentium de Trin. c. 2.

[b] Indisertum et inerudituin se dicit hic Arianus, qui sine dubio episcopus credendus est. De hac quidem affirmatione lectores fragmentorum, prout videtur, judicabunt. Cæteroquin de veterum episcoporum doctrina insignis est Hieronymi locus de Arianis nominatim loquentis episcopis in dialogo adv. Lucif. ff. 11 : *Revera de Platonis et Aristophanis sinu in episcopatum alleguntur. Quotus enim quisque est, qui non apprime in his eruditus sit? Denique ex litteratis quicumque hodie ordinantur, id habent curæ non quomodo Scripturarum medullas ebibant, sed quomodo aures populi declamatorum flosculis mulceant. Accedit ad hoc quod Ariana hæresis magis cum sapientia sæculi facit, et argumentationum rivos de Aristotelis fontibus mutuatur.* Confer Ambrosium de fide I, 5 et 13, qui Arianos ex philosophia omnem impietatis suæ traxisse colorem, vimque sui veneni in dialectica constituere solitos dicit.

[c] Hunc locum evangelicum pervenuste interpretatur Augustinus contra serm. Arian. ff. 1 : *Illud quod in Evangelio scriptum est, « ut cognoscant te unum verum Deum et quem misisti Jesum Christum, » hoc eum dixisse accipiendum est, Ut te et quem misisti Jesum Christum cognoscant unum verum Deum. Quia et de Christo dictum est a Joanne, Ipse est verus Deus et vita æterna.* Sed contra Arianos, quorum caput erroris erat, unum esse Deum verum patrem, prodest in primis recitare Tertulliani antiquissimi hominis, qui multo ante Nicænum concilium, atque adeo ante natum Arium, scripsit, locum palmarem et classicum de Filii vera divinitate atque homousia cum patre

atque subditum [a] voluntate atque natura ingenito Deo patrique suo. Quia igitur diximus secundum Scripturarum traditionem unum verum Deum, sicuti et est secundum veram rationem unus Deus verus [b], unus rex, unus dominus, unus creator et opifex universitatis. Quia solus igitur sine initio eminentem [1] possidens potestatem, solus non eget aliquid [2], solus non est sub lege alterius, neque exspectat mandatum; solus non habens superiorem [3], si se nec æqualem nullius fecit; qui est totus non natus Deus, totum natum filium fecit; per quem omnia creavit, sicut scriptum est : *Omnia per illum facta sunt, et sine illo factum est nihil* : creator creatorem, Deus Deum totius creaturæ subjacentem et obtemperantem in omnibus mandatis suis. Hunc non proficientem in posterum, sed statim perfectum, sicut diximus : qualem potuit totam virtutem et totam sapientiam in substitutione filii consignans, sicuti scriptum est, quem Pater consignavit Deus. Inde etiam imaginem Dei invisibilis hunc Apostolus prædicat, invisibilem suam virtutem sive sapientiam ostendentem Deum in substantia Filii. Ergo quantum potuit Deus virtute et sapientia ostendit in Filio : unde Apostolus Dei virtutem et Dei sapientiam docet esse filium : non illam [4] igitur, quæ *in* invisibile Deo est, sine initio virtutem sive sapientiam [c]; sed sedentem in dextris Dei, ut esset a Patre accipientem, Filium dilectionis Dei, quem diligit Deus. Nihil illum fraudavit, cui omnia tradidit, sicuti Evangelium prædicat : *Pater diligit Filium, et omnia tradidit in manu ejus.* Filius etiam omnia suscipiens a Patre, super omnes, ante omnia, cum omnibus patrem adorat. Hunc igitur suscipimus per Scripturas Deum esse totius creaturæ : natum subditum Deo non nato [d] : dominum totius creaturæ natum, ministrum vero Domini *non* [5] nati : regem totius creaturæ natum sub potestate regis [6] non nati; lumen verum natum, subjacens lumini non nato inaccessibili : sapientiam natam obtemperantem in omnibus solo [7] sapienti non nato : creatorem natum sub creatore non nato : pastorem bonum totius creaturæ, natum agnum Dei non nati : vitam natam vivificantem totam creaturam volente Patre, subjacentem [8] solo vivo sine initio Deo, sicuti dicit Filius : *Sicuti Pater habet vitam*; in semetipso habet et non accepit; ita et Filio dedit vitam [9] habere in semetipsum [10] incomparabilem in sua impropria nata substantia; sicuti Pater in sua non nata substantia, incomparabilis esse dignoscitur. Unum ergo et unum [11] confitemur Deum, non duos Deos [e] : non enim dicimus duos non natos, aut duos patres.....

A B C D

[1] Cod. *æminentem.*
[2] Ita cod.
[3] Ita cod.
[4] Cod. *illa virtute sapientia.*
[5] Deest in cod. *non.*
[6] Cod. *regi.*
[7] Ita cod. hic et infra pro *soli.*
[8] Cod. *subjacente.*
[9] Cod. *vita.*
[10] Ita cod.
[11] Ita cod., et sic etiam in fragm. IV.

Deo. Sic ergo Apolog. cap. 21 : *Hunc* (Λόγον) *ex Deo prolatum didicimus, et prolatione generatum, et idcirco filium Dei et Deum dictum* EX UNITATE SUBSTANTIÆ. *Nam et Deus spiritus : et cum radius ex sole porrigitur, portio ex summa : sed sol erit in radio, quia solis est radius; nec separatur substantia, sed extenditur. Ita de spiritu spiritus, et de Deo Deus, ut lumen de lumine accensum. Manet integra, et indefecta materiæ matrix, etsi plures inde traduces qualitatum mutueris. Ita et quod de Deo profectum est, Deus est et Dei filius, et unus ambo. Ita et de spiritu spiritus, et de Deo Deus : modulo alterum, non numero; gradu, non statu fecit; et a matrice non recessit, sed excessit. Iste igitur Dei radius, ut retro semper prædicabatur, delapsus in virginem quamdam, et in utero ejus caro figuratus, nascitur homo Deo mistus; caro spiritu instructa nutritur, adolescit, affatur, docet, operatur, et Christus est.* Alium Tertulliani classicum æque locum habemus in libro ad Praxeam cap. 2, quem librum theologiæ studiosis familiarem esse oportet.

[a] Quomodo Filius subjectus dicatur Deo Patri, catholice explicat Hilarius de Trin. XI, 30, 43. Lege etiam Cyril. thesaur. assert. 29. Tum eamdem doctrinam exponit Ambrosius de fide lib. V, 13-15, evidenter ostendens Christum Patri nonnisi secundum carnem dici subjectum. Et quidem cap. 14, ait; *Non igitur præjudicet, quia subjectus dicitur : non præjudicat quia servus legitur, quia crucifixus asseritur, mortuus prædicatur : quia cum moreretur, vivebat; cum subjiceretur, regnabat; cum sepeliretur, resuscitabat.* S. Zeno tract. 6, ff. 4, contra Arianos : *Non deminutiva, sed religiosa subjectione est Filius Patri subjectus, cum quo coæternitatis omnipotentiæque una substantia, una æqualitas*, etc. Denique prædictus Hilarius lib. XI, ff. 6, queritur de Arianis qui Scripturarum locutionibus de Christi humanitate ad infirmandam ejus divinitatem abutebantur : *Dispensationem assumpti corporis rapiunt ad contumeliam divinitatis, et impietatis causas arripiunt de salutis nostræ sacramento. Quod si apostolicæ fidei tenaces essent, intelligerent eum qui in forma Dei esset, assumpsisse formam servi*, etc.

[b] Sequentes blasphemias, quarum summa est, Filium diversum esse a Patris substantia, solumque Patrem esse verum Deum, prolixe castigat coarguitque Hilarius toto libro quinto de Trinitate. Confer etiam Alcuin. Conf. fid. part. III, 2.

[c] Doctrina ariana huic similis est apud Hilarium contra Auxentium ff. 6, multisque in locis innuitur etiam apud Eusebium Cæsariensem. Sed age opponamus impio Ariano orthodoxum nostrum Augustinum de Trin. VII, 12, sic loquentem : *Credat in Patrem et Filium et Spiritum sanctum, unum Deum, solum, magnum, omnipotentem, bonum, justum, misericordem, omnium visibilium et invisibilium conditorem. Neque cum audierit Patrem solum Deum, separet inde Filium aut Spiritum sanctum : cum eo quippe solus Deus, cum quo et unus Deus est : quia et Filium cum audimus solum Deum, sine ulla separatione Patris aut Spiritus sancti oportet accipere. Atque ita dicat unam essentiam, ut non existimet aliud alio vel majus vel melius vel aliqua ex parte diversum.* Confer. Alcuin. Conf. fid. part. I, 15.

[d] Augustinus coll. cum Maximino Ariano ff. 14 : *Profiteor, sicut dicis, Patrem innatum; sed non ideo sunt diversæ naturæ atque substantiæ, quia ille non natus est, ille natus est.*

[e] Respondet Arianus justæ Catholicorum accusationi, quam apud Ambrosium de fide I, 1, cognoscimus : *Unum ergo Deum, non duos aut tres Deos dicimus; ut impia Arianorum hæresis, dum criminatur, incurrit. Tres enim deos dicit qui divinitatem separat Trinitatis. Cum Dominus dicendo : Ite, baptizate gentes in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, unius esse*

FRAGMENTUM II.

... *beneficia* Christi adjuvantem orationem credentium, et interpellantem pro hisdem gemitibus inenarrabilibus, et adducentem sanctos [1] ad Filium, perducendos *per* Filium ad Patrem. Sicuti dicit sanctus apostolus Paulus : *Nullus potest dicere Dominum Jesum, nisi in spiritu sancto.* Et filius designat : *Nullus potest venire ad Patrem, nisi per me.* Necesse est ergo nos hanc trinitatem confiteri. Spiritus sanctus Filium magnificat, sicut Filius dicit : *Ille me honorificavit, quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis.* Et Filius Patrem honorificat, sicuti dicit : *Ego te honorificavi super terram ; manifestavi nomen tuum hominibus quos mihi dedisti.* Hic ergo Spiritus manet in universis sanctis, sicuti dixit Filius : *Ego rogabo Patrem meum, et alium advocatum dabit vobis, ut vobiscum sit in æternum, spiritum veritatis, quem mundus accipere non potest ; quoniam non videt eum, neque novit illum : vos autem agnoscitis eum, quia apud vos manet, et in vobis est.* Manet ergo, sicuti diximus in universis sanctis non divisus, sed integer : nec enim dividi potest illa natura : qui enim compositus non est ex membris, nec dividi potest, sed integer in omnibus perseverat. Nam Spiritum sanctum Deum non dicimus [a], quia nec Scriptura dicit ; sed subditum Deo filio [b], et mandatis illius filii in omnibus obtemperantem, sicuti Filius Patri. Et quemadmodum Pater totam virtutem et totam sapientiam et bonitatem in substitutionem Filii consignavit, ita et Filius totam virtutem et totam sapientiam in Spiritu sancto, Patre jubente, monstravit. In illo itaque Spiritu sancto archangeli [2] et angeli, et omnes virtutes spiritales, et omnes sancti adorant Filium, et per Filium Patrem. Ita enim et Filius post resurrectionem mysterium tradens salubre Trinitatis discipulis suis dicit : *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra. Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti : docentes eos servare omnia quæ mandavi vobis : et ecce ego vobiscum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi* [c].

[1] Cod. *sanctum.*
[2] Ita cod. sine aspir.

FRAGMENTUM III.

.... Pater singularis, simplex Spiritus, solus bonus, solus habens immortalitatem [d] et lumen habitat inaccessibile [3] ; ita et filius in sua unigenita natura, quam a Patre accepit, singularis est. Omnia quæ post illum et per ipsum providentia Dei facta sunt, incomparabile [b] eminentia melior est ; ita ut nihil eorum quæ per ipsum facta sunt comparari possit ad eum ; quia Deus est omnium, vivificans omnia voluntate Patris. Hic ad patrem suum non comparatur [e], a quo ut sit vita omnium consecutus est : neque ad illum, sicut diximus, aliud quidquam comparari posset, quæ ut essent et ut vivant, per ipsum voluntate Dei consecuta sunt : quorum prior est Spiritus sanctus paraclitus [f], providentia Dei per *Trinitatem potestatis ostenderit. Nos Patrem et Filium et Spiritum sanctum confitemur ; ita ut in Trinitate perfecta et plenitudo sit divinitatis et unitas potestatis.* Eamdem criminationem urget Ambrosius I, 13 : *Nunc videamus quo distant a gentilibus Ariani. Illi Deos appellant dispares sexu, dissimiles potestate ; isti Trinitatem asserunt differentis divinitatis et dissimilis potestatis*, etc. Denique lib. V, 3 : *Ariani dicendo Patris et Filii discretam esse substantiam differentemque, duos utique Deos asserunt.* Objectionem Catholicorum pessimo effugio vitabat Eusebius contra Marcel. lib. II, p. 109, definiens duas substantias honore dispares ; quasi vero sic non duos faceret deos, majorem unum, minorem alterum.

[3] Cod. *inaccessibilem.*
[b] Ita cod.

[a] Respondet Ariano huic Nicetas Aquileiensis, quinti sæculi homo, a me nuper e Vaticano codice evulgatus, in opusculo suo de Spiritus sancti *potentia* (id est *persona*, ut loquitur Victorinus comm. in ep. ad Galat. IV, 6, et contra Arium lib. III, 17). In eo quippe excellente aureoloque scripto Nicetas, postquam e sacris Scripturis attributa divina Spiritus sancti recitavit, sic vincenter concludit p. 26 : *Faciam itaque recapitulationem dicturus : si de Patre procedit Spiritus sanctus ; si liberat ; si sanctificat ; si Dominus est ; ut dixit Apostolus ; si creat cum Patre et Filio ; si vivificat ; si præscientiam habet, sicut habet Pater et Filius ; si revelat ; si ubique est ; si adimplet orbem terrarum ; si habitat in electis ; si arguet mundum ; si judicat ; si bonus est ; si rectus est ; si de eo clamatur : hæc dicit Spiritus sanctus ; si prophetas constituit ; si consolator est ; si abluit et justificat ; si tentatores suos interficit ; si is qui in eum blasphemaverit, non habet remissionem neque in hoc sæculo neque in futuro, quod utique Deo proprium est ; si hæc ita sint, imo quia vera sunt, quid a me quæritur ut dicam quid sit Spiritus sanctus, cum per operum magnitudinem, quod est ipse se manifestat ? Non utique alienus est a Patris et Filii sanctitate, qui non est ab operum virtute alienus : frustra illi nomen divinitatis negatur, cujus potestas non potest abnegari : frustra prohibeor eum cum Patre et Filio ipsa veritate compellor.* Lægesis aliam recapitulationem de Spiritu sancto apud Fulgentium ad Trasim. III, 35. Confer Didymum de Trin. II, 6 : Augustinum de Trin. I, 13 ; Ambrosium de Spiritu S. III, 18, 19 ; Hilarium de Trin. I, 29 ; XII, 55 sqq. ; Leonem Magnum serm. 75 et 76. Et quidem baptismi formula a Christo præscripta demonstrat apprime Spiritum sanctum Deum, ut passim Patres observant, quos inter magnus Basilius de Sp. S. cap. 10.

[b] Negat hoc refutatque docte Augustinus contra serm. Ar., cap. 20 sqq., quem locum tum propter prolixitatem recitare supersedeo, tum quia Arianus nullam effati sui confirmationem hic ponit.

[c] Explicit opusculum. In codice enim relinquitur spatium vacuum ante paginam expletam, cum asteriscis, quæ sunt duo finis indicia.

[d] Sic Arianus quidam loquitur apud Hilarium de trin. VI, 4 : *Novimus unum Deum solum infectum, solum sempiternum, solum sine initio, solum verum, solum immortalitatem habentem, solum optimum, solum potentem.* Ipsismet verbis loquitur Arius apud Ambrosium epist. 10, clas. 1. Atque hoc erat Arianæ hæreseos fundamentum, quæ ab his attributis Filium excludebat.

[e] Solita Arianorum blasphemia hæc est, a qua ne Eusebius quidem abest, heu nimis Arianis deditus, Comm. in ps. LXXXVIII, p. 560. Sed enim nos audiamus papam nostrum Leonem Magnum serm. 75, dicentem : *Detestamur Arianos, qui inter Patrem et Filium aliquam volunt esse distantiam.*

[f] Imo Didymus de Trin. II, 6, ff. 1, cum Jobo demonstrat, non Spiritum sanctum esse primam creaturam, sed Satanam.

Christum factus [a] melior et major cæteris omnibus, in tertio loco post Patrem et post Filium in sanctis Scripturis pronuntiatur. Hic Spiritus in tertio loco singularis atque solus in sua singularitate dinoscitur. Tales [1] neque ad Christum Filium Dei factorem naturæ suæ comparari posset [b] : neque ad (illum) de cæteris, qui per illum providentia Dei ut essent acciperunt [2], comparatur aliquid : singularis est enim sanctificans virtus. Hic Spiritus non est Deus [c] nec Dominus, quoniam nec creator : nec enim eorum quæ non erant, ut essent, aliquid fecit, nec facere potest ; quoniam non est Deus, sed minister Christi Filii Dei sui [d] : in hoc ministrans, ut ea quæ per Christum voluntate Dei facta sunt rationabilia sanctificet, et illuminet, et doceat, et mandata Christi retinere commoneat, et omnibus credentibus gratiam dividat : adjuvat infirmitatem orationis nostræ, et pro nobis postulat gemitibus [e] inenarrabilibus [3], et nutu Christi remittit [4] peccata pœnitentibus, et adducit ad veram et certam scientiam Christi. Hic a se non loquitur, sed [5] quæcumque audierit, loquetur [6], et docet, et futura annuntiat credentibus. Hic Christum dominum et Deum suum profitetur esse dicens : *Dixit Dominus Domino meo* [f] : *sede ad dextram meam, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Et iterum ad Christum Deum suum dicit idem Spiritus : *Sedis* [7] *tua Deus in sæculum sæculi ; virga æquitatis virga regni tui ;* dilexisti justitiam . . .

[1] Ita cod. pro *talis*.
[2] Ita cod.
[3] Ita cod.
[4] Cod. *remit.*
[5] Cod. *sæd.*
[6] Ita cod. pro *loquitur* ; ut *talis* pro *tales*.
[7] Ita cod.

[a] Spiritum sanctum non esse creaturam, late demonstrat Didymus de Trin. II, 6. Lege etiam Fulgent. contra Fab. fragm. XXXIV. Breviter Hilarius de Trin. XII, 55 : *Spiritum sanctum numquam dicam creatum.* Didymus de Sp. S., Hieronymo interprete, ff. 4 : *Ipsa vox Spiritus sancti subjacentis essentiæ demonstratrix est ; Patri Filioque Socia, et a creaturis penitus aliena.* Tum ff. 8 : *Si Spiritus sanctus alterius est naturæ a creaturis, et in propria subsistit essentia, increatus et infectus ostenditur.* Denique ff. 13 : *His ita edissertis, alterius substantiæ a visibilibus et invisibilibus creaturis Spiritus sanctus ostenditur. Si autem hoc verum est, impiissime quidam inter omnia connumerant Spiritum sanctum ; dicentes in eo quod omnia per Verbum facta sunt, significari etiam Spiritus sancti facturam.* Lege etiam ff. 14.

[b] Pergunt blasphemiæ Arianæ contra Spiritum sanctum ; ob quas refutandas sufficit etiam Nicetas Aquileiensis a me, ut dixi, nuper editus.

[c] Sic negant Spiritum sanctum esse Deum Ariani apud Augustinum contra Maximin. II, 12. Porro idem Augustinus de Trin. I, 13, ait : *De Spiritu sancto collecta sunt testimonia, quibus ante nos qui hæc disputaverunt abundantius usi sunt, quia et ipse Deus et non creatura. Quod si non creatura, non tantum Deus, sed etiam verus Deus. Ergo Patri et Filio prorsus æqualis, et in Trinitatis unitate consubstantialis et coæternus.* Spiritum sanctum dictum esse Dominum in Scripturis demonstrat Ambrosius de Sp. S. II, 1 ; III, 14, 15. De Spiritus autem sancti divinitate pressius concludit cit. lib. cap. 18, 19. Tum legendus est Didymus ff. 18 sqq. et Fulgentius contra Fab. fragm. XXIX.

[d] Arianorum hæc doctrina summatim scribitur in Hieronymi dialogo contra Lucif. ff. 9 : *Arianus aliud nihil credit (claudite quæso aures qui audituri estis, ne tantæ impietatis vocibus polluamini) nisi in Patre solo vero Deo, et in Jesu Christo Salvatore creatura, et in Spiritu sancto utriusque servo.* Fulgentius ad Trasim. III, 34 : *Deus illos tormentis est interminabilibus traditurus, qui sancti Spiritus naturam a substantia Patris Filiique discernunt ; ut vel omnino cum personaliter esse non putent ; vel tamquam ministrum, meriti prorsus inferioris existiment.* Lege eumdem Fulgentium contra Fab. frag. III, ubi *subministrationem* distinguit a *ministerio*.

[e] Id est *gemere et postulare nos facit*, ut adversus Arianos interpretatur Augustinus op. contra Maximin. I, 9 ; II, 19 ; nec non Fulgentius contra Fab. fragm. V.

[f] Perversa hæc Ariani hominis interpretatio est. Non enim Spiritus sanctus sic in persona propria loquitur de Christo, sed loquentem potius facit Davidem : prophetæ autem patrem loquentem cum filio introducit, ut hæc psalmi CIX verba vulgo intelligunt ecclesiastici Patres.

[g] Hem subtilitatem ridiculam Ariani hominis ! Rursus tamen hinc patet quam necessarium sit ex Ecclesiæ Patrumque consensu divinas Scripturas interpretari. Sed audiamus Hilarium de Trin. III, 23 : *Audis, Ego et Pater unum sumus. Quid discindis et distrahis Filium a Patre ? Unum sunt : scilicet is qui est, nihil habens quod non sit etiam in eo a quo est. Cum audis Filium dicentem, Ego et Pater unum sumus, personis rem accommoda, gignenti et genito professionis suæ permitte sententiam : sint unum, ut sunt qui genuit, et qui genitus est. Cur naturam excludis, cur veritatem interimis ?* etc. Lege eumdem lib. III, 1 ; VII, 40 ; IX, 52.

[h] Hoc pertinet ad eamdem hæresim Arianam, quod Filius non natura, sed adoptione et charitate sit ; quam passim refutant Patres ; et quidem Hilarius contra Const. ff. 9. Faustinus autem in libro fidei cap. II, 5 : *Hæc vestra, Ariani, doctrina est, hæc vestra interpretatio singularis, hoc secretum, hoc fidei vestræ mysterium : Adoptione, inquit, Christus est filius et non verus filius.* Pergit deinde ad refutationem Faustinus, atque inter cætera notabilia dicit : *et ne forte unum de adoptivis crederes, amputavit* (Joannes ev.) *sensus impii occasionem, cum eum dixit non solum filium, sed etiam unigenitum filium. Hoc nomen non habet socios : et licet dicantur alii filii, adoptione tamen, non natura, sunt filii. Sed Christus solus unigenitus Filius est, quia solus Filius est, non adoptione, sed natura ; non nuncupatione tantum, sed et genere.*

[i] Hanc fere objectionem hæretici cujusdam Ano-

FRAGMENTUM IV.

.... ut cognoscat *mundus quod diligo patrem* [8] ; *et quomodo mandatum mihi dedit Pater, sic facio.* Illud itaque quod sæpius dictum est, ego in Patre et Pater in me, non unam substantiam, sed duo significat, Patris ingenitam et Filii unigenitam [g], et ideo intelligitur Filius in sinu Patris quod sentitur in charitate [h] atque in potestate illius qui omnia tenet : ipse autem est infinitus : hic et illum circumtenet. Ille [9] vero omnium, quæ post illum et per ipsum facta sunt, a Patre accipiens potestatem [10], circumtenet universa. Non est igitur unus et ipse Pater et Filius : qui circumtenet, et qui circumtenetur [i] ; ingenitus, et unigenitus ; genitor, et qui genitus est ; qui mandat, et

[8] Cod. *Patre.*
[9] Cod. *illius.*
[10] Cod. *potestate.*

qui mandatum accipit et obtemperat; qui dat, et qui datum suscipit; qui jubet et qui jussionem [1] obtemperat; qui mittit, et qui mittitur; qui visus est, et quem nemo vidit hominum nec videre potest; qui impassibilis est, et qui pro nobis passus est; qui resurrexit a mortuis, et qui eum resuscitavit Pater; qui ascendit super cœlos Filius, et qui numquam descendit Pater; qui sedet in dextera Dei, et qui jussit eum in dextera sua sedere Pater; Filius qui negavit se scire diem illam [a], et Pater qui in sua posuit potestate; qui judicaturus est Filius, et qui neminem judicat Pater, sed omne [2] judicium dedit Filio [b]. Noli ergo errare; non est unus et ipse Pater et Filius, neque duo æquales secundum alii [3] erroris assertionem, sed unus et unus [4] Pater. Est enim ingenitus solus et sine initio [5], et non sunt duo sine initio dii, aut duo æquales, aut duo patres, aut duo fratres, aut duo filii; sed unus ingenitus Deus, omnipotens Deus, qui solus est et dicitur verus, et solus bonus, et solus habens immortalitatem [c], et lumen habitans inaccessibile [6]. Solus igitur in sua singularitate tales [7] est, et alter non est tales sine initio [8] Deus [d], et omnitenens, et solus auctor omnium. Deus etiam est et Filius Dei unigenitus natura, voluntate Dei et Patris sui verus invertibilis, sed unigenitus creatus et factus et genitus [e] ab ingenito Deo, Deus omnium quæ post illum et per Jesum facta sunt providentia Dei et patris ejus. Pater autem et Filio Deus est, cujus et auctor est, et omnium; et ideo solus verus Deus [f], quia Dei Deus est [g], et tenet Filium in sua potestate, et omnia subjecit sub pedibus ejus secundum Apostolum, et dedit illi nomen quod est super omne nomen. Et ideo Pater unus Deus, qui neque potestatem, neque ut esset ab alio accepit, sed est quod erat sine initio ingenitus [h], omnitenens Deus. Hunc igitur sanctæ Scripturæ pronuntiant unum Deum et Dominum, et unum bonum [i], et solum habentem immortalita-

[1] Ita cod.
[2] Cod. *omnem.*
[3] Ita cod.
[4] Ita cod., ut in fine fragmenti 1.
[5] Cod. *initium.*
[6] Cod. *inaccessibilem.*
[7] Ita cod. pro *talis.*
[8] Cod. *initium*, ut supra.

mœi refert Hilarius contra Const. 13: *Quantum enim Filius se extendit cognoscere Patrem, tantum Pater superextendit se, ne cognitus Filio sit. Quibus recitatis, tumultus exortus est.* Vigilius autem Tapsensis de Trin. lib. VI, ed. Chiffl. p. 284, sic: *Ariani dicunt, non totum Patrem posse capi a Filio, vel conspici. Ego credo quod sicut Filius in Patre est, et a Patre totus videtur, ita et Pater a Filio totus videtur, et totus est in Filio.* Eamdem objectionem Arianorum copiose dissolvit salseque irridet Augustinus contra Maximin. II, 9. Denique Isaacus in libro fidei ait de Filio: *Quomodo creditur minor, qui inæstimabilis, immensus, et infinitus est?*

[a] Arianorum celebre argumentum, quod late optimeque dissolvit Hilarius de Trin. IX, 56 sqq., qui ff. 71 sic concludit: *Scientia apud Deum, non cognoscendi id quod nescierit intelligentia est, sed loquendi. Et per id quod solus Pater scit, Filius non intelligitur nescire; cum Filius idcirco nescire se dicat, ne et alii sciant: et Patrem ob id solum dicat scire, ne et ipse non nesciat. Si enim tunc cognovisse Deus dicitur amari se ab Abraham, cum hoc non celavit Abrahæ; necesse est, ut et Pater diem, ob id scire dicatur, quia non celaverit Filium; Deo scientiam non de repentina cognitione sumente, sed in tempore protestante. Si itaque et diem Filius secundum sacramentum nescit, ut tacent; e contrario necesse est, ideo diem Pater solus ostendatur scire, quia non tacet.* Lege etiam Ambrosium de Fide lib. V, 16.

[b] Nempe non agnoscit hic hæreticus attributa distinctionesque personarum divinarum. Præterea quæ de Christo homine prædicantur, ea confundit cum divinis ejusdem prædicatis. De his autem præclare Augustinus contr. serm. Ar. ff. 4.

[c] Recole p. 213, n. 2. Augustinus contra Maximinum Ar. I, 3: *Tu de Patre solo vis intelligi quod scriptum est, Solus habet immortalitatem, tamen et Pater et Filius habent immortalitatem. Alioquin si eam non habet Filius, Pater eam non dedit Filio*, etc.

[d] Augustinus contra serm. Ar. ff. 1: *Ariani cum Dominum nostrum Jesum Christum fatentur quidem Deum, sed Deum verum et cum Patre unum Deum nolunt fateri, duos nobis inducunt deos diversæ disparisque naturæ; unum verum, alterum non verum.* Eadem dicit Fulgentius contr. Fab. frag. XI et XXXIII, et prædictus Augustinus contra Maximinum I, 1; II, 13; denique Boethius de Trinitate, sub initio.

[e] Ambrosius de Fide I, 16: *Nunc ipsos Arianos interrogo, utrum idem putent esse genitum quod creatum? Si enim idem dicunt, nihil utique distat inter generare et creare. Ergo quoniam et nos creati sumus, inter nos et Christum et elementa, nulla distantia est. — Si autem distat inter creatum et genitum, ut ego arbitror, cum legerimus genitum, non utique idem et genitum intelligimus et creatum.* Idem demonstrat Ambrosius op. cit. I, 13, ff. 85, et V, 3. Lege etiam Cyrillum Thesaur. assert. 28.

[f] Contra hanc blasphemiam legimus in Nicæno Symbolo de Filio, *Deum de Deo, Deum verum de Deo vero.*

[g] Pessimum et retro jam memoratum Arianorum dogma qui Patrem solum proprie Deum (nam Filium aliter quodammodo deum dicebant) late refutat invicteque Hilarius de Trin. lib. V. Tum contra Auxentium ff. 6: *Volunt enim hunc suum Christum non ejus divinitatis esse cujus et Pater est*, etc. (quæ ibi legenda sunt ob erroris perspicuam intelligentiam), *ut id quod unum esse Filius et Pater in Evangeliis prædicantur, in voluntatis tantum sit et charitatis societate, non in divinitatis veritate*, etc. *Si Deum verum Ariani prædicant Christum, Deum sine fraude confessi sunt: quod si Deum dicunt, et negant verum; tribuunt nomen, et adimunt veritatem. Quamquam igitur impiissimis eorum blasphemiis*, etc. Rursus Hilarius lib. VI, 4, 5, profert Arianorum fidem blasphemam, cujus fundamentum erat unum Patrem esse verum Deum. Denique Ambrosius de Fide III, 4: *Satis claret et solum Deum non esse Patrem sine Filio; et solum Deum non intelligi Filium sine Patre.*

[h] Audi, Ariane. Fulgentium de Incarn. ff. 4: *Sine initio est æterna generatio Patris, sine initio æterna nativitas Filii, sine initio æterna processio Spiritus sancti. De Dei enim Patris æternitate, quæ sine initio manet, talis est utique nativitas Filii, et processio Spiritus sancti, ut et illa nativitas et illa processio coæterna sit illi origini, in qua initium nullatenus potuit inveniri.* Et de Fide ad Petrum ff. 10: *Pater de sua natura sine initio genuit Filium.* Legesis etiam Victorinum comm. ad Philipp. p. 63.

[i] Argumentum Arianum dissolvit Ambrosius de Fide II, 1 sqq.: *Scriptum est, inquiunt* (Ariani) *nemo bonus nisi unus Deus. Scriptum agnosco, sed littera errorem non habet: utinam Ariana interpretatio*

tem [a], et lumen habitantem inaccessibile [1]. Non quia Filius non sit Deus nec Dominus, sed quia Pater et Filio [2] Deus est [b], et omnium; Filius autem Deus est unigenitus et Dominus omnium quæ per ipsum facta sunt, et bonus, et benignus, immortalis etiam et immutabilis natura. Sed hæc omnia a Patre consecutus est, et in omnibus obediens invenitur Deo Patrique [3] suo. Non itaque dicuntur Pater et Filius unus Deus [c], sed Pater solus dicitur unus Deus, qui et Filio Deus est, sicut dictum est, et omnibus : Filius autem Patri non est Deus, sed omni creaturæ Dominus et Deus est Filius : Patrem autem adorat, et petet [4] et colet [5], et gratias agit, et debitor est, quia propter ipsum et vivere se declarat, et omnem accepisse potestatem ab eo gloriatur in cœlo et in terra, secundum evangelicam traditionem, ubi refertur Jesus ad samaritanam mulierem dicens : *Nos adoramus quod scimus, vos autem adoratis quod nescitis* [d]. Et orantem Christum Patrem suum frequenter ostendit evangelica traditio; et gratias agentem Patri suo, et dicentem manifestat : *Gratias tibi ago, Pater, quoniam exaudisti me, et ego scio quia semper me exaudis.* Ergo semper adorat, quia semper sibi exaudientem Patrem profitetur. Adverte itaque evangelicum sensum, quoniam gratias aget [6] manifeste Jesus propter eos qui adstabant; sicut ipse declarat dicens ad Patrem suum : *Etenim ego scio quia semper me exaudis; sed propter eos qui adstant dico, ut sentiant quia tu me misisti.* Attende itaque studio, et vide [7] salubrem traditionem quod Christus cognosci vult quod est, non dicatur quod non est : qui enim dicit Christum quod non est, prævaricat notitiam ejus qui est. Noli itaque errare : non enim illi qui unum et ipsum pronuntiant Patrem Jesu Christo majorem, cognoscunt Patrem ipsius, secundum Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi sententiam dicentis : *Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem, quoniam Pater meus major me est* [e]. Cum hac igitur scientia Patris et Filii et Spiritus sancti hanc, quæ in præsente psalmo [f] promittitur, habitationem in tabernaculo Domini et in monte sancto ejus requiem oportet nos studio requirere : quoniam quæ sine macula anima est, illam quæ in excelsis [8] ducit potest ambulare viam, de quo superius tradidimus, et limpido et simplice oculo et illud potest iter celebrare, et ea quæ præparata sunt semper intuere [9] bona, secundum quod dictum est : *Ubi est thesaurus tuus, ibi erit et cor tuum.* Videt [10] etiam semper largitorem bonorum Deum, sicut dictum est : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Hoc est itaque quod dictum est, *qui ingreditur sine macula et operatur justitiam.* Instruxit quales [11] debet esse qui ad eorum, quæ in cœlis præparata sunt, bonorum possessionem festinet : deinde velut grados [12] tradet [13] mandata, quoniam qui in altum ascendunt, per grados ascendere videntur; et primum super proximiorem ascendens gradum, in sequentem accedet : deinde tertiarium et quartum, quousque ad destinatum perveniat, quod sine labore facere non potest. Itaque qui in excelsis habitationem apprehendere desiderant, labores pietatis atque sudores cum omne [14] studio instare debent, ut ad destinatum pervenire possint. Post immaculata igitur scientia pietatis facta anima [15] in operibus bonis adornare atque instruere eam debent qui eum, qui [16] in excelsis ducit, celebrare cupiunt iter; secundum quod dictum est : *Sic luceat lumen vestrum coram hominibus, ut videant vestra bona opera et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est.* Secundum hanc sequentiam respondens Dominus, exponet [17] et qui desiderat in excelsis habitare, qualis debeat esse, vel quid operare [18], dicens : *Qui ingreditur sine macula et operatur justitiam, loquens veritatem in corde suo.*

[1] Cod. *inaccessibilem.*
[2] Cod. *Filius;* sed infra corrigitur.
[3] Cod. *Patreque.*
[4] *Petet* pro *petit;* ut retro *tales* pro *talis.*
[5] Ita cod.
[6] Ita cod. nempe *e* pro *i.*
[7] Cod. *vides.*
[8] Ita cod.
[9] Ita cod.
[10] Num pro *videte?*
[11] Ita cod. pro *qualis.*
[12] Ita cod. hic et infra.
[13] Ita cod.
[14] Ita cod.
[15] Ita se habet locus in cod.
[16] Ita cod. etsi sequitur *iter.*
[17] Ita cod. *e* pro *i.*
[18] Ita cod.

non haberet! Apices sine crimine sunt, sensus in crimine. Summa vero responsionis Ambrosianæ est, quod Christus ita scribæ dixerit, a quo non Deus, sed homo credebatur. Tum pergit dicere : *Non igitur a Domino bonitas negatur, sed talis discipulus refutatur. Nam cum scriba dixisset, magister bone; respondit Dominus, Quid me dicis bonum? id est quem Deum non credis, non est satis ut bonum dicas.* Sic etiam Cyrillus Thesaur. assert. x; Paulinus aquil. contra Fel. III, 10, 11. Argumentum Arianum prolixius adhuc dissolvit Augustinus contra Maximin. II, 23, qui locus utiliter sane legetur.

[a] In breviario fidei sic : *Dicunt Ariani, ideo major est Pater, quia est immortalis. Interrogandi sunt, utrum Filium in substantia deitatis suæ mortalem esse fateantur. Quod si dixerint, quam contra rationem dicant, omnis homo agnoscere potest, qui etiam humanam animam immortalem esse non ambigit.*

[b] Hoc utique fatetur Hilarius de Trin. V, 37 : *Deo, ex quo sunt omnia, Deus nullus est : Filio autem Deus Pater est; ex eo enim Deus natus est.* Idem Hilarius lib. IX, 56, ait : *Major itaque Pater est, dum Pater est : sed Filius, dum Filius est, minor non est. Nativitas Filii Patrem constituit majorem : minorem vero Filium esse, nativitatis natura non patitur.*

[c] Atqui, o Ariane, catholica omnis Ecclesia id affirmat, ut ait Ferrandus epist. Casin. ff. 2.

[d] Totam hanc objectionem ex adoratione, quam Christus Patri exhibuit, atque ex colloquio cum Samaritana petitam dissolvit Ambrosius de Fide V, 4. Ait enim Christum ibi ut hominem loqui; haud secus quam, ut homo, fatigatus fuerat ex itinere, sitim exstinguere, poscebat, judæum religiosum se agebat.

[e] De hoc famigerato dicto locuturus sum ad fragm. XVI.

[f] Existimassem fieri hic commentarium vel recitari homiliam in psalmos, nisi foliorum nexus plane mihi demonstravisset, hanc quoque partem ad Arianum tractatum, ut cæteras, pertinere. Et sic Tertullianus loquitur de alio psalmo lib. ad Prax., c. 27.

Adhuc et in hoc sequenter docet per ordinem ut primum in se et in corde suo confirmet veritatem, et quasi radicem mittens comprobaret, ut justus secundum Apostolicam doctrinam inveniatur dicentem sic : *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Et ideo ait : *Loquens veritatem in corde suo, qui non egit dolum in lingua sua.* Nec enim oportet eum, qui cœlestia desiderat bona, dolum loqui; neque quæcumque sibi libet narrare, sed veritatem scrutinatam atque probatam in corde per labia emittere ad salutem et sibi et audientibus. Hoc enim et apostolus docens ait : *Nullum verbum malum de ore vestro procedat, sed si quid bonum sit ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus.* Provenit enim, ex quibus negligenter sine sollicitudine qui [1] loquitur, nocere animam proximi : et ideo servare atque mensurare debet sermones suos qui vult in cœlis habitare; sicut dictum est in centesimo et undecimo psalmo : *Jucundus homo qui miseretur et commodat, disponet sermones suos in judicio.* Et Dominus Jesus docens in Evangelium [2] ait : *Ex verbo tuo manifestum quia justo* [3] *sine dolo et hypocrisi justificaveris* [4]; *et ex verbo tuo manifestum, quod doloso et pravo damnaveris.* Hac [5] de causa servare et mensurare sermones nostros docemur, ut nos doceamus proximum. In tabernaculum Domini cupientes ingredi non faciemus nec in verbo nec in ficto proximo malum, secundum quod dictum est, *et non fecit proximo suo malum.* Oportet autem illum, qui illam beatam vitam consequi desiderat, eos quos circum se habet instructos in disciplina Dominica habere, ne ab aliquo super eos improperium accipiat. Consueverunt [6] enim homines, quando aliquos vident ineruditos et indisciplinosos esse, improperare eis qui circa se vel sub se eos habent. Est enim secundum veritatem improperium eis, qui instruere debent, si lascivi vel indisciplinosi, qui sub manu eorum sunt, inveniuntur; eo quod minus constringantur ad disciplinam, sicuti dictum est, *improperium Patri Filius non eruditus.* Docet itaque hoc verbum cupientes.....

FRAGMENTUM V.

lege . . . .rum deitatis non viderunt sed . . . . carnalibus [7] oculis viderunt et in . . . et ipse . . . ima hoc verbo asserente : Qui vidit me, vidit et eum qui me misit Patrem, secundum ill . . igitur erra . . . . si quis vidit Filium in corpore humano, talem æstimat et patrem corporalem; quod est horribilis impietas. Nam secundum verum sensum si voluerint suscipere hoc, qui vidit Filium missum a Patre et operantem Patris mandata, hic vidit Patrem, hoc est cognovit. . . sunt lumen . . . . non . . . . . Nam si quis Filium Dei, hoc est Jesum, in sua propria singulare natura et dignitate quam *a* [8] Patre genitus accepit, ac n. . . . . Judæis . . . . adseren- . . . . nominibus nominatum Patrem et Filium, ex his quæ superius dicta sunt, hic vero in lumine Dei . . . . sæpius dictis Judæis secundum . . . . . prophetam . . . . *Ecce ponam in Sion lapidem effusionis et petram* [9] *scandali, et qui credit in eum non confundetur.* Et iterum : *Qui cadit super lapidem hunc, confrangitur; super quem autem ceciderit, conquassabit eum.* Et iterum : *Ecce hic positus est ad ruinam et resurrectionem multorum.* Manifestum est igitur, quia ad resurrectionem credentium qui non confundentur: ad ruinam autem eorum qui non credent, qui scandalizantur ex ipsius doctrina cum Judæis, non recte tractantes, ipsi comminutabuntur [10]. Dominum Jesum igitur Christum Filium Dei qui viderunt, dupliciter viderunt; carnalibus [11] oculis corpus viderunt humanum, oculo autem animi per opera Deum cognoverunt, Dei Filium. Cum igitur dicit : Qui me vidit, vidit et eum qui me misit Patrem, quod est tale; quod qui vidit opera Filii et per opera dealitatis cognovit virtutem, ipse vidit, hoc est cognovit qui me misit et mandavit mihi hæc opera magis, aut qui operatur [12] per me [a]. Qui ergo viderunt [fiunt] videntes, cognoverunt et viderunt inluminati a Filio et instructi eum, qui illum misit, Patrem; secundum ipsius Filii assertionem dicentis. . . . .

FRAGMENTUM VI.

..... vel votum faciendi habuerint, promoveri [13] a Deo non possunt. Sed alias [14] fere quinquaginta quæstiones vanissimas et inutilissimas sibi adauxerunt [15]; quæ non eos ad regnum Dei et Christi ejus perducunt, sed in ima gehennæ demergunt. Sed nos unde egressi sumus, illuc redeamus. Causa nobis [16] maxime est adversus eos qui se dicunt orthodoxos, qui ecclesias nostras invaserunt, et more tyrannico obtinent [b],

[1] Malim *quis*.
[2] Ita cod.
[3] Ita cod.
[4] Ita cod. *v* pro *b* hic et infra.
[5] Cod. *ac*.
[6] Cod. *conseverans*.
[7] Cod. *carnalis*.
[8] Præp. *a* a me additur.
[9] Cod. *Patram*.
[10] Ita cod.
[11] Cod. *Carnalis*.
[12] Cod. *operantem*.
[13] Cod. videtur habere *promovi*, vel *pro me ut*.
[14] Cod. *alia*.
[15] Cod. 1 manu *adnugrunt*; mox videtur factum *adaugerunt*.
[16] Cod. *nobis esse*. Sed *esse* videtur expunctum.

[a] Sic explicat hæreticus, ob excludendum sensum catholicum verborum *Ego et Pater unum sumus*; quæ quidem ad indifferentiam naturæ, non ad voluntatis unitatem esse referenda, demonstrat valide contra Arianos Faustinus de Fide cap. 1, ff. 12 sqq., ubi notabilia sunt verba hæc : *Nolo, impie hæretice, ut indifferentiam substantiæ Patris et Filii adimas, et importune unitatem voluntatis interseras.* Item Tertullianus contra Praxeam cap. 25 : *Dictum est, Ego et Pater unum sumus, ad substantiæ unitatem, non ad numeri singularitatem.*

[b] De hac re consulendæ sunt christianorum Cæsarum leges in Cod. Theod. lib. XVI, tit. de Hæreticis. Leges imperiales contra Arianos commemorantur etiam apud Augustinum coll. cum Max. ff. 4. Arianæ hæreseos prostratas vires dicit ætate sua Augustinus tract. 40, 7, in Joan.

dicentes; æqualem esse Filium per omnia et in omnibus Deo Patri, et Spiritum sanctum æqualem esse per omnia et in omnibus Deo Patri et Deo Filio : et hæc ipsa assertio eorum una est de fere triginta sectis [a] eorum. Et quia non se Filius æqualem Patri dixit, sed consentientem se Patri confirmavit [b], ipse filius nobis adaperuit dicens : Qui *Filium* [1] non honorificat, non honorificat Patrem [c] qui misit illum. Sicut enim Pater habet vitam in semetipsum [2], ita dedit Filio vitam habere in semetipso : et potestatem dedit illi judicium faciendi : ac si dixisset, Deus non genitus genitor meus, qui est et fuit Deus sine initio, vivus, potens, bonus, sapiens, perfectus, sempiternus, qui est sine initio et sine fine, me ante omnia voluit esse vivum, potentem, bonum, sapientem, perfectum, sempiternum (Sempiternum autem sic dicimus Filium, quia cum initium habeat Filius, finem tamen *non* [3] habiturum, sed mansurum in sempiternum [d], et cæteris omnibus bonis sempiternitatem daturum). Et talem possibilitatem tribuit in me, in quo voluit me esse, ut possem omnes voluntates et dispositiones et imperia ejus implere : et sic complevi et compleo semper : nam volente et jubente Patre ego innumerabilis spiritus vivos, virtutes et dominationes sempiternas [4] creavi : sed et ipsum Spiritum sanctum qui est ante omnia et major omnibus creationibus, et cætera cœlestia et terrestria visibilia et invisibilia tempora et sæcula, volente Patre et jubente, ego creavi [e] : et nulla fuit discrepantia inter Patrem jubentem et me perficientem [5] : A sed quemadmodum Pater voluit, difinivit [6], jussit mihi ; sic et ego volens et potens sine ullo impedimento et discrepantia omnia perfeci : sed et cætera omnia quæ postmodum facta sunt, sive diluvium, sive incendium Sodomæ et Gomorrhæ, et cætera omnia quæ semper fiunt et reguntur, jubente Patre, *quia filius hominis est. Nolite mirari hoc, quia veniet hora in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem filii Dei : et procedent qui bona fecerunt in resurrectionem judicii.* Ac si dixisset [7], Nolite increduli esse, quia videtis me carnem esse, et putatis me hominem tantummodo esse : videbitis enim vos omnes, qui putatis me hominem tantummodo esse, non solum Deum vivum esse, *sed* etiam omnes mortuos vivificantem : et in gloriam æternam ingredientes justos B bonos et fideles, malos autem et impios, fures et latrones, et eos qui diffiderunt [8] veritati, crediderunt autem iniquitati, qui doctrinam meam abjecerunt, et suam statuerunt, jusso [9] Patris mei per me ab angelis meis mittentur, in metallum ignis [10] æterni. Luce clarius nobis patefecit Dominus noster et Deus Jesus Christus Filius Dei Patris omnipotentis illud quod dixerat superius : *Amen, amen dico vobis, non potest Filius a se facere quidquam, nisi ante viderit Patrem facientem* [f] *: quæcumque enim Pater facit, hæc eadem facit Filius.* Similiter nihil Filius sibi præsumere, sed omnia imperata patris facere [g].

Iterum dicamus pauca adversus Macedonianos [h], C qui dicunt Filium similem per omnia et in omnibus Patri, et nullam esse differentiam inter Patrem et

[1] Deest hoc vocabulum.
[2] Ita cod.
[3] Deest *non*.
[4] Cod. *sempiternos*.
[5] Cod. *inter patre jubente me perficiente*.
[6] Ita cod.
[7] Cod. *dixisse*.
[8] Cod. *diffiduerunt* ; sed prior u fortasse deleta.
[9] Cod. *josso*.
[10] Cod. *in ignis* ; sed *in* fortasse deleta.

[a] *Secta* hoc loco dicitur pro *dogmate*. Et quidem ita loquitur Didymus de Trinitate, Hieronymo interprete, ff. 5, 21, 37. Legesis ibidem adnotationes ad ff. 5, et confer. ff. 32. Quin adeo sic loqui videtur etiam Julius Paris a me nuper editus, lib. II, 2, 2. Num ergo Ariani a Catholicis triginta fere dogmatibus dissidebant?

[b] Spuriam hanc Arianorum interpretationem novit refutavitque Hilarius de Trin. VIII, 5 sqq. At non ita intellexerunt Judæi ipsi Christum loquentem : quin imo auditis his verbis , *Ego et Pater unum sumus*, susfulerunt lapides ut Jesum occiderent, quia se Deum faciebat ; qua super re legesis eumdem Hilarium VII, 23 sqq.

[c] Imo Nicetas a me editus de Rat. fid. p. 6, ait : *Cum Pater dicat, Hic est filius, hunc audite ; filius dicat, ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem ; quæ cæcitas mentium est, intermissa honorificentia, contumelias concinnare? quæ oblivio spei est, infirmum et minorem et contemptibilem æstimare Christum?* etc.

[d] En ut Ariani negabant nativitatem æternam, quam orthodoxi Patres præclarissime comprobant Tertullianus contra Prax. cap. 5 ; Hilar. de Trin I, 24 ; II, 20 ; III, 3 ; IV, 6 ; XII, 21 sqq., 51 ; Ambros. de Fid. I, 8 ; Cyril. de Trin. dialog. 2 ; Fulgent. ad Trasim. II, 7 ; et contra Fab. frag. XIX, XX ; aliique passim.

[e] Non esse creaturam Spiritum sanctum demonstrat (præter jam dicta p. 213, n. 5) Ambrosius de Sp. S. lib. I, 5, 7. Præterea legesis locum Nicetæ Aquileiensis jam a me relatum p. 212, et Didymum de Sp. S. cap. 14, sqq. et de Trin. II, 6. Tum vero sic Basilius de Sp. S. cap. 24, 56 : Τίς οὕτως ἄπιδων αἰωνίων ἄμοιρος, ὡς τῇ κτίσει συντάξαι τὸ Πνεῦμα, τῆς θειότητος ἀποστήσας ; *Quis adeo spei æternæ expers est, ut Spiritum a deitate distractum, creaturæ copulet?*

[f] Aliter loquitur orthodoxus Hilarius de Trin XI, 12, qui recitato evangelico textu, pergit dicere : *Dum non ab se facit, ad id quod agit secundum nativitatem sibi Pater auctor est : et tamen cum quæcumque facit Pater, eadem et Filius facit similiter, non in aliquid quam in Deum subsistit, ad facienda omnia quæ Deus Pater faciat, paternæ omnipotentiæ in se subsistente natura*, etc. Eamdem objectionem prolixe admodum dissolvit Ambrosius de Fide IV, 4 sqq. sic fere concludens : *Quod dixit Scriptura quia non potest a se facere quidquam, ad inseparabilis et individuæ charitatis retulit unitatem.*

[g] Objectioni Arianorum quam ex obedientia Christi petebant, respondet Ambrosius de Fide II, 10, qui sic concludit : *In forma hominis constitutus, subditus erat Joseph et Mariæ. Numquid ergo minor et hominibus, quia subditus? Aliud pietatis, aliud potestatis est : sed non præjudicat pietas potestati. In quo ergo legis subditum patri? in corpore scilicet, in quo erat subditus matri.*

[h] Damnati sunt Macedoniani in concilio I Constantinopolitano anno Christi CCCLXXXI. Neque fere ab hac ipsa ætate distare videtur noster hic auctor Arianus.

Filium [a] : et adversus eos qui se dicunt orthodoxos esse, qui Filium æqualem Deo Patri per omnia et in omnibus mortifere defendunt : quia de Patre et Filio convenit illis, et de Spiritu sancto dissentiunt; quia isti et Spiritum sanctum per omnia et in omnibus coæquant Patri et Filio; Macedoniani autem Spiritum sanctum jussu Patris per Filium creatum defendunt, et nuntium et ministrum Patris [b] eum esse prædicant, sicut et nos [c]. (*Explicit tractatus ut paginæ vacuum spatium demonstrat.*)

FRAGMENTUM VII.

. . . . . manupositionibus suis præponunt Patrem Filio, dum dicunt : Deus maxime, mundi conditor et effector, Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi. Item, Deus clarioribus clarior, celsis celsior, potentium virtus præpotentior, Deus in præcipuis, in summis summus, in singulis singularis. Item nullo modo præponunt in scriptis suis Patrem Filio; insuper et damnant, qui præponunt Patrem : et tam [1] ipsi præponunt Patrem Filio in symbolo, dum dicunt : *credis in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cœli et terræ? credis et in Jesu Christo Filio ejus* [2]? Item nullo modo præponunt Filio Patrem in scriptis suis : insuper damnant omnes, qui præponunt Patrem Filio : et tamen ipsi in benedictionibus suis præponunt Patrem Filio, dum dicunt : *Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui te regeneravit ex aqua, ipse te linet Spiritu sancto*, et cætera. Nullo modo præponunt Patrem Filio in scriptis suis; insuper omnes, qui præponunt Patrem Filio [d], condemnant; et tamen ipsi præponunt Patrem Filio in oblationibus suis dicentes [e] : *Dignum et justum est nos tibi hic et ubique gratias agere, Domine sancte omnipotens Deus : neque est alius, per quem ad te aditum habere, precem* [3] *facere, sacrificationem* [4] *tibi offerre possimus, nisi per quem tu nobis misisti*, et cætera. Item : *Dignum et justum est, æquum et justum est, nos tibi super omnia gratias agere, Domine sancte pater omnipotens æterne Deus, qui incomparabili tuæ bonitatis honestate lucem* [5] *in tenebris fulgere dignatus es, mittens nobis Jesum Christum suspitatorem* [6] *animarum nostrarum, qui nostræ salutis causa humiliando se ad mortem* [7] *usque subjecit, ut nos ei quam* [8] *Adam amiserat immortalitati* [9] *restitutos, efficeret* [10] *sibi hæredes et filios : cujus benignitati* [11] *agere gratias, tuæ tantæ magnanimitati* [12] *quibusque* [13] *laudibus nec sufficere possumus, petentes de tua magna et flexibili pietate accepto ferre sacrificium istud, quod tibi offerimus stantes* [14] *ante conspectum tuæ divinæ pietatis, per Jesum Christum Dominum et Deum nostrum, per quem petimus et rogamus.* Nullo modo præponunt.

FRAGMENTUM VIII.

. . . Patrem et Filium, hoc est inter lumen natum et inter lumen non natum. Nos vero Christiani, quibus impositum est falsum nomen Arianos [f], sic credimus et honorificamus, ut supra scriptum est : quia Deus Pater omnipotens ipsum Filium ante omnia [g] voluit esse, et est et permanet : et quia Deus Pater omnia et nos creavit per Filium, quia pater jussit Filio, et statim Filius fecit : regimur a Patre per Filium, quia pater jussit Filio, et Filius regit nos. Pater dedit legem Moysi per Filium, prophetas instruxit per Filium, quia Pater jussit Filio, et legem dedit et prophetas instruxit : redemit nos Pater, et remisit nobis peccata per Filium, quia Filius jussu Patris et redemit nos et remisit nobis peccata : dedit nobis Pater Spiritum sanctum per Filium, quia Pater jussit Filio, et statim Filius dedit nobis Spi-

[1] Ita cod. *pro tamen*, ut recte scribitur infra. Nihilominus ita fit etiam apud Frontonem p. 175, v. 5. a fine.
[2] Sic mutatur casus in cod.
[3] Cod. *præcem*.
[4] Cod. *sacrificatio*.
[5] Cod. *luce*.
[6] Ita cod.
[7] Cod. *a morte*.
[8] Cod. *que*.
[9] Cod. *immortalitate*.
[10] Cod. *efficere*.
[11] Cod. *benignitates*.
[12] Cod. *magnanimitate*.
[13] Ita cod.
[14] Cod. *stante*.

[a] Macedonianos consensisse cum Catholicis de Patre Filioque, ac de Spiritu sancto tantummodo dissensisse, dicit etiam Augustinus contra Maximin. II, 23.
[b] Didymus orthodoxus de Sp. s. ff. 30 : *Missus a Patre Spiritus sanctus, non servus, non alius, nec disjunctus a Filio, intelligatur.*
[c] Imo exploratum est Macedonianam hæresim ex Ariana fuisse progenitam, ut ait Damasus epist. ad Paulin. Præterea narrat Didymus de Trin. II, 10, Macedonium ab Arianis episcopum fuisse ordinatum; ab hoc autem factum episcopum Marathonium homœusiæ coryphæum.
[d] Quare in ecclesiasticis scriptis præponatur Pater Filio, rationem reddit Photius in edita a me quæstione Amphilochiana 190. Et quidem a S. Paulo priorem Patre aliquando nominari Filium observat Cerealis contr. Max. cap. 19.
[e] Notemus sequentia ex præfatione antiquissima et canone missæ fragmenta.
[f] Die *Ariani* vel *Arianis*. Sic autem loquitur Palladius Arianus apud Vigil. Taps. concil. Aquil. lib. I, p. 488 : *Diximus probaturos nos Christianos in concilio pleno*. Sed multo justius dicitur ab orthodoxo apud Hilarium ad Const. Aug. I, 2 : *Catholicus sum, nolo esse hæreticus; Christianus sum, non Arianus*. Et ff. 6 : *Cogunt non ut Christiani omnes sint, sed ut Ariani*. Sic loquitur sæpe Lucifer tum nominatim contra Const. ed. Coleti 47 et 223 : *Cum sis Arianus, te fingis Christianum*. Et p. 97 : *Cum sitis Ariani, quomodo dici Christiani poteritis? cum negetis Christum unicum Dei filium*, etc. Item Ambrosius de Incarn. cap. 2 de Arianis ait : *Sub optione nominis Christiani, et quadam nuncupativa fidei germanitate, parricidialibus gladiis nos cupiunt vulnerare.*
[g] Nempe ante omnia creata, vel ante omnia cœptarum rerum sæcula. Hic enim erat Arianus sensus; ita ut filius nonnisi excellentissima et antiquissima esset creatura. Contra hunc errorem, ab aliis patribus passim refutatum, Claudius Piceni episcopus apud Hier. dial. adv. Lucif. ff. 18, alebat in Ariminensi concilio : *Si quis dixerit Filium Dei esse quidem ante omnia sæcula, sed non ante omne omnino tempus, ut ei aliquid anteferat* (puta Patrem) *anathema sit. Dixerunt cuncti, anathema sit.*

ritum sanctum : exaudivit [1] nos Pater et miseretur per Filium, quia genua et cervicem flectimus Patri per Filium : suscitavit Pater templum Filii sui per Filium, quia Pater jussit Filio ut susciperet corpus, deponeret, iterum reciperet tertia die et rediret ad Patrem. Suscitaturus est Pater omnes mortuos per Filium, quia Pater jussurus est Filio ut suscitet omnes mortuos : judicaturus est Pater omnes vivos et mortuos per Filium, hoc est bonos et malos, justos et injustos, quia Pater jussurus est Filio ut suscitet omnes mortuos, et judicet [2] vivos et mortuos, hoc est bonos et malos, justos et injustos : daturus est Deus Pater justis vitam æternam, injustis pœnam perpetuam per Filium, quia Filius jussu Patris dabit vitam æternam justis, pœnam perpetuam injustis. Et ideo nos Ecclesia Dei sancta et Christi ejus omnes primitias Patri damus, sequentias vero Filio; sicut etiam Paulus apostolus hæc omnia breviter definivit dicens : *Etsi sunt dii aut domini sive in cœlo sive in terra, nobis unus est Deus pater, ex quo omnia, et nos ex ipso : et Dominus Jesus, per quem omnia, et nos per ipsum* [a]. Nam de his, qui se dicunt orthodoxos esse, qui Filium per omnia et in omnibus coæquant [3] Deo patri, et Spiritum sanctum per.....

A si jussu Filii Pater corpus ex virgine accepit, deposuit, et recepit : aut si Deus Pater rogavit Filium, et accepit Spiritum sanctum, et dedit, donavit, misit Spiritum sanctum Apostolis : aut si jubente Filio suscitaturus est Pater omnes mortuos, et judicaturus est vivos et mortuos, hoc est bonos et malos, justos et injustos. Scriptum est in Evangelio : *Sic enim dilexit Deus hunc mundum, ut Filium suum unicum mitteret, ut det animam suam pro sæculi vita* [6]; *ut omnis qui crediderit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Nec enim misit Deus Filium suum in hunc mundum ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per eum.* Item in Evangelio : *Pater diligit Filium, et omnia dedit in manus ejus.* Item in Evangelio : *Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio vitam habere in semetipsum, et potestatem dedit ei judicium faciendi.* Item in Evangelio : *Quia discendi* [7] *de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui me misit, Patris* [c] : *Hæc est autem voluntas ejus, ut omne quod dedit mihi Pater, non perdam nihil ex eo, sed resuscitem* [8] *novissima die.* Item in Evangelio : *Hæc est enim voluntas Patris mei, qui me misit, ut omnis qui videt Filium, et credit in eum, habeat vitam æternam : et resuscitabo ego eum.....*

B

FRAGMENTUM IX.

. . . ria nos infamant. Sed Macedoniani post hæc omnia corrigunt se, et dicunt : Filium similem per omnia et in omnibus Deo Patri esse dicimus [b] : his, autem qui dicunt esse differentiam inter lumen natum et inter lumen non natum, non communicamus, quia nullam differentiam esse inter Deum natum et inter Deum non natum dicimus : æqualis [4] honore, æquales virtute Soziphanes [c] princeps eorum scripsit. Ob hoc etiam coguntur a nobis, ut ostendant nobis si scripta sunt de Patre ea quæ scripta sunt de Filio [d] : dicant et ostendant de Scripturis si Pater a Filio ante sæcula natus sit, et omnia jusso [5] Filii Pater fecerit, omnia et regat : aut si Deus Pater omnipotens minister nuntius et sacerdos sit Filii sui : aut

C

FRAGMENTUM X.

. . . . . Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, et de peccato damnavit peccatum. Item Paulus apostolus : *Ad* [9] *ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum per mulierem.* Et alia millia talia Scriptura divina nobis tradidit. Ostendant nobis [f] ergo Macedoniani, dicunt Filium per omnia et in omnibus æqualem esse Deo Patri, et hi etiam qui se dicunt esse orthodoxos, qui non solum Filium coæquant Patri, sed etiam Spiritum sanctum per omnia et in omnibus coæquant Patri et Filio, si alicubi scriptum est : Sic enim dilexit Deus hunc mundum, ut Patrem suum mitteret [g], ut det animam suam pro sæculi vita [10] ut omnis [11], qui crediderit in eum, non pereat, sed ha-

D

[1] Cod. *exaudi.*
[2] Cod. *indicat.*
[3] Cod. *coæquant.*
[4] Ita cod. pro *æquales.*
[5] Ita cod. At infra *jussu.*
[6] Cod. *vitam.*
[7] Ita cod. *di* pro *de*, ut infra.
[8] Cod. *resuscitet.*
[9] Ita cod. pro *at.*
[10] Cod. *vitam*, sed *m* videtur deleta.
[11] Cod. *omnes.*

[a] Rectam hujus loci intelligentiam docet nos Ferrandus epist. Casin. ff. 6, p. 174 — 175.

[b] Neque idcirco Macedoniani rectam de Filio fidem habebant, quem dicebant *homœusion*, *similis substantiæ*; non *homoousion*, *consubstantialem*. Ita Didymus de Trin. I, 34 : Καὶ Μακεδονίου δὲ παῖδες ὡς τοῦ ἁγίου πνεύματος, οὕτω καὶ τοῦ μονογενοῦς τὴν δόξαν οὐ σώζουσιν, ὁμοιούσιον τῷ πατρὶ καὶ οὐχ ὁμοούσιον λέγοντες αὐτὸν, ὡς νοεῖσθαι ὅτι ἄλλης ὁμοίας οὐσίας ἐστίν.

[c] Soziphanis Macedonianorum præcipui nullum exstat scriptum, ac ne memoria quidem, ut reor.

[d] Abutitur in sequentibus Arianos auctor Scripturis divinis, quæ modo personas distinguunt, modo de Christo Deo, modo de homine loquuntur, modo attributa diversa narrant. Adi Photium a me editum Amphiloch. CLXXXVIII. Breviter Nicetas, p. 6 : *Hæc omnia non infirmant Filium, neque depretiant, sed a Patre distinguunt.* De his Arianorum fraudibus loquitur etiam Hilarius de Trin. XI, 6. Objectiones autem hæreticorum adversus Filii divinitatem ex biblicis locutionibus petitas, prolixe refutat Didymus toto libro tertio de Trinitate.

[e] Augustinus contra Maximin. II, 20, relatis his verbis ait : *Potest accipi secundum id quod est unigenitum Verbum; ut ideo voluntatem non suam dixerit esse, sed Patris, quoniam de Patre est quidquid est Filius; non autem est de Filio quidquid est Pater*, etc. *Non absurdum est tamen, ut etiam hoc secundum id quod homo factus est, dixisse accipiatur.* Cum priore Augustini sententia conspirat Paulinus Aquileiensis contra Felicem, III, 7; sed dissentit a posteriore.

[f] Morem hunc Arianorum exagitandi adversarios variis interrogationibus exhibet nobis prolixe etiam Rufinus de fid. cap. 32, sq. qui et eorum paracuta sophismata multa coarguit.

[g] Jam demonstravit Augustinus contr. serm.

beat vitam æternam : non enim misit Filius Patrem suum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per eum. Ostendant nobis scriptum esse : Confiteor tibi, Fili, domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus et revelasti ea parvulis. Ita, Fili, quia sic placuit bona voluntas tua ante te. Legant si nobis scriptum est : Filius diligit Patrem, et omnia dedit in manus ejus. Probent nobis, scriptum est : Sicut enim Filius habet vitam in semetipsum, sic dedit Patri suo habere vitam in semetipsum : et potestatem dedit ei judicium faciendi. Aut si poterint ostendere scriptum, Quia discendi [1] de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui me misit filii mei : hæc est enim voluntas ejus, ut omne [2] quod dedit mihi filius, non perdam nihil ex eo, sed resuscitem eum in novissima die. Item legant nobis ; Omnis [3] qui audit Filium et didicit, venit ad me ; non quia Filium vidit quisquam, nisi qui est ex ipso, hic vidit Filium. Ostendant nobis, scriptum est : Mea doctrina non est mea, sed ejus, qui me misit, Filii mei. Aut probent nobis scriptum esse : Propterea Filius meus diligit me, quia pono animam meam, et iterum sumam illam. Nemo tollit illam a me, sed ego ponam eam a memetipso : potestatem habeo ponendi eam, et potestatem habeo sumendi eam ; hoc enim præceptum a filio...

FRAGMENTUM XI.

. . . . . Item in psalmo : *Beati qui habitant in domum tuam* [4]*! in sæcula sæculoram laudabunt te.* Item in Evangelio : *Ut* [5] *omnis qui crediderit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Sic enim dilexit Deus hunc mundum, ut Filium suum unicum mitteret ; ut omnis qui crediderit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Item in Evangelio : *Qui unico credit Filio, habet vitam æternam : qui non credit Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manebit super eum.* Item in Evangelio : *Respondit Jesus et dixit ei : Omnis qui bibet de aqua hac, sitiet iterum : qui autem biberit de aqua, quam* [6] *ego dabo ei, non sitiet in* [7] *æterno ; sed erit et fons aquæ salientis in vitam æternam.* Item in Evangelio : *Qui metet, mercedem accipit ; et qui congeret, fructum in vitam æternam.* Item in Evangelio : *Amen, amen dico vobis, quoniam qui verbum meum audit, et credit ei qui me misit, habet vitam æternam ; et judicium* [8] *non veniet, sed transiet de morte in vitam.* Item in Evangelio : *Dicit ergo Jesus, Amen, amen dico vobis, non Moyses dedit vobis panem de cœlo ; sed Pater meus dat vobis panem de cœlo illum verum. Ille est enim panis qui discendit* [9] *de cœlo, et vitam dat huic mundo. Dixerunt ergo ad eum ; Domine, da nobis hunc panem. Et dixit eis Jesus : ego sum panis vitæ ; qui venit ad me, non esuriet ; et qui credit in me, non sitiet umquam.*

Item in evangelio : *Hæc est autem voluntas Patris mei qui me misit, ut omnis qui vidit filium et credit in eum, habeat vitam æternam ; et ego resuscitabo eum in novissima die.* Item in Evangelio : *Amen, amen dico vobis, qui credit in me habet vitam æternam.* Item in Evangelio : *Ego sum panis vivus, qui discendi* [10] *de cœlo, ut si quis manducaverit ex hoc pane, vivat in æternum.* Item in Evangelio : *Qui manducat hunc panem, vivit in æternum.* Item in Evangelio : *Qui manducat meam carnem et bibet* [11] *meum sanguinem, habet vitam æternam.* Item in Evangelio : *Qui sunt ex omnibus* [12] *meis...*

FRAGMENTUM XII.

..... Tollite *portas principes vestri ; et elevamini portæ æternales, et introivit* [13] *rex gloriæ. Quis est iste rex gloriæ ? dominus fortis et potens, dominus potens in prælio. Tollite portas principes vestri, et elevamini portæ æternales, et introivit rex gloriæ. Quis est iste rex gloriæ ? dominus virtutum, ipse est rex gloriæ.* Item Paulus apostolus : *imitatores mei estote, fratres, et conspicite eos qui ita ambulant : quos sæpe dicebam vobis, et nunc etiam flens dico, inimicos crucis Christi : quorum finis erit interitus ; quorum Deus venter, et gloria in confusionem ipsorum : qui terrena sapiunt : nostra vero conversatio in cœlis est ; unde et salutarem exspectamus dominum nostrum Jesum Christum, qui transfiguravit* [14] *corpus humilitatis nostræ* [15] *conformatum corpori* [16] *gloriæ suæ, secundum operationem, ita ut possit illi subjicere omnia.* Item in Evangelio : *Cum venerit Filius hominis in majestate sua, et omnes angeli cum eo, tunc congregabuntur omnes gentes ante eum ; et segregavit eos, quemadmodum pastor segregat oves ab* [17] *hedis* [18] *; et statuet eos ad dexteram suam, hædos autem ad sinistram. Tunc dicit rex eis qui ad dexteram sunt, venite benedicti Patris mei ; percipite regnum paratum vobis ab origine mundi. Esurivi enim, et cibastis* [19] *me ; sitivi* [20]*, et potum dedistis mihi ; nudus fui, et coopernistis* [21] *me ; infirmus fui, et visitastis me ; in carcere fui, et venistis ad me. Tunc respondebunt dicentis* [22] *: Domine, quando te vidimus esurien-*

[1] Ita cod.
[2] Cod. *omnem.*
[3] Cod. *omnes.*
[4] Ita schedæ, quas idcirco appello, quia pars hæc e codice Mediolanensi est, a quo nunc absum.
[5] Sch. *aut.*
[6] Sch. *quem.*
[7] Sch. *iten* pro *in.*
[8] Corrige *in judicium.*
[9] Ita sch.
[10] Ita sched. *di* pro *de*, ut supra.
[11] Ita sch.
[12] Ita sch.
[13] Ita sch. hic et infra, *v* pro *b.*
[14] Ita sch. Sic infra *segregavit.*
[15] Sch. *nostre.*
[16] Sch. *conformam corporis.*
[17] Cod. *ad.*
[18] Ita sch. sine diphth.
[19] Sch. *cibasti.*
[20] Ita sch. hic et infra.
[21] Sch. *cooperuisti.*
[22] Ita sch. pro *dicentes.*

Arian. cap. 3, itemque de Trin. IV, 27, non idcirco esse Filium minorem aut diversum natura Patris, quia ab hoc missus est. Adde Nicetam de rat. fid. ubi eleganter demonstrat, sicque concludit : *Hæc ideo sunt posita, ut vera ejus divinitas non negetur.*

tem, et cibavimus? vel sitientem, et potum dedimus? aut quando te vidimus hospitem, et collegimus te? aut nudum, et cooperuimus te? aut quando te vidimus infirmum, et visitavimus te? aut in carcere, et venimus ad te? Quibus respondit rex dicit [1]*: Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni ex his fratribus minimis, mihi fecistis. Tunc dicit his qui ad sinistram* [2] *sunt: Recedite a me, maledicti, in ignem æternum, quem paravit Pater meus diabolo et angelis ejus. Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare; sitivi, et non dedistis mihi potum; hospes eram, et non recepistis; nudus fui, et non vestistis me; infirmus fui, et non me visitastis; in carcere fui, et non venistis ad me. Tunc respondebunt.....*

FRAGMENTUM XIII.

..... admodum qui in principio Evangelii Verbum Deus esse prædicatur apud Deum. Propter hæc quæ superius antedicta sunt, et quando piis pium sensum propter eum tradidit, tunc procedens modicum, dicit: *Et Verbum caro factum* [3] *est, et habitavit in nobis, et vidimus gloriam ejus, gloriam tamquam unici a Patre, plenum gloriæ et veritatis.* Ipsum igitur Verbum Deum, ut non æstimes hunc innatum Filium unigenitum Dei, certissime et manifestissime ostendit Spiritus sanctus per beatissimum Joannem, simul et modum humanitatis manifestissime adnuntians, obstruit os eorum qui dicunt eum animam cum corpore assumpsisse [a]. Ait: « Et Verbum caro factum est, et habitavit in novis [4]: » hoc est carnem induit, non quia immutavit ipse Verbum Deus in naturam [5] carnis, sed carnem suscepit et habitavit in nobis, hoc est in carne nostra, et in ipsa passus est impassibilis Verbum Deus; et corruptelam sustinuit incorruptibilis Deus, ut nos ad incorruptibilitatem commutet. Non autem dealitas ipsius Verbi mortua, aut corruptionem sustinuit; sed separatio paulisper a corpore dealitatis, corruptio ejus corporis cognoscitur. Verbum autem Deus nihil passus est, nisi injuriam tantummodo propter nos. Si enim morientibus nobis nostræ animæ non moriantur, sed recessio animi a corpore corruptela hominis [6] nostri fit, multo magis dealitas unigeniti Dei non moritur; sed quando voluit, nutu Patris ultro mortuus est; hoc est a corpore recessit, et separatio ejus mors ejus dicitur [b] [7]. Post tertiam autem diem resumpsit iterum paterna voluntate corpus; et resuscitavit eum [8] ad incorruptionem; et ascendit cum eo super cœlos; et habet eum gloriosum templum sanctum vivum; et in ipso corpore, in quo salvavit genus humanum, in ipso in dextera virtutis Dei adoratur ab [9] omnibus. Eorum igitur certam notitiam disce a beatissimo et primo martyre dealitatis Christi Stephano dicente: *Video, inquit* [10]*, cœlos apertos, et Filium hominis stantem ad dexteram virtutis Dei.* Filium hominis corpus quod.....

FRAGMENTUM XIV.

.....*mini*sterii ad ædificationem corporis Christi, videntibus discipulis ascendit. Ascendit autem cum corpore ad suum Patrem, ubi erat antea; et munus acceptabile obtulit Patri nostrum corpus; et recipiens ad dexteram sedem suam; venturus inde iterum cum gloria et virtute judicare vivos et mortuos, et reddere unicuique secundum opera ejus. Misit nutu Patris Spiritum sanctum discipulis suis, sicuti promisit dicens: *Si ascendo ad Patrem, mitto vobis Spiritum veritatis.* Set [11] hunc Spiritum oportet nos necessarie [12] confiteri, qui sumus veritatis defensores, tertium post Patrem et Filium natura [c] et ordine, et eumdem in natura et dignitatem [13] possidentem. Ilic est primum et majus Patris per Filium opus [d], createræ. Nulla tamen videtur esse lacuna.

[1] Corrige *dicens*.
[2] Schedæ *sinistra*.
[3] Schedæ *factus*; sed infra *factum*.
[4] Ita cod.
[5] Cod. *in natura*.
[6] Sch. *homini*.
[7] In schedis oblitteratæ sunt quatuor circiter lit-
[8] Ita sch. pro *id*.
[9] Sch. *ad*.
[10] Sch. *inquid*.
[11] Ita sch.
[12] Sch. *necessariæ*.
[13] Ita cod.

[a] Hunc ipsum Ariomanitarum errorem refutat Augustinus contr. serm. Arian. ff. 7: *Ecce in quibus verbis suis omnino manifestant negare se quod ad unitatem personæ Christi etiam humana anima pertineat; sed in Christo carnem et divinitatem tantummodo confiteri. Quandoquidem cum penderet in ligno, illud ubi ait:* Pater, in manus tuas commendo spiritum meum, *divinitatem ipsam voluit eum intelligi commendasse Patri, non humanum spiritum quod est anima*, etc. *Fateantur Christum non tantum carnem, sed animam quoque humanam unigenito coaptasse*, etc. Lege etiam Ambrosium, de Incarn., c. 7; Fulgentium, ad Trasim., I, 18; III, 18, 19, 21, 24; et contra Fastid., cap. 22; item Ferrandum, epist. Casin. ff. 9. In eodem hoc errore Macedonianos quoque versatos fuisse, docet nos Theodoretus in dialogo contra illos; quo quidem errore nihil absurdius esse potuit. Nam cum Jesus tristitiæ et pavori in passione obnoxius fuerit; hæ autem affectiones in corpus non cadant; consequeretur ut divinitas tristis, metuens dolensque fuerit; siquidem Jesus anima carebat, ejusque vices occupabat divinitas.

[b] Imo vero christiana doctrina est, divinitatem in Christi morte neque corpus ejus exanime, neque divisam ab eo animam, deseruisse. Lege etiam Fulgentium ad Trasim. III, 25, 31.

[c] Longe aliter Augustinus orthodoxus de Trin. VI, 7: *Etiam Spiritus sanctus in eadem unitate substantiæ et æqualitate consistit. — Ita sunt illa tria, Deus unus, solus, magnus, sapiens, sanctus, beatus.* Et Didymus, ff. 24: *Indivisa est substantia Trinitatis.* Quam rem demonstrat præcipue et baptismatis formula; monetque, ff. 27, *ne velimus ex Filii et Spiritus sancti operatione diversa, varias æstimare naturas.*

[d] Paschasius de Sp. S., lib. II, 3, refutat Macedonium, qui Spiritum sanctum dicebat excellentiorem creaturam. Præstat autem audire antiquissimum Patrem Tertullianum de tota Trinitate loquentem contra Praxeam, cap. 2: *Unus et omnia, dum ex uno omnia, per substantiæ scilicet unitatem; et nihilominus custoditur œconomiæ sacramentum, quæ unitatem in Trinitate disponit, tres dirigens, Patrem, Filium et Spiritum sanctum. Tres autem non statu, sed gradu, nec substantia, sed forma, nec potestate, sed specie: unius*

tum per Filium [a], natura sanctum, sanctificantem possidens [1] virtutem, ut sanctificet simpliciter credentes in Patrem per Filium Dominum et Deum nostrum Jesum Christum : et ut doceat et commoneat et illuminet animas eorum, et dividat gratias, et ad scientiam veritatis omnes ducat et adducat ad Filium. Hic Spiritus sanctus non Deus [b] neque Dominus [c], non creator neque factor [d], non colendus neque adorandus [e], per divinas annuntiatus agnoscitur Scripturas; sed Spiritus sanctus, qui quæ [2] facta sint, per Filium sanctificat, et illuminat, et consolatur, et interpellat gemitibus inenarrabilibus pro nobis; et adjuvat infirmitatem orationis nostræ, et adducit ad Filium Dei perducendos ad Patrem. In isto Spiritu et angeli adorant Filium, et archangeli [3] et omnes invisibilium et cœlestium naturæ [4] in isto adorant Filium, et per Filium, Patrem : et in ipso Spiritu [5] sanctificatæ [6] omnes rationabiles creaturæ accedent [7] ad Filium Dei, et per ipsum glorificant Patrem : et ipse Spiritus sanctus ante omnia et pro omnibus et super omnia et cum omnibus Filium adorat ipse solus [f] sine mediatore, per quem factus est ante omnia : sicuti et Filius ante omnia et pro omnibus, et cum omnibus, et super omnia Patrem adorat, et gratias agit sine mediatore, solus condigne [8], qui genuit illum ante omnia. Et sicuti Filius a semet ipso facit nihil, sed.....

FRAGMENTUM XV.

..... et regantur, non vivet in æternum, sed potius damnabitur in metallum ignis æterni. Hoc etiam tenore credimus solum Deum Patrem [g] omnipotentem omnia creasse et regere universa : legem tradidit, Spiritum sanctum dedit et dat semper sanctis, prophetas instruxit : templum, quod Filius sumpsit de Maria Virgine et in cruce dimisit, Pater suscitavit : mundum sibi reconciliavit, peccata dimisit et dimittit [9] quotidie, omnes mortuos resuscitaturus, et omnes vivos et mortuos judicaturus, bonis et fidelibus requiem et gloriam æternam daturus, malos et perfidos in gehennam [10] missurus : primum quia ipsum Filium sciens, potens, volens ante omnia creavit, fundavit, genuit, fecit [h], secundum quod ipse Deus Pater omnipotens volnit, delinivit, jussit Filio, ut per ipsum omnia creata, facta, fundata, nata, substiterunt et reguntur jussu Patris : per Filium legem tradidit : Filius Spiritum sanctum dedit et dat semper sanctis : prophetas instruxit : templum suum, quod sumpsit ex Maria Virgine et in cruce dimisit, ipse Filius suscitavit : mundum Patri suo et sibi reconciliavit : peccata dimisit et dimittit quotidie, omnes mortuos suscitaturus et judicaturus omnes vivos et mortuos : bonis et fidelibus requiem et gloriam æternam daturus : malos et perfidos in gehennam missurus. Unum autem imperium et unam potestatem sic dicimus esse, quia secundum Patris imperium Filius omnia perficit : sed et Spiritui sancto, angelis et hominibus ea imperat Filius facere secundum quod Pater vult et jubet Filio, ut Filius imperet cæteris omnibus. Eos autem, qui dicunt, quotiens Scriptura divina [11] Jesum Christum commemorat, hominem tantummodo significat, corpus et animam non Deum, et ex eo esse Jesum Christum ex eo quod de Maria natus est, antea non fuisse, sicut Photinus et antecessores ejus asseruerunt, a communione nostra alienos habemus : Unum autem Deum et Patrem omnium sic dicimus et credimus, ut istum Spiritum sanctum, quem tertio loco a Patre post Filium in symbolo et in baptismo tradimus, non

[1] Sch. *possidentem.*
[2] Sch. *quæ ei.*
[3] Ita sch. sine aspir.
[4] Sch. *natura.*
[5] Sch. *spirito.*
[6] Sch. *sanctificati.*
[7] Ita sch. quamquam sequitur *glorificant.*
[8] Sch. *condignæ.*
[9] Cod. *demisit et dimittit.* Sed infra recte.
[10] Cod. *in gehenna*; sed infra recte cum *m.*
[11] Cod. *Scripturas divinas.*

autem substantiæ, et unius status, et unius potestatis; quia unus Deus, ex quo et gradus isti et formæ et species, in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti deputantur.

[a] Damasus quidem in epist. ad Paulinum dicit hanc *sacrilegam affirmationem*, eamque anathemate ferit. Hanc autem et sequentes blasphemias omnes singillatim refutant Ambrosius, Didymus, Basilius, Theodoretus, Nicetas, Paschasius de Sp. S.; item Augustinus de Trin.

[b] Contradicit Aquileiensis Nicetas, p. 12, sic : *Quid faciat fides Ecclesiæ? contra omnium opinionem scripturarum tam Veteris quam Novi Testamenti credat esse creatum Spiritum Dei sanctum, quem nusquam creaturam legere potuit? Absit. — Dominus dicit in Evangelio :* Hic de Patre procedit. *Quid nunc oportet, fratres? Christum audire, an homines? Christus neque factum dixit Spiritum sanctum, sed hoc solum, quia de Patre procedit. Contrarii dicunt, quia factus est et creatus. Puto melius esset ita credere ut Christus revelavit, quam ut humana præsumptio concinnavit.*

[c] Atqui in symbolo Constantinopolitano definivit Ecclesia : *Credimus et in Spiritum sanctum* DOMINUM. Lege Basilium de Sp. S., cap. 21.

[d] Contrarium demonstrant vulgo Patres. In his Didymus, de Sp. S., ff. 32, sic concludit : *Ex quibus ostenditur esse Spiritum sanctum creatorem, ut jam in dogmatum volumine breviter ostendimus.*

[e] Contra hunc errorem catholica Ecclesia in symbolo Constantinopolitano affirmat : *qui cum Patre et Filio simul adoratur.* Tum Damasus papa ad Paulinum : *Si quis non dixerit Spiritum sanctum adorandum ab omni creatura, sicut Filium et Patrem, anathemasit.* Adde laudem illam antiquissimam : *Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto*, super qua lege Basilium, de Sp. S., XXVII, 68; XXIX, 73.

[f] Quomodo adorat Filium Spiritus sanctus, si, ut ait Augustinus contra Maximin., I, 19, ne Patrem quidem dicitur unquam in Scripturis adorare Spiritus? Insuper Spiritum sanctum nemini servire demonstrat Ambrosius, de Sp. S., I, 1, nec non Didymus, de Trin., II, 6, ff. 10, 11.

[g] Hæreticum horum verborum apud Arianos sensum alibi patefeci.

[h] Has item locutiones, quatenus erant hæreticæ, in superioribus refutavi.

esse Deum creatorem [a] dicimus, quia nihil ab illo et per illum creatum est; quia omnia a Patre per Filium creata sunt; neque ipsum regere.....

FRAGMENTUM XVI.

..... provisor omnium, judex et dispensator, Deus quia omnia creavit et construxit; qui fecit omnia ex nihilo. Iterum idem ipse Athanasius antiquorum profert memoriam ac Dionysi episcopi, ut ostendat ante esse Patrem, quam Filius generaretur [b], dicens: *Ita Pater quidem, Pater et non Filius; non quia factus est, sed quia est; non ex aliquo, sed in se permanens: Filius autem et non Pater, non quia erat, sed quia factus est; non de se, sed ex eo, qui eum fecit, Filii dignitatem sortitus est* [c]. Deinde ipse Athanasius: « Non enim se erigit Filius contra Patrem, neque putat paria esse cum Deo [d]: cedit autem Patri suo, et fatetur; docens omnes quia Pater major [e]: *major* autem non vastitate neque magnitudine [1 f], quæ quidem corporum propria sunt, sed perpetuitate [g] et inenarrabili ejus paterna ac generandi virtute [2]: ut quia ipse quidem sempiternus est, et in se plenitudinem habens, et a nullo vitam habens. » Similiter etiam Bithenus episcopus [h] et cognitus [3] ad Papam [i]: « Ergo Filium genitum dicimus: Filius autem ingenitus numquam fieri potest. Solum autem Patrem scientes ingenitum de sanctis Scripturis: veneramur autem Filium, quia [4] apud nos certum est hanc ejus gloriam ad Patrem ascendere. » Et post pauca idem: « Cum ergo majorem se Pater [5] ostendat certum esse quia non solum operationem [6] creaturæ, sed quia ingenitus est. » Similiter idem ipse in alia epistola: « De Patre autem et Filii diceris sicut scis superna baculum est ambulare [7]. » Ergo vere primum deprecamur Dominum, ut veniam mihi tribuat propter necessitatem; et ita de his incipiam, non de plurimis quæstionibus, neque per circuitum, sed per compendium.

FRAGMENTUM XVII.

« ..... [j] significatione ignis, in se ignem habens, et in igni ignis manens. Nam cum sit in eo splendor lumine [8] naturæ, calor virtus urendi, mobilitas æstuandi, totum [9] tamen ignis est, et hæc universa una natura est. » Item Hilari: « Omnium ergo suorum quis [10] Pater esto. » Item Hilari [k]: « Quæro utrum alterius generis Deus sit, qui in forma Dei Deus maneat, et secundum consignatas consignantesque species in signaculis cernimus cum impresso plumbo ferrum et gemma ceræ specie vel concavæ [11] in se imago signata. » Item Hilari [l]: « Quæro itaque nunc, utrum divisio ac separatio sit, cum ignis ex igne est; numquid abscinditur natura? aut non sequitur natura, ne sit cum accenso lumine ex lumine? » Utile existimavimus hæc pro Patre exerere comparationis exempla: nec mentiri [12] de professione sua existimaretur, cum divinæ professionis intelligentiam et [13] aliqua naturalia creaturarum exempum exspectat. Num *tabernaculum ejus ambulare?*

[1] Cod. *magnitudinem.*
[2] Cod. *virtutem.*
[3] Ita cod.
[4] Cod. *qui.*
[5] Cod. *Patre.*
[6] Num corrigendum *ob rationem?*
[7] Ita omnino se habet in codice hic locus qui Œdi-
[8] Cod. *luminæ.*
[9] Ita cod.
[10] Ita cod.
[11] Cod *concave.*
[12] Ita cod.
[13] Cod. *ex.*

[a] Creatorem demonstrat Spiritum sanctum magnus Basilius, cap. 16. Item Augustinus, contra Maximin. II, 17, aliique PP., quos inter Ambrosius, de Sp. S., II, 5: *Quis vero dubitare potest quia vivificet omnia Spiritus sanctus, quando et ipse sicut Pater et Filius, creator est omnium; nec quicquam nisi cum Spiritu sancto Deus omnipotens Pater intelligatur operatus: quandoquidem et in principio creaturæ spiritus superferebatur super aquam?* Cætera quæ copiose addit Ambrosius, ex ipso fonte a curiosis petantur. Tum Didymus, de Trin., I, 36: Ἑκάστης ὑποστάσεως δυναμένης δημιουργῆσαι, καὶ πάντα ποιῆσαι, εὐδόκησεν ὁ Θεὸς καὶ Πατὴρ διὰ μὲν τοῦ Υἱοῦ καὶ Θεοῦ ὑποστῆναι πάντα· διὰ δὲ τοῦ ἁγίου Πνεύματος ἁγιασθῆναι.. Quin adeo Spiritum sanctum creatorem declarant Platonis comici versus ab eodem Didymo recitati, op. cit., II, 27. Vide etiam Faustinum, contra Ar., cap. 7.

[b] Capitalem hunc errorem quod Filius ante tempora quidem (id est ante res creatas) sit genitus, sed non ab æterno, late invicteque refellit Hilarius, de Trin., I, 34; II, 20; III, 3; IV, 6; XII, 21. sqq. 51; et de Synod., ff. 25. Item Ambrosius, de Fide, I, 8 sqq.; III, 4.

[c] In Athanasii certe epistola de sententia Dionysii vix hæ sententiæ invenientur.

[d] Filium nonnisi secundum carnem subjectum Patri demonstrat Ambrosius, de Fide, V, 14. Alioquin dicit Apostolus: *Non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo.* Legesis præterea Hilarium, de Trin., XI, 30, 43 sqq., et Leonem Magnum, serm. 25, 2. Imo Patres id passim concordes affirmant.

[e] Famosissimus in theologia locus, super quo videndi saltem Hilarius, de Trin., IX, 58; Augustinus de Trin., I, 15, 22, 23, et serm. 341, 6; Ambrosius, de Fide, II, 8, et ep. 10, class. 1; Theodoretus, dialog. de Sp. S. cap. 1?: Faustinus, lib. de Fide, cap. 4; Didymus, de Trin., I, 36, et III, 18; Anonymi breviarium fidei; Ferrandus, ep. 3, et epist. Casin., ff. 2, 7; Fulgentius de Trin., I, 4; Ephræmius chronicus a me nuper editus, v, 4768; Nicetas Choniates, Hist. VII, 5.

[f] Par sententia est in Athanasii oratione 1 adv. Arianos, ff. 58.

[g] Hoc refutavimus in superioribus, ubi de Filii æternitate testimonia doctorum Ecclesiæ laudavimus. Neque item major Pater est generandi virtute, quia tam bonum est Filio, quod Filius est, quam Patri, quod Pater est.

[h] Ignotus mihi hic *Bithenus* episcopus. *Bitinicus* episcopus Arianus occurrit in subscriptionibus concilii Sardicensis apud Hilar., Op. hist. fragm. III. *Bithynicus* hæreticus sub Constantio imp. occurrit apud S. Athanas., Opp., t. I, p. 377.

[i] Fortasse intelligendus Julius papa ad quem fuit Sardicensis epistola scripta. Hilar., Op. hist., frag. II.

[j] Sequentia verba S. Hilarii sunt ex opere de Trinitate, lib. VII, 29.

[k] Lib. VIII, 46.

[l] Lib. VII, 29 et 30. Quamquam in editionibus alius materiæ ordo est.

pla præstarent [1] : « Sed quia simpliciorum fidem [2] furor hæreticus turbaret, ut id de Deo credi non oporteret [3], quod difficile, nisi per corpoream comparationem [4], possit intelligi; idcirco secundum [5] illud Domini dictum, Quod de carne nascitur, caro est; quod autem de Spiritu, spiritus est; quia Deus spiritus est [a], et de Deo natus est. » Vanissimus Hilarius circumvenit mentes innocentium; et quod Dominus de baptizatis et de his qui spiritualiter nascuntur dixerat, ille de nativitate Filii Dei asseruit scriptum esse [b]. Sed ipsa lectio necat Hilarium, dicente Scriptura divina : « Noli mirari, quia dixi tibi, Oportet vos nasci denuo. » Videant ergo et intelligant.

PRIMUS CAPITULUS [6] FIDEI CATHOLICÆ [c].

Confitemur, credimus, tenemus, Deum Patrem omnipotentem sine initio [7] esse [d] innascibilem, impartibilem, invertibilem, et immutabilem esse, summum, altissimum, incomparabilem et omnium Deum; et quod sciens, potens, volens, ante omnia sæcula et tempora, et ante omnia omnino Filium sibi creavit [e], fundavit [f], genuit, fecit : et manet ipse Filius impartibilis, immutabilis, cum Deo Patre in sempiternis sæculis sine fine [8]. Et quia volente et definiente, jubente Deo Patre omnipotente, per A Filium unigenitum Deum Spiritum sanctum, cætera omnia cœlestia et terrestria, visibilia et invisibilia, creata, facta, nata, fundata, constituta, ficta [9], condita, substiterunt. Et quod filius in principio, et ante quam descenderet in Maria virgine [10] semper obediens fuit Deo et Patri suo [g]. Et quia disponente et definiente Deo Patre [11] omnipotente, per Filium omnes prophetæ dixerunt aspirati, quod ipse Filius venturus esset mittendus a Deo Patre illuminator et Salvator generis humanis : et quod ex Virgine esset sumpturum templum, id est carnem, ut Filius Dei omnipotentis [12] propter carnis assumptionem Filius hominis et homo pronuntiandus esset, id est Filius David, quia ex semine ejus carnem accepit. Et quia mittente Deo Patre Filius in hoc mundo [13] venit, ut B per suam doctrinam et passionem [14] et mortem crucis, et tertia die resurrectionem [15], et ascensionem in cœlis [16] cum carne [17] illuc, unde [18] sine carne descenderat : ut per bonum [19] baptismi omne [20] genus hominum in se integra fide credentium salvaret, quos etiam Ecclesia [21] cognominavit. Et hoc docuisse Dominum et Deum nostrum Jesum Christum in terris, secundum quod illi [22] Deus Pater jussit in cœlis. Et summum sacerdotem esse Filium Deo Patri [h], et mediatorem esse inter Deum Patrem

[1] Cod. *prestarent*. Immo et in præced. dic *ne mentiri*, et *ex aliquo*.
[2] Deest *fidem* in cod. Item mox *credi*.
[3] Cod. *oportere*.
[4] Cod. *corporea comparatione*.
[5] Cod. *sensum*.
[6] Notemus *capitulus* pro *capitulum*.
[7] Cod. *sine initium*.
[8] Cod. *sine finem*.
[9] Ita cod.
[10] Ita cod.
[11] Cod. *Patri*.
[12] Cod. *omnipotentes*.
[13] Ita cod.
[14] Cod. *passione*.
[15] Cod. *resurrectionis*.
[16] Ita cod.
[17] Cod. *cum carnem*.
C [18] Cod. *inde*.
[19] Malim *donum*.
[20] Cod. *omnem*.
[21] Malim *Ecclesiam*.
[22] Cod. *illis*.

[a] Hoc loco utitur Ambrosius, de Sp. S., III, 10, ad demonstrandam Spiritus sancti divinitatem : quæ verba adeo Arianos intellexisse ait de Spiritu, ut ea de suis codicibus fraudulenter abstulerint.

[b] Locus Joannis III, 6, citatur quidem ab Hilario VII, 30; sed tamen de Filii divina nativitate non usurpatur nisi VII, 14. Et revera apud Joannem Christus Dominus loquitur de renatis et baptismate; idque agnoscit etiam Ambrosius, de Sp. S., III, 10, ff. 63; tamen Hilarius satis apte utitur his verbis ut Filium demonstret substantiam habere paternam, nempe esse Deum quia genitus ex Deo; non autem creatum fuisse ut alias res mundanas. Sane si renati baptismate, spiritus sunt, quoniam spiritu renati; multo magis Filius ex Deo spiritu naturaliter natus, spiritus erit : idque consequens fortasse spectavit Hilarius, cum Tertulliano loc. cit. apud nos, p. 210, n. 1, et Phœbadio, cap. 11.

[c] Mirari licet impudentem Arianum, qui suam ecclesiam dicit catholicam; nempe, ut suspicor, post Ariminense concilium, de quo gloriatur Maximinus Arianus, apud S. Augustinum, coll. cum Max., ff. 2; queriturque cum nimia verborum emphasi Hieronymus, adv. Lucif., ff. 19 : *Ingemuit totus orbis, et Arianum se esse miratus est.* (Non quia scilicet defecerit tunc recta fides : sed quia, ut ait ibidem Hieronymus, decepti sunt orthodoxi episcopi ab Arianis subdola fidei formula aliisque artificiis.) Et quidem etiam S. Hilarius, initio libri VI, deplorat infausti Arianismi morbum in omnibus ferme Romani imperii provinciis inficientem ecclesias; ita ut hæresis ex ingenti asseclarum numero auctoritatem sibi præsumeret. Porro ab hac diversæ sunt Arianæ fidei formulæ, quas recitat S. Hilarius de Trin., IV, 12, et VI, 5, et contra Auxent., ff. 13; et de Synod., cap. 11, 28, 35, 38. De harum autem formularum multitudine conqueritur idem S. Hilarius, lib. II ad Const. et contra Const.

[d] Atqui Didymus, de Trin., I, 33, Filium quoque dicit ἀληθινὸν Θεὸν καὶ οὐκ ἔχοντα πρὸ αὐτοῦ Θεόν. Immo, I, 7, et III, 2, ff. 14, demonstrat cum Paulo *atheos* fuisse qui Filium Deum non agnoverint.

[e] En summam Ariani erroris, quod Filius nempe D sit creatura. Porro S. Hilarius, de Syn., capp. 17, 18, sapienter docet vocem *condidit* (seu *creavit*) intelligendam esse ex sequente *genuit*.

[f] Etiam apud Hilarium, VI, 4, hæresis Ariana dicit Filium *creatum et fundatum*.

[g] Recole dictum S. Ambrosii, p. 222, n. 1. Præterea de missione Filii, volente Patre, in hunc mundum, repete sis, p. 225, n. 3. Insuper sic Ambrosius, de fide, V, 7 : *Si minorem putas eum qui mittitur, eo a quo mittitur; disce quod et minor majorem misit. Nam et Tobias Raphaelem archangelum misit*, etc. *Num et Pilato minor Christus, quoniam Pilatus misit eum ad Herodem? Sermo non præjudicat potestati : Scriptura quem missum dicit a Patre, missum dicit a præside.* Pergit deinde Ambrosius explicare quid in vocabulo missionis intelligendum sit. Eidem objectioni Arianorum naviter occurrit idem Ambrosius, op. cit., lib. II, 9.

[h] Sacerdos est Christus secundum humanitatem,

omnipotentem et omnem creaturam : et ipsum esse, per quem reconciliati sumus Deo Patri. Credimus etiam quod Filius postulat a Patre suo : petit etiam et rogat pro omnibus sanctis et pœnitentibus : et quod gratias egit agit [1] Filius Deo et Patri suo : et quod omnium orationes sive gratiarum actiones Deo et Patri per Filium offeruntur : et quod jubente Deo Patre, Filius ejus ad dexteram suam sedeat [a], et interpellat Patrem suum pro nobis : et omnia omnino Deum Patrem Filio subjecisse credimus. Et si omnia Deus Pater Filio subjecit, et Spiritum sanctum subjecit [b]. Si autem Spiritus sanctus Filio non est subjectus, non omnia Deus Pater omnipotens Filio suo subjecit. Sed et illud quod scriptum est : *Pater Filio subjecit ; diligit Filium, et omnia dedit in manus ejus ;* et *omnia mihi tradita sunt a Patre meo ;* sic credimus esse : in quo Pater genuit Filium, dixit ei, scito te creaturum omnia, recturum, et omnibus dominaturum, ut ego voluero, definivero, jussero tibi. Sed et Filius libentissime hoc ipsud quod a se neque est neque aliquid facit [c], sed Dei opificium in sua natura claritatis sine dubio ostendit, ministerium suum cum cæteris creatis exhibens, Dei providentia hominibus deserviens, velut gigans exsultans, currens viam ab Oriente usque ad Occidentem, naturæ suæ claritatis omnibus portans lumen ; ut respiciens ad eum omnis homo rationabilem habens intellectum, gratias agat Deo, qui præparavit hujus claritatem ad lucem vitæ humanæ. Etenim cum hominem aliquem videris præparantem lumen nocte sera, numquid illo [2] lumini gratias agis secundum rationem justitiæ ? *Non*, sed ei qui præparavit lumen [d]. Secundum hanc itaque justitiæ rationem, vel naturalem utens intellectum [3], solum opificem hujus et largitorem magnificare debes ; et ei, qui tibi condonavit hujus luminis visum, gratias agere debebis ; ut et tu quemadmodum sol exhibet tibi deservitionis ministerium, secundum Dei providentiam, quorum [4] debitor es, gratiarum actiones largitori tuo reddas, qui solem propter tuum constituens beneficium posuit in cœlo, ita ut luceat super terra. Ita est itaque quod dictum est : *Sole* [5] *posuit tabernaculum suum ; et ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo, exultavit ut gigas ad currendam viam : a summo cœlo egressio ejus ; et occursus ejus usque* [6] *ad summum ejus ; et non est qui se abscondat a calore ejus.* Tu itaque si permanens in erroris tui [7] ignorantia, negas unius Dei esse opificium, hanc quæ videtur creaturam [8], et secundum insipientiæ tuæ impietatem plurium [9] deorum [e], qui non sunt, esse affirmas opus ; evidentissime ipsa creatura, aspectu [10] naturæ suæ, erroris arguit insipientiam ; cum invicem ordinem custodiens, et temporum propria observans, et se [11] invicem succedens, et tamquam ex unanimitate, secundum unius Dei providentiam [12], usum ministerii sui hominibus exhibens. Manifestum est itaque quia qui creavit cœlum, ipse creavit et luminaria in cœlo ; ipse quoque et terram creavit, et universa quæ sunt super terram. Hujus autem indicium evidentissimum hoc est, quod ea quæ.....

A

B

C

D

FRAGMENTUM XVIII.

« . . . *Nativitas ejus ante æterna tempora est. Si aliquid in rebus est, quod antevenit æternitatem ; erit aliquid profecto quod sensum æternitatis excedat. Tua enim res est, et unigenitus tuus est : non portio, non protensio, non secundum efficientiarum opinionem nomen aliquod inane ; sed Filius, Filius ex te Deo Patre, Deus verus, et a te in naturæ tuæ unitate genitus ; post te ita confitendus, ut tecum : quia æternæ originis suæ auctor æternus es. Nam dum ex te est, secundus a te est, dum vero tuus est, non* [f] es separandus ab eo : quia nec sine tuo [13] confitendus es aliquando ; ne aut imperfectus sine generatione, aut superfluus post generationem [14] arguaris ». Item Phœbadi aquitane socio [15] Hilari. « [g] Qui ergo probaverit sine verbo, sine ratione, sine sapientia,

[1] Ita cod. *egit agit.*

[2] Ita sch. Sic alibi auctor noster in dativo casu *toto.*

[3] *Utor* cum quarto casu, id quod ipse Cicero facit, de Rep.

[4] Ita sch. pro *quarum rerum.* Vel scribe *quarum* referens ad *gratiarum.*

[5] Ita sch. non *in sole.* Si scribes *soli*, cum Hebraica lectione consenties. (Ps. Hebr. XIX, Lat. XVIII, 5.)

[6] Sch. *adque.*

[7] Sch. *tuæ.*

[8] Sch. *hæc creatura.*

[9] Sch. *plurimum.*

[10] Sch. *ævidentissimæ ipse creatura aspecto.*

[11] Ita cod.

[12] Sch. *providentiæ.*

[13] Nempe *Filio.*

[14] Schedæ *generatione.*

[15] Ita sch.

ut pulchre disserit Ferrandus, epist. Casin., ff, 14, 15.

[a] Ambrosius de Fide, II, 12 : *Sedet ad dexterum Patris Filius : num tibi videatur inferior, qui ad dexteram sedet ? num injuria Patris, qui ad sinistram sedet ? Pater honorat, et tu injuriam putas ? Pater mavult id esse pietatis exemplum, et tu putas præceptionis imperium ?*

[b] Imo creaturas, non Deum Spiritum sanctum, Pater Filio subjecit. Lege Augustinum de Trin., VI, 7, 12. Errorem Arianorum qui sub vocabulo *omnia* (cum de creatis sermo erat) comprehendebant etiam Spiritum sanctum, castigat Didymus a me jam laudatus, p. 213, n. 5. Item Fulgentius, contra Fab., fragm. XXXIV.

[c] Hujus loci evangelici elegantissima est Didymi de Sp. S., ff. 37, interpretatio dum probat unam esse Trinitatis operationem : *Filius non potest a semetipso quicquam facere, quia a Patre non potest separari.* Item Hilarius, de Trin., IX, 47, 48, et XI, 12, eadem utitur qua Didymus argumentatione, sed pluribus verbis dilatata. Tum idem Didymus, de Trin., I, 36, in hujusmodi locutionibus nihil aliud agnoscit nisi divinarum personarum concordiam.

[d] Papæ ! non est tamquam lucerna quædam Filius Dei. Porro Christus dixit honorificari Patrem ab eo qui Filium honorificat.

[e] Ex initio certe opusculi primi constat, loqui auctorem nostrum etiam contra idololatras.

[f] Hactenus lacunam codicis supplevi ex Hilario, de Trin., XII, 54.

[g] Ex Phœbadio contra Arianos op. I, cap. 16.

sine virtute, sine spiritu, aliquando Patrem fuisse, A his probavit Filium cum Patre et in Patre ante omne principium non fuisse. Et tamen nescio, si his virtutibus carens, possit Deus dici. Non modo enim Deus, qui in sua sempiternitate perfectus est, sed ne creatura quidem illa secundum genus suum inconsummata constavit [1]. Non potest quid esse, si non sit; non autem erit, si illi defuerit quod esse debebit. Totum igitur defuit Patri, si aliquid defuit. Totum defuit autem, si Filius suus, hoc est virtutum suarum plenitudo, initium non caret [2]. Et necesse est hanc opinionem in alterutram blasphemiæ partem profane [3] sacrilega definitione transire. Aut enim Pater credendus est cum Filio suo initium fuisse sortitum, quia sine Filio suo, hoc est sine virtutibus fuisse non potuit; etenim [4] huic illorum B initio nescio quis tertius Deus : aut si solus Pater sine initio dicitur, utique [5] ad Filii generationem imperfectus fuisse dicendus est. Imperfectus enim, si cœperit habere quod ante non habebat, et habere tamen debuit. Denique habere voluit [6] semper, qui semper debuit esse perfectus; quia non accipit augmentum quidquid occupavit totum. » Item Ambrosius [a] quemadmodum confirmavit suprascripta Hilari et Phœbadi. « Dicit aliquis, quomodo generatus est Filius? quasi sempiternus, quasi verbum, quasi sapientia, quasi splendor lucis æternæ [b] : quia splendor operatur, ut nascitur. Apostoli istud exemplum est, non [7] meum. Noli ergo credere quod iverit vel momentum aliquod quod fuerit sine sapientia Deus, aut sine splendore lux. » Item Ambrosius [c] : « Accipe C aliut quod clareat; Filium sempiternum Apostolus dixit, quod sempiterna ejus virtus sit atque divinitas. » Item Phœbadius [d] : « Hic blasphemiæ æstus, hic [8] totus [9] sacrilegus dolor, quod in Patre et Filio recipitur Deus unus. » Item Phœbadius : « Pater Deus et Filius Deus, *Spiritus* sanctus Deus, et hæc omnia unus Deus. »

FRAGMENTUM XIX.

.....tre et exterminabitur malum a vobis. Item in Deuteronomium [10] : *Describet sibi Deuteronomium istum* [11] *in libro levitis* [12] *et sacerdotibus, ut sit cum eo; et leget eum omnes dies vitæ suæ, ut discat metuere Dominum Deum suum, et observare omnia præcepta ejus, et justitias has facere, ut non exaltetur cor ejus a fratribus suis; sed non transgredietur a præceptis dextra vel sinistra, ut sit longævus in principatu suo ipse et Filius* [13]. Item in Deuteronomium : *Et non solis vobis ego dispono Testamentum hoc et maledicta, sed et his qui comitantur vobiscum hodie in conspectu Domini Dei vestri, ut his qui non vobiscum hodie.* Item in Deuteronomium : *Et dicent omnes gentes terræ, quare fecit Dominus sic terræ huic? quæ est hæc ira furoris ingens? Et dicent, propter quod dereliquerunt Testamentum Domini Dei patrum suorum, quod disposuit* B *patribus ipsorum, cum eduxit illos de terra Ægypti. Et euntes servierunt diis alienis, et adoraverunt eos quos non noverant, et non permanserunt ad Dominum Deum suum. Et iratus furorem* [14] *Dominus super terram illam, induxit super eam secundum omnia maledicta Testamenti, quæ scripta sunt in hoc libro. Et abstulit eos Dominus a terra eorum in furore et ira et exacerbatione magna nimis : et projecit eos in terram aliam;* et cætera. Hoc jus divinum, has Scripturas sanctas defendit Constantinus senior dicens [e] : « Licet me sublimissimum atque omnium dominum me sentiam, mortalem me esse cognosco, et quandoque hujus regni gloriam relicturum [15] intelligo. » Quærenda igitur fama æterna, ac [16] sublimia illa quæ ab æterno Domino et a sublimi Deo descendunt [17]; quæ divinæ C legis [18] promittunt : quod sacra Filii Dei pollicentur; quæ post hujus vitæ decursum ab ipso Filio Dei sponsore exhibentur. Brevis igitur hujus temporis gloria deponatur, ut per fidem sine fide possideatur, quo [19] ipse secundum sacram Dei legem post vinculi mortem daturam [20] immortalitatem post brevissimam vitam sine fine polliceri [21]; et cætera. Hoc jus divinum, has Scripturas sanctas defendit Constantius scribens ad sanc [f] . . . . . D

[1] Ita sch. pro *constabit*.
[2] *Careo* cum quarto casu est etiam apud Frontonem.
[3] Ed. *profana*.
[4] Ed. pro *etenim* habet *et erit auctor*.
[5] Sch. *dicturoque* pro *utique*.
[6] Ed. melius *debuit*.
[7] Sch. *nomen* pro *non*.
[8] Sch. *hunc*.
[9] Male in cod. *dictus* pro *totus*.
[10] Ita sch.
[11] Ita sch.
[12] Ita sch.
[13] Sch. *filiu*. Sequitur autem mendose in cod. *sinistra vel*.
[14] Ita sch.
[15] Sch. *relectum*.
[16] Sch. *ad*.
[17] Ita sch. ut supra.
[18] Ita sch. pro *leges*.
[19] Ita sch.
[20] Ita sch.
[21] Ita sch.

[a] De Fide, I, 13.
[b] Confer Fulgentium, contra Fab., fragm. XXII, XXIII.
[c] De Fide, I, 10.
[d] Op. I contr. Arianos, cap. 22.
[e] Quonam in scripto?
[f] Codicis hiatus prohibet nos quominus de his litteris Constantii accuratius cognoscamus. Cæteroquin compertum est hunc cæsarem ab Arianis episcopis et hæresi circumventum multa perperam sanxisse, orthodoxos episcopos edictis damnavisse. (Vetuisse eum edicto vocabulum quoque *homousion* notissimum est.) Litterarum hujusmodi meminit S. Hilarius, l. II, 2, ad Const., et Lucifer Calaritanus, ed. Colet., p. 17. Quin adeo Sulpicius Sev., Hist., lib. II, diserte narrat hæreticam epistolam ab Arianis episcopis Mediolani fuisse sub Constantii nomine compositam et divulgatam. Fidei formulas a Constantio Ariano conditas memorat S. Hilarius, in libro adversus hunc cæsarem, ff. 7, et de Synodis, ff. 78. Denique Liberius papa (in Opp. S. Hilarii, frag. V) conqueritur de sermone Constantii cæsaris ad populum misso, quo ipse Liberius lacerabatur.

FRAGMENTUM XX.

. . . . . [a] *prophetas Dei. Et cum audissent pseudoprophetas qui erant cum Ochusia* [1] *filium Achab, qui fuerat doctor eorum Gamarias* [2] *de monte Ephrem, et ipse fuit frater Sedeciæ, suasit Ochodiam regem Gomorræ et occidit Michæam. Et cognovit Bechira, et vidit locum Esaiæ et prophetarum qui cum illo erant; ipse enim habitabat in Beclem; et abiit Hierosolymam, et conjuncti sunt et ipsi Asamar. Et factum est cum venisset Salmanassar rex Assyriorum, et accepisset Samariam, et abduxisset nomen. . . . . dixit . . . . . bus in carcerem, et perduxisset eos in montem Medor. . . . . ad flumen Gozan, Bechira fuit juvenior, et fugit et pervenit Hierosolymam in diebus Ezeciæ regis Judæ : non ambulabat in. . . . .* B *. . . . . Samariæ patris sui, quoniam timebat Ezeciam. Et inventus est in tempore Ezeciæ loquens verba injustitiæ in Hierusalem, et s. . . . . a pueris. . . . . in regione Beclem. Et contempsit Bechira Esaiam et prophetas qui cum eo erant dicens, quoniam Esaias et prophetæ, qui cum illo sunt, prophetabant in Hierusalem. . . . . a civitatis Judeæ, quoniam deseruntur, et in filios Judeæ et bon. . . . . quoniam captivi ducuntur. Et inde, domine rex quoniam galea grec. . . . . per ferrum deduceris : ipsi prophetaverunt in Israhel et in Juda et in Hierusalem : et ipse Esaias dixit se plus quam Moysen prophetare. Dixit enim Moyses quoniam homo non potest videre Deum; dixit autem Esaias vidi Deum, et ecce vivo. Tu, rex,* C *intellige quoniam mendax est : et ecce Hierusalem Sodomam dixit, et principes ejus et Judeæ et Hierusalem populum Gomorræ nominabit* [3]. *Et cum in multis detraxit Esaiæ et prophetis, et supersedit Beliac in corde Manasse, et corda principum Judæ et Benjamin et spadonum et consiliariorum* [4] *regis. Et placuerunt eis sermones Bechire, et mandavit rex, et apprehenderunt Esaiam. Fuit enim Beliac bilem habens in Esaiam propter quod in se ostenderit Samael, et quoniam ipse nuntiavit adventum Dilectissimi de septimo cœlo et Transfigurati; quem ejus et discensum et formam in qua transfiguraretur esse*

[1] Cod. *Ochusiam.*
[2] Cod. videtur *Camarias.* Sed recte infra.
[3] Ita cod.
[4] Cod. *consiliario.*
[5] Ita cod.
[6] Cod. *et.*
[7] Ita cod. antiqua orthographia ut *rusus* apud Frontonem.

A hominis, et persecutionem quam passurus est, et contumeliam quam. . . . . .

FRAGMENTUM XXI.

. . . . . *filios voci Micheæ et reliquis prophetis, dicens in eo, in quo prophetiam meam audistis : vidi angelum gloriosum non secundum gloriam angelorum, quos ego semper videbam, sed claritatem magnam et sanctam habentem, quam ego claritatem exponere non possum. Et accessit et tenuit manum meam, et dixit : Et quis es tu, et quod tibi nomen est, et quo me tolles? accepi enim vires loquendi cum eo. Et dixit mihi : Cum te imposuero et ostendero tibi visionem, propter quod* [8] *ad te missus sum, tunc intelliges qui sim, nomen autem meum non dicam tibi, eo quod revertaris in carnem. Cum enim sustuleris te, tunc videbis. Propter hoc enim missus sum ut veniam. Simpliciter mihi respondet et ait mihi : Et majus me videbis. Hilariter simpliciter loquitur tu. . . [et eminent] iorum ipsius majorum videbis. Propter hoc enim missus sum a septimo cœlo, ut* [6] *omnia tibi ostendam. Et sustulit me, et ascendi ego ipse in primum solidamentum, et ibi vidi Samael et fortitudinem ejus : et fuit in eo bellum grande, et angeli Satanæ simul invidentes; sicut enim susus* [7] *sic et in terra. Et dixi angelo, qui fuit mecum : Quid est bellum hoc, et quæ invidia hæc? et dixit mihi : Sic est ex qua* [9] *oculum factum* [9] *est, usque nunc est, sic erit bellum quoad usque veniat quem visurus est, et emundabit eum. Et postea posuit me super solidamentum; et fuit cœlum, et vidi ibi sedem in medio, et ad dexteram ejus et ad sinistram angeli erant; angeli ad sinistram* [10], *qualis* [11] *ad dextram* [12] *: ad dextram enim claritatem magnam* [13] *habuerunt : et laudabant omnes una voce : et sedes erat in medio, et a sinistra postea benedicebant. Fuit autem vox a sinistro, non sicut nec minus erat illis similis; et rogavi angelum qui me ducebat, et dixi ei : Cui mittunt angeli hymnos* [14]*? et dixit mihi : Gloriæ sedentis septimi cœli, qui est perpetui sæculi, et dilecto ejus a quo missus sum ad te. Et imposui me secundum cœlum, et fuit altitudo cœli qualis a cœlo usque ad terram et ad firmamentum : Et vidi ibi quomodo videram in primo cœlo angelos dextros et sinistros et sedes medias. . . . . .*

[8] Ita cod.
[9] Ita cod.
[10] Cod *ad sinistra.*
[11] Ita cod.
[12] Cod. *ad dextra.*
[13] Cod. *magna.*
[14] Cod. *hymnus.*

[a] Quæ sequuntur, fragmenta duo, nempe XIX et XX, petita videntur ex apocryphis Veteris quodammodo Testamenti libris.

Nota. — *Quoniam in meis ad Ariana fragmenta scholiis Hilario Pictaviensi plurimum usus sum, venit mihi in mentem Hilarii alterius Arelatensis, cujus deperditos de fonte ardente versus memorat biographus ejus antiquus (apud Quesnel. op. S. Leon., t. I, p. 367), ego autem nuper legebam in Vaticano codice satis vetere, ubi opusculum quoddam scribitur de mundi miraculis. Immo ante Hilarii versus, fragmentum legitur ex deperdita item Julii Titiani (qui sub Commodo vixit) chorographia, quam Servius ad æn. IV, 43, laudat. In eodem opusculo Phœnix quoque Lactantii citatur, et Berosus in Babylonicis. Verum his omissis, tractum illum recitabo, qui J. Titiani Hilariique fragmenta nobis exhibet.* Quartum miraculum Ætnha, cujus montis meminit et ille Julius Titianus his verbis dicens : « Montes maximi in Sicilia IV, Erycus, Ne-

brodes, Neptunus, et Æthna : quem videns sæpius flammas e vertice volvere, sentire orbis prope fide credentium * : quamquam id cum primo Romæ nuntiatum est arsisse, et hoc jam in monstris procuratum est. » Quintum est de fonte Gratianopolitano, de quo simul et latex manat et ignis. Nam vides e nymphis flammas supervolare, hauris aquam de medio fonte; curris, bibis, nec incenderis; portas, nec ab igne comprehenderis. Quod si cereum vel tædas admoveas, protinus ut flammas attigerunt,

* Locus corruptus.

A comprehenduntur. Manum quoque si mittas, non crematur. Hinc Hilarius quidem ait :

Si vere exurunt ignes, cur vivitis, undæ?
Si vero extinguunt undæ, cur vivitis, ignes?
Lympharum in gremiis inimicus conditur ignis :
Communesque ortus imperat alta manus, etc.

Non retulit reliquos versus auctor opusculi, cujus ætas (*sæc.* VI) *inde argui potest, quod in eo memoratur Sigeberti* I *regis obitus veluti ejus temporis eventus.*

SERMONUM ANTIQUORUM RELIQUIÆ

EX ALIO PALIMPSESTO BIBLIOTHECÆ AMBROSIANÆ.

FRAGMENTUM I.

INCIPIT SERMO III [a].

Dominus noster Jesus Christus ipse est fundamentum, ipse perfectio, ipse angularis. A terra est et a cœlo : de cœlo enim descendit Deus, et hominem assumpsit de terra, et sociatus est homini. Ecce de cœlo, ecce fundamentum, ecce angularem. Hic bene complacuit in hominibus : et his, qui de terra sunt, dedit Spiritum sanctum de cœlo; ut et superiores et inferiores unam faceret Ecclesiam; hoc est divinitati humanitatem, divinitatem humanitati permiscens [b]. Cum autem fundamentum audieris, Dominum intellige : ipsum [1] enim fundamentum demensus est. Lapides qui super ædificantur, parem fundamento debent habere mensuram, ut ædificandi [2] usibus conveniens fiat . . . . .

B gines quædam sunt : divina enim ab his qui experti sunt agnoscuntur, et ab his in quibus oportuit veritate aspiciuntur. Ita igitur debes intelligere aut audire, id est ultra tuam scientiam, ultra sensum; quamdiu res ipsa mysterii gratiam [8] *in* mentem tuam infundat. Etenim [9] purpura et regalia vestimenta lucrum nullum nec vitam tribuunt videntibus, præter id solum quod delectantur aspectu : divina autem gloria et cœlestis imaginis pulchritudo vitam præstat æternam, charitatem veram, cordis puritatem, cibum cœlestem. Qui igitur hoc intuentur lumen divinum, in sua corda splendificans, nullis rebus occupantur terrenis; sed prorsus connexi sunt illi pulchritudini. Sicut enim parvulus matrem suam aspiciens in manibus se gestantem, gaudet et lætatur, quoniam C vitam lactis sumit ex ea, et in eam aspicit; ita et verum lumen habentes in se, attendentes ad hoc, requiescunt et gaudent gaudio quod non potest enarrari : ex ipso enim indiscunt [10] immortalem escam, et in ipso vivunt vitam veram in sæculo. Explicit sermo V.

FRAGMENTUM II.

EX SERMONE V.

. . . . . quam per speculum intuemur, in eamdem imaginem reformati de gloria in gloriam. Sicut enim aliquis regalia vestimenta, purpuram et diadema et cætera similia inspicit, et varietatem miratur, subtilitatem, gratiam, pulchritudinem pretiosorum [3] lapidum, et insatiabiliter aspiciens delectatur; vel quemadmodum [4] . . . . [5] *aspicit* . . . . uo [6] remota et cœlestem imaginem Christi ferventem habentem [7] in nobis et intelligentes pulchritudinem ineffabilis luminis intuentur : quemadmodum reformantur de gloria in gloriam, varietatem et pulchritudines diversas, quæ lingua carnali narrari non possunt, imo nec intellectu comprehenduntur, quanta sint quæ fiunt in hoc mundo cum sanctis. Ipsæ enim parabolæ ima-

[1] Malim *ipse*, ut referatur ad *demensus est*.
[2] Cod. *ædificanti*.
[3] Ita cod.
[4] Cod. *quemammodum*. Alibi vero interdum *quemadmod*. Immo et *quæmamm.*; prorsus ut in cod. Verrinarum Ciceronis.
[5] Spatium vocabuli.

D [6] Spatium aliquot litterarum.
[7] Num pro *habitantem*?
[8] Cod. *gratiæ*.
[9] Cod. *hæc enim*.
[10] Ita cod.
[11] Cod. *dicendo*.

[a] Ita legebam in codice; nisi forte ante *III* erat *C*, ita ut sermo sit *CIII*, quod vix crediderim. Porro ante hunc sermonem explicit in eadem pagina alter his verbis : *Ipsa est enim vera Dei agnitio, operatio Spiritus sancti. Amen. Explicit de verbo substantiali.*

[b] Liberiore et vulgari veluti sensu loquitur auctor. Cæterum Christus unus est, non confusione substantiæ, sed unitate personæ.

tiam consequentur, quod et anima liberetur gravissimis vinculis mortis atque peccati, et quod semetipsa recipiet, et cogitationes suas, et cœlestem regem Christum tamquam sponsum secum habitantem [a].....

FRAGMENTUM IV.

INCIPIT HOMILIA [1] XXIV.

Interrogatio seniorum quorumdam, si vere in resurrectione omnia membra resurgunt. Responsio. Deo omnia sunt possibilia, et ita promisit : hominis autem infirmitas et cogitatio, quasi impossibile huic apparet [2]. Quemadmodum enim de limo terræ accipiens, et quasi quamdam aliam construxit naturam, dissimilem a terra; et plurima faciens genera ut.... capillos et pellem et ossa et nervos; quemadmodum autem acus in ignem mittitur, mutat colorem et transfiguratur.... quamvis solvatur, tamen stabilis est; ita in resurrectione omnia membra resurgunt, et capilli non disperient, juxta quod scriptum est, et omnia efficiuntur lucida, et omnia in igne et in lumine tinguntur et transfigurantur : sed non, sicut quidam dicunt, quod solvantur et ignis efficiantur etiam, et non stabit natura. Petrus enim, Petrus est; et Philippus, Philippus : et unusquisque in propria natura et substantia permanet, sicut et in plenitudine Spiritus. Si autem.....

FRAGMENTUM V.

EX HOMILIA XXXIII.

..... quemadmodum si sit civitas deserta aut diruta, et voluerit quis restaurare eam; prius ea quæ remanserant [3] vel corruerant, destruet ad purum; et sic incipit ponere fundamenta, et erigere fabricam; et tamen domus necdum est perfecta. Similiter et qui paradisum voluerit fabricare in locis desertis et abditis, primum incipit mundare, et sæpem circumdare, et aquales distinguere; deinde plantare, ut post multum tempus afferat fructus paradisus. Ita et voluntas hominum prævaricatione exasperata et deserta et spinosa facta est. Dixit enim ei Deus : *Spinas et tribulos proferet tibi terra.* Oportet igitur, ut quis laboret et opere multo requirat, et ponat fundamentum, donec veniat in cor ejus ignis cœlestis, et mundet omnes spinas. Tunc demum incipiet sanctificari. Explicit homilia XXXIII.

FRAGMENTUM VI.

INCIPIT HOMILIA XXXIV.

Omnes rationabiles creaturæ (dico autem angelos, animas, et dæmones) integræ et simplices a creatore creatæ sunt : quæ quidam [4] ex eis in mala conversæ sunt per liberi arbitrii voluntates; et erunt hæc [5]. Voluntate enim propria aversi [6] sunt a sancto et integro cogitatu. Hoc enim intelligimus, quia a fabricatore malum nihil constat esse creatum. Judicem itaque dicimus Deum mittentem Satanam in ignem. Sunt enim quidam hæreticorum dicentium [7] esse materias sine initio [8], et materiæ radicem, et virtutem radicis unius esse virtutis. Adversus hæc habes rationabilem responsionem.....

FRAGMENTUM VII.

EX HOMILIIS INCERTIS.

..... Oleum lætitiæ præ consortibus tuis, et multam ac variam escam spiritalem et cœlestem, incorruptam, glorificam, et vestem cœlestis luminis.... in his enim vita, non in corpore. Qui autem remanserit in propria natura..... corrumpetur et morietur..... Anima quando in sola propria natura remanserit, et non participaverit divinæ naturæ, id est gratiæ, morte æterna morietur in pœnis, quia digna non est effecta æternæ vitæ particeps esse. Sicut enim infirmantis corpus cum escam non poterit accipere vel potum, desperantes [9] de eo plangent eum omnes proximi vel charissimi amici vel dilecti ejus..... ascendet enim super te cœlestis agitator, et fiet anima tua tota oculus, et tota lumen. Et si cibum sumpsit spiritalem, si vitæ potum [10] potata es, et si indumentum ineffabilis luminis induta es, ut possis adversus machinamenta resistere diaboli : si interior homo his omnibus per probationem confirmatus est; aut si vita vivet æterna, in Domino requiescens. Si autem hæc omnia non recepisti nec possides, non in veritate contristari debes [11], quod tantarum non sis particeps divitiarum, et tantam necdum acceperis vitam? Itaque dolorem paupertatis tuæ habeto et inopiæ, eo quod in propria peccatorum tuorum adhuc remanseris inopia. Si ergo quis habens dolorem propter inopiam propriam, et nondum satiatus, in securitate ambulat, qui autem dolorem habet, deprecatur petens Dominum, velocius percipiet redemptionem et cœlestes divitias; secundum quod Dominus dicebat de judice [12] iniquitatis. De vidua sermo narrans edocuit.....

FRAGMENTUM VIII.

. . . . . fissam enim habentes ungulam et rumigantia [13] animalia [comedenda] esse lex præcepit (*Levit.*, XI). Hoc est enim necessarium, duplicem se intelligere hominem, contradicentem et non concordantem coinhabitanti peccato. Oportet autem animam separari cum cogitationibus suis, et dijudicare per verbum et segregari a communicatione peccati :

[1] Cod. *omilia* sine aspir. Et quidem. p. 29 codicis dicitur *sermo*, non *omilia*.
[2] Ita se habet anacoluthon.
[3] Cod. *remanserunt*.
[4] Sic se habet solœcismus in cod.
[5] Sic legebam.
[6] Ita cod.
[7] Cod. *discentium*.
[8] Cod. *sine initium*.
[9] Ita cod. et sic Itali nunc loquimur *di* pro *de*.
[10] Ita cod.
[11] Cod. *deflens*.
[12] Cod. *de judicem*.
[13] Ita cod. Confirmatur autem vocabulum unica hactenus Apuleii auctoritate nixum.

[a] Paginam 30, paginasque duas reliquas palimpsesti, nempe 31 et 32, prætermisi, quia discedenti mihi Mediolano tempus exscribendo defuit.

et tunc Deus inversa [1] te discernit, et separat animam a malis spiritibus, qui sunt cogitationum radices. Sicut enim agricola utiliter terræ agens curam, primum renovat eam et mundat spinis et tribulis; et tunc semina mittit, ut opportune fructus restituat; ita oportet placere Deo volentem, et semen gratiæ sperantem recipere, mundare et renovare, et omni virtute ornare ex se, ipsam terram cordis sui, ut semen spiritus cadens in corde bonæ terræ, fructum sancti Spiritus reddat multiplicem. Vel quemadmodum artifex qui diligentius operatur [2] pelles animalium, quæ dicuntur pergamena, nisi primo auferat ab eis pilum, et superfluam pinguedinem carnis, vel nigrorem sanguinis et reliquam immunditiam, ut diligenter munda et limpida ea perficiat: non potest in eis lex Domini scribi: sicut ergo artifex sapiens, quemadmodum oporteat omnia superflua auferet, mundans et nitorem præstans; et tunc ibi scribuntur Dei leges: et tunc erunt scripturæ spirituales: eadem igitur similitudine et ii qui volunt, et qui sperant leges Spiritus sancti in suo sensu vel anima scribi, et cœlestem vitæ imaginem Christi induere, omni sollicitudine et diligentia cor suum sicut artifices mundum exhibeant, emundantes se ab omni agrestis istius sæculi pinguedine, et a sollicitudine carnis et sanguinis; et ab omni terreno vinculo separati, et a terrenarum rerum distensione, quæ est veluti nigror sanguinis, hoc [3] emundent; ut sic emendantes et præparantes sensum proprium et cor, scribat ibi Deus sanctus proprias leges; secundum suam promissionem, *dans leges in corde et in sensibus eorum scribens, et erunt populus ejus.* Sicuti et Apostolus dicit: *Has habentes promissiones, mundemus nos ab omni carnis.* . . . . . .

A tenebrosis et malignis spiritibus, illis similiter ministrat et servit. Sicut ait: hominum enim corrupta mens. Et iterum: coinquinata est mens eorum et conscientia. Et iterum: timeo enim ne *sicut* serpens Evam fefellit astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri. Est igitur fornicatio visibilis. Est et invisibilis fornicatio per cogitationes illiquas. In lege enim mysterium aliquod sanctus Spiritus demonstrans animæ, quadrupedia immunda separabat a mundis: munda enim mundos necesse est pariant fructus. Ita debent animæ cogitationes naturæ propriæ esse mundæ, per scientiam verbi, a cohabitante peccato et ab immundis cogitationibus: ut anima naturæ propriæ cogitationes, verbi notitia, mundas pariat; non consentiens nec communicans malitiæ fructus immundi, scientia

B ea quam natural. . . . . ignorantiam pariet, neque audit aut loquitur aut immergitur in peccati tenebras, quoniam a vitiis est eruta. Etenim mens, quæ vixit in tenebris, et non est morti nata. . . . . hæc de Christi corpore non est, non est de corpore luminis, sed socia est tenebrarum et portio. Et iterum, quorum animæ cœleste [4] lumine illuminatæ sunt; et effecti [5] sunt portio luminis. Sed dicet aliquis; quemadmodum corpus tenebrarum est diaboli anima, quæ non est creatura ejus? Hic respiciens itaque recte intellige. Sicut enim indumentum, quod [6] uteris, alter confecit vel texuit, et eum [7] indueris; similiter domum alter fabricavit et constituit, ut habitares in ea: ipsa ergo similitudine [8] et Adam præceptum prævaricans, et malignum ser-

C pentem obaudiens, et Dei præcepta sancta contemnens, distractus est; vendens se virtutibus [10] nequitiæ, et subdidit inimico [11] animam, quam Deus bonam fecerat, suæ imaginis proprium habitaculum. Propterea enim anima corpus efficitur tenebrarum nequitiæ, quamdiu in peccatis est, etc.

FRAGMENTUM IX.

. . . . . Jam nunc ergo sermonem exigat unusquisque ab anima sua, dijudicans cogitationes proprias per præcepta divina; et probet in quibus sit deditus, et a quibus detineatur; et videat si legibus Dei concordet cor ejus vel cogitationes ejus. Sin vero, festinans convertatur unusquisque in omni virtute animæ vel corporis; ut quemadmodum corpus exterius [9] a fornicatione conservat et a malitia et corruptione, veluti Dei templum; *sic* in interioribus animam et cogitationes custodiat a corruptione spirituum malignorum: ut non communicet cogitationi-

D bus eorum, nec coinquinet se, quia est sponsa Christi. Sicuti enim corpus fornicatur, ita et anima occulte communicans malignis virtutibus in cogitationibus, in peccatis invisibilibus: corrumpitur enim et fornicatur. . . . . desideriis . . . . . in vana gloria, in invidia, in rapina. Ubi enim communicat anima, illic et ministrat et servit: si autem divino Spiritu communicat, ipsi et ministrat: si vero

FRAGMENTUM X.

.....neque enim de Gabriel et Michael dixit: Faciamus secundum imaginem et similitudinem nostram, nisi tantum de homine. Vide igitur honorem tuum, quemadmodum sis pretiosus ab [12] angelis, quomodo Deus per se ipsum pro tua legatione vel redemptione in terram venerit. Deus ergo et angeli pro tua redemptione et salute venerunt. Rex, filius regis, fecit convilium [13], et veniens in crucem posuit animam suam. Tanta enim est charitas Dei ad hominem, ut immortalis pro te cruci affigeretur, sicut scriptum est: *Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unicum daret pro eo. Quomodo ergo non omnia cum ipso nobis donavit?* Et alibi: *Amen, dico vobis, quoniam super omnia sua constituet eum.* Dicit enim alibi minister sanctorum: cum Eliseus esset in monte, et venissent ad eum allophyli, dicebat puer multi sunt. . . . . .

[1] Ita legebam.
[2] Cod. *operatus.*
[3] Cod. *hunc.* Scripsi *hoc*, referens ad *cor.*
[4] Cod. *exteriorem.*
[5] Ita cod.
[6] Ita cod.
[7] Ita cod.
[8] Ita cod.
[9] Cod. *ipsum similitudinem.*
[10] Scilicet *potentatibus.*
[11] Cod. *sibi nicos.*
[12] Ita cod. loco *præ.*
[13] Ita schedæ *consi.*, non *cons.* nisi mendum meum est.

FRAGMENTUM XI.

. . . . . *vocati* ad imperatorem [1] præfecti vel comites sub magno timore et tremore sunt, quemadmodum ad interrogata respondeant, aut ne in aliquo offendant verbo [a], et incidant in periculum [2]; rustici autem et ignavi, qui numquam judicem penitus viderunt, in securitate transigunt: et in hoc sæculo ab imperatore usque ad pauperem securitatem videntur sub cœlo habere. Qui autem ingrediuntur ante tribunal Christi. . . . . semper sub timore et tremore sunt positi. Nam et divites terræ quando copiosum fructum in horreis reconderint [3], rursus operantur per singulos dies ut acquirant. Sin vero in reconditis sint præsumentes, et ea quæ in horreis sunt reposita neglexerint, statim in inopiam et in infelicitatem ruunt. Idcirco laborare fortiter debent, et recondere potius. Et christianitas ita est, ut unusquisque gratiam Dei gustet. Est enim gustate et videte quoniam suavis est Dominus. Est igitur gustus operationis in plenitudine virtutis, Spiritus sancti gratia ministrante in corde. Quotquot enim luminis et regni sunt filii, vel ministri Novi Testamenti in spiritu, isti ab hominibus non docentur, sed a Deo sunt edocti: ipse autem scribens legem in cordibus eorum. Non enim in Scripturis tantummodo debent instrui, quæ atramento sunt scriptæ [b]; sed in latitudine cordis gratia Dei, et legis spiritus, et cœlestia mysteria scribantur, etc.

FRAGMENTUM XII.

. . . . . Dico autem tibi quoniam et Apostolos habentes Paracletum securos in omnibus non fuisse [c]. Aderat enim in eis gaudium et lætitia, timor et tremor ex ipsa gratia; non enim de parte malitiæ; sed gratia ipsa custodiebat eos ne vel in modico averterentur. Quemadmodum si sit aliquis jactans lapidem in murum [4], quid læsus aut commotus est murus? aut veluti sagitta in hominem [5] tectum clibano [d] mittatur, quid aut corpus aut ferrum nocuit impingens et cadens? Ita pars aliqua malitiæ etiamsi approximavit eis in aliquo, in nullo tamen nocuit eos [6], quoniam induti erant perfectam Christi virtutem: et ipsi perfecti cum essent, habebant libertatem operandi justitiam. Quoniam dicunt quidem, quod cum gratia sit animæ securitas. . . . . .

FRAGMENTUM XIII.

. . . . . animas multorum quasi immundis spiritibus impleverunt. Sicut psalmus ait, quoniam repleti sunt obscurati domibus iniquitatum. Et posuit testamentum contra regem verum, legem peccati, et imagines nebulosas et doloribus plenas, et nummum reprobum spernendum signavit, et malitiæ mores edocuit, legiones induxit, spiritus pravitatis qui obtinent animam in compedibus solidatis et serris ferreis ad observandam eam ne exeat: et coegit eam facere opera eorum, secundum illorum arbitrium; et corruperunt eam et fornicati sunt cum ea; et cooperuerunt tenebris oculos ejus, ne videret dominum suum; et in mola tenebrarum commolere coegerunt, ut cogitaret carnalia et mundana, sentiret terrena et limosa: et excitavit in ea fontem cœnosum, iniquitate scatentem; et consilia malignitatis spirituum sparserunt in ea, et in captivitatem duxerunt populum ejus, id est multitudinem consiliorum; spoliaverunt et gloriæ vestimentis, *infecerunique* pannos ignominiæ et immunditiæ, plenos amaritudine et felle; et impleverunt eam omni immunditia. Deinde postquam multa tempora transierunt, et ipsi consuetudine tenebrarum potestate decenti, nullam memoriam sui regis habebant, nec propriæ libertatis, sed ita habebant ut si tales ab initio essent creati; misit ergo Christus rex cœlestis et verus, primum per sanctos prophetas hominem commonens, et in memoriam nobilitatis propriæ revocans dignitatis; id etiam memorans quam acerbo [7], quam subdolo teneretur errore, annuntians se ipsum venturum, et liberaturum eum per se ab his qui eum in captivitate detinebant.. . . . . adulterii nummum deleret, et omnes inimicos a quibus tenetur extingueret: et renovare eum promisit secundum arbitrium suum et legem pacificam dare spiritus et divinam, ut simul mores antiquos qui erant in eo malitiæ commutaret: tantum ut memor sui anima ad proprium confugiat Dominum, ei se tradens, et suam commodans voluntatem: et ut crederet, quod facturus sit omnia quæ promisit; et eum obsecret diès noctesque vociferans ut a mala captivitate et acerba eruat servitute. Quando autem illustravit [8] bonitas salutaris nostri Jesu Christi, et promissionis consummata sunt tempora, et venit rex Christus ad redimendum et recipiendum hominem suum, quem multis temporibus dira servitus tenebat; et quotquot in eum crediderunt, et ad eum confugerunt, redempti sunt. Et rogavit, suam captivitatem confitens, quod non per semet posset liberari et de servitute erui, [9] id est ad superiorem mundum, et ab hoc sæculo ad beatum et perenne sæculum facilius volat cum multa requie. Jam enim Filii Dei et celsiores fiunt et superiores sine ullo metu spirituum immundorum, et feritatis eorum; sicut enim volatilia jam non timent ferarum insidias. Ut autem nullus est hominum qui pecorum loquelam [9]

[1] Cod. *ad imperatore.*
[2] Sch. *in periculo.*
[3] Ita sch. pro *recondiderint.*
[4] Sch. *muro.*
[5] Sch. *homine.*
[6] Ita sch.
[7] Cod. *acervo*, hic et infra.
[8] Ita cod. pro *illuxit.*
[9] Cod., *loquellom.*

[a] Hinc cognoscimus, auctorem scripti hujus vixisse manente adhuc Romano imperio.
[b] Norent theologi hunc locum de Apostolorum gratia.
[c] En sententiam adversus illos heterodoxos, qui nihil pensi habent præter scriptum verbum Dei.
[d] Noti sunt *clibanarii* milites, id est *cataphracti*.
[e] Videtur interjecta lacuna.

intelligat, ita et linguam Spiritus sancti nemo hominum plenus spirituum mundanorum agnoscit; sed soli filii gratiæ verba matris agnoscunt : secundum quod dictum est, spiritalibus spiritalia comparantes; animalis autem homo non recipit quæ sunt spiritalia : stultitia enim est ei. Sicut enim hominibus incognita est hirundinum vox, ita et carnales spiritalibus pro barbaris sunt. Hæc autem quadam similitudine umbratili eorum, quæ vera sunt, dicimus volatilium et hujusmodi rerum; sumentes ab his quæ videntur exempla et materiam colligentes; quoniam spiritalia nullam interpretationem recipiunt : sicut et Dominus locutus est in parabolis : ait enim : Aperiam os meum in parabolis, Spiritalia enim invisibilia sunt, et nec sermone humano possunt exponi, nisi spiritus ipse obsecretur ut doceat. Spiritalem enim regenerationem incrementum et perfectionem noscere non possumus, sed solummodo credere quod ita in hominibus operetur qui ei conversatione sui placere potuerunt. Ita et spiritalium loquela barbara *est* mundanis hominibus. Sicut enim pisces maris omnes, quæ sunt in eo, norunt semitas et profunditates, et homines vel feras vel pecora non possunt agnoscere. . . .

CONTRA ARIANOS FRAGMENTUM.

In miscello codice Vaticano-Regio DLVII, *p.* 6 *et* 7, *duæ exstant membranæ sæculo ferme* XI *scriptæ, in quarum priore contineri partem cognovi sermonis de symbolo adversus paganos et Arianos, quem inter spurios Augustinianos collocant Maurini editores, in tomi VIII appendice, p.* 11, *sqq. In posteriore autem membrana, quæ manu eadem perscripta est, fragmentum item legebam contra Arianos, quod ego cum considerarem, pertinere suspicabar ad tractatus illos Augustini contra prædictam hæresim quos deperditos esse scimus. Equidem sentio me periculose admodum de hac re pronuntiare; fieri enim potest, ut vel Augustini cognitum fragmentum sit (de qua re vestigare allius per angustias temporis nequeo) vel cujuslibet alterius Patris, quorum permulta contra Arianos scripta exstant, et a me pleraque sunt lectitata, quin tamen hanc particulam in iis me legisse nunc recorder, quamquam aliquid haud scio an simile me vidisse alicubi pene commemini. Verum quid prohibet, quominus prædictam membranam hoc loco lectoribus meis post Ariana fragmenta exhibeam; quæ sive alibi edita est, sive secus, catholicam veritatem belle propugnat? Certe hanc ipsam Arianorum objectionem de* genito *et* ingenito *proponunt sibi dissolvuntque sapienter Basilius, orat. contra Arr., ed. Garn., t. II, p.* 194; *et Ambrosius, de Incarn. sacramento, capp.* 8 *et* 9; *itemque Augustinus de Trin.*, V, 4, *qui et de illa sic proœmiatur :* Inter multa quæ Ariani adversus catholicam fidem solent disputare, hoc sibi maxime callidissimum machinamentum proponere videntur cum dicunt, etc. *In membranæ calce scribitur nota quaternionis septimi; unde cognoscimus reliquum esse fragmentum ex aliquo majore codice.*

. . . . non edocti humanæ sapientiæ verbis, sed docti spiritu. Redde ergo, hæretice, quod docuit spiritus; redde ut fides non sit in sapientia hominum, et hæresis non erit. Et ne diutius immoremur, veniamus ad ea, quæ nobis tamquam murum ferreum opponere consuerunt dicentes : ingenitus et genitus idem est, necne? ut per id quod dissimilis sonus in nomine est, non videatur Patris et Filii et Spiritus sancti eadem esse substantia. Secundum quam formam et ego interrogo : si differentia est geniti nomen ab ingenito, ne eadem videatur substantia : ergo quodcumque ingenitum dicitur, ejusdem erit substantiæ, si geniti ab ingenito discrepat nomen. Dicitur ergo ingenitus Pater atque infectus : dicitur et Filius genitus atque infectus. Si igitur in eo quod ingenitus *et genitus*, sibi differunt; ergo in eo quod infectus et infectus dicuntur, ejusdem erunt substantiæ. Spiritus etiam sanctus, de quo scribitur, quod neque Pater sit, neque Filius, neque quod factus; quid erit dicendum? ingenitus erit : sed si ingenitus, ejusdem erit substantiæ, cujus et mundus est, vel ea quæ ex nihilo sunt. Sed mundus etsi factus est, ingenitus est : non enim Filius est, quia factus est; erit ergo quod et Pater est, qui est ingenitus : quo genere si et Spiritus sanctus factus est, erit et ipse ut mundus ingenitus. Sed diximus Filium infectum, non enim factus est : ergo quidquid factum non fuerit ejusdem erit substantiæ. Pater factus non est; Spiritus sanctus *factus* non est; Filius factus non est : ergo ejusdem erit substantiæ Spiritus sanctus, vel Filius, cujus et pater est. Ingenitus Pater, ingenitus et Spiritus sanctus, ingenitus et mundus (non enim nati sunt) ejusdem erunt substantiæ, cujus et Pater est : sed mundus factus est, Pater autem non est factus, sed neque Filius neque Spiritus sanctus; ergo solus mundus non erit ejusdem substantiæ, cujus Pater, vel Filius, vel Spiritus sanctus. Quid ergo in nominibus et hominum sapientia convenientibus immoramur, et non in his quæ Scriptura signavit dicendo, Patrem et Filium et Spiritum sanctum esse credendum? Quod si nominibus *fides* adhibenda est, ut quicquid vel ingenitum sonat vel infectum, necesse est ut quicquid fuerit ingenitum vel infectum, ejusdem sit[1] substantiæ : et hac ratione quicquid illud fuerit, quod immortale dicatur, vel incorruptum, vel incorporeum, vel infectum, ut ejusdem videatur esse substantiæ. Mundus factus est, vel ea quæ in mundo sunt : numquid quæ facta sunt, ejusdem erunt sub-

[1] Cod. *esse*.

stantiæ, id est cœlum, terra, aer, aqua? Si igitur quæ facta sunt, non sunt ejusdem substantiæ, quia nata non sunt; ergo ingenitus et genitus, qui facti non sunt, ejusdem erunt substantiæ, quia aliud sit natum et aliud factum: ea enim quæ fiunt voluntate facientis, substantiæ diversitate consistunt: ea vero quæ nascuntur, etiam ex factis ejusdem naturæ semper obtinent veritatem. Respice arborum, seminum, pecudum, ferarum, volucrum, hominumque naturas; respice et earum opera, aut hominum habitacula, aut cubilia ferarum, aut nidos avium, aut apium cellas, aut promptuaria formicarum, aut antra aranearum, vel omnium generum secreta, atque in his, quæ dixi, earum opera considera. Numquid similis [1] substantiæ sunt? quorum quæ vel generant, vel generantur, ita procul opera [2] omnium sunt a natura generantium. Sola nativitas substantiæ se generantis indicium est. Factæ sunt etiam Dominationes, Virtutes, Potestates, Throni, Principatus: numquid quia factæ sunt, et genitæ dicuntur? Sed si genitæ non dicuntur, quia factæ sunt, erunt utique ingenitæ: si ingenitæ sunt, ejusdem erunt substantiæ, cujus et Pater est qui est ingenitus? Dicuntur ergo Throni, Potestates, Principatus, Dominationes, Virtutes: numquid ejusdem erunt substantiæ, licet nominum videatur esse diversitas? quia nominum diversitas honoris significatio est, et non earum substantiæ. Nam *quod* dicuntur Virtutes, Dominationes, Sedes, Potestates, honorum expressio est, non substantiæ demonstratio, quæ vel quales intelligi debeant. Et utique hæc omnia et incorporea et incorrupta et immortalia et ingenita dicuntur; non enim filii sunt, quia unicus Filius est, qui sinum Patris exposuit [3]. Denique de angelis quid ait Apostolus? *Cui enim angelorum aliquando dixit, Dominus filius meus es tu* (*Hebr.*, I, 5)? Negando ergo filios, negavit in eis nativitatem, non negavit creationem. Sic Apostolus ait: *Sive Dominationes, sive Principatus, sive Virtutes, sive Potestates, omnia per ipsum facta sunt* (*Coloss.*, I, 16). Facta autem dixit omnia, non tamen nata. Numquid ergo ex eo quod dicuntur vel incorporea vel incorrupta vel immortalia, substantiæ eorum confessio est, quæ vel quales sint, et non magis negatio passionum? Nam cum dicimus incorporeum aliquid, negamus corpus, non vero substantiam confitemur. Vel cum dicimus incorruptum atque immortale, non quid sit, sed quid non patiatur edicimus: non enim patitur vel mortem, vel corruptionem quod immortale dicitur vel incorruptum; unde ne quis nominibus tot, tantisque, tam multis, aut ejusdem dicat omnia esse substantiæ, aut iterum compo.....

[1] Cod. *similia*.
[2] Ita cod.
[3] Ita cod.

SERMONES DOMINICALES IV a.

SERMO I. IN SEPTUAGESIMA.

1. Ad cursum spiritalis stadii hodierna lectione provocati, qualiter currendum et a quibus abstinendum sit, fratres dilectissimi, mente persollicita considerare debemus. Stadium namque juxta litteram quarta pars dicitur milliarii, quod primum Hercules uno anhelitu cucurrisse fertur, in cujus fine ponebatur antiquitus palus, superposita corona de floribus texta: ibique propter hanc capiendam expedita juvenum cohors currere solebat, ut aliquis horum primus si posset velocius currens, bravium, quod nos coronam vocamus, raperet: ac per hoc regis et intuentium laudem, deinde multa donorum munera specialiter haberet. Multi enim ad hoc communi animo tendebant, sed ab uno cuncti superati erant; qui quod erat cursu velocior, rerum collectione cæteris videbatur dignior; et quanto gaudebat victor regiis muneribus ditatus, tanto victi dolebant, non solum donis privati, sed etiam tarditatis suæ verecundia dehonestati. Abstinebant quidem se a cibis, qui cursui nocent, sed non æqualiter; quia illius abstinentia fuerat major, qui in cursu erat cæteris velocior. Non miremini, fratres, quod ex paganica superstitione pro tuendis animabus apostolus imitabile dedit exemplum, ut putet aliquis vestrum in nullo gentilium cultus esse sequendos, a quibus christiana religio Christo cogente nos fecit extraneos. Primum deinde cognoscat charitas vestra, quoniam ex eorum ritu quædam sibi sancta usurpavit ecclesia, quæ non carnaliter, sed spiritualiter sunt sequenda; ex quibus istud est exemplum, quod hodierna lectio nobis protulit utillimum. Stadii siquidem finis, qui illis ad currendum metitus erat, præsentis vitæ terminum significat, qui ad cursum salvationis nostræ nobis datus est, dicente et monente Domino: Curre, miser, curre; festina, dum tempus habes, ne incidas in mortem. Currebant etenim illi pro temporali et corruptibili bravio capiendo, ut a rege mortali terrena munera caperent; curramus nos melius pro spiritali et incorruptibili bravio post carnis finem capiendo, ut a Rege regum, qui æternus et immortalis est, æterna et indeficientia munera capiamus; audientes exoptabilem vocem illius dicentis: Venite qui laboratis, etc. Illi quidem abstinebant se a pinguibus cibis, ut expeditiores in cursu redderentur; abstineamus et nos melius non tantum a cibis, quantum a vitiis, ut ad currendum veloces existamus. Quod autem ex magna juvenum frequentia unus bravium capiebat, cæteris incassum currentibus; quantum ad nos pertinet, fratres charis-

[a] Ex eodem perantiquo codice, unde Paridis Augustinique epitomas sumpsi.

simi, valde timendum est; scilicet ne ab uno omnes superemur, qui pro corona currere disposuimus. Unde monet Apostolus : Sic currite, ut comprehendatis. Et quomodo illam comprehendere poterimus, quoniam currere nolumus; et si aliquando currere inchoamus, heu! crassitudine vitiorum fatigati, turpiter in cursu deficimus! Nam cum omnis ecclesia in clericali et laicali sit ordine divisa, nemo eorum est, qui pro corona gloriæ currat; sed quidam insaturata cupiditate persolliciti, quidam ineffrenata voluptate polluti, quidam elatione sæcularis pompæ tumidi, non solum currere nolunt, sed etiam ipsos oculos ad capiendam coronam aperire nesciunt. Unde Psalmista : *Omnes declinaverunt simul inutiles facti.* Et Propheta : *Sicut populus, sic sacerdos.* Adeo enim cæcati, et in quodam oblivionis puteo detrusi sumus, ut nihil de futuro cogitantes, præter hanc vitam, in qua voluptates nostras exsequimur, aliam non putemus. Et ut amplius dicam, multi insanientes, dum cupidos animos voluptuosis desideriis pascunt, et in sibi subjectis more luporum sæviunt, aliam gloriam sonumque habere velle dicunt. Hi enim tales, naturam hominis perdunt, et naturam quadrupedum sortiuntur, qui irrationabiliter et inverecunde ventri et libidini semper insistunt. Hominem namque ita conditor rerum terrenis præposuit creaturis, ut bene utens temporalibus, post mortem frueretur æternis. Quid ex hoc agendum est, fratres charissimi? Omnes enim sumus perditi, nisi cito fuerimus divina misericordia sublevati. Ipsa namque ad currendum nos provocat dicens : ambulate ne tenebræ vos comprehendant. Qua vocante, si cursum iterum voluerimus repetere, non uni tantum, sed plurimis fas erit coronam contingere. Et sicut non semper in omni cursu vincebat, sed qui modo victus erat, modo renovatis viribus victor existebat; ita nos, si hucusque victi fuimus, amodo victores esse curemus. Via enim currendi nobis ante oculos posita est, in qua quanto fuimus tardiores, tanto possumus esse, si volumus, velociores.

2. Quomodo enim torpentes et pigri a cursu cessare possumus, qui non solum apostolum ad coronam, sed etiam ipsum Salvatorem nostrum ad denarium capiendum monitorem habemus? Ipse namque summus paterfamilias, qui plantavit vineam, id est sanctam ecclesiam, nobis qui sero, id est in fine mundi, in vineam laboraturi intravimus, cœlestis remunerationis denarium se daturum promittit : assimilans nos primis colonis, qui a mane usque ad vesperam portavere pondus diei et æstus. Audistis siquidem illum proposita vera et congruenti similitudine evangelii, mane, hora tertia, sexta, nona et undecima, ad vineæ suæ culturam operarios invitantem, et æqualem denarium cunctis finito opere reddentem. Et si horarum, quas audistis, significationes cupitis; discite, quia mane fuit ab Adam usque ad Noe; hora tertia a Noe usque ad Abraham; sexta vero ab Abraham usque ad Moysen; nona siquidem a Moyse usque ad Domini et Salvatoris nostri adventum; undecima fuit, ab adventu Domini usque ad finem mundi; in qua nos ultimi operarii in vineam intravimus. Sed quia desides et tardi in opere sumus, certi de denario esse non possumus. Studeamus igitur velocius operari, ut de denario possimus esse securi : et quia hodie a summo patrefamilias vocamur, vocationem ejus non despicientes, in vineam laboraturi intrare studeamus. Ipse namque præsens jejunium ad hoc instituit, ut peccata innumera, quæ carnis delectatione cæteris anni diebus commisimus, in hoc tempore per pœnitentiam et carnis mortificationem tergere studeamus.

3. Insuper etiam dies ista, quæ velut janua jejuniorum existit, et canticum lætitiæ, id est alleluia, nobis subtrahit, per omnem continuationem sui officii vocem pœnitentis plangentis exprimit : docens nos ab immoderata lætitia debere cessare, et in fletu et lacrymis pœnitentiæ manere. Hac igitur nocte, sæpius repetito nomine, ipsum alleluia affati sumus; quodammodo illud quasi hospitem retinere cupientes, dicendo illi : Mane apud nos hodie, et cætera. Cui etiam ultimum vale fecimus dicentes : Angelus bonus comitetur tecum, ut iterum cum gaudio revertaris ad nos, ut sciamus non antea nos perfecte gavisuros, quousque corpore et sanguine Redemptoris nostri renovati ipsum canticum gaudendo recipiamus. Antiphona siquidem missæ, quæ vulgo introitus dicitur, cum pœnitentibus plangit dicens : Circumdederunt me dolores mortis et in tribulatione mea. Collecta siquidem cum responso afflictionem pœnitentiæ sonant. Ille denique cantus, quem pro alleluia commutavimus (qui tractus ideo dicitur quod longos cantus habeat) pœnitentes profundo gemitu ad Deum clamare docet. Et sic cætera verba officii ordinatim digesta, non lætitiam gaudemium, sed luctum et mœrorem videntur exprimere peccatorum.

4. De nomine nempe diei, quæ septuagesima vocatur, si quæritis, sciatis quia non a numero dierum, ut æstimant, qui ab ea usque ad paschalem festivitatem tot dies putant, sed a numeri perfectione nomen accepit, a qua idem numerus initium sumpsit. Constat autem idem numerus ex denario septies ducto : quorum septenarium ad septem Spiritus sancti dona, denarius vero pertinet ad decem legis præcepta : quæ ita invicem junguntur, ut neque dona Spiritus sancti sine legis præcepto; neque præcepta legis sine sancti Spiritus dono custodiri ab aliquo possint : et qui alterum servaverit, alterum sine dubio habebit. Qui numerus recte pœnitentibus congruit, ut gratiam Spiritus sancti, quam peccando perdidere, decem legis præcepta maxime in hoc tempore custodiendo, recuperare valeant. Aliter secundum quosdam ad litteram septuagesima dicitur, eo quod israeliticus populus in Babylonia tot annis fuerit captivatus, a qua longo post tempore rediens, eodem numero in commemoratione ejusdem liberationis jejunium Deo consecraverit. Sed quia et secundum historiam et secundum allegoriam pœnitentibus congruit, studeamus

nos hoc in tempore peccata nostra deflere, ut animæ nostræ post hanc vitam, quæ septem diebus volvitur, a Babylonia, id est infernali captivitate, liberatæ et donis sancti Spiritus ditatæ, et coronam immarcescibilem pro cursu, et denarium pro diurno labore vineæ, a Rege regum possint gaudentes recipere. Amen.

SERMO II. IN QUADRAGESIMA.

1. Studete, charissimi, qui vestras animas a peccato mundare cupitis, ne ab hac via jejuniorum et emendationis, quam tenendam sumpsistis, aliquo turpitudinis diverticulo recedatis. Est enim quibusdam vestrum ex decepționibus antiqui hostis in hac die quædam injecta consuetudo, non tantum sequenda quantum despicienda; quod pro solo carnis cibo, qui nobis hodie non tollitur, putatis vos omnem corporis delectationem et quæque turpia posse licenter operari, hac inventa in vobis occasione, ut quia licitum est vobis carnibus vesci, licitum sit etiam carnis voluptatibus uti. Hæc enim opera non Christianorum sunt, sed paganorum. Pagani enim, qui et gentiles vocantur, deorum suorum, id est Jovis, Saturni, Minervæ et Veneris festivitatem colentes, post immensam cibi et potus voracitatem turpesque comessationes, ad theatrum, quod et lupanar vocatur, foras civitatem conveniebant: ibique primum jocis diversi generis, ad ultimum cum meretricibus, quæ in cavernis ejusdem theatri latebant, luxuriando corpora fatigabant. Ad hanc igitur turpitudinis immunditiam, ut Orosius Paulus narrat, idem diabolus, quem colebant, illos provocabat; ut cui solvebant sacrificium de victimis animalium, solverent etiam sacrificium de viribus propriorum corporum. Diabolus enim pollutus et immundus est, pollutum et immundum sacrificium sibi requirit: unde pelliceus, id est pellis gratia interpretatur, quia multum luxuria delectatur, quæ pellis pulchritudine excitatur. Sed quantum distat inter servitutem Dei et diaboli, tantum inter vitam illorum qui a Christo Christiani dicuntur, et illorum qui diabolo subditi in omnibus famulantur. Propter hoc cessandum est, fratres, ab hac et ab omni mala consuetudine præsenti die, quoniam hæc dies non solum caput est jejuniorum, sed etiam sæculorum. Est itaque magno cultu et religione veneranda, et non libidinosis voluptatibus polluenda, quia nomine et mysterio præ cæteris videtur esse sacrata. Vocatur autem a Domino dies dominica, quod eam in ordine dierum primam posuit, et quod superata morte, quam pro nobis indignis suscepit, victoque inimico, de cujus nos potestate rapuit, in ea potenter a mortuis resurrexit, et in honore suæ resurrectionis nobis illam colendam constituit. Quomodo igitur cupimus a morte animæ resurgere, si diem resurrectionis dominicæ nolumus honorare? Et qua ratione putamus mentes nostras per jejunia purgare, si per portam jejuniorum polluti volumus intrare?

2. Fortasse mihi talia castiganti et mea peccata cum aliorum iniquitatibus reprehendenti respondebit aliquis effrenatus, plus voluptatibus corporis quam legibus Dei obediens: Tu, qui naturalem masculi et feminæ conjunctionem et amoris vinculum a principio constitutam disjungendum prædicas, omni modo impossibilia et inutilia rogas, ut aliquo jejunio ita a muliere, quæ mea caro est, tamquam a cibis, abstineam. Cui ego, quamvis peccator, facili dictu respondebo: Quia Deus bona sæculi non dedit ut abutamur, sed ut juste utamur. Conjugium etenim, sicut et cæteræ divitiæ mundi, dum juste tenetur, bonum est; dum injuste, vertitur in peccatum. Unde Gregorius: quicquid ad usum vitæ accipimus, ad usum vitiorum reflectimus. Nec ego prædico tam sacratæ societatis separationem, sed ad breve tempus XXXVI dierum indico abstinentiam [a]. Nam quid prodest abstinere a carnibus, et carnalia opera non deponere? Qui enim toto anno in his et aliis deliciis positus vixisti, saltem in hoc parvo spatio pro Deo cessare debes. Cur enim vir a virtute corporis vocaris, si hanc virtutem in animo non habueris, ut pro Deo, qui tibi cuncta dedit, et a quo quotidie majora petis, decima parte anni jejunare non possis?

3. Nam quisquis subtiliter intuetur, non amplius quam XXXVI dies, qui sunt decimæ anni, in eadem abstinentia reperiuntur. Cum enim annus integer CCCLXV diebus constet, si subtrahuntur CCCXXX, totidem quot dicti dies, jejunio consecrant. Horum ergo sex dierum, qui etiam cum suis noctibus CL horis constant, decima pars XV horæ sunt. Sed quia ex ipsis integram diem cum sequenti nocte colligere non valemus, quam præfato numero addentes jejunio mancipemus, usus ecclesiasticus statuit, ut quod in illa non redditur, in dominicis diebus ejusdem temporis, a carne et a carnalibus voluptatibus jejunando, adimpleatur. In his etenim, quia in ipso Dei nomine sacrati sunt, refrigerium cibi impenditur et licentia peccandi subtrahitur. Datur nobis, quod vitam affert et melius est; subtrahitur nobis, quod mortem affert et pejus est. Quod si hos vitiis et carnali inquinamento non polluerimus, profecto ex his plenas integri anni decimas restauramus. Sed quoniam nobis sacro fonte regeneratis, et non jam figurativi, sed veri agni carnes degustantibus, dictum ab ipso Domino, *nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum;* statuit christiana religio, ut non solum hos triginta sex propter anni decimas, sed etiam cum his, quatuor qui a capite jejunii inchoant, propter tanti mysterii perfectionem, XL dies in jejunium mutaret. Hoc etenim quadragesimale jejunium magnam auctoritatem habet et a Lege et a Prophetis et ab Evangelio. Nam legislator Moyses, ut legem accipere esse commendatam, quamvis eam nunquam universalis imperavit districte Ecclesia.

[a] Notissimum est, conjugalem quadragesimali tempore abstinentiam in diversorum Patrum homiliis et episcoporum veterum sacramentariis aliquot magno-

ret, XL diebus jejunavit. Similiter Helias maximus Prophetarum, qui curru igneo rapi meruit in cœlum, cum persequebatur a Jezabel, angelico primum cibo pastus, postea totidem ab omni esca abstinuit [a].

SERMO III. IN DOMINICA PASSIONIS.

1. Decedente jam Quadragesimæ tempore, et appropinquantibus sacratissimæ Resurrectionis gaudiis, mentio Dominicæ passionis nobis, dilectissimi fratres, annuatim occurrit, quæ universalem Ecclesiam hodie lacrymoso relatu percellit. Et quamvis plurimi dies supersint ab hac usque ad illam, quæ auctorem suum crucifixum specialiter videre meruit; tamen a sanctis patribus per hos dies, qui sequuntur, recitanda nobis eadem passio committitur, maxime a beato Gregorio, qui in omnibus ecclesiasticis officiis, diurnis scilicet et nocturnalibus, hinc usque ad Paschale festum, verba et luctum passionis inducit : insinuans nos pro illo debere flere, sine quo nullam lætitiam perfecte possumus habere. Quicumque ergo Redemptoris nostri membra fore confidimus, dolorem et injuriam tanti capitis sentiamus. Unde propheta : *Omne caput languidum, et omne cor mœrens; a planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas.* Et Apostolus : *Si patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra.* Quia vero altius et honorabilius membrum, Christum videlicet, qui caput et vertex noster est, passum fuisse cognoscimus, nos membra inferiora cum eo patiamur : maxime cum non pro qualibet sui commissi culpa, sed pro redemptione nostra pati voluerit, ut nos ab antiqua diaboli servitute redimeret, et patriæ cœlestis, a qua captivi excludebamur, perpetuos incolas faceret. Ipse namque ineffabiliter misericors, non auro seu cujuslibet genere metalli, vel pulchræ varietatis palliis, nec etiam cæterorum animalium victimis, sed proprio corpore in ara crucis Deo Patri immolato, et pretiosissimo sanguine fuso, peccata nostra atque antiquas iniquitates nostras purgare voluit. Unde propheta : *Vere languores ipse tulit, infirmitates nostras ipse portavit.* Et ipse mediator noster ad Patrem dixit : *Holocaustum et pro peccato non postulasti : tunc dixi, ecce venio.* Et est sensus : Oh ! Deus Pater, quia pro humani generis redemptione non vidi te holocaustum animalium captare, statim dixi, ecce venio ut immoler pro populi mei salute. Ecce, fratres charissimi, Christum pro nobis immolatum audivimus : unde admodum gaudere et tristari possumus : gaudere, quia felix culpa quæ talem ac tantum habuit Redemptorem : tristari quia nullum videmus tantæ passionis imitatorem. Ipse namque corporaliter mortuus, non solum de corporis nostri morte, si necesse est, sed de vitæ emendatione et spiritus humiliatione sacrificium requirit. Scilicet ut spiritus noster ex tam magna et ineffabili sui conditoris humilitate admirans contremescat, et carnis illecebras superans, cum ipso passo quamdam compassionem habeat. Unde est : *Sacrificium Deo spiritus contribulatus.* Et licet impossibile sit corpoream fragilitatem nostram sequi illius immensam deitatem, bene tamen eum pro modulo humanitatis sequimur, si vitia corporis per jejunium et orationes atque vigilias mactamus : si mundi et nitidi coram ejus oculis manere gaudemus. Unde propheta : *Lavamini, mundi estote, et reliqua.*

2. Sed quomodo imminente rabie persecutoris, vitam pro eo posituri sumus, qui pro ejus amore, saltem pauco tempore a vitiis et a quibuslibet cibis jejunare non possumus? In quo igitur passionem illius imitamur, qui a nullis spurcitiis corpora prohibemus? Insuper etenim, quod pejus est, præceptis illius fortiter repugnantes, quasi inimico contrarii sumus. Nam clamante eo in Veteri Testamento : Non occides, non furtum facies, et cætera legis præcepta; veluti iram illius contra nos provocantes, insani et amentes et mœchamur, et occidimus, et furtum facimus : insuper omnia vitia, quo amplius nobis prohibita sunt, eo magis sequi et amare curamus. Similiter minante eo in novo Evangelii Testamento : omnis, qui dixerit fratri suo racha, et qui dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis; nos e contra zelo invidiæ tacti, omnia improperiorum convicia fratribus nostris superbe et contumaciter ingerimus. Unde a talibus et ab his similibus mentem cohibere debemus, si redemptionis illius participes esse speramus. Ipse est enim verus sacerdos et pontifex futurorum bonorum, qui Deo Patri suo non sanguinem hircorum et taurorum, sed semetipsum, agnum videlicet immaculatum, obtulit mundans conscientiam nostram ab operibus mortuis, id est a peccatis : ac per hoc semel introivit in sancta, ut appareat nunc vultui Dei Patris pro nobis. Alii namque sacerdotes mactatis animalium carnibus juxta morem veteris legis, singulis annis semel introibant in sancta : iste sacerdos in æternum, qui non venit legem solvere, sed adimplere, non singulis, sed ultimo vitæ suæ anno, mactato se ipso in ara crucis, semel introivit in sancta, id est in cœlum, ut famulis se per fidem sequentibus, arcana Patris reseret, quæ post finem ipsis possidenda conferat. Alii sacerdotes expleto sacrificii tempore, ad templum sequenti anno reversuri, ad propria reverti curabant : ille peracto passionis et resurrectionis suæ mysterio, ad propria cœli palatia reversus est, non sequenti anno, sed in fine sæculi venturus, ut bonorum et malorum merita recto examine discutiat, et bonis præmia, malis supplicia reddat. Quid in illa die acturi sumus, fratres, in qua non solum de operibus malis, sed insuper etiam de otiosis locutionibus rationem reddituri sumus? Et si omnes linguæ culpas, quæ a nobis pro nihilo ducuntur, senserimus; quid de cæteris membris timendum est, manibus scilicet et pedibus aliisque, quæ sine dubio multa illicita fecisse cognoscimus? Nam si ex omnibus culpis, quæ fecimus, pœnas solverimus,

[a] Desideratur aliquid ad sermonis clausulam; et certe exemplum Christi Domini XL diebus jejunantis.

æternaliter damnati et perditi sumus. Ergo unusquisque nostrum quanto animam suam diligit, tanto peccata præterita per pœnitentiam deleat, et caveat ne ipsa reiteret, et quod semel per gratiam Dei extinxit, amplius ne accendat. Qui enim peccatum quod jam ingemuit reiterat, Deum sibi ad iram provocat, ut eum vocatus non audiat. Unde per Salomonem dicit: Vocavi, et renuistis, despexistis omne consilium meum, et increpationes meas neglexistis: ego quoque in interitu vestro ridebo, et subsannabo cum vobis quod timebatis advenerit. Quam formidanda vox, fratres dilectissimi, qua Redemptor noster de nostro interitu se risurum minatur! Quamobrem aures nostræ mentis præceptis illius assidue pandamus, ut eum in judicio non terribilem, sed blandum videamus. Et quomodo illum terribilem et iratum contra nos sufferre poterimus, qui in præsenti vita coruscationem aut tonitruum illius vix præ pavore tolerare possumus? Et si motu creaturæ unius ad tempus terremur, qua fortitudine Creatorem cum igne ad judicandum venientem, et non solum terras, sed etiam cœlos concutientem, exspectare poterimus? Nam ut Psalmista dicit: *Ignis in conspectu ejus ardebit, et in circuitu ejus tempestas valida.* Et ipse judex per prophetam dicit: Adhuc semel, et ego movebo non solum terram, sed etiam cœlum. Pertimescite, fratres, adventum illius judicis, in cujus determinato judicio non erit spatium redemptionis. A pravis moribus et a mala consuetudine turpis vitæ cessate, et compati cum Redemptore vestro studete, ut et cum illo de tumulis vitiorum possitis resurgere, et ad cœlestia regna post judicium feliciter ascendere. Amen.

SERMO IV. IN DOMINICA PALMARUM.

1. Delectatione præsentis diei, fratres charissimi, lætati mysteria quibus fulget debetis agnoscere solliciti, ut lætitiæ gaudia quæ celebramus exterius, unde oriuntur, docta mens discutiat interius. Sed ne superfluitas verborum animis vestris gignat tædium; maxime cum hujus diei officium in longissimis protrahatur cantibus et gratissimis de Deo nostro jubilationibus; de ejusdem nomine, quod diversis vocabulis distinguitur, pauca vobis primum prælibare studebo. Dicitur enim dies Palmarum, sive Florum, atque Ramorum, nec non et Hosanna, Pascha petitum etiam seu competentium, et capita lavantium. Quæ licet vulgari more ita nominentur, omnia tamen certam et convenientem retinent significationem. Dies igitur Palmarum ideo vocatur, quia in eo Dominus noster asello sedens, pro salute generis humani passurus, Hierosolymam perrexit; cui occurrit plurima turba gaudentis populi cum ramis palmarum et diversarum arborum clamando: *Hosanna, benedictus qui venit in nomine Domini.* Dies etiam Florum idcirco dicitur, eo quod sancta mater Ecclesia, in commemoratione tanti gaudii, hac die præ cæteris annua revolutione flores benedictos et consecratos cantando portare voluerit, ut Redemptori suo gaudens occurrere possit. Nec non etiam dies Ramorum dicitur, quia ob eamdem causam non solum palmæ, sed etiam virentes rami ab Ecclesiæ filiis hodie portantur. Hosanna siquidem ideo vocatur, quia plebs Hebræorum Dominum præcedentium et seqnentium, Hosanna, quod Latine interpretatur Salvifica, eidem Domino cantare videbatur. Pascha petitum sive competentium dicitur, quia hoc die symbolum, id est fidei sanctæ credulitas competentibus neophytis tradebatur, ut qui ad Dei gratiam percipiendam in Paschali solemnitate festinabant, fidem quam confiteri deberent agnoscerent. Competentes enim dicuntur, quasi simul petentes, id est gratiam Dei petentes. Capita lavantium hunc diem appellat vulgus, quia eo die mos erat lavandi capita infantium, qui ungendi erant sancto sabbato, ne forte Quadragesimæ observatione sordidati accederent ad unctionem. Hæc autem hebdomada ideo major dicitur, vel quia major sobrietas in ea servatur, vel quia majus quam in cæteris hebdomadibus officium in ea celebratur.

2. Hæc de nominibus hujusce diei breviter dicta sufficiant: quorum quædam ut ad litteram intellecta sunt, ita permanent; quædam aliud allegorice significant. In omni enim Scriptura veteris et novi Testamenti, palma semper victoriam significavit. Per ramos igitur palmarum illa victoria designatur, qua Dominus noster per mortem suam, mortem nostram destruxit, et per tropæum crucis principem mortis diabolum superavit. Per flores odor virtutis exprimitur, quo capitæ fideles animæ regem suum ad Hierusalem, id est ad sanctam Ecclesiam tendentem comitantur; ut cum eo Pascha, id est transitum celebrantes, cum eo ad cœlestia resurgere mereantur. Per arborum ramos dicta significantur veterum prophetarum, quos ille collectos in via sternit qui simplicia corda fratrum et minus erudita exemplis instruit, ne in via veritatis oberrent. Illud autem hosanna totiens a plebe repetitum et ingeminatum, unitatem fidei nostræ qua vivere debemus significat; quia licet sit in plebe fidelium tam ordinis quam sexus et ætatis diversitas, uno tamen ore et una confessionis laude Salvatorem nostrum clamare debemus dicendo: Hosanna, id est salvifica sive salvum fac: est enim Hebræum verbum, quod Latine expressum sonat, salvifica, sive salvum fac populum tuum, sive totum mundum.

3. Quia vero huic diei talia nomina ex convenientibus mysteriorum significationibus aptantur, quolibet breviloquio demonstrandum, charissimi, vobis est, quibus operibus nostri Salvatoris illustratur. Etenim sicut sanctus evangelista refert, ante sex dies veteris paschæ, qui ab hesterna die computantur, venit Jesus Bethaniam in domo Simonis leprosi, ubi Lazarum suscitaverat, et fecerunt ei cœnam ibi: quo etiam Maria accipiens libram unguenti, unxit pedes Domini, et capillis suis tersit: pro qua re indignante Juda proditore, Jesus in laude mulieris respondit: *Opus bonum operata est in me*, et cætera

quæ in passione de hujusmodi causa prosequuntur. Quam boni operis consuetudinem sequens vir sanctus Gregorius hac ipsa die, hesterna videlicet, se totum dandis eleemosynis pedibusque pauperum lavandis occupabat, ut quod devotissima mulier capiti fecit, id est Christo, iste membris ejus, id est pauperibus faceret. Unde dies eadem absque officio proprio manens, ita prætitulatur in Sacramentario : sabbato vacat a statione publica, quando dominus papa eleemosynam dat. De quo facto, si florem allegoricum carpere vultis, scitote quia unguentum significat justitiam, ideoque libra fuisse perhibetur. Qui enim justitiam perfecte servat, pedes Domini sine dubio lavat : et qui bene vivendo misericordiam diligit, pedes illius unguento perungit. Et qui abundanter pauperibus tribuit, capillis suis pedes Domini tergit. Domus ergo repleta ex odore unguenti, id est omnis mundus, et fama tam devotissimæ mulieris, et virtute fidelium illam in talibus imitantium. Nam quod ante sex dies Paschæ passurus Dei Filius Bethaniam adiit, significat quod hominem, quem sexta feria conditum, serpentina fraude perdiderat, per Bethaniam, id est per domum obedientiæ transiens, eadem sexta feria proprio sanguine redimere properabat. A qua prædicta civitate Bethania crastina die exiens, quinto videlicet die ante Pascha, quod est hodie, misit duos discipulos suos Hierusalem dicens eis : *Ite in castellum, quod contra vos est, et invenietis asinam et pullum : solvite et adducite mihi. Qui solventes adduxerunt ad Jesum, et imposuerunt super eos vestimenta sua, et eum desuper sedere fecerunt. Cum audisset turba, quæ venerat ad diem festum, quod Jesus pergeret ad Hierusalem, acceperunt ramos palmarum, venerunteque ei obviam, et clamabant : Hosanna, benedictus qui venit in nomine Domini.*

4. Sed quia hæc facta Domini verbis evangelistæ commemorata ad litteram satis patent, quoniam ita fuere ut sonant ; mysticus sensus nobis pro brevitate pandendus est, qui cunctis nisi sapientibus occultatur. Duo namque discipuli duos ordines prædicatorum, unum in circumcisione, alterum in gentibus, significant ; vel Petrum et Philippum, quos misit Christus ad Hierusalem, id est sanctam Ecclesiam ; quorum alter, id est Philippus, Samariam quasi asinam ; alter, id est Petrus, Cornelium ex gentibus quasi pullum ad fidem Christi perduxit. Item per duo animalia duo populi, Judaicus scilicet et Gentilis figurantur ; quæ in adventu discipulorum ligata erant, quia uterque populus vinculis peccatorum suorum constrictus erat. Vestimenta Apostolorum vel doctrinæ sunt virtutum, vel opera justitiæ. Unde psalmista : *Sacerdotes tui induantur justitiam.* Turba autem plurima, quæ vestimenta sua in via stravit, innumerabilem multitudinem martyrum significat, qui se proprio exuentes indumento, simplicioribus viam faciunt, qua ad visionem pacis pervenire valeant. Per asellum enim, in quo sedebat, simplicia gentilitatis corda figurantur ; quæ velut indomita nullis disciplinæ retinaculis ligata manebat ; ad simulacra muta, prout ducebatur, incedens : quam Dominus præsidendo et regendo perducebat ad visionem pacis æternæ. Denique non absque magni causa sacramenti factum esse creditur, quod Dominus hac die specialiter Hierosolymam tendens ministeria jumentorum sibi adhibuerit ; palmarum quoque et ramorum seu florum varia ornamenta circa se portari, regemque et Dominum se appellari voluerit : quæ omnia sæpe Hierusalem veniens antea fieri recusabat. Ideo namque cum tanta gloria est ingressus, ut quia tempus passionis suæ jam instare sciebat, Judæorum animos excitari cogeret contra se, ut per mortem corporis sui, mortem animarum nostrarum destrueret. Ergo, ter beatissimi, qui passionem illius recolimus, etsi pro illo omnes mori non possumus, et pacificatis Ecclesiæ calumniatoribus, bellum cum eis non habemus, vitia tamen membrorum nostrorum mortificare curemus, ut post luctum passionis, gaudia resurrectionis capientes, cum eo de vitiis ad virtutum celsitudinem resurgere queamus. Amen.

EXPOSITIO FIDEI [a].

Profitemur nos credere indivisibilem et inseparabilem sanctam Trinitatem, hoc est Patrem et Filium et Spiritum sanctum, unum Deum, ita unum et trinum, et ita trinum et unum : Trinitatem in distinctis atque discretis personis : hoc est Patrem ex quo omnia, Filium per quem omnia, Spiritum sanctum in quo omnia ; unius tamen deitatis, unius essentiæ, uniusque substantiæ, in tribus quidem subsistentiis seu personis, ut Pater pater sit, Filius filius sit, Spiritus sanctus spiritus sanctus sit, in una natura unaque substantia, ut Deus unus et solus et summus credatur. Non tres naturas introducentes ut Arius blasphemat, qui tres deos prædicavit, excellentiorem, minorem, et inferiorem. Nos vero sanctam Trinitatem in unitate, et unitatem in sancta Trinitate confitemur. Nam cum dicimus omnipotentem Patrem, appellatio hujus Paterni nominis ad Filii personam attenditur. Et cum dicimus æternum Filium, ad æterni Patris personam refertur. Et cum nominamus Spiritum sanctum, ab æterni Patris persona eum credere [b] demonstramus. Cum autem dicimus Deum Patrem omnipotentem, non potest hujus nominis evacuari

[a] Ex antiquo codice Vaticano, olim Bobiensi, post libros S. Augustini de Trinitate.

[b] Cod. *ab æternæ Patris persona et credere.*

sacramentum : quia cum dicimus Patrem, Filium demonstramus : et cum dicimus Filium, Patrem declaramus : et cum dicimus æternum Patrem, æternum Filium demonstramus. Nam si non inveniamus initium vocabuli hujus Paterni nominis, quando Pater sit dictus, consequenter ostenditur, quia nec initium Geniti reperiemus. Obsecramus ut detur nobis ratio, quando Pater hoc vocabulum, ut pater vocitaretur sortitus est. Si in tempore, si extra tempus, dicat nobis aliquis quando primitus cœperit appellari : et si potuerit hoc approbari, nulla erit dubietas ex illo initio Paterni nominis Filium initium accepisse, quo Pater nominatus est. Et si defecerit, immo quia et defecit, nec poterit approbari nec dari initium Paterni nominis, quando pater esse cœperit, profiteatur ergo nobis sanctam Trinitatem coessentialem atque substantialem : nec Patrem ante Filium, nec Filium post Patrem, nec Spiritum sanctum inferiorem fuisse : quia dum initium Paterni nominis non invenitur, nescimus qua ratione Filio initium ascribatur, quia cum dicimus sempiternum Deum Patrem, sempiternum Dei Filium A ostendimus. Ideo sanctam Trinitatem in una natura unaque essentia atque substantia, in tribus subsistentiis sive personis profitemur. Credimus autem ipsum Dei Verbum, hoc est Filium Patris sine initio genitum, eumdem unum ex tribus subsistentiis de sancta Trinitate æternum filium, per dispensationem factam pro nobis et nostra salute descendisse incarnatum Verbum Dei, et hominem factum. Intra Virginis uterum veniens sibi nostræ naturæ virtutem assumpsit ex sancta gloriosa Dei genitrice Maria Virgine, perfectus Deus et perfectus homo, in duabus naturis, divinitatis scilicet atque humanitatis : consubstantialis item ipse nobis secundum humanitatem : non in duos filios divisus, sed unus et idem Dei et hominis filius, in veritate duarum naturarum, in B una subsistentia sive persona divinitatis et humanitatis unitione facta ; ut ex duabus perfectis naturis non duo filii, sed unus, idem Dei et hominis filius permanens quod erat, cœperit esse quod non erat, dum sine initio æterni Patris Filius, factus est hominis filius. Ideo et unus est Dominus.

BREVIARIUM FIDEI

ADVERSUS ARIANOS HÆRETICOS,

IN QUO TRIUM DIVINARUM PERSONARUM ÆQUALITAS PLURIMIS SCRIPTURÆ SACRÆ LOCIS ET ARGUMENTIS LIQUIDO COMPROBATUR.

AUCTORE INCERTO, SED ANTIQUISSIMO.

Errare hæreticos nec maxima causa facit, dum C aut ignorant, aut nolunt advertere, in Domino Jesu Christo sicut unam personam, ita duas esse substantias, Deum ex Deo Patre, et hominem ex homine matre : et quæ de se ipse Dominus secundum dispensationem carnis assumptæ loquitur, deputant divinitati, ut est illud : *Pater major me est* (*Joan.*, XIV, 28), vel illud : *Jesus fatigatus ex itinere* (*Joan.*, IV, 6), vel illud : *Flevit Lazarum* (*Joan.*, XI, 35), vel alia hujusmodi quæ leguntur. Qui si vellent advertere illud Apostoli : *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi* (II *Cor.*, V, 19), vel illud Evangelii : *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan.*, I, 14), non dubitarent, ut superius dictum est, confiteri in una persona duas esse substantias ; et ubi audiunt dici : *Pater major me est*, secundum humanitatem acciperent : ubi vero audiunt : *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.*, X, 30), secundum divinitatem dictum non dubitarent, sicut ex ejus operationibus datur intelligi. Secundum hominem enim esurivit, ut veram carnem ostenderet : secundum Deum autem de quinque panibus quinque millia hominum saturavit, ut se Deum virtutibus approbaret. Secundum hominem sitivit, sed secundum Deum Samaritanam viva aqua refecit. Secundum hominem navem ascendit, sed secundum Deum siccis pedibus super mare ambulavit. Secundum hominem in navi dormivit, secundum Deum ventis et fluctibus imperavit. Secundum hominem Lazarum flevit, secundum Deum quatriduanum eum de sepulcro mortuum suscitavit. Secundum hominem in cruce pependit, secundum Deum paradisum latroni de cruce donavit. Secundum hominem passus mortem gustavit, secundum Deum semetipsum a mortuis suscitavit. Si hæc et his similia vellent sapienter discernere, et uniculque substantiæ quod suum est deputarent, facile poterant rectæ fidei cursum tenere, et non pro ejus beneficiis, quæ pro nobis redimendis in forma servi suscepit, vel passus est, divinitati ejus contumelias irrogarent, et ubicumque legunt in Scripturis secundum humanitatem aliquid quod minus loqueretur divinitas, sed pro dispensatione carnis assumptæ hoc protestatur humanitas. Nam nos, sicut eum Deum legimus, ita nec majorem nec minorem Deum nusquam legimus, nec D credere religiosa mente debemus. Sed ideo adhuc persistit, et dicit : Fieri non potest, ut non filius minor patre credatur, quia ex patre esse dignoscitur. Fallit eum consuetudo generationis humanæ, ut quia filius dicitur, minor patre credatur. Apud homines ideo minorem filium generat pater, quia et ipse minor est generatus a patre. Idcirco crescente filio pater senescit, et morienti patre filius succedere comprobatur, et melior ac potentior patre nonnumquam efficitur. Apud Deum vero non ita est ; quia ubi crescere vel senescere divinitas non habet, hoc est dignum ut filium dilectio habeat æqualem, quia non potest plenitudo majorem. Ideoque perfectus perfectum genuit, omnipotens omnipotentem, plenus plenum : et quia

ætatis incrementum non habuit, minorem generare non potuit: sed omnino qualis est pater, talem et filium esse cognosco, sicut ipse dicit: *Qui me videt, videt et Patrem* (*Joan.*, XIV, 9); et alibi: *Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem qui misit illum* (*Joan.*, V, 23). Sed forte quia audis missum, ideo putas minorem. Rogo te, Deum credis esse Filium, an non? Sine dubio responsurus es, Deum; quia et si tu negare volueris, sanctis Scripturis convinceris, dicente Apostolo: *Ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula* (*Rom.*, IX, 5). Et Joannes in Epistola sua: *Ut simus*, inquit, *in vero Filio ejus, qui est verus Deus, et vita æterna* (I *Joan.*, V, 20). Et Thomas: *Deus meus*, inquit, *et Dominus meus* (*Joan.*, XX, 28). Et Melchisedech summus sacerdos: *Benedictus*, inquit, *Abraham Deo excelso, qui creavit cœlum et terram* (*Gen.*, XIV, 19). Vides quia non solus Deus, sed Deus excelsus Melchisedech vocibus comprobatur. Testis est et Osee propheta, dicens: *Firmans cœlum, et creans terram, ego Dominus Deus tuus, cujus manus creaverunt omnem militiam cœli* (*Isa.*, XLI, 18; XLII, 5). Si ergo Deus est Filius, immo quia Deus est, quia per ipsum facta sunt omnia, et non solum non minor, sed excelsus Deus; interrogo te, utrum Deus ubique sit, an forte localiter? Cum impium sit negare quod ubique sit Deus, quæso te, ubi missus est? Sed missionem Filii incarnationem ejus intellige, ipso Apostolo exponente: *Misit*, inquit, *Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege* (*Gal.*, IV, 4). Denique de ipso legimus in propheta: *Cœlum et terram ego impleo, dicit Dominus* (*Jer.*, XXIII, 24). Et Evangelista de eodem: *Plenitudinem*, inquit, *ejus nos omnes accepimus* (*Joan.*, I, 16). Et si omnia ipse implet, ubi missus est cujus majestate plena sunt omnia? Sed adhuc forte dicis, sicut habet carnalis intellectus, inter gignentem Patrem et genitum Filium non potuisse fieri nisi ut aliquod fuisset spatium. Spatium horæ faciunt, horæ tempus designant: ac sic, si tempus anteponis Filio, non omnia per ipsum facta fateris. Et ubi est illud: *Omnia per ipsum facta sunt* (*Ibid.*, 3)? Certe secundum tuam propositionem respondeo, qui dicis fuisse Patrem aliquando sine Filio. Utique legimus pariter in Apostolo: *Christum Dei virtutem et Dei sapientiam* (I *Cor.* I, 24), et ipse de se Dominus loquitur: *Ego sum via, veritas, et vita* (*Joan.* XIV, 6). Si ergo fuit Pater sine Filio, sicut tu dicis, fuit sine virtute, fuit sine sapientia, fuit sine vita, fuit sine veritate. Sed quia sine his numquam fuisse Pater credendus est, hoc convenit saluti tuæ, ut juxta fidem catholicam, consempiternum Patri et æqualem Filium fatearis: quia et virtus ejus legitur sempiterna, dicente Apostolo: *Sempiterna quoque virtus ejus et divinitas* (*Rom.* I, 20). Similiter et de veritate, dicente Psalmista: *Et veritas Domini manet in æternum* (*Ps.* CXVI, 1). Solent etiam ista velut quæstionem calumniæ generare. In tantum, inquiunt, major est Pater, ut priore semper nominetur loco. Etiamsi priore semper loco nominaretur, valde videbatur esse conveniens; quia ex ipso est Filius, non ille ex Filio. Tamen ut æqualitatem agnoscas, audi in Scripturis ubi etiam prior Filius nominatur. Joannes evangelista ait: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* (*Joan.*, I, 2). In Verbo utique Filium indicavit. Et Apostolus ad Ephesios: *An nescitis quia omnis fornicator et immundus non habet hæreditatem in regno Christi et Dei* (*Ephes.*, V, 5)? Ecce et hic priore loco Filius nominatur. Et ad Galatas: *Paulus Apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum et Deum Patrem* (*Gal.*, I, 1). Et ad Thessalonicenses: *Ipse autem Dominus Jesus Christus et Deus et pater noster, qui dilexit nos* (II *Thess.*, II, 15). Ad Corinthios: *Gratia Domini nostri Jesu Christi et charitas Dei Patris, et communicatio sancti Spiritus cum omnibus vobis* (II *Cor.*, XIII, 13). Et ipse Dominus dicit: *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.*, X, 30). Non dicit: Pater et ego. Et alibi: *Qui me videt, videt et Patrem* (*Joan.*, XIV, 9). Et iterum: *Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem qui misit illum* (*Joan.*, V, 23). Ecce quoties priore loco Filius nominatur! Sed quia in Patre et Filio æqualitas est, nullum præjudicium nec ante nec postea nominatus alteri poterit exhibere, quia nulla est diversitas, ubi est æqualis in utroque divinitas. Sed ideo sic legimus, quia humana locutio aliter se non valet expedire, nisi ut cum unum dixerit, sic alterum dicat. Ecce ut agnoscas, quia nihil ibi majus, nihilque minus est, cessit quæstio de Patre anterius nominato: quia ubi una est substantia, una deitas, et incorporalis immensitas, nulla est disparitas vel diversitas existimanda. Ubi enim unus Deus creditur, ibi minor et major excluditur. Nescit enim numerum unitas, et gradum non admittit æqualitas, sicut scriptum est: *Non ascendes per gradum ad altare meum* (*Exod.*, XX, 26). Et ideo auferat contentionem, et teneat cum fide catholica inseparabilem Trinitatem, sine permixtione conjunctam, sine separatione disjunctam, quia Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, Deus plenus et unus est. Ipsa enim per se ratio docet, quia unus nec posteriorem recipit, nec priorem: comparationem vel separationem nescit habere qui solus est; minor non potest esse qui plenus est, quia perfectioni nec addi quidquam potest, nec minui. Credantur ergo tres personæ, sed non tres substantiæ; tres proprietates, sed non tres potestates. Ita una sine principio sempiternitas, sicut una sine fine majestas, sine auctore Pater, sine tempore Filius, sine majore Spiritus sanctus. Nos enim catholici Dominum Deum nostrum Jesum Christum, et minorem dicimus Patre, et æqualem: minorem propter humanitatem assumptam, quia cum in forma Dei esset, formam servi induere est dignatus; æqualem vero dicimus propter deitatem perpetuam, qua ex Patre existens Filius et consempiternus est Patri. Quare ergo nobiscum non confitentur æqualem, cum nos cum illis non negemus minorem? præsertim cum utrumque in sanctis Scripturis legimus, dicente Evangelista: *Propterea*, inquit, *quærebant interficere eum Judæi, quia non solum solvebat sabbatum, sed etiam*

Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo (*Joan.*, v, 18). Ecce impietas Judæorum dicit æqualem, et non veretur dicere Christianus minorem. Et alibi idem Evangelista ait : *Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem, qui misit illum* (*Ibid.*, 23). Æqualis enim honor non nisi æqualibus exhibetur. Et alio loco idem dicit : *Sicut Pater suscitat mortuos, et vivificat, ita et Filius quos vult vivificat* (*Ibid.*, 21). Audi dicentem : *Sicut Pater, ita et Filius.* Audi dicentem : *Quos vult*, et æqualem eum Patri, ac suæ potestatis esse cognosce : et non dicas Deum minorem, quia nusquam in Scripturis sanctis vel majorem Deum legimus, vel minorem. Sicut ipse Philippo dicit : *Qui me videt, videt et Patrem* (*Joan.*, XIV, 9). Et : *Omnia quæ Pater facit, hæc eadem et Filius similiter facit* (*Joan*, v, 19). Vel illud : *Deus erat Verbum* (*Joan.*, I, 1). Et Apostolus, ut memoravimus : *Qui est*, inquit, *super omnia Deus benedictus in sæcula* (*Rom.*, IX, 5). Et Apostolus : *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo* (*Philip.*, II, 6). Quare hoc? quia nemo rapit, nisi quod non habet. Ille ergo qui habebat æqualitatem, non est arbitratus per rapinam : sed quam rebellis angelus assumere voluit per rapinam, Christus possedit per naturam. Quia vero est verus Deus, audi beatum Joannem dicentem in Epistola sua : *Et simus*, inquit, *in vero Filio ejus Jesu Christo : hic est verus Deus, et vita æterna* (I *Joan.*, v, 20). Audis verum Deum, et præsumis dicere minorem, et non confiteris æqualem? Dicit etiam beatus Apostolus ad Titum : *Exspectantes beatam spem, et adventum gloriæ magni Dei* (*Tit.*, II, 13). Nescio qua fronte minor esse dicatur, quem magnum Deum Apostolus profitetur. Hoc etiam perfidus error dicere solet, quod ubi in Scripturis legimus aut solum Deum, aut solum altissimum, aut solum sapientem, hoc non de Trinitate dici, sed de solo Patre accipi debeat. Quod quam absurdum sit ita sentire, de hoc uno testimonio convincatur. Dicit enim Apostolus : *Cognitum soli sapienti Deo* (*Rom.*, XVI, 26); non intelligunt quia non dixit : Soli sapienti Patri, sed : Soli sapienti Deo, quæ est Trinitas. Nam dum soli Patri hoc deputant, Filium insipientem blasphemant. Et quomodo eum Apostolus sapientiam Dei esse dicit, si solus Pater est sapiens, cum nullus sapiens possit esse nisi per sapientiam suam? Et ubi est illud, quod ad Colossenses idem Apostolus protestatur de Christo Jesu : *In quo sunt*, inquit, *omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi* (*Coloss.*, I, 3)? Unde agnoscant, quam stultum sit quod pronunt, et ubicumque aliquid similiter legunt, non uni personæ deputent, sed beatæ Trinitati, quæ sola summus Deus et verus est. Nam et de Spiritu sancto sic dicit Apostolus : *Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ, alii autem sermo scientiæ secundum eumdem Spiritum* (I *Cor.*, XII, 8). Si ergo per Spiritum sanctum, sicut verum est, et sapientiæ et scientiæ sermo donatur; quomodo solius Patris personæ hoc potest ascribi, quod solus sit sapiens, nisi, ut dictum est, æquævæ Trinitati ista conve-

niant? Solent etiam dicere, ideo minor est Filius, quia visibilis, Pater autem invisibilis. Non intelligunt, quia nec Filius in substantia deitatis suæ sit visibilis, nisi in assumpto homine, qui et Christus dicitur. Nam Filius Dei, id est Verbum, quod erat in principio Deus apud Deum, per quem facta sunt omnia, videri in sua substantia non potuit, sicut nec Pater in substantia sua. Interrogo autem sine sui injuria illum ipsum, qui dicit quod visus sit Filius Dei, utrum animam suam visibilem an invisibilem fateatur : et cum dixerit invisibilem, sicut et verum est, dicatur ei : Si creatura, id est anima tua, invisibilis est creatura utique Dei, creator universitatis quomodo potuit esse visibilis? Sed ideo induit carnem quæ videri poterat, quia deitas ab homine videri non poterat. Hac carne major est Pater : æqualis Verbo major carne : æqualis ei, per quem fecit nos, major eo qui factus est propter nos. Nam quod Deus sit Filius, licet multa testimonia superius posita evidenter perdoceant, tamen adhuc pauca credidi subjungenda. In Genesi scriptum est : *Creavit Deus cœlum* (*Gen.*, I, 1), et utique Evangelista confirmat omnia a Filio esse creata (*Joan.*, I, 3). Item ibi sequitur : *Creavit Deus hominem ad imaginem et similitudinem suam* (*Gen.*, I, 27). Ecce hic Deum agnosce, quia et hominem ipse creavit. Et Isaias dicit de Joanne præcursore Domini : *Rectas facite semitas Dei nostri* (*Isa.*, XL, 3). Cujus Dei, nisi utique Filii, quem in carne venisse non dubitamus? Et paulo post : *Confortate manus dissolutas, et genua debilia roborate. Dicite pusillanimis : Ecce Deus vester in fortitudine veniet, et salvabit vos, et tunc aperientur oculi cæcorum* (*Isa.*, XXXV, 3). Quod utique in adventu Christi completum esse cognoscimus. Psalmista etiam dicit, *Omnes gentes quascumque fecisti, venient, et adorabunt coram te, mirabilis tu es et faciens mirabilia, tu es Deus solus* (*Ps.* LXXXV, 9). Non puto aliquem esse tam impium, qui neget Filium Dei et mirabilia fecisse, et universas gentes creasse, nisi forte Judæos. Et alibi Isaias, cum adventum Christi per virginem nuntiat, dicit inter cætera : *Et vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus fortis* (*Isa.*, IX, 6). Sed et beatus Apostolus : *Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi* (II *Cor.*, V, 10). Et ut agnoscas Deum esse Christum, sic alibi dicit : *Omnes stabimus ante tribunal Dei* (*Rom.*, XIV, 10). *Vivo ego*, dicit Dominus, *quia mihi flectetur omne genu.* Utique de Christo dicit, quem ad judicandum vivos et mortuos credimus esse venturum. Psalmista voces angelorum faciens, cum Christus in cœlos ascendisset : *Tollite*, inquit, *portas principes vestras, et elevamini portæ æternales, et introibit rex gloriæ* (*Ps.* XXXIII, 7). Illisque interrogantibus quis esset iste rex gloriæ, respondit Dominus : *Fortis et potens Dominus virtutum; ipse est rex gloriæ* (*Ibid.*, 8, 10). Et ne forte de Patre dictum putent, quomodo multa absurde intelligunt, audiant Apostolum huic versiculo consentientem : *Si enim*, inquit, *cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent* (I *Cor.*, II, 8).

Cum tam præsentibus quam præteritis testimoniis, quæ de Scripturis sanctis postulata sunt, Deus esse Filius demonstretur, miror cur forte eum aliqui minorem dicendo blasphemare non metuunt : cum nusquam omnino Deus minor esse legatur, nisi, ut dictum est, propter dispensationem carnis assumptæ, in qua non solum ab angelis minoratus est, sed et matre sua junior invenitur, sicut jam diximus. Secundum hanc ergo regulam duas in Christo crede substantias, Deum verum, et hominem verum. Secundum hominem morti subditur, secundum Deum auctor vitæ esse cognoscitur, dicente beato Petro : *Petistis virum homicidam donari vobis, auctorem vero vitæ interfecistis* (*Act.*, III, 14). Secundum hominem : *Tristis est anima mea usque ad mortem* (*Matth.*, XVI, 38); secundum Deum : *Potestatem habeo ponendi eam, et potestatem habeo iterum sumendi eam, et nemo eam tollit a me, sed ego eam pono a memetipso* (*Joan.*, X, 18). Hinc etiam occasionem accipere calumniandi solent, quod Dominus in Evangelio dixerit : *Non potest Filius aliud facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem* (*Joan.* V, 19). Quod carnalis sensus non intelligens, ideo dictum putat ut se ex Patre esse ostenderet, utpote et Deum et Filium : quomodo inter homines fieri solet, veluti pater artifex filium suum artificium suum docet, ut quod viderit patrem operantem filius, hoc specialius imitetur. Quod quam absurdum sit de Deo Patre omnipotente ita credere ; qui est incorporeus, invisibilis, inæstimabilis, et immensus, qui cordis oculos sanos habet evidenter potest cognoscere. Nam qui sic sentiunt interrogandi sunt : Mundus iste quem cernimus a quo sit factus? Utique a Filio minime denegabunt, vel attestante Evangelista et dicente : *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil* (*Joan.*, I, 3). Dicant ergo, ubi vidit Filius Patrem ante faciem alium mundum, ut sic postmodum ille istum crearet : præsertim cum apud potentiam Dei voluisse, creasse sit; sicut legimus : *Ipse dixit, et facta sunt* (*Ps.* CXLVIII, 9). Sed sublato cordis velamine discant credere Filium in Patre et Patrem esse in Filio : quia divinitas ubique tota et præsens, tam Patris, quam Filii, quam Spiritus sancti, sine se esse nusquam potest, sicut ipse dicit : *Ego in Patre, et Pater in me* (*Joan.*, XIV, 38), et cognoscant quod sit videre Filii, ut una est substantia, una voluntas, una potentia, una gloria. Nihil ibi majus, nihilque minus esse credatur. Si enim nos homines terreni quod facere volumus corpore, animo nostro ante meditationis insinuatione præmissa, sapientia exsequente perficimus, et quodammodo consilio nato in mente nostra prius intus in corde agimus quod facere disponimus, quæ tamen absque ulla partitione sensuum indissociabiliter una mens efficit : quomodo non Deus Pater cum Deo Filio, qui est sapientia sua, in se manente, quia ipse est, ut sæpe diximus, sapientia et virtus Patris, in una voluntate cuncta et una operatione perficit? Sed nec alia Pater facit, alia Filius ; sed eadem quæ Pater facit, ipsa et Filius facit, sicut ipse testatur : *Quæcumque*, inquit, *Pater facit, hæc eadem et Filius similiter facit* (*Joan.*, V, 19). Sed ideo dixit : *Non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem* (*Ibid.*), ut nos cognoscamus et credamus, quia ex Patre est Filius, et non ex semetipso, vel aliunde, sed consempiternus Patri, quia et Pater in se semper perfectus existit, nec ei aliquando aliquid defuit, vel accessit. Nam si aliquando, quomodo Ariani blasphemant, fuit sine Filio Pater, ergo imperfectus fuit Pater, ergo fuit sine Verbo, et sicuti jam memoravimus, fuit sine sapientia, sine virtute, sine vita, sine justitia, sine veritate : quia istæ omnes species divinitatis secundum Scripturas Filius esse noscuntur. Sed quia sine his virtutibus Patrem umquam dici fuisse blasphemum est, hoc justum est, hoc convenit, ut consempiternum et cœqualem Patri Filium fatearis. Si enim Deus in cordibus nostris cum loquitur, miro modo loquitur sine sono ; putas quomodo potest loqui Filio suo, qui est Verbum ejus? Sic ergo cogita, quia incorporaliter locutus est Filio, quia et incorporaliter genuit Filium. Nec enim sic docuit, quasi indoctum genuerit. Sed hoc est eum docuisse, quod est doctum et scientem genuisse. Et hoc est : *Docuit me Pater* (*Joan.*, VIII, 28), quod est, scientem genuit me Pater. Quomodo autem a se nihil potest facere Filius, de quo Propheta testatur, et dicit : *Deus autem in cælo sursum, et in terra omnia quæcumque voluit fecit* (*Ps.* CXIII, 11)? Sed forte dicturus es hoc de Patre dictum, redi ad Evangelistam dicentem de Filio quia *omnia per ipsum facta sunt, sine ipso factum est nihil* (*Joan.*, I, 3). Qui etiam loquitur ad Moysem : *Vade*, inquit, *dic filiis Israel, Deus patrum vestrorum misit me ad vos* (*Exod.*, III, 12). Illo respondente, et dicente : *Dic mihi nomen tuum, nam non credent mihi*, post hæc adjiciens Deus dixit ei : *Vade, dic filiis Israel : Ego sum qui sum, et qui est misit me ad vos* (*Ibid.*, 14). Et ne hoc de Patre dictum accipias, audi beatum Apostolum huic loco consentientem, et quodammodo ipsum testimonium exponentem ad Corinthios : *Dei*, inquit, *Filius, qui prædicatus est vobis per me, et Silvanum, et Timotheum, non fuit in illo est et non, sed est in illo fuit. Quotquot enim promissiones Dei sunt, in illo est* (II *Cor.*, I, 19). Audi Paulum cum Mose concordantem, et noli a fide catholica discordare. Nam si Ecclesiam catholicam interrogas de Patre quid sit, dicit Deum : sed et Filium dicit Deum, sed et Spiritum sanctum dicit Deum : et tamen non dicit tres deos, ne gentibus comparetur, qui plures deos errore suo decepti confingunt. Sed credamus Scripturæ dicenti, tam novi quam veteris Testamenti, quia Deus unus est : et si unus major, alter minor est, ut Ariani dicunt, unus dici non potest, inæqualitas unitatem excludit. Quomodo autem tres et unum credamus adverte. Unitatem facit æqualitas virtutum, Trinitatem proprietas personarum. Audisti quomodo ipse intelligendam æqualitatem suam et Patris docuerit : *Ego*, inquit, *et Pater unum sumus* (*Joan.*, X, 30). Aliud est unum, aliud sumus. Nam cum dicit sumus, personas significat. Unum

summus, id est, justitia summus, eademque sapientia, virtus indivisa, par gloria. Quæ cum ita sint, dissensio auferatur, et fides integra teneatur. Dicunt etiam : Ideo major est Pater, quia est immortalis. Interrogandi sunt, utrum Filium in substantia deitatis suæ mortalem esse fateantur. Quod si dixerint, quam contra rationem dicant, omnis homo agnoscere potest, qui etiam humanam animam immortalem esse non ambigit. Sed hoc eis dicendum, quod secundum carnem dicatur passus et mortuus. Nam secundum divinitatem, qua semper exstitit, et universa creavit, immortalis permaneat. Dicunt etiam esse visibilem; quod quam absurdum sit, agnoscant qui hoc dicunt, cum nec anima humana possit esse visibilis, quanto magis Deus in sua substantia? Sed ideo carnem assumpsit, quæ poterat videri, quia deitas corporeis oculis non poterat intueri. Hæc interim de æqualitate Patris ac Filii ad præsens dicta sufficiant. Nam de æqualitate operum Trinitatis, id est Patris, et Filii, et Spiritus sancti, paulo post donante Domino, de Scripturis sanctis monstrabimus. Nunc vero de sancti Spiritus deitate pauca de multis testimoniis sunt ponenda, quem non solum minorem asserere, sed etiam Deum omnino dicuntur hæretici denegare. Audiant pauca de deitate Spiritus sancti. In Genesi dicit sermo divinus : *Spiritus Domini ferebatur super aquas* (*Gen.*, I, 2). hoc est eminentia potestatis, non inopia necessitatis. Et in Evangelio : *Spiritus est Deus : et eos qui adorant, in spiritu et veritate oportet adorare* (*Joan.*, IV, 24). Et ne forte de Patre dictum intelligas, et non de Spiritu sancto, audi quod sequitur : *Spiritus ubi vult spirat* (*Joan.*, III, 8). Audi ubi vult, ut suæ potestatis eum esse non dubites. Et Apostolus ad Corinthios dicit : *Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus : et divisiones operationum sunt, idem autem Deus, qui operatur omnia in omnibus* (I *Cor.*, XII, 4). Et tu cognoscas ipsum Spiritum nominatum Dominum et Deum, audi inferius quomodo concludit : *Alii quidem datur per Spiritum sermo sapientiæ, alii autem sermo scientiæ secundum eumdem Spiritum, alii fides in eodem Spiritu* (*Ibid.*, 8), et reliqua. Et sic concludit : *Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult* (*Ibid.*, 11). Qui divina munera prout vult dispensat, legem superioris ignorat. Agnosce tandem, quia qui prout vult dividit, nulli subditus esse probatur, sed suæ potestatis esse dignoscitur. De summa enim potestate descendit voluntas, cui nulla contradicit auctoritas. Et ad Hebræos similiter dicit de Spiritus sancti distributionibus secundum suam voluntatem. Et quis iste sit distributor ac divisor, ad Romanos evidenter ostendit, dicens : *Unicuique sicut Deus divisit mensuram fidei* (*Rom.*, XII, 3). Et ad Corinthios : *Nescitis*, inquit, *quoniam templum Dei estis, et spiritus Dei habitat in vobis* (I *Cor.*, III, 16)? *Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus* (*Ibid.*, 17). Et quis iste Deus sit, cujus templum prohibet violari, audi in sequentibus : *Nescitis, quia membra vestra templum est Spiritus sancti* (II *Cor.*, VI, 19)? Et quis esset iste Spiritus sanctus, cujus templum essemus, sic concludens demonstrat : *Glorificate*, inquit, *et portate Deum in corpore vestro* (*Ibid.*, 20). Agnosce Spiritum sanctum evidenter Deum, et desine blasphemare. Et in Actibus Apostolorum beatus Petrus ad Ananiam, qui Deo voverat oblationem, et postmodum exstitit indevotus, sic dicit : *Quis compulit te mentiri Spiritui sancto? non es mentitus hominibus, sed Deo* (*Act.*, V, 3). Ecce et hic eum evidentissime Deum esse beati Petri attestatio manifestat. Item ibi : *Dixit Spiritus sanctus : Segregate mihi Paulum et Barnabam ad opus, ad quos elegi eos* (*Act.*, XIII, 2). Et beatus Paulus inibi dixit : *Attendite*, inquit, *vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Apostolos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo* (*Act.*, XX, 28). Et quis est iste, qui Apostolos segregat et mittit, idem Paulus ad Corinthios declarat dicens : *Et quosdam*, inquit, *posuit Deus in Ecclesia primum Apostolos, secundo Prophetas, tertio Doctores* (I *Cor.*, XII, 28), et reliqua. Ecce ubi Spiritum sanctum Deum, luce clarius demonstravit, et quem in actibus Apostolorum Spiritum sanctum esse dicit, ad Corinthios Deum esse manifeste confessus est. Dicit enim idem vas electionis ad Judæos : *Bene Spiritus sanctus de vobis prophetavit per os Isaiæ Prophetæ* (*Act.*, XXVIII, 25). Et quis esset iste Spiritus sanctus, qui in Prophetis locutus sit, beatus David exprimit, dicens : *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus* (*Ps.* LXXXIV, 9). Et in Actibus : *Ut impleretur*, inquit, *Scriptura quam præmisit Deus per os prophetarum suorum* (*Act.*, III, 18). Et hic agnosce, quod eum Deum evidenter declaret, qui per os prophetarum locutus est, sicut et Zacharias in Evangelio ait : *Benedictus*, inquit, *Deus Israel, quia visitavit et fecit redemptionem plebis suæ* (*Luc.*, I, 68), et post pauca, ait : *Sicut locutus est per os sanctorum prophetarum suorum* (*Ibid.*, 70). Agnoscis Dominum Deum esse Spiritum sanctum, qui per os prophetarum locutus est, quod nec impii Judæi denegant. Qui si Deus non esset, non in baptismo in uno nomine deitatis Patri et Filio sociaretur, sicut scriptum est, ubi regulam baptismi posuit ipse Dominus : *Ite*, inquit, *baptizate omnes gentes in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti* (*Matth.*, XXVIII, 19). Quod solum testimonium deberet hæreticis sufficere ad incredulitatem inseparabilis Trinitatis, quia nec ipsi audent aliter baptizare, ne regulam Domini corrumpere videantur. Et ubi unum nomen dicitur, ibi et major et minor excluditur. Et in secunda ad Corinthios : *Gratia Domini nostri Jesu Christi, et charitas Dei, et communicatio sancti Spiritus cum omnibus vobis* (I *Cor.*, XIII, 13). Ut agnoscas Patris, et Filii, et Spiritus sancti unam esse substantiam ac deitatem, audi Isaiam prophetam dicentem : *Qui appendit tribus digitis molem terræ* (*Isa.*, XL, 12). Nam et singulariter invenimus in Scripturis, digitum sanctum Spiritum nominatum, ut est illud in Evangelio ubi ait : *Si ego in digito Dei dæmonia ejicio* (*Luc.*, XI,

20); quod alius evangelista declarat, dicens : *Si ego in Spiritu Dei ejicio dæmonia* (*Matth.*, XII, 28). Et Magi Pharaonis victi signis divinis dicunt : *Digitus Dei est* (*Exod.*, VIII, 19). In Pentecosten, quod etiam ante adventum Christi Judæi colebant, digito Dei, id est Spiritu, inscriptas tabulas Moses accipit et quæ tunc in lapideis tabulis figurata sunt corda durissima Judæorum, post Ascensionem Domini in carneis tabulis, id est in cordibus discipulorum, visibiliter dignatus est apparere in ipsa specie ignis, in qua Mosi in deserto apparuit, de quo credimus Isaiam dicere : *Deus noster ignis consumens est* (*Deut.*, IV, 24 ; *Heb.*, XII, 29). Et sicut legimus, quod nemo noverit cogitationes hominum, nisi Deus, quomodo Spiritus sanctus non est Deus, qui etiam non solum quæ in homine, sed etiam quæ in Deo sunt scire dignoscitur ? dicente Apostolo : *Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei* (I *Cor.*, II, 10) : et paulo post : *Ita quæ Dei sunt nemo cognovit, nisi spiritus Dei* (*Ibid.*, 11). Sed forte dicit aliquis, ideo minor est, quia missus legitur. Et quid dicturus est, cum legit in Isaia propheta ex persona Christi dicentis : *Dominus misit me, et Spiritus ejus* (*Isa.*, XLVIII, 16). Et alibi : *Spiritus Domini super me ; propter quod unxerit me, ad evangelizandum pauperibus remissionem, et cæcis visum, annuntiare annum placabilem Domini* (*Isa.*, LXI, 1), et reliqua. Et ut scias evidenter de Domino dictum, Evangelista dicit : *Cum venisset Dominus Jesus in synagogam, datus est ei liber Isaiæ prophetæ, quem aperiens invenit scriptum : Spiritus Domini super me* (*Luc.*, IV, 17), et reliqua quæ supra diximus. Et post hæc : *Plicuit*, inquit, *librum, et dedit ministro, et dixit : Hodie in vobis impleta est scriptura ista* (*Ibid.*, 20). Credendum est mitti, qui ubique esse dignoscitur ? sicut dicit Psalmista : *Quo ibo a Spiritu tuo, et a facie tua quo fugiam* (*Ps.* CXXXVIII, 7) ? Sed sicut Filii missio, incarnatio declaratur, cum se dignatus est aut in columbæ specie, vel in igne, aut diversis hujusmodi assumptis indiciis declarare. Quomodo ergo minor credendus est, qui etiam Deum, qui sicut ipse æqualis est Patri, approbatur ad nostram remissionem misisse ? et non solum misisse, sicut per Isaiam dictum memoravimus, sed etiam secundum carnem creasse, sicut habes in Evangelio angelum ad Mariam dixisse : *Spiritus*, inquit, *sanctus veniet in te, virtus Altissimi obumbrabit tibi* (*Luc.*, I, 35), et reliqua. Non enim generatione, sed jussione, et benedictione sancti Spiritus conceptus est Christus, sicut et alius evangelista ait : *Inventa est*, inquit, *habens in utero de Spiritu sancto* (*Matth.*, I, 28). Prophetæ autem dicunt frequenter, sicut jam memoravimus, *Hæc dicit Dominus*. Et quis sit iste Dominus, Michæas propheta evidenter ostendit, cum loquitur ad Achab dicens : *Si tu de prælio sanus redieris, in me non est locutus Deus* (III *Reg.*, XXII, 28). Et quis iste Deus sit, qui in Prophetis locutus sit, Paulus apostolus demonstrat, cum dicit ad Judæos : *Bene*, inquit, *de vobis Spiritus sanctus prophetavit per os Isaiæ prophetæ* (*Act.*, XXVIII, 25). *Vade*, inquit, *excæca cor populi hujus* (*Isa.*, VI, 10), et reliqua. Interrogandi sunt tamen hæretici, cujus major offensa sit, qui in Patrem peccat, an qui in Spiritum sanctum, quem dicunt Deum non esse. Et cum dixerint majorem offensam esse qui in Patrem peccat, interrogandi sunt iterum filii Israel utrum Patri peccaverint, an alteri ? Cum responderint quia Patri peccaverunt, iterum interrogandi sunt, si eis fuerint dimissa peccata. Utique non negabunt, quia et legimus quod conversi sint ad Deum, et dimissa fuerint eis peccata. Deinde interrogandi sunt, ut exponant quomodo intelligant dictum a Domino : *Quicumque in Spiritu sancto peccaverit, non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro* (*Matth.*, XII, 32). Si Deus non est, quare tam gravis ejus offensa a Domino esse dicatur. Iterum interrogandi sunt, si fuerunt filii Israel contumaces Deo, an non ? Cum non negaverint, quia nec possunt, dicendum est eis, quomodo accipiant illud quod beatus Stephanus Judæis exprobrat dicens : *Vos semper restitistis Spiritui sancto, et semper ei contumaces fuistis, sicut et patres vestri* (*Act.*, VII, 51). Audi etiam ad Thessalonicenses, ubi Spiritum sanctum et priorem loco ponit, et Dominum nuncupat dicens : *Dominus autem dirigat corda vestra in charitate Dei, et patientia Christi* (II *Thessal.*, XXXV). Diligenter adverte, quia hic Spiritus sanctus oratur, ut corda credentium dirigat in charitate Dei, et in patientia Christi. Interrogandi sunt etiam, quid majus sit, utrum cœli an virtutes cœlorum ? et cum sine dubio dixerint virtutes cœlorum : dicendum est eis : In tantum Spiritus sanctus minor non est, sed summus est, ut cum verbo Domini dicantur cœli creati, Spiritu sancto virtutes cœlorum. Accipe adhuc ubi creator evidenter Spiritus sanctus describitur. Job dicit : *Spiritus divinus qui fecit me* (*Job.*, XXXIII, 4). Et divinum utique creatorem uno versiculo demonstravit : cum divinum appellat, et Deum et creatorem ostendit. Sicut et David dicit : *Emitte Spiritum tuum, et creabuntur, et renovabis faciem terræ* (*Ps.* CIII, 30). Interrogandi etiam sunt, si creatura ubique esse potest, an non ? Et cum responderint, quia non ubique, sicut et verum est, dicendum absque dubio, Spiritus sanctus Deus est, et non creatura, qui ubique esse describitur. De quo, sicut jam dictum est, Propheta omnipotentiam ejus metuens dicit : *Quo ibo a spiritu tuo, et a facie, quo fugiam* (*Ps.* CXXXVIII, 7) ? Agnosce ergo nullum esse locum, ubi non omnipotentia Spiritus sancti præsens esse probetur. Item interrogandi, utrum possit alius præter Deum peccata dimittere ; et cum responderint quia nullus nisi Deus, quia scriptum est : *Nemo potest peccata dimittere nisi solus Deus* (*Luc.*, V, 26), dicendum est eis sine dubio Spiritus sanctus Deus est, qui remissionem peccatorum conferre dignoscitur, sicut Dominus dixit : *Accipite Spiritum sanctum ; quorum remiseritis peccata remittentur eis* (*Joan.*, XX, 22). Qui etiam in baptismo cum Patre et Filio baptizatis re-

missionem tribuit peccatorum. Audi etiam quod Spiritus sanctus Deus est, qui frequenter cum Patre et Filio copulatur. Ad Corinthios, sicut jam dictum est, *Gratia*, inquit, *Domini nostri Jesu Christi, et charitas Dei, et communicatio sancti Spiritus cum omnibus vobis* (II *Cor.*, XIII, 13). Qui si non esset Deus et creatura esset, sicut blasphemat hæreticus, numquam in baptismo, ubi salus humani generis agitur, Patri et Filio copularetur. Nam quod unius substantiæ sit Pater et Filius et Spiritus sanctus, Isaias propheta dicit, sicut jam memoravimus, *Quis appendit tribus digitis molem terræ* (*Isa.*, XL, 12)? Quo loco per tres digitos in tribus personis unam substantiam esse perdocuit. Quod Apostolus de Trinitate dictum intelligens ait, *Omnia ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia* (*Rom.*, XI, 36), id est, ex Patre, et Filio, et Spiritu sancto omnia continentur. Item ad Corinthios dicit idem Apostolus, *Deus qui dixit de tenebris lumen splendescere, qui illuxit cordibus nostris illuminationem scientiæ claritatis Dei in faciem Christi Jesu* (II *Cor.*, IV. 6). Quo loco manifestissime Trinitas intelligitur. *Deus qui dixit de tenebris lumen splendescere*, Spiritus sanctus agnoscitur : et ubi dicit, *Illuminationem scientiæ claritatis Dei*, Pater intelligitur : in eo vero ubi dicit, *In faciem Christi Jesu*, Filius designatur. Audi adhuc, quia Trinitas in unitate manet, et unitas in Trinitate, angelorum et archangelorum voces declarant in Isaia, ubi Seraphim hymnum scribitur dicere, *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth* (*Isa.*, VI, 3), non tres sanctos, sed ter sanctum conclusit dicendo, *Dominus Deus Sabaoth :* id est ut tres personas et unum Deum intelligas. Non semel dicunt, ne singularitatem credas : non bis, ne Spiritum sanctum excludas : non sancti Domini Sabaoth, ne tres deos more gentilium fatearis. Sed dicunt, *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth*, et est Trinitas. Deus laudatur, qui est Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. Quem etiam Deum esse, ex operationum æqualitate, qui oculos cordis sanos habet, facile poterit approbare, sicut in sequentibus demonstrabimus. Sicut salvat Pater, ita et Filius, ita et Spiritus sanctus. De Patre, *Salva nos, Deus noster, et congrega nos de nationibus* (*Ps.* CV, 47). De Filio, *Venit Filius hominis salvum facere quod perierat* (*Luc.* XIX, 10); et alibi, *Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum* (*Matth.*, I, 25). De Spiritu sancto ad Titum, *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus sancti* (*Tit.*, III, 5). Sicut confortat Pater, ita Filius, ita et Spiritus sanctus. Esther de Patre, *Conforta me rex, et Deus deorum* (*Esther*, XIV, 12). De Filio Apostolus, *Gratias ago Domino nostro Jesu Christo, qui me confortavit, et fidelem existimavit* (I *Tim.* I, 12). De Spiritu sancto in Evangelio : *Puer autem crescebat et confortabatur Spiritu sancto* (*Luc.*, I, 80). Vivificat Pater, ita Filius, ita et Spiritus sanctus. In Evangelio, *Sicut Pater suscitat mortuos, et vivificat, ita et Filius quos vult vivificat* (*Joan.* V, 21). De Spiritu sancto in Epistola Petri apostoli, *Mortificatus carne, vivificatus autem Spiritu* (I *Pet.*, III, 18). Et Paulus apostolus, *Littera*, inquit, *occidit, spiritus autem vivificat* (II *Cor.*, III, 6). Et in Evangelio, *Spiritus est qui vivificat, nam caro non prodest quidquam* (*Joan.*, VI, 64). Sicut liberat Pater, ita Filius, ita et Spiritus sanctus. De Patre, *Deus excelsus liberator eorum* (*Ps.* LXXVII, 3, 5). De Filio in Evangelio, *Si vos liberaverit, vere liberi eritis, et veritas liberabit vos* (*Joan.*, VIII, 36, 32). De Spiritu sancto, *Spiritus vitæ in Christo Jesu liberavit me a lege peccati et mortis* (*Rom.*, VIII, 2). Eligit Pater, ita Filius, ita et Spiritus sanctus. De Patre Apostolus, *Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui elegit nos ante mundi constitutionem* (*Ephes.* I, 3). De Filio : *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos* (*Joan.*, XV, 16). De Spiritu sancto in Actibus, *Cum ergo jejunassent et orassent, dixit eis Spiritus sanctus, Segregate mihi Barnabam et Paulum ad opus quod elegi eos* (*Act.* XIII, 2). Creator dicitur Pater, ita Filius, ita et Spiritus sanctus. De Patre Apostolus, *Quæ sit dispensatio sacramenti absconditi a Deo qui omnia creavit* (*Ephes.*, III. 9). De Filio ad Colossenses, *Quia ab ipso creata sunt universa, et omnia in ipso constant* (*Coloss.*, I, 17): et in Evangelio, *Omnia per ipsum facta sunt* (*Joan.* I, 3) De Spiritu sancto in Salomone, *Et vidit et dinumerarit, et mensus est omnia, ipse creavit ea per Spiritum sanctum* (*Eccli.* I, 9) : et in Psalmo, *Emitte Spiritum tuum, et creabuntur* (*Ps.* CIII, 30) : et alibi, *Spiritus oris ejus omnis virtus eorum* (*Ps.* XXXII, 6). Sicut prædixit Pater, ita Filius, ita et Spiritus sanctus. De Patre, *Deus autem, qui prædixit pati Christum suum, implevit* (*Act.*, III, 18). Sic de Filio in Evangelio Angelus dixit mulieribus, *Ite et annuntiate fratribus, quia præcedit vos in Galilæam, ibi eum videbitis, sicut prædixit vobis* (*Marc.*, XVI, 17). De Spiritu sancto in Actibus Petrus, *Oportet impleri scripturam, quam prædixit Spiritus sanctus per os David* (*Act.*, I, 16). Magnus Pater, ita Filius, ita et Spiritus sanctus. De Patre, *Magnus Deus noster et laudabilis* (*Ps.* XLVII, 2). De Filio ad Titum, *Exspectantes beatam spem, et adventum gloriæ magni Dei Salvatoris nostri Jesu Christi* (*Tit.* II, 13). De Spiritu sancto in Regum ait Dominus ad Heliam, *Ecce Dominus transiit, et Spiritus sanctus, et fortis* (III *Reg.*, XIX, 11). Sicut charitas Patris, ita Filii, ita et Spiritus sancti. De Patre, *Superabundavit autem gratia Domini nostri Jesu Christi, et charitas Dei nostri* (I *Tim.*, I, 14). De Filio, *Charitas enim Christi urget nos* (II *Cor.*, V, 14). De Spiritu sancto, *Quid vultis, in virga veniam ad vos, an in charitate Spiritus* (I *Cor.* IV, 21)? et alibi, *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis* (*Rom.*, V, 5). Vitam æternam dat Pater, ita Filius, ita Spiritus sanctus. De Patre in Epistola Joannis, *Quoniam vitam æternam dabit nobis Deus* (I *Joan.*, V, 11). De Filio in Evangelio ; *Oves meæ vocem meam audiunt, et sequuntur me, et ego vitam æternam do eis* (*Joan.* X, 27). De Spiritu sancto ad Galatas,

Qui seminat in Spiritu, de spiritu metet vitam æternam (*Gal.*, VI, 8). Sicut pacem dat Pater, ita Filius, ita et Spiritus sanctus. De Patre, *Pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum* (*Philipp.*, IV, 7). De Filio in Evangelio: *Pacem meam dimitto vobis* (*Joan.*, XIV, 27). De Spiritu sancto, *Prudentia autem Spiritus vita et pax* (*Rom.*, VIII, 6). Revelat Pater, ita Filius, ita et Spiritus sanctus. De Patre ad Galatas, *Ut revelaret Filium suum in me* (*Gal.*, I, 16). De Filio inibi, *Neque ego enim ab homine accepi illud, sed per revelationem Jesu Christi* (*Ibid.*, 12). De Spiritu sancto ad Ephesios, *Quod aliis generationibus non est agnitum, sicuti nunc revelatum est sanctis ejus per Spiritum suum sanctum* (*Ephes.*, III, 5); et alibi, *Nobis enim revelavit Deus per Spiritum* (I *Cor.*, II, 10). Sicut illuminat Pater, ita Filius, ita et Spiritus sanctus. De Patre, *Tu illuminabis lucernam meam, Domine* (*Ps.* XVII, 29). De Filio in Apostolo, *Exsurge qui dormis, et illuminabit tibi Christus* (*Ephes.*, V, 14). De Spiritu sancto idem Apostolus, *Quoniam Deus, qui dixit de tenebris lumen splendescere, illuxit in cordibus nostris illuminationem scientiæ claritatis Dei in faciem Christi Jesu* (II *Cor.*, IV, 6). Sicut dicitur Evangelium Patris, ita Filii, ita et Spiritus sancti. De Patre ad Titum, *Quæ est secundum Evangelium gloriæ beati Dei* (I *Tim.*, I, 11). De Filio ad Romanos, *Cui servio in spiritu meo in Evangelio Filii ejus* (*Rom.*, I, 9). De Spiritu sancto in epistola beati Petri, *Vobis autem ministraverunt hæc, qui vobis evangelizaverunt in Spiritu sancto* (I *Pet.*, I, 12). Sicut illuxit Pater, ita Filius, ita et Spiritus sanctus. De Patre, *Deus meus, illumina tenebras meas* (*Ps.* XVII, 29). De Filio in Psalmo, *Deus Dominus et illuxit nobis* (*Ps.* CXVII, 27). De Spiritu sancto Propheta, *Non abscondam ultra faciem meam ab eis, pro eo quod illuxit spiritus meus super universam domum Israel* (*Ezech.* XXXIX, 29) Et Apostolus, *Quoniam Deus, qui dixit de tenebris lumen splendescere, qui illuxit in cordibus nostris ad illuminationem claritatis Dei in faciem Dei Christi Jesu* (II *Cor.*, IV, 6). Præscientiam habet Pater, ita Filius, ita et Spiritus sanctus. De Patre, *Deus qui occultorum cognitor es* (*Dan.*, XIII, 42). De Filio, *Ab initio*, inquit, *sciebat Jesus, qui eum esset traditurus* (*Joan.*, VI, 65). De Spiritu sancto, *Cum venerit Spiritus paraclitus docebit vos omnem veritatem, et quæ ventura sunt annuntiabit vobis* (*Joan.*, XVI, 13). Sicut ubique esse dicitur Pater, ita Filius, ita et Spiritus sanctus. De Patre: *Cælum et terram ego impleo, dicit Dominus* (*Jer.*, XXIII, 24). De Filio, *Ubicumque fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum* (*Matth.*, XVIII, 20); et Apostolus, *Qui ascendit super cælos ut impleret omnia* (*Ephes.*, IV, 10). De Spiritu sancto in Salomone, *Spiritus Domini implevit orbem terrarum* (*Sap.*, I, 7), et quod super orbem est, implevit ipsum Dominum orbis totius conditorem, sicut legimus, *Jesus autem plenus Spiritu sancto regressus est ab Jordane* (*Luc.*, IV, 1). Et David, *Quo ibo ab Spiritu tuo* (*Ps.* CXXXVIII, 7)? Arguit Pater, ita Filius, ita et Spiritus sanctus. De Patre, *Domine, ne in ira tua arguas me* (*Ps.* VI, 2). De Filio, *Arguam te, et statuam illa contra faciem tuam* (*Ps.* XLIX, 2.). De Spiritu, *Cum venerit Spiritus paraclitus, ipse arguet mundum de peccato* (*Joan.*, XVI, 8), et reliqua. Bonus Pater, bonus Filius, bonus et Spiritus sanctus. De Patre, *Pater bone* (*Joan.*, XVII, 11). De Filio, *Ego sum pastor bonus* (*Joan.*, X, 14). De Spiritu sancto, *Spiritus tuus bonus deducet me in via recta* (*Ps.* CXLII, 11). Sanctificat et justificat sicut Pater, ita Filius, ita et Spiritus sanctus. Apostolus, *Sed sanctificati estis in nomine Domini Jesu Christi, et in Spiritu Dei nostri* (I *Cor.*, VI, 11). Sanctus dicitur Pater, sanctus dicitur Filius, sanctus et Spiritus sanctus. De Patre in Levitico, *Sancti estote, quoniam ego sanctus sum* (*Lev.*, XI, 44). De Filio in Evangelio, *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei* (*Luc.*, I, 35). Item ibi, *Scimus qui sis sanctus Dei* (*Luc.*, IV, 34). De Spiritu sancto in Salomone, *Sanctus enim spiritus disciplinæ effugiet fictum* (*Sap.*, I, 5). Fortis Pater, fortis Filius, fortis et Spiritus sanctus. De Patre, *Deus fortis et patiens* (*Ps.* VII, 12). De Filio in Isaia, *Et vocabitur nomen ejus Deus fortis* (*Isa.*, IX, 6). De Spiritu sancto in Salomone, *Spiritus fortitudinis in viis ejus.* Operatur Pater, operatur Filius, hoc et Spiritus sanctus. De Patre ad Philippenses, *Deus enim, qui operatur in vobis et velle* (*Philipp.*, II, 13). De Filio in Evangelio, *Me oportet operari opera ejus qui misit me* (*Joan.*, IX, 4). De Spiritu sancto ad Corinthios, *Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult* (I *Cor.*, XII, 11). Virtus Pater, virtus Filius, virtus et Spiritus sanctus. De Patre Apostolus, *Non confundor de Evangelio. Virtus enim Dei est in salute omni credenti* (*Rom.*, I, 16). De Filio Apostolus, *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut habitet in me virtus Christi* (II *Cor.*, XII, 9). De Spiritu sancto ad Thessalonicenses, *Evangelium nostrum non fuit apud vos in verbo tantum, sed in virtute Spiritus sancti* (I *Thessal.*, I, 5). Fons Pater, fons Filius, fons et Spiritus sanctus. De Patre Hieremias, *Dereliquerunt fontem aquæ vivæ* (*Jer.*, II, 13). De Filio in Salomone, *Fons sapientiæ Verbum Dei* (*Eccli.*, I, 5). De Spiritu sancto Isaias, *Ecce nomen Domini post multum tempus veniens, ardens in ira indignationis, vorabit gentes, et Spiritus ejus ut fons aquæ vallem trahens* (*Isa.*, XXX, 27, 28). Charitas Pater, charitas Filius, charitas et Spiritus sanctus. De Patre in Epistola Joannis, *Deus charitas est* (I *Joan.*, IV, 16). De Filio Apostolus ad Corinthios, *Charitas enim Christi urget nos* (II *Cor.*, V, 14). De Spiritu sancto Apostolus, *Obsecro vos, fratres, per Dominum nostrum Jesum Christum, et per charitatem Spiritus* (*Rom.*, XV, 30). Regenerat Pater, regenerat Filius, regenerat et Spiritus sanctus. De Patre Petrus, *Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui secundum magnam misericordiam suam regeneravit nos in spem vitæ æternæ* (I *Pet.* I, 3). De Filio inibi, *Diligentes invicem ex corde, quasi renati per verbum Dei vivi* (*Ibid.*, 23). De Spiritu sancto in Evangelio. *Si quis non renatus*

fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non introibit in regnum cœlorum (*Joan.* III, 5). Resuscitat Pater, resuscitat Filius, resuscitat et Spiritus sanctus. De Patre in Actibus, *Deus patrum nostrorum, qui suscitavit Jesum, et nos suscitabit per potentiam suam* (*Act.* V, 30). De Filio in Evangelio, *Venerunt Judæi non solum propter Jesum, sed ut Lazarum viderent quem suscitavit a mortuis* (*Joan.*, XII, 9). De Spiritu sancto Apostolus, *Si autem Spiritus ejus, qui suscitavit Jesum a mortuis, habitat in vobis, vivificabit et mortalia corpora vestra propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis* (*Rom.* VIII, 11). Gratia Dei Patris, gratia Filii, gratia et Spiritus sancti. De Patre, *Quis me liberabit de corpore mortis hujus? gratia Dei per Jesum Christum* (*Rom.*, VII, 24). De Filio ad Corinthios, *Scitis enim gratiam Domini nostri Jesu Christi, quia propter vos factus est pauper cum esset dives* (II *Cor.*, VIII, 9). De Spiritu sancto in Actibus, *Et obstupuerunt qui cum Petro venerant, quoniam in gentibus gratia Spiritus sancti diffusa est* (*Act.* X, 45). Signat Pater, signat Filius, signat et Spiritus sanctus. De Patre ad Corinthios, *Et qui signavit vos nobiscum in Christo, et qui unxit nos Deus* (II *Cor.*, I, 21). De Filio ad Ephesios, *Audientes verbum veritatis, evangelium salutis vestræ, in quo signati estis* (*Ephes.*, I, 13). De Spiritu sancto ubi supra, *Nolite contristare Spiritum sanctum, in quo signati estis in die redemptionis* (*Ephes.*, IV, 30). Habitat Pater in credentibus, habitat Filius, habitat et Spiritus sanctus. De Patre in Isaia, *Servate diem sabbati, et sanctificate eum, ut habitem in medio vestri* (*Jer.*, XVII, 22). De Filio ad Ephesios, *Habitare Christum per fidem in cordibus vestris* (*Ephes.*, III, 17). De Spiritu sancto, *Nescitis quoniam templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis* (I *Cor.*, III, 16)? Scrutatur Pater, scrutatur Filius, scrutatur et Spiritus sanctus. De Patre in Psalmo, *Scrutans corda et renes Deus* (*Ps.* VII, 10). De Filio in Apocalypsi, *Et scient omnes Ecclesiæ, quia ego sum scrutator cordis et renium* (*Apoc.* II, 23). De Spiritu sancto in Apostolo, *Spiritus omnia scrutatur etiam profunda Dei* (I *Cor.* II, 10). Testificat Pater, testificat Filius, testificat et Spiritus sanctus. De Patre in Psalmo, *Testimonium Dei fidele, sapientiam præstans parvulis* (*Ps.* XVIII, 8). De Filio ad Timotheum, *Præcipio tibi coram Deo, qui vivificat omnia, et Christo Jesu, qui testimonium reddidit sub Pontio Pilato* (I *Tim.* VI, 13). De Spiritu sancto Apostolus, *Testimonium perhibet Spiritui nostro* (*Rom.*, VIII, 16). Ostendit Pater, ostendit Filius, ostendit et Spiritus sanctus. De Patre ad Timotheum, *Quem suis temporibus ostendens beatus et solus potens* (I *Tim.*, VI, 15). De Filio in Evangelio ipse Filius dicit, *Ostendam autem vobis quem timeatis* (*Luc.*, XII, 5); et, *Multa bona opera ostendi vobis a Patre meo* (*Joan.* X, 32). De Spiritu sancto ad Corinthios, *Prædicatio mea non fuit in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus* (I *Cor.*, II, 4). Implet Pater, implet Filius, implet et Spiritus sanctus. De Patre Hieremias, *Cœlum et terram ego impleo, dicit Dominus* (*Jer.*, XXIII, 24). De Filio in Apostolo, *Dominus autem impleat corda vestra, et confirmet in omni opere et sermone bono* (I *Thessal.*, II, 16). Et in Evangelio, *De plenitudine ejus omnes accepimus* (*Joan.*, I, 16). De Spiritu sancto in Actibus, *Implevit omnem locum, ubi erant discipuli congregati* (*Act.* II, 2). Et, *Jesus plenus Spiritu sancto regressus est ab Jordane* (*Luc.*, IV, 1). Loquitur Pater, loquitur Filius, loquitur et Spiritus sanctus. De Patre, *Deus locutus est in sancto suo* (*Ps.* LIX, 8). De Filio, *Loquente Jesu ad turbas* (*Matth.* XII, 46). De Spiritu sancto, *Est qui loquitur in vobis* (*Matth.*, X, 20). Apparuit Pater, apparuit Filius, apparuit et Spiritus sanctus. De Patre in Actibus, *Deus gloriæ apparuit patribus nostris* (*Act.*, VII, 2). De Filio in epistola Joannis, *Ad hoc apparuit Filius, ut solvantur opera diaboli* (I *Joan.* III, 8). De Spiritu sancto in Job, *Et spiritus apparuit in oculis meis, et horror irruit in me* (*Job*, IV, 15). Veritas Pater, veritas Filius, veritas et Spiritus sanctus. De Patre in Psalmo, *Redemisti me, Domine Deus veritatis* (*Ps.* XXX, 6). De Filio, *Veritas de terra orta est* (*Ps.* LXXXIV, 12). Et in Evangelio, *Ego sum via, veritas, et vita* (*Joan.*, XIV, 16). De Spiritu sancto in Evangelio, *Cum venerit Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem* (*Joan.* XVI, 13). Ecce unitatem operis, non dubites unitatem credere Trinitatis. Dicere etiam solent de baptismo, quod in eo melius sit illorum baptismum, quam nostrum; quia qui de illis ad nos convertuntur, non eos rebaptizamus, sed per manus impositionem reconciliamus. Illi vero, si quos de nostris seducere possunt, inconsideranter rebaptizant. Qui interrogandi sunt: Baptisma istud quod dant suum dicunt esse, an nostrum? Si nostrum est, quare illud præsumunt, similiter ut nos baptizando? si illorum est, quare illud violant iterando? Sed nos reverentiam habemus Dominicis verbis, et quomodo ipse jussit: ita et baptizamus, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Sed et illos sic certum est baptizare. Nam si sic baptizarent illi quomodo credunt, in nomine Patris majoris, et in nomine Filii minoris, et in nomine Spiritus sancti multo minoris, tunc demum non iterabamus baptismum, sed dabamus, quia non secundum regulam quam Dominus tradidit baptizabant. Sed quid facimus? bene baptizant, sed male credunt: bene baptizant, sed malum est quod rebaptizant. Regulariter quidem baptizant, sed fidem male insinuant. Et dum carnaliter gradus in divinitate faciunt, offensam divinitatis incurrunt: non metuentes illud quod Dominus dixit: *Qui semel lotus est, non indiget iterum ut lavetur* (*Joan.* XIII, 10). Dixit enim Dominus in Evangelio, *Vos estis sal terræ* (*Matth.*, V, 13); et quicumque sapiens est, non hoc sine causa dictum intelligit. Sal enim ex aqua fit, sed si iterum in aquam mittitur, liquescit et perit. Sic qui semel baptizatus est ex aqua, sal est effectus: sed si iterum baptizari se permittat, ad nihilum sicut sal in aqua missum redigitur, et anima ejus perpetua morte punitur. Dicit enim Apostolus de

Ecclesia, *Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus* (I *Cor.* x, 17): quia sicut ex multis granis unus panis efficitur, ita ex multis populis una Ecclesia congregatur. Et panis, ut omnes norunt, per aquam conficitur, et per ignem excoquitur, et omnis Christianus per baptismi aquam et ignem sancti Spiritus oblatio Dei est effectus, dicente Domino : *Si quis non renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non intrabit in regnum cœlorum* (*Joan.* III, 5). Sed sicut panem jam semel coctum, si aliquis remittat in aquam, et velit recommiscere et recoquere, perdit pristinam dignitatem, et in nigredinem terramque convertitur. Sic talis efficitur quicumque in se permittit baptismum iterari. Et ideo debet unusquisque usque ad mortem baptismum suum, Deo adjuvante servare, si vult ad regna cœlorum fideliter pervenire. Nam quicumque se rebaptizari permittit, ipse blasphemat in Spiritu sancto, dum se negat christianum, et per aquam ac Spiritum sanctum fuisse renatum. Et necesse est ut illam, quam memoravimus, Domini sententiam comminantis excipiat : *Quicumque blasphemaverit in Spiritu sancto, non ei remittetur neque in hoc sæculo, neque in futuro* (*Matth.* XII, 32).

KALENDARIA DUO ANTIQUA

A FURIO DIONYSIO PHILOCALO AN. CCCLIV, ET POLEMEO SILVIO AN. CCCCIIL, CONSCRIPTA, ET EX CODICE MS. JOANNIS CUSPINIANI DESUMPTA.

(Bolland. acta Sanct. Junii, tom. VII.)

PRÆFATIO EDITORIS.

1. *Promissio Bollandi de edendo Polemeo Silvio.*— Tandem pervenimus, Deo propitio, ad calcem primi semestris sacri de Actis sanctorum. Inde, antequam plene imponamus finem, redeo ad principium totius operis, memor, Bollandum in Præfatione generali, quemadmodum § 7 promisit, alias editum iri a se Martyrologium Usuardi *nativa simplicitate sua;* ita § 3 spem fecisse futurum, ut *laterculum Polemei Silvii aliquando* e codice ms. vulgaret. Neutrum præstitit, quia otium non invenit; postquam grande opus, quod meditabatur, serio aggressus est; quodque tantum negotii optimo viro dedit, ut, sepositis alienis ab opere suscepto curis, etiam adjutorem sibi ad aliud promovendum adsciscere mox coactus fuerit. Fidem Bollandi pro prima parte, nuper solvit collega noster Joannes Baptista Sollerius, diligenti studio et accuratione præstans, quod ille promiserat in edendo Martyrologium Usuardi genuinum suæque nativæ simplicitati restitutum, rescissis multorum additamentis; quæ tamen, ne lectores lateret, seorsim subjunxit. Dividitur totum opus in partes duas, duabus supplementorum Junii partibus, id est tomo ejus VI et VII (quamvis etiam seorsim impressum sit) subnectendas. Proxime enim ad Acta sanctorum spectat Martyrologium illud, ex quo antiquus et legitimus omnium fere, qui octo primis et dimidio æræ christianæ sæculis sanctimonia floruerunt, cultus in Ecclesia firmiter comprobatur.

2. *Promissio hic solvitur.* — Alteram Bollandi promissionem de laterculo Polemei hic solvimus. Codex noster, in quo laterculus continetur, membraneus est et spissus, philyras CCXXXI numerans; charactere minuto, sed stante, scriptus ab eadem manu a capite ad calcem, non sine mendis. Complectitur varia varii argumenti opuscula scriptorum, quorum maxima pars prioribus sæculis, saltem ante annum millesimum floruerunt. Inter illa præsens Silvii opusculum habetur pag. 94. Initium ejus produxit Bollandus loco citato cum Kalendarii mense Januario aliisque nonnullis; notavitque non male; auctorem potius *P. Anneium Silvium*, quam *Polemeum Silvium*, nominandum esse. Scripsit auctor, uti in adjunctis et immixtis Kalendario aliis opusculis ipse refert, anno vulgaris æræ CCCCIII et initio sequentis. Habet enim sub hoc titulo suo : *Nomina omnium principum Romanorum;* in fine sequentia : *D. N. Placidus Valentinianus; sub quibus Joannes tyrannus exstinctus est; et a quibus cum DD. matre Placidia, uxore Eudoxia, Augustis, nunc imperium possidetur. Quod Postumanio et Zenone viris clarissimis consulibus annotari.* Certum est consules hic nominatos processisse ac præfuisse anno Christi CCCCIII.

3. *Ætas scriptoris. — Additur Kalendarium aliud.* — Item sub titulo : *Breviarium temporum*, qui Kalendario, post mensem Augustum, inscribitur; isthæc leguntur, etiam ad calcem : *Cujus regni* Romanorum (de illius quippe regibus, consulibus et imperatoribus agitur) *ab Urbis exordio mille et ducentis completis annis; Postumiano et Zenone consulibus; Asterio consule, tamquam primus annus incipit.* Fuerunt Postumianus et Zeno consules, uti jam diximus, anno CCCCIII; fuit Asterius anno sequenti. *Hæc eroo* (loquor verbis Bollandi) *scripsit Silvius anno* CCCCIII, *et initio sequentis, cum necdum Romæ sciretur, quis Constantinopoli consul esset; qui Protogenes fuit.* His præmissis, ut de ætate scriptoris nostri constet, accedo ad Kalendarium ipsum, quod dudum per litteras multorum rogati fuimus; ipsumque e codice citato promam prout ibi legitur; atque ex opposito columnatim apponam Kalendarium aliud

ejusdem propemodum formæ, at annis fere centum prius vulgatum a *Furio Dionysio Philocalo*, et *Valentino*, nescio cui, inscriptum. Illud e ms. itidem nostro, sed deficientibus quatuor mensibus, olim edidit Ægidius Bucherius in commentario de Victorii Aquitani canone paschali; quod Kalendarium anno Christi vulgari CCCLIV conscriptum fuit.

4. *De supradicto Kalendario præfatur Bucherius.*— Ad Kalendarium illud sic præfatur Bucherius : *Si quod de horum opusculorum* (quæ ex eodem ms. nostro jam impresserat suo in commentario) *ætate dubium superesset, hoc unico Kalendario tolli posset. Præcipuas enim Constantini Magni filiique Constantii de tyrannis barbarisque victorias, velut adhuc calentes, exhibet, et suis diebus assignat. Quin et in Cæsarum natalibus eumdem Constantium, non, ut reliquos imperatores mortuos,* DIVUM; *sed ut adhuc superstitem,* DOMINUM *appellat. Opusculi pretium accendunt non pauca, tum ad sacram, tum ad civilem historiam hic prodita, aliis intacta; ut tute lector, statim agnosces. Dolendum, quatuor mensibus, Martio, Aprili, Maio et Junio truncatum ad nos pervenisse... Valentino cuidam inscribitur, mihi hactenus ignoto; nisi quod paulo ante* (in Catalogo Pontificum Romanorum) *basilicam a Julio pontifice via Flaminia, milliario secundo constructam, Valentini appellatam notem. An idem sit, cogitandum relinquo.* Non putem.

5. *Ecclesia S. Valentini ab ipso sancto appellata est.* — Quia istic loci via Flaminia haud procul a ponte Milvio Ecclesia olim stetit, a *sancto Valentino* appellata, non a Valentino quodam conditore; cum ipse Julius supra dicatur illam condidisse; quod etiam affirmat Anastasius, *unam ipsum basilicam fecisse juxta forum, et alium via Flaminia;* ubi et cœmeterium fecit, et corpus S. Valentini, eadem via sub Claudio imp. decollati, posuit. Eadem ecclesia legitur apud eumdem Anastasium, deinde magni nominis, et a variis pontificibus restauratam, ornatam et honoribus auctam fuisse, puta a Theodoro, sub annum DCCXLV; Benedicto II, DCLXXXV; Adriano I, DCCLXXII; Leone III, et Gregorio IV. Cum vero dudum varia temporum fortuna fuerit collapsa, situs tamen ejus memoria non omnino interiit; scribentibus Panvinio, Bosio et Floravante, fuisse in vinea ibidem loci, quæ nunc fratrum S. Augustini est. Et nuper Augustinus Lubin in Notitia abbatiarum Italiæ, pag. 346, sic narrat de ecclesia et cœmeterio S. Valentini, a Julio constructis : *Hoc ipso momento, quo ista scribimus, medio scilicet Januario anno* MDCXCIII, *aliqua nobis apparuere vestigia. Dum enim novi ædificii construitur murus, reperta sunt plura antiquæ ecclesiæ indicia, sepulcra videlicet, sepulcrorumque inscriptiones, plurima defunctorum ossa; et christiani cœmeterii irrefragabile argumentum concha sepulcralis lapidis Parii, egregie sculpta undosis meandris, cubitali crucis signo supersculpto, cum tribus craniis pluribusque mortuorum ossibus : lapis quoque marmoreus cum cruce bicubitali desuper insculpta : duorum pro-*

minentiæ digitorum marmoreum legile ad missas et ærea campannula ad elevationem hostiæ; quæ ipse oculatus vidi scrutator exactissimus. Hæc Lubinus, qui nimium nos moratus hic est.

6..... *appellata est, non ab alio Valentino qui inde non potest dici christianus esse.* — Ista igitur S. Valentini basilica ab ipso sancto sic denominata exstitit non a Valentino quondam ejus conditore, qui nullus hic fuit. Neque is illo ex capite dici potest christianus fuisse. Si quid indicii hominis christiani, aut in scriptore, aut in illo cui inscriptum opusculum est, quæritur; erui id deberet, vel ex tabula picta quæ præfigitur, vel ex litteris dominicalibus septem quæ singulis diebus more christianorum ordine suo, una cum octo nundinalibus, apponuntur. Reliqua enim omnia apparent profana esse.

7..... *christianus esse : Posset forte aliunde.* — Tabula in frontispicio posita repræsentat portam cui velum prætenditur, in eoque summo loco scriptum, *Valentine, floreas in Deo.* In medio conspicitur monogramma, circulo inclusum cum binis litteris, varie inter se implexis : I. R. A. F. V. T. E. Œdipus explicet, non ego. Infra duo genii hinc et inde tenent tabulam oblongam, in cujus utrimque ansis hæc verba : *Furius Dionysius Philocalus titularit;* in tabula vero ipsa, medio loco et majusculis scriptum : *Valentine, lege feliciter;* dextrorsum autem : *Valentine, vivas, floreas;* et sinistrorsum : *Valentine, vivas, gaudeas.* Genii qui portant alati sunt, atque videri possunt, si ubera spectes protuberantia, gentilium esse pictura; si pudenda peplo sollicite tecta, angelos diceres : certe occultatio hæc, gentilibus insolita, aliquid modestiæ atque verecundiæ christianæ sapit. Sed neque inscriptio *floreas in Deo*, gentilismum olet : neque gentilis facile credi potest in suo Kalendario apposuisse notas christianorum dominicales. Facilius potest credi, christianum suis dominicalibus adjunxisse nundinales ex usu antiquo ad intelligentiam gentilium, tunc adhuc nimis multorum.

8. De præmissis statuat quisque ut volet. Moneo de sequentibus Kalendariis pauca. Primum quod a Bucherio editum dixi, non ex ipso hic profero, quia præter alia minus correcta, deficiunt ibi menses quatuor : Martius, Aprilis, Maius et Junius. Inspeximus nos Viennæ Austriæ anno MDCLXXXVIII bibliothecam Cæsaream, in eoque codicem Cuspiniani similem illi, ex quo egraphum Bucherii desumptum fuerit; atque omnia ab ipso impressa, denuo inde descripsimus, etiam Kalendarium, de quo agimus, additis quatuor mensibus, quæ Bucherio desunt. Idem ex eodem codice impressum quoque dedit integrum Petrus Lambecius tomo quarto Bibliothecæ Cæsareæ, pag. 277; indeque ipsum hic recudimus in prima paginarum columna; in altera ex opposito producturi e codice nostro ms. Kalendarium Polemei Silvii, ut inter se propius per singulos dies considerari possint, et facilius, quid uni desit, quid alteri accesserit, notari.

KALENDARIUM ANTIQUUM FURII DIONYSII FILOCALI

ANNO CCCLIV CONSCRIPTUM.

MENSIS JANUARIUS.

Habet dies XXXI.

	AAA	*Kal. Jan.*	Senatus legitimus.
	bb	IV. *Non.*	Dies Ægyptiacus.
	cc	III.	Ludi. Votorum nuncupatio.
B	*dd*	*prid.*	Ludi.
	ee	*Non.*	Ludi.
	ff	VIII *Idus.*	Dies Ægyptiacus.
C	*gg*	VII.	Jano Patri CMXXIV.
	Ah	VI.	
	bA	V.	Senatus legitimus.
D	*cb*	IV.	
	de	III.	Dies Carmentariorum.
	ed	*prid.*	
E	*fe*	*Idib.*	Jovi Statori CMXXIV.
	gf	XIX. *Kal. Febr.*	
	Ag	XVIII.	Carmentalia.
F	*bh*	XVII.	Dies Ægyptiacus.
	cA	XVI.	Ludi Palatini.
	db	XV.	Ludi.
G	*ec*	XIV.	Ludi.
	fd	XIII.	N. Gordiani CMXXIV.
	ge	XII.	Ludi.
H	*Af*	XI.	Ludi.
	bg	X.	Senatus leg. SOL AQUARIO.
	ch	IX.	N. Divi Adriani CMXXIV.
I	*dA*	VIII.	N. Chartis.
	eb	VII.	
	fc	VI.	
K	*gd*	V.	
	Ae	IV.	
	bf	III.	
A	*cg*	*prid.*	

FEBRUARIUS.

Habet dies XXVIII.

	dh	*Kal. Febr.*	N. Herculis CMXXIV.
	eA	IV. *Non.*	

KALENDARIUM ANTIQUUM POLEMEI SILVII

ANNO CCCCIII. CONSCRIPTUM.

MENSIS JANUARIUS.

Dies XXXI. Vocatur apud Hebræos, *Sebit*; apud Ægyptios, *Tibi*; apud Athenienses, *Pusidicon*; apud Græcos alios, *Edinen*.

Kalendæ, dictæ ἀπὸ τοῦ καλεῖν, hoc est a vocando, quia tum in Rostris Romæ ad contentionem (*an non* concionem?) populus vocabatur.

IV. *Non.* Circus privatus. Auster, interdum cum pluvia.

III. Dies auspicialium. Natalis Ciceronis. Ludi.

II. Ludi. Comitialis.

Nonæ, dictæ ideo, quia nonus dies eas discernit ab Idibus. Tempestatem significat.

VIII. *Idus.* Epiphania, quo die, interpositis temporibus, stella magis Dominum natum nuntiabat, et aqua vinum facta, vel in amne Jordanis Salvator baptizatus est. Auster interdum vel Favonius.

VII. Prima consulis mappa, quæ ideo sic vocatur, quia rex Tarquinius Romæ, dum die Circiensium pranderet in circo, de mensa sua mappam foras, ut aurigis post prandium currendi signum daret, abjecerat.

VI. Auster interdum et imber.

V. Senatus legitimus. Suffecti consules designantur sive prætores.

IV.

III. Carmentalia, de nomine matris Evandri.

II. aut *pridie*.

Idus. Dictæ ἀπὸ τοῦ ἰδεῖν, a *videndo*, quia priusquam annus hic, qui est, fuerat, mense medio luna completa, quæ incipiebat Kalendas, de qua menses dictos accepimus, videbatur. Secunda mappa. Interdum ventus aut tempestas.

XIX. *Kalend. Februarias.*

XVIII. Natalis Honorii. Circenses. Interdum Auster et pluvia.

XVII.

XVI. Ludi Palatini.

XV. Ludi.

XIV. Ludi.

XIII. Natalis Gordiani. Circenses.

XII. Ludi. Ventus Africus. Tempestatem significat.

XI. Natalis S. Vincentii martyris. Dies pluvius.

X. Senatus legitimus. Quæstores Romæ designantur.

IX. Natalis Adriani. Circenses.

VIII. Interdum tempestas.

VII. Ludi Castorum estiis, quod prima facta colonia est.

VI. Ludi.

V. Auster aut Africus. Interdum dies humidus.

IV. Ludi.

III. Tempestatem significat.

II. Circenses Adiabenis victis. Interdum tempestas.

FEBRUARIUS.

Dictus a numero: dies XXVIII. Dictus a *febro* verbo, quod purgamentum veteres nominabant; quia tum Romæ mœnia lustrabantur. Vocatur apud Hebræos *Adar*; apud Ægyptios, *Mechir*; apud Athenienses, *Gamelion*; apud Græcos, *Pericios*.

Kalendæ. Circenses. Interdum Auster cum grandine.

IV. *Non.*

B	*fb*	III.	Senatus legitimus.	III. Senatus legitimus. Chorus aut Africus.
	gc	*prid.*	Ludi Gotthici.	II. Ludi.
	Ad	*Non.*	Ludi.	*Nonas.* Ludi. Ventus aut tempestas.
C	*be*	VIII. *Idus.*	Ludi.	VIII. *Idus.* Ludi.
	cf	VII.	Ludi. Dies Ægyptiacus.	VII. Ludi. Favonius.
	dg	VI.	Ludi.	VI. Ventus aut tempestas.
D	*ch*	V.	Gotthici. CMXXIV.	V. Circenses.
	fA	IV.		IV. Curus.
	gb	III.	Genialici. CMXXIV.	III. Circenses.
E	*Ac*	*prid.*	Ludi Genialici.	II. Ludi.
	bd	*Idib.*	Virgo Vesta parentat. Senatus legitimus.	*Idus.* Parentatio tumulorum. Imp. quo die Roma liberata est de obsidione Gallorum.
F	*ce*	XVI. *Kal. Mar.*		XVI. *Kal. Mart.* Venti mutatio.
	df	XV.	Lupercalia.	XV. Lupercalia.
	eg	XIV.		XIV. Natale Faustinæ, uxoris Antonii.
G	*fh*	XIII.	Quirinalia.	XIII. Quirinalia, quo die Romulus occisus a suis, qui ab hasta, quæ a Sabinis curis vocatur, non apparuisse conflictus est. Favonius aut Auster cum grandine.
	gA	XII.		XII.
	Ab	XI.		XI.
H	*bc*	X.	SOL PISCIBUS.	X. Venti septentrionales.
	cd	IX.	Feralia.	IX. Frigidus dies de Aquilone, vel pluvia.
	de	VIII.	Caristia.	VIII. Depositio sancti Petri et Pauli. Cara cognatio, ideo dicta, quia tunc, etsi fuerint vivorum parentum odia, tempore obitus deponantur. Ventus aut tempestas.
I	*ef*	VII.	Terminalia.	VII. Terminalia. Hoc die, quarto anno bissextum vocamus; quem diem Ægyptii inter Augustum et Septembrem epagomeno quinque dierum, mensi suo jungunt.
	fg	VI.	Regifugium.	VI. Regifugium. Cum Tarquinius superbus fertur ab Urbe expulsus.
	gh	V.	Lotio. CMXII. Dies Ægypt.	V. Circenses.
K	*AA*	IV.		IV.
	bb	III.	N. D. Constantini CMXXIV.	III. Natale Constantini.
	cc	*prid.*	Ludi votivi.	II. Ludi.
			MARTIUS.	MARTIUS.
	Habet dies XXXI.			Dies XXXI. Vocatur apud Hebræos, *Nisan*; apud Ægyptios, *Famenod*; apud Athenienses, *Antestion*; apud Græcos, *Distros*.
A	*dd*	*Kal. Mar.*	N. Martis CMXXIII.	*Kalendæ.* Aliquando grando.
	ee	VI. *Non.*		VI. *Non.* Septentrionales venti.
	ff	V.	Senatus leg. Dies Ægyptiacus.	V.
B	*gg*	IV.		IV. Interdum hyemat.
	Ah	III.	Isidis navigium.	III.
	bA	*prid.*		II. Aquilo.
C	*cb*	*Non.*	Junonalia.	*Non.*
	dc	VIII. *Idus.*		VIII. *Idus.*
	ed	VII.	Arma ancilia movent.	VII.
D	*fe*	VI.		VI.
	gf	V.		V. Natale Favonii.
	Ag	IV.		IV. Septentrionales venti.
E	*bh*	III.	Jovi cultori CMXXIV.	III.
	cA	*prid.*	Mamuralia. Senatus leg.	II. Flatus Aquilonis.
	db	*Idib.*	Canna intrat.	*Idus.*
F	*ec*	XVII. *Kal. Apr.*		XVII. *Kal. Apr.* Hyemat.
	fd	XVI.	Liber. CMXXIV. SOL ARIETE.	XVI. Circenses. Favonius aut Chorus.
	ge	XV.		XV.
G	*Af*	XIV.	Quinquatria.	XIV. Quinquadria.
	bg	XIII.	Pelosia.	XIII. Pelusia.
	ch	XII.	N. Minerves.	XII. Septentrionales venti.
H	*dA*	XI.	Arbor intrat.	XI. Dies pluvius, interdum ningit.
	eb	X.	Tubilustrium.	X.
	fc	IX.	Sanguen. Dies Ægyptiacus.	IX. Natalis calices.
I	*gd*	VIII.	Hilaria.	VIII. Æquinoctium, principium veris. Cruci. Missio gentilium. Christus passus hoc die.
	Ae	VII.	Requetio.	VII. Interdum tempestas.
	bf	VI.	Lavatio.	VI. Lavationem veteres nominabant. Resurrectio.
K	*cg*	V.	Initium Cajani.	V.
	dh	IV.		IV.
	eA	III.		III.
A	*fb*	*prid.*	N. Divi Constantini CMXXIV.	II. Natalis Constantini. Circenses.
			APRILIS.	APRILIS.
	Habet dies XXX.			Dies XXX. Vocatur apud Hebræos, *Jar*; apud Ægyptios, *Farmotin*; apud Athenienses, *Elaphilion*; apud Græcos, *Cantices*.

	gc	*Kal. Apr.*	Veneralia. Ludi. Sen. leg.	*Kalendæ.* Tempestatem significant.
	Ad	IV. *Non.*		IV. *Non.*
B	*be*	III.	N. D. Quir. CMXXIV. Dies Ægyp.	III. Circenses.
	cf	*prid.*	Ludi Megalesiaci.	II. Ludi.
	dg	*Non.*	Ludi.	*Nonas.* Favonius aut Auster, interdum cum grandine.
C	*eh*	VIII. *Idus.*	Ludi	VIII. *Idus.* Interdum hyemat.
	fA	VII.	N. Castor et Pollucis CMXXIV.	VII. Tempestatem significat.
	gb	VI.	Ludi.	VI. Avium alcedinum dicitur.
D	*Ac*	V.	Megalesiaci CMXXIV.	V. Circenses. Interdum tempestatem significat.
	bd	IV.	N. Divi Severi. CMXXIV.	IV. Natalis Severi. Circenses.
	ce	III.	Ludi Cerealici. CMXXIV.	III. Ludi. Hyemat.
E	*df*	*prid.*		II.
	eg	*Idib.*	Ludi. Senatus legitimus.	*Idus.* Senatus legitimus.
F	*fh*	XVIII. *Kal. Mai.*	Ludi.	XVIII. *Kalend. Maias.* Ludi. Ventus ac tempestas.
	gA	XVII.	Ludi.	XVII. Ludi.
	Ab	XVI.	Ludi.	XVI. Ludi.
G	*bc*	XV.	Ludi.	XV. Pluviam significat.
	cd	XIV.	Ludi. SOL TAURO.	XIV. Ludi.
	de	XIII.	Cerealici. CMXXIV.	XIII. Circenses. Consulis tertiæ mappæ.
H	*ef*	XII.		XII.
	fg	XI.	N. Urbis. CMXXIV. Dies Ægyp.	XI. Natalis urbis Romæ, Consules ordinarii fasces deponunt. Parilia, dicta de partus Iliæ. Interdum pluvia et grando.
	gh	X.		X. Africus aut Auster, dies humidus.
I	*AA*	IX.		IX. Tempestatem significat.
	bb	VIII.		VIII.
	cc	VII.	Serapia.	VII.
K	*dd*	VI.	N. M. Antonini. CMXXIV.	VI. Natalis Antonii. Circenses.
	ee	V.		V. Floria.
	ff	IV.		IV. Auster fore cum pluvia.
A	*gg*	III.		III. Interdum dies humidus.
	Ah	*prid.*	Ludi florales.	II. Tempestatem significat.

MAIUS.

Habet dies XXXI.

MAIUS.

Dictus a numero : Dies XXXI. Vocatur apud Hebræos, *Sivan;* apud Ægyptios, *Pachon;* apud Græcos, *Artemisios.*

	bA	*Kal. Mai.*	Senatus legitimus.	*Kalend.*
B	*cb*	VI. *Non.*	Ludi.	VI. *Non.* Septentrionales venti.
	dc	V.	Floralici. CMXXIV. Dies Ægyp.	V. Tempestatem significat.
	ed	IV.	Ludi Maximati.	IV. Ludi.
C	*fe*	III.	Ludi.	III. Pluvia.
	gf	*prid.*	Ludi.	II. Ludi.
	Ag	*Non.*	Ludi.	*Non.* Ludi. Favonius.
D	*bh*	VIII. *Idus.*	Ludi.	VIII. *Idus.* Ludi. Interdum pluvia.
	cA	VII.	Maximati CMXXIV.	VII.
	db	VI	N. Claudii CMXXIV.	VI. Natales Claudii. Interdum tempestas.
E	*ec*	V.		V.
	fd	IV.		IV.
	ge	III.		III. Ludi. Tempestatem significat.
F	*Af*	*prid.*	Ludi.	II. Ludi, et dies humidus.
	bg	*Idib.*	N. Mercurii. Senatus leg.	. . . . .
	ch	XVII. *Kal. Jun.*	Ludi.	XVII. *Kal. Junias.* Dies, ut supra.
G	*dA*	XVI.	Perfici. CMXXIV.	XVI. Pluvia.
	eb	XV.	N. Antonis.	XV.
	fc	XIV.	Zenziarius.	XIV.
H	*gd*	XIII.	SOL GEMIN.	XIII.
	Ae	XII.	Dies Ægyptiacus.	XII. Interdum pluvia.
	bf	XI.		XI. Tempestatem significat.
I	*cg*	X.	Macellus rosa sumat.	X. Ut supra.
	dh	IX.		IX.
	eA	VIII.		VIII. Ven
K	*fb*	VII.		VII.
	gc	VI.		VI.
	Ad	V.		V.
A	*be*	IV	Ludi. Honor et Virtus Zinza.	IV. Ludi. Interdum pluvia.
	cf	III.	Ludi.	III.
	dg	*prid.*	Ludi.	II.

JUNIUS.

Habet dies XXX.

JUNIUS.

Dictus a junioribus. Dies XXX. Vocatur apud Hebræos, *Amir;* apud Ægyptios, *Pasin;* apud Athenienses, *Targilion;* apud Græcos, *Desios.*

B	*eh*	*Kal. Jun.*	Fabarici. CMXII.	*Kalend.* Circenses Fabricii.
	fA	IV. *Non.*		IV. *Non.*
	gb	III.	Senatus legitimus.	III.
C	*Ac*	*prid*	Ludi in minicia.	II. Ludi.

	bd	*Non.*		*Non.*
	ce	VIII. *Idus*	Colossus coronatur.	VIII. *Idus.*
D	*df*	VII.	Vesta aperit. Dies Ægypt.	VII. Favonius aut chorus.
	eg	VI.		VI.
	fh	V.	Vestalia.	V.
E	*gA*	IV.		IV. Interdum rorat.
	Ab	III.	Matralia.	III.
F	*bc*	*prid.*		II.
	cd	*Idib.*	N. Musarum. Senatus leg.	*Idus.* Natalis musarum.
	de	XVIII. *Kal. Jul.*		XVIII. *Kal. Julias.*
G	*ef*	XVII.	Vesta clud. SOL CANCRO.	XVII.
	fg	XVI.		XVI. Tempestatem significat.
	gh	XV.		. . . . .
H	*AA*	XIV.	Annæ sacrum.	. . . . .
	bb	XIII.		. . . . .
	cc	XII.	Dies Ægyptiacus.	. . . . .
I	*dd*	XI.		. . . . .
	ee	X.		. . . . .
	ff	IX.		IX.
K	*gg*	VIII.	Fortis Fortunæ. Solstitium.	VIII. Solstitium. Favonius.
	Ah	VII.		VII.
	bA	VI.		VI.
A	*cb*	V.		V. Initium æstatis.
	dc	IV.		IV.
	ed	III.		III. Dies ventosus.
B	*fe*	*prid.*		II.

JULIUS.

Habet dies XXXI.

Dictus a Julio Cæsare, cum Quintilis antea diceretur. Dies XXXI. Vocatur apud Hebræos, *Jur*; apud Ægyptios, *Episi*; apud Athenienses, *Sciroforion*; apud Græcos, *Panemos*.

	gf	*Kal. Jul.*	Senatus legitimus.	*Kal.*
	Ag	VI. *Non.*		VI. *Non.* Natalis genuinus Domini Valentiniani.
C	*bh*	V.	Fugato Licinio CMXXIV.	V. Favonius.
	cA	IV.		IV.
	db	III.	Ludi Apollinares	III.
D	*ec*	*prid.*	Ludi. Dies Ægyptiacus.	II. Ludi.
	fd	*Non.*	Ludi.	*Non.* Ancillarum feriæ quarum celebritas instituta est ideo, quia capta Urbe a Gallis cum fi... prius victi, tradi sibi Romanorum procerum conjuges postularent, consilium Philotedis ancillæ famulæ dominarum vestibus adornatæ, datæ illis fuissent, his nuntiantibus prædictus somno sopitus Volyrius posse superari. Facta victoria sic.
	ge	VIII. *Idus.*	Ludi.	VIII. *Idus.* Natalis Julii Cæsaris.
E	*Af*	VII.	Ludi.	VII. Tempestatem significat.
	bg	VI.		VI. Ludi.
	ch	V.	Ludi.	V. Ludi. Ætesiæ venti flare incipiunt.
F	*dA*	IV.	Ludi.	IV. Ludi.
	eb	III.	Apollinares CMXXIV.	III.
	fc	*prid.*		II.
G	*gd*	*Idib.*	Equit. prob. Ludi Francici.	*Idus.*
				XVIII. *Kal. August.*
	Ae	XVII. *Kal. Aug.*	Ludi.	XVII.
	bf	XVI.	Ludi. Sen. leg. SOL LEONE.	. . . . .
H	*cg*	XV.	Adv. D. CMXXIV. Dies Ægypt.	XV.
	dh	XIV.	Ludi votivi.	XIV.
	eA	XIII.	Francici CMXXIV.	XIII.
I	*fb*	XII.	Advent. Divi CMXXIV.	XII.
	gc	XI.	Ludi.	XI.
	Ad	X.	Neptunalici.	X.
K	*be*	IX.		IX. Favonius et Auster, tempestatem significat.
	cf	VIII.	N. D. Constantini CMXXIV.	VIII. Nat. Constantini.
	dg	VII.	Ludi votivi.	VII.
A	*eh*	VI.	Vict. samarticas CMXXIV.	VI. Dies canicularis.
	fA	V.		V.
	gb	IV.		IV. Initium tempestatum.
B	*Ac*	III.	Vict. Marcommannas CMXXIV.	. . . . .
	bd	*prid.*		. . . . .

AUGUSTUS.

Habet dies XXXI.

Prius Sextilis; dictus ab Octaviano Augusto. Dies XXXI. Vocatur apud Hebræos, *Dul*; apud Ægyptios, *Mesore*; apud Athenienses, *Ecatonbion*; apud Græcos, *Loos*.

	ee	*Kal. Aug.*	N. D. Pertinacis CMXXIV.	*Kalend.* Natalis Pertinacis; et martyrium Machabæorum.
C	*df*	IV. *Non.*		IV. *Non.*

	cg	III.	Senatus legitimus.	III.
	fh	*prid.*	Vict. senati CMXXIV.	II. Tempestas.
D	*gA*	*Non.*	N. salutis CMXXIV.	*Non.*
	Ab	VIII *Idus.*	Dies Ægyptiacus.	VIII *Idus.* Nebulio fastus.
	bc	VII.	N. Constantii CMXXIV.	VII. Nat. Constantini minoris.
E	*cd*	VI.	Ludi votivi.	VI. Ludi.
	de	V.		V.
F	*ef*	IV.		IV. Nat. S. Laurentii mart.
	fg	III.		III.
	gh	*prid.*	Lignapsia	II. Hippolyti mart. Tempestatem significat.
G	*AA*	*Idib.*	N. Dianes.	*Idus.*
	bb	XIX. *Kal. Sept.*		XIX. *Kal. Septembris.*
	cc	XVIII.	Senatus legitimus.	XVIII.
H	*dd*	XVII.		XVII.
	ee	XVI.	Tiberinalia. SOL VIRGINE.	XVI.
	ff	XV.		XV. Ludi.
I	*gg*	XIV.	N. Probi. CMXXIV.	XIV.
	Ah	XIII.		XIII.
	bA	XII.	Dies Ægyptiacus.	XII. Tempestas.
K	*cb*	XI.		XI.
	dc	X.	Vulcanalici CMXXIV.	X. Circenses.
	ed	IX.		IX.
A	*fe*	VIII.		VIII.
	gf	VII.		VII. Post hunc diem apud Ægyptios V dierum Epagomenos, tertius decimus mensis adjungitur.
	Ag	VI.		VI. Interdum pluvia.
B	*bh*	V.	Solis et lunæ CMXXIV.	V. Circenses.
	cA	IV.		IV.
	db	III.		III.
C	*ec*	*prid.*		II. Interdum frigus.

SEPTEMBER.

Habet dies XXX.

Dictus a numero. Dies XXX. Vocatur apud Hebræos, *Thisri*; apud Ægyptios, *Thoris*; apud Athenienses, *Metadigmon*; apud Græcos, *Gorpiæos*.

	fd	*Kal. Sept.*	Senatus legitimus.	*Kalend.*
	ge	IV. *Non.*	Dies Ægyptiacus.	IV. *Non.* Favonius aut Chorus.
D	*Af*	III.		III. Ludi.
	hg	*prid.*		II.
	ch	*Non.*	Mammes. Vindemia.	*Non.*
E	*dA*	VIII *Idus.*		VIII *Idus.*
	eh	VII.		VII. Tempestas.
	fc	VI.	N. Aureliani CMXXIV.	VI.
F	*gd*	V.		V.
	Ae	IV.	N. Asclepi.	IV.
	bf	III.		III. Favonius et Africus.
G	*cg*	*prid.*	Ludi Romaniani.	II. Interdum tempestas.
	dh	*Idib.*	Ludi. Senatus legitimus.	*Idus.* Hoc die Romæ in æde Minervali per magistratum annis singulis ex ære clypei figebantur.
	eA	XVIII. *Kal. Oct.*	Ludi.	XVIII. *Kal. Octob.*
H	*fb*	XVII.	Romaniani CMXXIV.	XVII. Favonius interdum sive Vulturnus.
	gc	XVI.		XVI.
	Ad	XV.		XV.
I	*be*	XIV.	N. Trajani triumph. CMXXIV.	XIV. Favonius et Chorus.
	cf	XIII.	P. Anton. CMXXIV. Dies Ægyp.	XIII.
	dg	XII.	Ludi triumph. SOL LIBRA.	XII. Ludi.
K	*eh*	XI.	Ludi.	XI. Favonius et Chorus cum pluvia.
	fA	X.	Ludi.	X. Tempestatem significat.
	gb	IX.	N. D. Augusti CMXXIV.	IX.
A	*Ac*	VIII.		VIII. Æquinoctium.
	bd	VII.		VII.
	ce	VI.		VI. Initium autumni.
B	*df*	V.	Profectio Divi CMXXIV.	V. Favonius interdum.
	eg	IV.		IV. Tempestatem significat.
	fh	III.	Ludi fatales.	III. Ludi.
C	*gA*	*prid.*	Ludi.	II.

OCTOBER.

Habet dies XXXI.

Dictus a numero. Dies XXXI. Vocatur apud Hebræos, *Marcsuari*; apud Ægyptios, *Paofi*; apud Athenienses, *Bædeommon*; apud Græcos, *Yperberetæos*.

	Ab	*Kal. Octob.*	N. Alexandri CMXXIV.	*Kal.* Tempestatem significat.
	bc	VI. *Non.*		VI. *Non.*
D	*cd*	V.	Senatus leg. Dies Ægypt.	V.
	de	IV.		IV. Tempestatem significat.
	ef	III.	Ludi Alamannici.	III. Ut supra.
E	*fg*	*prid.*	Ludi.	II. Ludi. Aquilo.
	gh	*Non.*	Ludi.	*Non.* Ludi.
F	*AA*	VIII. *Idus.*	Ludi.	VIII. *Idus.*

	bb	VII.	Ludi.	VII.
	cc	VI.	Alamannici CMXXIV.	VI. Interdum pluvia.
G	*dd*	V.		V.
	ee	IV.	Augustales CMXXIV.	IV.
	ff	III.	Ludi Jovi Liberatori.	III. Auster et pluvia.
H	*gg*	*prid.*	Ludi.	II. Natale Virgilii.
	Ah	*Idib.*	Ludi. Equus ad nixas fit. S. l.	*Idus.*
	bA	XVII. *Kal. Nov.*	Ludi.	XVII. *Kal. Novemb.*
I	*cb*	XVI.	Ludi.	XVI.
	dc	XV.	Jovi Liberatori CMXXIV.	XV.
	ed	XIV.	Ludi solis. SOL SCORPIO.	XIV. Tempestatem significat.
K	*fe*	XIII.	Ludi. Dies Ægypt.	. . . . .
	gf	XII.	Ludi.	XII.
	Ag	XI.	Solis CMXXXVI.	XI.
A	*bh*	X.		X. Nat. Valentiniani purpuræ.
	cA	IX.		IX.
	db	VIII.		VIII.
B	*ec*	VII.		VII.
	fd	VI.		VI.
	ge	V.	Isia. Evictio tyranni.	V. Interdum frigus.
C	*Af*	IV.	Advent. Divi CMXXIV. Isia.	IV. Ventosus dies.
	bg	III.	Ludi votivi. Isia.	III. Tempestas.
	eh	*prid.*	Ludi. Isia.	II. Ut supra.

NOVEMBER.

Habet dies XXX.

NOVEMBER.

Dictus a numero. Dies XXX. Vocatur apud Hebræos, *Cislau*; apud Ægyptios, *Atur*; apud Athenienses, *Dencspion*; apud Græcos, *Dios*.

D	*dA*	*Kal. Novemb.*	Ex sen. CMXXIV. S. L. Isia.	*Kalend.*
	eb	IV. *Non.*	Ternovena. Dies Ægypt.	IV. *Non.* Hiemat. cum pluvia.
	fc	III.	Hilaria.	III.
E	*gd*	*prid.*		II.
	Ae	*Non.*		*Non.*
	bf	VIII *Idus.*		VIII. *Id.* Nat. Juliani.
F	*cg*	VII.		VII. Hiemat.
	dh	VI.	N. Nervæ et Constan. CMXLVIII.	VI. Nat. Nervæ. Tempestas.
	eA	V.	Ludi votivi.	V. Ut supra.
G	*fb*	IV.		IV. Interdum rorat.
	gc	III.		III.
	Ad	*prid.*	Ludi Plebeii. Senatus leg.	II.
H	*be*	*Idib.*	Jovis Epulum CMXXX.	*Idus.*
	ef	XVIII. *Kal. Dec.*	Ludi.	XVIII. *Kal. Decembr.*
	dg	XVII.	Ludi.	XVII.
I	*eh*	XVI.	Plebeii CMXXIV.	XVI. Aquilo.
	fA	XV.	N. Vespasiani CMXXIV.	XV. Natale Vespasiani... locum pluvia.
	gb	XIV.		XIV. Tempestas.
K	*Ac*	XIII.	SOL SAGITTARIO.	XIII. Aquilo frigidus.
	bd	XII.		XII.
	ce	XI.		XI. Hiemat.
A	*df*	X.		X. Tempestas.
	eg	IX.		IX.
	fd	VIII.	Bruma. Dies Ægypt.	VIII. Bruma.
B	*gA*	VII.	Ludi Sarmatici.	VII.
	Ab	VI.	Ludi.	VI.
	bc	V.	Ludi.	V. Ludi.
C	*cd*	IV.	Ludi.	IV.
	de	III.	Ludi.	III. Ut supra.
	ef	*prid.*	Ludi.	II. Auster cum pluvia.

DECEMBER.

Habet dies XXXI.

DECEMBER.

Dictus a numero. Dies XXXI. Vocatur apud Hebræos, *Tebet*; apud Ægyptios, *Ciac*; apud Athenienses, *Memacterion*; apud Græcos, *Apelleos*.

D	*fg*	*Kal. Decemb.*	Sarmatici CMXXIV.	*Kalend.*
	gh	IV. *Non.*	Initium muneris.	IV. *Non.*
	AA	III.	Senatus legitimus.	III.
E	*bb*	*prid.*	Munus arca. Dies Ægypt.	II.
	cc	*Non.*	Munus arca.	*Non.*
F	*dd*	VIII. *Idus.*	Munus arca.	VIII. *Id.* Tempestas.
	ee	VII.		VII. Interdum Auster et rorat.
	ff	VI.	Munus kandida.	VI.
G	*gg*	V.		V.
	Ah	IV.		IV.
	bA	III.	Septimonia.	III. Interdum pluvia.
H	*cb*	*prid.*	Ludi Lancionici.	II. Septem montium.
	dc	*Idib.*	Ludi. Senatus leg.	*Idus.* Hiemat.
	ed	XIX. *Kal. Jan.*	Ludi. Dies Ægypt.	XIX. *Kal. Januarias.*
I	*fe*	XVIII.	N. D. Veri CMXXIV.	XVIII. Natalis Veri. Tempestas.
	gf	XVII.	Ludi.	XVII.

	Aq	XVI.	Ludi. Saturnalia.	XVI. Feriæ servorum.
K	*bh*	XV.	Lanc. CMXXIV. SOL CAPR.	XV. Aquarius.
	cA	XIV.	Munus arca.	XIV.
	db	XIII.	Munus candida.	XIII.
A	*ec*	XII.	Munus arca.	XII.
	fd	XI.		XI.
	ge	X.	Munus arca.	X. Tempestas.
B	*Af*	IX.	Munus consummat.	IX.
	bg	VIII.	N. Invicti CMXXX.	VIII. Natalis Domini corporalis. Solstitium et initium hiberni.
	ch	VII.		VII. Nat. S. Stephani mart.
C	*dA*	VI.		VI.
	eb	V.		V. Natalis Titi. Tempestas.
	fc	IV.		IV.
D	*gd*	III.	N. D. Titi CMXXIV.	III.
	Ae	*prid.*	Magistrati jurant.	II. Ut supra.

Habes hic, Lector, Kalendaria duo antiqua cum suis vitiis, prout in codicibus mss. legebantur. Nihil putavi in illa annotandum. Tute id præstato per te, ubi usus fuerit. Bucherius in margine editionis suæ notas pauculas adjecit, quem qui volet, consulere potest.

NATALES ALIQUOT SANCTORUM
EX FASTIS CONSULARIBUS EXCERPTI.

Invenimus in eodem Cuspiniani codice ms. duos consulum romanorum catalogos, satis antiquos, quorum alter desinit sub annum vulgaris æræ CCCCXCIII, alter sub DXXXVI : uterque orditur a Gaio Julio Cæsare Consulum nomina utrobique scripta sunt pessime, et non raro male ordinata junctaque subinde consulum paria qui numquam collegæ fuerunt. Hinc operæ pretium non duximus consules omnes describere. Attamen ad varios consulatus inserebantur varia variorum gesta et sanctorum quoque martyria, additis plerumque Kalendis, Nonis et Idibus, quibus passi fuerunt. Hæc describenda putavi, tum quod nostris, tum quod etiam aliorum usibus utilia esse possint; non tamen quod omnia, quæ excerpsi, probata velim; sed ut in rebus dubiis saltem consuli possint. Do omnia, ut excepi, omissis consulibus, præter illos, sub quorum consulatu res narratæ notantur contigisse; et illos qui proximo anno dicuntur successisse; ut sic ex collatione duorum consulatuum cum melioribus consulum fastis, facilius certiusque statuatur de tempore, quo gesta, quæ narrantur, contigerint. Accipe igitur hic catalogum antiquiorem, quem dixi ante finem sæculi quinti desinere : simul nota in specimine male fidam catalogi scriptionem. In primo consulatu datur Gaio Julio Cæsari collega *Marcus Antoninus* pro *Antonius :* in secundo ponitur *Chrysauricus* cujus nominis nusquam consul Romæ fuit; et scribendum foret *Isaurius*. Reliqua similiter examina : demum scito, quæ hic litteris romanis scribuntur, in codice scripta esse rubricis : reliqua, communi colore nigro scripta, hic litteris italicis exprimuntur, nempe consulum nomina. Orditur catalogus iste ut sequitur :

Fuerunt omnes anni, ex quo terra condita est usque ad Gaium Julium Cæsarem, anni MMMMMXLIV.

Primus imperator G. Julius Cæsar.

Gaio Julio Cæsare et Marco Antonino.
Chrysauricco et Antonino.

His consulibus Cæsar occisus est, qui bissextum et lunæ cursum adinvenit, X Kal. Jan., luna prima; et imperium Octavianus accepit puer annorum XVIII.

Lentulo et Oreste.
Lepido et Planco.

His coss. tres soles in cœlo apparuerunt.

Censorino et Salvino.
Ciserone et Antonino.

His coss. Augustus nomen accepit.

Augusto et Tullio.
Augusto VI *et Agrippa.*

His coss. Carthago restituta est Idus Julias.

Augusto VII *et Agrippa.*
Saturnino et Cinna.

His coss. moritur Virgilius annorum LX.

Duobus Lentulis.
Domitio et Enabaro.

His coss. aqua virgo inducta est Romam.

Libone et Pisone.
Augusto XII *et Silano.*

His coss. Christus natus est VIII Kal. Jan., luna XIV.

Lentulo et Pisone.
AN. 14. *Pompeio et Aquileio.*

His coss. defunctus est Augustus annorum LXXVII.

15. *Druso et Flacco.*
27. *Basso* (leg. *Crasso*) *et Pisone.*

His coss. passus est Joannes Baptista.

29. *Duobus geminis.*

His coss. Christus passus est VIII Kal. aprilis.

30. *Tiberio* III *et Silio* (leg *Sejano*).
31. *Tiberio* IV *et Gallo.*

His coss. Petrus apostolus ad Romam venit.

44. *Crispino et Tauro.*
48. *Vitellio* II *et Publicola.*

His coss. phœnix apparuit primum.

49. *Verano et Gallo.*
57. *Nerone* II *et Pisone.*

His coss. passi sunt Petrus et Paulus Romæ III Kal. Julias.

58. *Nerone* III *et Messala.*
62. *Mario et Gallo.*

His coss. Jacobus apostolus in Hierosolymis de pinna templi dejectus est a Judæis V Kal. Januarii.

63. *Rufo et Regulo.*
67. *Capitone et Rufo.*

His coss. Nero de imperio non comparuit.

68. *Italico et Turpilione.*
Commodo et Rufo.

His coss. Judæi devicti sunt a Vespasiano imperatore.

Vespasiano VIII *et Tito* VII.
118. *Hadriano et Salinatore.*

His coss. sol eclipsim passus est.

119. *Hadriano et Rustico.*
Antonino IV *et Aurelio.*

A Gaio Julio Cæsare usque ad duos Augustos anni sunt CCXLIV.

161. *Duobus Augustis.*
203. *Plautiano et Geta.*

His coss. passæ sunt Perpetua et Felicitas, nonas Martias.

204. *Chilone et Libone.*
250. *Decio et Grato.*

His coss. persecutio fuit christianorum, ut sacrificarent idolis.

251. *Decio* II *et Rustico.*

His coss. passus S. Laurentius III Idus Augusti.

252. *Gallo et Volusiano.*
258. *Tusco et Basso.*

His coss. passus est Cyprianus in Carthagine XVIII Kal. Octobris.

259. *Æmiliano et Basso* II.
303. *Diocletiano* VII *et Maximiano* V.

His coss. ecclesiæ demolitæ sunt, et libri dominici combusti sunt, et passa est S. Euphemia XVI Kal. Octobris.

304. *Diocletiano* VIII *et Maximiano* VI.
306. *Constantio* VI *et Maximiano* VI.

His coss. passus est Timotheus Romæ X Kal. Julias.

308. *Diocletiano* IX *et Maximiano* VII.
336. *Nepotiano et Facundo.*

His coss. introierunt Constantinopolim Lucas et Andreas (*Nempe in translatione corporum eorum*).

337. *Feliciano et Titiano.*
365. *Valentiniano et Valente.*

His coss. maris accessa et recessa fuit XII Kal. Augustas.

366. *Gratiano N. P. et Dagalaifo.*
375. *P. C. Gratiani* III *et Equicii* IV.

His coss. Sarmatæ totam Pannoniam devastaverunt.

376. *Valentiniano* V *et Valente* V.
379. *Auxonio et Olybrio.*

His coss. Theodosius levatus est imp. a Gratiano Sirmii.

380. *Gratiano* V *et Theodosio.*
383. *Merobaudo* II *et Saturnino.*

His coss. Gratianus occisus est a Maximo, Lenduno VIII Kal. Sept. Eo anno natus est Honorius Constantinopoli V Idus Sept. et levatus est Arcadius.

384. *Richomere et Clearco.*
388. *Theodosio* II *et Cynthio.*

His coss. occisus est Maximus V Kal. Septemb.

389. *Timasio et Promoto.*

His coss. Theodosus Romam introivit cum Honorio Idus Junias et exivit inde III Kal. Sept.

390. *Valentiniano* IV *et Neoterio.*

His coss. signum apparuit in cœlo quasi columna pendens per dies viginti.

391. *Taciano et Symmacho.*

His coss. defunctus est Valentinianus Viennæ IV Idus Jun. Eo die levatus Eugenius imp. XI Kal. Septemb.

392. *Arcadio* VII *et Rufino.*
393. *Theodosio* VI *et Abundantio.*

His coss. tenebræ factæ sunt die solis hora II, VI Kal. Nov. et levatus est Honorius imp. Constantinopoli in miliario IV a Theodosio patre suo X Kal. Febr.

394. *Arcadio* III *et Honorio* II.

His coss. occisus est Eugenius VIII Idus Sept.

395. *Olybrio et Provino.*
396. *Arcadio* IV *et Honorio* III.

His coss. Theodosius defunctus est Mediolano XVIII Kal. Jan.

397. *Cæsario et Attico.*
398. *Honorio* IV *et Eutichiano.*

His coss. Gildo occisus est prid. Kal. Augustas.

400. *Fl. Stilicone et Aurelio.*
401. *Vincentio et Franito.*

His coss. natus est Theodosius Constantinopoli Idus April. et intravit Alaricus in Italiam XIV Kal. Decembr.

402. *Arcadio* V *et Honorio* V.
403. *Theodosio et Rumorido.*

His coss. Theodosius levatus est. imp. Constantinopoli IV Idus Januarias. Et levatus est Maximus imp. XVI Kal. April. et occisus est prid. Idus Jun. Et intravit Gesericus Romam et prædavit eam per dies XIV. Et levatus est imperator in Galliis Avitus VI Idus Julias. Et eversa est Sabaria a terræ motu VII Idus Septembris die Veneris.

456. *Joanne et Varone.*

His coss. occisus est Remissus Patricius in Palatio classis XV Kal. Octob. Et captivus est imp. Placentia a Mag. mil. Ricimere, et occisus est Messiam Patricius ejus XVI Kal. Nov.

457. *Constantino et Rufo.*

His coss. Ricimer Mag. mil. Patricius factus est prid. Kal. Martias. Et factus est Majorianus Mag. mil. ipso die. Et levatus est imp. Dom. Majorianus Kal. April. in miliario VI in campo ad Columellas.

458. *Leone Augustio et Apollonio.*
459. *Fl. Ricimere et Patricio.*
460. *Magno et Apollonio.*
461. *Severino et Dagalaifo.*

His coss. depositus est Majorianus imp. a Patricio Ricimere Dertona IV Nonas Aug. et occisus est ad fluvium Ira VII Idus Aug. Et levatus est imp. Dom. Severus XIII Kal. Dec.

462. *Leone* II *et Severo.*
464. *Rustico et Olybrio.*

His coss. occisus est Beorgor rex Alanorum Bergamo ad Pedemontis VIII Idus Februarias.

465. *Herminerico et Basilio.*

His. coss. defunctus est imp. Severus Romæ XVIII Kal. Septembris.

466. *Leone* III *et Tatiano*
467. *Puseo et Joanne.*

His coss. levatus est imperator Dom. Anthemius Romæ pridie Idus Aprilis.

468. *D. N. Anthemio Augusto* II.

His coss. occisus est Marcellinus in Sicilia mense Aug.

469. *Marciano et Jenone* II.
472. *Festo et Marciano.*

His coss. bellum civile gestum est Romæ inter Anthemium imperatorem et Ricimere Patricio. Et levatus est imp. Olybrius Romæ. Et occisus est imp. Anthemius V Idus Julias. Et defunctus est Ricimer XV Kal. Septemb. Eo anno Gundobadus Patricius factus est ab Olybrio imp. et defunctus est imperator Olybrius Romæ X Kal. Novemb.

473. *Leone Augusto* V.

Hoc consule levatus est imp. Glicerius Ravenna III Non. Martias.

474. *Dom. Leone Juniore Augusto.*

His coss..... de imperio Glicerius in portu urbis Romæ. Eo anno levatus est Dom. Julius Nepos VIII Kal. Julias.

475. *P. C. Leonis Jun. Aug.*

His coss. introivit Ravennam Patricius Orestes cum exercitu et fugavit imp. Nepos ad Dalmatias V Kal. Sept. Eo anno Augustulus imp. levatus est Ravenna a Patricio Oreste patre suo prid. Kal Novembris.

476. *Basilisco* II *et Armato.*

His coss. levatus est Odoacer rex X Kal. Sept. Eo anno occisus est Orestes Patricius Placentia V Kal. septemb. Eo anno occisus est Paulus frater ejus Ravenna in Pinita prid. Non. Sept.

476. *P. C. Basilisci et Armati.*

His coss. occisus est Bramila a rege Odoacro V Idus Julias Ravenna.

478. *Hello unico cons.*

480. *Basilio Jun.* VI *cons.*
His coss. occiditur Nepos imp. VII Idus Maias.
481. *Placido unico cons.*
His coss. occisus est.... VII Idus Octobris.
482. *Severino unico cons.*
His coss. occisus est.... Dalmatius V Kal. Dec.
483. *Faustone unico cons.*
487. *Vetio unico cons.*

Hoc consule pugna facta est inter Odoacrem regem et Feunamum, regem Jugorum, et vicit Odoacer, et adduxit captivum Feunanum regem sub die XVII Kal. Decemb.

488. *Dinanno et Sifidio.*

His coss. arsit pontus Apollinaris noctu in Pascha XV Kal. Maias.

489. *Probino et Eusebio.*
490. *Fausto unico cons.*

His coss. ingressus est rex Theodoricus in Fossato Pontis Sontis V Kal. Septembris: et fugit Odoacer rex de Fossato et abiit in Veronam. Eo anno ingressus est Odoacer rex in Fossatum Erulis in Pinna, et occisus est Libila Mag. mil. et ceciderunt populi ab utraque parte, et clausit se Ravenna Odoacer rex VI Idus Jul. et regressus est rex Theodoricus in Ticino XX Kal. septemb.

492. *Dom. Anastasio Aug. et Rufo.*

His coss. terræ motus factus noctu ante pullorum cantus VII Kal. Jun.

493. *Albino unico cons.*

Hoc cons. regressus est rex Theodoricus Arimini et venit cum dramonis ad Fossatum Palatioli IV Kal. Septembris. Eo anno pugna facta est inter Theodoricum et Eufanem Mag. mil. inter Tridentum et Veronam.

Hoc consule, facta est pax inter Dom. Theodoricum regem et Odoacrem III Kal. Martias. Et ingressus est Dom. Theodoricus in classem...

Hoc consule ingressus est Ravennam rex Theodoricus III Non. Martii et occisus est Odoacer rex a rege Theodorico in palatio cum commilitibus suis.

Atque hæc quidem e primo catalogo excerpta sunt: quibus nos nihil addendum putavimus, quam annos æræ vulgaris quibus nominati consules processerunt, ad sublevandam lectoris memoriam; utque inde numerus consulatuum, qui multis consulibus perperam ascribitur forte ex incuria librariorum, facilius corrigi possit. Alter catalogus, de quo meminimus, multo turbatior ac vitiosior est, pluraque continet, quæ ad historiam profanam, quam quæ ad sacram spectent. Ponit *Duobus Geminis consulibus*, qui anno XXIX æræ vulgaris consules fuere, *Christum passum esse* VIII *Kal. Apr. die Veneris, luna* III, *anno* XXXI *adventus ejus*. Credidero scriptum ab auctore fuisse, ut scribi debuit, *anno* XXIX; quia proximo post Geminos consulatu notat *Unicium et Longinum*, qui fuerunt anno XXX æræ vulgaris. Habet quoque nonnullas temporum notas. Puta quod fuerint *a Passione* Domini usque ad consulatum Nigri et Apronani, anni LXXXIV. Item quod fuerint ab adventu Domini usque ad consulatum Viatoris anni quingenti. Fuerunt consules Niger et Apronianus annoæræ vulgaris CXVII; Viator vero, CCCXCIV. Videat lector, an inde aliquid commodi haurire possit, et quæ errata in catalogo animadverterit, per se emendet: ego plura non prosequor.

Superest nobis et aliud opusculum ms. antiquum sub Liberio papa, anno CCCLII creato, absolutum; quod enumerat eatenus pontifices Romanos, indicans, quis, quantum temporis præsederit Ecclesiæ; quibus consulibus Romanis cœperit, quibus desierit. Verum quia id ipsum pridem ex eodem ms. nostro Bucherius edidit in suo, ad Victorii Aquitani Canonem paschalem commentario, pag. 269; ac præcipue quia Henschenius noster ante tomum primum de Actis Sanctorum Aprilis denuo illud recudit, multisque sollicite illustravit; eo sciendi cupidum lectorem remittimus; ut hic tandem acta sanctorum primi semestris, sive sex priorum anni mensium a P. Joanne Bollando inchoata, a P. Godefrido Henschenio formata, a P. Daniele Papebrochio mirifice promota finiamus; progressuri nunc, Deo sanctisque adjuvantibus, ad alterum semestre, quo de cursu, qui tunc operi allaborabunt, denique recudent et in duplum augebunt menses Januarium et Februarium, qui, ut principium operis, imperfectiores sunt, multaque accessione actorum, postea ac præcipue anno MDCLX ab Henschenio et Papebrochio, per Germaniam, Italiam, Galliam ea propter peregrinatis collectorum indigent. Non tam indigent reliqui menses, qui post prædictum annum editi fuerunt.

ANNO DOMINI CCCLXXI.

LUCIFER

EPISCOPUS CALARITANUS.

(Edit. Venet. a fratribus Coleti excusa.)

EPISTOLA DEDICATORIA.

S. D. N. Pio VI Pontifici optimo maximo Joannes Dominicus et Jacobus Coleti Sebastiani FF. Felicitatem.

Quod Paulus Apostolus superni Spiritus instinctu afflatusque scripsit, *neque qui plantat esse aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat*, id nos, Beatissime Pater, in adornanda conficiendaque Operum Luciferi Episcopi Calaritani nova editione præ oculis habere æquum est, ac plane cognoscere. Liceat ergo divinam hanc sententiam, qua Deum bonorum omnium largitorem designare voluit magnus ille Doctor gentium, à propria significatione in eum deflectere, qui D. O. M. locum et auctoritatem in terris obtinet, quando tuo potissimum præsidio secundum Deum labor hic noster eo jam crevisse se sentit, ut cun

cranies nos et ingenii nostri tenuitate diffidentes in certam spem excitemur, fore fimirum, ut quod a Te probatum fuerit, cæterorum quoque judicio commendatum opus tuto in amplissimo doctorum hominum conspectu consistere possit. Nam antequam in Apostolicæ Sedis fidem atque clientelam nostra in hoc opere perficiundo studia reciperentur, iis latebris atque angustiis inclusa, quibus privati homines solent contineri, neque emergere, neque publicam lucem intueri nedum sustinere audebant, ut fortasse in nostro quodammodo sinu commoritura esse viderentur. At posteaquam Romanum Pontificem venerabundi et supplices adivimus, ut ejus patrocinio ea tegerentur foverenturque, expostulantes, nbi nos et perbumaniter illa excipi sensimus, et Pontificio favore digna censeri, tum demum animos erigere visi sumus, et nobismetipsis veluti plaudere, ac unum illud cogitare, quomodo Summi Hierarchæ propensæ erga nos voluntati, gravissimoque ac vere maximo illius judicio responderemus. Etsi autem Majestas illa, qua proxime accedis ad Deum, deterreret nos ab eo exoptando, quod tuo maxime beneficio sumus assecuti, attamen integrum nobis non erat ne modestiæ quidem causa huic operi aliunde auspicium atque patrocinium adsciscere. Admirabiles enim tanti viri lucubrationes, quibus invictum ejus animi robur, mira dicendi vis, summa divinarum litterarum scientia pro religione et innocentia tuenda, detegendisque hæreticorum insidiis, pro improbis in rectum æternæ vitæ tramitem revocandis, bonisque omnibus in ærumnarum tolerantia fideique firmitate sustinendis, tandem pro vindicanda pluribus in legationibus Apostolica Auctoritate enituit, ab Romano Pontifice alienare, ut ita dicam, alioque avertere cujusdam quasi sacrilegii loco duxissemus; præsertim cum felici sane Luciferi fato evenisse ante animadverterimus, ut, cum ejus libri e tenebris eruti in lucem primo fuerunt emissi, huic Sanctæ Sedi jam tum devoti consecratique unice ab ipsa ornamentum sibi ipsis ac præsidium, suoque auctori celebritatem comparandam esse putaverint: unde hoc plane divinitus accidit, ut iidem, qui Pio V Pontifice Maximo et patrono et auspice in publicum tuti prodierunt, benignissima Auspiciorum tuorum commendatione, qui sanctissimi hujus Prædecessoris tui nomen re vera geris, et insistis vestigiis, novis typis iterum evulgentur. Quæ cum ita se habeant, nemo profecto nobis audaciæ verterit, quod Luciferi Opera nostris edita curis tibi, Beatissime Pater, offerre non dubitaverimus. Sed est præterea, est sane, cur nobismet ipsi etiam gratulemur, quod labores nostros tuo Nomine inscribi tanta benignitate assensus ultro fuisti. Cui enim singulare illud studium et pietas eximia perspecta non sunt, quibus in legendis meditandisque veterum Patrum libris, ac Conciliorum, universæque ecclesiasticæ antiquitatis monumentis adeo tenet vel a teneris exercuisti, ut amplissimum cœlestis sapientiæ et pulcherrimarum virtutum quasi patrimonium ab illis relictum ipse tibi avidissime comparaveris? Quo in loco tua utinam nos modestia sineret, Beatissime Pater, ut famæ tuas in laudes omnium ubique plausu excitatæ obsecundaremus, et quæ in hominum ore versantur, ea humili quoque sermone nostro qualicumque celebrarentur! Quamquam non tam voluntate nostra, quam suo ipsa impetu quodam huc sponte delabitur oratio, ut nec sustineri omnino, nec revocari possit. Nam licet inofficioso prope silentio tam multa, tamque conspicua præterire cogamur, quæ nullum tuæ vitæ diem a pietate, religione, sacrarum litterarum studiis, omniumque virtutum vigili exercitatione vacuum prædicarent, facere tamen non possumus, Sanctissime Pater, quin illius diei meminerimus, cujus recordatione adhuc boni omnes gaudent exsultantque, quin tempus illud in memoriam revocemus, quod Deus ab omni æternitate faustum maxime ac salutare Catholicæ Ecclesiæ esse voluit, illud nimirum tempus, diem illum, cum Tu nihil minus cogitans, seu potius nil tale metuens, tam subita totius Apostolici Senatus consensione Pontifex renuntiatus es. Quippe non generis nobilitas, qua cæteroquin maxime præstabas, non eblanditæ commendationes, non magnifici apparatus cultusque, a quibus Christianæ humilitatis studio penitus abhorrebas, viam tibi ad Pontificatum munierunt: eadem illa virtus, quæ Te ab ipsis incunabulis susceptum in sinu suo enutrivit, atque ad hanc amplitudinem aluit, Te in hac celsissima et cœlo proxima honoris ac dignitatis Sede suis ipsamet manibus collocavit. Hic vero nihil est quod metuas, ne in laudibus tuis recensendis progrediamur; eo enim jam ventum est, ut nobis potius verendum sit, ne, si quid ultra conemur, plus suscepisse videamur quam quod ingenii nostri imbecillitas præstare possit. Relinquamus sane posteris ingentem hanc segetem, in qua et sine ulla tui offensione et majori cum laude libere fidenterque versari poterunt. Suspicient illi et æquis laudibus efferent intaminatam morum ac vitæ innocentiam, admirabuntur compositam in tanta dignitate facilemque naturam, mentem animumque maximis minimisque rebus assidue intentum, fere nullum reficiendis viribus curandaque valetudini spatium concessum, dies noctesque sacris occupationibus ac perpetuis religionis pietatisque officiis continuatas; et quoties in eorum animis Tui imago versabitur, toties verum quoddam summi Sacerdotii exemplum intueri sibi videbuntur. Ut autem illuc revertamur, unde non inviti discessimus, nemini mirum esse debet, quod tantopere nobis sit lætandum, lucubrationes hasce nostras tuo Nomine inscriptas prodire, tuoque patrocinio gloriari, cum Te intueamur tantis licet distentum curis in eodem evolvendi præstantissima veterum Patrum et Scriptorum volumina studio persistere, unde consilia, unde normam, unde animos sumas ad difficillima quaque Ecclesiæ universæ negotia feliciter expedienda. Nec porro dubitandum est, quin ad tuam gratiam et clementiam is semper aditus pateat studiis nostris, quem propensa voluntate tua nuper aperuisti, ubi nostram operam, quantulacumque sit, in edendis Luciferi libris rectissimo judicii tui testimonio benignissime comprobasti. Atque hæ quidem sunt causæ,

Beatissime Pater, cur Tibi præcipue et jure quam optimo volumen istud debeatur: in qua obeunda provincia siquid nostris vigiliis ac laboribus effecimus, nihilo magis nos profecisse intelligimus, quam qui *plantat*, aut *rigat*, cujus conatus inutiles atque inanes testatur Apostolus, nisi alterius benignitas et beneficentia accesserit, qui et opus urgeat, et incrementum præbeat. Quare tum debiti officii ratione adducti, tum nostro quodam instinctu et intimo animi sensu impulsi Opus ipsum Tibi, Pontifex Optime Maxime, dicamus sacramusque. Illud reliquum est, ut ea ipsa clementia, qua cæterorum in hujusmodi colendis studiis diligentem industriam soles fovere, hoc quodcumque munus accipere velis tuoque patrocinio tueri, ut idem et testis tuæ erga nos singularis clementiæ, et perenne sit nostræ erga Te observantiæ monumentum.

Venetiis ex Ædibus paternis III *Kal. Martias* MDCCLXXVIII.

PRÆFATIO[a].

In novam Operum Luciferi editionem.

Opera Luciferi Episcopi Calaritani e vetustis Codicibus descripta primus edidit Parisiensibus typis Joannes Tilius Episcopus Meldensis anno 1568, et Pio V Pontifici Maximo dicavit. Is quidem aliquantum operæ ac laboris in iis corrigendis impendit, subjectisque notis difficiles quasdam cujusque libri, et obscuras locutiones, ac sententias explicare nisus est; sed multo plura, ea præsertim, quæ spectant ad testimonia sacræ Scripturæ, *lectori minus*, quam is erat, *occupato colligenda* et emendanda *reliquit*, ut ipse fatetur in Epistola ad Pontificem. Quare, cum ab Auctoribus Lugdunensis Bibliothecæ Patrum, quæ Tomos septemdecim complectens edita est anno 1687, Opera quoque Luciferiana Tomo IV inserta fuissent, hanc curam ii susceperunt, ut illa emendatiora proferrent; sed imprudenti consilio, suoque prorsus arbitrio ita manus in ea immittere ausi sunt, ut nulla veterum Codicum, nulla doctorum hominum auctoritate freti verba, sententias, ipsasque interpunctiones immutaverint, et, quod magis improbandum, sacrorum Bibliorum testimonia, quibus refertissimi sunt Luciferi libri, ad exemplar Vulgatæ Bibliorum Editionis exegerint, ac pluribus in locis pro ipsorum libito corruperint potius, quam emendaverint, Latini tamen Latinii *observationibus et correctionibus* quandoque adhibitis, notisque Tilianis ad calcem adjectis. Qui vero ante Lugdunenses Auctores eadem Luciferi Opera in prioribus Patrum Bibliothecis edidere, nihilo diligentius, aut studiosius in illorum emendationem incubuerunt. Cum itaque corruptissima ferrentur adhuc in vulgus Luciferi exemplaria, Joannes Baptista Cotelerius vir apprime doctus hanc operam summo studio aggressus est, ut libros Luciferi e mendis omnibus purgatos, integrosque, quo tamdem modo id fieri liceret, eruditorum hominum judicio probandos publice exhiberet; ut ipse testatus est in Tomo I Patr. Apost. et nota subjecta cap. 56, lib. II Constit. Apost.: *Hic ubi locum Luciferi illustrare conatus sum, Auctoris omnium, quod nemo nescit, depravatissimi, utilissimi tamen ad cognitionem Scripturarum, admonitum te velim, Lector candide, me in purgando eo Augiæ stabulo plurimum laboris impendisse, paratumque esse ad procurandam editionem, si librum aliquem ms. nactus fuero. Ut si forte in manus tuas, aut notitiam venerit, mecum communicare non dedigneris, hominem non ingratum singulari beneficio tibi devincturus.* At *dolendum* sane *est*, inquit Caveus in Hist. Litt. ad an. 354, sæc. Arian., *novam* hanc *Luciferi Calaritani editionem, quam meditatus est Vir Cl. J. B. Cotelerius, ipsomet teste, Notis ad Patres Apostolicos pag.* 177, *magna antiquitatis ecclesiasticæ jactura cum viri eruditissimi morte periisse.* Aliam tamen causam, cur Cotelerius non absolverit opus susceptum, indicat Fabricius in Bibl. Græca de Lucifero disserens ejusque libris, ne Galliarum regis animum læderet, qui tum maxime Calvinianis erat infensus; de qua quidem infecti operis ratione aliorum esto judicium. Interea non defuere, qui de emendandis Luciferi libris quidquam cogitarent; nam præter Cotelerii correctiones nonnullas, quas vel notis in Constitutiones Apostolicas inspersit, vel Monumentis Eccl. Græcæ inseruit, Latinus Latinius in Bibliоth. sacra et profana pag. 157, singulos Luciferi libros pluribus correctionibus modo suis, modo Consalvi Poncii diligenter notavit; et Ludovicus la Cerda in suis Adversariis Sacris eumdem laborem suscepit; *Multa* enim *sunt*, inquit cap. 37, *quæ egent consideratione; in quo*, id est Lucifero, *illustrando non inutilem operam posuit Joannes Tilius Episcopus Meldensis: multa* autem, subdit cap. 38, *addidimus, detraximusque* ex notis nimirum Tilianis; *diuque*, addit cap. 47, *hæsi in Lucifero Tilii opera et mea usus;* quibus capitibus omnes, quas ipse meditatus est, in Luciferum animadversiones complectitur præter cæteras in quædam loca sacræ Scripturæ, de quibus inferius. Verum hæc omnia in plures dispersa libros, nec ad inveniendum facilia nihil profecto proderant, ut sub uno aspectu integra ac germana Luciferi facies omnibus visenda pateret; quin plurima adhuc deerant, quæ nativum omnino hominis colorem, vultumque exprimerent. Propterea Andreas Gallandius Presbyter Venetæ Nerianæ Sodalitatis, vir et doctrina et eruditione præclarus, cum novis curis studiisque ornatam et auctam veterum Patrum Bi-

[a] In hac præfatione cum sæpe sæpius ad varia Veronensis editionis loca lector revocetur, nos, ut expeditiorem lectionem procuremus, columnam nostræ editionis cuique paginæ citatæ respondentem parenthesibus inclusam expressimus. Edd.

bliothecam Venetis typis edere instituisset, nihil sibi duxit prætermittendum, quo Luciferiana Opera primæ integritati restituerèt, et collectis, undecumque potuit, Critices subsidiis nitidius, quam quispiam antea, illustraret: qua de re præstat ipsius sententiam ipsiusmet verbis describere ex Tom. VI sui Operis, cui inserti sunt Luciferi libri, pag. 6 Prolegom.: *De opera nostra in iis edendis adhibita hæc paucis accipe. Principem Tilii editionem, quam anno 1644 secuti sunt Parisienses, typis excudendam statuimus. Eam vero librariorum vitio sane inquinatissimam, fœdisque mendis obsitam pro viribus emaculandam curavimus. Subsidia contulere virorum doctorum, præcipue vero Latinii et Cotelerii castigationes et conjecturæ, quibus aliæ quoque accesserunt, quas occasione accepta in aliorum scriptis deteximus.* Ac paulo inferius: *Verumtamen Luciferi libros penitus detersos haud præstiterimus: quin immo in iis recensendis nonnulla ipsi deprehendimus, quæ in* Emendandis *adhuc forte corrigenda proposuimus: ut propterea plura etiamnum in Lucifero superesse, quæ manum medicam exspectent codicum mss. ope præsertim adjutam, ultro agnoscamus. Cæterum quo deinceps Luciferianorum lectio pronior faciliorque succedat, libros omnes in sectiones distinximus. Quibus præterea nonnullas sive ejusdem Luciferi, sive aliorum ad ipsum Epistolas recognitas et illustratas adjecimus.*

Iis itaque a nobis animadversis, novum de edendis Luciferi libris consilium cepimus, et executi jam sumus: de quo præfari omnino necesse est, ut, quæ præstiterimus, quæ nobis adjumenta fuerint comparata, quid in ipso Lucifero, ejusque libris dignum sit visum, quod criticæ quæstioni subjiceretur, iis perspicue pateat, qui in iisdem legendis versari utile sibi duxerint esse ad doctrinam et eruditionem, aut ad curiositatem honestum. Ac primum ipsam Tilii editionem nobis sequendam proposuimus, quippe quæ veterum Codicum, unde is Luciferi libros primus eruit, genuinum sit exemplum; neque enim quæ illi insunt menda, typographi magis, quam antiquorum librariorum inscitiæ aut incuriæ sunt tribuenda, uti inferius monebimus: cæteræ vero editiones, si Gallandianam excipias, tantum auctoritatis præ se non ferunt, ut illas tuto sequi possemus, cum editorum arbitrium, non æqua animadversio, errores forte sustulerit aliquot, non paucos certe in easdem intulerit; de quo paulo superius dictum est. Sed cum codicis alicujus opem nobis esse necessariam videremus, quocum Tiliana editio conferretur, illum opportune in Vaticana Bibliotheca nacti sumus sæculo, ut aiunt, nono descriptum, et in loculis Bibliothecæ distinctum num. 75, litt. N. P. cujus diversæ a Tilianis dictiones exscriptæ ad nos perhumaniter transmissæ sunt: sed non ejusmodi sunt, quæ sententiam immutent, et varias plerumque voces, varia ab editis ex Tiliano codice nomina solummodo exhibent; unde conjicias, plures, qui leguntur errores in libris Luciferi, inculto potius ac pene barbaro hominis stylo esse tribuendos, quam librariorum culpæ. Alium præterea codicem nobis adhibendum tribuit humanissimus sane et multiplici eruditione illustris Presbyter D. Matthæus Aloysius Canonici civis Venetus e sua Bibliotheca vetustissimorum, præsertim Biblicorum Codicum ditissima. Codex iste, quem Venetum appellamus, ante annos fere octingentos scriptus Athanasii et Athanasio quædam attributa opera continet, in iisque longiorem hujus epistolam ad Luciferum, cujus ms. exemplum cum Tiliana jam edita contulimus. Horum igitur Codicum auctoritate, tum ex Tilii, Latinii, Poncii, la Cerdæ, ipsiusque Gallandii notationibus, aliis vero in epistolas Luciferianas collectis ex Baronio, Constantio, Chiffletio, Papebrochio, et Montfauconio subjectas confecimus notationes, quibus et nostræ sunt admixtæ, eæ potissimum, quæ ad ecclesiasticam historiam pertinent, quasque miror a Gallandio prætermissas fuisse, cum plura, quæ scribit Lucifer, Acta Mediolanensis Concilii anni 355, et Athanasii vitam maxime illustrent, atque Arianorum in Catholicos fraudes ac sævitiem detegant: de notis autem adjectis ad singula sacræ Scripturæ testimonia postea dicemus. Non ita tamen horum auctorum criticas animadversiones exscripsimus, ut illico eas probaremus; omnes quidem suis quasque locis leges insertas, non omnes probatas: neque in ipsum Luciferi exemplar manus ita injiciendas duximus, ut aliorum licet testimonio et opinione fretis verba sensusque aut intervertere, aut immutare, aut etiam delere nobis liceret: aequum id non erat, neque rectis critices legibus consentaneum; satisque fuit, quæ intacta relinqui nullo poterant modo, ea emendare, cætera autem judicio legentium notas permittere. Præter hæc alio, ac editi fuerunt, ordine libros singulos disposuimus, cum neque uno omnes calami cursu, neque uno tempore existimemus a Lucifero fuisse compositos. Censuit quidem Tilius in epistola ad Pium Pontificem *totum volumen* esse *opus tractu uno imperatori Constantio continuatum, ipsum tamen in libellos partitum*: b auctore: sed aliter censuerunt Baronius ad annum 356, num. 65; Papebrochius tom. IV Maii, Boll. in Comm. Hist. de Sancto Lucifero cap. 4, et Gallandius in Prolegom. ad tom. VI Biblioth. PP., quibuscum convenimus; et Lucifer ipse in lib. *Moriendum esse pro Filio Dei* idipsum nobis confirmat, librum suum *de Regibus Apostaticis* distinguens ac sejungens a cæteris; *Quæ ita se habere in libro, qui titulatur* de Regibus Apostaticis, *quia jam aperui*, etc. Sed quo quisque tempore liber a Lucifero scriptus fuerit, alia nobis opinio inest, quam laudatis auctoribus; qua de re ad singulos suo loco disseremus. Tilianæ autem editioni hæc addidimus, quæ omitti certe non poterant, et Luciferianis libris præposita leguntur; Epistolam primum Luciferi cum legationis suæ sociis Pancratio et Hilario scriptam ad Eusebium Vercellensem episcopum, deinde aliam Liberii pontificis ad Luciferum exsilio jam damnatum: hasce litteras

se juncti libri Luciferi, primus scilicet *de non conveniendo cum hæreticis*, tum alter *de Regibus Apostaticis*, duoque libri pro S. Athanasio ; ad hos Florentii ad Luciferum, et Luciferi ad Florentium litteras adjunximus, quibus subjectus est liber *de non parcendo in Deum delinquentibus*, et huic postremus, quem Lucifer inscribit : *Quod moriendum sit pro Filio Dei :* demum duæ Athanasii epistolæ ad Luciferum volumen claudunt. Illisce Tilius addiderat epistolam Liberii ad Constantium, et aliam Athanasii ad Solit. ; sed locus iisdem hic esse non poterat, quippe ad res Luciferi illustrandas non necessariis. Inter spuria vero ejus opera rejecimus ad calcem voluminis *Formulam Fidei*, quæ Lucifero tribuitur ; cui peculiaris critica animadversio præfixa est. Atque his de nova hac editione præfatis, jam de Lucifero ipso, quod ad ejus attinet scripta, tum de singulis ejusdem libris distinctim per aliquot sectiones superest necessario disserendum.

§ I. — *De Luciferiana Sacræ Scripturæ interpretatione.*

Nemo est profecto, qui, Luciferi libros cum legerit, et in afferendis promptum et in aptandis suæ quibusque sententiæ divinorum librorum testimoniis acutum hominis ingenium, ac singularem facundiam maxime non admiretur. Id primus animadvertit Athanasius in altera ad illum epistola scribens : *Unde hæc tanta Scripturarum memoria ? unde sensus, et intellectus earumdem integer ?* et Marcellinus ac Faustinus presbyteri in Libello precum ad imperatores Luciferum præcipue laudant, quod *bene esset cognitus per studium sacrarum litterarum*, et quod *libros scripsit ad Constantium divina testimonia aptissime congerens contra hæreticos et contra ipsum patronum hæreticorum :* adeo ut Gallandius recte affirmet, *locis utriusque Fœderis ferme solis contexta esse scripta Luciferiana*. Hinc Cotelerius in testimonio superius allato Luciferum appellat *auctorem utilissimum ad cognitionem sacræ Scripturæ ;* et Millius in Proleg. ad Nov. Testam. num. 772 hæc de Lucifero scribit : *Ab Hilario transimus ad Luciferum episcopum Calaritanum, cujus opuscula magnam testimoniorum sacræ Scripturæ ad fidem codicis ipsius accurate ubique recitatorum vim exhibent. Sed cum horum editio ad ms. unum exemplar dumtaxat, idque perperam descriptum adornata vitiis misere scateat, tum nec sacri Codicis loca evasere integra.* Verum quo tandem Codice usus sit Tilius aut uno aut pluribus in edendis Luciferi libris, noster quidem Vaticanus fere nihil differt ab editione Tiliana in descriptis sacrorum Bibliorum testimoniis ; unde aliam potius quæramus causam necesse est, cur ita in Lucifero legantur diversa a Vulgatis, nec omnino a mendis integra, et expurgata. Ludovicus la Cerda in Advers. Sacr. cap. 165 difficilem sane operam aggressus est, ut sacra testimonia a Lucifero allata in lib. I pro S. Athan. cum Vulgata nova Bibliorum editione conferret : at ipso fere capitis initio illum suscepti operis pœnituit ; quippe *mira*, inquit, *est Luciferi libertas in usu Scripturæ ;* at *ita difficile reddit, ut divinandus sit plerumque Scripturæ locus ;* et ad illud testimonium Proverb. XIX, 28 : *Misericordia et veritas tutela est regi*, pag. 89 (*col.* 835) hujus edit. *Ego*, subdit, *in Vulgato non reperio : sic multa sunt Luciferi, nisi aliunde expiscetur : præterea reliqua quæ difficilia inventu sunt* : unde hic error etiam illi exciderit, ut testimonium a Lucifero adductum ex I Reg. VII, 16, pag. 69 (*col.* 835) commati 15 ejusdem cap. in Vulg. apponeret : quam difficultatem et nos adeo summus experti, cum Tiliana solummodo editione uteremur, ut propterea pag. 51 (*col.* 816) ad illum locum, *cum conversus ingemueris*, etc. dixerimus in nota subjecta, forte ex sensu superiorum Judeis verborum esse contextum, cum postea eumdem invenire licuerit in cap. XXX Is. vers. 15. Hinc locum Deut. I, 29, *Ne loquamini, neque* etc., pag. hic 59 (*col.* 824) ad Vulgatam expendens ipse la Cerda, et diversam adeo interpretationem admirans, *Hæc cum videam*, subdidit, *nescio quid aliud possim dicere, quam hunc virum vel per accommodationem quamdam reddidisse hæc loca, vel usum aliqua translatione, ut multæ erant ante Hieron., qua nos caremus :* et ad Malach. III, 13, p. 105 (*col.* 872) : *Ne mirere*, adjungit, *Luciferi versionem, quæ adeo est insolita, ut suspicari debeamus illum aliquem codicem habuisse peculiarem.* Sed quod is suspicatus fuit, jam alii adverterant, et Tilius etiam in epistola ad Pontificem : *Ostendit*, inquiens, *versio locorum sacri voluminis, quod illa certe vulgaris erat, neque, ut postea fuit, recognita et emendata ;* et Papebrochius cap. 3 Vitæ S. Lucif. : *In citandis quidem Scripturæ locis apparet versionis antiquæ ab ea, qua emendata hodie utimur, notabilis admodum discrepantia, uti observat Tilius ;* et in primis Petrus Sabatierius in doctissimo opere a se ingenti studio ac labore perfecto, cui titulus est : *Sacrorum Bibliorum Latinæ Versiones antiquæ, seu Vetus Italica*, etc. Hic enim in part. II, § 3. Præfat. ad tom. I, part. I, disserens *de singulis ex ordine Patribus, scriptisque Patrum, e quibus Scripturæ fragmenta seu versiculos* excerpserat, quantum sibi ad opus suum elaborandum profuerint Luciferi libri, hisce verbis testatus est num. 101 : *Longe vero plura antiquæ interpretationis fragmenta nobis subministravit Lucifer Calaritanus in variis, quos conscripsit, libris*, Pro S. Athanasio ; de Regibus Apostaticis ; De non conveniendo cum hæreticis ; De non parcendo in Deum delinquentibus ; Quod moriendum sit pro Filio Dei. *Floruit Lucifer circa annum 354. In laudandis Scripturæ verbis sibi satis constat ; a Græco textu hodierno vix discrepat. Cum Tertulliano concinit aliquando, interdum cum Augustino et Ambrosio ; sed quod quidem ante omnia juvat observare, in Tobiæ et Judith libris, quos variorum ope mss. Codicum et quidem optimæ notæ recuperavimus, tanta est sententiarum Scripturæ, quæ in libris Luciferi occurrunt, convenientia, tanta similitudo, ut nullam pene reperias discrepantiam, et tantum orum ab ovo non discernas.* Ex quibus id consequitur, Luciferum non de suo e Græcis codicibus in latinam linguam vertisse sacrorum librorum sententias, sed iis usum fuisse latinis versionibus, quæ tunc plu-

rimæ ferebantur in vulgus. Nec aliter sensit Nobilius in Præfatione Latinæ editionis Romanæ Septuaginta Interpretum ; *Ita vetus est Itala interpretatio, ut ea non modo S. Augustinus in Speculo, sed Lucifer Calaritanus et S. Ambrosius et S. Cyprianus et alii vetusti Scriptores utantur:* idcirco haud recte scripserit la Cerda cap. 163 Advers. Sacr., Luciferum suo ipsum arbitrio Græca testimonia pro re nata latine interpretatum esse. Ita ad Deut. xvii pag. hic 60 (*col.* 825) : *Totum fere,* inquit, *caput ita transfert, ut mirere hominis in transferendo licentiam jam detrahentis, jam addentis, jam immutantis;* cum tamen Italæ veteri interpretationi textus hic apprime respondeat : ita convenit cum illa et textus ex I Reg. iv descriptus pag. hic 68 (*col.* 834) de quo la Cerda : *Lucifer reddit sic, ita ut nec pes nec caput uni conveniat formæ ; tantum servet sententiam:* et ad alterum I Reg. xix, p. 70.(*col.*836). *Ita, Lucifer circumvertit, ut difficile sit dicere, quæ pars parti respondeat ;* etsi haud aliter hoc testimonium exprimatur in Itala interpretatione, uti et illud I Reg. xxvi, pag. hic 73 (*col.* 839), quod is autumat *paraphrastice* conversum fuisse a Lucifero in latinum sermonem. Fieri quidem potuit aliquando, ut, qui inter gravissima exsilii incommoda hosce libros scribebat, Lucifer latinis careret codicibus, et aut e memoria multa depromeret Bibliorum testimonia, aut ex Græcis libris illa exscribens latine interpretaretur ; nec sacri codices omnino defuerant Lucifero, uti indicant hæc verba Marcellini et Faustini de Eutychio Episcopo Eleutheropolitano, ejusque asseclis in Libello Precum : *Negent, si non hodie apud se sancta mystica vasa, quæ tum impie Lucifero diripuerunt, cum sacris codicibus possident :* sed tanta Luciferianæ interpretationis convenientia cum veteri Italica, quæ partim in mss. Bibliorum codicibus, partim in libris Latinorum Patrum ad nostram usque ætatem servata fuit, argumento nobis est, Luciferum illam plerumque, ne semper dixerim, esse secutum. At certum præterea est, latinas interpretationes antiquas sacrorum librorum plurimas olim fuisse ; nam, ut scribit S. Augustinus in lib. II de Doctr. Christ., pro ea, quam quisque sibi habere videbatur græcæ et latinæ linguæ facultatem, simul ac Græcum Codicem nactus erat, interpretationem aggredi audebat : licet recte animadvertat Morinus in Præfat. de Textu Græco et Hebraico sacræ Scripturæ præfixa editioni Parisiensi Septuaginta Interpretum Græco-latinæ ad Romanam expressæ, *quadringentis annis, hoc est ad S. Hieronymum, nullum catholicum aliter vertere, quam Septuaginta præscripserant, ausum esse. Translationes Catholicæ quotquot fuerunt, fuerunt autem ut testatur Augustinus pene innumeræ, de Septuaginta editione factæ sunt.* Præ cæteris autem interpretationibus una semper excelluit, quam Augustinus *Italam*, Hieronymus *Vulgatam*, Gregorius M. *Veterem* appellarunt, alii passim Scriptores *Communem;* illamque *Græcæ Septuaginta Interpretationi, ex qua latine reddita est, similiorem* cæteris fuisse probat Sabatierius in laudata Præf. part. I, § 3 ; quippe quæ, teste Augustino lib. II, de Doct. Christ., *verborum tenacior cum perspicuitate sententiæ.* Hac igitur usum esse Luciferum, hanc præ manibus habuisse eo certius confirmatur, quod sacra testimonia ab eo exscripta *a Græco textu hodierno vix differant,* inquit Sabatierius : idque jam viderat La Cerda ad I Reg. xxvi ex Lucifero : *Et licet ille alicunde transtulerit, vel ex ingenita licentia verterit, maximam partem habet ex Septuaginta vers.;* et ad cap. III Malach. : *Septuaginta Interpretum translationi hæret, et multa addit, quæ divinatione opus est ut intelligas, quod ille dicit ex Scriptura esse ;* tum ad III Reg. xviii, pag. hic 75 (*col.* 841) : *Institit Lucifer versioni Septuaginta multis additis, detractis, immutatis, ut solens est.* Verum enimvero neque *addit* Lucifer, nec *detrahit*, nec *immutat, ex ingenita licentia.* Versio antiqua latina una primitus fuit ; *quamvis,* inquit Sabatierius part. I § 2, *textus primigenii discrepent inter se aliquando lectiones, variisque dissideant verbis, atque sententiis; quamvis variæ in codicibus occurrant discrepantiæ, quæ varias interpretationes a variis elaboratas interpretibus significare videantur ;* cum *hæ nimirum discrepantiæ,* ait paulo superius, *plerumque non tam varios interpretes, quam diversos arguant librarios, eosdemque aut oscitantes aut audaciores qui suo singula arbitratu vel negligentia plurima mutaverunt :* quod etiam Græcæ Septuaginta Interpretationi factum esse constat ex scholis Romanæ horum Interpretum editioni a Nobilio subjectis ; idque in Novo quoque Testamento deprehendimus ex variis præsertim lectionibus Græcæ editionis Millianæ : unde tamen verendum minime est, *ne dum varias textus primigenii et discrepantes aliquando esse lectiones contendimus, Scripturæ sacræ auctoritas lædatur, nostraque vacillet Fides,* subdit ibidem, et pluribus hoc ipsum probat Sabatierius. Quare cum in Lucifero hujusmodi di crimen sive a Græcis quandoque, sive a Latinis jam editis Bibliis occurrat, quid nobis in suscepta horum librorum editione esset agendum, haud parum hæsimus incerti, dubiique quidnam præstaret. Imprudens Lugdunensium, cæterorumque PP. Bibliothecæ auctorum, qui ad formam nostræ Vulgatæ Luciferi testimonia emendare studuerunt, probandum non erat ; inutilis autem laboris fuisset id persequi, quod inceperat la Cerda, ut eadem cum ipsa Vulgata conferremus ; nostri autem instituti non erat, interpretis personam agere, neque eas quæstiones aggredi, a quibus abstinere nosmet non potuissemus, si ad Græcum exemplar libuisset expendere et emendare latinam Luciferi interpretationem ; ex quo præterea nimia subjectis notis accessio plurium disputationum facta fuisset, et longiores, quam par esset, notationes evasissent fere ad legentium fastidium. Quod sero fortasse animadvertens Gallandius inceptum proinde sibique propositum opus non absolvit : *Cum vero,* inquit, *Lucifer in aniscribendis integra ferme sacrorum librorum volumina ordinatim percurrat, aliamque versionem Vulgata vetustiorem adhibeat, in id potissimum incubuimus, ut loca utriusque Fœderis, quibus ferme solis contexta*

sunt scripta Luciferiana, sive cum interpretatione septuagintavirali, sive cum textu Novi Testamenti conferrentur ; eo in primis nomine quod antiqua illa versio Latina, ad libros quod attinet veteris Fœderis, ad Septuaginta senum editionem exacta noscatur. Sed is promissis non stetit ; quæ cum Græca interpretatione contulit, non multa sunt, eruditis tamen animadversionibus ornata ; cætera sibi ipsis relicta, ac Græcæ comparationis, et critici judicii nuda penitus prætermisit. Neque Flaminius Nobilius in Romana editione Septuaginta Interpretum multum profuit corrigendis Luciferi testimoniis, quo non raro usus est auctore in scholiis, notisque eidem adjectis editioni ; quippe qui, ut recte disserit Sabatierius in part. III Præfat. § 1, cum sibi in animo proposuisset *Vulgatam veterem* ibidem restituere, *Græcum potius exemplar fidi interpretis vice fungendo verbum verbo reddidit ; laudatas a SS. Patribus sententias nonnisi eas, quæ Græco exemplari erant consentaneæ exscripsit, neglectis quæ dissidebant, atque ab ipso Codice Græco erant diversæ :* immo *pauciores sunt, quas a Patribus Latinis excerpsit ; et circa Novum Testamentum nil aliud quam textum repræsentat.* Rem itaque tot obseptam difficultatibus uno tandem consilio expediendam duximus ; ut nimirum singula sacræ Scripturæ loca a Lucifero descripta cum Itala Interpretatione antiqua componeremus, qualem absolutissimo opere perfectam nobis exhibuit Sabatierius : quod autem in illa a Luciferianis testimoniis differt, in subjectas notas rejicere, siquæ lectiones vel e Græcis vel e Latinis Codicibus, aut e Latinis Patribus a Sabatierio productæ cum Luciferianis consentiunt iis in locis, in quibus apud Luciferum a textu antiquæ Versionis diversæ sunt, eas exscribere, ut Luciferiana Versio aliquo testimonio comprobetur, nec varias itidem a Tiliana editione dictiones omittere satius duximus, quas in ipso Lucifero exhibet idemmet Sabatierius, dum Luciferi testimonia in suum opus importat. Ita nobis multo commodius utiliusque visum est in uno Lucifero exemplar sane luculentissimum *Antiquæ Latinæ Versionis* legentibus offerre, idemque Cotelerii, et Millii, et ipsius Sabatierii ope, quam ex illorum animadversionibus nobis comparavimus, correctum, et ab iis mendis purgatum, quæ facilius cujusquam oculis poterant obversari.

Verum nonnulla insunt Luciferi libris, quæ corrigere vitium foret, et scriptoris sententiæ adversarentur, ut ut vitium in iisdem deprehendatur. Exemplo sit testimonium D. Pauli ad Galat. v, 7, pag. hic 26 (*col.* 790) : *Qui nemini consenseritis, suasio vestra ex Deo est*, etc. quod cum Luciferi sententia optime convenit ; is etenim scribit : *Cognoscentes vos esse unici Dei Filii hostes, fugimus nefaria consilia vestra, temperantes voci Apostoli : Qui nemini consenseritis, suasio vestra ex Deo est :* probat enim Lucifer hujusmodi testimonio, consilium suum non conveniendi cum hæreticis Arianis e divino instinctu profectum fuisse. At enim in Græcis libris prave descripta erant Apostoli verba, unde in latinam quoque interpretationem A mendum irrepsit : *Ortum est autem*, inquit Millius in Proleg. num. 773, τὸ nemini consenseritis *ex perperam descriptis Græcis*, τίς ἀνέκοψεν ὑμᾶς ἀληθείᾳ ; μὴ πείθεσθαι. Quis vos abscidit, *seu* excidit de veritate ? ne consenseritis. *Postea factum est ex emendatiori textu*, Qui vos impedivit non obedire ? *et prioris lectionis appendicula* ne consenseritis *ab imperito quodam scriba reliquis adjecta est.* Et idem confirmat in notis ad hunc Apostoli locum ; quia nimirum librarius scripserit πείθεσθε pro πείθεσθαι, uti in Græco textu emendato legitur : τίς ὑμᾶς ἀνέκοψεν τῇ ἀληθείᾳ μὴ πείθεσθαι ; Suspicatus quidem est Zegerus apud Millium, pericopen hanc *ne consenseritis* ab hæreticis abrasam fuisse e Græcis Codicibus multo ante Hieronymi ætatem ; at nullus in ea locus erat fovendi B tuendive hæretici erroris ; et Hieronymus in hoc Pauli testimonium subdit, illam sibi prætermittendam putasse, *quia nec in Græcis libris, nec in his, qui in Apostolum commentati sunt*, hanc scriptam invenerit. Addit Millius, Luciferum, qui *illud* Nemini consenseritis *ad sequentia pertinere putavit*, inseruisse de suo nomen relativum *qui*, quod tamen legitur in codice Borneriano apud Sabatierium. Idem esto judicium de commate insequenti, *suasio vestra ex Deo est*, cui deest particula negativa *non*, in Græco οὐκ, scilicet *non est :* et deerat illa quidem codd. pluribus Græcis, quos Hieronymus legit ; at is, teste Millio in locis laudatis, omissam credidit a *simplicioribus quibusdam, qui putantes se deferre Deo, ut persuasio quoque nostra in ejus sit potestate, abstulerunt partem* C *orationis* non, *et sensum contrarium Apostolo reddidere :* unde iterum in Græcum et Latinum exemplar inserendam rectissime censuit. Atque hoc in loco Millium reprehendere liceat, qui ad num. 648 Proleg. afferens ex Clemente Alexandrino hæc verba epistolæ Judæ vers. 6 : Δεσμοῖς ἀϊδίοις ὑπὸ ζόφον ἀγρίων ἀγγέλων τετήρηκεν, *Hæc*, subdit, *ordine præposterο repræsentavit scriba ; ἀγρίων perperam pro ἀγίων : poni autem debet ἀγίων ἀγγέλων post ἀϊδίοις, quod totum ex Lucifero Calaritano discimus.* Deinde in notis illi Judæ testimonio adpositis a se ipse dissentit scribens, Luciferum corruptam legisse vocem ἁγίων pro ἀγρίων : integra enim et recta est Luciferi lectio pag. hic 28 (*col.* 792) *malos* nimirum *angelos vinculis sanctorum angelorum sub tenebris servari ;* quæ quidem fo- D ret vero dissimilis, si malos angelos a malis itidem angelis constrictos teneri enunciaret ; dicitur enim Apocal. xx, 1, Angelus descendisse de cœlo habens *clavem abyssi, et catenam magnam in manu sua ; qui apprehendit draconem, serpentem antiquum, qui est diabolus et satanas, et ligavit eum per annos mille.* Fatendum præterea est, alia etiam in Luciferiana versione inveniri, quæ, licet mendum iis subesse aliqui existiment, non sunt tamen immutanda pro ipsorum sententia, cum constet neque sensum dictionis labefieri, neque alia deesse exempla, quorum testimonio et auctoritate nitantur. Hinc aliquot ex iis huc congessimus, ut legentium probata judicio *Luciferianæ Versionis* integritatem majo-

rem esse demonstrent, quam quæ vel vitium codicum, vel interpretis Latini aut injuriam aut oscitantiam culpantibus eidem a quibusdam tribuatur.

In lib. de Reg. Apost. pag. hic 33 (*col.* 798), *Peccatum abominatio est*, ex I Reg. xv, 23. Cotelerius ad lib. II Constit. Apostol. cap. 62 censet librarios inepte *abominatio* pro *ominatio* scripsisse; cum in Septuaginta legitur ἁμαρτία οἰώνισμά ἐστιν. Verum Aquila in Hexaplis ex Hebræo vertit, ἁμαρτία μαντείας παραπικρασμός, *peccatum vaticinationis irritatio*; et Symmachus; ἁμαρτία τῆς μαντείας τὸ προσερίζειν, *peccatum vaticinationis contendere*; et in Hebræo textu legimus, *peccatum divinationis rebellio*. Et, sin minus verba, sensum Luciferianæ versionis exprimit Græca editio Complutensis: ἔστι παραπικρασμὸς ἀδικία, *exacerbatio est injustitia*; cum Hebræo autem, et Aquila et Symmacho illa conveniet, si addas verbum *vaticinationis*, quod facile potuit scribentis calamo excidere.

Ibid. pag. 34, Roboam *viginti annis regnavit in Jerusalem*, III Reg. xi, 43. Hunc annorum numerum non exhibent Septuag., sed III Reg. xi: Δώδεκα ἔτη ἐβασίλευσεν, *duodecim annos regnavit*; cap. vero xiv, 21: ἑπταικαίδεκα ἔτη ἐβασίλευσεν, *septem et decem annos regnavit*; uti etiam in lib. II Paral. xii, 14, et apud Josephum lib. viii Antiq. cap. 10: *In quo numero annorum regni conveniunt omnes libri*, subdit Nobilius in cap. xiv lib. III Reg. Sed hæc ipsa annorum diversa ratio Luciferianam versionem quodammodo tuetur.

Ibid. pag. 40 (*col.* 805): *Scriptum est etiam de Jambre rege*, etc. ubi Latinius in nota subjecta corrigit *Zambri*: at *Zambri* dux equitum erat, qui Elam regem Israelis interfecit; huic vero *Amri* suffectus est, uti a Septuaginta appellatur III Reg. xvi, 16 et a nostra Vulgata; is autem est *Jambres*, quem Josephus lib. viii Antiq. cap. 12, Ἀμαρῖνον, *Amarinum* vocat, et codex Vatic. in hoc Josephi loco Ζαμβρίαν, *Zambriam*. Cæterum Sulpicius Severus in lib. I Hist. Sacr. hunc regem et *Zambri* et *Jambri* nominat; et primum quidem nomen, uti monet Hieronymus a Prato in nota, præferunt omnes libri editi et mss. in utroque Sulpicii loco; at Vorstius *Jambri* pro *Zambri* substituit; nam licet ille, de quo priore loco scribit Sulpicius, *Zamri*, seu *Zimri* re vera fuerit, alter *Amri*, quem *Zambri* et *Jambri* appellat, apparet tamen Sulpicium per errorem *Zambri principem equitum* cum *Jambri* rege et Achabi patre confudisse, cum dicat: *Sed Zambri ante hunc*, id est *Thamni*, *septem annos et cum eodem duodecim regnavit*; proinde vel *Zambri* semper vel *Jambri* dicere debuit; suamque porro emendationem Vorstius tuetur auctoritate antiquæ editionis Coloniensis, et ms. Drusiani. At Pratensis e contra censet *Jambri* regem primitus *Zambri* dictum fuisse, deinde *vel ex usu pronunciationis temporum superiorum, vel ex litterarum* Z *et* J *in mss. similitudine* Jambri *emersisse*. In qua opinione firmatur testimonio codicis Alexandrini τῶν Septuaginta, in quo semper pro Ἀμβρί, *Ambri*, scriptum apparet Ζαμβρί, *Zambri*: tum Drusium refellit, quem opinatur non ex aliquo Severiano codice, sed aut ex ipsa Coloniensi editione, aut ex aliquo libro æreis typis impresso *Jambri* legisse in priore loco Sulpicii, cum ait, *Cæterum in uno codice offendi* Jambri. *Quod* vero, subdit idem Pratensis, *litteram* b *huic nomini inserat noster* Sulpicius, *græcam ille lectionem secutus est, in qua non modo* Zambri *pro* Zamri, *et* Ambri *pro* Amri, *sed et* Mambre *ac* Nembrod *pro* Mamre *et* Nemrod *scribitur*. Zambri *retinet et Vulgata*. Quod de *Jambre* quoque Luciferiano potest affirmari.

Ibid. pag. 41 (*col.* 806), *Jezabel filiam Basan et Hela regis Sydoniorum*, ex III Reg. xvi; quem locum corrigit Latin. ex Vulg. substituens *Ethbaal* pro *Basan et Hela*. Neque sane negandum ita legi etiam in Græco, et apud Josephum lib. viii Antiq. cap. 3 Jezabelem dici filiam *Ithobali*, Ἰθοβάλου; quo nomine hunc regem ipse distinguit etiam in lib. I cont. Apionem: et Critici Sacri ad I Reg., qui est tertius in Vulgata, cap. xvi, notant sic hoc nomen scribi a Menandro Ephesio in Phœnicicis, auctore Grotio, et inter Acta Tyriorum, nempe Εἰθώβαλον; a Diodoro autem Siculo *Ithobalum*, teste Junio; ut enim Judæi Dei nomen admiscebant suis nominibus, ita idololatræ nomen Baalis: et id confirmat Bochartus in lib. I Geogr. Sac. cap. 24: *Ethbaal vel Ithobalus Achabi socer*. Verum non caret aliquo exemplo versio Luciferi; et Sulpicius Severus in lib. I Hist. Sacr. Jezabelem *filiam Basæ* dicit *regis ex Sidone*; quam Sulpitii lectionem Hieronymus a Prato tuetur exemplo Luciferianæ versionis hac nota subjecta: *Sigonius, Hornius, Vorstius,* Basæ *aut a Severo perperam positum, aut corruptum asserunt a librariis, et* Ethbaal *pro eo reponendum monent, aut juxta Græcos* Ἰεθεβαάλ, Jethebaal. *Sed si error in eo est, non Severo nec ejus exscriptoribus ascribendus est, cum Lucifer quoque Calaritanus in libro de Regibus Apostaticis legat* Jezabel filiam Basan et Hela regis Sidoniorum.

Ibid. pag. 45 (*col.* 810): *Nomen matris ejus Ebsibas*, ex IV Reg. xxi, 1. Clericus apud Coteler. ad lib. II Const. Apost. cap. 22 legendum hic putat *Epsiba*, vel *Ephsibas*: sed quis certam tueatur hujus nominis notionem? cum ipse idem subdat, legi apud Syncellum ἐψιβαάλ, in codd. duobus regis *Haphsiba*, in Josepho lib. x Antiq. cap. 3 non 4, Ἀχιβᾶς, a Rufino *Echib*. Hebraice quidem *Hepsiba* dicitur; at Septuaginta Ἀψιβά scripsere, uti in Rom. Edit., in quibus tamen Haverca mpius legit Ἀψιβᾶς in notis ad laudatum Josephi locum.

In lib. I pro S. Athan., pag. 55 (*col.* 820): *Quare non recte obtulisti? Peccasti, quiesce*, Gen. iv, 8, de quo testimonio quædam in notis monuimus: verum Gallandii opinio probanda non est, cum autumat illud ex verbis Septuaginta contractum esse; nam sensus saltem integræ locutionis cum iisdem convenire deberet, qui cæteroquin ab ipsis omnino differt; et est perspicuum ex ipsis verbis Septuaginta: *Nonne si recte offeras, non autem recte dividas, peccasti? quiesce*

Ib. pag. 65 (*col.* 831) hic animadvertimus, errasse cum Latin. Gallandium, cum censuit Luciferum memoria lapsum esse, quia scripserit: *In primo Regnorum libro scriptum: Non glorietur*, etc. Hoc enim

testimonium ibidem vere legitur apud Septuaginta cap. II, vers. 10.

Ibid. pag. 68 (*col.* 834) : *Ipse judicabat viginti annis*, I Reg. IV, 18. Ita et Septuaginta de Heli scripserunt : Καὶ αὐτὸς ἔκρινε τὸν Ἰσραὴλ εἴκοσιν ἔτη. Quam annorum rationem se in iisdem legisse testatur Eusebius in Chron. et ipsa eorum verba exscribit Chrysost. in lib. III adverss. oppugnat. vitæ monast. quibuscum consentit Sulpicius Severus in lib. VII Hist. Sacr. affirmans Heli *per annos* XX *sacerdotium administrasse*; ubi hæc subdit Hieronymus a Prato : *Secutus est Sulpicius codices Græcos, seu verius antiquam Vulgatam latinam, quæ ex ipsis erat expressa. Sic Hilarion sæpe laudatus* : Judicavit Heli Sacerdos annis XX : *Hebræi tamen codices, quos secutus est Eusebius in Chron. et Præpar. Evang. lib.* X, *cap.* 14, *Heli quadraginta annos assignant, quomodo habet etiam Vulgata nostra, nec non aliqui Græci codices sed corrupti. Romana enim editio*, id est Septuaginta, *et Alexandrinus codex retinent antiquam et sinceram Septuaginta Interpretum lectionem.* Josephus in lib. V Antiq. c. XI, *annos* et ipse præfert *quadraginta*.

Ib. p. 69 (*col.* 835) ad c. V, 6, l. I Reg., hæc notat Gallandius : *Cum Latinio viro erudito expungenda verba*, ebullivit illis mures, *ex superioribus huc importune immissa, legendumque*, et percussit eos in sedibus eorum, *ut Septuaginta.* Sed id non affirmandum ita facile. Monet Montfauconius in notis ad Hexapla in hunc locum, *in editione τῶν Ο hæc confusa* esse. Hebr. enim vers. 6 habet, *et percussit eos in altis locis*; Aquil. *et percussit eos in sedibus* ; Symmach. *et percussit eos in occultis* ; Vulg. *et percussit in secretiore parte natium* : quæ Septuaginta non habent vers. 6. Postea sequuntur verba Septuaginta, *et induxit eis, et efferbuit eis in navibus, et medium regionis ejus expullularunt mures* ; ubi in Lucifero, *induxit illis mures.* At vers. 9 Septuaginta, *et percussit eos in sedibus eorum* ; Hebr. *et absconditi erant eis loci alti* ; Aquil. *circumsolutæ sunt eorum sedes* ; Symm. *in abscondita* scilicet *percussit* ; Vulg. *et computrescebant prominentes extales eorum* : hic autem Lucifer, *et ebullivit illis mures in sedibus, et fecerunt sibi Gothæi sedes pelliceas* ; quæ inter sese cohærere magis videntur. Septuaginta vero habent solummodo *sedes*, et Theodor. *sedes aureas* : quæ profecto indicant, haud minus in cæteros, quam in Luciferianam Versionem potuisse mendum irrepere.

Ibid. pag. 71 : *Et occidit illa die trecentos quinque viros* ; ex I Reg. XXII, 18. Hoc *admiror scriptum a Lucifero*, inquit La Cerda, *cum Vulgatus dicat*, et trucidavit in illa die octoginta quinque viros ; *fortasse sumpsit a Josepho, qui tamen ait occisos* trecentos octoginta quinque ; *locutos suspicor de omni cognatione Abimelech.* Re quidem vera Josephus in lib. VI Antiq. cap. 12 hæc perhibet : *Saul Doeco Syro eædem imperat : atque ille assumptis sibi facinorosis aliquot sui similibus Achimelechum ejusque cognationem omnem occidit ; erant autem universi circiter trecenti octoginta quinque.* Sed numerum hunc aliter exhibent codices nonnulli in notis ad Josephum ex editione Havercampii ; Vatic. ἦσαν δ' οἱ πάντες πέντε καὶ ὀγδοήκοντα, *omnes autem erant octoginta quinque.* Busbeq. ὡς πεντακόσιοι καὶ τριάκοντα, *quasi quingenti et triginta.* Henneberg. ὡς πέντε καὶ τριακόσιοι, πεντήκοντα καὶ τριάκοντα : *quasi quinque supra trecentos, quinquaginta* (forte πεντακόσιοι *quingenti*) *et triginta.* Theodoretus autem hos enumerat πεντήκοντα καὶ τριακοσίους, *trecentos et quinquaginta* ; Epiphanio, et Zonaræ sunt ὡς πέντε καὶ τριακόσιοι, *quasi trecenti quinque* ; Septuaginta vero et ipsi cum Lucifero τριακοσίους καὶ πέντε dicunt occisos fuisse : quæ satis pro Luciferi interpretatione.

Ib. p. 72 (*col.* 837) : *Introivit Saul ad sellam* I Reg. XXIV, 4 ; quo in loco hæc animadvertit la Cerda : *Vulgatus, inquit*, ut purgaret ventrem, *qua locutione usus est Cornelius Celsus. Vatablus habet*, ad tegendum pedes ; tegere pedes *idem est* ac purgare ventrem, *de qua locutione agit Drusius.* Porro vide, quam variæ sint unius sensus locutiones : Hebr. *Et ingressus est Saul ad tegendum pedes suos.* Septuaginta : καὶ εἰσῆλθε παρασκευάσασθαι, *et intravit ad provocandum*; ubi Theodoretus ἀποσκευάσασθαι, *ad deponendum*, subdens : *Septuaginta honeste sunt interpretati : Aquila autem id manifestius dixit ; inquit enim* εἰσῆλθε ἀποκενῶσαι, introivit ad exinaniendum. Et Henricus Stephanus in Thes. linguæ Græcæ suspicatur Septuaginta Interpretes primitus scripsisse ἀποσκευάσασθαι : at in cod. Reg. legitur κενῶσαι ex Aquila, uti legerat et Procopius. Alius Interpres in cod. Reg. σεμνῶς ἄγειν, *honeste agere* ; et in Coislin. διευθύναι, ἀποκενῶσαι τοὺς πόδας αὐτοῦ, ἀποπατῆσαι, *ad dirigendum, evacuandum pedes suos, egerendum* : quæ interpretatio *videtur ex pluribus in unam coaluisse*, ait Montfauconius in Hexaplis ; *omnes tamen Josephi interpretationem adjiciunt*, quam Nobilius retulit hisce verbis : τὰς φυσικὰς ἐκκρίσεις ποιησάσθαι, *ad faciendum naturales excretiones.* Verum in Edit. Havercamp. lib. VI Antiq. cap. 12 ita legimus : ἐπειγόμενος οὖν ὑπὸ τῶν κατὰ φύσιν, εἴσεισιν εἰς αὐτὸ μόνος, *itaque stimulatus ad requisita naturæ, intravit in eam* (speluncam) *solus.* Fallitur autem Hieronymus de Prato scribens in notis ad Sulpicium Severum lib. I Hist. Sacr., quod Græcum verbum παρασκευάσασθαι *Severus, aut potius latinus interpres antiquissimus* verterit corpus reficere *ex Septuaginta* ; hanc enim interpretationem non affert Sabatierius in Itala Versione; et Sulpicius non sacræ Scripturæ verba, sed sententiam sequitur, et res gestas suo prorsus stylo suisque phrasibus latine enarrat ; de Saule autem hæc ille : *Saul nesciens in primo speluncæ aditu reficiendi corporis gratia successerat.*

Ibid. *Venit ad greges ovium, quæ*, etc. notat Tilius corrigendum *qui*, id est, *greges* ; sed relativum hoc potest ad alterutrum antecedens referri, et præter Luciferianum exemplar Latina Septuaginta Interpretatio eamdem retinet dictionem in edit. Rom. *Venit ad greges pecorum, quæ*, etc.

Ib. p. 75 (*col.* 841) : *Clandicatis sensu vestro* ; hanc quoque interpretationem ex III Reg. XVIII, 21, in du-

bium revocat Cotelerius ad l. VII Constit. Apost. c. 1, suspicans, interpretem legisse in Græco ἐννοίαις, *cogitationibus*, pro ἐγνύαις, *poplitibus*, sed neutrum legit; nam voci huic, *sensu*, singulari in numero respondet vox ἐννοίᾳ ; neque advertit Cotelerius Græcum nomen ἐγνύα, quo utuntur Septuaginta, apud Hesychium in Lexico significare *animum, aut anteriorem genu partem* : ἐγνύα ψυχή, ἢ τὸ τοῦ γόνατος ὄπισθεν μέρος. Et recte pro sententia nostra Heinsius hæc subjicit Hesychii testimonio : *Quid commune hæc habent duo, ἡ ψυχὴ καὶ τὸ γόνυ ? aut quis hæc intelliget ? nisi sciat alludi ad nobilissimum locum* III Reg. XVIII, 21: ἕως πότε ὑμεῖς χωλανεῖτε ἐπ' ἀμφοτέραις ταῖς ἐγνύαις, *proverbialiter ; cum Hebræa vox* hoc in loco *designet* cogitationes, *quidam ex Interpretibus reddiderunt*, ἕως πότε χωλανεῖτε τῇ ψυχῇ; *Chaldæus vertit* sectas *aut* studia *aut* partes, *ut Syrus et Arabs*. Legunt nonnulli in Hesychio Ψύα, *poples*, quos affert Albertus in notis ad hunc Hesychii locum subdens, *Sed placet elegans Heinsii sententia. Propius accedit Lucifer Calaritanus*, Usque quo claudicatis sensu vestro ? *unde pro ἐγνύαις eum ἐννοίαις legisse conjicit clariss. L. Bos ; sed Hesychius isti favet expositioni.* Julius Pollux in lib. V Onom. cap. 3 : ἐγνύαν scribit, *poplitem* intelligens, et ἐγνίαν ac ἐγνύαν exprimunt codices varii ; in lib. vero II, cap. 4, ἐγνύα et ἐγνὺς legitur, tum ἐγνύη, quam *posteriorem popliti oppositam concavitatem* esse, id est, *suffraginem* affirmat : hinc vetus Irenæi interpres lib. III, cap. 6 : *Quousque claudicabitis in ambabus suffraginibus ?* Et Septuaginta : *Usquequo claudicabitis in ambobus poplitibus ?* at Luciferi interpres Græcum nomen ἐγνύα recte pro *animo animive sensu* intellexit, et Hebraico textui propius, ut diximus, accessit ; est enim hujusmodi ; *usquequo vos claudicantes super duas cogitationes ?* cujus sensum exhibet etiam Symmachus : ἕως πότε χωλανεῖτε ἐπὶ δύσιν ἀμφιβόλως, *usquequo vos claudicatis super duo dubie ?* tum Vulgata nostra, *usquequo claudicatis in duas partes?* unde perspicias velim, Cotelerii et ante hunc Nobilii in Luciferum censuram nihili habendam esse.

Ibid. pag. 82 (*col.* 847): *In viis patris sui primis*, ex II Paral. XVII, 3, quem locum corrigit Latinius in nota, pro *primis* subjiciens *David*, ut est in vulgata. Verum Luciferianus interpres recte scripsit *in viis primis patris sui*; quippe in II Paralip. XIV, 2, legatur, Asam Josaphat patrem sub initia regni sui *fecisse bonum et rectum coram Domino Deo suo* ; et is postea dicitur defecisse e recto virtutis tramite cap. XVI. Hinc et Septuaginta : *Ambulavit in viis patris sui primis ;* et Theodoretus eos videtur secutus cum pro *primis* scripserit κατ' ἀρχάς, *ab initio*. Affirmat tamen Nobilius in libris plerisque inesse hanc dictionem ἐν ὁδοῖς Δαβίδ, *in viis David*. Apud Criticos Sacros in tom. I Synops. utraque lectio retinetur, *in viis David patris sui primis*, ante scilicet quam David peccaret ; vel *in viis David, patris sui primis*, quæ nimirum *primæ viæ* fuerunt Asæ patris sui.

Ibid. denique pag. 105 (*col.* 869) pro verbo *defendam*, quod legitur Soph. I, 12, *Defendam super viros*, subjecit Latinius *ulciscar* ex Vulgata. Animadvertunt tamen critici viri verbum *defendere* optime a Latinis pro *repellere*, atque, *arcere* ea, quæ nocent, solitum adhiberi. Cæsar in lib. I de bel. civ. cap. 7, cum se conquestum fuisse dixisset de injuriis ac vi tum sibi, tum tribunitiæ potestati illatis, subdit, clamasse milites, sese paratos esse *Imperatoris sui Tribunorumque plebis injurias defendere*, id est, *propulsare*, quod idem ac *ulcisci* significat apud Passeratium. Hanc significationem pluribus tuetur Heinsius in notis ad Ovid, Heroid. V, vers. 16, et Oudendorpius ad lib. VIII Cæsaris de bel. Gall. cap. 9. Quare interpres Luciferi latinum verbum *defendere* recto sensu adhibuit ; quamvis obscura inde reddatur locutio, cum addendum id fuisset, de quo ulturus erat Deus, de illato scilicet sibi contemptu, et irrogata injuria. Hactenus satis de Luciferiana interpretatione.

§ II. — *Animadversio Theologica in nonnullas Luciferi locutiones.*

Instituti nostri ratio postulat, ut hanc quoque tractationem minime prætereamus, cum ad illustranda Luciferi opera et propositum sibi in iis consilium declarandum maxime sit necessaria. Diversi quidem librorum suorum tituli sunt ; id tamen in iis unice contendit, ut gesta a se et a Catholicis Episcopis in Concilio Mediolanensi anni 355 tueatur, tum ut Constantio imperatori facinora exprobret, quæ adversus Catholicos inique jusserat patrari, quo Ariana hæresis contagione sua late diffusa in universum orbem impune grassaretur, demum ut sectæ hujus errores scriptis etiam libris exsecrari se palam omnibus significaret. Verum hoc postremum non ita persequitur, ut disputationes instituat, quæ tum et in Conciliis et a cæteris Patribus fuse tractabantur. Fatetur Lucifer Catholicum dogma de Trinitate ; singula capita, quæ in contentionem pertrahebant Ariani, tuetur ; objectos singulis errores detestatur ; tum Constantium, cui libros hosce inscripsit, ad illos ejurandos et Catholicam Fidem amplectendam sæpe graviterque adhortatur. At animadvertimus, Luciferum in Arianum præcipue dogma, quale ab impio auctore excogitatum fuit et productum, vehementius insurgere ; cum de toi, tamque dissimilibus sectis, in quas Ariana hæresis statim fere ab initio partita ac divisa fuit, cujusmodi erant Eusebiana, Eunomiana, Acaciana, et in primis Semiariana, vix quidquam agere videatur ; si Pneumatomachos excipias, de quibus postea erit disserendum. Nefariam Arii doctrinam paucis complectitur Petavius in lib. I de Trinit. cap. 8, ex ipsis Arii verbis excerptam, quæ in sua Thalia apud Athanas. in lib. de Synod. et in suis literis ad Alexandrum Alexandrinum ac Eusebium Nicomediensem Episcopos legitur expressa. Hinc quo Luciferi locutiones planius intimiusque dignoscantur, ut Arianæ hæresi prorsus objectæ, hæc de doctrina Arii sunt exscribenda : *Deum* scilicet *Patrem ex æterno Deum fuisse*, Arius docebat, *non vero ex æterno Patrem, qui Filium postea produxit ex nihilo ; non natura, sed gratia et adoptione Filium ; unde nec verus*

Filius, nec verus Deus, nisi titulo tenus ac participatione; sed creatura, cæteris tamen præstantior, qua veluti administra uteretur Deus ad res cæteras condendas. Hæc impia Arii et germana professio Fidei, cui proinde Lucifer has sæpe locutiones opponit, quod *Pater verus sit Pater ab æterno, et verum habeat Filium;* quod *Filius sit verus Filius et verus Deus*, et quod *una sit æternitas Patris et Filii*, aliasque similes de *bonitate, potentia, majestate eadem Patris et Filii;* atque vulgatas illas Arianorum formulas, *Filius ex nihilo est, fuit tempus quando non erat, factus est ex non existantibus*, et *adoptivus est Filius*, sæpissime exprobrat Constantio, et graviter exsecratur: quæ cum in cæteris libris, crebrius tamen in libro *de non parcendo in Deum delinquentibus* obversantur, ubi etiam Nicænum Symbolum integrum is exscripsit. Arius præterea *Filium mutabilem esse* natura aperte docuit, *et in malum natura proclivem, sed ex omnibus creaturis ideo exemptum, quia Deus ejus in bono firmitatem constantiamque præsciverit;* quod ex Arii scriptis affirmat Athanasius sub initium Orat. 2, contra Arian.: *ut omnes ex natura sua, ita quoque ipsum Verbum mutabilitati obnoxium esse, ac in libero ejus arbitrio fuisse, quamdiu velit, bonum permanere; ejusque voluntatem nostro more mutari potuisse, cum fuerit mutabilis natura; eaque de causa cum Deus præcognosceret eum bonum futurum, anticipando illi hanc gloriam dedisse, quam homo postmodum ex virtute mereretur; et quasi jam tum opera ejus exstarent, quæ providebantur a Deo, talem eum jam statim in præsentia voluit fieri:* et idem testatur Alexander Episcopus in sua epistola ad Catholicos, ubi Arium ejusque asseclas impietatis convictos, præterea interrogatos fuisse scribit, εἰ δύναται ὁ τοῦ θεοῦ λόγος τραπῆναι ὡς ὁ διάβολος ἐτράπη· καὶ οὐκ ἐφοβήθησαν εἰπεῖν. Ναὶ δύναται, τρεπτὸς γὰρ φύσεώς ἐστι, γενητὸς καὶ τρεπτὸς ὑπάρχων: id est: *Si Dei Verbum mutari potest, sicut diabolus mutatus est? et veriti non sunt dicere: Utique potest; mutabilis enim est natura, creatus et convertibilis existens:* quo in loco recte censet Valesius legendum esse γενητὸς pro vocabulo γεννητὸς, uti et nos scripsimus, *utique legitur*, inquit, *apud Gelasium Cyzicenum; neque aliter legit Epiphanius; vertit enim;* Factus, *aiunt*, et convertibilis est: γεννητὸς autem catholicum habet sensum, de quo Petavius in lib. v, cap. 1: *Quod autem sequitur*, addit Valesius, καὶ τρεπτὸς, *melius legitur in Gelasio* καὶ κτιστὸς, quam scripturam in *versione mea sum secutus.* Hisce autem immorati sumus, ut Theophili Alethini censuram in Petavium notaremus ad cap. 8, num. 1, lib. 1 De Trinit., qui dicit *Verbi mutabilitatem* ab Ario negatam fuisse in sua epistola *ad Alexandrum* Episcopum, *quæ est apud Epiphanium hær.* LXIX, *ubi Filium diserte dicit* ἀτρεπτὸν καὶ ἀναλλοίωτον, ejusmodi ut neque converti neque mutari possit. *Idem etiam legere est in epistola ad Eusebium Nicomediensem, quæ exstat in Hist. Eccl. Theodor. lib.* 1 *cap.* 5. Non erat autem cur Theophilus iste Arium hac in parte tueretur, cujus quot erant verba seu scripta seu ore prolata, totidem fuere cavillationes, quibus sententiam suam fraudulenter tegebat, idipsum modo negans, modo affirmans, modo fucata verborum specie simulans, dissimulansque, ut ex Eccl. Hist. perspicue apparet. Verum Lucifer, cui Ariana impietas erat plane perspecta, catholicam veritatem adversus hæreticum palam profitetur in lib. 1 pro S. Athan. p. 98 (*col.* 864): *Non enim quia dixit* Apostolus: Semetipsum exinanivit formam servi accipiens, *Deus Dei unicus Filius aliud fieri potuit ex illo quod est incorruptibilis, inenarrabilis, immutabilis, cum sit semper in eo statu æternæ magnitudinis manens, in quo sit manens et ejus Pater: inenarrabilem* vero dicit Filium, ut alteram Arii blasphemiam damnet, qui in lib. Thal. apud Athan. de Syn. Deum Patrem solum *ineffabilem et indicibilem* esse docuit; *Filio Deus ineffabilis est; est enim sibi quod est, hoc est indicibilis. Impossibile est enim ei investigare Patrem, qualis in se est, quoniam ipse Filius suam ipsius substantiam ignorat;* eamdemque sententiam repetit Lucifer p. 108 (*col.* 875) hisce verbis: *Quid aliud astruit gloriosæ Ecclesiæ fides, nisi quia sit Dei unicus Filius immutabilis, inconvertibilis, inæstimabilis, immensus, æternus, sicuti sit et cujus sit Filius?* Verum Arianæ hæreseos caput in eo situm erat, ut uno verbo Filium *consubstantialem* esse Patri negaret; quod in sua Thalia aperte scripserat Arius, quasi animo præsentiret, quanta hujus vocabuli vis futura postea esset, et efficax sensus, et firma auctoritas ad tuendam Verbi Divinitatem; οὐδὲ γάρ ἔστιν ἴσος, ἀλλ' οὐδὲ ὁμοούσιος αὐτῷ, *neque enim* Filius *est æqualis, sed neque illi*, id est Patri, *consubstantialis:* quare Lucifer et in lib. *de non parc. in Deum delinq.*, et in altero, cui titulus *moriendum esse, etc.*, ὁμοουσίου vocem, et *perfectam Filii cum Patre æqualitatem* defendit; quod in aliis libris quandoque præstat, et quæ Dei Patris sunt divinæ proprietates, quatenus Deus est, eas et Filio tribuendas affirmat.

In lib. 1 pro S. Athan. animadvertimus ὁμοιουσίου quoque vocabulum a Lucifero adhibitum esse, quod *substantiæ similitudinem in Filio ad Patrem* significat, et a catholicis catholico sensu usurpatum quandoque fuit, cum *perfectam similitudinem et æqualitatem Filii cum Patre* eo vocabulo intelligebant: quare Lucifer ait *similem atque æqualem esse Patri Filium.* Sed Hilarius Pictaviensis in responsis apologeticis pro libro suo de synodis testatur se invitum *homœusii* mentionem habere, hujusque vocis vim a se fuisse declarandam, quia Lucifer *similitudinem Filii ad Patrem prædicabat:* quæ verba explicationem aliquanto uberiorem postulant, quam in nota Luciferiano testimonio subjecta præstiterimus. Hilarius librum de Synodis scripserat eo circiter tempore, quod intercessit inter mensem Augustum an. 358, et mensem Maium an. 359, uti monuerunt Monachi Maurini in Præfat. ad librum eumdem num. 1, eoque consilio hanc operam aggressus est, ut Galliarum episcopis, a quibus rogatus fuerat, suam sententiam exponeret de formulis fidei editis in Oriente, et de

vocibus dictisque, in quibus explicandis inter se dissentiebant orientales Episcopi, ut catholicum dogma adversus Arianam hæresim clare totoque iisdem declararetur : idcirco ὁμοούσιον et ὁμοιούσιον vocabula in eo præsertim expendens, quinam sit utriusque vocis rectus sensus, quæ vera et catholica interpretatio, pluribus ostendit. Hujusmodi tamen liber Hilarium in invidiam et suspicionem apud quosdam adduxerat, in primis apud Luciferum, cui hæc Hilarii verba videntur minus probata fuisse : *Exposita unius substantiæ, quæ græce* homousion *dicitur, et similis substantiæ, quæ* homœusion *appellatur, fideli et pia intelligentia, etc.* quasi contenderet Lucifer, non *piam* solummodo, sed vere catholicam esse *homœusii* significationem, quam Hilarius protulerat, nec *similis* alteri quispiam esse posset natura, qui non esset etiam *æqualis*, ut ipse Hilarius intelligere se fatebatur in eodem libro : *Testor Deum cœli et terræ, me cum neutrum audissem, semper tamen utrumque sensisse, quod per* homousion homœusion *oportet intelligi : id est nihil simile sibi secundum naturam esse posse, nisi quod esset ex eadem natura.* Itaque Hilarius in *apologeticis ad Reprehensores libri de Synodis responsis* hæc ad Luciferum scribit : *Non puto quemquam admonendum in hoc loco, ut expendat, quare dixerim* similis substantiæ piam intelligentiam, *nisi quia intelligerem et* impiam ; *et idcirco* similem, *non solum* æqualem, *sed etiam* eamdem *dixisse, ut neque* similitudinem, *quam tu, frater Lucifer, prædicari volueras, improbarem, et tamen solam* piam *esse* similitudinis intelligentiam *admonerem*, quæ unitatem substantiæ *prædicaret :* noverat enim Hilarius quibus ambiguitatibus subesset vocabulum *homœusii*, neque esse illud probandum affirmabat, nisi *similitudinis* nomine *perfectæ substantiæ æqualitas* significaretur ; quo tamen confidentius utebatur Lucifer, ut ejusdem quoque vocabuli communione allecti libentius se se conjungerent Catholicis ii, qui Ariani erroris impietatem detegere jam cœperant, et ab hæreticorum societate semet disjungere avebant, nisi obscura et confusa vocum ambage irretiti fuissent, quas de natura et substantia Verbi Divini pro cujusque sensu et libera interpretatione usurpari in vulgus audiebant. Aiebat præterea Hilarius, *homœusii* vocem non esse idcirco rejiciendam, quia plures essent, qui illius significatione abuterentur ; nam et *homousii* vocabulum *vitiose* interpretabantur non pauci, licet Nicæni Concilii auctoritas illius et sensum et usum comprobasset ; neque indictum de *homœusio* silentium quidquam obesse poterat catholicæ ejusdem vocis interpretationi, quippe etiam de *homousio* tacendum decreverat Synodus Sirmiensis anni 357. *Sed forte,* inquit Hilarius, *dicetur mihi : Aliqui hodie ex his, qui tum Synodo,* id est Nicænæ, *interfuerunt* (Osium nimirum indicat, qui silentium vocabuli *homousion* in Concilio Sirmiensi probavit), *tacendum de* homousio *esse decreverunt. Et ego invitus licet respondebo dicenti : Numquid non et ipsi tacendum de* homœusio *esse constituerunt? Oro vos ne quisquam alius ex his præter senem Osium, et illum nimium sui sepulcri amantem reperiatur, qui tacendum esse existimet de utroque. Et quo tandem in tantis hæreticorum furoribus recidemus, si non dum utrumque recipimus, utrumque retinemus? Non enim videri potest impie dici, ut quia neutrum scriptum reperiatur, aut neutrum confitendum esse, aut utrumque.* At Lucifero fortasse non placuit instituta inter vocem utramque comparatio ; longe enim dispar erat utriusque ratio : *homousion* sanctissimo œcumenici concilii testimonio erat innixum, nullam hujusmodi auctoritatem *homœusion* præ se ferebat ; illud certa erat Catholicorum tessera, quamvis nonnulli in pravum sensum illius explicationem torquerent ; hoc hæreticorum hominum nota, qui, cum ab Arianis secessionem fecissent, Semiariani inde dicti fuerant, quia et *homœusion* rejiciebant, et *imperfectæ similitudinis* sensu docebant esse solummodo *homœusion* Patri. Respondet igitur Hilarius in Apologet. : *Satis absolute, Domine frater Lucifer, cognosci poterit, invitum me* homœusii *mentionem habere. Sed quia tu similitudinem Filii ad Patrem prædicabas, demonstratio ejus a me fuit exponenda sine vitio.* Unde liquet, Luciferum ita *homœusii* vocem admittendam concessisse, ut catholico sensu intelligeretur permissa ; Hilarius vero, ut omnes vocum tollerentur ambages, et ejusdem vocabuli communio ejusdem quoque Fidei societatem pareret et dissentientium animorum concordiam, longiori disputatione demonstrat, quæ prava esset, quæ recta vocis utriusque significatio, ac licet invitus *homœusii* quoque usum suo ipse assensu, suoque testimonio confirmat, ne quidquam veræ Fidei stabiliendæ, et revocandæ paci in Ecclesiam posset obesse ; ita quod Lucifer simplici quadam animi confidentia probabat, Hilarius doctis quoque argumentis atque rationibus suffulsit. Neque levis est conjectura inde deducta, Luciferum, qui post Hilarii librum de Synodis, suos ipse pro S. Athanasio composuit, illius doctrina et monitis adductum *similis* vocem cum vocabulo *æqualis* conjunxisse in laudato superius testimonio, quo clarior fieret et mentis sententia et vocis significatio.

Cæterum non desunt Lucifero locutiones aliæ, æque gravissimæ, quæ Ariano errori adversantur perspicue, quas inter vim habet maximam *unius Deitatis* confessio, qua sæpissime usus est, ut quavis ex parte impiam hæresim oppugnaret. Cum enim Arius *alienum externumque, quantum ad substantiam attinet, Patrem a Filio* esse doceret, inde sequebatur utriusque naturas penitus esse dissimiles, et invicem a sese disjunctas ; et tamen, quo erat ingenio ad fallendum vaferrimo, in epistola ad Alexandrum Episcopum scripta, quæ legitur et apud Athanas. in lib. de Synod., et apud Hilarium in lib. IV de Trinit., ait se idcirco non divisisse μονάδα in *Divinitate ;* quemadmodum Sabellius diviserat, licet unum idemque esse Patrem cum Filio asseruerit. At hæreticus homo vocabulum illud ea significatione usurpabat, qua *singularitas* intelligitur, et perfectam Divinitatem

uni Patri *singularem* tribuebat; hinc *unionis* notio, ita enim vocabulum μονάδα vertit Hilarius, eam *unionem* indicat, quæ omnem unius cum alio communionem respuit : Arius autem ideo arguebat Sabellium, inquit Petavius in lib. VII, cap. 8, num. 7, *quod μονάδα divisisset, quatenus diversas personas, id est qualitates et functiones, eamdem hypostasim obiisse censebat : ut idem et unus modo pro Patre, modo pro Filio se gesserit.* Ubi advertendum est, Editores Opp. D. Hilarii sensum Arianæ locutionis non esse assecutos, cum in nota huic loco subjecta apud Hilarium Tom. I, lib. IV. de Trinit. num. 12, aiunt, *Sabellium in Incarnatione unionem divisisse, hoc est in Christo personarum dualitatem invexisse.* At iidem postea in lib. VII, num. 11, aliter illum de Sabellio locum interpretati sunt ad hæc Hilarii verba, *cujus unionis divisio eumdem Deum divisit in Virgine*, id est Sabellius; subjiciunt enim, *Cum unio ad personas referri soleat, hoc per se sonat, personam in Christo non fuisse singularem, ut explicuimus pag. 80*, scilicet ad num. 12, lib. IV: *Sic tamen potius intelligendum videtur, ut Sabellius unionem in Virgine diviserit, quatenus post susceptam in ea carnem eidem Deo Patris ac Filii nomina ascribere cœperit, nominum augens numerum, non personarum :* quæ cum Petavio quodammodo cohærent, licet hæc nomina *Patris* et *Filii* non in Incarnatione primo distinxerit Sabellius, sed ipsa Filii a Patre diversa munera diversaque actiones, nec vocabulum unio hic possit ad personas referri, cum ex Ariano sensu, uti monuimus, *singularitatem* proprie significet, et Græcam vocem μονάδα, quam Hilarius *unionem* interpretatur, *unitatem*, seu clarius ad vim vocis exprimendam *unicitatem*, alii recte et vere interpretati sint; quod enim a Latinis *unia* a Græcis ἕνωσις dicitur. Neque probandum præterea est, quod aiunt, Sabellium *in Christo personarum dualitatem invexisse*; quippe, ut Epiphanius perhibet hær. 62, hæreticus iste dicebat, *Filium emissum fuisse a Patre in hominem tanquam radium divinitatis, qui omnia illa perfecit, quæ ad redemptionem humani generis attinebant*; veram autem ἐνανθρώπησιν seu *Incarnationem* non agnovit, sed meram ἐνέργειαν, *et operationem divinitatis in homine Christo*, inquit Petavius in lib. I de Incarn. cap. 3, num. 7. Nam quod *persona Patris* hominem assumpserit, et Pater in homine passus sit, unde *Patripassiani* exorti, hæc propria Noeti et Noetianorum hæresis fuit, de qua Epiph. hæres. 57. Quin et in nota paulo superiore ad hæc verba Hilarii lib. VI de Trin. num. 11: *Volentes Ariani nihil inter Patrem et Filium esse unum, divisos a Sabellio unionis crimen exprobrant*, iidem perperam scripsere, *propriam atque omnibus notam in hoc fuisse Sabellii hæresim, quod unionem in Deo prædicaret : at quod unionem in Christo divideret minus innotuisse : hoc autem fraudulenter, non illud expressit Arius; ut Catholicos unionem in Deo detestantes, et distinctarum personarum in natura æqualitatem profitentes cum Sabellio pariter damnaret*; nam ut calliditate et fuco verborum unice se tueretur Arius, suamque impietatem, id solum objecto Sabellianæ hæresis dogmate intendebat, ut fraudulento μονάδος vocabulo *unitas Divinitatis* a se videretur affirmari, quam a Sabellio dividi jactabat, quia hic *in individua quidem substantia eamdem Patris Divinitatem* ei tribuebat, qui *Filius* in sacris libris vocatur; quod Arius omnino negabat. Itaque Arianæ *monadis* sensus hic erat, ut *Patrem unum* esse *Deum* diceret *natura et essentia, Filium* vero, qui a Patre *alienus, Divinitatem* adeptum esse *solo nomine*, et quadam *dignitatis participatione :* hinc verslpellis hæreticus *unum Deum* non negabat, Filio sejuncto a Divinitate Patris, et negabat *unum Deum*, cum duos quodammodo Deos alterum *essentia*, alterum *gratia* obtrudebat. Huc igitur spectant Luciferi locutiones, quibus *unam habere Patrem et unicum ejus Filium Deitatem, unam vindicari* a Catholicis *Divinitatem Patri et unico ejus Filio, defendi quod una Divinitas sit Patris et unici ejus Filii, unam Deitatem possidere Patrem et Filium*, passim affirmat in suis libris, ac in iisdem repetitas sæpissime leges : *Divinitatem* enim, quam Arius *unam* esse quidem, at *in Patre* solummodo aiebat, *unam et eamdem* esse *in Patre et Filio* declarant ea verba, et hinc *unam* esse *et eamdem utriusque naturam*. Illsce Luciferi testimoniis usus est etiam Petavius in lib. IV cap. 14, ut *divinæ essentiæ singularitatem* ex Latinis Patribus comprobaret: *Lucifer Calaritanus æqualis Hilarii non semel* unam *esse* deitatem *affirmat* Patris et Filii, *et* perfectam esse divinam Trinitatem, et unam habere substantiam, *lib. de non parc. in Deum delinq. et Moriendum esse pro Filio Dei.* Porro hujusce vocabuli *Deitas* tanta vis est, ut, quod Petavius advertit in lib. VIII, cap. 8, num. 7, plures e Patribus *Deitatem*, seu *Divinitatem* μονάδα esse, id est *unitatem*, eamque perfectissimam, qualis est numerica, defendant; quorum testimonia is exhibet in lib. XIV, cap. 13, num. 5. Sic *una Deitas* idem sonat ac *unitas Divinitatis*, quæ cum sit propria naturæ, et *unitatem* indicat *essentiæ;* id quod Lucifer magis ἐναργικῶς expressit in lib. de non parc. in Deum delinq. cum scribat, *credere Christianos quod una sit æternitas Patris et Filii, quia una est Dealitas.* Atque hic non est silentio prætereundum, quod nobis excidit, cum in lib. de non conv. cum hær. p. 16 (*hic col.* 780), ad hæc Luciferi verba *de Dei consilio*, quæ antea in editione Tiliana legebantur, notavimus ex Latinio et Cod. Vatic. essel egendum *de Dei Filio*, sive ut idem Codex, *de unico Dei Filio :* recta enim, et vera, eaque apprime efficax est illa locutio *de Dei consilio* ad tuendum contra Arianas fraudes catholicam doctrinam. Arius namque in sua Thalia docuerat, Filium, *cum sit Filius, voluntate Patris vere extitisse;* idcirco esse illum *Patre posteriorem* arguebat, ex quo *principium* habuerit; quod in epistola ad Alexandrum Episcopum confirmavit scribens, *Deum genuisse Filium.... natum autem non putative, sed vere, obsecutum voluntati suæ;* uti legitur apud Hilarium in lib. IV de Trinit.; nam apud Athanasium in lib. de Synod. ita hæc sententia exprimitur ab in-

terprete latino, *Deum qui genuit Filium.... non opinione factum aut cogitatum, sed re vera subsistentem, eumque subsistere fecit sua voluntate*; quæ in Græco hujusmodi sunt, οὐ δοκήσει, ἀλλὰ ἀληθείᾳ ὑποστήσαντα ἰδίῳ θελήματι: de quo tamen veteres Patres aliquando inter se disputarunt, cum alii docuerint, Filium *naturaliter ac sine voluntate*, alii *non necessario, ac voluntate* genitum fuisse; quorum sententias optime explicat, et inter se se conjungit Petavius in lib. VI cap. 8, num. 22: *Utrique* enim *eam voluntatem* re vera *admittunt, quæ necessaria sit; et illam rejiciunt a generatione Filii, quæ sit libera, et cum deliberatione, atque utriuslibet potestate conjuncta*; quo maxime spectabat Arii doctrina, hanc liberam in Patre voluntatem fuisse impiissime affirmans ad generandum Filium: *Quocirca*, utor Petavii verbis num. 21, *adversus Arianam cavillationem hac se præscriptione tutati sunt veteres aliqui*, ut Filium *ipsam esse voluntatem Patris, ipsumque dicerent esse consilium: ex quo id efficiebant, non eo priorem esse Patrem, quia sine voluntate consilioque esse non potuit.* Hoc argumento usi sunt Patres aliquot, quos ibidem Petavius enumerat; in primis Cyrillus Alexandrinus in lib. VII Thesaur. Filium *vivens*, ait, *esse Patris consilium, per quod universa fecit. Quare si consilium et voluntas Patris est, quomodo generationem suam voluntas præcedet?* quam loquendi rationem laudat Augustinus in lib. XV de Trinit. cap. 20; rectius tamen dici affirmat *consilium de consilio, voluntatem de voluntate. Quidam*, inquit, *ne Filium consilii vel voluntatis Dei diceret unigenitum Verbum, ipsum consilium, seu voluntatem Patris idem Verbum esse dixerunt. Sed melius, quantum existimo, consilium de consilio, et voluntas de voluntate, sicut substantia de substantia, sapientia de sapientia.* Ex quibus constat, quam recta sit Luciferi locutio, et ad fallendas arcendasque Arii insidias ac dolos aptissima, quæque omnino in suum locum debeat idcirco restitui.

Alterum Arianæ hæresis dogma primigenium, et æque nefarium, quod illius auctor impie disseminavit, hoc erat, *Spiritum sanctum esse a Filio creaturæ creaturam*, ut tradit Petavius in lib. I cap. 14, num. 13, auctoribus Epiphanio ad hæres. 69, et Augustino in lib. de hæres. cap. 69. Equidem Arius scripserat in Thalia, *Trinitatem esse non simili majestate, et impermixtiles invicem eorum hypostases*, sive ut Athanasius interpretatur hæretici sententiam in Orat. 2 cont. Arianos, *alienas vicissim et incommunicabiles esse substantias Patris et Filii et Spiritus sancti*; unde Ariani a Fulgentio *Trinsiani* dicti in respons. ad Object. 7 Arian. quippe *tres in Trinitate essentias a se distinctas, et alteram altera perfectiorem* inesse jactabant. Porro Petavius recte conjicit, Arium suam adversus Spiritum sanctum blasphemiam palam non docuisse ab initio, cum nulla hujus mentio fiat in illius epistolis ac libellis, neque in litteris Alexandri contra Arium, Nicænum autem Concilium nihil præcipue sanxerit de Divinitate Spiritus sancti, *eo quod nondum tunc esset hæc mota quæstio*, inquit Basilius in epist. 78, al. 125; *paulatim autem crescentia impietatis semina, quæ prius ab Ario hæresis auctore jacta, postea vero ab iis qui illius errores improbe exceperunt, ad Ecclesiarum perniciem enutrita sunt, ipsaque impietatis series in blasphemiam contra Spiritum sanctum erupit.* Hinc igitur Lucifer, qui in Constantio Augusto impietatem iniquissimi dogmatis insequebatur veluti Arianæ hæresis fautore potentissimo, hæc eidem Constantio exprobrat in lib. de non conv. cum hæret.: *Illico ut occupasti Italiam, ecclesiam ejus tentasti vertere; dixisti Deum Patrem non esse verum Deum Patrem, unicum ejus negans Filium, affirmans non esse illum verum Filium; astruxisti etiam Sanctum Paracletum Spiritum fabricatum esse ex nihilo, descendere ex nihilo*; in cæteris autem libris Spiritum sanctum æqualem Patri ac Filio *æternitate, potentia, magnitudine, dominatione* esse tuetur: sic in lib. I pro S. Athan. *unam potentiam habere*, ait, *Patrem et Filium et Spiritum sanctum*; et in II *unam æternitatem habere Patrem et Filium et Spiritum sanctum clamantibus sacris Scripturis*; et in lib. de non parc. in Deum delinq.: *Tunc cum cognoscere cœperis Patris et Filii et Spiritus sancti unam nos recte confiteri æternitatem, cum videre cœperis quod una sit magnitudo unaque potentia in Patre et in unico ejus Filio, et in sancto Paracleto Spiritu*, etc. Quæ ad significandam eamdem in Spiritu sancto *naturam* et *Divinitatem* cum Patre et Filio vim habent maximam, præsertim ex adjunctis *Sancti* et *Paracleti*, ut probat Petavius veterum Patrum auctoritate in lib. II cap. 13. Sed in primis laudi tribuendum est Lucifero, quod unus ex paucis fuerit, qui, furente sub Constantio Ariana hæresi, *Spiritus sancti Deitatem* palam et expressis verbis testatus sit. Hinc illius auctoritate usus est etiam Petavius in lib. III, cap. 7 num. 14, dum rejicit argumentum Joannis Crellii adversus Spiritum sanctum desumptum ex antiquis Patribus, quos inquiebat novus iste Arianus numquam *Dei* nomine appellasse Spiritum sanctum usque ad ætatem Hilarii Pictaviensis: Petavius enim plurima ex veteribus Patrum scriptis testimonia colligit, quæ Spiritus sancti Divinitatem perspicue testantur, ipsumque Hilarium a calumniis defendit, quas in ipsum ejusque libros de Trinitate ingessere Erasmus et ipsemet Crellius; tum subdit, *Lucifer Calaritanus Hilarii æqualis loquitur*, Una est divina sublimitas Patris et Filii et Spiritus sancti. Verum hoc testimonium Petavio non prodest; nam mendum interpunctionis hic inest, uti legitur in editione Tiliana; *nisi quia una sit sublimitas Patris et Filii sancti Spiritus, in beato manens Apostolo*, etc. Quod mendum in hac nova editione sublatum est Latinii auctoritate, qui censet punctum figendum esse post vocem *Filii*, et recte; cum Lucifer p. 25 (*hic col.* 1025) hæc præponat interrogans: *Quid est*, Qui cum in forma Dei esset? tum subjicit; *nisi quod ipsam inaccessibilem lucem habitet Filius, quam et Pater; nisi quia una sit divina sublimitas Patris et Filii. Sanctus Spiritus in beato manens Apostolo*, etc. Aliæ tamen sunt Luciferi locutiones,

quæ clarius indicant *Divinitatem* Spiritus sancti, et ipsum *Deum* vere nominant, ac perspicuis verbis; etenim in lib. de non conven. cum hæret. scribit: *Fides Apostolica Trinitatem confitetur perfectam, et unicam Deitatem fatetur Patris et Filii et Spiritus sancti*; et iterum, *unam esse deitatem Patris et Filii et Spiritus sancti*; ac in lib. I pro S. Athan. *unam* item *Deitatem* dicit *Patris et Filii et Spiritus sancti*; et in II, *unam habere Deitatem Patrem ac Filium et Spiritum sanctum*. Dicimus autem unum fuisse Luciferum ex paucis, qui per ea tempora *Divinitatem* Spiritus Sancti palam et aperte profiteretur; quod ex Petavio confirmatur, et ex Monachis Maurinis in Præfat. ad Tom. III Opp. D. Basilii; ille enim, *Nonnullos*, ait, *cæteroqui Catholicos per idem tempus Spiritum sanctum palam aperteque Deum nominari non sinebant, et qui vocare sic auderent, eis tamquam Catholicæ Fidei inimicis obstrepebant. Alii, etsi Deum esse non dubitarent, pacis ac concordiæ studio, et ne malevolos istos offenderent, publice id minime profitebantur.* Primos redarguit Basilius in lib. de Spirit. Sanct., et in epist. VIII, al. 141, scripta an. 360. Alteros vero Basilius ipse imitatus est aliquando, *duabus potissimum de causis. Prima erat ut infirmis consuleret, altera ut furentibus hæreticis locum præriperet perturbandæ et vastandæ Cappadociæ*, inquiunt Maurini Editores in laudata Præfat. num. 3, qui Basilii consilium fuse eruditeque tuentur. At Lucifer quo erat animo fervens, et mira in dicendo libertate, unice Fidei causam spectabat, et quibusvis poterat modis sive re sive verbis sive scriptis, ut illam publice et sine ulla verborum ambage testaretur, ut Arianos ad ejuranda impia hæreseos dogmata adigeret, tota ingenii vi conabatur. Propterea de Fide Luciferi ac doctrina hæc merito Athanasius scripsit in altera ad illum epistola: *Quis non pervidet, exceptis Arianis, ex tua doctrina veram quidem fidem, maculam autem Arianorum? Valde et admirabiliter, ut est lumen a tenebris, ita separasti veritatem a calliditate et hypocrisi hæreticorum, defendisti catholicam Ecclesiam, probasti nihil esse, sed tantum phantasiam Arianorum verba.* Integram Luciferi Fidem laudat etiam Ambrosius in lib. de excessu fratris sui Satyri; cujus *Fidei hæredes* ipsum affirmat reliquisse, eamque gravibus verbis commendant Faustinus et Marcellinus in Libello Precum, etc.

§ III. — *Quæstio critica in aliquot Luciferi loca.*

Quod ad hanc Præfationis partem attinet, ea primum, quæ de numero Episcoporum, qui in Concilio Mediol. interfuerunt an. 355, diximus hic examinanda esse nota subjecta p. 11 (*hic col.* 777 *not. a*), vide jam tractata in ipsa Luciferi Vita, veluti aptiore in loco, ut etiam ea, quæ de Edicto Constantii Imperatoris sæpissime Lucifer scribit, præsertim sub initium lib. *de non parc. in Deum deling.* Primum igitur hujus quæstionis locum sibi vindicat Luciferi sententia de Constantino Aug., quem labe Ariani erroris aspergit in lib. *de Reg. Apost.* p. 39 (*hic col.* 804), in quo Constantium hæc loquentem inducit: *Nisi pater meus bene fecisset conferre se ad Arianos, non ejus filii regnaremus;* queis nihil contra objicit Lucifer pro causa Constantini tuenda. Tum lib. I pro S. Athan. p. 91 (*hic col.* 857): *Tu etenim ipse testis es*, inquit ad Constantium, *quod enim propter fidem, quam semper tenuit Ecclesia ac tenet, quod eam damnare noluerit* Athanasius, *missus fuerit ad exsilium, quia videlicet noluerit esse Arianus: idcirco namque Athanasium perosum habitum a patre tuo non fugit te; quandoquidem et tu in ea eum digneris persequi causa, in qua fuerit et tuus pater persecutus.* Ac in lib. II se inique testatur damnaturum fuisse Athanasium, si Constantii *et patris ejus voluntati* obsecundasset. Hinc Baronius ad an. 336, num. 14, merito Luciferum reprehendit, quippe ea scripserit, *quæ a veritate penitus abhorrent*; at ad an. 324, ubi disserit de Romano Constantini baptismo num. 51: *Scimus apud Luciferum Calaritanum Constantinum Imperatorem infamia hæresis laborasse, quod S. Athanasium exsulare jussisset. Verum magis ipsi credimus Athanasio, qui eum sæpe excusat, et post obitum Constantinum pium, felicis memoriæ, atque religiosissimum nominat*, orat. I adv. Arian. et Apolog. ad Constantium, tum in epist. ad Solitarios, in qua sui exsilii causam in fraudem et insidias Arianorum rejicit. Equidem veteres Patres non pauci catholicos Constantini sensus, et rectæ Fidei conformes pluribus laudant, et Hilarius in lib. I advers. Constantium hunc *pietatis paternæ hæredem rebellem* appellat, et Epiphan. hæres. 69, Constantium item increpat, quod *non secundum fidem patris processit.* Erant tamen nonnulli, qui ex iis, quæ tum gerebantur, suspicionem facile capiebant, quippe rerum minus conscii, de Fidei integritate in Constantino; nam et Athanasii exsilium, et Arii ad Catholicorum communionem restitutio a Constantino Eusebianorum dolo probata dubios haud injuria cunctorum animos in re tam gravi tenebant: quare is mortí proximus hæc verba pronuntiasse dicitur ab Eusebio in ejus Vita lib. IV, cap. 62: Μὴ δὴ οὖν ἀμφιβολία τις γίγνηται, *Nulla jam dubitatio sit*; quorum *verborum sensus satis est obscurus*, subdit Valesius in Annot. *an Constantius id voluit dicere?* « Cessent jam omnes dubitare de me, utrum re vera Christianus sim; nemo in posterum suspicetur, me verbis dumtaxat, non ex intimo cordis affectu Fidem Christi amplexum fuisse. » Quamvis Græca vox ἀμφιβολία *possit hoc loco sumi pro* ἀναβολή, *id est* omnis mora, omnis amoveatur dilatio; *qui quidem sensus magis cohæret cum præcedentibus* de baptismo scilicet ad mortem usque dilato. Illinc Baronius ad an. 336 Luciferum hisce excusat: *Porro rerum tunc gestarum prorsus ignarus ille, quod scisset, Constantinum Eusebianorum persuasione, iisdemque Arianorum, Athanasium in exsilium in Gallias amandasse, credidit omnino id factum, quod Constantinus transisset ad Arianam hæresim; idque in eum inconsulto nimis declamare non destitit.* Præterea quæ in vulgus tunc ferebantur, quod Arianum baptisma is suscepisset ab Eusebio Episcopo Nicomediensi, et suspectæ religionis homine, qui morienti

Augusto adfuerat, tum quod *testamentum tradidisset presbytero* cuidam *Arii laudatori, quem ut virum bonum soror ipsius Constantia moriens ei commendaverat*, ut scribit Sozom. lib. II cap. 34, eo magis suspicionem in Constantinum augebant; ut nihil propterea miremur, si Lucifer in eam opinionem prolapsus sit, quam audiebat aliorum ore et consensu in privatis hominum colloquiis, ut moris esse solet, pervagari. Sane Hieronymus in Chron. hæc de Constantino scripsit: *Constantinus extremo vitæ suæ tempore ab Eusebio Nicomediensi Episcopo baptizatus in Arianum dogma declinat;* quæ in omnibus hujusce Chronici exemplaribus jam editis, et in VII Vatic. mss. leguntur, uti animadvertit Pontacus in notis ad hunc locum; unum tamen Lodonense ms. sic eadem describit: *Constantinus extremo vitæ suæ tempore ab Eusebio Episcopo Nicomediensi baptizatus, Eusebius in Arianum dogma declinat.* Et Alcobaciense ms. et Vatic. unum pro Constantino *Constantium* nominat, qui tamen Nicomedia procul baptizatus fuit ab Euzojo Episcopo Ariano, auctore Athanasio in lib. de Synod. Baronius ad an. 324, putat ea verba Chronici Hieronymiani esse expungenda, quippe Hieronymo aflicta, quod tamen Pontacus efficere ausus non est contra mss. Codicum fidem, licet Baronii sententiam sequatur de unico Constantini baptismo Romæ suscepto per Sylvestri Pontificis ministerium. Nostrum profecto non est hanc controversiam aggredi, quæ magno utrimque partium studio agitur inter Ecclesiasticos Scriptores, utrum scilicet Nicomediæ an Romæ Constantinus baptismum susceperit: Daniel tamen Papebrochius in Comm. Hist. de S. Constantino M. Imperat. ad diem 21 Maii Boll. cap. 2, Nicomediense baptisma tuetur adversus Baronium, et Hieronymi verbis hanc interpretationem accommodat: *Id est, inclinare visus est Constantinus in eorum sententiam, qui ὁμοουσίου vocabulo abstinendum censebant, non ut hæretico sed ut novo, idcoque scandalum generante apud eos, qui Nicænæ Fidei omnino se adhærere profitebantur, persuadebantque Imperatori, ut crederet, eos, qui vocabantur Ariani, vocc illa suppressa ad concordiam redituros:* et, *Simili modo alibi Hieronymus scripsit propter receptam Valentis et Ursacii confessionem in specie Catholicam, quod ingemiscens orbis terrarum miratus est se esse Arianum.* Hæc ille pro Hieronymo, quæ Lucifero aptari nequeunt, neque testimonio Isidori in Chron. quod hujusmodi est: *Constantinus in extremo vitæ suæ ab Eusebio Nicomediensi Episcopo baptizatus in Arianum dogma convertitur. Heu proh dolor! bono usus principio et fine malo;* al. *bonus principio, et fine malus;* queis hæc subdit Jacobus Breulius in notis: *Hanc sententiam docte refellit Cedrenus in Compend. Histor. in vita Constant.* At hi, licet erraverint, error ex populari solummodo fama exortus errantium culpam plurimum imminuit; quod Lucifero et Isidoro accidisse putamus. De cultu S. Constantini M. apud Græcos vide Papebrochium in loco laudato.

Multo est difficilius Luciferi sensum explicare in eo loco libri de Reg. Apost. pag. 40 (*hic col.* 805), ubi perspicuis verbis Josaphat sanctissimum regem Juda comparat cum Constantio, et utrumque *sacrilegum* manifesto appellat: *Quando consideres etiam filium Basa annis triginta quinque, cum fuerit ut tu sacrilegus, regnasse apud Judæos.* Error quidem inest nomini huic *Basa* sive interpretis sive librarii culpa, cum in sacris libris pater Josaphat ubique *Asa* appelletur, et a Josepho in lib. VIII Antiq. Jud. cap. II et seq. *Asanus* et *Assanus* absque ullo veterum codicum discrimine: erravit autem Lucifer in consignandis regni annis, qui Josaphat tribuuntur; nam anni triginta quinque, quos in ejus regno supputat, ætatis anni sunt, quam tum gerebat, cum ad regnum evectus fuit, ut clare constat ex II Paralip. cap. XX apud Septuaginta: καὶ ἐβασίλευσεν Ἰωσαφὰτ ἐπὶ τὸν Ἰουδάν, ὢν ἐτῶν τριακοντάπεντε ἐν τῷ βασιλεῦσαι αὐτόν: *Et regnavit Josaphat super Judam, cum esset annorum triginta quinque in regnando ipsum;* quod ibidem Vulgata confirmat; annos vero regnasse viginti quinque testantur itidem Septuaginta tum in cap. eodem libri II Paralipom. καὶ εἴκοσι καὶ πέντε ἔτη ἐβασίλευσεν, *et viginti et quinque annos regnavit;* tum in lib. III Reg. cap XVI, quibuscum consentit Vulgata, et Josephus in lib. IX cap. 3, qui scribit regem hunc, *exacto quidem vitæ suæ anno sexagesimo, regni vero vigesimo quinto* diem supremum obiisse: unde Latinius recte conjicit, Luciferum haud assecutum fuisse sensum hujus testimonii adeo in sacris libris perspicuum. Porro dubium non est, quin Lucifer Josaphatum innuerit iis verbis, quæ ex sacro volumine describit, et ad hunc regem pertinent, III Reg. XVI apud Septuaginta: *Et in anno undecimo Ambri regnat Josaphat filius Asa... et ambulavit in via Asa patris sui, et non declinavit ab ea, faciendo rectum in conspectu Domini. Tantum excelsa non abstulerunt. Sacrificabant in excelsis, et adolebant;* quæ leguntur repetita cap. XXII: *Et ambulavit in omni via Asa patris sui: non declinavit ab ea, faciendo rectum in oculis Domini. Verumtamen excelsa non abstulit. Adhuc populus sacrificabat, et adolebant in excelsis.* Hæc autem laudi profecto tribuuntur piissimo regi præter illud, quod passus fuerit impia Deorum sacra ab Hebræo populo frequentari, nec profanos lucos, et erecta in iis Numinum delubra penitus everterit. Hinc igitur Lucifer causam se nactum putaverit, cur posset Josaphatum cum Constantio conferre; ne scilicet mirum huic videretur, si catholicam fidem pro Ariana hæresi tuenda insecutus tranquillo diuturnoque regno frueretur, cum et rex Josaphat qui ob permissum nimia in populum indulgentia idolorum cultum vindicem in se Dei iram provocabat, diutinam tamen in regno felicitatem obtinuit. Nec inter utriusque crimen comparatio re vera instituitur, sed inter prosperum vitæ cursum, quem uterque exegit; licet et Constantius vere *sacrilegus* debitas sibi a Deo pœnas jam promeritus sit, et Josaphat, qui sacrilegia populi tolerabat, justa suæ culpæ animadversione puniendus fuisset. E-

quidem in libro Eccli. cap. XLIX, 5, hæc legimus : *Præter David et Ezechiam et Josiam omnes* (reges Juda) *peccatum commiserunt;* queis advertens Lucifer, et acri æstus vi abreptus, ut pii etiam regis exemplo fidentem sibi inanem Constantii jactantiam retunderet, *sacrilegum* dixit Josaphatum, cui peccatum permissi populo sacrilegii tribuitur iis verbis: *Veruntamen excelsa non abstulit* : cum cæteroquin in lib. I pro S. Athan. p. 81 (*hic col.* 847), Josaphat *Deo dicatum* regem Juda commendet, ejusque laudes ut viri *Deo dicati* fuse persequatur. Quæ hactenus de mente Luciferi hoc in loco ita duximus explicanda, ut omnis de ejus religione erga sacros libros, qui regis hujusce pietatem pluribus celebrant, ambiguitas, et omnis ab ejusdem libris antilogia auferatur. Addere hic libet et alium Luciferi locum, in quo Manassem quoque regem Juda comparans cum Constantio in libro de Reg. Apost. p. 46 (*hic col.* 811), hæc Imperatori minitatur : *Noli tibi ipse misereri ut temet ad Deum vertas, noli corrigere nefarios actus tuos, et invenies te torqueri cum Manasse;* quæ, si de æterna Manassis pœna intelligi velimus, iis profecto non cohærent, quæ de pœnitentia hujusce regis sacræ litteræ testantur II Paralip. cap. XXXIII : *Qui postquam coangustatus est, oravit Dominum suum, et egit pœnitentiam valde coram Deo patrum suorum. Deprecatusque est eum, et obsecravit intente : et exaudivit orationem ejus, reduxitque eum Jerusalem in regnum suum, et cognovit Manasses, quod Dominus ipse esset Deus.* Tum quæ pie sancteque gessit in regno, ibidem narrantur eum laude; unde cognoscas Manassis pœnitentiam sinceram fuisse; et concessa eidem a Deo venia probatum, ut Calmetus etiam animadvertit ad librum IV Reg. cap. XXI; quin immo a suscepto jam religiosæ vitæ instituto haud amplius illum legimus deflexisse : et Josephus lib. X Antiq. cap. 3 hæc de Manasse memoriæ prodidit : *Atqui vero in istis mutatus in melius ita reliquum vitæ egit, ut beatissimus dignusque imitatione ex illo tempore habitus fuerit, quo cœpit pietatem erga Deum colere.* Verum quidem est, Manasse post captivitatem regnante, *populum immolasse in excelsis Domino Deo suo* illicito cultu; *sed illud* huic regi *incommodum contigit*, subdit ibidem Calmetus vers. 17, *ut minori polleret auctoritate, quam opus fuisset, ut eum abusum aboleret*, licet is *præceperit Judæ, ut serviret Domino Israel*, teste sacro Scriptore vers. 16, et inde non consequitur certe, æternum Manassi supplicium a Deo inflictum fuisse. De quo cum nihil liceat affirmare, divinis libris omnino silentibus, aptus nostro quidem judicio locum Luciferi interpretaberis, si putes, ipsum temporariam Constantio pœnam minitari, uti Manasses regno dejectus diuturnam apud Babylonios et ærumnosissimam captivitatem subivit. Postremus Luciferi locus qui singularem postulat animadversionem ad Eliam spectat, de quo hæc lib. I pro S. Athan., p. 80 (*hic col.* 843), *Heliam conspice translatum ad amicitias Dei perfruendas æternas; et nunc Achab torquetur in exterioribus tenebris. Est Helias de Dei gaudens amicitiis, et est Achab exsolvens perpetuas pœnas. Erit sine dubio Athanasius in convivio ubi est Helias, et tu eris in loco illo tormentorum, etc. Istud est sapere, ut elegisses infelicitatem æternam Achab regis, magis quam frui felicitate perpetua, quam est consecutus Helias?* Quæ profecto ejusmodi sunt, ut indicent, Eliam æternam gloriæ cœlestis felicitatem adeptum jam esse. Flures quidem feruntur sententiæ inter Interpretes sacros et Theologos de loco, in quem translatus fuerit Elias; *sed certum moræ locum*, ubi Elias et Enoch degunt *numquam designavit Ecclesia*, inquit Calmetus ad IV Reg. XI; *improbantque S. Augustinus lib.* II *de pecc. origin. cap.* 3, *S. Chrysostomus hom.* 21 *in Gen. et* 22 *in epist. ad Hebr. et Theodoretus quæst.* 45 *in Gen. eorum licentiam, qui in tanto Scripturarum ea de re silentio magistrorum more sententiam audacter pronuntiant.* Ex Hebræis quidam, quorum opiniones afferunt Munsterus et Vatablus, censuerunt, Eliam in ipsum re vera cœlum, scilicet Paradisum, raptum fuisse, et vestes corpusque ejus in sphæra ignis fuisse absumpta; sed hos vel una Josephi auctoritas potest refellere, qui in lib. IX Antiq. cap. 2, *Sub idem tempus*, inquit, *Elias ex hominum conspectu sublatus est : nec in hodiernum usque diem quisquam novit qui fuerit ejus exitus.* Non defuere tamen inter Christianos Scriptores, qui persuasum haberent, Enochum et Eliam absoluta animi et corporis gloria beatos esse; ita enim sentit Procopius Gaza, qui in Comment. ad Genes. affirmat, utrumque *videre divinam essentiam, et in corporibus gloriosis cum Christo regnare;* Procopium vero secuti sunt Augustinus Eugubinus in Recognit. Vet. Test. ad cap. II Gen. et Catharinus in opusc. de consumm. gloria Christi, contra quos uberrime disserit Franciscus Suarez in sect. 1 disput. 55 ad 3 part. D. Thom. quæst. 49, art. 5, Tom. XVII Opp. Et illos in eam sententiam fortasse adduxit tum Ecclesiastici testimonium cap. XLIV, ubi legitur : *Henoch translatus est in Paradisum*, tum quorumdam Patrum locutiones a Luciferianis haud absimiles : nam Hieronymus in epist. ad Pammachium Enoch et Eliam appellat *paradisi colonos*, qui *divino consortio et cœlesti pane fruuntur*, et *saturantur omni verbo Dei habentes eumdem Dominum, quem et cibum;* et Ambrosius in lib. de Naboth cap. XV æque, ac Lucifer, scribit Eliam *præmio coronatum* esse *æterno*. Sed quod ad locum attinet, in quo ambo versantur, optime probat Suarezius Patrum auctoritate esse hunc *secretam aliquam regionem terræ, optimam tamen ac felicissimam, prout illorum statui convenit*, sive demum illa terrestris Paradisus sit, sive huic similis regio; de vita autem, quam agunt, sentiendum omnino est eam ejusmodi esse, ut corpore divina virtute incorrupto, et a concupiscentia ac humanis ærumnis imminuti *per fidem et abstractivam cognitionem Dei contemplatione et amore* fruantur; quod Patres plures asserunt, dum negant, illos æternam regni cœlestis beatitudinem adeptos esse. Docet autem idem Suarezius

in tomo I Opp. lib. II, cap. 30, *Non esse absolute impossibile hominem in corpore mortali elevari secundum mentem ad videndum Deum*, licet *de communi lege et potentia non concedatur hominibus mortalibus clara visio divinæ essentiæ*; et si cui videtur fuisse concessa, ut Moysi, et D. Paullo, id *per breve tempus et quasi in transitu* obtinere meruerunt; nam quod *aliquis homo toto tempore vitæ mortalis vel pro aliqua magna parte ejus habuerit illam visionem permanenter et immutabiliter, in hoc sensu certum est non esse factam dispensationem*. Igitur, ut hinc ad Luciferum redeamus, ita ejus verba erunt intelligenda, ut *singularem quamdam perfectionem divinæ contemplationis* significent, quemadmodum etiam Hieronymi testimonium explicat Suarezius; et per prolepsin quamdam scripsit Lucifer, uti Ambrosius, Etiam *æternæ* re vera *Dei amicitiæ* copulatum *in eo convivio* jam esse, *ubi erit sine dubio Athanasius*; quia *in translatione ipsa confirmatus in gratia et in bono*, auctore Suarezio, de futura beatæ æternitatis possessione vivit securus. Cæterum duos bosce viros æterna gloria potitos non esse quatuor hæc argumenta facile persuadent; quod eo primum non ingrediuntur corpora nisi glorificata; deinde quod aditus in cœlos nondum fuerat apertus; tertio quod Christus unus sit resurgentium primitiæ; demum quod uterque sub ipsum mundi exitium et finem prænuntiaturi sint divini Judicis adventum, quæ *sententia aut de Fide est, aut Fidei valde proxima*, et glorioso in Antichristum certamine mortem oppeliturí; de quo vide præcipue laudatum Suarezium in sect. 2 dictæ disput. 55. Atque hisce expeditis, superest denique ut inquiramus :

§ IV. — *De tempore, quo singuli Luciferi libri scripti sunt.*

Itaque ad epistolam quod attinet, quam Lucifer scripsit Eusebio Episcopo Vercellensi, ut Concilio Mediolani jam inito interesset, facile conjicimus datam fuisse mense circiter Aprili hujusce anni 355. Etenim Pagius in Crit. Baron. ad an. eumdem animadvertit ex lib. Theophili Patriarchæ Alexandrini *de conversatione et particulari vita Sanctorum Pachomii et Theodori* cap. 4, Athanasium ante diem vicesimum quintum Maii damnatum fuisse in eo Concilio, quod igitur Aprili mense coactum jam erat; siquidem Eusebius litteris Antistitum Arianorum totius Concilii nomine, tum Luciferi acceptis, Vercellis adhuc substitit, et Constantii demum epistola permotus, ac postquam ei respondisset, Mediolanum commode profectus, ibi dies decem ante commoratus est, quam in concilium advocaretur, ut Athanasii damnationi subscriberet. Baronius ad illum annum censet Luciferi litteras ad Eusebium scriptas fuisse post epistolam Constantii : sed Eusebius ipse Constantio respondit, se *suscepisse etiam litteras fratrum et coepiscoporum* suorum, *quibus hoc intimare dignati sunt, ut plena mihi*, subdit, *relatio per ipsos, quos tuæ parere jussioni in hoc necessarium duxi, Mediolanum venire properarem*; eo autem advenit Constantii jussu adactus, ut innuit Hilarius in lib. I ad Constantium, et decem post dies ab ejus adventu in Concilium advocatus fuit : *Eusebius Vercellensis Episcopus vir est omni vita Deo serviens. Iste post Arelatensem Synodum, cum Paullinus Episcopus tantis istorum sceleribus contraisset, Mediolanum venire præcipitur. Coacta jam illic malignantium synagoga, decem diebus ad Ecclesiam vetitus est accedere, dum adversus tam sanctum virum malitia se perversa consumit. Suppuratis deinde consiliis omnibus, ubi libitum est, advocatur.* Quas temporis notas, et intervalla, quæ inter primam Arianorum ad Eusebium epistolam Concilii nomine, et alteram Luciferi, ac tertiam Constantii, tum Eusebii moras et iter, ipsamque Athanasii damnationem necessario intercurrunt, si simul conferas, profecto dignosces Luciferi ad Eusebium litteras in mensem Aprilem esse rejiciendas : et hinc Mediolanense Concilium non sub ipsum omnino anni 355 exordium, ut Constantius ex eruditorum, quod ipse ait, sententia affirmat in nota epistolæ Liberii ad Luciferum subjecta, sed vel sub exitum mensis Martii, vel sub initium Aprilis inceptum fuisse oportet; quo sensu Pagii quoque verba intelligimus, qui *Concilium Mediolanense currentis anni* 355 *initio celebratum* scribit loco laudato.

Post Mediolanense Concilium Maio mense circiter absolutum, Lucifero et aliis Catholicis Episcopis exsilio damnatis, Liberius Romanus Pontifex suas ad illos litteras scripsit, quæ in editione nostra Lucilerianam epistolam proxime subsequuntur. Baronius ad an. 355 existimat Liberium, *cum, quæ in eos gesta fuissent, accepisset, mox*, litteras hasce ad singulos ante Roma misisse, quam Mediolanum ad Imperatorem deduceretur, et Constantius in nota subjecta *circa medium annum* 355 tempus consignat, quo fuerint scriptæ. Nihil quidem certi hac in re constituere possumus, cum ipsa epistolæ verba ambiguum quid præ se ferre videantur, illos enim *ad futuram gloriam martyres destinatos* appellat; tum subdit : *Scio hinc me probabiliora vobis exhibere solatia, si credatis me in exsilium simul vobiscum esse detrusum. Denique me adhuc in ipsa exspectatione pendentem, quod a consortio vestro durior necessitas interim distrahit, satis contristor. Optaverum enim prior pro omnibus vobis impendi, etc.* Et : *Quia proximiores estis Deo effecti, orationibus me. . . . sublevate, ut superventantes impetus, qui de die in diem, cum annuntiantur, graviora vulnera infligunt, tolerabiliter ferre possimus.* Igitur audierat Liberius, cum hæc scriberet, exsilii pœnam in Luciferum, aliosque Episcopos decretam fuisse; se ipso quidem animi affectu in exsilio una cum illis versari affirmat, quod prior ipse sublisse cupiebat, at incerta exspectatione pendere, dum impendentes sibi procellæ impetus prospicit, et ad graviora in dies mala toleranda animum parat; quæ quidem omnia in id tempus recte conferas, quo statim post Concilium Eusebius Eunuchus Romam a Constantio missus est, ut Liberium Imperatoris jussu ad Arianorum communionem impelleret, et ad Atha-

nasium condemnandum adigeret; unde tum sæva in Catholicos Romanos tempestate exorta, Liberius paullo post *ægre populi metu, qui ejus amore flagrabat, cum magna difficultate noctis medio potuit* Mediolanum mense Junio circiter *asportari*, quo *a Constantio milii præceptus fuerat*, inquit Marcellinus lib. xv cap. 7. Quare et Baronio quod ad locum, eidemque et Coustantio quod ad tempus attinet, quo epistola scripta fuit, assentimur. Hilarius in suis Fragm. in Tom. II Opp. Edit. Maur. hæc præposuit epistolæ Liberianæ in Fragm. VI: *Liberius antequam ad exsilium iret, hanc uniformem epistolam scripsit Confessoribus, id est, Eusebio, Dionysio, et Lucifero in exsilio constitutis;* sed ea verba, *antequam ad exsilium iret*, ita nequeunt intelligi, ut Liberius epistolam scripserit post iter Mediolanense, et exsilio jam damnatus, cum in illa cupere se testetur, ut *parem* iis *dignetur* illum *Dominus efficere*, martyrii scilicet merito et honore; nec verisimile est, Luciferum, uti et cæteros, jam tum ad primum sui exsilii in Cappadocia locum Mediolano dissitissimum pervenisse, cum Liberius Romæ adhuc degebat: quare Hilarius iis verbis *in exsilio constitutis* indicat, fuisse in illos exsilii pœnam decretam; aut certe exsul et ipse, et eorum, quæ in Italia gerebantur, parum conscius existimavit, litteras a Liberio tum scriptas fuisse, cum sancti confessores in destinatis singulorum exsilio locis constiterant. Utrum porro Lucifer allique Episcopi adhuc Mediolani essent, an in itinere ad decreta singulis exsilii loca abducendi, cum Liberius scripsit, et Liberii anne litteras singuli acceperint, ne conjectura quidem assequi quidquam licet; illud tamen certum Ammiani Marcellini, Baronii, Petavii, et Pagii auctoritate, Liberium eodem an. 355 in Berœense exsilium pulsum fuisse, non vero an. 356 uti censuit Henricus Valesius in not. ad lib. II Socratis cap. 37.

Post hæc Lucifer jam exsul inter gravissimas exsilii ærumnas animo invictus et vehementi catholicæ religionis tuendæ ardore incensus primum ad Constantium librum scripsit, cui titulus est *de non conveniendo cum hæreticis*. In eo totus est, ut gravi orationis stylo, et congestis sacrorum Bibliorum exemplis, testimoniis et auctoritatibus probet, sibi et Catholicis Episcopis nefas fuisse cum Arianis consentire in Concilio Mediolanensi, quorum fraudes et iniqua consilia noverat, et pacis esse auctores, quam Imperator nefario fictoque animo studebat inter partem utramque conciliare. Lege quæ præsertim *lib. de non com. cum hæret.* in Constantium et Arianos acriter intorquet verba et sensa; hinc totus liber quamdam suimet, qui pontificio nomine Concilio præfuerat, atque sociorum suorum veluti defensionem complectitur. Quæ proinde causa nos impulit, ut huic libro principem præ cæteris locum tribueremus; cum prima hæc Constantii cura fuerit, ut in eo Concilio Catholici Episcopi cum Arianis in unum Fidei sensum, ac animorum sententiarumque societatem convenirent; et Lucifero nihil certe antiquius esse debuit, quam ut consilii sui, rerumque ab se in eodem Concilio gestarum ratio omnibus pateret, et suæ causæ æquitatem tueretur. Aliter quidem censent Tillemontius in Tom. VII not. 1 et Montfauconius in vita S. Athanasii, qui Luciferi libros omnes ab eo compositos fuisse perhibent an. 360; quod de libris duobus pro S. Athanasio et nos affirmamus, haud ita de reliquis. Nec Gallandii opinionem sequimur, cui lubet, post binos de Athanasio libros scriptos, ut ait, an. 360, *paullo post* et alios *successive* descriptos *intra annum* 361; qui auctores nullum pro sua sententia argumentum præferunt. Baronius ad an. 356 huic fere anno attribuit priores quatuor Luciferi libros vet. edit., quibus is post Mediolanense Concilium Athanasii et fidei causam defendit: *Qui Athanasii tuendæ innocentiæ causa episcopi jam antea proscripti fuerant, qui, inquam, ne in illum latæ ab Arianis sententiæ subscriberent, in exsilium ex Mediolanensi Conciliabulo in diversa loca fuerant deportati, quantumlibet inter hostes, tamen non desiere ejusdem Athanasii innocentiam prædicare, atque cum liceret etiam litteris contestari: quod inter primos egregie præstitit Lucifer Episcopus Calaritanus. Hic enim cum exsul ageret, pro Athanasio imprimis adversus Constantium duos libros conscripsit, tertium contra eumdem de non communicando cum hæreticis, rursus alterum de Regibus Apostaticis. Quas quidem suas lucubrationes nequaquam apud se retinuit edendas post mortem Imperatoris quem vehementer iisdem exagitasset, sed certo homini dedit, qui eas ipsi deferret Imperatori.* Verum libri pro Athanasio in an. circ. 360 omnino rejiciendi sunt; et, utrum cum his et alii duo ad Imperatorem delati fuerint, suo loco inquiremus. Cum Baronio etiam Papebrochius primum tribuit locum libris pro Athanasio conscriptis in cap. 11 Vitæ S. Luciferi Tom. IV Maii Boll.; et cap. 4, negat totum *volumen uno tractu Imperatori Constantio fuisse continuatum*, uti Tilius existimavit; cum *alii quatuor libri nec uno omnes loco, nec tempore, sed successive scripti sint;* annum vero, quo fuerint elucubrati, non assignat. At enim nos conjicimus hunc librum *de non conveniendo cum hæreticis* scriptum fuisse a Lucifero, cum Germaniciæ exsularet, ubi Eudoxii Ariani Germanicienslum Episcopi crudelitatem atque sævitiem perpessus est; erat quippe Eudoxius Catholicorum hostis infensissimus, ut propterea, ait Petrus Boschius in Hist. Patriarch. Antioch. ad Tom. IV Jul. Bolland., Luciferum *Germaniciam tamquam in tutissimam custodiam ad Eudoxium princeps hæreticus* Constantius *destinarit;* quem sui exsilii locum innuit Lucifer lib. I pro S. Athan. p. 65 (*hic col.* 830). Hoc autem in libro quam crudeliter secum agerent Ariani, ipse describit p. 11 (*hic c.* 775), hisce verbis ad Constantium: *Propterea odis nos, quia concilium vestrum malignantium exsecremur; propterea in exsilio sumus, propterea in carcere necamur, propterea nobis solis prohibetur conspectus; idcirco reclusi in tenebras custodimur ingenti custodia.* Annus porro certus, quo eumdem librum Lucifer composuit, constitui nequit;

siquidem post primum in Cappadocia exsilium, illudque brevissimum, ut Papebrochius animadvertit in ejus Vita cap. 1, Germaniciam abductus fuit an. 356, post occupatam a Georgio Cappadoce Alexandrinam Ecclesiam, quod et in Vita Luciferi et pag. 66, not. 1 (*hic col.* 831, *not.* c), dictum est; et Eudoxius Antiochenum Episcopatum sibi jam arripuerat an. circ. 358 ineunte, ut tradit Petrus Boschius; cum Valesius in not. ad lib. IV Sozom. cap. 1, hoc Eudoxii facinus rejiciat in an. 357 dimidia quidem sui parte elapsum: quare intra hoc tempus, quod intercurrit ab an. 356 aliquot mensibus progresso ad an. 357, non omnino absolutum, aut ineuntem 358, Lucifer suum in primis librum scripsisse nobis videtur; et in hac epocha cum Baronio quodammodo consentimus.

Scripsit posteaLucifer alterum librum *de Reg. Apost.*, eumque a cæteris sejunctum, ut ipse testatur in lib. *Moriendum esse pro Filio Dei*, p. 261 (*hic col.* 1031). Hujus argumentum et summa est, ut, proposito impiorum regum exemplo, qui licet pessimam vitam egerint et idolorum cultum probaverint, diutissime in regno floruerunt, ostendat Constantio verum non esse ejus animi sensum, quo ex florentissimo sui regni statu arguebat, se recte Arianam tueri fidem, et Nicænam insectari: identidem vero quædam repetit, quæ Constantius in Luciferum jactabat, et ad acta Concilii Mediol. videntur esse referenda; ita p. 33 (*hic col.* 796): *Si male egissem, si, quomodo dicit Lucifer, essem hæreticus, jam mihi abstulisset Deus regnum;* et p. 38 (*hic col.* 803): *Si fuissem hæreticus, si, ut dicunt Lucifer, Pancratius, et Hilarius, Dei impugnarem religionem, jam in me fuisset vindicatum.* Scriptus fuit hic liber post Alexandrinorum cædem a Georgio Cappadoce et Syriano Constantii Duce patratam an. 356 et commotam in Catholicos per Ægyptum Antistites fœdissimam tempestatem, quam Lucifer memorat p. 43 (*hic c.* 808), et ad an. 358 referri potest chronologica ejusdem libri nota, quo anno Constantius Sarmatas primum et Quados omnino subegit, dein Limigantes Sarmatas ingenti victoria e suis sedibus ejecit, unde *Sarmaticus appellatus ex vocabulo subactorum*, inquit Marcellinus l. XVII, c. 12 et 13: hanc etenim victoriam innuere videtur ipse Lucifer p. 42 (*hic col.* 807): *Ut igitur illum* (Achab) *eripuit Deus a filio Jadcris Syriæ regis, sic etiam te ab omnibus perimere cupientibus eripuit atque eripit.... ad hoc ut conjicere possis non pro meritis fidei tuæ ac vitæ tibi victoriam tributam*; nisi velit is revocare in memoriam Constantio victoriam de Magnentio Tyranno relatam in Pannonia apud Mursam an. 351. Lucifer hoc anno 358, tertium jam exsilium Eleutheropoli invictissime ferebat.

Eodem in loco duos libros edidit pro S. Athanasio, cujus caussam ita tuetur gravissimis argumentis et sacrorum librorum testimoniis, ut mira ingenii vi facile convincat Athanasium nec visum hominem, nec auditum in judicio damnari non potuisse, et e sua sede dejici Mediolanensis Concilii et Imperatoris auctoritate atque sententia. Id ipsum innuit Marcellinus in lib. XV, cap. 8, ubi hæc de Liberio Pontifice: Athanasium *per subscriptionem abjicere sede sacerdotali, paria sentiens cæteris*, qui renuebant, *jubente Principe, Liberius monitus; perseveranter renitebatur, nec visum hominem, nec auditum damnare, nefas ultimum sæpe exclamans, aperte scilicet recalcitrans Imperatoris arbitrio.* Quo in loco ita Lindebrogius: *Ipsissima Liberii Episcopi verba ad Constant. Imper. Adjecit Theodor. Histor. lib.* II *cap.* 16, οὐδὲ γὰρ οἷόν τε καταψηφίζεσθαι ἀνδρὸς ὃν οὐκ ἐκρίναμεν. *Quo etiam pertinent, quæ Lucifer Calaritanus pro Athanasio scripsit. Sciebant illi non divina solum lege, sed etiam* XII *Tabul. vetitum indicta causa quemquam occidere. Salv. Massil. lib.* VIII. *Basil. Magnus Epist.* LXX, *pag.* 318. Κακούργος μὲν οὐδεὶς ἄνευ δίκης καταδικάζεται. Sacrilegis et proditoribus et veneficis potestas defendendi sui datur, nec prædamnari quemquam incognita caussa licet. *Lactant. lib.* V, *cap.* 1. Horum librorum summa accurate confecit Papebrochius cap. 3 Vitæ Lucif.; et cap. 4, affirmat eosdem *conscriptos ac verosimiliter oblatos, et per Florentium denuo redditos videri, cum adhuc Germaniciæ esset Sanctus, sub Eudoxio Ariano Episcopo exsul:* in quam sententiam adductus fuit ipsius Luciferi verbis in l. I p. 65 (*hic col.* 830): *Vel ad quem me destinasti Germaniciensium, Adoxius*; ubi Germaniciense quidem exsilium indicat, quod antea pertulerit, non vero quod tum perferret, cum hæc scribebat: etenim pag. 91 (*hic col.* 857), aperte significat, bellum tum inter Romanos et Persas iterum exarsisse; *Soporinus Persarum rex nunc contra te gerit prælium.* Verum post Mediolanense Concilium et an. 355, pactæ induciis res fuisse videntur cum Persis; immo de pace actum fuit a Constantio an. 356, omnino firmanda cum iisdem, qui *in Oriente per furta et latrocinia potius, quam, ut solebant antea, per concursatorias pugnas hominum prædas agitabant et pecorum*, inquit Marcellinus lib. XVI, cap. 9, et sub exitum anni 357, ac initium an. 358, litteræ utrinque et legati missi fuerunt, quo stabile demum fœdus iniretur, uti idem testatur lib. XVII, cap. 5. At Romani *negotio redierunt infecto* e Perside, subdit is cap. 14, et Sapor Persarum rex, composita pace cum Chionitis, et Gelanis, contra quos biennio fere ante bellum gesserat, an. 359, totis imperii viribus Romanos aggressus est, et *autumno introrsus tendente* Amidam obsidione cinxit; quæ fuse narrat laudatus auctor toto lib. XVIII. Hinc igitur conjicias licet, utrumque pro Athanasio librum scriptum fuisse a Lucifero exeunte circ. an. 359, et incepto an. 360, ut Tillemontius, Montfauconius et Gallandius recte affirmant. Paulo superius animadvertimus Baronium in ea esse opinione, libros pro Athanasio una cum duobus aliis *de non communicando cum hæreticis* et *de Regibus Apostaticis* eodem tempore Imperatori oblatos fuisse; et Papebrochius cap. IV, *verius* esse ait, *quod Constantius prioribus libris*, scilicet pro S. Athanasio, *una cum Auctoris confessione receptis, longius cum transferri jusserit se-*

mel iterumque. Sed hac in re neque Florentii ad Luciferum epistola quidquam certi nobis indicare videtur ; *codex* enim, cujus meminit, et unum et plures libros complecti poterat, si genuinam nominis hujusce significationem inspicias. Hæc tamen nobis sententia, aut, si mavis, conjectura inest, singulos seorsim libros, ut in nova edit., ad Constantium fuisse delatos ; et priorum lectione vehementius in Luciferum ira accensus Germanicia Eleutheropolim in ærumnosius exsilium, inde, acceptis libris pro Athanasio scriptis, ad quartum exsilii in Ægypto locum obduci jusserit sanctissimum Antistitem : de quibus in Luciferi Vita accuratius disseruimus. Franciscus Pagius in Critic. Baronii ad an. 354, affert ex lib. I Luciferi pro S. Athanasio locum quemdam, quo probet Georgium Cappadocem ante Mediolanense Concilium anni 355, episcopalem consecrationem accepisse : *Lucifer Calaritanus, qui Concilio Mediolanensi interfuit, in Apologia pro Athanasio, lib.* I, *testatur, Georgium ante Concilium Mediolanense ordinatum esse, et his verbis Constantium alloquitur :* « Persequeris eum, « per quem te audire præceperit Dominus, agente « eo in rebus humanis, quo hæreticum tuum Geor- « gium mittis successorem, cum tametsi liberatus « fuisset Athanasius e corpore, tibi non licuerit « mittere. *Paullo post :* Numquid potest Deus esse « cum inimico Georgio ? Numquid ei, quem non « ordinaverit, quem non elegerit, poterit esse pro- « pitius, etc. » At quis ex hisce quidquam certum inferat pro sententia Pagii ? cum vaga omnino sit, et nulli obstricta loco Luciferi oratio ; cumque id unum iis verbis reprehendat, quod nimirum Georgius hæreticus homo vivo Athanasio suffectus sit in Alexandrinum Episcopatum : præterea huic Luciferi testimonio, ut a Pagio producitur, aliquot subsunt verborum et commatum menda, quæ sensum scriptoris interturbant ; quare illud confer cum editis hic pag. 64 (*hic col.* 820).

Eodem circ. anno 360 scriptus fuit liber *de non parcendo in Deum delinquentibus*, cujus tituli sensus est, nefas esse Episcopis, errores, et iniqua facta hominum præsertim hæreticorum vili quadam timiditate et injurioso in Deum silentio dissimulare, quippe cum eorum muneris sit Catholicam fidem palam tueri, et impiorum scelera libere ac fortiter redarguere. Furebat scilicet Constantius in Luciferum, ejusque lectis libris, *superbum, insolentem, contumeliosum* in imperatoriam majestatem esse illum et Catholicos Episcopos jactitabat : quare Lucifer suimet rationem reddit Constantio ; declarat, cur priores libros tam acri stylo exaraverit ; tum sese, et religionis, Athanasii atque Catholicorum Antistitum causas, suosque item libros tanta ingenii vi, et orationis facundia defendit, ut Tullianæ eloquentiæ, si incomptum dicendi genus excipias, proxime accedere videatur. Totius libri synopsim exhibet Papebrochius cap. 4 Vitæ Lucif. hisce verbis : *Summa totius libri eo tendit ut convincatur Imperator, ipsum aliosque Episcopos dum ei resistunt, et qualis sit commissis sibi populis indicant, ipsique peccatorum suorum explicant enormitatem, ac gravitatem, suo fungi officio, nec aliud agere, quam Prophetæ et Apostoli fecerint in ejusmodi occasione : denique non contumeliosos esse, sed veraces, et neminem nisi Deum timentes, atque animæ ejus saluti consulere : finit autem in exemplo septem Machabæorum Antiocho, quem imitabatur Constantius, libere exprobrantium.* De libro eodem hæc Baronius ad an. 356, num. 68 : *Cæterum adversus reprehensorem suum Luciferum expostulasse Constantium, illis lectis libris, ipse Lucifer eo commentario, quem postea in eumdem ingeminans scripsit,* de non parcendo in Deum delinquentibus, *demonstrat..... Porro gravioribus eum illo libro exagitat invectivis.* Baronius, quod ad tempus, quo liber hic descriptus fuit, nobiscum sentit, cum autumet *post Constantinopolitanum Conciliabulum* hujusce anni 360 confectum fuisse : censet tamen Gallandius præclarum hoc opus a Lucifero elaboratum an. 361, sed nimium sero ; postquam enim ejus libri pro S. Athanasio ad Constantium delati fuerunt sub initia an. 360, tantum temporis nequit intercessisse, ut Imperatoris mentem, sensusque, et in se conceptos animi furores ex eorum lectione Lucifer cognoverit circa ejusdem anni exitum, et novum hunc librum adversus illum exaraverit anno solummodo 361, præsertim cum postremus liber, cui titulus, *Moriendum esse pro Filio Dei*, initio hujus anni 361 editus sit, et eodem anno scripta fuerit epistola Athanasii, qua Lucifero suos in Constantium libros omnes se accepisse testatur.

Postremus liber a Lucifero adversus Constantium compositus is est, quo *ostendit*, moriendum esse pro Filio Dei, ait Papebrochius paulo post laudatum superius locum, *quem post initium anni 360 esse conscriptum ostendit mentio* (*hic col.* 1028) *Eudoxii* (*Adoxium rursus eum nominat*) *ad Constantinopolitanam sedem evecti, quod die 17 Jan. factum. Sequenti autem anno mense Novembri moriens Constantius experiri cæpit veritatem eorum, quæ sibi tum in aliis, tum in hoc potissimum libro comminatur Lucifer totus æstuans martyrii desiderio.* Equidem Lucifer in Ægypto gravissimas exsilii sui calamitates constantissime perferens, *quod autumaret*, subdit Baronius ad an. eumdem 356, num. 69, *Constantium et ministros ejus in necem suam conspiraturos, alium addidit commentarium, cujus est titulus et argumentum*, Moriendum pro Filio Dei. *Videas hominem majore semper animi libertate atque constantia insurgere in Constantium ; quod ex una vel altera ejusdem voluminis scripta sententia datur inspicere.* Habes in hoc libro justæ perfectæque orationis formam argumentorum varietate, sententiarum gravitate, sacrorum testimoniorum pondere, et facilis facundia eloquii Catholico Episcopo dignam, quæ cum Tullianis Philippicis jure possit comparari ; Nicænam fidem, legationis suæ gesta, Athanasii causam validissime tutatur, Constantii et Arianorum scelera persequitur, et gloriosæ pro Christo mortis nobilitatem, decus, laudesque extol-

lit, quam se avidissime cupere testatur : hanc tamen martyrii gloriam *plane constat tum Constantium ipsum, tum Arianos cæteros illi invidisse*, ait Baronius num. 80, *cujus se adeo cupidum tot tantisque scriptis editis præ se ferebat. Verum ex his*, scribit idem auctor num. 73, *quæ eodem libro inferius de Eudoxio ait a Constantio suffecto in locum Macedonii in sedem Constantinopolitanam, post biennium commentarium illum fuisse scriptum apparet, ac proinde quæ nuper dicit ab ipso facta esse suo rescripto in Ecclesiam Alexandrinam diversa ab illis fuisse, quæ ex Athanasio superius sunt recensita, liquet.* At de hisce in Alexandrinos crudeliter patratis vide quæ in notis ad hunc Luciferi lib. ipsi conjicimus ; et cum Baronio sentimus, diversam esse Alexandrinorum cædem a Lucifero p. 252 (*hic col.* 1022) hic memoratam ab illa, quæ an. 356, impie commissa fuit post ejectum e sua sede Athanasium, quamque Athanasius ipse describit in Apol. de fuga sua, et in epist. ad Solit. Verum enim vero sententiam ejusdem Baronii non probamus, cum affirmat, *post biennium* ab occupata per Eudoxium Constantinopolitana sede *commentarium* hunc *fuisse scriptum :* quippe, si mense Januario anni 360 Eudoxius suffectus est Macedonio Episcopo Constantinopolitano, consequitur hunc librum a Lucifero compositum fuisse an. 362, cum Constantius anno ante jam obierat, et Julianus Imperator eodem an. 361 exsules Episcopos ad suas Ecclesias redire permiserat, ut ex Ammiano intelligimus lib. XXII, cap. 5 ; Georgio autem Cappadoce ab Alexandrinis sede discerpto sub initium anni 362, Athanasius in suam sedem paulo post restitutus fuit, qui tamen omnes Luciferi libros exsul adhuc acceperat, ut ipsius ad Luciferum epistola testatur. Præterea neque Papebrochio assentimur, cui lubet postremum hoc Luciferi opus post initium fere an. 360 elucubratum fuisse ; posterius siquidem est libro *de non parcendo in Deum delinquentibus* scripto anno ipso 360, cum nondum audisset Lucifer de Constantinopolitano Eudoxii Episcopatu. Quare hanc in rem sic decernimus, librum hunc, cui titulus *Moriendum esse pro Filio Dei*, ante Constantii mortem, quæ accidit III Non. Octob. sive Novemb., ut malunt alii, anni 361, a Lucifero descriptum editumque fuisse, et anno aut 360 ad exitum fere perducto, licet Tillemontius et Montfauconius annum absolute 360 assignent, aut ipsis anni 361 exordiis, quod multo probabilius cum Gallandio potest affirmari.

Hæc quidem sunt, prosequitur Baronius num. 73, *et alia plura his similia, quæ Lucifer Apostolicæ Sedis Legatus apostolico pectore in Constantium ab exilio tela conjecit. Ista autem cum perlata essent ad Athanasium in eremo latitantem, nonnihil gavisus est, mittensque ad Luciferum diaconum suum Eutychetem litteras dedit*, quas hic editas habes post Luciferi libros. Montfauconius eas inter Athanasii opera vulgavit, *incertum esse* scribens, *an Latine scriptæ, et postea ab aliquo in Græcum translatæ ;* sed nullum harum superest Græcum exemplar, et secunda epistola videtur latino sermone scripta, ut cum ipso Montfauc. observamus in nota eidem adjecta p. 270 (*hic c.* 1040 *not.* q). Porro idem Montfauc. falso autumat, epistolam primam *forte paulo post exilium Luciferi*, ad hunc ab Athanasio missam ; ideoque an. circiter 356, cum Lucifer ne primum quidem fortasse librum *de non conveniendo cum hæreticis* edidisset. Papebrochius utramque epistolam refert in an. 360, nam *hæc omnia*, ait cap. 4 de libris scilicet Luciferianis, *accepisse Athanasium, cum in quarto exsilio partibus Ægypti vicinior degeret* Lucifer an. 360., *ideo persuadeor, quia et titulum postremi libri, et frendores diabolicos calcandos, et alias hic occurrentes phrases observo*, in secunda nimirum ejusdem Athanasii epistola. Sed prior epistola in an. quidem 360 rejici commode potest, non item altera, quam idem Papebrochius in Tomo. I Maii Bolland. in Vit. S. Athan. cap. 24 clarius scribit *datam* fuisse *circa an.* CCCLX. Missi quidem hoc anno fuerant a Lucifero ad Athanasium, qui illum inviserent, et per quos de communibus utriusque curis ageret ; sed eos Athanasius nec videre, nec alloqui poterat, cum in secretiores latebras aufugisset insidias veritus Arianorum, qui itinera observabant, et *curas agunt*, ait ipse in eadem epistola, *de proficiscentibus et exeuntibus de civitate* Alexandrina, *naves quærunt, eremias gyrant, domos perturbant, concutiunt fratres, singulis negotia concinnant*, et paullo ante in Monachos per Ægypti solitudines impune grassati fuerant ; quam tempestatem initio secundæ epistolæ indicat idem Athanasius : hæc vero eodem anno 360 videntur evenisse post scriptam priorem epistolam : cumque in secunda postremum quoque Luciferi librum se accepisse dicat, qui scriptus fuit an. 360 exeunte, vel potius initio an. 361, ad hunc ipsum annum altera hæc epistola omnino debet referri. De epistola utraque hæc Baronius ad an. 356, num. 75. *His* primis *acceptis litteris, exemplar omnium scriptionum, quas ad Constantium dederat, libenter* Lucifer *impertitus est* Athanasio : *quas cum Athanasius magna animi admiratione atque lætitia perlegisset, alias ad eumdem litteras misit, quibus et quo statu res suæ essent, reddidit certiorem, nempe de grassatione facta in sanctos monachos in odium Athanasii, quasi ipsum recepissent et occultassent ; deque fuga iterum ab ipso captata, et in occultioribus latebris quæsito perfugio* (*An. circ.* 361). Antonius Felix Matthæius in *Sardinia Sacra* pag. 72 videtur in hac esse sententia, quod Litteræ Athanasii ad Luciferum scriptæ fuerint statim post editos ab ipso Lucifero libros pro Athanasio, eosque affirmat Germaniciæ compositos fuisse : *Germaniciæ existens duos pro Athanasio scripsit libros, eosque obtulit Imperatori Constantio, quem in iisdem acerrimis verbis reprehendit. Id ut intellexit ipse Athanasius, Lucifero litteras dedit pluribus rogans, ut eorumdem exemplar transmittere vellet. Morem gessit Lucifer, atque hoc pacto ad amicitiam pervenit Athanasii.* Sed neutrum verum esse facile constat ex iis quæ dicta sunt ; præsertim cum Luci-

fer non duos solum pro Athanasio libros, sed, quos scripserat, omnes ad ipsum miserit; iique omnes in Græcum sermonem conversi fuerint. Nec de Ambrosii Machini Archiepiscopi Calaritani testimonio sumus solliciti; is enim in *Defens. Sanctit. B. Lucif.* cap. 7, 8, 9, 10 et 12, ubi de libris Luciferianis sermo est, Baronium exscribit, ejus sententiam sectatus; verum et ab illo et a nobis dissentit, cum ait cap. 12, librum *de non conveniendo cum hæret.* scriptum fuisse *circ. an. C.* 360; quippe tum *Ariani summa rerum potirentur*, et Catholici *sub nomine pacis Arianorum consortio fere omnes polluerentur;* quod Lucifer maxime dolet in hoc libro; Luciferi tamen sensus multo commodius ad gesta Mediolanensis Concilii referri possunt, uti monuimus: et quid *pacis*, quid *edicti* nomine ibidem intelligat, satis et in Vita Luciferi, et in notationibus nostris disseruimus. Idem Machinus postremos collocat inter Luciferi opera librum, cui titulus *Moriendum esse pro Filio Dei*, et alterum *de non parcendo in Deum delinquentibus;* hunc illi ordine postponit, quod falsum est; utrumque an. 360 affigit cap. 10 et 12, quod verum omnino est de altero, propius vero de primo. Quanti porro Luciferi libros fecerit Athanasius, ex eadem epistola compertum est, qui præterea in Græcum sermonem illos convertit, quo Orientalibus omnibus essent communiores, uti testantur Marcellinus et Faustinus in lib. Precum ad Imperatores, quorum de Luciferi libris testimonium hic juvat integrum exscribere: *Dicant nunc, quid Lucifer novum docuerit, quod non ex Christi magisterio traditum est, quod non ab Apostolis discipulis Salvatoris transmissum est in posteros. Et bene, quod libros scripsit ad Constantium, non ut plerique gloriam captans ingenii, sed divina testimonia aptissime congerens contra hæreticos, et contra ipsum patronum hæreticorum, ad divinam æmulationem pro Filii Dei amore succensus. Denotent quid illic contrarium Scripturis, quid novum quasi hæreticus scripsit. Quos quidem libros, cum per omnia ex integro ageret, suspexit et Athanasius ut veri vindices, atque in Græcum stylum transtulit, ne tantum boni Græca lingua non haberet. Parum est, quin etiam propriis litteris idem Athanasius eosdem libros prædicat ut Prophetarum et Evangelistarum atque Apostolorum doctrinis et pia confessione contextos. Et quamvis plurimis in eum laudibus erigatur, tamen non æquat ad meriti ejus præconium; et quidem cum amplius laudare non posset: ita rerum ejus supereminentia quævis laudans lingua superatur. Sed Lucifer, ignarus licet artificiosæ eloquentiæ, tamen ut prophetico et evangelico atque apostolico more scriberet, quod super omnem humanam eloquentiam est, habuit gratiam sancti Spiritus ex merito rectæ fidei et sincerissimæ conscientiæ* (*Græca versio librorum Luciferi*). Hæc illi, *alibi quidem minime probandi*, subjungit Papebrochius cap. 2 Vit. Lucif., *in eo tamen in quo Luciferum laudant, nequaquam contemnendi, dum suffragantem sibi habent Athanasium, immo totam Christi Ecclesiam.* Graviter porro ferenda est Athanasianæ versionis jactura, qua misere deperdita, aut adhuc in tenebris fortasse latitante, promptissimum ad corrigenda Luciferi opera subsidium nobis sublatum esse jure dolemus.

Alia quædam scripsit Lucifer, quæ vetustate ipsa absumpta sunt. Indicat Papebrochius in cap. 1 epistolam a Lucifero missam ad Catholicos, qui in Ecclesiam Mediolani convenerant, de qua in Vita S. Dionysii Episcopi Mediolanensis: *Missa Epistola est a Lucifero Catholico Episcopo*, et Mediolanensis Concilii Præside pontificio nomine, *ex Palatio, ubi tenebatur a Rege, Dionysioque et Eusebio porrecta, quam plebs ut sibi legeretur postulare cœpit.* Et cap. 4 innuit *Professionem Fidei* a Lucifero editam una cum libris pro S. Athanasio, et Constantio delatam; quod absque ullo auctore affirmat, nec ex Luciferi libris et epistola ad Florentium quidquam deprehendimus pro Papebrochii opinione, cum Lucifer id profecto non silusset, neque opus eidem fuisset Nicænam Fidem pro suæ Fidei confessione Constantio exhibere in lib. *de non parc. in Deum del.* p. 204 (*hic col.* 973). Plures a se litteras scriptas memorat ipse Lucifer in eod. libro p. 212 (*hic col.* 981: *Probant epistolæ meæ mediocritatis, et libri rustico licet sermone descripti, me sæpe dixisse, quod peccata quidem fecerint nostra, ut in tuas Antichristi præcursoris veniremus manus;* et Athanasius in altera ad illum epistola se ejus litteras cum librorum codice scribit accepisse. De Luciferi scriptis præterea nihil.

Ejus in scribendo stylus omnino rudis et pene barbarus cuiquam patet legenti; quod is ultro fatetur verbis paulo superius allatis; et in lib. *Mor. pro Filio Dei* p. 247 (*hic col.* 1017), *Inter hæc*, scribit, *daturos legentes veniam conspicere debes, quod facundia mediocris ingenii mei..... describere non valuerit;* tum p. 258 (*hic col.* 1028): *Nos vero, quibus ad loquendum natura sufficit, alieni ab omni scientia, et hinc alieni litterarum, ad omnem destruendam hæresim valemus, quia res ipsa ac veritas loquitur;* ac rursum ib.: *Nos summus tantum sacras scientes litteras, noster sermo est communis; contra vester politus, ornatus, qui etiam dici mereatur disertus.* Hinc in Libello Precum *ignarus* dicitur *artificiosæ eloquentiæ.* Cæterum Tilius in Præfat. ad Pium V Pontificem: *Communis mihi*, ait, *atque illius ætatis videtur sermo ipsius, adeo rudis est et incomptus, quem ipsemet etiam rusticum vocat; at qui diligenter perpenderit, eum gravem et sententiis refertum, virique ingenio valentis inveniet:* et la Cerda cap. 37, Luciferum excusat, quippe religionis abreptus ardore, et inter Græcos commorans, cum suos scriberet libros, fere invitus multa expresserit negligenti calamo, et Græcam dictionem secutus fuerit, ut in notis alicubi cum Tilio monuimus: *Videtur in multis latinitatem neglexisse, et secutus Græcos adeo zelo efferbuit, ut multa velut ab invito effluxerint.*

LUCIFERI EPISCOPI CALARITANI VITA.

§ I.

Calarim [a] Sardiniæ principem urbem patriam habuisse Luciferum, et parentes Romana origine e Luciferorum familia [b] virtutibus et fuso pro Christiana Religione sanguine clarissimos scripsit superiori sæculo Methodius [c]. His super D. Juvenalem Calaritanum Antistitem [d] puerum Luciferum parentibus orbatum instituendum accepisse, et Romam deinde firmiore ætate profectum D. Eusebio Vercellensi postmodum Præsule præceptore usum, ab eoque sacro fonte Christo regeneratum fuisse, et a D. Silvestro Rom. Pontifice Lectoris officio cohonestatum, illique Græca, Latinaque lingua probatissimo munus sacras litteras interpretandi demandatum, ac tandem, sublato e vivis Protogeni Calaritano Episcopo [e], a Julio Rom. Pont. in ea sede post an. Chr. 347 suffectum fuisse idem auctor litteris consignavit. Verum Methodius conjecturis nimium indulgens ea de Lucifero tradidit, quæ, si æqua critices lance pendantur, nihili facienda sunt [f]. Quod etiam judicium iis debetur, quæ de natali anno, deque Luciferi genere et episcopali ordinatione ex Bonfante hausit, scripsitque Machinus Archiepiscopus Calaritanus [g]. Ergo incerta Luciferi patria, incertum genus et tempus, incerta omnia, quæ somnians Methodius asseruit, ad annum usque 354, quo et nomen et officium Luciferi primum occurrunt in litteris Liberii Pont. ad Constantium Augustum, qui per id tempus A Arelate in Galliis jam devicto Magnentio constiterat, a Valente, aliisque Arianis Episcopis comitatus et circumventus. Ad eum Liberius superiore anno legationem instituerat, qua per Vincentium et Marcellum Episcopos speraverat se Augusto persuasurum, ut pro Athanasii causa, et ad refellendos, damnandosque Arianorum errores Aquileiæ Concilium libere cogeretur. Sed cum res non cessisset ex voto, et lapsu Vincentii Capuani Episcopi [h] omnia pessum irent in dies, legatum alium ad Constantium destinavit Liberius cum Pancratio [i] presbytero et Hilario [j] diacono Luciferum Calaritanum Antistitem Romæ tunc temporis divina sic disponente providentia diversantem, ut Ecclesiæ sibi commissæ negotium aliquod præsens facilius absolveret. Romam accessisse, B suumque gregem deseruisse Luciferum a Deo vocatum, ut laboranti suppetias ferret contra Arianos Catholicæ Ecclesiæ, auctor est idem Methodius [k] ex iis forte Liberii verbis, *Deo cooperante Frater et Coepiscopus noster Lucifer de Sardinia supervenit* [l].

Qui Luciferum non Sardiniensem, sed Sirmiensem [m], vel etiam Sardicensem [n] Præsulem dixere, ab historica veritate omnium ferme eruditorum, criticorumque suffragiis, et Conciliorum auctoritate firmata, quam turpissime aberrarunt. A nostro vero alius omnino est Lucifer ille Sardensis, qui Synodo Cæsariensi in Cappadocia, in qua S. Basilius ad illam sedem occupandam electus fuit, interfuit an. Chr. 370 [o], quo exeunte, vel saltem sequentis anni

[a] Κάραλις, Ptolemæo *Carallis* : in mss. pluribus, *Caralis*, *Caralitanus*; Καραλίτως, *Caracalis*, *Caracalitanus*, Καραλίνων, *Caracalinorum* habet Sophronius de Vir. Illust. Gerardus Casteel in Controv. Eccles. Hist. controv. 19, pag. 343, col. 1, *Luciferum Episcopum Calaguritanum* dixit : hæc est *Calagurris* Livio urbs Hispaniæ Tarraconensis, nunc *Calahorra* in Castella Veteri. At quid a veritate alienum magis?

[b] Ex commentitiis Inscriptionibus Calaritanis, T. ÆLIUS LUCIFER, L. ÆLIUS LUCIFER, IV. ÆMILIA LUCIFERA, et ex quodam supposititio Siculo lapide, L. CÆSIUS LUCIFER. Vid. Boll. Acta SS. t. IV, 20 Maii, edit. Ven. pag. 660, n. 2.

[c] F. Ambrosius Methodius Tarentinus Ord. Eremit. S. Augustini in Vita ms. ex Boll. loco cit.

[d] Boll. ib. in præter. ad 28 Maii. An is fuerit Calaritanus Antistes sæc. Chr. IV, aut eo ineunte, an scil. Ch. 303, ut Ferrarius, Arca, Bonfantes, Fara, Machinus, et Papebrochius contendunt, dubitat cl. Matthæius Sard. Sac. pag. 70.

[e] Interfuit Nicænæ, et Sardicensi Synodo : is non *Sardiniensis*, sed *Sardicensis* in Mœsia Episcopus fuit, ut constat ex Andronico Palæologo Seniore apud Goarium ad calcem Codini pag. 405, et ex Lequienio t. II, Orien. Christ. col. 301, et seq. Machinus tamen totis viribus contendit Protogenem hunc Antistitem Calaritanum fuisse toto cap. 17, lib. II Defen. Sanct. B. Luciferi.

[f] Cl. Matthæius loco supra cit. pag. 72, ait : *Hæc quidem de Lucifero narrat Methodius, sed omnia incerta, ne quid gravius dicam, sunt.* Vid. Papebr. l. cit., n. 2 et 3.

[g] Defen. Sanct. B. Luciferi par. 1, c. 1.

[h] Vid. Epist. Liberii Papæ ad Eusebium Vercellensem Episcopum t. II Concil. edit. Venetæ pag. 803 et not. Binii ibid. pag. 800.

[i] *Eutropium* vocat Cave de Script. Eccles. sæc. Arian. Vid. *Lucifer*; sed male.

[j] Hilarius hic Rom. Ecclesiæ Diaconus Luciferianis sese adjunxit, eorumque coryphæus factus schismati hæresim addidit, quem D. Hieronymus ob Arianorum ad Catholicam communionem redeuntium rebaptizationem novum orbis Deucalionem nominat in lib. contra Luciferianos. Opera tamen et zelo S. Damasi Papæ Hilarium tandem ad sanam mentem rediisse, et Catholicis adhæsisse cum Pagio in Ann. Bar. ad an. Chr. 362, n. 25, et Nat. Alex. sæc. 4, c. 6, art. 14, tenet cl. Sarazanius in notis ad gesta et opuscula S. Damasi cap. 22, n. 6, nosque iisdem fulti argumentis huic sententiæ subscribimus.

[k] Ubi supra. Vid. Bolland. l. cit. n. 3.

[l] In Epist. ad Euseb. Vercell. t. II Concil. edit. Ven. pag. 803, ex Actis Vitæ S. Eusebii.

[m] *Luciferiani a Lucifero Sirmiæ Episcopo, qui contra Episcopos Catholicos, qui Constantii persecutione perfidiæ Arianorum consentientes erant, et postea correcti rediere in Catholicam*, etc. S. Isidorus de Origin. lib. VIII, pag. 105, edit. Paris. 1601, et Honorius Augustodun. de hæres. in Bibl. PP. t. XII. Ita et Erasmus in not. ad Dial. S. Hieron. contra Lucifer., ac Nauclerus in suo Chron. t. II, atque etiam Montholonius in Prompt. t. II, pag. 28.

[n] V. Cornelium a Lapide in Apoc. c. 3, vers. 1 : *Et Angelo Ecclesiæ Sardis scribe*, etc.

[o] Καὶ τοὺς ἐκ τῆς ὑπερορίας ἀνακληθέντας προσκη-

initio Lucifer noster, ut § VIII dicemus, supremum diem clauserat.

§ II.

Luciferum ergo, utpote quem ad grave munus exsequendum doctrina ac pietate aptissimum noverat [a], ubi legatum ad Augustum destinavit Liberius, litteras illi ad eumdem perferendas dedit, ut ab illo pro Ecclesiæ pace restituenda Concilium impetraret [b], simul et alias ad Eusebium easque commendatitias, ut Luciferum cum sociis in difficillima obeunda provincia adjuvaret [c]. Roma Vercellas profectus Lucifer cum Pancratio et Hilario perhumaniter ab Eusebio exceptus est, qui, ut sese Fidei Catholicæ assertorem strenuum, et ad jussa faciendo promptissimum Liberio magis magisque probaret, legatis se statim socium adjunxit, ut Arelate commorantem Augustum conveniret. Hic adeo enixe apud illum egerunt legati, ut, quidquid Liberius desideraverat, rogaveratque Constantium, feliciter obtinuerint, tum de causa Athanasii agitando, tum præcipue de Concilio pro Ecclesiæ tranquillitate cogendo. Cum tamen in sequentem annum Concilium Mediolani celebrandum distulisset Constantius bello barbarico impeditus [d], Eusebius ad suam Ecclesiam, et Lucifer apud Dionysium Mediolanensem Præsulem Concilii jam indicti tempus exspectantes sese receperunt. Eo igitur anno, ineunte vere, qui Christi 355, Liberii Papæ quartus, Constantii Imp. decimus nonus fuit, Arbetione et Mavortio Lolliano coss. ex Oriente pauci, plures vero ex Occidente Episcopi Mediolanum, ubi Augustus ipse cum exercitu constiterat, convenientes Synodo, quæ in ea urbe quarta fuit, initium fecerunt. Huic Concilio ex Orientalibus paucos, ex Occidentalibus vero supra trecentos interfuisse Episcopos scripsit Socrates [e], cui et Sozomenus [f] consentit. Recentiores fere omnes cum Baronio [g], Tillemontio [h], Calmeto [i], aliisque magni nominis Scriptoribus in hanc sententiam venere, et supra trecentos Latinos Patres Synodum Mediolanensem implevisse tradiderunt. Valesius tamen vix sibi persuadens tot Episcopos ibi coaluisse, in textu Græco utriusque Historici errorem suspicatus pro τριακόσιοι in Sozomeno, et τριακοσίους in Socrate, τριάκοντα, *triginta* scilicet legendum esse existimavit [j]. Severiori usus judicio Hieronymus a Prato Græcorum Historicorum testimonia rejicit, contenditque vir cl. tum ex Catholicis, tum ex Arianis Episcopis numerum Patrum ad sexaginta vix constitisse [k]. Verum re diligentius considerata utraque opinio videtur concilianda. Si enim Athanasii, si Constantii, si auctorum Vitæ SS. Eusebii et Dionysii verba expendantur, et Græcis Historicis, et Valesio ac Pratensi sua stabit veritas. Nam eo convocato Concilio Imperatoris a Valente et Ursacio circumventi mens erat, ut ab Occidentali universa Ecclesia Athanasius damnaretur, et Ariana dogmata probarentur. At Catholicis Episcopis plerisque, cognita Constantii et Arianorum fraude, Mediolanum ad Synodum venire recusantibus, missi Palatini Comites in omnes Occidentis provincias, ut Præsulibus indicerent, aut damnationi Athanasii subscribendum, aut in exsilium eundum. En ipsissima Athanasii verba in epistola ad Solitarios, quæ Petro Nannio interprete exscribimus : *Quod igitur Episcopi, prout in sacris litteris est, ad præsides et reges adducti sunt, et a judicibus hanc sententiam audierunt : Aut subscribite, aut ab Ecclesiis recedite : detrahi enim vos ab Ecclesiis Imperator jussit. Nam et magistratibus scriptum est, et multa pecuniarum denuntiata; nisi quisque suæ civitatis Episcopum subscribere coegisset.* Quo factum est, ut multi Episcoporum qua minis, qua vi et dolo victi subscriptionem in Athanasium darent, existimantes salva Nicæna Fide nullo hominis damnatione pacem tranquillitatemque turbatis Ecclesiæ Catholicæ rebus restituendam fore, quod subdole etiam Constantius ipse sponderat; *Nos certe*, ait in Epistola ad Eusebium, *qui esse Dei famulos gloriamur, hortamur pariter ac monemus, ut consensui Fratrum tuorum* (Arianos Episcopos innuit numero triginta, qui jam in Athanasium Mediolani subscripserant) *adhærere non differas. Confidimus quippe, cum hoc fuerit factum, unitate firmissima posse Ecclesias gratulari.* Ita Constantius collectis per vim absentium plurimorum Occidentalium Episcoporum subscriptionibus contra Athanasium, sibi persuadebat speciem Œcumenici Concilii obtrudere posse in Athanasium tanto Patrum numero damnatum, ut ipsemet Athanasius in eadem Epistola loquitur : *Eo enim quio, uno consilio id agatis, quod Deo et Angelis ejus placet, et Catholicæ Ecclesiæ expedit.* Ex iisdem litt. apud Bar. ibid. n. 6.

[a] *Ob hoc quod bene esset agnitus per contemptum sæculi, per studium sacrarum litterarum, per vitæ puritatem, per constantiam fidei, per gratiam divinam*, etc. In lib. precum Marcell. et Faust. apud Sirmondum t. I, edit. an. 1696, col. 251.

[b] *Ad exorandam mansuetudinem tuam, ut benevolo animo allegationes nostras audire digneris, Fratrem et Coepiscopum meum sanctum virum Luciferum cum Pancratio Compresbytero meo et Hilario Diacono placuit proficisci, quos credimus de Clementia tua ad pacem omnium Ecclesiarum non difficulter posse Concilium impetrare.* Ex litt. Liberii apud Baron. ad an. Chr. 354, n. 5.

[c] *Ut simul cum eisdem aggrediaris, ut Fides, quæ ab Apostolis tradita est Ecclesiæ Catholicæ, nullo modo irrumpi possit... ut eorum consortio jungat se fides tua, et similis ubi fuerit, adsit sanctitas tua, uno collo-*

λετάμενος, τὸν Σαμοσατέα Βούσιριν, καὶ τὸν Σόφρονα Λουκιφέρου. Tom. II Concil. edit. Ven. pag. 1039.

[d] Amm. Marcell. lib. XIV, et ex eo Baron. l. c. n. 9.

[e] Τότε δὲ ἐν τῇ Ἰταλίᾳ συνῆλθον ἐπίσκοποι, τῶν μὲν ἀνατολικῶν οὐ σφόδρα πολλοί, ἐπεὶ τοὺς πλείους αὐτῶν τὸ τῆς ἡλικίας γῆρας, καὶ τῆς ὁδοῦ τὸ διάστημα παρεῖναι ἐκώλυστε· τῶν δὲ ἑσπερίων, ὑπὲρ τοὺς τριακοσίους ἀπήντησαν. Lib. II, c. 36.

[f] Συνόδου δὲ, τοῦ βασιλέως κατεπείγοντος, ἐν Μεδιολάνῳ γενομένης, ἐκ μὲν τῆς ἑῴας ὀλίγοι παρεγένοντο...: τῶν δὲ πρὸς δύσιν πλείους ἢ τριακόσιοι συνελέγησαν. Lib. IV, c. 9.

[g] Ad an. Ch. 355, n. 3.

[h] In notis ad Vitam S. Eusebii.

[i] Hist. univ., t. V.

[j] In notis ad Socr. pag. 25.

[k] In not. ad Sulp. Sever. n. 7, pag. 207 et 208.

modo Imperator tantum numerum Episcoporum coegit, cum partim minis terrerent, partim promissis allicerent, ut se fatercntur non amplius communionem cum Athanasio habere : atque huc etiam respexisse arbitror Luciferum nostrum iis ad Constantium verbis : *Ad innocentis necem omnem chorum invitaris Episcoporum* [a]. Verum enimvero ad Mediolanensem Synodum pauci quidem accessere Occidentales Episcopi, ii nimirum, qui vel Mediolano proximiores erant, vel, etsi longe dissiti, pro tuendo Athanasio, Nicænaque Fide sustinenda præsentia sua illo in Concilio opus esse arbitrabantur : ita in ipsa ad Eusebium Constantii epistola pauci Episcopi ex provinciis singulis Mediolanum advenisse dicuntur : *Denique venientes pauci de provinciis singulis voluntate communi unanimes protulerunt, et juxta venerationem legi debitam firmaverunt* : ita in Vita S. Dionysii Episcopi Mediolanensis ex Mombritio et mss. codicibus Mediolanensi ac Blandurensi [b] habemus vicinos Mediolano Episcopos Concilio interfuisse : *Advenientes quippe ex vicinis urbibus Episcopi, et coadunati intra Ecclesiam residerunt* : ita denique rem conficit Auctor Vitæ S. Eusebii Vercellensis ex codice Nonantulano [c] : *Sustinente autem Imperatore, ac præstolante Liberii adventum cæterorumque Episcoporum, qui necdum advenerant, interim Constantius Imperator cum Arianis Episcopis egit, ut subscriberetur eorum fides, et Athanasius damnaretur. Subscripserunt enim Dionysius ipsius Mediolanensis urbis Episcopus, cæterique Episcopi post eum numero viginti et novem* [d] ; *nondum enim advenerant Catholici Episcopi. Factum est autem, ut inter se tam Papa Liberius quam cæteri Catholici Episcopi diem designarent per epistolas suas, quo Mediolanum unanimiter convenirent.* Ergo post triginta illos, qui primi in Athanasium subscripsere, alii dein supervenientes Episcopi numerum Concilio fecerunt : quot autem fuerint, habemus ibidem infra his verbis : *Subscripserunt autem* (scil. Formulæ Nicænæ Fidei) *et cæteri Sancti Patres numero quadraginta.* Hos ergo si primis viginti novem addiderimus, fere septuaginta habebimus Patres in Concilio Mediolanensi coactos. Quæ cum ita sint, apparet dilucide, numerum trecentorum Episcoporum constasse quidem ex subscriptionibus a Constantio vi et dolo extortis ab Episcopis occidentalium provinciarum : eumque numerum Augustus ipse ostentabat tamquam Œcumenici Concilii, ut communi Occidentalis Ecclesiæ suffragio damnatum Athanasium, et conclamatam ab Œcumenico Concilio Arianam doctrinam prædicaret : *Quæ res* (sequitur idem Athanasius) *in causa fuit, cur tam multos compelleret, ut se paucis adjungerent, magnopere id studens, ut multorum nomina corrogaret tum ad invidiam Episcopi* (Athanasii), *tum ut speciem aliquam, dignitatisque imaginem Arianæ hæresi conciliaret, cujus ipse propugnator erat.* Hoc pacto, nostro quidem judicio, Socratis et Sozomeni testimonia admitti possunt, utpote qui ex tot subscriptionibus Episcoporum a Constantio subdole collectis supra trecentos Patres Mediolanensi Concilio nomen dedisse tradiderunt, et veritati historicæ consulitur cum Valesio et Pratensi asserentibus Concilio illi sexaginta circiter Episcopos interfuisse. Nos hac in re nihil certi statuimus, quamvis ex allatis testimoniis utramque sententiam conciliari facile posse existimemus. Eruditis judicium et votum esto. Jam e diverticulo in viam. Ergo liberii Pont. nomine Lucifer cum sociis Mediolanensi Concilio præfuit, qui, etsi Arianorum mentem, animumque Imperatoris ad vim Catholicis Episcopis inferendam paratissimum apprime cognoverat, de felici tamen rerum exitu pro Catholica veritate tuenda, defendendoque Athanasio non omnino desperaverat. Eusebius interea Vercellensis Episcopus cum dolos Arianæ partis optime introspexisset, et Mediolanensem conventum, quamvis Catholici Concilii nomen præ se ferret, tyrannicam potius consultationem, Arianamque conjurationem futuram prævidisset, illuc se conferre recusabat. Legati porro Apostolici, et Constantius ipse diversis quidem studiis, eodem tamen conatu, Vercellensem Præsulem ad Concilium urgebant, iste ut in suas partes tandem aliquando vel metu vel dolo sanctum virum traheret, illi ut Catholicæ veritatis fortissimum in tanto discrimine defensorem haberent. Quare Arianorum fautores per Eudoxium et Germinium Episcopos, Constantius etiam, et Lucifer ipse cum sociis litteras Eusebio miserunt, illum ad jam coactam Synodum sollicite advocantes [e]. Paruit tandem vel invitus communibus votis Eusebius, et Mediolanum veniens Lucifero Catholicisque Patribus accessit. Quot autem turbas tunc moverint Ursacius et Valens, quot in Orthodoxos Episcopos intentaverint minas, et quæ quantaque adversus eos impie egerint Constantio favente, libenter missa facio, cum Latrocinii hujus non Acta sed scelera apud omnes ecclesiasticæ historiæ scriptores passim et luculenter tradita occurrant. Ad Luciferum nostrum quod attinet, fortiter pro Athanasio cum Arianis decertavit, Nicænamque Fidem totus strenue Catholicis semper Episcopis et maxime Eusebio ac Dionysio adhæsit, populumque Mediolanensem dolis ac minis hæreticorum exagitatum in Fide Orthodoxa continuit. Astu tamen Arianorum, qui in Palatio apud Constantium a Catholicis divisi suos conventus habebant, comprehensus Lucifer in ipsa Imperatoris aula detentus est, eo dementiæ adductis Arianis, ut, Lucifero a cæteris

[a] Lib. II, pro S. Athanasio, p. 132 (*hic col.* 898).

[b] Cap. 2 apud Boll., t. V Maii ad diem 25, *n.* 9, pag. 512, edit. Ven.

[c] Tom. II Concil. Ven. edit. pag. 840 et 841.

[d] Nomina episcoporum, qui primi contra Athanasium subscripserunt, affert. Baron., t. III Annal. ad an. Chr. 355, n. 22, pag. 813, edit. Ven. et tabula Archivi Vercel. post epist. concilii Mediol. ad Eusebium, et Harduinus in notis ad eamdem epist., qui numero octavo *Marinianus* pro *Martinianus* legit in t. II concil. edit. Ven. pag. 850.

[e] Ex Act. Vitæ S. Eusebii in Vercell. archivo epistolas illas, et Eusebii responsivam ad Constantium affert Baron. l. c. n. 6 et 7.

avulso, Catholicorum Patrum in Nicæna Fide constantiam se labefacturos sperarent. At clausus licet Calaritanus Antistes, animo tamen liber, modum viamque invenit scribendi mittendique epistolam ad Coepiscopos in Ecclesia collectos, quæ Eusebio ac Dionysio exhibita ne populo legeretur Ariani tumultuose obstiterunt : sed his e templo per vim ejectis epistola Luciferi libere sacro cœtui sub noctem lecta est [a], quam interiisse dolendum maxime ; nisi forte in Vercellensi aut Mediolanensi tabulario scrutanti alicui spes sit posse aliquando in publicam lucem efferri. Aliquot diebus in Palatio retentus Lucifer tandem suis redditus est ; sed dein Arianorum Episcoporum perfidia cum Eusebio et Florentio ad Constantium rapitur. Eusebius tamen ac Florentius statim dimissi ad Ecclesiam rediere, manente apud Imperatorem Lucifero, qui, cum ibi aliquot diebus detineretur, cum Arianis Episcopis pro Nicæna Fide disputando strenue decertavit, ejusque animi robur et eloquentiæ vim Constantius ipse, etsi ducto velo occultus, præsens tamen admiratus est [b]. Sed postquam facto in Ecclesiam impetu ab Eusebio Eunucho Catholicorum Episcoporum plerique comprehensi sunt, et in Heracleanis Thermis [c] reclusi, Lucifer etiam carceri datus est cum Florentio apud Caium militum tribunum [d].

§ III.

Lucifer interim in fide firmissimus insidiantibus, eumque affligentibus Arianis, etsi duro carcere detineretur, non cessit, immo illis pro religione catholica et Athanasii innocentia invicte adeo restitit, ut furentes hostes Constantio jubente extorrem illum Mediolano, Italiaque discedere coegerint. Quod ut Liberio Pontifici innotuit, Lucifero cæterisque pro veritate orthodoxa exsulibus litteras solatio et apostolico robore plenas dedit [e] ; quas ubi acceperint incertum est. Relegatur ergo Lucifer in Cappadociam primo, ut Papebrochio [f] et Matthæio placet [g] ; ibi tamen brevis illi mora ; ex quo factum credo, ut nulla exstet de primo hoc exsilio satis clara, certaque memoria. Translatus inde Lucifer Germaniciam [h] hanc exsilii alteram diuturnioremque sedem habuit, ut ipsemet in primo pro S. Athan. lib. p. 65 (*hic col.* 830) aperte testatur, ibique Eudoxii meminit Germaniciensium pseudo-episcopi, quem antiphrastice Adoxium vocat [i], eumque utpote Arianæ fæcis hominem adversarium infensissimum passum esse satis indicat. Hunc exsilii locum tertio commutasse Luciferum auctor est Hieronymus [j], et in Palæstinam deportatum, Salutarem scilicet, in qua Eleutheropolis, ubi Episcopum agebat Eutychius Arianus Catholicis infensissimus, a quo Lucifer, et a Turbone [k] ejusdem furfuris Eutychii successore male habitus est, utpote qui et catholica dogmata et Athanasii doctrinam, sanctitatemque libere vindicaret [l]. Hac in urbe cum Luciferi diversaretur, Hermionem magni nominis virginem habuit sibi addictissimam et adjutricem in iis perferendis ærumnis, molestiisque, quibus ab Arianis quotidie afficiebatur [m]. Scimus etiam Turbonem illum Eleutheropolitanum pseudo-episcopum cum suis Arianis in Luciferum sacra facientem irruisse, januas ecclesiæ fregisse, sacra vasa, sanctosque codices diripuisse, et aliquos etiam Luciferi socios neci impie dedisse : *Sunt adhuc hodie* (ita Faustinus et Marcellinus [n]) *in Palæstina, qui illo tempore insequentibus illis pœnas gravissimas dederunt, eo quod cum Catholicæ fidei Episcopo Lucifero convenirent. Negent, si non inter cætera sua atrocia, jam clausam securibus effregerunt ; si non irruentes in Luciferum fidelissimum sacerdotem divina quoque sacramenta verterunt, unumquemque illic de his fratribus, qui convenerant, impia cæde multantes. Negent, si non hodie apud se sancta mystica vasa, quæ tunc impie Lucifero diripuerunt, cum sacris codicibus possident.* At his non contenti Ariani, ut constantissimum Christi athletam durius exagitarent, quarto

[a] Ex vita S. Eusebii Vercell. episc. apud Boll. ad diem 25 Maii, n. 14.

[b] *Sed perspicis, in tuo palatio intra velum licet stans tulisti responsum a me ad conservandam salutem, omnes Dei servos, calcata frivola auctoritate tua, mente, voluntate, studio, virtute, voce consentire.* Lib. *Mor. esse pro Filio Dei*, p. 239 (*hic col.* 1009), et ibid. infra, p. 244 (*hic col.* 1014) : *Non retines, Constanti, dixisse me judicibus, te velo misso audiente, quod licet totum militem tuum in nos decrevisses jacere regni tui tela, in nos exsecratores blasphemiæ tuæ, ut in sacrilegi tui decreti contemptores, omnia sua colliderent arma ; nec sic tamen quod possemus a proposito recedere?* et ibid. p. 245 (*hic col.* 1015) : *Non est novum quod nos legati asseverabamus in tuo palatio, et firmando non desumus semper sic fuisse et esse creditum a Christianis, sicuti apud Nicæam contra hæresim tuam Arianam et omnes errores videtur esse sacra fides conscripta.*

[c] Thermæ proximæ Herculis templo, cui etiam vicinæ erant ædes Maximiani Herculei. Ibi nunc D. Laurentii templum, quod prope quædam adhuc supersunt rudera, ingentesque columnæ. Vid. Castillion. Mediol. Antiq. pag. 7, 124 et 126 ; Tor. *Ritratto di Milano*, pag. 112 ; Galeat. Gual. Prior. *Relaz. di Milano*, p. 1, pag. 42.

[d] Ex vita S. Eusebii apud Boll. l. c. n. 6, et ex alia S. Dionysii, c. 3 in t. V Maii, pag. 513, n. 29 : *Facto impetu ab Eusebio Eunucho apprehensi sunt de fidelibus viris numero centum quadraginta et septem, cum quibus quidam de sacerdotibus et clero vincti intra Thermas Herculianas reclusi sunt. Florentius vero et Lucifer episcopus apud tribunum Caium, Eusebius tribuno Galbioni custodiæ traditus est.*

[e] V. epist. hanc hujus edit. initio.

[f] In Vita S. Luciferi, tom. IV Maii, c. 1, n. 8.

[g] Ubi sup. in Eccl. Calar., pag. 73.

[h] Germanicia urb. Episc. in Euphratensi Provincia, seu Cœlesyria, quæ et Comagena.

[i] *Talis est Georgius, qualis fuerat Arius, quales qui sunt Ursacius et Valens, vel ad quem me destinasti Germaniciensium Adoxius.* Lib. I pro S. Athan. pag. 65 (*hic col.* 830).

[j] *Cum nollet sub nomine Athanasii Nicænam damnare fidem, Palæstinam relegatus miræ constantiæ et præparati animi ad martyrium contra Constantium Imp. scribit librum, eique legendum misit.* De Script. Eccles. in Lucif.

[k] Baron. ad an. Chr. 356, n. 80.

[l] Id. ad an. Chr. 355, n. 17, et Sirmond. l. c. col. 256.

[m] Id. ad an. Chr. 362, n. 119.

[n] In Libello Supp. ad Augustos apud Sirm. l. c.

etiam exsilio multarunt in superioribus Thebis, seu secunda Thebaide, ut Socrates [a], Theodoretus [b], Sozomenus [c], et Cassiodorus [d] tradiderunt, vel in partibus Ægypto vicinis, ut placuit Rufino [e]. Cl. Richardus e Prædicatorum sapientissima familia hoc etiam exsilium commutasse Luciferum, alioque traductum autumat. [f] Verum cum locum exsilii non indigitet, tresque tantum antea Luciferi enumeret deportationes, crediderim respexisse Richardum ad exsilium in Cappadocia, quod primum fuit, ordinemque invertisse. Hoc interea septennio, nec tamen integro [g], ab anno scilicet 355, quo e Mediolanensi Conventu in exsilium actus est, ad annum usque 361 jam inclinantem, quo ab exsilio liberatus est, quæ quantaque ab Arianis pertulerit Lucifer, etsi memoriæ non consignaverint illius ætatis scriptores, ab ipsa tamen hæreticorum indole et impotenti sæviendi in Orthodoxos animo colligere facile est; et, si Faustino ac Marcellino fides, in exsilium ductum fuisse Luciferum scimus cum omni atrocitate injuriarum [h], adeo ut religiosissimum virum vitam ad multos annos produxisse miraculum videatur. Porro ex Sulpicii Severi historia de his fortissimis exsulibus Lucifero, Eusebio, Dionysio, aliisque Concilii Mediolanensis Catholicis Patribus hoc habemus testimonium: *Cæterum* (inquit Historicus) *exsules satis constat totius orbis studiis celebratos, pecuniasque eis in sumptum affatim congestas, legationibus quoque eos plebis catholicæ ex omnibus fere provinciis frequentatos* [i]; quæ egregie etiam confirmantur tum Hilarii multis in locis et Epiphanii testimonio [j], tum eximia illa Eusebii epistola a Baronio relata [k], ex qua etiam liquet, quam indigne ab Arianis sanctissimi illi Confessores vexarentur. Quod autem Lucifero pepercerint Ariani, ne morte illum afficerent, in causa fuit martyrii invidia [l], qua a Constantio ordinatum, mandatumque, ut Lucifer omnino servaretur hac ducto impia vel inani spe, ut suæ nimirum voluntati aliquando cederet, et Athanasii condemnationi, quod unice in votis erat, manum daret. Hic notandum occurrit Photium in sua Bibliotheca scriptum reliquisse, Luciferum nostrum post Mediolanense Concilium cum Dionysio, Eusebio, Rhodano, et Paullino Episcopis Arimini exsulasse [m]. Neque enim urbs illa exsilio apta, utpote in florentissima Italiæ regione sita, neque ulla apud alios synchronos auctores mentio hujus loci occurrit, immo omnes uno ore fatentur in Orientales Provincias perquam remotissimas, atque asperitate locorum, et Arianorum perfidia potentiaque difficillimas exsulare coactos sanctos Præsules a Constantio Imperatore fuisse. Notandus ultimo et obiter Philippi Ferrarii palmaris error, qui Lucifero a Constantino Imp. in exsilium actum scripsit [n]; nisi typographi vitio *Constantinum* pro *Constantio* irrepsisse æquiori judicio velimus.

A

B

§ IV.

Dum exsul Lucifer perfidiam Arianorum patientia confundit, eorum etiam errores scribendo profligavit. Quatuor habemus priores egregie scriptos ad Constantium Augustum libros a Lucifero nostro pro Catholica asserenda tuendaque veritate adversus Arii et asseclarum ejus impia dogmata, et impotentes ad ea sustinenda ipsius Imperatoris conatus. Scripta igitur isthæc misit ad Constantium Lucifer [o]: ea is accepit, legit, obstupuit, vixque sibi persuadens, inveniri aliquem posse tantæ confidentiæ, libertatisque virum, qui de impietate sua illum auderet tam libere aperteque arguere, Florentio jussit Officiorum magistro, ut Lucifero ipsi suo nomine scribens illumne eorum voluminum auctorem esse sciscitaretur, mitteretque etiam libros ipsos a Lucifero cognoscendos [p]. Libris ergo cum Florentii epistola acceptis Lucifer ingenue fassus est, se illorum parentem auctoremque esse, ipsique Florentio rescribens codicem reddidit [q]. Duos pro Athanasio libros Germaniciæ scriptos, missosque inde ad Constantium autumat cl. Matthæius [r] ex eo in hanc sententiam descendens, quod in eis Lucifer Eudoxium nominet Germaniciensem, Arianum Episcopum. Adversatur tamen Cave Matthæio, volens Eleutheropoli

C

D

[a] Lib. 3, c. 5.
[b] Lib. 3, c. 4.
[c] Lib. 5, c. 12.
[d] Hist. tripar. lib. 6, c. 19. *Uterque enim* (Lucifer et Eusebius) *ultra Thebaidis terminos ab exsilio remeantes*, etc.
[e] Lib. 1, c. 17. Baron. l. c. n. 80. Papebr. l. c. n. 8. Matthæius l. supra cit.
[f] *Constance l'envoya en exil à Germanicie, ville de Syrie, d'où il fut transféré à Eleuthéropolis en Palestine, ensuite en Thébaïde, et en un autre endroit dont on ne sait pas le nom.* Diction. Univ. Eccles. tom. III, litt. L, pag. 712, col. 2. V. LUCIFER.
[g] Marcellinus et Faustinus erroris arguendi, qui Luciferi exsilio decennium assignant in cit. libel.
[h] In libel. prec. apud Sirmon. l. c. et ex Lucif. ipso lib. *de non conven. cum hær.* (*Huj. Patrol. tom. col.* 775), ubi: *Propterea odis nos, quia concilium vestrum malignantium exsecremur, propterea in exsilio sumus, propterea in carcere necamur, propterea nobis solis prohibetur conspectus: idcirco reclusi in tenebras custodimur ingenti custodia: hujus rei causa nullus ad nos visendos admittitur hominum.*
[i] Lib. 2. n. 40.
[j] Hær. 30.
[k] Ad an. Chr. 356, n. 92.
[l] Id. ibid. n. 80.
[m] Διὸ καὶ σύνοδον διὰ ταῦτα κατὰ Μεδιόλανον πόλιν τῆς Ἰταλίας ἀθροίζει· καὶ τινας μὲν πρὸς τὸ οἰκεῖον διαστρέψει βούλημα. Διονύσιος δέ, καὶ Εὐσέβιος, καὶ Ῥοδανὸς, Παυλῖνός τε, καὶ Λουκίφερ, τὸ οἰκεῖον καὶ τῆς εὐσεβείας μὴ καθυβρίσαντες φρόνημα, καὶ οὐδ' Ἀθανασίου καταγνῶναι ἀνασχόμενοι (ἤδεισαν γὰρ τὴν Ἀθανασίου κατάκρισιν τὴν τῆς πίστεως προοιμιάζεσθαι καθαίρεσιν) ἐν Ἀριμήνῳ ὑπερορίζονται. In Biblioth. edit. Rothomag. an 1653, pag. 1444.
[n] *In exsilio una cum S. Eusebio Vercellensi a Constantino pulsus est.* In Catal. SS. ad diem 18. Jan. pag. 45.
[o] D. Hier. de Scrip. Eccl. in Lucif.
[p] V. Baron. ad an. Chr. 356. n. 73, et Tilium in calce Operum Lucif. edit. Paris. an. 1568.
[q] Baron. ibid. et Til. ibid.
[r] Sard. Sac. in Eccl. Calar. pag. 73.

libros illos et elucubratos et missos Constantio [a]. Verum partim Germaniciæ, partim Eleutheropoli scriptos fuisse et rationes non ita leves et conjecturæ suadent, ut in § IV Præfat. dictum est : hoc unum certum habeo exploratumque, libros illos ab exsule Lucifero exarari cœptos post an. Chr. 356, et absolutos circa initium an. 360. Ut egregii hujus operis nuntium accepit Athanasius, qui tunc et ipse exsulabat, statim per Eutychetem Diaconum Lucifero litteras misit, rogans ut libros Constantio oblatos sibi etiam legendos diligenter mitteret [b]. Hoc sine mora præstitit Lucifer, qui ex hoc ab Athanasio honorificum sanctitatis doctrinæque meruit testimonium, ut Athanasii ad Luciferum epistolam vel legenti patet [c]. Marcellinus et Faustinus, Libelli supplicis auctores, in eo tradidere, Athanasium, ut Orientalibus Catholicis solatio et exemplo essent in ea Ecclesiæ universæ perturbatione, Luciferi libros in Græcum sermonem transtulisse, quam tamen Athanasii versionem cum aliis ad Luciferum litteris [d] periisse dolemus. En Marcellini et Faustini verba : *Quos quidem libros cum per omnia ex integro ageret, suspexit et Athanasius ut veri vindices, atque in græcum stylum transtulit, ne tantum boni Græca lingua non haberet.* Ast quid iis libris acceptis egerit Augustus, nescimus : graviter tamen Luciferum sibi libere alloquentem tulisse, indignatumque maxime illi fuisse ex his Luciferi verbis conjicitur : *Dicis nos insolentes exstitisse circa te, quem honorari decuerit. Si quisquam Dei cultorum pepercit apostatis, sint vera, quæ dicis de nobis* [e]. Neque his contentus Lucifer aliqd deinde edidit commentarium, quod absoluto Sirmiensi Conciliabulo et Constantinopolitano scripsisse ex ipsius verbis elicitur : nam Eudoxium Macedonio in Constantinopolitana Sede suffectum commemorat, qui illi certe ab Antiochena cathedra traductus post illa pseudo-concilia fuit subrogatus [f]. Hoc opus *de non parcendo in Deum delinquentibus* inscripsit, cumque totus martyrii desiderio æstuaret, nec quæ in lucem ediderat ad Arianos opprimendos satis esse arbitraretur, postremum subinde opus elaboravit, cui titulus *Moriendum esse pro Filio Dei;* quos libros, etsi unico comprehensos aliqui censuerint [g], et simul Constantio oblatos, attamen eadem animi constantia scriptos, post primos, de quibus mentionem fecimus, certum est elaboratos a Lucifero fuisse, ut ait Papebrochius [h], et fortasse in ultimo sui exsilii loco. In hisce Luciferi lucubrationibus patet vis magna dicendi, igneusque ex ore Luciferi erumpens gladius ad hostes Ecclesiæ uno veluti ictu perimendos, ex quo factum ut tot elogia in illum contulerint Patres, suorumque temporum Eliam illum appellare non dubitaverint [i]. Hic judicium cl. Meldensis Episcopi de Luciferiano stylo in medium liceat proferre, utpote qui diligentissime illius edendis operibus primus incubuit. *Ipsius sermo* (scil. Luciferi) *adeo rudis est et incomptus, quem ipsemet etiam rusticum vocat : et qui diligenter perpenderit, eum gravem et sententiis refertum, virique ingenio valentis inveniet, etc.* Deinde : *Totum opus exiguum admodum foret, si ab eo Scriptura divina, quam promptiorem habere non potuisset, scinderetur, et auferretur* [j]. Ita ille, et merito : Scripturæ vero divinæ versio, qua usus est Lucifer, antiqua omnino ea est, et ab illa, qua nunc utimur, Vulgata notabiliter discrepans, ut ex notis huic nostræ editioni subjectis palam fit. Interserit etiam sæpissime latinis Sardoas et Græcas voces Latio donatas, phrasesque usurpat nova sane syntaxi omnino barbaras, et græcizantes, quas a viris doctissimis [k] notis illustratas hac in editione obvias unusquisque habet.

§ V.

Antequam ad alia progrediamur, quæ ad Luciferi gesta spectant, ut res clariori luce donentur, de *Edicto* illo celebri operæ pretium existimamus diligenter inquirere, quod toties et indignans commemorat ipse Lucifer in omnibus fere libris quos superiori paragrapho recensuimus ; quodque uberiorem tractationem a nobis requirere videtur ad Luciferi sensus dignoscendos, utque ea, quæ ad historiam illius temporis attinent, ipsomet Luciferi testimonio comprehentur. Qua in re illud certum statuimus ex Sozomeno [l], Constantium eo consilio Mediolanensem Synodum indixisse, ut discordes Episcoporum animi in unam Fidei sententiam convenirent, quæ tamen Nicænis decretis adversaretur : *Constantius* (ait Sozomenus) *qui solus jam Imperio Rom. potiebatur, omni studio perficere conatus est, ut Occidentales Episcopi cum iis consentirent, qui Filium Patri similem secundum substantiam asserebant :* Τοὺς ἀνὰ τὴν δύσιν ἐπισκόπους τοῖς ὁμοούσιον πατρὶ τὸν υἱὸν δοξάζουσι συνιέναι : ubi tamen mendum typographicum inest, edita ὁμοουσίου voce pro ὁμοιουσίου ; cum idem Sozomenus [m] scribat, Constantium *non penitus destitisse Filium κατ' οὐσίαν ὅμοιον confiteri.* Sed cum id consequi non posse se sentirent hæretici Episcopi, qui Constantio quotidie aderant callidi pacis procurandæ auctores, prius de proscribendo Athanasio consilium Imperatori suggesserant, quo damnato ab Episcopis etiam Occidentalibus, facile deinceps Nicæna Fides everteretur : *Sic enim* (ait idem Sozomenus) *cogitabat,*

[a] De Script. Eccl. sæc. Ariano pag. m. 156.
[b] V. in fine edit. Til. et Baron. l. c.
[c] Baron. ibid.
[d] Eruimus alias Athanasium Lucifero dedisse epistolas ex iis verbis, *Misimus etiam nunc*, etc. in superstite illa, de qua loquimur, epistola : verum periere.
[e] In libro *De non parcendo* etc. pag. 169 (*col.* 937).
[f] Baron. ad an. Chr. 356, n. 69.
[g] Tilius in Præf. ad Pium V. in edit. oper. Lucif.
[h] T. 3. Maii ad d. 20. c. 4, n. 23.
[i] S. Athan. apud Corn. a Lapide epist. 2. ad Timoth. c. 1. et S. Hieron. de vir. illust. c. 95.
[j] In cit. præf.
[k] Cotelerius, Tilius, Sabatierius, Latinius, la Cerda.
[l] Lib. 4. c. 8. edit. Vales.
[m] Id. lib. 3. c. 18.

si Athanasius communi omnium suffragio e medio removeretur, facile se deinceps ea quæ ad religionem pertinent, pro arbitrio constituturum : quam veram fuisse causam Mediolanensis Concilii ipse confirmat cap. 9. Huc igitur referenda, quæ Lucifer sæpe Constantio exprobrat, subdolum illum vocans pacis auctorem, cum pacis re vera esset inimicus [a] : *Dixisti, Pacem volo firmari in imperio meo, cupiens violare in nobis pacem dominicam;* et : *Si non es tu Constantius Imperator, qui finxeris pacem te facere;* et, *Nobis dicebas, Pacem volo fieri.* Ita in libro *de non conveniendo cum hæreticis;* atque in libro I pro S. Athanasio pag. 54 (*col.* 819) : *Tu pacis causa te facere astruxeris;* ut Athanasius scilicet damnaretur : tum in lib. *de non parcendo in Deum delinquentibus* pag. 225 (*col.* 992) : *Fingens pacem te firmare, conatus fueras ad omnem Dei Ecclesiam destruendam;* quæ omnia certe Mediolanense Concilium spectant, cujus nefaria gesta Lucifer in suis libris omnibus sæpissime perstringit. Neque ea ad Ariminensem Synodum referri possunt, cum illa pacis item obtentu a Constantio postea fuerit indicta, ut Sozomenus [b] et Socrates [c] testantur, sed ficto semper et iniquo hæreticorum consilio : Lucifer enim se id a Constantio audisse affirmat, *Pacem volo fieri,* cum nempe Legatus Pontificis Concilio præsset; et Liberius ad Luciferum scribens paullo post idem Concilium hinc epistolam exorditur pag. 2 (*col.* 766) : *Quamvis sub imagine pacis humani generis inimicus vehementius in membra Ecclesiæ videatur esse grassatus, vos tamen, etc.* Hanc itaque ob causam duplex *Edictum* comperio latum a Constantio : alterum quo Episcopi, qui a Concilio aberant, jussi sunt subscribere Arianorum in Athanasium sententiæ; quod ab ipso Athanasio innuitur : *Quot* (inquit) *Episcopi, prout in sacris litteris est, ad præsides et reges abducti sunt, et a judicibus hanc sententiam audierunt, Aut subscribite, aut ab Ecclesiis recedite; detrahi enim vos ab Ecclesiis Imperator jussit* [d] : at de hoc Lucifer minime scribit, quippe hujusmodi esse significat, ut novam Fidei formulam complecteretur : alterum vero, quod a Sulpicio Severo *Epistolæ* nomine notatum est; et est illud, quod Lucifer spectavit, cum suos libros componeret, cuique apprime conveniunt, quæ in illud a Lucifero ingesta leguntur. Narrat enim Sulpicius [e], *epistolam* a Valente et Ursacio *sub imperatoris nomine emissam omni pravitate refertam, eo consilio, ut,* si a populo probaretur, *publica auctoritate cupita proferrent; sin aliter, omnis invidia esset in rege,* qui nondum baptismate tinctus Fidei mysteria nosse non poterat : *Lectam in ecclesia Epistolam populus anersatur : Dionysius, quia non esset assensus, urbe pellitur, etc.* Porro quam callide scripta fuerit, quam compte et ornate, tum quid illa contineret impium et blasphemum in Catholicam Fidem, Lucifer ipse declarat [f] sæpiusque confirmat [g]; nam *verbum tuum* (inquit), *per quod serpis ut cancer, falso fucato scientiæ tumore componis, astruendo te omnibus flagitiis tuis maculato Edicto tuo rescissore, messe omnium errorum;* tum, *Novella tua prædicatio, et recens religio sub prætextu Fidei blasphemin in perniciem salutis tuæ per te prolata;* ac rursum : *Nisus es blasphemiam consacrilegi tui Arii ore prolatam nunc per satellites tuos, nunc edicto tuo, nunc spiritibus immundis referto ore tuo prædicare.* Quod autem Lucifer Edicti nomine hanc epistolam significet, tum exemplo Athanasii confirmari potest, qui litteras Præfecti Ægypti de Georgio in Athanasii ipsius locum substituendo in speciem Edicti propositas fuisse scribit ad Orthodoxos, siquidem hæ litteræ ad annum 356 referantur cum Pagio et Valesio [h] contra Baronii sententiam, qui easdem de Gregorio itidem in Alexandrinam sedem infruso scriptas existimat, et in annum rejicit 342; tum auctoritate Hieronymi de Prato, qui in nota Sulpicii testimonio subjecta nobiscum consentit; tum denique quod idem Lucifer [i] a se suisque collegis Episcopis illud contemptum fuisse dicat : *Bene me petulantem diceres, si non recte contempsissemus sacrilegum Edictum tuum;* idque Mediolani in Palatio actum testatur in libro *Moriend. esse pro Fil. Dei* pag. 244 (*col.* 1014), cum dixisset *judicibus,* Constantio *velo misso audiente, quod licet* omnia imperii arma in se suosque converterentur, *veluti in sacrilegi decreti contemptores,* numquam e proposito Catholicæ Fidei tuendæ recessisset. Hæc autem, quæ de Epistola, seu Edicto Constantii dicta sunt, Hilarius quoque in animo habebat, cum ea scripsit [j], quæ attulimus in nota subjecta pag. 17 (*col.* 780) hujus editionis, et quæ Pratensis ex eodem loco in aliam ad Sulpicium notationem transtulit : *Antea enim in obscuro atque in angulis Dominus Christus Dei esse secundum naturam Filius negabatur, et essentiæ inops paternæ accepisse cum creaturis originem ex non existantibus prædicabatur. At vero nunc publicæ auctoritatis professione hæresis prorumpens, id quod antea factum nunc non clam victrix gloriabatur.* Et huc referunt Maurini Operum S. Hilarii editores testimonium Luciferi ex lib. *Moriend. esse,* etc. paullo superius productum. Sane Ariana hæresis tum primo Imperatorum auctoritate fulta in Mediolanensi Synodo victrix in Romanum Orbem palam erupit, quæ antea non tuta satis sese astu et fraude tegebat; quod sæpe in Constantium Lucifer ingerit, ejus scilicet imperio et potentia Arianum virus in omnes terræ partes fuisse diffusum. Superest inquirendum, utrum huc referre quoque oporteat aliud Luciferi nostri testimonium ex libro *de non pareen. in Deum delinq.* pag. 172 (*col.* 940), quod est hujusmodi : *Negabis te ad idololatriam invitasse nos suscipiendum? Si censes negandum,*

[a] Lib. *de non conv. cum hæret.* pag. 9 et 12 (*col.* 773 *et* 778).
[b] Lib 4. c. 17.
[c] Lib. 2 c. 37.
[d] In epist. ad Solit.
[e] Lib. 2. Hist. Sacr.
[f] Lib. *de non conv. cum hæret.* pag. 17 (*col.* 780).
[g] Id. in lib. *Moriendum esse pro Fil. Dei,* pag. 241, 245. 261 (*col.* 1011, 1015, 1031).
[h] Lib 1. Observ. ad tom. 2. Script. Eccl. Hist.
[i] Lib. *de non parc. in Deum delinq.* pag. 198.
[j] Lib. de Synod. n. 78.

convincent te expositiones sectæ tuæ Episcoporum com-
blasphemorum videlicet tuorum, convincent te libelli
recitati a te, ac dati Romæ Episcopis etiam Catholicis,
ad hoc videlicet, ut omni in loco tua roborari posset
blasphemia. Hæc Luciferi verba protulit Auctor Diatribæ I de gestis Liberii præpositæ Operibus S. Damasi §10 pag. 117 (*col.* 320), ex lib. scil. primo pro S. Athanasio : qui locus correctior a nobis infra exhibetur. Is porro auctor autumat Ariminensem, seu potius Acacianam formulam ab Lucifero hic designatam, significatamque fuisse; et opinionem rejicit Tillemontii, qui existimat [a], Luciferum id scripsisse de Formula Sirmiensi anni 357, quo anno Constantius Romæ fuit, ibique ait libellum ab Augusto recitatum, per urbem sparsum, et Catholicis Episcopis oblatum Imperatoris jussu, ut eorum animos ac sententias exploraret de formula illa Fidei paullo post in Sirmiensi conventu publicanda. Sed antequam in hæc diligentius inquiramus, animadvertendum est (quod in notis etiam pag. 56 (*col.* 821) monuimus, ubi corrigendus error, qui per inconsiderantiam excidit, cum Hieronymo a Prato attributa fuerit Diatriba de gestis Liberii præposita Operibus S. Damasi PP.) *Perfidiæ*, *Blasphemiæ*, ac *Idololatriæ* nomine significari a Lucifero simpliciori sensu hæresim ipsam Arianam; licet intelligi quandoque queat hisce vocibus *Edictum* Mediolanense, de quo mox diximus : hoc vero in loco tria sunt distinguenda; *Idololatriæ* ac *Blasphemiæ* voces, *Expositiones Episcoporum Arianorum*, et *Libelli recitati ac dati Romæ* a Constantio *Episcopis Catholicis*. *Blasphemiæ* itaque ac *Idololatriæ* voces ipsam Arii hæresim indicant, quam Constantius *roborari in omni loco*, et suscipi ab omnibus volebat per Arianas Fidei expositiones, et libellorum impiorum ope, quos Romæ præsertim jussit dispergi : et recte quidem novum idololatriæ genus Ariana hæresis, et idololatræ Ariani dicti sunt ab aliis Patribus Athanasio, Basilio, Gregorio utroque, Nazianzeno ac Nysseno, et Cyrillo Alexandrino, quia, ut ex iis animadvertit Petavius [b], *eum, quem creaturam fatebantur, adorare tamen sese dicerent, unde nihil a Gentilibus differrent :* nomine autem *blasphemiæ* non una Sirmiensis Formula notari potest, sed omnes hæreticæ Arianorum Formulæ; quod et Hilarium fecisse affirmant ejus Operum editores [c]. At enim, inquit laudatus Auctor Diatribæ adversus Tillemontium, *cum Lucifer* recitatos *a Constantio* Libellos, *ac per manus Episcoporum traditos scribat, ut ejus* in omni loco roborari posset blasphemia, *facile intelligit lector, agere illum non de præmeditata tantum, sed producta jam in lucem, et promulgata* blasphemia; *deinde nemo facile concessurus erit*, blasphemiam, *quam sciunt omnes Sirmiensi illo clanculari ac fortuito congressu deinde conscriptam, eo jam tempore efformatam, lectam Catholicis Episcopis, ac per manus traditam esse potuisse.* Hæc ille, et recte de formula Sirmiensi; quæ tamen suæmet sententiæ adversan-

A tur; nam et Ariminensis, et Seleuciensis, sive Acaciana Formula, quas vult a Lucifero indicari, adhuc promulganda erat; et quidem triennio post editæ fuerunt, si cum Petavio annum 356 tribuas Romano Constantii triumpho; post biennium vero, si triumphum illum rejicias in annum 357, cum Pagio, Valesio, aliisque. Præterea Ariminensis quoque formula clam et furtim a Valente confecta fuerat : de Seleuciensi vero condenda quot inter hæreticos Episcopos dissidia orta, et contentiones motæ? qui tandem Formulam Ariminensem suffragiis suis probaverunt. Neque hæ tantum Formulæ post scriptæ fuerunt, quam Constantius Romæ libellos illos disseminavit : nam et Eudoxius conventu Antiochiæ celebrato an. 358, una cum Episcopis, qui eidem
B opinioni favebant, et *similis substantiæ* vocabulum, et *Consubstantialis* etiam vocem rejecit, ut Sozomenus asserit [d]. Nihil propterea certi ex iis Luciferi verbis constitui potest; quæ, ut idem auctor scribit, *subobscura videri* queunt *nobis, qui ab iis temporibus longe absumus.* Sed ut nostra quoque sententia pateat, sic quidem statuimus, Luciferum non hanc vel illam potius *Fidei Expositionem* innuere, unice autem exprobrare Constantio, quot quamque variis post Mediolanense Concilium *Fidei Expositionibus* conatus fuerit Nicænam Fidem impie evertere, et Arianam *blasphemiam in omni loco roborare;* quod rursum in libro *Morien. esse pro Fil. Dei* Constantio objicit, uti ibi advertimus. Libelli autem ab illo Romæ recitati, et dati etiam Catholicis Episcopis, ii
C profecto fuerunt, quos in eodem libro *de non parcen. in Deum delinq.* pag. 220 (*col.* 990) commemorat hisce verbis : *Quantum apud te est, tradidisti eum*, id est Filium Dei, *de quo et libros scriptos dedisti;* ideoque ejusmodi erant, quibus Arianum dogma impie propugnabatur, sed callide ab Episcopis Arianis, fortasse ab ipso Eudoxio Germaniciæ tum Episcopo, qui cum Constantio Romæ versabatur, compositi, ut Romanam plebem et Catholicos Episcopos fraudulenter in errorem pertraherent; quin multo est verisimilius in iisdem impias illas locutiones descriptas fuisse, et blasphemas sententias, quas *Epistola* Mediolanensis, sive *Edictum* complectebatur : de his per conjecturam disserere licet, cum de isto Constantii facinore nemo veterum præter Luciferum
D memoriæ quidquam prodiderit. Quid autem integrum hocce Luciferi testimonium juvet laudati Auctoris sententiam de duplici Liberii exsilio, quod ipse tuetur, satis non video : ulteriori investigatione rem hanc non premimus, cum negotium istud nostra non intersit. Monemus tamen opinionem ejusdem Auctoris de sensu hujusce vocis *blasphemiæ* ideo a nobis subjectam fuisse pag. 56 (*col.* 821) ad primum Luciferi librum pro S. Athanasio, ubi *idololatriæ* vox irrepsit pro voce *blasphemiæ*, quia ibi de illius sensu, aliarumque affinium vocum ex Lucifero quædam notavimus, quæ cæteris inde Luciferi nostri locis lucem

[a] Art. 63. de Arian. n. 6.
[b] Lib. 2. cap. 12. n. 6.
[c] In lib. 4. de Trinit. n. 12.
[d] Lib. 4. c. 12.

afferrent; cum cæteroquin Auctoris verba et sententia ad testimonium ipsius Luciferi mox explicatum re vera pertineant. Jam de his satis. Ad Luciferi gesta veniamus oportet, et ea, quæ vel ad illius ætatis historiam spectant, vel sensum verborum, et Luciferi mentem aliquomodo respicere possunt, quisque offendet in suppositis huic editioni annotationibus.

§ VI.

Constantio Augusto e vivis sublato Mopsucrenis prope Tarsum III. Non. Novembres anno Chr. 361, cum ab Euzoio Ariano Episcopo, ut ait Socrates [a], sub mortem baptizatus fuisset, frustra suadente Lucifero, ut per Athanasium, sive Coepiscopos ejus salutare consequi vellet regenerationis lavacrum [b], Flavius Claudius Julianus cognomento *Apostata* Romani Imperii habenas, quas favore militum primum Lutetiæ Parisiorum superiori anno, dein iisdem volentibus in Dacia arripuerat Constantio vivente, regendas metu liber et solus suscepit. In ipso veluti Principatus vestibulo magnam sibi laudem apud optimos quosque comparavit vaferrimus Imperator, pacem turbatis Ecclesiæ rebus sub prædecessore frustra quæsitam, desideratamque restituens, omnesque Episcopos exsilio antea a Constantio multatos ad suas Ecclesias redire permittens [c], iisdemque direpta ab hæreticis bona restituenda, nec quemquam amplius pro Fide vexandum decernens [d]. Lucifer ergo Juliani gratia exsilio liberatus Tauro et Florentio Coss. anno 361 ad finem vergente [e] Ægyptiacam solitudinem reliquit, et ad Catholicos redux afflicto Ecclesiæ statui subsidium attulit præsentissimum, et cum Eusebio Vercellensi, apostolicæ legationis socio, eos qui Arianæ hæresi manum dederant, ad Catholicæ Ecclesiæ sinum revocare satagens Orientis provincias magno labore lustravit [f]. Itinera hæc absolvisse Luciferum existimo a tempore Edicti, quo Julianus Episcopos Orthodoxos suis sedibus restituit, exeunte scilicet Novembri mense anni 361, ad tempus usque, quo indictum Alexandrinum Concilium, anno nimirum sequenti 362. post Georgii Cappadocis Ariani Episcopi Alexandrini obitum, reditumque ad illam sedem magni Athanasii [g]. Divertit autem a susceptis itineribus Lucifer, cum ad Antiochenas turbas sedandas, illamque Ecclesiam Arianæ hæreseos fæcibus purgandam delegatum se intellexit litteris Liberii Pontificis [h], qui et Eusebium Vercellensem per id tempus, ut Alexandrinæ Ecclesiæ subsidio esset, legatum destinaverat Synodo jam indictæ. Ita Lucifer, dum Eusebius cum Athanasio Alexandrino Concilio totus incumbit, ad Catholicos Antiochiæ domesticis turbis agitatos, et Arianis persequentibus laborantes accurrit, et ad Alexandrinam Synodum, cum ipse ire non posset, legatos suo nomine misit Diaconos duos Herennium et Agapetum, ut ex subscriptionibus synodicæ ejusdem Concilii apparet [i]. Hinc manifesta est Rufini hallucinatio, unum tantummodo Luciferi legatum illi Concilio interfuisse scribentis [j]; nisi dicere velimus, Herennium solum nominasse tamquam principalem, non excluso, sed prætermisso Agapeto, quod et fecisse existimaverim Auctorem vitæ S. Eusebii Vercellensis [k], Hieronymum a Prato [l], aliosque recentiores, qui digniorem, socio neglecto, nominarunt. Antequam Antiochiam peteret Lucifer, cum Athanasio et Eusebio Alexandriæ aliquantisper eum constitisse vult citatus Eusebianæ vitæ scriptor per hæc verba: *Beatus vero Lucifer, Calaritanus Episcopus, vale eis faciens Athanasio et Eusebio, Antiochiam ab eis missus est, ut Ecclesias confirmaret de consubstantialitate divinitatis, relinquens cum eis Alexandriæ Diaconum suum, qui ejus in Concilio vicem teneret, per quem professus est, ratum se habiturum, quidquid esset Concilii ordine constitutum.* Attamen pugnant hæc apertissime cum iis quæ ibidem sequuntur: *Lucifer autem cum exoraretur ab Eusebio, quia uterque in partibus vicinis Ægypto fuerat relegatus, ut ad videndum Athanasium Alexandriam pergerent, communique tractatu cum iis qui superfuerant, Sacerdotibus de statu Ecclesiæ decernerent, præsentiam sui abnegans, legatum pro se Diaconum suum mittit, atque ipse intento animo Antiochiam pergit* [m]. Si enim Athanasio valedicens ac Eusebio ab iisdem missus fuit Lucifer Antiochiam, cum iis profecto Alexandriæ diversatus est, ubi Diaconum suum dicitur reliquisse. Contra vero si exoratus fuit ab Eusebio, ut secum ad Athanasium invisendum Alexandriam pergeret, si recusavit eoire, si Diaconum suum illuc misit, evidens omnino est, nec Alexandriam

[a] Lib. 1. c. 46.

[b] Lib. 1. pro S. Athanas. pag. 109 (*col.* 876).

[c] *Omnes Episcopi, qui de propriis sedibus fuerant exterminati, per indulgentiam novi Principis ad Ecclesias redeunt.* Hieron. adv. Lucif. Socr. lib. 3 c. 1 et 5. Sozom. lib. 5. c. 5; Theod. lib. 3. c. 4. Baron. ad an. Chr. 361, n. 13.

[d] *Proscriptis vero lege lata facultates suas restituit: populis autem civitatum palam interdixit, ne quem Christianorum aut injuria afficerent, aut contumelia, neve invitos ad sacrificandum traherent.* Sozom. ex vers. Vales. lib. 5. c. 5. V. Julianum ipsum ep. 7. ad Artabium, ep. 43. ad Hecebolum ep. 52. ad Bostrenos. Quam subdole hæc Julianus, vide Greg. Nazianz. Or. 2. in Julian., Sozom. lib 5. c. 4. Socr. lib. 3. c. 1. Theod. lib 3. c. 6. et 17. Evagr. Vit. Pat. in Apollonio c. 7.

[e] Chron. Prosp. Aquit. ap. Canis. t. 1. Thes. Monum. p. 293. et Petav. Rat. Temp. in Success. Cons. Rom. t. 2. p. m. 466.

[f] Ex Greg. Nazianz. Orat. de laudibus Basilii, et Baron. ad an. Chr. 362. n. 58.

[g] V. Nazianz. ibid. et Baron. ibid. n. 171.

[h] Baron. ibid. n. 177.

[i] Ἐγώ τε Ἀθανάσιος, ὁμοίως καὶ οἱ ἄλλοι ἐπίσκοποι οἱ συνελθόντες ὑπέγραψαν καὶ οἱ ἀποσταλέντος δὲ παρὰ μὲν Λουκίφερος τοῦ ἐπισκόπου Σαρδίας νήσου, διάκονοι δύο, Ἑρέννιος καὶ Ἀγαπητός. T. 2. Concil. edit. Ven. 1728, pag. 947. et seq. et T. 1. Opp. S. Athanasii edit. Paris. an. 1627, pag. 580.

[j] Lib. 8. c. 27. V. Baron. l. c. n. 180.

[k] In Addit. ad Conc. Alex. ex nova Collect. Baluzii T. 2. Concil. ejusd. edit. pag. 951.

[l] V. notas ad Sulp. Sev. t. 2. pag. 244.

[m] Apud Boll. ad diem 25. Maii tom. 5.

intrasse, nec Athanasium vidisse, nec Diaconum ibi, ut suo nomine Synodo interesset, reliquisse. Ergo qui vitam illam contexuit, sibi minime constans, historicæ veritati non consuluisse dicendus est. Ego quidem crederem narrationem illam partim a Rufini historia excerptam, partim ab anonymo auctore e cerebro eductam, adeoque sibi manifeste contradicentem: verba enim illa, *Lucifer autem*, etc., quæ postrema recitavimus, excerpta adamussim et integre sunt ex Rufini libro 1. c. 27. Credendum porro est, ut supra innuimus, Luciferum recta Antiochiam contendisse, nec Alexandriæ convenisse Athanasium, sed ab Eusebio divulsum, legatisque suis ad Alexandrinam Synodum destinatis, ad auxilium præstandum, ferendumque Antiochenis solatium properasse.

§ VII.

Hæc tunc temporis erat Antiochenæ Ecclesiæ facies. Duo unam eamdemque sedem occupabant Episcopi, Meletius propter Catholicam fidem exsul, et Euzoius datus Meletio successor ab Arianis. Quæ tunc Antiochiæ turbæ! Ariani Constantio favente contra Orthodoxos pro tuendo Euzoio quid non audebant? Catholici vero in duas partes distracti, Eustathiani nimirum Meletium, qui Arianis aliquando visus fuerat adhærere, sed ab iisdem recedens in exsilium pulsus Antiochia aberat, penitus aversabantur, utpote hæretica communione pollutum, suspectum, et perosum; alii contra Meletio obsequentes, ejusque partibus impensius faventes et Eustathianos fugiebant, et ut legitimum verumque Antiochenæ Ecclesiæ pastorem unum Meletium, quamvis exsulem, suspiciebant. Has ut procellas Lucifer sedaret, statim ac Antiochiam venit, animum viresque omnes intendit ea qua pollebat auctoritate, ut partes componeret, animos amico fœdere jungeret, pacemque Ecclesiæ illi restitueret [a]. In mentem ergo Lucifero venit, rejecto primum Euzoio Ariano, et excluso subinde Meletio Catholico Episcopo, ut in tertium quemdam Orthodoxi dissidentes convenirent, qui fide integerrima, et vitæ sanctitate omnibus Antiochenis probatus, communibus etiam votis studiisque Episcopus admitteretur. Accitis propterea duobus aliis, Cymatio Paltensi et Anatolio Bercæensi Præsulibus [b], Paullinum illis dotibus ornatum, et præ cæteris ea dignum sede Antiochenæ Ecclesiæ præfecit [c], qui hujus nominis secundus in ea Antiochenorum Præsulum serie. Opinati sunt Baronius [d] et Valesius [e], Paullinum ad Antiochenam sedem evectum ante Synodum Alexandrinam. Verum cum Hermantio in vita S. Athanasii [f], Pagio [g], Boschio [h], et editoribus Operum D. Athanasii [i] in eam potius sententiam concedimus, Paullinum Antiochenis datum fuisse Episcopum a Lucifero ipsa Alexandrina Synodo durante. Novus interea Antiochenus Præsul Paullinus duos misit, ut legitimus Episcopus, ad Alexandrinum Concilium Diconos suos Maximum et Calimerum, ut illi suo nomine interessent, qui et inter Concilii Patres sederunt, et suis subscriptionibus illius Synodi decreta probavere [j]. Et re quidem vera Synodus Alexandrina Paullinum ut verum legitimumque Antiochenorum Episcopum cognovit, tum legatis ejus admissis, tum eorum subscriptionibus acceptis. Insuper Patres illi in Synodica Epistola ita hortari Antiochenos videntur, ut positis partium studiis uni obtemperent Paullino: *Deinde qui ob Arianis redierunt allicite ad vos, eosque ut patres assumite, et ut magistri et tutores accipite, cooptantes vos interim dilecto nostro Paullino ejusque sociis:* et absenti Paullino Synodicam ipsam subscribendam mittentes ab illo etiam fidei professionem solemni scripto testatam volunt [k]. Ita Athanasius cum Ægypti Episcopis, et Epiphanius cum universis Cypri Ecclesiis Paullino communicantes illius electioni assenserunt [l]; quin et a Romano Pontifice Liberio approbationem meruit, ut Ecclesiasticorum Annalium parens ostendit [m], nec minus placuisse videtur Damaso, qui Paullino epistolas dedit tum in negotio Vitalis de Apollinaristarum hæresi suspecti et accusati [n], tum contra Apollinaris, Arii, Sabellii, Macedonii, Eunomii, et Photini errores [o]. Verum quidem est, Orientales Episcopos Paullini electionem re-

[a] Rufin. et Baron. l. cit. et Cassiod. Hist. Eccl. Tripar. lib. 6. c. 19.

[b] Boll. tom. 4. Mail ad diem 20. c. 5. n. 34.

[c] Socr. Sozom. Baron. l. c. Chron. Prosp. Aquit. apud Canis. t. 1. Thes. Monum. pag. 295. *Lucifer adjectis duobus Confessoribus Paullinum Eustathii Episcopi Presbyterum, qui se numquam hæreticorum communione polluerat, in parte catholica Antiochiæ Episcopum facit.*

[d] Loco cit. n. 180.

[e] In not. ad Socr. lib. 3. c. 5.

[f] Lib. 10 c. 9.

[g] In crit. Baron. ad eumd. an. n. 23.

[h] Hist. Chronol. Patriarch. Antioch. in Act. SS. tom. 4. Julii pag. 58. edit. Ven.

[i] In Monito tom. 1 p. 2. n. 4 pag. 770.

[j] In cit. Synodica Epist. *A Paullino vero Maximus et Calimerus, qui et ipsi Diaconi sunt.*

[k] In ead. Synod. *Ego Paullinus ita sentio, quemadmodum accepi a Patribus, Filium esse, et subsistere perfectum, etc.*

[l] Richardus t. 1. Diction. Univ. V. *Antiochie* pag. 284. col. 2. *Athanase et toute l'Egypte communiquait avec Paulin, Epiphane avec l'île de Chypre, l'Evêque de Rome avec les Occidentaux.*

[m] Loc. cit. n. 231. et seq.

[n] Observat Severinus Binius Paullino *Thessalonicensi* falso inscriptam Epistolam Damasi ex dolosa nimirum inscriptione a Theodoreto conficta et affixa Synodicæ Epistolæ Concilii Romani III, de qua vide notam sequentem ex tom. 2. Concil. edit Ven. pag. 1015.

[o] Synodica hæc epistola est Concilii III Rom. data Paullino Antiocheno Episcopo. Theodoretus dolose illi præfixit *Thessalonicensi Paullino* lib. 5. c. 11. Certum enim est, tunc temporis Acholium, virum sanctissimum, Thessalonicensibus præfuisse; quod et idem Theodoretus sulmet immemor tradit ex Epistola Synodica Concilii Constantinopolitani. Id factum a Theodoreto Paullinianæ parti infenso, ne Paullinus ipse catholica communione Damaso Pontifici conjunctus videretur, ut suspicatur Severinus Binius in notis ad hanc Epist. Tom. 2. Concil. pag. 1065 edit. Ven. De hac etiam Damasi

spuisse, et Meletio semper adhæsisse, atque ita schisma Antiochiæ perdurasse, donec Meletium inter et Paullinum pax sancita est ea conditione, acceptoque partium sacramento, Flaviani præsertim ac Theodori, ne alterutri decedenti successor daretur [a]; sed conventioni Orientales Episcopi non steterunt; ab illis enim exstincto Meletio in Antiochena sede Flavianus suffectus fuit; et ad multos annos schisma recruduit. Jam dissensionis causa inter Luciferum et Eusebium, improbatio nimirum electionis Paullini a Lucifero factæ, non est admittenda, etsi Rufini, Socratis et Sozomeni testimonio fulciatur; cum Eusebius ipse in Alexandrina Synodo et Athanasius cæterique Patres illam ratam habuerint: neque enim poterat Eusebius illud damnare, quod solemniter ipse probaverat [b]. Ego sane crediderim, non quidem Luciferi factum improbasse Eusebium, sed præcipitem atque intempestivam Paullini electionem illi unice displicuisse, de qua amice cum Lucifero conquestum, ubi Antiochiam accedens catholicas res non compositas modo, sed asperiores offendit, novasque et graviores vidit Orthodoxos inter exortas perturbationes. Etenim Meletii fautores illi ab exsilio Antiochiam reduci sese adjunxerant, et cum illo conventus agere ceperant a Paullinianis segregati, utpote qui unum Meletium Antiochenum Antistitem agnoscerent, et si aliquando Acaciana et Eudoxiana communione lapsum, gloriosa postmodum confessione insignem summo sacerdotio dignum existimarent, immo, si forte e dignitate excidisset, ad eam dicerent restitutum ipsius Alexandrinæ Synodi solemni decreto de lapsis vere pœnitentibus ad primos honores dignitatesque restituendis. Quæ propterea dissidia et scandala cum futura prævidisset Eusebius, non potuit contineri, quin cum Lucifero dissensionis quodammodo auctore familiariter conquereretur, consilium ejus in præpropera illa electione Paullini funestissimis effectibus gravida omnino improbans.

§ VIII.

Itaque, ut diximus, cum Eusebius Antiochiam veniens, accepta jam Paullinianæ electionis notitia, concordiam a Lucifero intentam non modo conciliatam non fuisse, sed nova inter Catholicos orta dissidia comperisset, celere nimis Luciferi consilium damnavit, studuitque, ut Antiochenæ Ecclesiæ negotiis meliori, quo fieri posset, modo provisum iret. Ergo Antiochia aliqua quomodocumque pace donata, Eusebius ad alias Orientis Ecclesias ordinandas animum et sollicitudinem convertit.

Verum Lucifer a se factam Paullini electionem ubi sensit ut præcipitem Eusebio displicuisse, ejus judicium ægre tulit. Præconceptam hanc animi acerbitatem Concilii Alexandrini decreta de lapsis vere pœnitentibus recipiendis, dummodo hæresum auctores non essent, eisque cum dignitate ad suas sedes restituendis anxerunt, [c] præsertim cum præter suam sententiam, qua ad fidem orthodoxam ab hæresi redeuntes communioni quidem admittendi, pristinis tamen honoribus erant privandi, Eusebio et Athanasio auctoribus factum suspicaretur. Quapropter indignatione æstuans Lucifer Concilii illius decreta rejecit, et cum Episcopis dignitati restitutis ratus non esse communicandum, ab eis cæterisque Alexandrinæ Synodi Patribus sese separavit. Hoc facto periculoso schismati locum et nomen dedit; qui enim in ejus sententiam abierunt, Luciferiani dicti sunt, eosque in hæresim deinde turpiter prolapsos egregiis scriptis D. Hieronymus insecutus est. Interea, dum reditum in Italiam cogitat, Cæsareæ consistere Luciferum oportuit, ut urbes illi Ecclesiæ in Cappadocia subjectas, quæ propter Eusebii Cæsareensis Episcopi electionem inter se dissidebant, ad quietem traduceret. Initio anni secundi Juliani Augusti, exeunte scilicet Januario an. 363, cum Annalium Ecclesiasticorum maximo parente hoc evenisse existimamus [d]. His expletis tandem ab Oriente in Italiam redux Lucifer eo ipso anno Chr. 363, Juliano Augusto IV, et Secundo Sallustio Promoto Coss., ut post tot exantlatos labores quieti aliquando consuleret suæ, in Sardiniam sese recepit. Sunt qui, antequam Lucifer Calarim rediret, illum aiunt in Campaniam appulisse, Zosimum Neapolitanum pseudo-episcopum Maximo in exsilium pulso ab Arianis suffectum [e] vitasse, Liberium Pontificem Romæ convenisse. At cum dubia omnia videantur, suspectoque Fausti et Marcellini Luciferianorum testimonio maxime fulciantur [f], volentes libentesque missa facimus, Calaritanæ regendæ Ecclesiæ annis a reditu circiter octo incubuit Lucifer difficillima sub Valente Ariano Orientis Imperatore nactus tempora. Valentiniano tandem seniore Occidentalis Imperii habenas moderante an. Chr. 371 inchoato, imperii ejus VIII, Gratiano Augusto II, et Sex. Anicio Probo Coss., vel saltem priore ad finem inclinante, Valentiniani VII, Chr. 370. Damaso Romano Pontifice Lucifer Calaritanus Episcopus ea in urbe e vivis discessit. Ejus obitus in Chronico Hieronymi ita notatur: *Lucifer Calaritanus Episcopus moritur, qui cum Gregorio Hispania-*

cum Paullino communione videnda epist. S. Basilii 214. alias 359. et epist. 216. al. 272. et Sarazanius ad Opusc. et Gesta S. Damasi Papæ cap. 10. num. 2.

[a] Ex Socr. et Greg. Nazian. Petavius Rat. Temp. p. 1. lib. 6. c. 7. pag. m. 281.

[b] Baron. l. c. n. 215.

[c] Conc. t. 2. ubi sup. Ruf. lib. 2. c. 28. Baron. l. c. n. 182.

[d] Ad an. 363. et Act. SS. T. IV. Maii ad d. 21 c. 5. n. 45.

[e] V. Mazoch. in Vet. Martyr. marm. Neap. c. 1. et 4. ad d. XI. Janu. Sabbat. in Vet. Kal. Neap. t. 5. p. 26. Murat. ad Chron. Jo Diaconi, Coletum Ital. Sacr. in Archiep. Neap. t. 6. Matth. Sard. Sac. loco cit. ubi in nota: « *Illud animadverto, quod* » *apud Baronium fortassis amanuensium culpa dicitur* » *Maximus in locum Zosimi suffectus. Miror hunc* » *errorem oculatissimum Mansium in Lucensi edit.* » *non emendasse, tametsi vel ipse Coletus T. VI. Ital.* » *Sac. monuerit esse corrigendum.* »

[f] Libel. Precum, ap. Sirm. l. c.

rum, et Philone Libyæ numquam se Arianæ miscuit pravitati [a]. Non juvat Joannis Faræ hic palmarem errorem explodere, qui Luciferi emortualem diem an. Chr. 390. Imperii Valentiniani junioris XVII consignavit [b], cui, nihil de chronologia solliciti, Dimas Serpius [c] et Seraphinus Esquirrius [d] assensere. An ante mortem schismati Lucifer renuntiaverit, et se catholicæ communioni reddiderit, incertum, et sub judice est. Pro Lucifero scripserunt præter Socratem, Sozomenum, et Nicetam, Papebrochius [e], Ruinartius [f], Thomassinus [g], Machinus [h], Methodius [i], Macedo [j], Ferrarius [k], Spondanus [l], aliique recentiores. Contra vero pugnarunt Ambrosius [m], Augustinus [n], Isidorus [o], Baronius [p], Natalis Alexander [q], Tillemontius [r], Sbaralea [s], Labbeus [t], Hieronymus de Prato [u], Severinus Binius [v], et plures alii nobiles Critici, quibus dubiæ sententiæ alios adjungimus Rufinum et Sulpicium Severum. Archiepiscopus Machinus grandi volumine plura pro tuendo Lucifero congessit, actaque inventionis ejus corporis (quæ et Papebrochius edidit), templorum quorumdam iconographiam, inscriptionesque Calari effossas protulit. Verum quid, si alterius Luciferi junioris Calaritani Antistitis, qui in Vandalica persecutione sub Hunnerico Rege martyr occubuit [x], corpus illud diceremus? Quid, si inscriptiones illas a Calaritanis conflctas cum Turritano Archiepiscopo assereremus? Nos tamen Urbani VIII P. M. XIII Kal. Julias an 1641, et Innocentii X. P. M. XVI. Kal. Novembres an 1647, decretis ea, qua par est, veneratione adhærentes cum cl. Matthæio [y] singula hæc neque probamus, neque respuimus, et neutri parti calculo nostro accedentes historica tantummodo narratione veluti ab aliis recitata sine fuco, aut contentione exposuimus. Si vero aliorum Scriptorum exemplum et veterem Mediolanensem Codicem secuti, in quo descripta est *Fides S. Luciferi Episcopi*, in ipso Operum initio et cujusque libri titulo *Sancti* appellationem Lucifero tribuimus, hanc eo dumtaxat sensu tributam profitemur, qui cum prævulgatis hac de re ejusdem Urbani VIII decretis omnino congruat.

[a] Et ex eo Petav. l. c. c. 7. pag. 281.
[b] De reb. Sard. lib. 1.
[c] Chron. SS. Sard. lib. 2 c. 3.
[d] Sanctuar. Calar. lib. 2 c. 1.
[e] Act. SS. t. IV. Maii ad d. 20.
[f] In not. ad lib. 4. Vict. Vit. p. 188. edit. Ven. 1732. et Cœmet. Sacr. lib. 4. p. 1. c. 3. p. 366.
[g] Dissert. 5. de Syn. Arimin. n. 25. p. 82. edit. Luc.
[h] Defen. Sanct. B. Lucif. edit. Calar. 1699.
[i] In Vita Ms. ap. Boll. l. c.
[j] De Diis Tutel. Orb. Chr. p. 215. et seq.
[k] Catal. SS. 18 Jun. p. 35.
[l] Epit. Annal. Baron. ad an. 362. edit. Paris. 1622, p. 464.
[m] Lib. 1. de S. Satyro tom. 2. Op. n. 47. col. 1127.
[n] Op. t. 2. epis. 185. al. 50.
[o] De Orig. lib. 8. c. 5. p. 105. edit. Paris. 1601.
[p] Ad an. Chr. 362. n. 225.
[q] T. IV. Hist. eccl. sæc. 4. c. 3. art. 13.
[r] T. VIII Hist. eccl. n. 4. pag. 764. edit. Ven. 1732.
[s] Adver. Vind. Cypr. dissert. 1. c. 1. n. 2.
[t] Hist. Conc. Constantinop. I. in Collect. Conc. pag. 1092. edit. Ven. 1728.
[u] In not. ad Sulpic. Sever. tom. 2. l. 2. p. 245. edit. Veron. 1754.
[v] Ad Vit. S. Liberii P. ex lib. Pontif. Damasi P. t. 2. Concil. edit. cit.
[x] Vict. Viten. in Not. Africæ ad Provinc. Sard., quæ sæc. IX. teste Leone Sapiente ad Africam pertinebat, ejusque Metropolis Calaris inter civitates Mauritaniæ Secundæ recensebatur, *sub gloriosissimo Africæ Eparcho*. Anno 484, postquam Carthaginem vocati venerant Catholici Africani Episcopi, quos inter Lucifer, in exsilium missi sunt, *ut ligna profutura navibus dominicis cæderent*. His egestate summa et tot ærumnis oppressis S. Symmachus P. M. quotannis *pecunias et vestes ministrabat*, ut ait Anastasius Biblioth. t. 3. p. 222.
[y] Sard. Sacr. loc. cit. *Ego singula hæc neque probo, neque respuo, sed historica tantum narratione veluti ab aliis recitata expono. Fateor enim me summa prosequi veneratione Decretum, quo Urbanus VIII an. 1641. die 20 junii præcepit* omnibus et singulis, etc. ne imposterum donec a Sanctitate sua, vel sancta Sede fuerit aliter ordinatum, audeant super Luciferi sanctitate, cultu, ac veneratione publice tractare, disputare aut altercari, illamque neque scripto, nec typis impugnare aut defendere. Exst. in Opere Ben. XIV. *de Beatific. et Canoniz. SS.* Tom 1. lib. 1. c. 40. qui de cultu Luciferi Episcopi Calaritani ita disserit, ut ostendat non fuisse hactenus Romani Pontificis auctoritate rite probatum.

JOANNIS TILII

EPISTOLA AD PIUM V. P.

QUÆ EXSTAT IN FRONTE OPERUM LUCIFERI AB EODEM TILIO ANNO 1568. EDITORUM.

Pio Quinto Sanctiss. Max. Pontifici Joannes Tilius Episcopus Melden. S. P. D.

Numquam ego auderem, Beatiss. Pater, te litteris convenire, nisi gravissimorum sanctissimorumque in Ecclesia veterum exemplo commonitus, qui semper ad Apostolicam vestram Sedem, sive consilio egerent, sive aliis maximis negotiis urgerentur, refugium habuerunt. Non enim potest tua sanctitas ignorare calamitates, in quibus hodierna die in Gallia versamur: ac in tali adversitate non possemus nos melius in Deo consolari, quam erga tuam prudentem paternitatem; et, dum pro modulo nostrarum virium has infestissimas et fœtidissimas brumas et nebulas conamur depellere, fateor, Beata

tiss. Pater, nostri ordinis contemptum et dedignationem nostra culpa ita miseram, ut nihil ferme amplius auctoritatis habeamus; et profecto eam non meremur. Quapropter ad primos nostros Patres Christi Domini temporibus propinquiores confugio, eorumque scripta evolvo et perquiro, ut ostendam quomodo in doctrina illius tractanda se exercuerunt, quam quidem ab ipso ejusque Apostolis temporum progressu didicerunt, quove pacto et seipsos et Christi partes adversus inimicorum insultus foverunt. Inter quos clarissimum mihi sidus Lucifer hic, solis lumen referiens, affulsit, qui pessimam istam et omnium post homines natos maximam Arii hæresim, Antichristi matrem, in apertum profert et elucidat. Quem splendorem in tuæ sanctitatis nomine apparere cupio, cujus evectionem ne quidem universus orbis amici atque inimici improbare aut contemnere possent, nec majorem in pastore curam et laborem pro Ecclesiæ utilitate desiderare. Duabus autem potissimum de causis id facio, quarum prior est, ut meo ordini antiquitus in Gallia integerrimo, atque in Deum et principem propensissimo ac fidelissimo exprobrem, quod his temporibus nostris adeo infelix et deplorandus fuerit, ut, puero rege nostro Christianissimo a Christianissimis regibus bene de nobis meritis orto, ne unus quidem repertus sit, qui illi religionem sartam tectam conservaverit: maxime cum his oculis viderimus cathedras cathedris adversari, et mensas profanas adversus altaria erigi, fidelesque Dei servos Episcopos etiam ipsos ab hæreticis et perfidis hominibus judicari, ac modis omnibus opprimi; cumulumne dicere auderem? atheismi praxim et omnem Dei oblivionem communem esse, et sanguinem Christi beneficio redemptum ubique fusum defluere: et tamen ne ulla quidem nostrorum vox adhuc oblatravit. Sed, quia anteacto tempore ita ignavi fuimus, nunc, cum sub tuo favore atque exemplo respirare licet, ut similiter Episcopis fratribus animum demus, viresque resumamus, mortem potius oppetituri, quam Ecclesia speciosa amica et sponsa Domini nostri Jesu Christi amplius ita laceretur et violetur. Ad quam rem satis eos animabit hujus gravissimi confessoris et evangelici præconis tuba. Altera me impulit ratio, quod multum mea in hoc libro intersit. Nam etsi totum volumen mihi opus videatur tractu uno Imperatori Constantio continuatum, ipsum tamen in libellos partitus est auctor; quorum unus asserit cum hæreticis venire nobis licitum non esse, aut aliquid commune cum ipsis habere. Cum essemus Poessiaci, non tam libere sum locutus, sed illud solum dixi, cum hæreticis disputationis publicæ colloquium et collationem instituere nefas esse, quasi in theatrum et lusum vocaremus verbum Domini; unde nihil aliud quam offendiculum multis nasci oriripue posset, et tandem, quod jam tum valde reformidabam, comœdia in tragœdiam verteretur. Itaque solus in mea sententia permansi, et ab illa disputatione, quæ mihi scelesta videbatur, me subduxi, atque multum contristabar ibi res sacras profanarum more tractari. Quare a quibusdam pro seditioso et hæretico prope sum habitus. Sed, quam tristis, atque adeo quam horrendus rerum exitus fuerit, omnibus postea innotuit, quod non solum nostris piis hominibus triste occurrit, verum etiam posteris magno dolori poterit esse. Superest ut enarrem, utrum operis istius auctor, ut et plerisque doctissimis, et ipsi quoque peritissimo divinæ sapientiæ Salomoni evenisse dicitur, sub vitæ terminum in erroneam opinionem sit prolapsus, cum nonnulli Luciferianos illius discipulos in hæreticorum numerum ascribant. Meum non est de tantis viris sententiam ferre; sed ingenue dicam, eam tum fuisse Ecclesiæ integritatem, ut nullam prorsus contentionem perciperet, quin e vestigio notaret: non quod insignes viros imaginationis vel opinionis cujusdam occasione damnaret hæreseos, nisi eorum assertio etiam de re gravi penitus majorum dogmatibus adversaretur, concordiæ tamen ac pacis Ecclesiæ adeo fuit studiosa, ut ne minimam quidem ansam seditionibus ac dissidiis præberi pateretur. Quapropter nihil huic magno confessori magis vitio vertitur, quam nimia durities atque severitas adversus matris nostræ Ecclesiæ solitam indulgentiam et conniventiam, quod ab his recederet, qui Episcopos et clericos in hæresim lapsos, et relictam a se fidem catholicam repetentes, ad honorem et pristinum in Ecclesia munus recipiebant. Narrant ecclesiasticæ historiæ quomodo hæc acciderint, causamque dissensionis inter illum et Eusebium Vercellensem: ac quoniam, ubi hæreses ac schismata plurimum regnant, nullus disciplinæ locus relinquitur, et mores magis inquinantur, ipse ac ejus asseclæ hoc veluti colore, ut vitia et vitiosos fugerent, sese a fidelium societate segregabant. Ex elegantioribus sancti Hieronymi libris unus adhuc nobis superest, qui adversus eos inscribitur. Quam tandem excusationem nostri temporis hæretici afferent, qui se eadem vestigia insequi jactitant? Sanctus etiam Augustinus in hunc ipsum Luciferum acrius invehitur, tamquam nimis morosum et difficilem, quod de Christo, qui Ecclesiæ caput est, bene illi conveniat cum Catholicis, de corpore vero, quod Ecclesia dicitur, non item; nec tamen [a] ejus sententiam de animarum generatione omnino damnat. Recentiores, quibus minus fidei et auctoritatis adhibetur, quique de eo tam certa expromere minime potuissent, pro libitu quicquid voluere commenti sunt, ita ut loco unius duos recenseant, unum Smyrnæ Episcopum et alterum Sardiniæ, illum quidem hæreticum, hunc vero virum probum et religiosum. Quidquid porro

[a] Augustinus in lib. de hæres. non Luciferi, sed Luciferianorum opinionem de natura animæ refellat, eamque ipsis attribuit, quippe qui dicant animam *ex transfusione generari*. Sane nihil hujusmodi legitur in libris Luciferi; nec veterum quisquam hunc errorem in Lucifero agnoviti.

id sit, non solum a suis contemporaneis proximæque ætatis hominibus clarus habitus est ac sanctus, commune tunc epitheton omnibus Ecclesiæ militantis hoc toto orbe fidelibus, verum etiam, postquam e vivis excessit, *beatus* est appellatus. Magnus Athanasius, Ambrosius, et Hilarius illum summo in honore habent, ac de ipso splendide loquuntur. Communis mihi atque illius ætatis videtur ipsius sermo, adeo rudis est et incomptus, quem ipsemet etiam rusticum vocat : at qui diligenter perpenderit, eum gravem et sententiis refertum, virique ingenio valentis inveniet. Ostendit enim versio locorum sacri voluminis, quod illa certe vulgaris erat, neque, ut postea fuit, recognita et emendata. Qui fit ut locutiones varietatesque notabiles non desinant occurrere, quas lectori minus, quam sumus, occupato colligendas relinquimus. Totum denique hoc opus exiguum admodum foret, si ab eo Scriptura divina, quam promptiorem habere non potuisset, scinderetur et auferretur. Idcirco purus et sincerus hic textus absque ullo periculo recipiendus est. Quod si auctor hæreseos labe notatus fuisset, majori probro nobis daretur, si homo reprehensus tam eximium opus edidisset, nos vero in demandatis nobis provinciis mutos, attonitos, et excordes degere, hac præsertim ætate, quando maxime opus est, ut pari simus animi fortitudine, qua tunc erant illi Antistites, cum nostrum de religione dissidium post illud Arii sit majus, quam unquam inter Christianos fuerit exortum. Si quis nunc mortalium tam sanctæ vitæ ac sacrati ordinis exstaret, qui talibus verbis principem suum improbum et perditum proscinderet, quemadmodum hic dignus faciebat confessor etiam in exsilium missus et relegatus, quid quæso de illo diceretur ? Eum vocat serpentem, belluam et immanissimam feram, latronem, sacrilegum, carnificem, homicidam, idololatram, templum dæmonum, et religionis eversorem, hæreticum, apostatam, Antichristi præcursorem, atque adeo ipsum Antichristum. Pacis insuper edictum ejus, quod prætextu sedandorum tumultuum promulgaverat, sacrilegum et pestiferum appellat. Hæretici susurrones, qui mundanis principibus adulantur, ipsis persuadere nitentes, quod Episcopi Episcoporum sunt, sicuti huic Imperatori Constantio evenisse

A hoc libro habetur, tales hodie illico capitis supplicio afficiendos esse clamitarent, et principes, qui hæc paterentur aut dissimularent, stultitiæ aut simplicitatis arguerent, sive is esset Constantius noster, sive Theodosius ille magnus a sancto Ambrosio Ecclesia pulsus : ferunt enim graviter et moleste, quod reges reddere nequeant tam infestos probis, quam fuit Herodes Joanni Baptistæ. Quamvis ante hunc Constantium, excepto ipsius patre, nullus Imperator Christiani nomen assumpserat, unde periculum erat, ne ferocior magisque titillationi obnoxius redderetur. Atque illos maximos Imperatores totius orbis dominos fuisse constat, quibus nostri reges quantumvis potentes neque viribus neque auctoritate pares videri possunt. Sed quanto B magis summi reges potentia excellunt, eo majori fere semper clementia et humanitate cœlitus donantur, quia sic Deo Opt. Max. suos suorumque negotia curare et conservare visum est. Sed ut finem faciam, quæ hic apparet historia, tempora nostra depingit, qualia ab aliquot jam annis cœperunt, non certe sine maximo totius Galliæ imperio, quæ nullam unquam antea hæresim sustinuerat aut foverat, quousque nunc sub regis nostri pueritia et innocentia emersit : cui Christianissimo piissimoque tantum opis et gratiæ Christus Dominus noster impartiri dignetur, ut fana et lucos, omnemque idololatriam demoliatur ac diruat, et omnem hæresim reprimat et exstinguat. Qua in re, Beatiss. Pater, sanctissimæ tuæ admonitiones, ut C debes, multo adjumento esse poterunt, cum bona illa vivendi norma, quam Ecclesiasticorum nostrorum abusibus adhibere curas. Quantum autem ad me spectat, qui nihil aliud quam terræ vermiculus sum, et non possum non perturbatum Ecclesiæ ordinem atque istam confusionem lamentari, non quod ideo velim ab ipsa recedere, aut alicui alteri tale quippiam suadere, satis mihi est in vinea Domini pro virium mearum tenuitate operari, tibique devotionem meam ac erga sanctissimam sedem testatam relinquere, Deumque Opt. Max. pro Regis mei felicitate, pro patriæ meæ tranquillitate, paceque universi orbis Christiani deprecari, in qua salvum D et incolumem Christus diu te nobis conservet. Meldis III Non. Januar. MDLXVIII.

SANCTI PATRIS NOSTRI LUCIFERI

EPISCOPI CALARITANI

PANCRATII PRESBYTERI ET HILARII,

LEGATORUM SEDIS APOSTOLICÆ

EPISTOLA [a]

AD EUSEBIUM EPISCOPUM VERCELLENSEM.

Domino honorificentissimo Eusebio Episcopo [b] *Lucifer Episcopus, Pancratius Presbyter, et Hilarius.*

Calcato capite diaboli, et suggestionibus pravis, domine sancte, gratiam tibi a Domino nostro concessam, rogamus, noli negligere, sed ut quantocius invadente [c] effugetur Arianorum dogma, jam accelerare dignare. Scit enim Dominus et Christus ejus, quia sicut in [d] adventu beatissimorum Apostolorum glorificatur Dei nomen in ruina Simonis, ita [e] Valente expulso in adventu tuo, dissoluta blasphemantium Arianorum machina destruatur. Nos, domine sanctissime, a prima die, qua [f] Vercellas venimus, religionem tuam usque in hodiernum cupimus, et Dominum rogamus, ut in [g] hac Ecclesia [h] restaurationem perpetuam laudent sancti omnes, tuamque [i] spiritualem virtutem debita laude prosequantur. Quod credimus perventurum, quia passionem salvatoris superari non posse confidimus. Christus dominus te gloriosum conservet, sanctissime ac beatissime.

[a] Cum magna esset Eusebii sanctissimi Episcopi Vercellensis auctoritas, plurimum intererat, ut Mediolanensi Concilio an. 355, in quo de causa Athanasii, ac fide Nicæna agendum erat, et ipse adesset pro religione tuenda. Hac igitur epistola Lucifer, veluti pontificiæ legationis princeps Liberii nomine, illum ad Concilium, quod initum jam fuerat, invitavit: qui tamen diu distulit adventum suum; donec Constantius Imperator suis ipse litteris Eusebium ad Synodum vocavit, cum spes esset Arianis illum in eorum sententiam pertrahendi. Eusebius, his litteris acceptis, et Imperatori se brevi adfuturum respondit, et Mediolanum illico properavit. Exstat Eusebii Epistola ad Constantium in gestis Mediolanensis Concilii in tom. II. Conc. Ven. Edit. in qua scribit se *etiam litteras fratrum, et Coepiscoporum* suorum accepisse, Luciferi scilicet, ac aliorum Legatorum Liberii, tum Episcoporum Arianæ partis, nomine totius Concilii.

[b] De hac Luciferi, tum Pancratii, et Hilarii legatione vide ipsius Luciferi vitam.

[c] Forte *invadens*.

[d] Innuit adventum Petri Apostoli ad urbem Romam, et Simonis Magi ruinam ejusdem Apostoli precibus.

[e] Quem cum Mago Simone comparat; isque veluti Arianæ factionis caput pro suo arbitrio cuncta in Concilio gerebat adversus Athanasium, et Episcopos Catholicos. Erat Valens Mursæ Episcopus Arianus in Pannonia.

[f] Lucifer Vercellas venerat an. 354. cum a Liberio ad Constantium missus fuit, ut de cogendo in Italia Œcumenico Concilio ageret cum Imperatore, qui tum Arelate in Gallia degebat.

[g] Id est *Mediolanensi*.

[h] Scilicet *Catholici dogmatis* adversus Arianos.

[i] Al. *specialem*.

LIBERII [a] PAPÆ

AD LUCIFERUM [b] IN EXSILIO CONSTITUTUM

EPISTOLA.

Liberius [c] *Episcopus dilectissimo fratri Lucifero.*

Quamvis sub imagine pacis, humani generis inimicus vehementius in membra Ecclesiæ videatur esse grassatus, vos tamen, acceptissimi in Domino sa-

[a] Hanc epistolam huic loco inserendam deseripsimus ex Constantio in edit. Epist. Summ. Pontif. cui titulus *ad Eusebium, Dionysium et Luciferum in exsilio constitutos*. Plurimum confert ad illustranda Luciferi gesta; ejusque initium iis cohæret, quæ Lucifer ipse passim scribit de pace a Constantio Catholicis oblata in Concilio Mediolanensi.

[b] Hæc verba ex cæteris editionibus retineo; utrum vero Lucifer tum ad primum sui exsilii locum pervenisset, cum Liberii epistolam accepit, vide dicta in Præfatione. In ea gratulatur Liberius de gloria confessionis; ejus precibus se se commendat, et ut de universis, quæ Mediolani gesta sunt, certiorem faciat, postulat.

[c] Eumdem titulum præfert exemplar similis epistolæ ad Eusebium Vercellensem scriptæ, uti paullo

cerdotes [a], egregia et singularis fides et hic probabiles Deo ostendet, et jam ad futuram gloriam martyres designavit. Quo itaque præconio laudis, qua vocis exsultatione merita virtutis vestræ proferam, positus inter mœrorem absentiæ vestræ et gaudium gloriæ, prorsus invenire non possum : nisi quod scio hinc me probabiliora vobis solatia exhibere, si credatis me in exsilium simul vobiscum esse detrusum. Denique me adhuc in ipsa exspectatione pendentem quod a consortio vestro durior necessitas interim distrahit, satis contristor. Optaveram enim, fratres devotissimi, prior pro omnibus vobis impendi : ut exemplum gloriæ per me magis vestra dilectio consequeretur. Sed fuerit hæc palma meritorum vestrorum, ut priores de perseverantia fidei ad confessionis illustrem gloriam veneritis. Quæso igitur dilectionem vestram, ut me præsentem vobiscum esse credatis ; atque eo me affectu absentem non esse sentiatis, et intelligatis dolere me satis, quod sum interim a vestro consortio disparatus. Quantam denique gloriam fueritis consecuti, hinc magis scire potestis, [b] quod si qui in persecutione coronati sunt, A solius persecutoris cruentos gladios sentire potuerunt : contra vos, devoti per omnia Dei milites, etiam [c] falsos fratres inimicos experti, de perfidia victoriam pertulistis : quorum quanto violentia in sæculo crescere potuit, tanto sanctis sacerdotibus præmia laudis inveniuntur conferre.

Estote itaque de promissione cœlesti securi : et quia proximiores estis Deo effecti, vestris orationibus me vestrum consacerdotem famulum Dei ad Dominum sublevate, ut supervenientes impetus, qui de die in diem cum annuntiantur, graviora vulnera infligunt, tolerabiliter ferre possimus : ut inviolata fide, salvo statu Ecclesiæ catholicæ, parem vobis dignetur me Dominus efficere. Et quia cupio quæ gesta sunt in ipsa [d] congressione fidelius scire, obB secro sanctitatem vestram, universa fideliter litteris intimare dignemini : ut additamentum majus vel ipse animus, qui diversis rumoribus cruciatur, vel vires corporis ipsius, quæ jam extenuatæ sunt, de cohortatione vestra possint sentire. *Et alia manu*, [e] Deus vos incolumes custodiat, domini fratres.

inferius notandum. Atque hic notationem Constantii subjicio.

Apud Hilarium exstat hæc epistola fragm. vi. ex mss. Remig. et Pith. nec non apud Baronium ad an. 355. n. 32. et Stephanum Ferrerium e tabulis Ecclesiæ Vercellensis et Vaticano codice exscripta. Non longe post Mediolanensem Synodum, quæ anno 355. et, ut eruditis quidem videtur, ineunte, habita est, antequam Liberius ipse Mediolanum vocaretur, immo et antequam quæ prædicta in synodo fuissent acta certo et accurate didicisset, adeoque circa me- C dium annum 355. scripta est. Baronius ad an. 355, n. 34. *tum ad Eusebium tum ad reliquos episcopos exsules Dionysium, et alios omnes* datam in codice Vaticano legi testatur. Optandum erat ut propria exemplaris verba exscripsisset. Nam vereor ut non aliud præ se ferat hic codex, quam quod apud Hilarium. *Liberius antequam ad exsilium iret, hanc uniformem epistolam Confessoribus scripsit, id est, Eusebio, Dionysio, et Lucifero in exsilio constitutis.* Cujus inscriptionis litteræ si hæreamus, non *ad Confessores omnes diversis in locis exsulantes encyclica*, ut scribit Baronius, sed ad unos Eusebium, Dionysium et Luciferum *uniformis*, seu tribus unius formæ exemplis, quod postea dictum est *a pari*, conscripta est. Aliquando quidem probabile existimaram, eamdem et ad Pancratium presbyterum et Hilarium diaconum missam esse : at cum in epistola eos alloquatur, quos in principio *acceptissimos in Domino sacerdotes*, subinde *sanctos sacerdotes*, et in fine *dominos fratres* appellat, cumque Episcopum atque in primis D Romanum minime deceat, proprios clericos honorificis hisce titulis compellare, veri videtur similius singularem epistolam Pancratio atque Hilario ut filiis a Liberio scriptam esse. In tabulis Ecclesiæ Vercellensis propria Eusebio servata est inscriptio in hunc modum, *Liberius episcopus dilectissimo fratri Eusebio :* sed in epistolæ serie nihil immutatum. *Constant.* cui assentimur ; sed de tempore, quo scripta fuit, vide Præf.

[a] Ita Baron. At ms. Pith., *acceptissimos sacerdotes.* C Apud Ferrer. *acceptissimos Deo sacerdotes.* Constant.

[b] Apud Ferrer. *quod qui in persecutione coronati sunt, solius persecutoris fructus gladio.* In tribus hisce postremis verbis concinit et ms. Pith. Baronius vero præfert, *quod qui . . . . . solius persecutionis cruentos gladios.* Retinendum *persecutoris*, cui opponuntur *fratres falsi*, a quibus persecutionem sustinere ut gravius est, ita et de ipsis triumphare gloriosius esse Liberius dicit. *Constant.*

[c] Id est, Arianos Episcopos, præsertim Valentem, et Ursacium ; de quibus sæpe alibi.

[d] Baron. *congregatione*, rejecto in marg. *congressione*, quod præferunt alii libri, et quidem concinnius. *Constant.*

[e] Clausulæ istius loco hæc apud Ferrerium legitur : *Deus te incolumem custodiat, domine frater charissime ; Item ipse et mei memor esse digneris.* Ibi nempe hæc epistola ut uni Eusebio inscripta exhibetur. *Constant.* Quæ forte clausula et exemplari epistolæ ad Lucife- D rum missæ subjecta fuit.

S. P. N. LUCIFERI

EPISCOPI CALARITANI

DE NON CONVENIENDO CUM HÆRETICIS,

AD CONSTANTIUM IMPERATOREM

LIBER UNUS.

Cum omnibus perniciosis tuis conatibus advertisses illum obviam, cumque omnia machinamenta contra Dei Ecclesiam tua, reperisses cuncto Dei populo revelata, dixisti nos fuisse atque esse inimicos

pacis, hostes unitatis, adversarios etiam fraternæ charitatis. Si inter Dei cultores et ejus religionis inimicos nihil esse debet inter, cur Moyses tempore quo vidit populum illum carnalem Judaicum, cujus tu sapientiam tenes, idololatriæ incurrisse reatum, postcaquam gladio certos percuti fecit, etiam stationem suam segregatam esse voluit? quæ ita esse, accipe scriptum. *Et dixit Dominus ad Moysen: Dic filiis Israel, Vos populus duræ cervicis, videte ne aliam plagam inducens super vos, deleam vos. Nunc ergo deponite stolas gloriæ vestræ et ornamentum, et ostendam quæ facturus sum vobis. Et abstulerunt filii Israel ornatum suum, et stolas a monte Choreb, et sumens tabernaculum Moyses, fixit illud extra castra, longe a castris, et appellatum est tabernaculum testimonii, et fiebat ut omnis, quicumque quærebat Dominum, ibat ad tabernaculum testimonii foras extra castra. Cum autem egrediebatur foras de tabernaculo Moyses, stabat omnis populus* [a] *speculantes unusquisque ad ostium tabernaculi sui. Considerabant euntem Moysen usque dum introiret tabernaculum: mox autem cum introiisset in tabernaculum Moyses, descendebat columna nubis, et stabat in janua tabernaculi, et loquebatur Moysi, et videbat omnis populus columnam nubis stantem in janua tabernaculi, et stans totus populus* [b] *adoraverunt unusquisque ad ostium tabernaculi, et locutus est Dominus ad Moysen palam in palam, quemadmodum quis loquitur ad amicum suum. Minister autem Hiesus filius Navæ junior non exibat de tabernaculo* (*Ex.* XXXIII, 5). Per quod factum, ostensum est vos in Deum peccantes vitandos, secedendumque esse a vobis. Sed inquit: Ecce Moyses, licet alio in loco habuerit tabernaculum, tamen non deseruit populum, sed hortatus est eos corrigere vias errorum suorum Deo propitio; nec hi, qui tuo sacrilegio misceri recusaverunt, desunt ab his officiis: dici etenim tibi cognoscis, nisi vias correxeris tuas, quod sis in æternum periturus. Id quod ergo intendere cœperamus, quo penitus possumus perducere ad probationem? quotiens murmuravit populus contra Deum, et insurrexerunt in Moysen, legisti Deum dixisse ad Moysen et Aaron: [c] *Secedite e medio populi hujus indisciplinati et contumacis, et disperdam eos ego* (*Num.* XVI, 21). Quid igitur nos vult facere, nisi ut vos indisciplinatos et contumaces fugiamus, ne simul vobiscum, sicut illi qui cum Chore, Dathan et Abiron fuerant coadunati, pereamus? Aut negabis te indisciplinatum atque contumacem? respice actus tuos circa Domini exhibitos ecclesiam, et invenies quam sis indisciplinatus atque contumax. In Deuteronomio dicit Moyses [d]: *Non ponetis ad eos testamentum, neque* [e] *misereamini eorum, neque tradetis eis filias vestras nuptum, neque dabis filio tuo filiam illius: seducet enim filium tuum a me, et serviet diis alienis, et irascetur ira Dominus in vos, et exterminabit te cito* (*Deut.* VII, 2). Cum hæc mandet fieri, quomodo possumus vobiscum convenire, vobiscum pacem habere, cum negatoribus unici Dei Filii? quomodo potueramus istam tuam implere voluntatem? cum Deum videas dixisse per Moysen de Moabitis, Ammonitis, *Non salutabitis eos pacifice omnibus diebus vitæ tuæ usque in æternum* (*Ibid.* XXIII, 6). Quomodo simul esse Ariani et Christiani potueramus? cum audias Moysen dicere: *Non erit* [f] *adultera ex filiabus Israel* (*Ibid.* 17); et omni commoneat loco ut omnis adulter interficiatur, productus ad portam, lapidibus: *Et tolletis*, inquit, *iniquum a vobismetipsis* (*Ibid.* XXIV, 7). Si carnale adulterium dicit ita exsecrari Deum ut jusserit omnes puniri adulteros, quanto magis adulterium vestrum spirituale [g] exsecretur Dominus necesse est, unde et fueratis atque estis fugiendi: cum apostaticis non potueramus convenire Christiani, quando dixisse inveniamus Spiritum sanctum per Moysen: *Aperiet tibi Deus thesaurum cœlestem optimum*, [h] *dare tibi pluviam terræ tuæ, in tempore benedicet opus manuum tuarum omne, fenerabis gentes multas, tu autem non feneraberis, et præliabis gentes multas, te autem non expugnabunt, constituet te Dominus Deus tuus in caput, et non in cauda, et eris supra et non subtus, si audieris mandatis Domini Dei tui, quodcumque ego mandabo tibi hodie custodire et facere,* [i] *et non discedere ab omni sermone quem ego mando tibi hodie, dextra aut sinistra* (*Ibid.* XXVIII, 12). Quomodo cum pseudoepiscopis sectæ tuæ Arianis nobis poterat convenire, quando videas non nos benedictos esse potuisse, nisi quia non abierimus post idololatriam tuam? nisi quia exsecrati fuerimus hæresim vestram Arianorum, sicuti et omnium exsecramur hæreticorum? nisi quia tales vos judicaverimus, atque habeamus, quales et ethnicos, cultores videlicet omnium dæmonum? nisi quia sic te fuerimus abominantes, quomodo et Judæos, qui inveniuntur esse sine Deo, ex quo unicum negaverint Filium Dei? Apud Hiesum Nave: *At ubi audivit*, inquit, *populus vocem tubarum, jubilavit universus populus jubilo magno, et ceciderunt universi muri civitatis in circuitu, et ascendit universus populus in civitatem unusquisque coram adversariis suis, et invaserunt civitatem et anathematizaverunt eam, et quæcumque erant in civitate, a viro usque ad mulierem, a juvene usque ad senem, et usque ad vitulum et usque ad*

[a] *Speculantes*, uti in Græco σκοπεύοντες. Sabbatierius legit *speculans* ex edit. Bibl. PP.

[b] Ita Græc. προσεκύνησαν; cum Sabbat. legat *adoravit* ex laud. edit., et paullo inferius *facie ad faciem*, ubi hic *palam in palam*.

[c] Versio Antiqua: *Abscedite vos de medio synagogæ istius, et consummabo eos simul.*

[d] Vers. Ant. *Non dispones ad eos testamentum, neque misereris. . . . neque matrimoniis jungamini cum eis. Filiam tuam non dabis filio ejus, et filiam ejus non sumes filio tuo: discedere enim faciet. . . alienis . . . . indignatione.*

[e] Propius ad Græc. ἐλεήσητε. Cætera singularia in hac vers. Lucif.

[f] Vers. Ant. *meretrix.*

[g] Antea, *exsecratur Dominus. Necesse est, etc.* nos cum Latinio ita, et clarius.

[h] Sabbat. legit. *ut tribuat.* Græc. δοῦναι.

[i] Vers. Ant. *non præteribis ab omnibus verbis, quæ.*

subjunctorium occiderunt in ore gladii, et duobus juvenibus qui exploraverant, dixit Hiesus : Introite in domum mulieris et producite eam, et quæcumque sunt ejus : et introierunt duo juvenes qui exploraverant civitatem in domum mulieris, et eduxerunt Rahab meretricem, et patrem ejus, et matrem, et fratres ejus, et quæcumque erant illius, et omnem cognationem ejus, et deduxerunt eam foras extra castra Israel, et civitas incensa est igni cum omnibus quæ erant in ea (*Jos.* VI, 20). Et infra : Raab meretricem et [a] omnem domum patris ejus vivificavit Hiesus, et commorata est in Israel usque in hodiernum diem (*Ibid.*, 25). Quando igitur videas omnes in civitate Hiericho inhabitantes ore punitos gladii, omnem incensam civitatem, quomodo putasti nos potuisse tecum convenire cum hæretico, quando quidem plus te atque tuos dignos esse [b] anathema, quam illi fuerant, adverteremus? Quomodo potueramus cum pseudoepiscopis sectæ tuæ convenire Arianis, quando videas nullum ad vitam reservatum in civitate, in qua idololatræ morabantur, nisi tantum Raab, propterea quod crederet esse Dominum nostrum totum potentem; idololatriam vero in qua confidedat populus in Hiericho constitutus, quod fuisset errore inventa humano? Quomodo potueramus vobiscum convenire, quando in [c] Regnorum tertio scriptum sit libro, nec domos vestras esse calcandas, nec cibos vobiscum sumendos, neque aquam accipiendam a vobis? Hæc ita esse aperit sacra Scriptura : *Et factum est*, dicit de illo coapostata tuo, [d] *verbum hominis Dei* (III *Reg.* XIII, 4) : et infra : *Et extendit manum suam ad aram dicens : Apprehendite eum, et arida facta est manus regis, quam extendit in eum, et non potuit reducere eam ad se, et* [e] *sacrarium ruptum est, et effusa est pinguedo ejus a sacrario secundum quod dixit homo Dei in verbo Domini. Et respondit rex et dixit homini Dei : Roga* [f] *a facie Domini Dei tui, ut revertatur manus mea ad me. Et rogavit homo Dei faciem Domini, et reversa est manus regis ad eum, et facta est quemadmodum primum, et locutus est rex ad hominem Dei et dixit : Intra mecum in domum et prande, et dabo tibi munera. Et dixit homo Dei ad regem : Nec si mihi dimidiam dares* [g] *domum tuam, non intrabo tecum, nec manducabo panem, nec bibam aquam in hoc loco, quoniam sic præcepit mihi Dominus in verbo dicens : Non manducabis panem et non bibes aquam, et non reverteris in via qua ibis in ea* (*Ibid.*). Quomodo vobiscum potueramus convenire ad Deum adorandum? cum iste homo Dei qui a Deo objurgandum Hieroboam regem fuerat missus, quoniam per illum qui dictus est Propheta, circumscriptus fuerit, tam gravis circa illum vindicta processerit. *Et abiit*, inquit post hæc Scriptura de illo homine Dei, *per aliam viam, et non est reversus per viam qua venerat in Bethel, et Propheta alius habitabat in Bethel, et venerunt filii ejus, et nuntiaverunt ei omnia opera quæ fecerat homo Dei die illo in Bethel, et verba quæ locutus est regi, et averterunt faciem patris sui, et locutus est ad eos pater eorum dicens : Qua via abiit? Et demonstraverunt filii ejus viam per quam ierat homo Dei qui venerat ex Juda, et dixit filiis suis : Sternite mihi asinam; et straverunt ei, et ascendit super illam, et abiit post hominem Dei, et invenit eum sedentem sub arbore ilicis, et dixit ei : Si tu es homo Dei qui venisti ex Juda? et dixit : Ego sum. Et dixit ei : Veni mecum, et manduca panem; et dixit : Non possum revertı tecum, neque manducare panem, neque bibere aquam in hoc loco, quoniam sic præcepit mihi in verbo Dominus dicens : Non manducabis panem ibi, et non bibes aquam ibi, et non reverteris inde per viam quam ieris. Et dixit ad eum : Et ego Propheles sum sicut et tu, et Angelus locutus est ad me in verbo Domini dicens : Reduc eum ad te in domum tuam, et manducet panem, et bibat aquam. Et mentitus est illi, et reduxit eum, et manducavit panem in domo ejus, et bibit aquam, et factum est sedentibus illis ad mensam verbum Domini ad pseudoprophetam qui reduxit eum, et dixit ad hominem Dei, qui venerat ex Juda, dicens : Hæc dicit Dominus propter quod exacerbasti verbum Domini, et non custodisti præceptum quod præcepit tibi Dominus Deus tuus, et redisti et manducasti panem, et bibisti aquam in hoc loco, de quo locutus est ad te dicens : Non manducabis panem neque bibes aquam; ideo non intrabit corpus tuum in monumentum patrum tuorum. Et factum est postquam manducavit panem et bibit aquam, et straverunt ei asinam, et reversus est, et abiit, et invenit eum leo in via, et occidit eum, et erat corpus ejus projectum in via, et asina stabat ad eum, et leo stabat ad corpus ipsius, et venerunt viri civitatis illius, et locuti sunt in civitate ubi propheles senior habitabat in illa, et cum audissent qui reduxerant eum de via, dixit : Hic est homo Dei qui exacerbavit verbum Domini; et abiit, et invenit corpus ejus projectum in via : et asina, et leo stabat super corpus ejus, et leo non edit corpus illius, neque insilivit in asinam* (*Ibid.* 10). Si illi hoc repræsentatum est, [h] cur manducasset panem et potum sumpsisset aquæ in loco profano apud homines alienigenas, quid nobis repræsentatum fuisset, si tecum, quem scimus hæreticum, quem novimus esse negatorem unici Filii Dei, ut desiderabas, copulassemus amicitias? si vobiscum Arianis precem fudissemus? si denique passos nos fuissemus, omnia, quæ celebramus Domini sacerdotes, cum pseudoepiscopis Arianis tuis celebrare? Interea sic te fuisse ad nos circumscribendos immissum, ut ad illum Dei hominem fuerit ille pseudopropheles, debes repetens actus tuos cognoscere amarissimos; ut enim ille cum fuisset pseudopropheta, prophetam se esse

[a] Vers. Ant. *et domum paternam ejus*, Lucifer cum Græc. καὶ πάντα τὸν οἶκον.

[b] Pro *anathemate*. Tilius.

[c] Id est *Regum*, uti etiam in lib. I pro S. Athanas. notabimus.

[d] In lib. de Reg. Apost. legit, *ut audivit verba*.

[e] Ib. legitur *sacrificium*.

[f] *Faciem*. Latin. ut in lib. de Reg. Apost. Græc. ὄπισθεν τοῦ προσώπου.

[g] *Des*. Latin. *Dares*, Vers. Ant. cum Lucif.

[h] Pro *quia*, ut sæpe alibi.

dicebat ad circumveniendum innocentem, ita et tu cum non sis Christianus, sed sis Arianus, finxisti te Christianum ad nos irretiendos. Deinde cum pacem semper habuerit Domini ecclesia, et vos atque omnium sectarum hæreticos foras abjecerit, dixisti: [a] *Pacem volo firmari in meo imperio*, cupiens violare in nobis pacem dominicam, scindere desiderans Dei populum, procurans hæresi tuæ ad quam nos omnes facere sis optans transitum: sic mentitus es Dei te fuisse hominem, quando hanc pacem facere te salutis nostræ causa dixisti; quomodo et ille pseudoprophetes, qui dicebat: *Redi mecum quia et ego prophetes sum Domini, et dixit mihi Angelus* (III *Reg.* XIII, 18). Sic, inquam, mentitus es, quando dixisti, quo potuisses Deo placere, hoc te aggressum facere; siquidem tu singulos catholicos Episcopos communioni jungere fueris laborans [b] Arianorum. Quomodo tecum ac cum tuis coarianis potuit convenire Christianis, quando ad Josaphat regem [c] Dominum hæc dixisse cernas, cur Achab idololatram in amicitias acceperit, cur ad bellum cum Domini processerit inimico? posteaquam etenim ille Achab, consacrilegus tuus, secundum verbum Dei fuisset in bello letali percussus plaga, et Josaphat, quia ex toto corde ad Deum proclamaverat, fuisset domui suæ repræsentatus, loquitur Scriptura sancta exisse ante faciem ejus Jeu filium Anani, qui fuerit videns, atque dixisse talia: *Si peccatorem illum adjuvas, et eorum, qui oderunt Dominum, amicus es, in hoc super te iræ a facie Domini, sed sermones boni inventi sunt tecum, quoniam abstulisti lucos de terra, et parasti cor tuum ad requirendum Dominum* (II *Paral.* XIX, 2). Si illi hæc dicuntur, quæ nobis dicerentur, si tecum [d] hæretico Dei adversario amici esse maluissemus? aut numquid dicere audebis: *Ego non sum Dei inimicus, ita ut fuit Achab rex Israel?* Quomodo non es inimicus, qui eadem agas quæ egit Achab? cum sic sis impugnans religionem Dei, sicut ille impugnaverit; sic persequaris domum ejus, sicut ille persecutus sit. Quomodo tecum ac cum tuis potuit nobis convenire, cum isti Deo devoto regi, cur Ochoziæ regi Israel junctus fuisset in amicitiis, fuerit per Prophetam increpatum a Deo? *Et junxit*, inquit, *amicitiam Josaphat rex Juda cum Ochozia rege Israel, ipse inique cœpit facere, et communicavit secum ut faceret naves, quibus iret in Tharsis, et fecit naves, in Asion Gabar* [e], *et prophetavit Eliezer filius Oziæ ex Marea super Josaphat dicens: In eo quod communicasti Ochoziæ, confregit Dominus operam tuam, et contritæ sunt naves tuæ, et non potuerunt* [f] *ire Tharsis* (*Ibid.* XX, 35). Si illi illa dicuntur a Domino quod ad fabricam navium socium habuisset viæ perditionis regem, quid nobis dici posset, si te destructorem domus ejus, te catholicæ fidei persecutorem amicum Dei sacerdotes haberemus? Si illius operam confregit, cur iniquo fuisset junctus, vero nos jam ipsi fulmine fuissemus, credo, dissipati, cur tibi blasphemo nosmet junxissemus. Quomodo potueramus nos, cum simus servi Dei, vos vero servi diaboli, in unum convenire, quando sic inter nos et vos separatum esse voluerit Deus, quomodo inter lumen et tenebras, inter vitam et mortem, inter dulce et amarum, quomodo inter sanctos angelos Dei qui sunt semper clementiam ejus magnificantes, et inter illos apostatas quos in æternum tecum visurus eris torqueri, nisi temet eripueris ab eis? Quomodo, inquam, nos vobiscum esse potueramus Dei servi cum servis Antichristi? quando Amasiæ regi fuerat dictum a Deo in secundo Subrelictorum [g] libro: *Non ibit tecum exercitus Israel, quia non Deus cum Israel, omnes filii Ephrem, quia si te existimaveris prævalere in istis, in fugam converset te Dominus ante inimicos, quia est virtus a Domino* (*Ibid.*, XXV, 7). Quomodo resisteremus contra diabolum, si in tanto scelere vestro curreremus vobiscum, cum hostibus Dei, cum hominibus inventis sine notitia Dei, cum Deum non habentibus, in quos catervam sciamus esse dæmonum? Neque enim potestis vos esse negatores unici filii Dei sine dæmoniis, cum blasphemare vos non faciant, nisi illi qui vestra excæcaverint corda, ne videlicet possit a nobis [h] veritas comprehendi. Numquid nam potueramus in vestra demorari parte, consentire vestris flagitiosissimis meditationibus, cum per David gloriosum dicat Spiritus sanctus, non esse beatos, nisi eos, qui se abstraxerint a vobis unici filii Dei negatoribus, eos, qui serpentinis cogitationibus vestris non se miscuerint, beatos tantum mansuros? *Beatus qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit, et in cathedra pestilentiæ non sedit* (*Psal.* I, 1). Quomodo esset vobis et nobis unius loci conventiculum? cum audias item David dicere in Psalmo sexto: *Discedite a me, qui operamini iniquitatem* (*Psal.* VI, 9). Si non operamini Ariani iniquitatem, judica tu princeps in sacrilegio Arianorum, qui, cum dicamus nos Christianos, horribili animositate persequeris. Recte igitur scias nos fecisse, recedendo a vobis Deo odibilibus. Quomodo etenim nos in cœtu vestro omnibus facinoribus infecto manere, et non vos pestes ac lues fugere decenerat? cum dicat ex persona populi nostri in vicesimo quinto Psalmo: *Quoniam misericordia tua ante oculos meos est, et complacui in veritate tua. Non sedi in concilio vanitatis, et cum iniquo gerentibus non introibo, odivi ecclesiam malignantium et cum impiis non sedebo* (*Psal.* XXV, 3). Si non est [i] consilium vestrum vanitatis, convince me. Non est vanum concilium

[a] Vide quæ notavimus in lib. I pro S. Athanasio, et quæ inferius in hoc libro.

[b] In Mediolanensi Concilio, qua de re infra paullo uberius.

[c] *Regem, Deum hæc*, etc. Codex Vatic.

[d] *Tecum cum hæretico*. Id.

[e] *Gaber*. Codex Vat. cum Græco in quibusdam codicibus apud Sabbat.

[f] *Potuerunt*. Id. ut in Græco Compl. ἐδυνήθησαν. Sabbat. legit, *ire in Tharsis*.

[g] Id est *Paralipomenon*; quæ hujus vocis est interpretatio.

[h] *A vobis*, Vatic. et rectius.

[i] Hæc etiam Concilium Mediolanense respiciunt

lium in quo omne consilium non est, nisi ut Dei negetur Filius, ut Deus pater non esse verus pater defendatur, ut Spiritus sanctus paracletus non esse verus Dei spiritus asseveretur, ut apostolica et evangelica traditio destruatur, ut traditio Arii firmetur? in quo concilio nihil aliud firmatur, nisi quod omnibus hæreticis et ethnicis atque Judæis possit lætitiam conquirere magnam? Gaudent cuncti Dei religionis exsecratores, quod enim te videant imperatorem voti sui rem exsequentem, quod enim te exstitisse unici Filii Dei negatorem, et ejus servorum adveriant persecutorem; hoc est [a] concilium, quod magnopere omnibus viribus imperii tui solitus es adunare, ad hoc utique ut omnis auctoritas Scripturarum sacrarum tui imperii auctoritate solvatur, ut omnis sepeliri possit veritas, ut mendacia detestandæ commentationis vestræ possit videri vera. Hæc sunt meditationis vestræ in illo egregio concilio per tuam adunato potentiam. Propterea odis nos, quia concilium vestrum malignantium exsecremur, propterea [b] in exsilio sumus, propterea in carcere necamur, propterea nobis solis prohibetur conspectus; idcirco reclusi in tenebras custodimur ingenti custodia. Hujus rei causa nullus ad nos visendos admittitur hominum, quia videlicet noluerimus vobiscum impiis sacrilegis ullam scelerum vestrorum habere societatem, de quibus ex nostra persona directa est obsecratio ad Deum, ne scilicet vobiscum degentes simul periremus, sed fuissemus segregati de vestro nefario concilio, de vestra iniqua conspiratione. Ait enim in vicesimo septimo Psalmo : *Exaudi, Domine, vocem deprecationis meæ cum oro ad te, cum extollo manus meas ad templum sanctum tuum, ne simul trahas cum peccatoribus animam* [c] *meam, et cum operantibus iniquitatem ne perdas me. Cum his, qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem sunt in cordibus eorum. Da illis secundum opera illorum, et secundum nequitiam studiorum ipsorum, secundum operationem ipsorum manuum tribue illis, redde retributionem eorum ipsis* (*Psal.* XXVII, 2). Propterea odimur a te, Constanti, quoniam noluerimus hæc dici de nobis, quæ dicantur ore Prophetæ de te ac tuis propter nequam vestram operam, quæ dicantur de Judæis, quorum imitator exstiteris. Si non es tu Constantius Imperator, qui [d] finxeris pacem te facere, ut fuerunt mala cogitamenta, nisi ut Dei negatus fuisset filius, nisi ut apostolica atque evangelica fides fuisset destructa, ædificata vero fuisset Ariana hæresis vestra, nisi ut omnes tibi non acquiescentes fuissent deportati, proscripti, varie excarnificati, ad ultimum interfecti? et idcirco Spiritus sanctus te ac tuos designans pariter ac percutiens dicit ex persona populi nostri : *Cum operantibus iniquitatem ne perdas me, cum his qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem sunt in corde eorum* (*Ibid.* 3). Nobis dicebas : *Pacem volo fieri*; et in corde tuo manens adversarius religionis nostræ cogitabat per te facere nos idololatras : unde et vere recepturus eris secundum operam tuam, secundum nequitiam studiorum vestrorum, nisi tibi feceris esse prospectum. Vitavimus ac sumus vitantes consilium vestrum, quod contra Deum factum est ac fit; quorum tunc jam videns meditationes Spiritus sanctus dixerit ore David in trigesimo secundo Psalmo : *Dominus dissipavit consilia gentium, reprobat autem cogitationes populorum, et reprobat consilia principum* (*Psal.* XXXII, 10). Consilia vero vestra contra suam prolata ecclesiam reprobat Deus : nec enim potest odire populum suum, hæreditatem suam, et amare vos filios pestilentiæ, vos persecutores servorum suorum. Dixisti : *Facite pacem cum Episcopis sectæ meæ Arianis, et estote in unum*; et dicit Dei spiritus per Salomonem in Proverbiis : *Vias impiorum noli, noli exsequi* [e], *neque æmuleris viam iniquorum, in quocumque loco exercitum constituerint, ne supervenias illuc : declina autem ab ea, et devita; non enim dormient, nisi male fecerint : ablatus est enim somnus ab eis, et non dormiunt. Hi enim cibantur cibis impietatis: vino autem iniquo inebriantur. Nam viæ justorum similiter ut lux fulgebunt, procedunt et illuminant, donec corrigat dies. Viæ autem impiorum tenebrosæ, nesciunt quomodo offendunt* (*Prov.* IV, 14). Quomodo vobiscum Arianis societatem poteramus habere, cum adulteris spiritualibus? qui scriptum retineamus : *Nolite* [f] *intendere fallaci mulieri : mel enim distillat a labiis mulieris meretricis, quæ ad tempus impinguat fauces tuas, novissime autem amarius felle invenies, et acutius magis quam gladius ex utraque parte acutus : insipientes* [g] *autem pedes deducunt utentes ea cum morte ad inferos* (*Ibid.*, V, 2). Sed quid dicis hæc propter carnis adulteria dicta? Si propter carnis adulteria esse astruis hæc dicta, quanto magis fugiendi vos estis spiritales adulteri, ne per Arianam hæresim vestram meretricem spiritalem hæc super nos quæ dicuntur vetio pro Arianis facto, et promulgato, de quo postea in hoc libello mentionem facit, *Tit.* Sed quodnam illud fuerit, et quam ob causam Catholicis propositum vide paullo inferius. Totus in eo Lucifer est, ut Constantio versutum ejus consilium et iniquum exprobret, quo sub pacis specie Athanasii damnationem, et Catholicorum cum Arianis communionem totis viribus extorquere a Catholicis conatus est in Concilio Mediolanensi; hinc illæ locutiones, quas sæpe de pace ingerit, et de quibus in Præf. Huc refer quæ Hilarius scribit in libr. un. contra Constant. *Unitatem procurat, ne pax sit.*

in quo id Arianis propositum erat, ut damnandi Athanasii specie Nicæna fides everteretur : uti aperte testatur Sozomenus lib. IV, cap. 9, haud *alio consilio Imperatorem et Arianos* damnationem Athanasii *moliri, quam ut Nicænam fidem subverterent.*

[a] Rursum de eodem Concilio; deque hoc uberius disserendum fuit in Præfat., ubi etiam de numero Episcoporum, qui interfuerunt, opinionem nostram proponimus, hoc præsertim Luciferi testimonio innixi.

[b] Ex hoc Luciferi loco conjicimus, hunc librum scriptum ab eo fuisse cum Germaniciæ exsularet. Vide Præf.

[c] Ut in Græc. τὴν ψυχήν μου. Vers. Ant. *ne trahas me*, etc.

[d] De edicto illo pacificatorio loquitur a Constan-

[e] *Noli sequi*, apud Sabbat.

[f] Sabbat. legit; *noli te*, etc.

[g] *Insipientiæ*. Latinius. In Gr. est ἀφροσύνης.

niant? Dulce etenim quibusdam videtur quod tibi regi in amicitias jungantur suscipiendo hæresim tuam, sed amarius felle sensuri, cum tecum torqueri in perpetuum cœperint in perpetua gehenna sentire, qui tecum esse delegerunt, tunc dicturi: *Væ nobis qui Constantium imperatorem Deo præposuerimus.* Convenire nobis et vobis quo modo potuerat? cum infra dicat adhuc Salomon: *Ejice de consilio* [a] *pestilentem, et exiet cum illo contentio* (*Prov.*, XXII, 10); et: *Ne imitatus fueris malos viros, neque desideres esse cum illis; falsa enim meditatur cor eorum, et dolores labia eorum loquuntur* (*Ibid.*, XXIV, 1). Tum, *Noli applicare impium ad pascua justi, neque seducaris saturitate ventris. Septies enim cadit justus et resurget, impii autem infirmabuntur in malis* (*Ibid.* 15). Cum superbis et prævaricatoribus, cum eis qui volueritis cum Juda Scarioth inveniri, quam cum beatissimis prophetis, apostolis, atque martyribus, quomodo esse possumus? cum audiam in centesimo Psalmo: *Deambulabam in innocentia cordis mei in* [b] *media domo tua.* [c] *Non proponebam ante oculos meos rem malam facientes, prævaricationes odivi, non adhæsit mihi cor pravum, declinantes a me malignos non agnoscebam: detrahentem adversus proximos suos occulte, eum persequebar, superbo oculo et insatiabili corde, cum hoc simul non edebam* (*Psal.* c, 2). Et in Psalmo centesimo octavo decimo: *Iniquos odio habui, et legem tuam dilexi* (*Psal.* CXVIII, 13). Cum sitis iniqui, quippe negatores unici filii Dei, cum odiri vos oporteat a nobis, propterea quod viam veritatis relinquentes comprehenderitis omnium errorum, propterea quod relinquentes lumen, ire delegeritis in exteriores tenebras, quomodo tibi capiti nefando, tibi Dei domus destructori, omnium iniquitatem operantium fomiti, potueramus esse carissimi? quomodo familiares amici, ut sunt [d] Valens, Ursaceus, Epictetus [e], Saturninus [f], et cæteri? e quo numero tamen etsi viderint in quam inciderint foveam, certi tamen tecum diligerent interire, dummodo regni tui inanem pulchritudinem [g] una perfruantur tecum. Nos quomodo tecum esse potuemus, qui ista, quæ illi tecum frui elegerunt habearamus exosa? homines qui ad illa consequenda tendant, quæ sunt in perpetuum mansura: qua de re nobis ac vobis non convenit, nempe quia noluerimus suscipere hæresim tuam, nempe quia Christiani noluerimus effici Ariani. Quis est autem, nisi qui sicut vos estis Ariani, impos mentis qui derelinquat domum Dei, et eam dat diaboli monumentum? Idcirco autem apud te odio laboramus quia fuerimus metuentes atque sumus, ne illa fuissent dicta de nobis, quæ sunt dicta de illis desertoribus, hoc est Judæis, quos incusat Hieremias, dicens: *Audite verbum Domini, domus Jacob, et omnis domus Israel. Hæc dicit Dominus: Quid invenerunt in me patres vestri contumaciæ, quod recesserunt longe a me, et abierunt post supervacua, et frustrati sunt, et non dixerunt: Ubi est Deus, qui liberavit nos de terra Ægypti, qui eduxit nos ducatum præbens in deserto in terra inculta, et ignota, et in terra sine aqua, et sine fructu, in terra in quam nemo commeavit vir, neque commoratus est ibi filius hominis, et induxit vos in Carmelum ut manducaretis fructum ejus et bona ejus, et intrastis, et coinquinastis terram, et hæreditatem meam posuistis in exterminationem; sacerdotes non dixerunt: Ubi est Dominus, et seniores legis meæ nescierunt me, et pastores impie egerunt in me, et prophetæ prophetaverunt in Baal, et post inutilia abierunt* (*Jerem.* XI, 4). Noluimus hæc audire opprobria; unde et fugiendum diximus [h] te ac tuos. Neque enim convenire poterat Dei domesticis vobiscum alienigenis, cum videamus dictum a Deo cum perfido tuo illo populo carnali: *Averte pedem tuum ab aspera via, et faucem tuam a siti* (*Ibid.*, 25). Quæ autem dixit: *Confortabor, quia dilexit exteros et post illos abibat*, post vos ergo exteros, post vos allophilos non solum non ire voluimus, sed et anathema vobis filiis pestilentiæ ac tenebrarum diximus, ne si recessissemus ab apostolica atque evangelica fide, derelinqueremusque viam quam tenuerunt Abraham, Isaac et Jacob beatissimi, Abel, Enoch, Noe, et cuncti prophetæ, apostoli, atque martyres, hæc etiam dicta fuissent a Deo de nobis, quæ dicta sunt de comblasphemis tuis Judæis. *Quemadmodum confunditur fur, cum comprehensus fuerit, sic confundentur filii Israel ipsi, et reges eorum, et principes ipsorum, et sacerdotes ipsorum, et prophetæ* (*Ibid.* 26). Noluimus esse inter vos, ne etiam illa increpatio vocis divinæ nos cum Judæis, et vobiscum hæreticis argueret; *Ut quid loquimini ad me? omnes vos impie egistis, et omnes vos deliquistis in me, dicit Dominus* (*Ibid.*, 29). Quomodo vobiscum nobis convenire poterat? cum legeris scriptum in libro Machabæorum primo: [i] *Tunc congregati sunt ad eos congravetur facere, modo Imperatori placeat.*

[a] *Pestilentiam.* Vatic. ut in Græc. λοιμὸν.

[b] Apud Sabbat. *in medio domus tuæ.*

[c] Alia est in Vers. Ant. interpunctio: *non proponebam ante oculos meos rem malam: facientes*, etc.

[d] Valens, et Ursacius, de quibus etiam in lib. I, pro S. Athanasio, primas gesserunt in Concilio Mediolanensi adversus Athanasium, et Nicænam fidem, et apud Constantium summa auctoritate pollebant.

[e] Fuit hic Episcopus Centumcellensis, et Arianorum sævissimus; contra Athanasium subscripsit in Concilio Mediolanensi; et de illo hæc Athanasius ipse in epist. ad Solit. cum agit de Episcopis ordinatis per Constantium ab Arianis: *Epictetum neophytum hominem juventute ferocem, audacem in amoribus Constantius habet, eo quod eum ad omnia scelera promptum alacremque conspiceret, ejusque opera episcopis, quibus velit, insidias struit: nihil enim est, quod ille*

[f] Saturninus Episcopus Arelatensis in Concilio Arelatensi an. 353, cum Arianis communicavit, et in Mediolanensi cum Valente et Ursacio in Athanasii perniciem fœdus junxit, eorumque opera Ariana pestis Occidentem late pervasit. Auctor præterea fuit, ut Hilarius Episcopus Pictaviensis, qui post Synodum Mediolanensem ab ejus societate se se disjunxerat, ipso Hilario teste in lib. un. cont. Constant., in exsilium pelleretur a Constantio an. 356.

[g] Pro *inani pulchritudine.* Tilius. Forte latine loquitur cum dicit: *dummodo regni tui inanem pulchritudinem una perfruantur tecum*, non, *inani pulchritudine.* La Cerda, et recte.

[h] *Duximus.* Latin.

[i] Congruit cum Versione veteri ex ms. S. Germ. apud Sabbat. præter hæc, *conventus Judæorum.* Vers.

ventus fortis in viribus ab Israel omnis voluntarius in lege, et omnes qui fugiebant a malis additi sunt ad eos, et facti sunt illis [a] *firmamentum, et constituerunt* [b] *virtutem, et percusserunt peccatores in ira sua, et viros iniquos in indignatione, et cæteri fugerunt ad nationes, ut se liberarent, et circuivit Matathias et amici ejus, et destruxerunt aras, et circumciderunt pueros incircumcisos quotquot invenerunt in finibus Israel in fortitudine, et persecuti sunt filios superbiæ, et prosperavit* [c] *opus in manus eorum, et obtinuerunt legem de manibus gentium et regum, et non dederunt cor* [d] *peccatori* (I *Mach.* II, 42). Vobiscum ne [e] esse potueramus, cum videatis quid illi fecerint, ex toto cordo qui Deum inveniuntur timuisse? Tu dicis membrum jam tunc exsectum de corpore beatæ ecclesiæ, quando Arianus factus es ex Christiano, *Estote nobiscum.* Et Dominus dicit in Evangelio : *Quod si oculus tuus dexter scandalizat te, erue illum, et projice abs te. Expedit enim tibi ut pereat una pars membrorum tuorum, quam totum corpus tuum mittatur* [f] *in gehennam : et si dextera manus tua scandalizat te, abscinde* [g] *illam et projice abs te; expedit enim tibi ut pereat una pars membrorum tuorum quam totum corpus tuum eat in gehennam* (*Matth.* v, 29). Secuisse se Arium, atque projecisse secundum Domini præcepta damnat [h] ecclesia; et tu dicis : *Suscipite compestilentes ac lues* [i] *suos;* tu dicis : *Sinite vos eodem interire morbo, quo ego perierim.* Sic est de corpore ecclesiæ excisus Sabellius [j], ut est et condetestabilis tuus excisus Arius iste, cujus sermo ut cancer in te fortissime adeo serperit, ut totus jam cancer esse cernaris : nec poteris dicere, te non Arii cancerasse [k] sermonem, cum fœtor cancerationis tuæ ad omnem pervenerit regni tui locum, et cuncti te vitare statuerimus, ne et ipsi peste tua Ariana cancerare-mur. Sic, inquam, sectus est, atque projectus tuus magister Arius, ut est sectus et rejectus Sabellius, qui fuerit ausus unam esse personam Patrem et Filium et Spiritum sanctum defendere; quia fuerit ausus dicere ipsum sibi et Patrem esse, et Filium, et Spiritum sanctum; excisus est quia dicere non dubitarit, quod etiam ipse Pater in utero Virginis incarnatus sit, et fuerit passus. Sic Marcionem [l] ex eisum projecit [m], qui noluerit Dei Filium hominem susceptisse confiteri de utero Virginis, et per hoc hominem factum. Sic excisus est atque abjectus Paullus Samosatenus [n] Photini magister e corpore ecclesiæ, quia fuerit dicere dignatus, hominem tantum Dei Filium. Sic et cunctarum sectarum hæretici sunt præcisi, ut est Arius præcisus, atque tu, qui propterea quod dicas de Dei Filio [o], *factus est ex nihilo, et non est verus Filius, erat quando non erat,* exscindi merueris. Exscissi igitur estis cuncti blasphemi, atque rejecti virtute Dei de ecclesia ejus clementiæ, quia non fueritis in ea manentes fide, in qua manserint patriarchæ, prophetæ, apostoli, ac martyres. Homo excisus cum omnibus comblasphemis tuis e corpore sanctæ ecclesiæ, jacens in diaboli sentina, audes dicere ad eam : *Esto talis ut sum ego, quo possis tali confici morbo, quo sum et ipse consumptus.* Sic existimaveras nos [p] potuisse vobiscum convenire, tamquam non retineremus dixisse beatum Paullum : *Præcipimus autem vobis, fratres, in nomine Domini nostri Jesu Christi, ut subtrahatis vos ab omni fratre inquiete ambulante, et non secundum traditionem quam acceperunt a nobis* (II *Thessal.* III, 6). Quæ efficere potuerat ratio, ut deserentes viam, quæ ducit ad cœlorum regna, comprehenderemus vestram quæ præcipitet ad gehennam? Circumscribere nos te potuisse arbitratus es subtilitate, qua serpens circumscripserit Adam et Evam, eximiis verbis pulcherrimisque sensibus conscribens edictum [q], in quo omnia venena tuæ hæresis continentur. Sed unde istud po-

Ant., quæ et Vulg. *congregata est ad eos synagoga Assidæorum*, etc.

[a] *In firmamentum.* Latin. cum Græc. εἰς στήριγμα, uti et Versio Sangerm. Vers. Ant. *ad firmamentum.*

[b] Vers. Ant. *collegerunt exercitum. . . in indignatione sua. . . . ut evaderent.* Græcum consonat versioni Lucif. et Sanger.

[c] Cum Vers. Sangerm. Vers. Antiq. *prosperatum est. . . . in manibus*, etc.

[d] Sabbat. legit *cornu.* Ita Græc. Latin. Vatic. et Vers. Sangerm. et Ant.

[e] *Nos.* Vatic.

[f] Cum mss. Sangerm. et Corb. Vers. Ant. *eat.*

[g] Vers. Ant. *abscide*, et *pereat unum*, etc.

[h] *Clamat.* Vatic. et Latin.

[i] Latine loquitur, id est *homines plenos lue;* sic dixit Comicus : *ille scelus, qui me perdidit.* La Cerda.

[j] Qui anno circiter 257. primum docere cœpit Patris et Filii et Spiritus sancti unam eamdemque esse personam; Dei vero Sapientiam seu Verbum esse aliquid accidens personæ, ac substantiæ jam completæ. Hunc errorem damnavit Dionysius Episcopus Alexandrinus, et Synodus Romana an. 258, sub Sixto I, Pontif. Quæ vero ex hoc errore consequuntur absurda, hic Lucifer ipse declarat.

[k] Id est, *Non poteris dicere, quod Arii verba non te cancerarint*, hoc est, *ut morbus cancer rodere, ac putrescere corpora solet, te non consumpserint, ac fœtidum reddiderint : quandoquidem fœtor cancerationis tuæ*, id est, *Ariani tui dogmatis, quod ut cancer ubique serpit, et omnes corrumpit. jam fere totam Italiam pervaserit.* Tilius. Eodem verbo usus est Apuleius in lib. de virtut. herbarum, hoc sensu, ut idem sit ac *in cancri naturam transire;* uti notat Cangius in Gloss. *Ut cancer rodit corpus, ac solet putrescere, ita pariter putridus es.* La Cerda.

[l] Circa annum Christi 134. suam hæresim Marcion disseminavit, qua negabat, verum hominis corpus a Deo Filio assumptum fuisse : et anno 146. ac iterum an. 167, ab Ecclesia Romana ejectus et damnatus fuit.

[m] Deest hic nominativus, *Deus* fortasse, aut *Ecclesia projecit*, etc.

[n] Hic Jesum Christum merum esse hominem impie docuit, damnatus primo in Synodo Antiochena an. 265. A Paullo idem impietatis virus hausit postea Photinus Sirmiensis Episcopus, e sua sede dejectus, et damnatus in Concilio Sirmiensi an. 351, e Petavii sententia.

[o] Ita ex Latin. et Cod. Vatic. corrigimus, ubi editum antea *Dei consilio.* Vatic. addit. *unico.*

[p] Ita cum Vatic. In edit. *non potuisse.*

[q] Narrat Sulpicius Severus in lib. II Hist. Eccles. Valentem et Ursacium in Concilio Mediolanensi, ceterosque Arianos *meum plebis, quæ catholicam fidem egre studio conservabat, non ausos piacula profiteri,*

tueras efficere? cum nos contra tua, atque patris tui venena armaverit beatus Paulus, dicens: *Hoc itaque dico, ut nemo vos decipiat in sublimitate verborum* (*Coloss.* II, 4). Et iterum: *Videte ne quis vos decipiat* [a] *per philosophiam et inanem seductionem secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, et non secundum Christum, quia in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter* (*Ibid.* 8). Quomodo potueramus illis Arianis tuis sacrilegis sensibus verbis sublimibus licet seduci, cum inanem te philosophiam cognoverimus habere? unde etiam dulces tui possent esse sermones, quem viderimus tenentem traditionem Arii, non beatorum Apostolorum? ad quos dixerit iste, quem negas, quod verus sit Dei Filius: *Euntes baptizate* [b] *credentes in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti* (*Matth.* XXVIII, 19). Quomodo tibi discipulo Arii acquiesceremus Christiani, deserentes apostolicam traditionem, cum te inveniamus dicere, Patrem non esse verum patrem, sed appellari patrem? cum dicas, non illum verum habere Filium, sed factum esse ex nihilo? sanctum paracletum Spiritum, cum dicas totidem constare ex nihilo? e contra [c] videamus Apostolos credidisse in unum Deum Patrem omnipotentem verum patrem, propterea verum patrem, quod vere, non putative habeat filium, et in unicum filium ejus Jesum Christum, hoc est in verum Dei Filium, et in sanctum paraclitum Spiritum, in verum Dei Spiritum. Quomodo potuerat quis ita credentium supplantari a diabolo per te Arii blasphemiæ fundatorem, cum fides apostolica et Trinitatem confiteatur perfectam, et unicam deitatem fateatur Patris, et Filii, et Spiritus sancti; et Arii, hoc est tua blasphemia non teneat, nisi id quod placuerit caro tuo diabolo? cum tantum intersit inter beatæ Ecclesiæ fidem et inter hæresim tuam, quantum inter lucem atque tenebras? Recte vos interea dixi ita separatos a nobis, ut tenebræ sunt separatæ a lumine, quia sitis tenebrarum filii: unde

A et tenebras de vipereis cordibus evomueritis vestris. Sperasti nos deflectere a via veritatis, tamquam non sciremus præmonuisse Spiritum sanctum per beatum Paulum dicentem: *Nemo vos convincat volens* [d] *in humilitate sensus et religione angelorum, quæ videtur ambulans sine causa inflatus sensu carnis suæ, et non tenens caput* [e] *ex quo omne corpus per connexum et conjunctionem productum crescit in augmentum fidei* (*Coloss.* II, 18). Quomodo te ambulantem sine causa, alitum serpentis ore, Arii inflatum sensu carnis tuæ apostata [f] factum sequeremur, cum apostoli præceptum cogeret temet vitari? Dixisti, quod enim pacis causa conjungi desiderans fueris pseudoepiscopos sectæ tuæ nobis: sed quomodo istud facere potueramus, ut non Deum, sed te ejus audiremus inimicum?

B non sumus ut vos excordes, ut Dei Deum negemus Filium, sicut negant Judæi cæcitatis vestræ participes, ac duces vestræ incredulitatis: quorum reprobationis exemplum beatus ostendens Paulus dicit ad Hebræos (*Hebr.* III, 5): *Et Moyses quidem fidelis in tota domo ejus tamquam servus in testimonio loquens* [g], *Christus autem tamquam filius in domo ejus, quæ domus nos sumus, si tamen liberalitatem* [h] *et exultationem spei tenuerimus, propter quod* [i] *dicit Spiritus sanctus: Hodie si vocem ejus audieritis, nolite prædurare corda vestra, sicut in exacerbatione secundum diem tentationis in deserto, ubi tentaverunt patres tui in experimento, et viderunt opera mea quadraginta annis, ideoque perosa mihi gens est, et dixi, semper errant corde. Isti autem non cognoverunt vias meas, sicut juravi in*

C *ira mea si intrabunt in requiem meam. Videte, fratres, ne casu sit in aliquo vestrum cor malignum incredulitatis* i *discedendo a Deo vivente, sed consolamini vosmetipsos quotidie donec hodie vocatur* [k], *ne prædureturaliquis ex vobis in errore peccati. Participes enim Christi facti sumus, si quidem principium substantiæ usque ad finem firmum tenuerimus. Dum dicitur: Hodie si vocem meam* [l] *audieritis, nolite prædurare corda vestra,*

intra vallatum se congregasse: *Illinc*, inquit, *epistolam sub Imperatoris nomine emittunt omni pravitate refertam, eo nimirum consilio, ut si eam æquis auribus populus recepisset, publica auctoritate cupita proferrent; sin aliter fuisset excepta, omnis invidia esset in rege et ipsa venialis: quia etiam tum catechumenus sacramentum fidei merito videretur potuisse nescire. Igitur lectam in ecclesia epistolam populus aversatur.* Hoc autem facinus Lucifer spectat hoc in loco, et Constantii epistolam *edicti* vocabulo nominat, uti in lib. I. pro S. Athan. et in lib. *Moriendum esse pro Filio Dei*; ubi eidem se obstitisse palam in palatio testatur. Vide quæ illic animadvertimus. Sicuti vero Sulpicius edictum hoc, seu epistolam *omni pravitate refertam* fuisse affirmat, ita Lucifer scribit *omnia venena Arianæ hæresis* in ea *contineri*. Hieronymus a Prato in notis Sulpicianæ Hist. subjectis contendit adversus Tillemontium, huc Hilarium etiam respexisse, cum in lib. de Synodis num. 78 hæc scriberet: *Homines perversi eo usque proruperant, ut cum hoc*, id est Arianum dogma, *ipsi prædicare publice*, in Ecclesia Mediolanensi, *non anderent, Imperatorem tamen fallerent ad audendum. Fefellerimi enim ignorantem regem, ut istiusmodi perfidiæ fidem bellis occupatus exponeret, et credendi formam Ecclesiæ nondum regeneratus imponeret. Contradicentes Episcopos ad exsilium coegerunt.* Idem, atque Pratensis, sensere antea Monachi Maurini in notatione huic Hilarii testimonio ascripta.

[a] Vers. Ant. *suadeat.*

[b] Vers. Ant. *euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos*, etc.

[c] *Et contra.* Latin.

[d] *In humilitate et religione Angelorum, quæ vidit.* Vers. Ant.

[e] Vers. Ant. *caput Christum, ex quo omne corpus connexum, et conductione subministratum, et provectum crescit in incrementum Dei.* Hæc Græc. Ἐξ οὗ πᾶν τὸ σῶμα διὰ τῶν ἁφῶν καὶ συνδέσμων, etc. quæ conveniunt aptius cum Lucif. vers.

[f] Forte *apostatam.*

[g] Vers. Ant. *loquendorum.* Sabat. ita legit in Lucif. *in testimonium eorum quæ dicenda erant.*

[h] Legendum cum Sab. *libertatem.* Vers. Ant. *libertatem, et exultationem spei usque ad finem firmam*, etc.

[i] *Sicut dicit*, Vers. Ant. abest tamen *sicut* a Vers. Syriac.

[j] Cum Græco, ἀπιστίας ἐν τῷ ἀποστῆναι ἀπὸ θεοῦ ζῶντος. Vers. Ant. *iniquitatis, discedendi a Deo vivente.*

[k] Ex Græco καλεῖται. Vers. Ant. *vocatus.*

[l] *Ejus.* Vers. Ant.

sicut in exacerbatione. Quidam enim audito [a] *hoc non crediderunt, sed non omnes qui exierunt de Ægypto per Moysen. Qui* [b] *autem perosi ei fuerunt quadraginta annis? non hi qui peccaverunt, quorum cadavera jacuerunt in solitudine. Quibus autem juravit non intraturos in requiem suam, nisi* [c] *contumacibus? et videmus quia non potuerunt intrare propter incredulitatem. Timeamus itaque ne casu* [d] *derelicto mandato intrare* [e] *quidam vestrum in requiem ejus non posse videantur. Nam et annuntiatum est nobis, quemadmodum et illis, et non profuit illis verbum auditus, non* [f] *temperatus fidei auditorum. Intrabimus* [g] *enim in requiem ejus qui credidimus, ut dixit: Sicut juravi in ira mea, si intrabunt in requiem meam. Et cum opera ab origine mundi facta sunt, dixit tamen alicubi de die septimo: Sic et requievit Deus in die septimo ab omnibus operibus suis. Et* [h] *in hoc iterum, si intrabunt in requiem meam. Ergo quia superest* [i] *reliquorum intrare in illam, et hi quibus prius prædicatum est non intraverunt propter contumaciam. Rursus aliam præfiniit diem hodie, in David dicendo, post tantum temporis sicut antea dictum est: Hodie si vocem ejus audieritis, nolite prædurare corda vestra, quoniam si Jesus illis* [j] *requiem dedisset, non de* [k] *alia dixisset, postera die ergo restat requies populo Dei. Etenim qui intravit in requiem ejus, et ipse requievit ab operibus suis, sicut a suis Deus* (*Hebr.* IV, 1). Quis tam stultus, ut cum hæc legerit, hæc acceperit a beato Apostolo, deserens fidem apostolicam, suscipere tentet hæresim? Quis eum negare audebit, quem videat æternam requiem tribuere potentem credentibus se [l], et velit in illum credere cum quo incipiat in æternum puniri? Quis est talis nisi tu Constantius Imperator, qui dereliquisti Domini castra, et transitum fecisti ad diaboli domum? Non delegimus ardere, sicuti tu delegisti cum amatore tuo diabolo, sed in requiem perpetuam intrare festinamus, quam [m] tua astutia potueramus capi, et a via flecti veritatis, quando adhuc hortetur Apostolus ad requiem comprehendendam æternam dicens: *Festinemus igitur intrare in illam requiem, ne aliqui in* [n] *eodem exemplo contumaciæ cadant. Vividum enim verbum Dei, et validum, et acutum omni* [o] *gladio acutissimo, et penetrans usque ad divisionem animæ et spiritus, artuumque et medullarum, et scrutator animi et cogitationis cordis, et non est ulla creatio quæ non pareat ante illum: omnia autem nuda et aperta oculis ejus,* [p] *ad quem nobis ratio est* (*Ibid.* II). Cum hæc ita sint, quomodo potuerat quis nostrum transire ad vos in perfidia manentes Judæorum? quæ rerum ratio nos vobis possit jungere Christianos Arianis, cum videremus vos esse illius gentis imitationis [q] perfidiæ [r] de qua quomodo possent emergere confugientes ad domum Dei? [r] in Actibus apostolorum locutus ita sit Petrus beatissimus dicens: *Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Domini nostri Jesu Christi in remissionem peccatorum, et accipietis donum Spiritus sancti. Vobis enim est hæc* [s] *promissio, et filiis vestris, et omnibus qui longe sunt, quoscumque advocaverit Dominus Deus vester* [t]: *aliis etiam verbis plurimis contestabatur* [u] *et exhortabatur eos dicens: Eripite vos a generatione ista prava* (*Act.* II, 38). Nec poteris dicere, non vos esse Arianos generationem pravam, scuti fuerint ac sint Judæi, quando cernas tunc scribas, pharisæos, et principes Judæorum idcirco esse dictos prava generatio, quod enim et Dei negabant Filium, et omnes in ejus credentes divinam majestatem persequerentur: non, inquam, poteris dicere te atque cunctos Arianos non esse generationem pravam et perversam, quando hæc sitis gerentes, quæ et illi: si illi fuerunt unicum negantes Dei Filium, ita facilis et vos: si illi persecuti, sunt servos æternæ clementiæ ejus, persequimini etiam vos. Quid igitur oportuerat nos facere, nisi secundum Petri beati præceptum recederemus a vobis sacrilegis? Unde enim vobiscum poterat convenire? cum dixerit Dominus in Evangelio: *Attendite* [v] *vobis a fermento Pharisæorum quæ est hypocrisis* (*Luc.* XII, 1). Quomodo potueramus in uno esse? cum Corinthiis scribens dixerit beatus Apostolus: *Omnino auditur inter vos fornicatio, et talis fornicatio qualis nec inter gentes, ita ut uxorem*

[a] *Audito exacerbaverunt.* Ead.

[b] *Quibus autem et perosus fuit* XL *annis?... quorum ossa ceciderunt*, etc. Eadem. Græc. Veles. apud Sabat. habet πτώματα, *cadavera*, ut Lucifer.

[c] Græc. *εἰ μὴ τοῖς ἀπειθήσασι*, cum Lucif. *Nisi contumaces.* Vers. Ant.

[d] Græc. *μὴ ποτε. Casu* omittitur in Vers. Ant.

[e] *Intrare in requiem ejus neglexisse quis videatur.* Vers. Ant.

[f] Cum Græco, *ὁ λόγος μὴ συγκεκραμένος, sermo non temperatus.* Latine vero legendum cum Sab. ex Vers. Ant. *temperatum*, scil. *verbum.* Mss. plurimi apud eumdem *μὴ συγκεκραμένους, non temperatos.* Præterea in Vers. Ant. est *fide* pro *fidei*, quod habet Lucifer cum Græco *τῇ πίστει.*

[g] *Intramus enim in requiem, qui credimus.* Vers. Ant.

[h] *Et in hoc iterum sic: Et*, etc. Ead. sed Græc. cum Lucif. *καὶ ἐν τούτῳ πάλιν· εἰ* etc.

[i] *Superest reliquos. . . prædictum est*, Eadem. Lucifer ex Græco, *καὶ οἱ πρότερον εὐαγγελισθέντες.*

[j] Αὐτοὺς in Græc. *Illi* Vers. Ant.

[k] *De aliis* legit Sabat. Græc. *περὶ ἄλλης* ut in nostra edit. *De alio.* Vers. Ant. in qua *postera die* cum verbo *dixisset* jungitur, alio sensu ac in Lucif.

[l] *In se.* Latin.

[m] *Quam cum tua.* Til. *Quomodo.* Latin. sed ex utroque ita sensus interrogationis effici potest: *quam cum tua astutia quomodo* etc.

[n] Legit Sabat. *in idem exemplum.* Editio nostra cum Gr. *ἐν τῷ αὐτῷ παραδείγματι*, et cum Vers. Ant. quæ habet, *ne aliquis. . . . cadat a veritate.*

[o] Græc. *ὑπὲρ πᾶσαν μάχαιραν δίστομον.* Vers. Ant. *omni gladio acutissimum, et scrutator animi et cogitationis cordis.*

[p] Ut in Græco, *πρὸς ὃν ἡμῖν ὁ λόγος.* Vers. Ant. *ante quem nobis oratio est.* Sabat. legit *oratio* etiam in Lucif.

[q] *Imitatores.* Latin. et Til.

[r] Forte, *cum in*, etc.

[s] Cum Cypr. epist. 73. Vers. Ant. *vobis enim est repromissio.* Græc. *ἡ ἐπαγγελία.*

[t] *Noster.* Latin. cum Vers. Ant. Et Vulg.

[u] Græc. *διεμαρτύρατο καὶ παρεκάλει.* Αὐτοὺς addunt mss. plures apud Sabat. Vers. Ant. *testificatus est et exhortabatur, dicens: salvamini*, etc.

[v] Græc. *προσέχετε.* Vers. Ant. *cavete, ... quæ est simulatio.* Lucifer cum Tertull. lib. IV. adv. Marc.

patris aliquis habeat, et vos inflati estis, et non potius luctum habuistis, ut tolleretur e medio vestrum, qui hoc opus fecit (II *Cor.* v. 1). Si igitur Apostolus hujusmodi opus operantem jusserit tolli e medio, ne videlicet per illius societatem omnis corrumperetur ecclesia, quanto magis dignum fuerat, vos fugeremus blasphemos? si illum tradidisse satanæ narrat, quanto magis tunc vos jam traditos esse scire debetis, quando Dei cœperitis negare Filium? *Ego quidem sicut absens corpore, præsens* [a] *autem spiritu jam judicavi ut præsens eum qui sic operatus est in nomine Domini Jesu, congregatis vobis et spiritu meo, cum virtute Domini nostri Jesu tradere hujusmodi hominem* [b] *satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Jesu Christi. Bona* [c] *gloriatio vestra, nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpit. Expurgate vetus fermentum ut sitis nova conspersio, ut estis azymi* (*Ibid.* 3). Hæc cum sit increpatio Apostoli, poterant Christiani Antichristi conjungi servis? Quomodo enim non fuisset corruptus tantæ blasphemiæ vestræ venenis, quandoquidem sive in hypocrisi, sive ex vero quis communicet vobis, sit in ingenti periculo, cum propter hæresim vestram secerneremur a vobis? Quomodo iterum adhærere potueramus? cum vox sit dicentis Apostoli: *Scripsi vobis in epistola non misceri fornicariis, non utique fornicariis hujus mundi, aut avaris, aut raptoribus, aut idololatris, alioquin debueratis de hoc mundo exiisse. Nunc autem scripsi vobis non commisceri, si quis frater nominatur* [d] *fornicator* [e] *aut avarus, aut idolorum cultor, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum ejusmodi nec cibum sumere* (*Ibid.* 9). Si cibum vobiscum jubemur non sumere, credideras potuisse Catholicos convenire cum hæreticis ad solemnia cuncta celebranda? vobiscum erraticis, vobiscum per diaboli venenum ad omnem deductis ebrietatem esse potueramus Dei cultores? Quomodo fieri istud potuerat, ut inter mortuos vivi staremus? cum dignum esset magis vos filii adversarii nostri congregatos in unum videri, et nos contra Christi milites in unum, quo possetis sine ulla dubitatione ab omnibus Deum diligentibus membra ac corpus meretricis vocitari; quo nomine etiam nos possemus nuncupari, si nosmet traderemus vobis: *Nescitis quia corpora vestra membra Christi sunt? Tollens ergo membra Christi faciam membra meretricis? Absit. Aut nescitis, quia qui se jungit meretrici unum corpus est. Erunt enim, inquit, duo in carne una. Qui autem jungit se Domino, unus spiritus est; fugite fornicationem* (*Ibid.* VI, 15).

A Cujusmodi vis fugere nos debere fornicationem? Qui enim præter uxorem, aliam petere voluerit, fornicarius dicitur. Item qui idolis servierit, fornicatus dicitur: quoniam quidem Deum derelinquens idola adoraverit: similiter qui hæreticus est, fornicarius vocatur. Quodvis de his cognosce gravius esse crimen, hæreticum fieri, idolis servire, an committere secundum carnem adulterium? Quia ergo sive gentiles, sive vos hæretici idololatres [f] dicimini, utraque pars idololatriam sit gerens, necesse est: et tamen quia a [g] carnali fornicatione, quantum dici non potest, quod [h] vastiora sint illa duo crimina intelliges. Conspice quibus te jugulaveris malis. Clamat adhuc dicens sanctissimus Apostolus: *Omne peccatum quod fecerit homo extra corpus est, qui autem fornicatur, in corpus suum peccat* (*Ibid.* 18). Et: *Non estis vestri. Empti enim estis pretio. Glorificate et* [i] *portate Dominum in corpore vestro* (*Ibid.* 19). Quomodo poteris portare Deum, Constanti, in corpore tuo, cum apostolicam fidem rejiciendo, hæreticamque suscipiendo, non te illius esse dixeris, cujus se dixerunt patres nostri, Abraham, Isaac, et Jacob, sed et cuncti prophetæ, apostoli, ac martyres? Deinde si qui fornicator in corpus suum est peccans, quanto magis tu qui sis non per carnem tantum illud perficiens serpentis opus, sed et per ipsam animam? *Nescitis quia qui se jungit meretrici unum corpus est, qui autem jungit se Domino unus spiritus est* (*Ibid.* 16). Cum sacrilegis ne et ipsi facti in corpore meretricis, non mereremur esse Domini famuli, sed jam ut vos servi diaboli, censuimus recedendum fuisse a vobis. Væ tibi qui nolueris Domino conjungi, sed volueris diabolo. Sed et cum dicit: *Nolite seduci; corrumpunt enim mores bonos colloquia prava* (*Ibid.* XV, 33); quid me jubet facere nisi ut fugiam cœtum tuum sacrilegio maculatum, ne dum hæreo tibi, et ipse tecum peream? Quomodo in tuo concilio maligno esse potueramus? cum Apostolum beatum Timotheo inveniamus dixisse: *Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis. Te ipsum castum serva* (II *Tim.* v, 22). Sed quomodo essemus casti, qui vobis hærendo, ut vos disrupti fuissemus per illos carissimos vestros, immundos videlicet spiritus a castitate fidei? quomodo non communicassemus alienis peccatis? Quod si vobiscum manendum censuissemus, hoc essemus futuri, quod estis vos, hoc est membra meretricis. Quomodo nos Christiani esse potueramus vobiscum hæreticis? cui item scripsisse Apostolum Timotheo sciremus, ut nosmet abstra-

[a] Cum Græco, παρὼν δὲ τῷ πνεύματι. Vers. Ant. *spiritus*.

[b] Cum Tertull. in lib. de Pudic. Abest hæc vox *hominem* a Vers. Ant. in qua præterea legitur, *in diem Domini Jesu*. Lucifer cum Græco in mss. pluribus, ἐν τῇ ἡμέρᾳ τοῦ Κυρίου ἡμῶν, apud Sab.

[c] Vers. Ant. *non bona*. August. in lib. 3. cont. epist. Parmen. *Per exprobrationem pronuntiationis*. Bona gloriatio vestra: *sic enim nonnulli, et maxime latini codices habent*.

[d] Cum Gr. ἐάν τις ὀνομαζόμενος. Vers. Ant. *nominetur*.

[e] *Aut fornicator*. Latin. ex Græc. ἢ.

[f] Pro *idololatræ*: ita aliena nomina vulgus corrumpit. *Til. et Latin.*

[g] *A* forte demenda. *Latin.* recte.

[h] *Quod vastiora sint*, etc., *intelligis, conspice* etc. Id. Clarior ita sensus, retento etiam *intelliges* sic: *et tamen quia carnali fornicatione.... quod vastiora sint illa duo crimina intelliges, conspice*, etc.

[i] Cum Græco in quibusdam mss. καὶ βαστάσατε τὸν Θεὸν. Vers. Ant. *glorificate Deum in corpore vestro*.

Cum. Latin. et Vatic.

heremus a vobis hæreticis: *Hæc doce et exhortare, si quis aliter docet, et non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Jesu Christi, et ei quæ secundum pietatem est doctrinæ, inflatus est autem nihil sciens, sed ægrotat circa quæstiones et verborum rixas, ex quibus nascuntur invidiæ, contentiones, blasphemiæ, suspiciones* [a], *conflictationes malæ hominum mente corruptorum, et a veritate destitutorum* (II *Tim.* VI, 2). A te itaque non ita credenti, ut credit populus Dei, a te non ita docenti, ut docuerunt Christi unici filii Dei apostoli, a te non acquiescente sanis sermonibus Domini nostri Jesu Christi voluimus vivere segregati, a te expugnatore doctrinæ quæ secundum pietatem est, a te inflato contra nos per inimicum nostrum, a te nihil veri scienti sed ægrotanti circa quæstiones, a te per cujus nefandos conatus natæ esse specialiter nostris diebus inveniantur rixæ verborum, mortiferæ contentiones, malignæ conflictationes, per te videlicet hominem mente corruptum, veritatis interpolatorem. Recedendum censuimus a te atque a conviperinis tuis, secundum Apostoli præceptum. Dicit enim infra: *Hominum mente corruptorum et a veritate destitutorum, existimantium quæstum esse pietatem: discede* [b] *ab hujusmodi* (*Ibid.* 5). Unde tecum esse potueramus? cum etiam in clausula hujus epistolæ hortetur te fugiendum esse, te qui exciderís a fide: *O Timothee depositum custodi, devitans profanas vocum novitates et oppositiones scientiæ falsi nominis, quam quidam promittentes circa fidem exciderunt* (*Ibid.* 20). Oportuerat nos vitare te profanas vocum novitates proferentem, siquidem cognosceremus te illam sacrilegam vocem instinctu protulisse diaboli, illam, inquam, vocem, per quam expresseris venena dogmatis tui dicens: *Erat* [c] *quando non erat, et factus est ex nihilo, et non est una potentia patris et filii.* Hæc non Spiritus sanctus per te protulit, sed immundus ille diabolicus. Quomodo itaque secundum Apostoli mandatum custodire depositum potueramus, si tecum in [d] concilio maledicto vestro mansissemus? cum nos proposuerimus usque ad mortis exitum apostolicam tenere fidem, istam scilicet quam apud Nicæam retinemus scriptam contra tuam blasphemiam, et contra omnium hæreticorum tuorum exsecrabiles conatus. Quomodo in concilio vestro Ariani [e] esse nos potueramus Christiani? qui in libro Machabæorum prædecessores conservos nostros segregatos fuisse [f] ab illis qui juxta edictum contyranni tui Antiochi idolis supplicaverant: *Judas autem Machabæus qui decimus fuerat, et secesserat in desertum, ibique cum feris vitam in montibus cum suis agebat, feni cibo vescentes morabantur, ne essent participes coinquinationis* (II *Mach.* V, 27). Cognoscis hoc in uno testimonio nos recedere oportuisse a vobis, ne et nos participes fuissemus coinquinationis. Quomodo vobis jungeremur? cum item dicat Dominus ad apostolos: *Attendite vobis a fermento Pharisæorum et Sadducæorum* (*Matth.* XVI, 6); et ut fermentum fuisse doctrinam non sanam, quam videlicet aut tunc illi Pharisæi, aut Sadducæi, aut nunc vos omnium sectarum proferetis hæretici, nobis manifestaret, sequitur scriptura dicens: *Tunc cogitabant inter se dicentes, quia panem non habemus* [g]. *quibus cogitantibus dixit Jesus* [h]: *Quid cogitatis inter vos, modicæ fidei, quia panem non habetis? nondum intelligitis neque meministis quinque panum, et quinque millium hominum, et quot cophinos sumpseritis, neque septem panum, et septem millia hominum, et quot spartas sumpsistis? Quare non intelligitis, quia non de pane dixi, Attendite de* [i] *fermento Pharisæorum et Sadducæorum. Tunc intellexerunt, quia non dixit a fermento* [j], *sed a doctrina Pharisæorum* [k] *intenderent sibi.* Item ad Corinthios scribens cum dignetur Apostolus instruere, recedendum a vobis hæreticis, et omnibus alienigenis, quomodo præsumpserat cor tuum in omnibus varium et mutabile, sed in hac malignitate malo salutis suæ ingenti stabilitum robore, nos potuisse tecum pacem vel cum tuis habere? *Nolite jugum ducere cum infidelibus: quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate? aut quæ societas lucis ad tenebras? Quæ autem conventio Christi ad Belial* [l]*? aut quæ pars fideli cum infidele? Qui autem consensus templo Dei cum idolis? Vos* [m] *enim estis templum Dei vivi: scriptum est enim: Quoniam inhabitabo in illis, et inter illos ambulabo, et ero illorum Deus, et ipsi erunt mihi populus, propter quod exite de medio eorum, et separamini, dicit Dominus, et immundum ne tetigeritis, et ego recipiam vos, et ero vobis in patrem, et vos mihi eritis in filios et filias, dicit Dominus omnipotens* (II *Cor.* VI, 14). Quomodo cum tua præcepta orta videantur esse contra has Domini promissiones, demorari vobiscum fideles potueramus cum infidelibus? currentes in via lucis vobiscum possemus stare hominibus iter conficientibus in via tenebris errorum repleta omnium? Quis enim tam stultus est, ut cum audierit Deum dicere: *Quoniam inhabitabo in illis, et inter eos ambulabo, et ero illorum Deus, et ipsi erunt mihi populus, propter quod exite de medio eorum, et separamini, dicit Dominus, et immundum ne tetigeritis, et ego recipiam vos, et ero vobis in patrem, et vos mihi eritis in filios et filias, dicit Dominus omnipotens, et haec dicens non credat? Scio quia non credit, sciens tamen Jesus, dixit.*

[a] Vers. Ant. *suspiciones malæ, conflictationes*, etc.

[b] Cum Græco, ἀφίστασο ἀπὸ τῶν τοιούτων, quæ Vers. Ant. omittit et Sab.

[c] Hæ formulæ in epistola, seu edicto Constantii expressæ: de quo paullo superius.

[d] Id est, *Mediolanensi*, uti alibi animadvertimus.

[e] *Arianorum.* Vatic.

[f] Deest verbum *legeramus*, vel simile quidpiam. Tilius. *Legerimus.* Latin.

[g] *Panes non accepimus.* Vers. Ant.

[h] Cum pluribus mss. apud Sabat. Vers. Ant. *Sciens tamen Jesus, dixit.*

[i] *A fermento* legit Sab. cum Vers. Ant. Ms. Cantabrig. et nostro Vat.

[j] *Fermento panum.* Vers. Ant. *Panum* abest a Codd. Corb. et Cantabrig. ut a Lucif.

[k] *Pharisæorum et Sadducæorum.* Vers. Ant.

[l] Cum Græco. Vers. Ant. *Beliab.*

[m] Ita Græc. ὑμεῖς γὰρ ναὸς θεοῦ ἐστε ζῶντος. Vers. Ant. *Nos enim templum Dei sumus vivi; dicit enim Deus.*

minus omnipotens (II *Cor.* VI, 16); quis, diximus, tam stultus est, ut nolit in se Deum inhabitare? qui nolit se receptum a Deo reputari inter eos quos filios appellare dignatus est? ut non fugiat te immundum per hæresim tuam effectum? Non æquum nobis visum est, ut vobiscum nos in uno fuisseimus, quandoquidem nec sit æquum homines morari cum serpentibus. Aut negabis unici Filii Dei negatores dictos in sacris scripturis serpentes? Si negare non potes, adverte recte nos egisse fugere vos serpentes. Legisti Apostolum Timotheo dicentem : *Profanas novitates vocum devita : multum enim proficient ad impietatem, et sermo eorum ut cancer serpit* (II *Tim.* XI, 16). Existimasti tecum, cujus sermo ut cancer est, esse Dei homines potuisse. Item beatus cum præcipiat Joannes vos fugiendos dicens : *Gavisus sum valde quod inveni de filiis tuis ambulantes in veritate sicuti mandatum accepimus a Patre. Oro te domina non sicut mandatum novum scribens tibi, sed quod habuimus ab initio, ut diligamus nos alterutrum : et hæc est caritas ut ambulemus secundum mandata ejus. Hoc est mandatum sicut audistis ab initio ut in eo ambuletis, quoniam multi fallaces progressi sunt in sæculo, qui non confitentur Jesum Christum venisse in* [a] *carnem : isti sunt fallaces et Antichristi. Videte eos, ne perdatis quod operati estis, sed ut mercedem plenam recipiatis. Omnis qui recedit, et non manet in doctrina Christi, Deum non habet : qui autem manet in doctrina ejus, ille et Patrem et Filium habet. Si quis venerit ad vos, et hanc doctrinam non affert, nolite accipere eum in domum, et Ave nolite dicere ei : qui enim dicit ei Ave, communicat operibus ejus malignis* (II *Joan.* 4). Quomodo fieri potuerat, ut nos tecum atque cum tuis essemus Dei milites cum militibus Antichristi? quandoquidem nec salutari vos permiserit Spiritus sanctus, dans hæc præcepta per beatum Apostolum. Sed fortassis dicere audebis : *Numquid ego in carne venisse nego Dei Filium, ut unus nuncuper ex Antichristis ?* Non quidem tu, Constanti Imperator, venisse in carne negas Dei Filium, sed dicis illum, quem nos confitemur in carne venisse, esse creaturam : dicis factum illum ex nihilo, non illum esse verum Dei Filium affirmans. Nos contra qui istius beati Apostoli tenemus traditionem, credimus verum Dei Filium, credimus unam habere deitatem Patrem et hunc unicum ejus Filium ; quod ita esse Dominus in sacris suis Evangeliis manifestat, dicens : *Qui me vidit, vidit et Patrem* [b] (*Joan.* XIV, 9, 10) : et, *Ego in Patre et Pater in me* : [c] et, *Ego et Pater unum sumus* (*Ibid.*, x, 30). Sæpe diximus, quia cum sint duæ personæ Pater et Filius, et tamen dicat : *Ego et Pater unum sumus* (*Ibid.*) : et, *Qui me vidit, vidit et Patrem* (*Ibid.* XIV, 9) et, *Ego in Patre, et Pater in me* (*Ibid.* 10) ; nihil aliud nos illum voluisse asseqni, nisi quia una sit æternitas Patris et Filii, una sit claritas, una potentia unave [d] magnitudo. Idcireo etenim etiam Apostolus in hac dicit secunda epistola : *Omnis qui recedit et non manet in doctrina Christi, Deum non habet : qui autem manet in doctrina ejus, ille et Patrem et Filium habet* (II *Joan.* 9) : ut per doctrinam colligentes sacrorum Evangeliorum Dei Patris et unici Filii ejus unam crederemus deitatem : hunc habere Deum, qui ita credat ; qui autem recesserit ab hac doctrina (hoc est, *et ego et Pater unum sumus* (*Joan.* x, 30), utique cum sit plurale, et duas ostendit personas et unam potentiam harum duarum personarum, hoc est Patris et Filii), ergo dicit Apostolus : *Qui recedit, et non manet in doctrina Christi, Deum non habet : qui autem manet in doctrina ejus, ille et Patrem et Filium habet* (II *Joan.* 9) : ut crederemus Filio dicenti Dei : *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* x, 30) ; quod utique una sit deitas Patris et Filii. Constat itaque te qui ita non teneas quomodo tradiderit apostolis Dominus, et apostoli episcopis, te non habere Deum : quia et Apostolus volens et Patris et Filii unicam divinitatem manifestare, dicebat : *Qui recedit a doctrina ejus, Deum non habet : qui autem manet in doctrina ejus, ille Patrem et Filium habet* (II *Joan.* 9). Te inquam constitutum sine Deo, te neque Filium habentem neque Patrem rectissime fugisse cognoscimus [e], siquidem non fuisset dignum habentes Deum cum inimicis ejus demorare [f] divinæ magnitudinis. Sed quam sis Deo odibilis cognosce, ut nec Ave tibi dicere fuerimus permissi. Quomodo vobiscum Arianis Christiani esse potueramus? cum dicat Apostolus Paulus : *Stultas quæstiones, et genealogias, et contentiones, et lites legis devita : sunt enim inutiles et vanæ. Hæreticum hominem post unam correptionem* [g] *devita, sciens quoniam perversus est* [h] *et peccat, cum sit a semetipso damnatus* (*Tit.* III, 9). Cum hæreticis a semetipsis damnatis non potueramus congregari, ne et nos illa vox percuteret, sicut Galatas beati Paulli percutit : *Currebatis bene : quis vobis* [i] *impedivit veritati non obedire* (*Gal.* V, 7)? Cognoscentes vos esse unici Dei Filii hostes, fugimus nefaria consilia vestra, temperantes [j] voci Apostoli : *Qui* [k] *nemini*, inquit, *consenseritis, suasio*, [l] *hæc vestra ex Deo est, qui vocat vos. Nescitis* [m] *quia modicum fermentum totam*

[a] *In carne*, apud Sabat.
[b] Cum Græco, a quo abest *meum*, quod inest vers. Ant. [illegible]
[c] *In me est*. Vers. An[illegible]enæus in lib. III, convenit cum Lucif.
[d] *Unaque*. Latin.
[e] *Cognoscimur*. Latin.
[f] *Demorari*. Id.
[g] *Post unam correptionem et duo*. Vers. Ant. Lucifer convenit cum Iren. lib. III, et Cypr. epist. 55.
[h] *Perversus est hujusmodi*. Vers. Ant.
[i] *Vos* legit Sab. cum Vers. Ant. quæ etiam hic habet, *obaudire*.
[j] Pro *obtemperantes*, et ita sæpe.
[k] *Qui nemini consenseritis*, hæc leguntur solummodo in cod. Borner. apud Sabat. desunt vero ubique.
[l] *Suasio ex eo est?* Vers. Ant. et ubi *Vos*, Sab. in Lucifero legit, *Nos ?*
[m] *Nescitis quia* abest a Vers. Ant.

massam corrumpit (*Gal.* v, 9). Noluimus vos vermes Arii recipere nos servi Christi in societatem, ne fuissemus eo veneno diaboli quo vos estis consumpti. Noluimus vobiscum ire, cum hominibus videlicet, qui adhuc videamini esse extra Dei notitiam, qui adhuc sub diaboli sitis constituti potestate : noluimus mortuis conjungi vivi, quia tales vos esse cognoscamini, quales fuerimus ipsi antequam credidissemus in unicum Dei Filium. Hæc ita se habere manifestat Apostolus Ephesiis scribens : *Et vos cum èssetis mortui delictis et peccatis vestris, in quibus aliquando ambulastis secundum* [a] *principem potestatis aeris hujus, spiritus, qui nunc operatur in filiis diffidentiæ, in quibus et nos omnes conversati sumus aliquando in concupiscentia carnis nostræ, facientes voluntates* [b] *carnis et consiliorum : et eramus naturales filii iræ, sicut et cæteri* (*Ephes.* II, 1). Cum adhuc vos tales sitis quales nos fuisse antequam credidissemus refert sanctissimus Apostolus, utique fueratis vitandi homines, in quibus operentur, et per quos gerant principes potestatis, aeris hujus spiritus, omne desiderium suum : eratis fugiendi filii diffidentiæ, filii naturaliter iræ, ne vobis hærendo ad id quod ante fuissemus reduceremur. Noluimus esse vobiscum, quia adhuc non fueritis misericordiam Dei adepti, quam jam nos sumus consecuti. Noluimus societatem habere vobiscum, qui consilio carnis ducebamini, sicut ducebatur iste beatissimus Paulus priusquam credidisset, quem meminimus dicere : *Nemo vos seducat inanibus verbis, propter hoc* [c] *venit ira Dei in filios diffidentiæ. Nolite itaque fieri participes eorum. Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino, sicut filii lucis ambulate : fructus enim luminis est in omni bonitate et justitia, et veritate, probantes quid sit acceptandum* [d], *et nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum : magis autem redarguite* (*Ibid.*, 5, 6). Noluimus, quia hæc mandata acceperimus, vobiscum demorari ducti inanibus vestris verbis, ne scilicet veniret super nos ira, sicuti etiam venit, et ventura est in vos, in te atque tuos, in vos filios diffidentiæ. Noluimus effici participes tenebrarum ; siquidem jam credentes in unicum Dei Filium mandatis ejus majestatis parere cupiendo ex illis evadentes tenebris lux facti fuerimus in Domino : unde nec mandatis tuis tenebrosis paruerimus, quia fuisset sceleratum filios lucis tuum facere opus tenebrosi : [e] quia et fructus luminis sit ambulare in justitia et veritate, et in omni bonitate. Dicis nos facere inique, quod noluimus hæresim suscipere tuam, quod non tecum atque cum tuis æternæ fuerint fixæ amicitiæ. Accipe quod Moses fecerit de alienigenis, tempore quo jubere ei dignatus est Deus, ut mittens A certum numerum Israelitarum, ore gladii perdidisset quinque Madiæ reges et Moab ; qui destinati ad prælium interfectis omnibus maribus, quod sexui perpercerint femineo occurrenti, increpat Moses Israel filios, cur non etiam sexum femineum delevissent, et jubet coram se easdem interfici, affirmans, quod enim ad idola adoranda possent populi illicere mentes. Si itaque et nos sic exsecramur hæresim tuam ut Moses idololatriam, si sic et quidem Dei gladio interfici cupiamus hæreses omnium vestrorum errantium, quomodo et Moses illas idolis mancipatas, si ita vos fugiamus religionis Dei adversarios, ut ille fugit idolorum cultores, existimas nos non facere recte abstrahendo nosmet a vobis ? Quomodo etenim convenire nobis vobiscum potuerat ? cum ad B Philippenses dixerit : *Videtè canes, videte malos operarios* (*Phil.* III, 2). Vos canes, malos operarios quis Dei servorum non fugeret, nisi qui se non meminisset Christianum ? Vobis adversarii Dei religionis servi Christi potueramus esse conjuncti, cum exhortetur Judas gloriosus Apostolus frater Jacobi Apostoli, ut te atque similes tibi vitaremus, et in suscepta fide usque ad mortis exitum maneremus ? *Judas Jesu Christi servus, frater autem Jacobi, his qui* [f] *in Deo Patre dilectis, et in Jesu Christo conservatis vocatis, misericordia vobis et pax et caritas multiplicetur. Charissimi, omnem sollicitudinem faciens scribendi vobis de communi nostra salute, deprecor, ut perlaboretis semel traditæ societati. Subintraverunt enim quidam homines, olim quidem præscri-* C *pti ad hoc judicium, impii, qui Dei gratiam transferunt ad impudicitiam, et qui est dominator noster et Dominus Jesus Christus, eum negantes* (*Judæ* I, 1). Cum negatoribus vobis blasphemis fuerit nefas convenire ; cum adhuc eorum, qui transgressi sunt mandata Domini, præponens exempla, urgeat corda nostra manere in ea fide, in qua ipse videatur mansisse. *Admonere itaque vos volo, dicens, scientes omnia, quoniam Deus populum suum de terra Ægypti salvum fecit : secundum* [g] *autem non credentes perdidit : angelos quoque qui non servaverunt ordinem suum, sed dereliquerunt habitaculum suum in judicium magni Dei, vinculis eos sanctorum angelorum sub tenebris servavit. Sodoma autem et Gomorrha, et quæ circa eas erant civitates his* [h] *simili modo cum adulterium feci-* D *sent, et carnem* [i] *secutæ essent, cinis propositæ sunt exemplum, ignis æterni pœnam sustinentes. Similiter itaque et isti somniantes, carnem quidem coinquinant, dominationem autem spernunt* (*Ibid.*, 5). Et infra : *Væ illis, quoniam in viam Cain abierunt, et in seductionem Baal mercede effusi sunt, et in contradictionem Choreb perierunt. Hi sunt* [j] *in charitatibus vestris ma-*

[a] *Secundum sæculum mundi hujus, et secundum principem*, etc. Vers. Ant.

[b] Cum Græco θελήματα. Vers Ant. *voluptates* ; in qua, *eramus natura*, etc.

[c] *Hoc enim*. Vers. Ant.

[d] *Acceptum Deo*. Vatic. *Quod placeat Deo.... autem et redarguite*. Vers. Ant.

[e] Id est, *hominis tenebrosi*.

[f] *Qui sunt, et, conservatis et vocatis* legit Sab.

[g] *Secundo*. Id.

[h] Ut in Græc. τούτοις, Sab. legit *hæ*.

[i] *Et carnem secutæ essent alteram, propositæ*, etc. Latin. ad sensum Vulg.

[j] Græc. ἐν ταῖς ἀγάπαις ὑμῶν. Sabat. legit, *in epulis suis maculæ, convivantes sine timore, semetipsos pascentes*. Græcum vero idem hic sonat, ac ἀγάπας,

culæ sine timore semetipsos regentes, nubes sine aqua, omni vento circumferendæ, arbores autumnales sine fructu [a] *mortuæ, a radicibus evulsæ, fluctus feroces maris despumantis turpitudines suas, procellæ seducentes, quibus tempus tenebrarum* [b] *in æternum servatum est* (*Judæ*. 1, 11). Et infra : *Vos autem, fratres, mementote prædictorum sermonum ab apostolis Jesu Christi, quoniam dicebant : In novissimis diebus erunt irrisores, euntes secundum voluntates suas impias : hi sunt* [c] *secernentes animales spiritum non habentes* (*Ibid.*, 17). In his omnibus malis quia esse conspectus es, Constanti, vitatæ sunt a nobis tuæ interficere laborantes amicitiæ : ne videlicet tecum ad illa fuissemus præcipitati loca tormentorum, ad quæ omnes illos, quorum tenens es iter, [d] narrat præcipites datos.

quas vocabant, seu veterum Christianorum convivia.

[a] *Bis mortuæ*. Latin. ex Vulg.

[b] Cum Græco εἰς τὸν αἰῶνα. Sab. legit, *tempus tenebrarum æternum*.

[c] *Secernentes se*. Latin. ad sensum Vulg.

[d] Id est, *Apostolus Judas*, cujus protulit auctoritatem.

S. P. N. LUCIFERI

EPISCOPI CALARITANI

DE REGIBUS APOSTATICIS,

AD CONSTANTIUM IMPERATOREM,

LIBER UNUS.

Usitatum quia habere dignaris verbum, quod enim nisi et integre crederes, et hæc quæ geris circa nos Deo essent placita, jam fuisses exstinctus, paucorum tibi in apostasia atque crudelitate æqualium regum facta desideravi reserare, quo possit vox illa tua sepeliri quæ dicat : *Nisi catholica esset fides Arii, hoc est mea, nisi placitum esset Deo quod illam persequar fidem quam contra nos scripserint apud Niciam, numquam profecto adhuc in imperio florerem.* Non illorum regum facio mentionem, qui a Dei notitia fuerunt alieni ; de his solis tracto qui in Judæa noscuntur regnasse. In libro Judicum invenimus Jerobabelem filium Josiæ electum a Deo, et dictum ei : *Vade in fortitudine tua, et salvum facies Israel de manu Madiæ : nonne ecce mitto te* (*Judic.* VI, 14) ? Et infra : *Ego* [a] *ero tecum, et percuties Madiam quo modo unum hominem* (*Ibid.* 16) ; quem Madiam loquitur scriptura habuisse multitudinem tamquam arenam maris. At ubi impleta sunt cuncta quæ Deus Gedeoni promisit, ubi se exaltatum ex humili, locupletatum ex paupere, regem factum vidit ex plebeia conditione, quid statim facit ? nempe dicit ad populum : *Date mihi unusquisque inaurem de præda sua* (*Ibid.* VIII, 24). *Qui cum accepisset pondus inaurium* [b] *aureorum ad mille septingentos siclos, præter brachialia et torques, et operimenta, et purpuram quæ super reges Madiam erant, et præter torques aureas, quæ in collo camelorum adversariorum* (*Ibid.* 26), quid dicit fecisse Gedeonem sacra scriptura ? *Gedeon* [c] *qui et Jerobabel, fecit Ephod, et statuit illud in civitate sua Ephrath : et fornicati sunt filii Israel ibi, et factum est Gedeoni et domui ejus in scandalum* (*Ibid.* 27). Numquid nam distulit diebus aliquantis, et sic hanc est operatus contra Deum malignam operam ? Numquid nam reminisci potuit, cum hæc fuisset [d] aggressus facere, quod dixisset ei Deus : *Vade* [e], *ego ero tecum* (*Ibid.* VI, 16) ? Ubi est illud, quod secundum præceptum Dei demolierit Baal et lucos ejus exciderit, et Deo obtulerit sacrificium ? ubi est illud quod dixit ad Dei nuncium sibi dicentem : *Dominus tecum, potens* [f] *virtute : In* [g] *me, Domine, et si est Dominus nobiscum, et quid apprehenderunt nos omnia mala hæc ? et ubi sunt mirabilia ejus, quæ retulerunt nobis patres nostri dicentes : Nunc* [h] *ex Ægypto adduxit nos Deus ? et nunc sprevit nos et tradidit nos in manu Madiæ Dominus* (*Ibid.* 11). Numquid repetebat tempore quo contra Deum facere tentavit, quod illa consecuti fuissent

[a] Congruit cum Vulg. Vers. Ant. *Quoniam Dominus erit tecum : et... tamquam virum unum.* Alii cum Lucifero ex Græco, ἔσομαι μετὰ σοῦ.

[b] Cum Vatic. Antea *inaureum*. Vers. Ant. *Pondus inaurium aurearum, quas petierat, sicli mille septingenti auri.... et operimenta purpurea, quæ erant super reges Madian, præter torques, quæ erant in cervicibus camelorum ipsorum.*

[c] *Et fecit illa Gedeon in Ephod et statuit illud in civitate sua in Ephra.* Vat. Vers. Ant. *Et fecit illud Gedeon in Ephud, et.... in Ephra. Et fornicatus est omnis Israel post illud ibi*, etc.

[d] Cum Latin. ita corrigimus ; antea *fecisset*.

[e] *Vade* abest ab Vers. Ant.

[f] *Potens virtute*, ex Hebr. Vers. Ant. *potens in fortitudine.*

[g] Deesse videtur : *Et dixit ad eum Gedeon. In me*, etc. Vers. Ant. *Domine mi.... et ut quid invenerunt nos omnia mala ista*, etc.

[h] *Nonne*. Latinius, nil in Græco.

mala propter idololatriam? At ubi erepti sunt, ut viverent sine adversariorum timore, ab omnibus illis malis, quibus se dicebat cum omni prægravatum populo, illico facit rem, per quam et ipse et omnis pariter populus propter idololatriam fuisset traditus in manus adversariorum. Audierat Deum [a], quod idolis servissent derelicto Deo, illis cuncta illa mala accidisse; meminerat prophetam locutum; et tamen ea die, qua nihil facti sunt ante eos inimici eorum, censuit rex ille, in vecordia cui dignaris esse similis, idolis quam Deo qui illa sibi præstiterat fuisse famulandum. *Et fecerunt*, inquit scriptura, *filii Israel malignum ante Dominum Deum, et tradidit in manus Madiæ annis septem, et prævaluit manus Madiæ valde super Israel : et fecerunt sibi Israel ante faciem Madiæ cryptas* [b] *in montibus, et speluncas, et monumenta. Et factum est quando seminabat Israel, ascendebant Madiam et Amalech, et filii Orientis, et ascendebant super eum, et committebant cum eis, et corrumpebant fines terræ, usque dum venias* [c] *Gazam, et non relinquebant ad vitam huic Israel ovem, nec vitulum, nec asinum : quoniam ipsi et jumenta eorum ascendebant, et tabernacula sua afferebant, et camelos suos ducebant, et adveniebant sicut locustæ in multitudine, quoniam non erat numerus, et adveniebant super terram corrumpere eam. Et pauper factus est Israel a facie Madiæ : et clamaverunt filii* [d] *Israel ad Dominum propter Madiam. Misit Dominus virum prophetam ad filios Israel, et dixit illis : Hæc dicit Dominus Deus Israel : Ego sum qui adduxi vos ex Ægypto, et eduxi vos de domo servitutis, et abstuli vos de manu regis Ægypti, et de manu omnium persequentium vos, et ejeci illos a facie vestra, et dedi vobis terram eorum. Et dixi vobis : Ego sum Dominus Deus vester, non timebitis* [e] *Deos Amorrhæorum, in quibus vos inhabitatis in terra ipsorum : et non exaudistis vocem* [f] *meam* (*Ibid.* 1). Quid post hanc increpationem Domini facit Jerobabel qui dicitur etiam Gedeon? mox ut inimicum suum videt [g] deductum ad nihilum, mox ut universi illi adversarii, qui ut arena maris fuisse narrantur, sunt mactati, et non ingenti numero Israelitarum, sed in trecentis viris, mox ut omnes reges vidit alienigenas interfectos, fabricat eam rem, per quam possint in Deum delinquere filii Israel, et tamen quadraginta annis etiam post tantum facinus commissum regnasse hic in Israel invenitur. Non erit ergo mirandum, si et tu sacrilegus adhuc degas in corpore, quando videas Gedeonem regem quadraginta annis vixisse post idololatriam commissam, regnoque suo potitum : etenim quievisse Israelitas quadraginta annis, nec adversarios in eos omnino permissos, nec ullum eis idem fuisse dominatum ex alienigenis, propterea quod exclamassent ad Deum, scriptura loquitur sacra. Talia circa consacrilegos tuos fecit bona Deus, ostendens se quidem totum potentem, illos tamen indignos ad consequendam requiem, qui nec una die quidem post receptam requiem tantorum periculorum illi, qui tantam præstiterat misericordiam, servire delegissent. Cum tales fuerint Israelitæ, tamen pro sua pietate pepercit eis, etiam post hæc gerentibus idololatriam, nec statim reddidit, sed iterum tempore quo ei placuit tamen reddidit : non eis impune idololatriæ reatus cedere potuit. Ita et tibi, Constanti, erit repræsentaturus, nisi tibi provideris interea. Si Israelitæ servientes dæmonibus, derelinquentes Deum, cum jam extranei fuissent a notitia effecti Dei, tamen mox ut ascendit in corda illorum, quia ille sit Deus totum potens, qui eorum patres eduxisset de terra Ægypti, exauditi sunt et liberati de manu Madiæ, et ab omnibus persequentibus; quid sentis arbitrari nos posse Christianos eripi de manibus tuis? an necne, quod sciam, es pervidens nos tantum Deum colere Abrahæ, Isaac, et Jacob, et omnium prophetarum, apostolorum, et martyrum? Crede mihi quia auditi sumus, et audiemur, ut tu possis cum omni tua fragili sublimitate jacere sub omnium ejus servorum calce; sed et quod morulæ aliquæ fiant, ut non jam sanctæ suæ ecclesiæ, exstinctis vobis Arianis, tribuat plenam securitatem pacis, est causa illa, quia sit dignum te adversario sæviente ad omnium veniri [h] probationem. Dicis : *Si male fecissem, si hæresim tenerem, jam in me Deus vindicasset.* Audis sacram loquentem scripturam etiam alienigenæ diu pepercisse Dominum, et tamen postea consecutos merita factorum suorum. *Dixit Samuel ad Saul : Misit me Dominus ut ungerem te super Israel in regem, et nunc audi vocem verbi Domini : Hæc dicit Dominus omnipotens : Nunc defendam quæ fecit Amalec tibi, Israel, quemadmodum obviavit tibi in via quam* [i] *ascendisti de Ægypto. Et nunc vade et percuties Amalec, et omnia ipsius, et non concupisces ex illis aliquid, sed exterminabis illum, et anathematizabis illum et omnia illius, et non parces illi, et occides omnia illius a viro usque ad mulierem, et ab infante usque ad nutrientem* (1 *Reg.* xv, 1). Et infra : *Et venit Saul usque ad civitatem Amalec, et accessit, et obsedit Amalec in torrente : et dixit Saul ad Cinæum : Vade et declina e medio, et declina ab Amalec, et noli apponere te cum*

[a] *Deum accidisse*; videtur legendum vel *Deum aitulisse*, vel *propter Deum accidisse*, vel etiam, *audierat enim quod*, etc.

[b] *Loca concava et occulta* in montibus. Nam κεύπτειν occultare est et *celare*, *speluncas* σπήλαια. Til. et la Cerda subdens; Qui docti sunt, pareant; has interdum notas resperginus ad omnium captum. Greg. Turon. lib. x. cap. extremo; *ac per cryptas, et latibula cum paucis Christianis, per eumdem conversis*, etc.

[c] *Venirent* legit Sabatierius, et infra omittit *huic*.

[d] *Clamaverunt filii Israel ad Dominum, et factum est eo quod clamaverunt filii Israel ad Dominum propter Madian.* Vatic. quod Hebr. magis consonat, et alio interpreti in Hexapl. Origen. apud Montfaucon. Similiter et Cod. Alex. apud Sabat.

[e] *Timebis* legit Sab.

[f] *Vocis meæ*. Vatic. corrupte.

[g] *Vidit*. Latin.

[h] *Venire*, vel *inveniri*. Latin.

[i] Sabat. legit *qua*.

illo, quoniam tu fecisti misericordiam cum filiis Israel, cum ascenderent ex Ægypto. Et declinavit Cinæus de medio Amalec : et percussit Saul Amalec ab Evilat usque Sur, quæ est contra faciem Ægypti : et comprehendit Saul Agag regem Amalec vivum, et omnem populum ejus occidit in ore gladii (1 *Reg.* xv, 5). Vides quomodo, tarde licet, consecuti fuerint sceleris sui factum? et tu inquis : *Nisi bene agerem, numquam diu regnarem?* Ipsum etiam Saul invenimus contra Domini mandatum quia fecerit, quod fuerit reprobatus, et tamen diu regnaverit post reprobationem, posteaquam dixit ad Samuel Deus : *Pœnitet* [a] *me unxisse in regem Saul* (*Ibid.* 11). Et tu inquis : *Ego nisi recte fuissem credens, nisi quomodo est Deo placitum vivarem, numquam profecto nunc usque imperarem?* Et ut hæc penitus possis haurire quæ dicimus propter Saul, accipe quæ contra Domini fecerit mandatum. *Et accepit Saul et omnis populus ejus Agag regem et bona gregum* [b] *et armentorum et escarum et vinearum, et omnium bonorum, et noluerunt disperdere omnia bona, sed et omne opus pretiosum reservaverunt, et supervacua disperdiderunt. Et factum est verbum Domini ad Samuelem dicens : Pœnitet me quod constituerim regem Saul, quoniam aversus est a me, et verba mea non statuit. Et contristatus est Samuel, et clamavit ad Deum tota nocte : et ante lucem, et Samuel abiit in obviam Israel* (*Ibid.* 9). Et infra : *Et venit Samuel ad Saul, et ecce Saul offerebat holocaustum Domino, et initia prædarum quæ attulit ex Amalec : et pervenit Samuel ad Saul, et dixit illi Saul : Benedictus es tu Domino, statui omnia quæ locutus est Dominus. Et dixit Samuel : Et quæ est vox hujus gregis in auribus meis, et vox boum quam ego audio? Et dixit Saul : De Amalec attuli ea, quæ prædavit* [c] *populus optima gregis et boum, ut immolentur Domino* [d] *tuo regi; reliqua autem disperdidi et exterminavi. Et dixit Samuel ad Saul : Nonne minimus eras in conspectu duæ sceptrorum de tribu Israel, et unxit te Dominus in regem super Israel, et immisit te Dominus in* [e] *viam, et dixit tibi : Vade et disperde illos, qui peccant in me, Amalec, et expugnabis illos usque dum consumes illos? Et quare non audisti vocem Domini, sed impetivisti ad prædam, et fecisti quod malignum est coram Domino? Et dixit Saul : Quoniam audivi populum, abii in viam, quam* [f] *misit me Deus, et adduxit Agag regem Amalec, et Amalec disperdidi; et accepit populus prædam gregis et armenta primaria illorum quæ disperdidi, ut sacrificem* [g] *coram Domino Deo nostro in Galgala. Et dixit Samuel : Numquid vult Dominus holocausta et sacrificia magis quam exaudire vocem Domini? et ecce dico* [h] *: Audientia melior est quam sacrificium, et obedientia quam adipes arietum; quoniam peccatum abominatio est, dolores et gemitus ad te adduxisti : pro quibus nullius momenti fecisti verbum Domini, nullius momenti te faciet Dominus ne regnes. Et dixit Saul ad Samuel : Peccavi quoniam præterivi verbum Domini et verbum tuum, quoniam timui populum, et audivi vocem illorum; et nunc aufer peccatum meum. Revertere mecum, adorabo Dominum Deum tuum. Et dixit Samuel ad illum : Disrumpet* [i] *Dominus regnum tuum ex Israel de manu tua hodie, et dabit illud proximo tuo meliori te* (*Ibid.* 28). Et infra : *Et non adjecit Samuel amplius videre Saul usque ad diem mortis suæ, quoniam lugebat Samuel in Saul, et Dominum pœnituit quoniam regem fecit Saul super Israel* (*Ibid.* 35). *Et dixit Dominus ad Samuel : Quousque luges tu in Saul? Ecce ego expello illum ne regnet super Israel, et imple cornu tuum oleo, et veni, mittam te ad Jesse usque in Bethlehem, quoniam audivi* [j] *in filiis Jesse mihi in regem* (*Ibid.* xvi, 1). Cognoscere jam poteris, Constanti, etiam reprobatus a Domino, etiam ad æternam destinatus mortem, diu regnare post delictum grave commissum : quandoquidem videas posteaquam unctus fuerit in regem gloriosus filius Jesse David, tamen Saul diu regnaverit, et persequendi etiam eum, quem sibi Deus in prophetam atque regem elegerat, habuerit potestatem; malus bonum, injustus justum, Deo odibilis persequebatur eum quem diligebat Deus. Cum hæc ita sint, ne glorieris, quia post tantum facinus perpetratum sis vivens hactenus ut vixerit Saul; sed adverte cujusmodi vindicta processerit circa Saul, quod et circa te possit procedere, nisi tibimet consulas. Si enim circa illum sic est indignatus Dominus, primo cur prædam contra interdictum acceperit, secundo cur ejus hominem David fuerit persecutus, quanto magis circa te indignationis ejus procedat vindicta necesse est, circa te cujus adeo ingentia sunt scelera, ut etiam in sacrilegii venires reatum. *Si male*, inquis, *egissem, si, quomodo dicit Lucifer, essem hæreticus, jam mihi abstulisset Deus regnum.* Accipe etiam Salomonem supervixisse post idololatriam commissam, et intelligere dignare te quoque talem esse, qualis ille post idololatriam fuerit (III *Reg.* xi. 14.) [k] *Et suscitavit Dominus satan Salomoni, Ader Idumæum et Esrom filium Anadeth in Remathad, Adragas regem Saba dominum ejus, et congregati sunt super eum viri : et erat princeps congregationis : et præoccupavit Damasic* [l] *civitatem, et*

[a] Eamdem sententiam repetit Lucifer paullo inferius, sed aliis verbis; huic similem habet Optatus Milevit. lib. 2. cont. Donat. et alii libri in Græco, μεταμέλομαι ὅτι ἔχρισα. Vid. Theodoret. quæst 33.

[b] Sic cum Sabat. in editis inepte *regum*.

[c] Pro *deprædatus est populus, et spoliavit Amalech*, ut antea dixit, *jaculavit pro jaculatus est*. Til.

[d] *Domino Deo tuo*. Vatic. uti in Græco. Latinius adimit *regi*, ut Græc.

[e] *In via*. Vatic. ut in Græco; similiter paullo inferius, sed Græc. ibi τῇ ὁδῷ.

[f] *In quam* legit Sabat.

[g] *Sacrificent* legit idem.

[h] Antea, *dicito. Dicto*. Vatic.

[i] Vers. Ant. *Disrupit .... regnum ab Israel..... proximo tuo bono super te.*

[j] In lib. 1. pro S. Athan. dicit *vidi*, quod hic etiam reponendum censuit Latinius.

[k] Paullulum differt hoc testimonium in Sabat. ubi pro *satan Salomoni, Ader, Saba, satanæ Salomoni*, legitur, *Adversarios Salomoni, Adad, Soba, adversarii Salomoni*; in quibus Lucifer fere congruit cum Septuaginta.

[l] *Damasic*. Vatic. ferme cum Septuaginta Δαμασέκ

sedit in ea, et regnavit in Demasic, et erant satanæ Salomoni et Israel omnibus diebus Salomonis. Probavimus tibi etiam Salomonem aliquot annis regnasse post idololatriam, et utique jam non Deo, sed diabolo serviente [a], mundo, et diabolicis hominibus notatur hæsisse; ita et tu hærens es consacrilegis tuis Arianis, qui licet adhuc in corpore sis, licet in regno sis manens, tamen talis esse inveniris qualis fuerit Salomon, posteaquam Deum dereliquerit, et idola fuerit secutus. Talibus nos adhærere volueras, qualibus Salomon fecerit adhærere Israelitas. Ubi fuit ille amor Dei, qui fuisse narratur per sanctas scripturas apud Salomonem, tempore isto quo idola dignatus est sequi, derelinquere Deum? Unde hoc? nisi quia factus omnino fuerit homo alienus ab intellecta sobrio. Nolo tibi plaudas, quod cum sis blasphemus, et destructor Dei religionis, tamen adhuc habeas regnum, et sis superbiens post sacrilegium tuum, cum et Roboam filium Salomonis idololatriam facientem vixisse inveniamus in regno viginti annis. Dicit enim sacra scriptura de eo (III *Reg.* XI, 43): *Et* [b] *rex Salomon dormivit cum patribus suis in civitate David; et regnavit filius ejus Roboam pro eo in Jerusalem, et erat sexdecim annorum cum regnaret, et viginti annis regnavit in Jerusalem.* Et infra [c]: *Et fecit malignum ante conspectum Domini, et non abiit in via David patris sui.* Ut igitur tam Salomon, ex quo idolis semet dignatus est mancipare, quam ejus filius Roboam, qui semper idolis fuit serviens, cum non ambulaverint in David itineribus, tamen vixerint in regno, et utrique regnantes ad vitæ ultimum diem pervenerint, quomodo te miraris ad temet, cur post commissum piaculum in eo scelere degens rex superbias, quod neque tibi regnum neque vita auferatur a Deo? quando videas etiam Hieroboam Domini religionem funditus vertere ut tu fuisse conatum, et tamen supervixerit annis quam plurimis, et quidem in eo scelere manens sicut scriptum est: *Et* [d] *erat homo ex monte Ephræm servus Salomonis, et nomen ei erat Hieroboam, et nomen matris ejus erat Sariram,* A *mulier fornicaria* (*Ibid.* 26). Et alio loco (*Ibid.* XII, 20): *Et factum est ut audivit omnis Israel, quoniam reversus est Hieroboas ex Ægypto, et miserunt, et vocaverunt eum in synagoga, et regnificaverunt* [e] *eum in Israel.* Et infra (*Ibid.* 26.): *Et dixit Hieroboas in corde suo: Nunc revertetur regnum David, si ascenderit populus hic sacrificium offerre in domo Domini in Hierusalem; et convertetur cor populi ad dominum suum Roboam regem Juda. Tunc igitur Hieroboas cogitavit, et abiit. Et fecit duas vitulas aureas: et dixit ad populum: Sufficiat vobis ascendisse in Hierusalem: Ecce sunt dii tui Israel qui reduxerunt te de terra Ægypti. Et posuit unam in Bethel, et unam dedit in Dan; et factum est hoc verbum in peccatum, et antecedebat populus ante faciem unius vitulæ usque Dan: et* B *fecerunt domos in excelsum, et fecit sacerdotes partem aliquam populi, qui non erant ex filiis Levi. Et fecit Hieroboas diem festum in mense octavo in quinta décima mensis secundum diem festum Juda; et ascendit in sacrario, quod fecit in Bethel, ut sacrificaret ante vitulas quas fecit, et constituit in Bethel sacerdotes excelsorum quos fecit; et ascendit in sacrarium quod fecit in quinto decimo die mense octavo in die festo quem finxit a corde suo; et fecit diem festum filiis Israel.* [f] Nolo [g] ergo glorieris quod cum idololatriam sis gerens, tamen vivas regni possidens gloriam, quando videas hunc Hieroboam vitulas fecisse aureas, populum Israelitarum convertisse ad idololatriam, et tamen non solum non statim ut deliquerat exstinctum, sed et diu vivere permissum. Numquid non C potuerat Deus eosdem reges idololatras removere? sed ostensum est quam sitis ingrati Deo vos qui cum tantum exaltemini, tamen ipsum qui vos exaltat, non solum obliviscamini [h], sed et adhuc eumdem in servis ejus persequamini, religionem ejus tollere cupientes e medio. Quod ita esse ex istius regis cognosce facto Hieroboæ, qui cum fuerit filius ancillæ, cum se meminisset ortum de meretrice, cum regnum acceperit domini sui Salomonis in opprobrium ejusdem Salomonis, cur delinquens [a] Deum ad idola se-

[a] *Servientem, unde.* Poncius apud Latin. sed locutio clarior videtur, si ita corrigas; *diabolo servientem, mundo et*, etc.

[b] Hæc extra ordinem ponuntur a Sabatierio in Vers. Ant. ad III Reg. XII, quorum pars prior congruit quodammodo cum Vulgata, ut in margine notamus. Sed integrum hoc testimonium a Lucifero allatum legitur apud Septuag. III Reg. XII, post ỳ 24, quod cum cæteris, quæ consequuntur ad ỳ 25. abest a Vulg. et ab aliquot Sept. exemplaribus, in aliis vero notantur, ceu *repetita, transposita, confusa, male cohærentia*, inquit Nobilius hoc in loco. Iis vero usus est etiam Theodoretus, præter Luciferum, qui parum a Græco dissentit; ubi pro *viginti annis* est δώδεκα ἐτῶν.

[c] Hoc testimonium abest a Vulgata; respondet tamen in aliquibus III Reg. XIV, 22. et II Par. XII, 14. Integrum vero, ut diximus, et ut notat Sabatierius, legitur in Septuaginta cap. XII, post vers. 24.

[d] Extra ordinem a Sabatierio ponitur hoc testimonium in Vers. Ant. Respondet quidem Vulg. uti in margine notatur, sed apud Sept. bis legitur, Vulg. consonans cap. XI, 26. sed cap. XII. iisdem verbis, ac in Lucifero: quod cum superiori inter repetita et confusa a Nobilio rejicitur. *Sarira* pro *Sariram* legit Sab.

[e] *Id est, regnare fecerunt in Israel, regem super Israel constituerunt.* Til. et la Cerda.

[f] Addit Sabat. e Lucifero exscripta, *et ascendit in sacrarium, ut sacrificaret.* Sed hæc infra occurrunt pag. 38 (*huj. ed. col.* 803), ubi nonnulla in hoc ipso textu mutantur.

[g] *Nolo ergo glorieris quod cum idololatriam sis gerens, tamen vivas regni possidens gloriam; quando videas hunc Hieroboam vitulas fecisse aureas, populum Israelitarum convertisse ad idololatriam; et tamen non solum statim ut deliquerat exstinctum, sed et diu vivere permissum.* Tu quid sit intelligis; volui autem, ut locutionem expenderes; est enim multus in his locutionibus. Nam infra; *cum itaque fuerit triginta quinque annis idololatriam gerens*, et statim, *Noli, inquam, hinc tibi gloriari, quod cur hæc sis faciens.* Taceo, *jaculavit, deprædavit, pepercitum, tinnibunt*, mille alia, quibus plenus est. *La Cerda.*

[h] Id est, *obliviscimini ipsius, immemores ipsius estis, ac ejus mandatorum:* et postea idem *persequamini* pro *persequimini.* Til.

[i] *Derelinquens.* Latinius. *Delinquens in Deum* melius, ut infra *in ipsum delinquentibus.*

met verterit, cum, inquam, sciverit sibi regnum datum a Deo Hieroboas propterea quod Salomon dominus ejus idola fuisset secutus, tamen hæc omnia ducens pro nihilo cogitavit idola facere, et ipsis cum omni populo, qui Deo serviebat, esse mancipatus quam Deo vivo, qui illum ex mulieris meretricis filio fecerat regnum habere Salomonis domini sui. Ne itaque mireris quod vobis ingratis in ipsum delinquentibus parcat: sed illud hortor videas, quod tardelicet, si in hac tua manseris nequitia, sis perceptorus ea quæ omnes in sacrilegio perceperunt prædecessores tui. Hortamur ut temet tantis a malis eripere digneris: et [a] es habens insuper, non tu primus facis. Videmus etiam istum Hieroboam commonitionem Domini duxisse pro nihilo (III *Reg.* XI, 29): *Et factum est*, inquit, *in tempore illo, et Hieroboas exiit de Hierusalem, et invenit eum Achias Silonites prophetes in via, et Achias opertus erat vestimento novo, et ambo erant in campo. Et apprehendit Achias vestimentum suum novum quod super se habebat, et dirupit illud duodecim scissuris; et dixit ad Hieroboam: Accipe tibi decem scissuras, quoniam hæc dicit Dominus Deus Israel: Ecce ego disrumpo regnum de manu Salomonis, et dabo tibi decem sceptra: et duo sceptra erunt illi propter servum meum David, et propter Hierusalem civitatem quam elegi ex omnibus tribubus Israel, pro quibus dereliquit me Salomon, et fecit Astarte idolo immundo Sydoniorum, et Cama idolo Moab, et regi eorum, religioni filiorum Ammon, et non abiit in vias meas ut faceret quod rectum est coram me, sicut fecit David pater ejus: et non accipiam regnum totum de manu ejus in diebus vitæ ejus propter David servum meum, quem elegi, quoniam contra faciam illi per omnes dies vitæ ejus: et accipiam regnum de manu filii ejus, et dabo tibi sceptra decem; filio autem ejus dabo duo sceptra, ut sit positio servo meo David omnibus diebus coram me in Hierusalem civitate quam elegi mihi, ut ponerem [b] nomen meum ibi: et accipiam te et regnabis in quibus concupiscit anima tua, et tu eris rex in Israel. Et erit si custodieris omnia quæcumque præcepero tibi, et ieris in vias meas, et feceris quod rectum est in conspectu meo, et custodieris præcepta mea et mandata mea, sicut fecit David servus meus: ero [c] tecum, et ædificabo tibi domum fidelem, sicut ædificavi David.* Cum audierit hæc a Deo homo ortus qui fuerit ex meretrice, homo qui se A meminerat natum de genere servili, numquid, posteaquam impleta sunt omnia quæ promiserat Dominus, illi, qui sibi tanta promiserat, est obsecundatus? et non statim ut exaltatum se vidit, contra ipsum auspicatus est? non statim quomodo fuisset Deus derelictus ab omnibus cultoribus suis opera est data per Hieroboam? Dicitur tibi a nobis, quod nisi te correxeris, nisi in viis Deo placitis esse cœperis, sis novo periturus exemplo; et tu in tua manens es iniquitate, in tuo es perseverans sacrilegio. Non novum siquidem isti Hieroboæ regi, et [d] Deus per hominem suum illa quæ jam dicta sunt perferri fecerit, et cum ingenti detinetur filius ejus infirmitate, miserit ad Dei domesticum, et audierit futura; et tamen cum ea quæ sibi fuerant etiam mala promissa videret impleri, ille magis atque magis contra B Deum fecerit, Dei voluerit destrui domum (*Ibid.* XIV, 1). *Et* [e] *homo*, inquit, *erat exilis et nomen ei Achiabeth; hic erat sexaginta annorum, et verbum Domini erat cum illo. Et* [f] *dixit Hieroboam ad uxorem suam; Surge et accipe in manu tua homini Dei panes et collyrides filiis ejus, et uvas et vas mellis. Et surrexit mulier, et fecit sicut dixit ei vir ejus: Et Achiab homo* [g] *senex erat valde et oculi ejus caliginabantur* [h] *videre. Et surrexit mulier ex Baria* [i] *et abiit. Et factum* [j] *est cum intrasset ipsa in civitate ad Achiab Selonitem, et dixit Achiab puero suo: Exi nunc in obviam Annæ uxori Hieroboam, et dices ei: Intra et noli stare, quoniam hæc dicit Dominus: Dura ego mitto in te: et intravit Anna ad hominem Dei; et dixit ei Achiab: Ut* C *quid* [k] *mihi attulisti panes et uvam et collyrides et vas mellis? Hæc dicit Dominus: Ecce tu ibis a me, et ecce cum intraveris portam civitatis Arira,* [l] *et puellæ tuæ exient in obviam, et dicent tibi: Puer mortuus est. Quoniam hæc dicit Dominus: Ecce ego disperdo hujus Hieroboam mingentem ad parietem: et erunt mortui ejus Hieroboam in civitatem, et comedent eos canes, et mortui erunt ei in agro, et comedent eos volucres cœli.* Non est, inquam, novum, si tu in hac pertinacia sis perstans, cum cognoscas istum Hieroboam his omnibus non deterritum rebus: statim etenim ut fuerat dictum ab homine Dei, ut ingressa est mulier civitatem, filius eorum mortuus est; et tamen non conspexit Hieroboas quid ei Deus, propterea quod eum dereliquisset, et populum secum perire fecisset,

[a] Locus obscurus, quem sic interpretor: *Hortamur, ut e tantis te eripias malis, præsertim cum primus non sis, qui hæc scelera perpetres, sed exempla tibi sint proposita, a quibus maxime caveas: habes hoc præterea, quod primus ista non facias.*

[b] *Ponam* legit Sabat.

[c] *Et ero tecum.* Vatic. uti in Græco.

[d] Forte subjiciendum, *quod et Deus*, etc.

[e] Contulit Sab. hoc testimonium in Vers. Ant. ex Lucif., ut etiam hoc in capite positum reperitur in Hexaplis et in Cod. Reg. apud Montfauconium, aliquantum vero immutatum. Apud Sept. Edit. Rom. insertum est pene ad verbum cap. XII. Latinius ita corrigit Luciferi dictionem, *et homo erat in Silo et nomen ei Achiab, et hic erat sexaginta annorum.* Ita ferme Sept. καὶ ἄνθρωπος ἦν ἐν Σηλὼμ, καὶ ὄνομα αὐτῷ Ἀχιὰ, καὶ οὗτος ἦν υἱὸς ἑξήκοντα ἐτῶν. Codex noster D Vat. habet *ex ilon* corrupte; quod cum Tilius etiam advertisset in suo codice, corrigendum recte censuit, *erat ex Silo.* In textu tamen Luciferiano retinemus, *exilis*, quod etiam præstitit Sabat.

[f] Hæc usque ad ea verba, *et Achiab*, partim cum Septuag. Hexapl. partim cum Septuag. Rom. Edit. conveniunt.

[g] Sept. in Hexapl. eadem habent tum ℣. 1, tum hic ℣. 4.

[h] Id est, *caligine oculorum impediebatur ne videret.* Til.

[i] *Sarira.* Latinius, uti Septuag. Rom. Edit.

[j] Quæ hic consequuntur cum Rom. Sept. Edit. omnino conveniunt cap. XII, inserta.

[k] *Ut quod* habet Sabat. qui infra omittit, *hæc dicit Dominus.*

[l] *Sarira.* Latin. cum Sept.

fuisset repræsentaturus, nec timuit ex morte filii sui, quod et cetera illum possint subsequi, sed in sua senuit versutia : usque adeo etenim impos mentis fuerat factus Hieroboas ex quo recesserat ab eo, qui regnum tradiderat illi, ut cum dixisset : *Vade* [a] *ad Dei hominem et disce an moriturus sit filius noster* (III *Reg.* XIV, 2, 3.) Et didicerit per Dei hominem, quod non solum filius eorum esset moriturus, sed et in cuncto ejus regno imminerent pericula; ille tamen, ut semel statuerat, diabolo servire maluit. Ad hominem Dei sciscitandum mittit de futuris, et eum, ad cujus hominem mittit, despuit, et facit in contumeliam majestatis ejus vitulas, et has adorare secum fecit populum. Hæc egit, et tamen non illico est exstinctus, sed diu in regno superfuit; et tu dicis : *Si fuissem hæreticus, si ut dicunt Lucifer, Pancratius et Hilarius* [b], *Dei impugnarem religionem, jam in me fuisset vindicatum?* Accipe adhuc quid huic contigerit Hieroboam regi, et tamen quomodo nec sic convertatur ad Deum, sed magis in suo perseverans mortuus fuerit scelere, in suo defecerit sacrilegio (*Ibid.* XII, 32) : *Et fecit Hieroboam diem festum in mense octavo in die festo quintodecimo mensis secundum diem festum Juda : et ascendit in sacrificium quod fecit in Bethel, ut sacrificarent* [c] *vitulis quas fecit, et constituit in Bethel sacerdotes excelsorum quos fecit : et ascendit in sacrarium quod fecit quintodecimo die mense octavo in die festo quem finxit a corde suo : et fecit diem festum filiis Israel, et ascendit in sacrarium ut sacrificaret. Et ecce homo Dei ex Juda advenit in verbo Domini in Bethel, et Hieroboam stabat super aram suam sacrificare : et propheta invocavit ad aram in verbo Domini dicens : O sacrarium, sacrarium, hæc dicit Dominus : Ecce filius nascetur in domo David, et Josias erit nomen illi, et sacrificabit inter* [d] *sacerdotes excelsorum qui sacrificant in te, et ossa hominum comburet in te : et dabit in illa die prodigium quod locutus est Dominus : Ecce sacrarium disrumpetur et effundetur pinguedo quæ est in eo, et factum est ut audivit verba hominis Dei invocantis in aram quæ in Bethel erat, et extendit manum suam ad aram, dicens : Apprehendite eum. Et arida facta est manus regis quam extendit in eum, et non potuit reducere eam ad se. Et sacrificium ruptum est, et effusa est pinguedo ejus a sacrario secundum prodigium* [e] *quod dixit homo Dei in verbo Domini. Et respondit rex et dixit homini Dei : Roga faciem Domini Dei tui, ut revertatur manus mea ad me. Et rogavit homo Dei faciem Domini, et reversa est manus regis ad eum, et facta est quemadmodum primum* [f] (*Ibid.* XIII, 1). Impleta cum viderit hæc prodigia, quæ fuerant ore hominis prolata Dei, et brachium impium porrectum ad Dei hominis necem repente aridum factum pro metu, illico etiam per Dei cultoris precem factum incolume, numquid idololatriam quam ipse constituerat dissipavit? numquid diem festum quem ipse finxerat ex corde suo, tandem tollit e medio? minime; sed in ea pertinacia præsumptionis suæ invenitur mortis suscepisse diem. Non ergo mirari poterimus, si quod Deus avertat a te, in hæresi tua censueris mortis diem suscipere, quandoquidem etiam signis ac prodigiis non potuerint priores consacrilegi tui revocari ad solum Deum colendum. Dicit enim de Hieroboam sancta scriptura (*Ibid.* 33) : *Et post hoc non est reversus Hieroboas a malitia sua, sed reversus* [g] *est, et fecit ex parte populi sacerdotes excelsorum. Qui enim volebat, allevabat* [h] *manum suam, et fiebat sacerdos in excelsis. Et factum est hoc verbum in peccatum in domum Hieroboam, et in interitum, et in exterminium a facie terræ.* Quæ ne dicantur etiam de te, quæso, temet eripias a nefando Arianorum cœtu, quæso, sis Christianus ut ante eras ex Ariano, nec nobis indigneris quod actus tuos et Hieroboæ æquemus : sed magis obsecro conspicias has omnes instructiones potius quam increpationes nuncupandas sospitatis tuæ me bono ingerere. Compararis etenim a nobis Hieroboæ nostris temporibus, quia sic cunctos a Deo fueris conatus vertere, sicut ille populum fuerit conatus Israel facere apostatam ex Dei cultore. Nolo adhuc hinc tibi aliquid spei promittas, quod enim male sis faciens, et tamen regnes, cum videas et Hieroboam diu regnasse in scelere suo, sed et filium Salomonis totidem et idololatriam gerentem in eodem defunctum scelere; item ejus filium Abiud [i], de quo scriptum invenio (*Ibid.* XV, 3) : *Et ambulavit in peccatis patris sui, quæ fecit in conspectu ejus, et non erat cor ejus consummatum cum Domino Deo suo, sicut erat cor David patris ejus;* et tamen cum servirent idolis, fuerint in regno et mortui sint in ea dignitate, et tradiderint filiis suis auctoritatem regni. Ne itaque etiam in eo plaudas, quod enim pater vester vobis tradiderit regnum, dicens : *Nisi pater meus bene fecisset, conferre se ad Arianos, non ejus filii regnaremus.* Nolo dicas : *Si hæreticus essem, numquam tantum imperarem, numquam me permitteret Deus adhuc in regno esse,* quando videas viginti quatuor annis regnasse Basiam [k] filium Achiæ super Israel, de quo scriptum invenisti in Regnorum libro tertio : (*Ibid.* 34) : *Et fecit malignum coram Domino, et abiit in viam Hieroboam filii Nabath, et in peccatis ejus, quemadmodum peccavit* [l] *in Israel;* qui Basia rex de-

[a] Desumptum est hoc testimonium, quod ad sensum spectat, e Vulg. et e Septuag. in Edit. Rom. cap. XII, et a Montfauconio in Hexaplis collocatur in ℣. 2, cap. XIV. Omittitur a Sabat.

[b] Vide sup. pag. 1 (*huj. edit. col.* 705), et Luciferi vitam.

[c] *Sacrificaret* apud Sabat. et melius, ut sup.

[d] *In te* legendum pro *inter* contendit Sabat.

[e] *Prodigium* omittitur supra lib. *de non Conv. cum hær.*

[f] *Quemadmodum primum* legitur etiam supra *de non Conv. cum hæreticis.* Sed Sabat. habet hic, *sicut prius fuerat.*

[g] Ita Græcus; sed Sabat. loco *Reversus est et*, legit *e contrario.*

[h] Discrepat omnino a Græcis et Latinis, in quibus est ἐπλήρου, *implebat.*

[i] *Abia.* Latin.

[j] Vide hanc in rem notationes in lib. I pro S. Athan.

[k] *Baasan.* Latin.

[l] Græc. ἐξήμαρτε τὸν Ἰσραήλ.

buerat utique metuere ne fuisset percussus ut Hieroboas, si a viis recessisset Domini. Sed ita estis, qui a Deo declinatis, ut cum vobis fuerit libitum in injuriam Dei suscipere officium idololatriæ, non possetis [a] nec illorum qui jam judicati fuerint terreri [b] exemplo, converti ad Deum. Scriptum est etiam de Jambre [c] rege (III *Reg.* XVI, 25) : *Et fecit malignum in conspectu Domini, et maligne fecit super omnes qui fuerunt ante eum, et abiit in omnem viam Hieroboam filii Nabath in peccatis ejus ;* et tamen hic qui dicitur super omnes peccasse, qui ante illum fuerant reges, non statim ut dereliquit Deum exstinctus est, nec per aliquam gravem valetudinem est vexatus, ut graviori pœna fuisset visus interemptus, qui gravius describitur deliquisse. Vides, Constanti, tametsi contingat tibi in summa felicitate in hac temporaria versari vita, tamen magis te timere debere, quod Dei reserveris judicio : et, licet etiam hi, qui statim exstinguuntur, quibus hic aliqua divinitus irrogatur pœnarum, post descensum semper torqueantur, tamen tu si in summa vivens felicitate fueris hinc raptus, adverte qualiter in te vindicta sit processura, qui in tanto inveniaris scelere. Ne hinc itaque quidcumque [d] tibi ascripseris felicitatis, quod cum sis negans Filium unicum Dei, quod cum ejus familiam persequaris, tamen adhuc spiritus tuus in corpore illo carnifice sit manens, quando consideres etiam filium Basa annis triginta quinque, cum fuerit ut tu sacrilegus, regnasse apud Judæos : de quo scriptum esse legisti (*Ibid.* XXII, 43) : *Abiit [e] in vias Asab patris sui, et non declinavit ab illis, ut faceret quod rectum erat in conspectu Domini, sed ab excelsis non abstinuerunt, et sacrificabant in excelsis et incendebant.* Ecce etiam hic describitur rex in pace dormiisse. Cum itaque fuerit triginta quinque annis idololatriam gerens, ne tibi ascribas ad gloriam et dicas : *Jecirco non aliqua vulneror plaga, iccirco non jam exstinctus sum, sed adhuc vivo regnum imperii Romani possidens, quia sim bene credens, quia Arii recta sit fides, quia fecerim bene removere episcopos, et aliostales instituerim quales concupierit Arius.* Noli, inquam, hinc tibi gloriari, quod cum hæc sis faciens, tamen superbias, quando videas istum regem triginta quinque annis tenuisse regnum, in pace fuisse exemptum [f]. Si igitur potuit illis quia ita exempti sint impune idololatriæ crimen cedere, poterit et tibi, Constanti. Converte te itaque ad Dominum, ne talis inveniaris qualis est inventus Achab de quo scriptum invenio : *Et fecit Achab malignum in conspectu Domini, et maligne fecit super omnes qui fuerunt ante eum : et non fuit illi satis ut ambularet in peccatis Hieroboam filii Nabath, sed et accepit uxorem Jezabel filiam Bazan et Hela [g] regis Sydoniorum : et abiit, et servivit Baali, et adoravit eum : et statuit sacrarium Baali in domo religionum suarum, quam ædificavit in Samaria; et fecit Achab lucum ut faceret exacerbationem, ut exacerbaret Deum, et animam suam disperderet : et malignum fecit super omnes reges Israel qui fuerunt ante eum.* (*Ib.* XVI, 30). Noli adhuc te sinere esse apud Arianos, sed hæc transitum ad nos Christianos, quibus sunt ita cunctæ hæreses ut est Baal. Sic vos nunc nobis estis hæretici, ut illis illorum temporum Dei cultoribus fuerint illi, qui idolis immolabant : per hanc hæresim tuam, mihi crede, quod talis sis nostris temporibus, qualis fuerit et Achab. Ne tibi itaque placeas quod non statim tibi reddiderit Deus, quando videas huic Achab, et uxori ejus Jezabel, qui etiam prophetas occiderint Domini, qui in tanto scelere fuisse inveniantur versati, ut nullum in terra Israel Dei se hominem confitentem permiserint demorari, pepercitum fuerit divinissime. Noli hoc intueri quod cum sis malefaciens, superbias tamen in sceleribus tuis; sed illud, obsecro te, videas, quod nisi te converteris, ut illis sero licet reddita sunt merita operum suorum, ita et tibi posse repræsentari. Ne dixeris : *Diu hinc in regno sum, hinc potens sum, quod enim bonam fidem teneam, quod faciam recte persequendo eos qui credunt, quomodo se se continet illa fides descripta apud Nicæam;* hæc, inquam, ne dixeris, sed illa precor te videas, quod enim adhuc [h] sis post tanta funera tua superbiens, ut aut audiens nos Dei sacerdotes temet convertas ad Deum, aut certe percipias digna factorum tuorum tunc, quando dicere non valebis inscium te errasse. Hæc ita esse adverte exemplo admonitus Achab et prophetarum Domini interfectoris, et omnium dæmonum cultoris. Hunc tam sceleratum intellige ideo post tanta scelera fuisse in regno diu reservatum, ut tandem se si velit converteret, cui non solum non repræsentantur malorum factorum suorum merita, sed et in angustiis juvatur ad hoc sine dubio, ut possit conjicere non se per Baal et reliquos dæmones, quod ethnici Deos nuncupant, vindicatum, sed per Deum Israel, cujus prophetam secum videret loquentem atque sibi declarantem quonam modo Deus fuisset inimicos Israelitarum ad nihilum redacturus. Obsederat enim filius [i] Ader rex Samariam, cum aliis triginta duobus regibus, jactitans adeo tam-

[a] *Possitis.* Latin.

[b] *Territi.* Id. sed sensus recte constat; *non possetis nec terreri exemplo, nec converti ad Deum.*

[c] *Zambri.* Id.

[d] *Quicquam.* Vatic.

[e] Absunt ista ab Hexapl. et Vulg. Leguntur vero apud Septuag. in Edit. Rom. cap. XVI, post ℣. 28, et ad Josaphat Regem Juda pertinent. Latinius pro *filium Basa* legit *filium Asa*, qui Josaphat pater. Porro eadem leges repetita in Edit. Sept. cap. XXII, ℣. 45, ubi etiam in Vulg. collocantur. Mendum vero in annis consignandis Latinius notavit; nam et Septuaginta et Vulg. annos viginti quinque Josaphat regno attribuunt. Sed vide quæ de hoc loco duximus omnino inquirenda in Præfatione. Idem Latinius aliquid deesse suspicatur post illa verba, *in conspectu Domini;* sed nihil adjicere fas est, cum ita ferant etiam Sept. cap. XVI, 28.

[f] Id est, *mortuum*, uti paullo inferius *exempti* pro *mortui*.

[g] *Ethbaal.* Latin. ex Vulg.

[h] Pro *adhuc* in vetustis codicibus sæpe legitur. Id. sed potest intelligi *ad hoc*, id est *ad hunc finem*, uti paulo inferius.

[i] Id est, *Benadad.* Id. ex Vulg., uti paulo inferius. Apud Septuag. cap. XXI, 1. Υἱὸς Ἀδέρ.

quam nihil se habere Israelitas, ut unum se hominem omnem multitudinem Israelitarum [a] superaturum. Hunc alienigenam fecit nihil ante Israel Deus. Cui vicit Deus regi? nempe Achab, ei qui eum dereliquerat, qui Baali et omnibus dæmoniis servire Israel fecerat, quia [b] propterea auxiliatus est, nempe ut crederet quia sit Deus solus iste, cujus erat populus Israel, et non alius præter ipsum qui ei vicerat, ut videret Achab quia fuisset æquum, tandem corrigeret errores suos, mox ut ædificare adversarius cœpit obsidionem ad civitatem Israelitarum. *Et ecce*, inquit scriptura sacra, *prophetes unus accessit ad regem Israel, et dixit: Hæc dicit Dominus. Si audisti sonum magnum istum? Ecce ego hodie tradam eum in manus tuas, et scies quoniam ego sum Dominus. Et dixit rex: In quo? et dixit prophetes: In pueris principum regionum. Et dixit rex: Quis committet pugnam? et dixit prophetes: Tu* (III *Reg.* xx, 13). Et infra: *Et exierunt pueri de civitate principum regionum, et exercitus qui post illos, et percussit unusquisque quem invenit secus se, et fugerunt Syri, et persecutus est Israel* (*Ib.* xx, 19). Quomodo dicis, Constanti: *Si non bene servirem Deo, si non recte credens fuissem, numquam regnum Romanorum in mea vidissem potestate collocatum, aut sic diu fuissem vivens in regno?* quando videas Achab regi Israel more gentilium viventi, et populum Dei, sicuti et tu avertis, vertenti a Deo, dictum ab eo, in quem delinquebat, cujus præcepta ducebat pro nihilo: *Trado eum in manus tuas, ut scias quoniam ego sum Deus.* Ut igitur illum eripuit a filio Jaderis Syriæ regis, sic etiam te ab omnibus perimere cupientibus eripuit atque eripit, ad hoc utique ut possis cognoscere quia ipse sit Deus patriarcharum ac martyrum, ad hoc ut conjicere possis non pro meritis fidei tuæ ac vitæ tibi victoriam tributam, quando sis Achab in omnibus regi similis, sed sic tibi contra merita tua exhibitam misericordiam ab eo, quem dereliquisti, ut fuerit Achab exhibita. Si enim dixeris propterea te vincere adversarios tuos, quia bene sis credens, potuit et Achab dixisse idolorum cultor, et prophetarum sanctorum interemptor. Ad hoc ergo te reservatum ut errores corrigeres [c] tuos, non vides? Illico ut occupasti [d] Italiam, ecclesiam ejus tentasti vertere; dixisti Deum Patrem non esse verum Deum Patrem, unicum ejus negans Filium, affirmans non esse illum verum Filium; astruxisti [e] etiam sanctum paracletum Spiritum fabricatum esse ex nihilo, descendere ex nihilo defendere tentasti, quod unicus Dei Filius fuerit quando non fuerit; apostolicam atque evangelicam traditionem quo potuisses tollere e medio, operam totis tuis dedisti viribus, episcopos [f] Dei judicio ordinatos tua amoveri fecisti auctoritate, hæreticos locis eorumdem constituendos duxisti, qui possint tuam prædicare hæresim; manu [g] militari pugnasti contra ecclesiam in Alexandria, quamplurimos episcoporum relegasti in exsiliis, in metallis, conjecisti in carcerem, certum etiam numerum interfecisti ex omnibus Dei cultoribus. Cum hæc egeris, tamen dicis: *Nisi bene essem faciens, et integre essem credens, numquam adhuc me Deus regnare permitteret?* tamquam iccirco et circa Achab ac cæteros coidololatras tuos fuerit Deus patiens, quia fuerint rectam tenentes viam. Tu ergo quia sit peccatis tuis patiens pro sua infatigabili pietate sicuti fuerit et Achab regi, arbitraris non te delinquere, sed pro meritis tuis tibi parci: quem Achab etiam in hoc imitaris, quod enim sis eos diligens qui tibi mala suadeant, eos vero perdens qui tibi salutis tuæ causa quæ sunt vera dicant. Ut enim ad Achab quadringenti illi pseudoprophetæ, quod possent illum omnia felicia consequi loquebantur, contra vero Dei dicebat propheta Michæas, quod essent illum cuncta consecutura mala, et ille magis diligebat eos pseudoprophetas quam verum Domini prophetam, ita ut [h] tu amas cohæreticos tuos Arianos, ipsorum dictis obtemperas, nos omnes Domini sacerdotes exsecraris; primo omnium, cur Dei Filium verum Dei Filium confiteamur: secundo cur non tibi adulemur, cur te in periculo esse asseveramus, et dicamus nisi te converteris ad Deum, quod sis in æternam pœnam venturus. Et ut credere possis Dei semper odio habitos homines ab hominibus apostaticis, amatos vero inimicos Dei religionis, hoc est diaboli cultores, accipe quos amaverit Achab, et quem odio habuerit. *Et dixit Josaphat rex Juda ad regem Israel: Interrogate nunc hodie Dominum. Et convocavit rex Israel omnes prophetas, quasi quadringentos viros, et dixit illis rex Achab: Si ibo in Remma ad Galaath in pugnam, aut cessabo? et dixerunt: Ascende* (*Ib.* xxii, 5). Et infra: *Et dixit Josaphat ad regem Israel: Non est hic prophetes Domini, et interrogabimus Dominum? Et dixit Achab rex Israel*

[a] Forte addendum *crederet*, aut *diceret*.

[b] Forte legendum *qui*, id est *Deus*.

[c] *Corrigeris*. Vatic.

[d] Anno scilicet 354, cum e Gallia in Italiam venit. et Concilio Mediolanensi interfuit anno 355. *Cum esset Mediolani*, inquit Athanasius in epist. ad Solit., *omnia ex hæreticorum consilio et suggestione faciebat, vel potius hi ipsi agebant, quæ vellent, potestatem contra omnes nacti:* tum fusius narrat, quot in Italia turbæ fuerint excitatæ Constantii adventu, præsertim ut indicium Concilium in hæreticorum sententias cederet.

[e] Licet Macedonianis Pneumatomachorum vocabulum præ cæteris fuerit attributum, quippe qui Spiritus sancti divinitatem negaverint, Ariani tamen multo, quam illi, impudentius in Spiritum sanctum sentiebant, quem, æque ac Filium, creaturam vocare, ideoque ex nihilo factum non dubitarunt: proinde Ariano Imperatori hanc etiam exprobrat Lucifer in Trinitatem blasphemiam, de qua decertabant aliquando Ariani cum Semiarianis, et Macedonianis, qui paullo pudentiores Spiritum sanctum et a communione quidem divinitatis, et a creaturæ pariter notione excludebant. Vid. Petav. lib. 1. de Trinit. cap. 14.

[f] Ea innuit, quæ Mediolanense Concilium consecuta sunt, quæque Athanasius in epist. ad Solit. et in Apol. ad Constant. fuse persequitur. Vide etiam Hilar. in lib. un. contra Constantium.

[g] Vide hac super re notationes in lib. 2. pro S. Athan.

[h] Puto legendum *et*.

ad Josaphat regem: Unus est per quem interrogemus Dominum, sed ego odi illum, quoniam non loquitur de me bona (*Ibid.* 7). Item [a], posteaquam dixisset prophetа Domini ad illum Michæas ne ascenderet, quoniam si ascendisset, non esset reversurus: *Dixit rex Israel ad Josaphat regem Juda: Nonne dixi ad te, quoniam propheta mihi hic non bona, sed magis mala* (*Ibid.* 18)? Videbantur mala et excordi ei quem jam obsederat diabolus, mala ea quæ a Dei dicebantur servo, et illa bona judicabantur quæ a servis dicebantur diaboli. Nec mirandum itaque si illos audiebat Achab, quos ut audiret faciebat diabolus mancipia videlicet sua, et si illos audire nollet, quos Deus suos esse servos et ipsa tolerantia passionum et ipsa constantia asseverationis manifestabat illis: pseudoprophetæ ditati honoratique dimissi sunt a rege, Michæas vero propheta Domini recluditur in carcerem, et dicitur: *Manducet* [b] *panem doloris donec redeam* (*Ibid.* 27): et tamen juxta servi Dei dictum reversus minime est. Ita et ipse agis, Constanti; diligis eos qui trahunt temet secum ad mortem perpetuam, qui ad omnem interitum tuam ducunt animam; odio habere dignaris contra eos, qui te sunt optantes Dei fieri amicum. Ne tibi glorieris quod cum tanta sis faciens, tamen regni gloria pollens, hanc adhuc possideas fragilem vitam; quando et Hieroboam Filius Joas, quod regnaverit in Israel quadraginta et unum annis in Samaria, narrant sacræ litteræ, et quidem derelicto Deo serviens idolis, et quidem non recedens de Achab regis Israel malitiis, atque Hieroboam sacrificiis. *Male*, inquis, *si fecissem, jam me Deus amovisset de regno*: quasi non Filius Amasiæ propterea quod non recesserit a supervacuis, impletus lepra quidem fuerit, sed tamen quinquaginta duo annis regnaverit in Hierusalem. Sed tu in eo potior Oziæ regi, quia tu non elephantiam habeas, quæ cum temet omnes consumere possit artus, sed illam quæ animam valeat penitus maculare. Dole tibi nobiscum et mitte lacrymas pro te; conspice quomodo maculet corpus, hæc videtur [c] elephantia, quomodo consumat membra lepræ virus: intellige quod sic Ariana hæresis elephantia vestra interna illa omnia tua maculet; adverte, quod enim sic efficiat hominem tuum interiorem sicuti et hæc, quæ comprehenderit hos, quos videas elephantiam [d] infusos. Ne dixeris: *Nisi bene agerem, numquam tanto tempore imperarem, numquam adhuc vivere fuissem permissus.* Quando et [e] Manassem cernas filium Ezechiæ regis regem Judæ sedecim annorum suscepisse regnum, et quinquaginta [f] septem annis regnasse; de quo quæ sint scripta cum audieris, invenies profecto ejusdem te imitatorem esse, et non incipies mirari quod malefaciens cum sis, tamen adhuc parcatur tibi, cernens Manassem, cujus tu in crudelitate et sacrilegio non minor es, quod tanta agentem regnum tenuerit quinquaginta septem annis. *Et dormivit*, inquit scriptura (IV *Reg.* xx, 21), *Ezechias cum patribus suis, et sepultus est in civitate David, et regnavit Manasses filius ejus pro eo. Cum esset rex sedecim annorum Manasses cum regnaret, et quinquaginta septem annis regnavit in Hierusalem, et nomen erat matris ejus Ebsibas: et fecit quod malignum est ante conspectum Domini secundum abominationes gentium, quas ejecit Dominus a facie filiorum Israel: et ædificavit excelsa, quæ destruxerat Ezechias pater ipsius, et ædificavit sacrarium Baal, et fecit lucos sicut fecit Achab rex Israel, et adoravit omnem militiam cæli, et servivit illis. Et ædificavit sacrarium in duabus ædibus domus Domini, et induxit filios suos in ignem, et augurabatur, et fecit pythones, et divinos multos, ut faceret quod malignum est in oculis animæ suæ, ut exacerbaret Dominum Deum. Et fecit sculptilia lucorum quæ fecit in domo quam dixit Dominus ad David et ad Salomonem filium ejus: In domo ista et in Hierusalem, quam elegi ex omnibus tribubus Israel, ponere nomen meum in æternum, et non apponam pedem in Israel movere a terra quam dedi. Sed si audierint me per omnia quæ mandavi eis, et secundum legem quam mandavit eis puer meus Moyses. Et non audierunt* [g]. *Et quoniam valide aspernatus est Manasses, et seduxit eos Manasses ut facerent quod malignum est super omnes gentes quas abstulit Dominus a facie Israel: et locutus est Dominus in manu puerorum suorum prophetarum quæ fecit Manasses rex Juda simulacra, secundum omnia quæ fecit Amorrhæus qui erat ante faciem ejus, et peccare fecit Juda in idolis suis: propter hoc hæc dicit Dominus Deus Israel: Ecce ego adduco mala in Hierusalem et in Juda: omnes qui audierint hæc, tinnibunt* [h] *aures eorum utræque: et extendam in Hierusalem mensuram Samariæ et pondus domus Achab, et deleam* [i] *Hierusalem quemadmodum deletur buxum de poste ante faciem ejus: et dabo eos in manus inimicorum ipsius, et erunt in direptionem et combustionem omnibus inimicis eorum, quoniam projecti sunt de post me, et erant de post me* [j], *et erant exacerbantes me, ex qua die exierunt patres eorum de terra Ægypti*

[a] Quæ hic consequuntur usque ad ea verba *Dixit rex*, etc. videntur Sabat. vers. 17 quodammodo respondere, et in ordinem hujus cap. posse referri. Sed verba sunt Luciferi, quibus ea complectitur, quæ a v. 13 ad v. 17 de Michæa propheta ibidem leguntur.

[b] Nescio cur hæc a Sabat. omissa, quæ ad Antiq. Vers. spectant, et parum a Græco differunt apud Septuag. εἶπον.... ἰσθίειν αὐτὸν ἄρτον θλίψεως.... ἕως τοῦ ἐπιστρέψαι με, etc.

[c] Forte *videlicet*.

[d] *Elephantia*. Latin.

[e] Vide, quæ in hunc locum de Manasse inquirimus in Præf.

[f] Corrigit Latin. *quinquaginta quinque*, tum hic, tum inferius, uti in Vulg. et Septuag. Retinet Sabat. numerum annorum *quinquaginta septem*; sed mendum irrepsisse suspicor vel in codic., vel in editis, cum hunc numerum nulli hactenus Bibliorum Codd. præferant.

[g] *Audierint* antea mendose.

[h] Pro *tinnient*, *sonitum sentient aures eorum*. Til. et La Cerda.

[i] *Delebo* legit Sabat.

[j] *Et erant de post me* omittit idem, legitque *deexacerbantes* pro *exacerbantes*.

usque in hunc diem. Et cætera verborum Manasse, et omnia quæ fecit, quemadmodum peccare fecit Israel, nonne hæc scripta sunt in libro verborum dierum regum Juda, et quemadmodum sanguinem innocentium fudit multum valde, usque dum impleret Hierusalem super os [a], *extra peccatum, quæ* [b] *peccare fecit Juda, ut faceret, quod malignum est in conspectu Domini Dei? Et dormivit Manasses cum patribus suis, et regnavit filius ejus pro eo, cum esset annorum viginti duo Amos* (*Ibid.* XXI, 1). Quid dicis, Constanti, ad hæc? Credo jam desinere te dicere: *Si non bene agerem, non essem tanto tempore regnans;* quando videas te [c] alterum istum Manassem talia agentem quinquaginta septem annis regnasse; et quia diximus te alterum esse Manassem, omnia ipsius te habere conspice. Ille in Dei domo idololatriam constituit, totidem ipse fecisti in templo et ædibus Domini; ille idola fecit adorari, usurpavit sibi quod Domini dicebatur, ut deinceps dici possit idolorum cultor; omnia hæc et tu fecisti, quia Arianam hæresim introduxisti in ecclesiam, et qui [d] blasphemiam tuam tamquam fidem catholicam statuisti suscipiendam, illam vero apud Niciam scriptam, quam nos scimus apostolicam evangelicamque, despuendam mandaris; ut tu nunc hæc fieri concupisti, ita et Manasses omnibus idolis serviendum esse mandavit, recedendum vero a Deo. Non ergo erit mirandum si tibi vindicasti ædes, quas [e] colligere sumus soliti Dei populum, et te idololatram dixisti esse catholicum, quando videas et Manassem fecisse istud, quod tu nunc feceris; sic denique et tibi parcet Dominus viam tenenti Manasse, quomodo illi pepercerit, et quousque pepercerit, ut scriptum sit dormisse illum cum patribus suis, et sepultum in Hierusalem, et suscepisse loco illius regnum filium ejus. Numquid legis in bello illum interiisse ut aliqua [f] valetudine prægravatum? minime; sed quid sentis, credo, pro tua illa prudentia, dicis impune omnia illi cessisse Manasse regi. Talis es tu, ut ita sentias de Manasse; quod enim quia quinquaginta septem annis regnans filio tradidit regnum, et ipse in pace defecerit, potuerint impune ei cessisse tanta admissa. Noli tibi ipse misereri ut temet ad Deum vertas, noli corrigere nefarios actus tuos, et invenies te torqueri cum Manasse, quem Manassem in eo videris tu præcedere; quod enim ille tantum intra terminos Hierusalem sanguinem justorum fuderit, tu autem toto fudisti ac fundis in regno Romano. Sed, inquis, ille filios suos ante simulacra deorum suorum concremavit vel consecravit: et tibi si fuissent, fecisses sine dubio eosdem Arianam suscipere blasphemiam. An ignoras, quia sicut tunc placebant diabolo hi qui filios suos comburebant, quoniam quidem una esset illis mens derelinquendi creatorem, et servire creaturæ, ita nunc nihil exigat diabolus a te, nisi ut neges unicum Filium Dei? hoc est illi acceptissimum sacrificium, ut sis credens quomodo et Arius crediderit: plus est illi nostris temporibus hoc, ut Dei neges Filium, quam si temet in honore omnium dæmonum ignibus voluerit concremari. Videt enim ab omnibus idolorum culturam despectam, quod vana fuerit inventio; nunc est cupiens per vos suos famulos hæreticos decipere nos Dei servos. Quomodo, inquis, decipere? quomodo et te jam deceperit, ita et nos vult decipi: cum sis Arianus, ad hoc te fingis Christianum, donec veneno hæresis tuæ possis vermes [g] sauciare, quo possint deinceps non esse Christiani, quod nos sumus, sed quod vos estis Ariani. Hæc est sagina officiorum tuorum quæ per te exhibetur dæmoniis. Qui etenim nisi diabolus et ejus filii dicere possunt de unico Dei Filio; *Filius est, et non est verus Filius; Deus est, et non est verus Deus?* Ergo tu cum dicis, *Christianus sum, sed non credo Deum verum habere Filium, non credo unam potentiam Patris et Filii*; cum dicis Filium creaturam, factum illum ex nihilo; cum dicis fuisse, quando non fuerit, melius tu sacrificas diabolo, quam tunc Manasses quando filios suos aut per ignem omnibus consecrabat dæmoniis, aut cum concremabat. Doleo tibi, imperator, cum tantæ sis insipientiæ, et cum sis tanta faciens mala, digneris tamen dicere: *Si non bene facerem, non adhuc in regno essem; jam me Deus exstinxisset.* Non conspicis istum Manassem in sacrilegio et incredulitate tibi comparandum, quod quinquaginta septem annis, ut sæpe dixi, regnum tenuerit in Judæa? hic utique qui fecerit delinquere [h] populum Domini, et servire idolis; hic utique qui in templo Domini et in ædibus Dei simulacra collocaverit, qui domum Dei, qui sacrarium ejus majestatis, idolorum fecerit sacrarium. Sic et te patitur Deus, sic sustinet quoad usque familiam probet suam, et dignos coronet, et indignos tecum nisi te correxeris ad æternam puniat pœnam. Cæterum crede quod possit sic et tunc Manassem et nunc te in uno atomo [i] exstinguere oculorum: sed parcit, non quia non possit, sed quia dignum sit et ejus coronari cultores contra vestram manentes crudelitatem immobiles, et vos inimicos ejus clementiæ, si tales ut estis durare censueritis, ad pœnam damnet sempiternam. Tu ut dicas: *Si non bene agerem, numquam adhuc imperarem,* faciunt illi qui te errantem non solum corrigi nolunt, sed ut et pereas impellunt. Non mirum; scriptum est enim, et te et illos tales futuros: *Laudatur peccator in desideriis animæ suæ, et qui iniqua gerit benedicetur: exacerbavit Dominum peccator secundum multitudinem*

[a] *Os super os.* Latin. et recte.

[b] *Quod* pro *quæ*, et infra *viginti duos* pro *viginti duo* habet Sabat.

[c] Id est, *qui alter est similis tibi.*

[d] *Quia.* Latin. et recte.

[e] Pro *apud quas*, vel *in quibus*, Til. *in quas*, Latin.

[f] *Vel aliqua.* Til.

[g] Sensus obscurus; forte *ut possis usque vermes sauciare;* vel, *tu vermes*, pro *vermis sauciare Christianos, ut non possint esse veri Christiani.*

[h] *Derelinquere populum Deum.* Vatic.

[i] Id est, *in ictu oculi exstinguere.* Til. et La Cerda.

iræ suæ, non [a] *inquiret : non est Deus in conspectu ejus, inquinatæ sunt viæ ejus in omni tempore : auferantur* [b] *judicia ejus a facie ejus* (*Ps.* IX, 3; *post* 21). Cum igitur tu dicis: *Bene facimus tollere episcopos illos, qui confitentur se tenere fidem apud Niciam scriptam et constituere eos qui confiteantur, sicuti confitebatur Arius*; et illi [c] dicunt: *Recte utique tu es peccator ille qui laudaris injuste pro desideriis animæ tuæ : et tu es iniquus, qui, cum sis derelictus pro blasphemiis tuis a Deo, tamen cum adulatoribus tuis, quodcumque delinquis, non reprehendatur, sed magis dicatur bene te agere.* Cum dicis: *Bene feci ad* [d] *Alexandriam mittere militem ad auferendum Athanasium*; et illi rectissime dicunt: *Tu cui comparandus eris, nisi illi qui per psalmographum notatur a Spiritu sancto; quod enim, cum gerat iniqua, cum sit pessimus et exsecrabilis, tamen cupiens sit laudari?* Dicis: *Nisi bene agerem, non adhuc mihi pepercisset Deus* (*Sap.* XIX, 2); et invenio dictum ad Deum; [e] *Propterea quod hos qui exsecrarunt* [f] *patribus corripis, et eos qui peccant admonens alloqueris, ut derelicta malitia credant in te, Domine : et illos enim antiquos inhabitatores terræ tuæ odicns, quoniam odibilia tibi opera faciebant per medicamina et sacramenta* [g] *injusta, et filiorum necatores sine misericordia voluisti perdere per manus parentum nostrorum, ut dignam percipiant peregrinationem* [h] *filiorum Dei, quæ tibi omnium charior est terra : sed et his tamquam hominibus pepercisti, et misisti antecessores exercitus vespas, ut illos partibus* [i] *exterminarent : numquid* [j] *impotens eras impugnare, impios justis subjicere, aut bestiis sævissimis, aut verbo duro simul perdere : sed partibus judicans dabas locum pœnitentiæ, non ignorans quoniam nequam est natio eorum et naturalis malitia illorum, et quoniam non poterat mutari cogitatio illorum in perpetuo : semen enim erat maledictum ab initio, nec timens aliquam* [k] *veniam dabas peccatis eorum. Quis enim dicet tibi : Quid fecisti? aut quis stabit contra judicium tuum?*

Similiter et tibi parcitur, Constanti, ut agas pœnitentiam, aut eorum intereas exemplo, qui cum sciti [l] fuissent a Deo, quod non essent acturi pœnitentiam, quod non fuissent semet convertituri ad Deum, propterea fuerit [m] ab initio malignum, tamen pepercerit eis, et non statim ut deliquerunt eos puniverit. Ne igitur dicas : *Si non bene agerem, numquam profecto mihi Deus pepercisset*; quando videas conscleratis tuis diu pœnitentiæ locum exhibitum ut tandem malorum factorum suorum viderent causas, et satis pro delicto fecissent Deo. Eris ergo et tu, si minime conversus fueris ad Deum, unus ex illo maledicto genere, de quo ad Deum dicitur : [n] *Non ignorans quoniam est nequam natio illorum, et naturalis malitia eorum, et quoniam non potuerit mutari cogitatio eorum in perpetuo : semen enim erat maledictum ab initio* (*Ibid.* 10). Quam igitur te gloriosum esse videbis, quando cum talibus esse cœperis, cum inter tales te videris judicatum, cum inter tales inventus, missus fueris in flammas inexstinguibiles? Tu itaque prior omnibus et major etiam illic futurus in illis pœnis : neque enim quisquam in nequitiis tibi compar inveniri poterit, nisi solus diabolus, ut te aliquis in illis pœnis possit conspici melior. Audes dicere : *Si non bene viverem, si non mea essent recta opera, si non fides mea, hoc est Ariana, fuisset catholica, si non recte egissem tollere illos episcopos, qui fidem prædicant descriptam a trecentis apud Niciam et eo* [o] *amplius, numquam diu regnarem, numquam sic eo usque fulgerem in regno, ut, et pauco licet tempore, tamen solus* [p] *intra limitem Romanum imperassem.* Si ita est, ut dicis, cur dicit justissimus Dei cultor Job ad eos, qui ejus justitiam falsis allegationibus lacessebant : *Audite* [q] *me, quoniam dolores vulneris mei cogunt me loqui* [r]*: Ut quid impii vivunt, et domus illorum non dissipatæ sunt, et timor ab illis longe est? Vacca* [s] *illorum num-*

[a] Ita Hebr., Septuag. et Vulgata. Vers. Ant. demit *non*.

[b] Unus Lucifer legit *auferantur*; ubique *auferuntur*.

[c] Id est, *Episcopi Catholici*.

[d] Vide notata paulo superius.

[e] Eadem hic est et Ant. Vers. et Vulg. nonnihil tamen ab utraque differt Luciferi locus.

[f] *Exerrarint partibus*. Latin. et ita corrigit etiam Sabat. ad Græc. Διὰ τοὺς παραπίπτοντας κατ' ὀλίγον λέγχεις. Ubi vero Nobilius legerit *partibus* apud Luciferum, haud divinari licet, cum neque ex Parisiens. neque ex Lugdunens. in Biblioth. PP. edit. id deprehendatur.

[g] Septuag. τελετὰς

[h] *Peregrinationes*. Vatic.

[i] *In partes* legit Sabat.

[j] Sabat. in Lugdunensi edit., qua usus est, legit, *non quia*; uti etiam in Græco, *quia* dempto: sed prima editio Parisiens. habet, *nun.quid*; idque retinemus.

[k] *Aliquam* retinemus cum Sabat. licet mendum videatur typographi, et in Græco sit τινά. Perstat tamen sub dictione utraque sensus.

[l] Id est, *quos, cum Deus scivisset delictorum suorum pœnitentiam minime acturos*. Til.

[m] *Quod semen fuerit*. Latin. Forte, *propterea quod fuerint ab initio maligni*. Til. et La Cerda. Lucifer respicit verba paulo superius ex lib. Sapient. exscripta.

[n] Vide hoc ipsum testimonium paulo superius, ubi variant quædam.

[o] Octo enim et decem super trecentos fuerunt Nicæni Concilii Patres.

[p] Ab anno scil. 350, exstincto Constante.

[q] Vers. Ant. *Audite sermones meos..... et teneantur carnes meæ doloribus : Quare..... domus eorum abundantes, et timor nusquam..... vaccæ eorum concipientes non abortant, et feta eorum salvavit, et peperit..... sicut vetustæ oves eorum; et parvuli eorum ludo se provocant : tenent psalterium et citharam, et lætantur ad vocem organi, et finierunt in bonis vitam suam..... dicunt autem Domino : discede a nobis, nosse vias tuas nolumus..... Imo vero..... dolores autem tenebunt eos ab ira. Et erunt sicut palea in vento, et sicut pulvis quem absulit turbo..... videant oculi ejus necem suam.*

[r] Sensum singularem hujus loci in Luciferiana versione indicat quodammodo Scholiast. Græcus apud Nobilium : Μετὰ σπουδῆς ἐρῶ, καὶ συντόμως ἐπιμνησθήσομαι τῶν μελλόντων ῥηθήσεσθαι, *quid impii vivunt*, etc., nam Nobilii consequens interpretatio ad rem non esse videtur. Sabat. legit, *cognit loqui : Ut impii*, omisso *me* et *quid*.

[s] Βοῦς. Septuag.

quam abortavit [a], *semper tulit ventrem suum ; ipsi* [b] *vero permanent tamquam oves in perpetuo, et filii eorum, accepto organo* [c], *ludunt cum delectamento, ut vitam degerent in bonis, cum dicat Dominus ; Recedite a me, iniqui, vias illorum nolo nosse : quoniam lucerna impiorum extinguetur, et gemitu dolebunt in vita sua : erunt tamquam palea quæ a vento rapitur, aut tamquam pulvis, qui a tempestate volvitur ; videant* [d] *autem oculi illorum mortem* (*Job* XXI, 6). Cum hæc sciam Dominum de illis dixisse, *Scitote* [e] *quia nemo vestrum potest me compescere ut taceam*, cur hæc gloriosissimus dicit Job? nisi quia sciret quam plurimos quidem male agere, et tamen certis [f] non statim reddi, sed servari eos ad hoc, ut aut se corrigant aut certe post obitum sentiant delictorum suorum pœnas, sentiant quid fuerit non quæsivisse Dominum, non ei servisse, dum facultas erat, credendo in eum solum, famulandoque ei eum promereri. Jam crede [g] convictus tanti viri testimonio, desinas dicere te juste fecisse, quod amoveris Domini sacerdotes, et ordinaveris etiam Arianæ fidei homines, et jusseris fidem prædicari Ariani dogmatis, quod proscripseris et deportaveris, et tormenta admoveris atque interfeceris credentes in unicum Dei Filium ; desine inquam dicere, propterea te vivere, et sic in regno florere quod illa egeris, ac sis gerens, quando audias dicentem justum virum Job, quem Deus sine querela dixerit sibi servisse, quem verum suum cultorem narravit, quod enim cum sint impie quam plurimi agentes, tamen in hac vita vivant quam jucundissime. Adhuc dignare accipere quæ infra dicat de vobis impiis, et cognosce quomodo cum male agatis interim vobis parcatur, et temet Deo repræsenta per pœnitentiam. *Nesciebam* (*Ibid.* XXIII, 17) *quoniam* [h] *tales tenebræ venturæ essent ante faciem meam. Quare* (*Ibid.* XXIV, 1) [i] *ergo, Domine, non potui una hora latere? impii autem transeunt in finibus alienis, et greges ovium cum pastoribus rapuerunt, et pecora orphanorum afflixerunt, et bovem viduæ pignoraverunt, agrum non suum ante tempus demessi sunt, et coegerunt homines in vineis suis gratis operari, et multos despoliaverunt, et esurientibus panem abstulerunt, et in faucibus multis obsederunt, et non intellexerunt viam justitiæ. Maledicatur pars illorum interris Quæ* (*Ibid.* 18) [j] *est enim spes impiis hominibus, aut quem aditum possunt habere apud Dominum? Sed* (*Ibid.* XXVII, 8). *et* [k] *si* [l] *corroboraverint, ad egentiam venient, et qui remanserint ex illis, mala morte morientur, et viduis illorum nemo miserebitur, et si collexerint, aurum aut argentum tamquam lutum, hæc omnia justi possidebunt* (*Ib.* 14). Ne itaque jam digneris injuste tibi blandiri, imperator, quia cum sis talis, qualem asseveravimus, et arbitreris, te homicidam ac sacrilegum propterea diutissime degere in hac vita, quod enim tua opera sint Deo accepta : talia sunt opera tua, qualia et illorum, in quos invehitur ore Isaiæ Spiritus sanctus dicens : *Sic dicit Dominus qui liberavit te sanctus Israel : Ego sum Deus, ostendi tibi viam in qua ambules ; et si audisses mandata mea, facta fuisset fluvius pax tua, et justitia ut fluctus maris, et factum esset sicut arena maris semen tuum et nati ventris tui* (*Is.* XLVIII, 17). Sed, inquis, hæc ad Judæos dicta sunt ; nempe ad eos, quorum te fecisti imitatorem ; et nunc, ut est crebro dictum, muta malignas vias tuas, crede ut credit sancta Ecclesia, et in omnibus tibi propitiabitur. Dicit enim ipse : *Revertimini* [m] *ad me ex toto corde vestro simulque et jejunio et fletu et planctu, et discindite corda vestra et non vestimenta* (*Joel.*, II 12). Revertere toto corde ad Deum, acquiesce his salubribus remediis ad criminis tui intelligentiam conspiciendam ; aperi cordis oculos, ingemisce toto corde tam te graviter deliquisse colligens ; tunc tui miserebitur ille qui dicit : *Cum conversus ingemueris, tunc salvus eris, et scies ubi fueris* [n]. Reminiscere [o] Deo dicatum dixisse prophetam : *Nolo mortem morientis* [p], *dicit Dominus, quantum ut revertatur et vivat* (*Ezech.* XXXIII, 11). Noli jam sentire, quod cum mala sint opera tua, ut bene te agere existimes, cur non statim pro factis pœnas receperis tuis, sed aspice scriptum, Dominum patientem esse ut pœnitearis. *Ne dixeris : Peccavi, et quid accidit mihi triste? est enim Altissimus patiens redditor* (*Eccli.* V, 4). Audi etiam Paulum beatum invitantem te ad Deum, circa te placandum aperientem tibi, quod enim idcirco sit patiens, et non illico sint repræsentata merita ope-

[a] Ita Symm. Οὐκ ἐξέτρωσε, pro *abortum non passa est*. Til.

[b] Cum Septuag. Μένουσι δὲ ὡς πρόβατα αἰώνια.

[c] Septuag. Ἀναλαβόντες ψαλτήριον. Aquila, præposito in Hexapl. asterisco, ὀργάνου. Cætera omnino Lucifero peculiaria.

[d] Pro *videbunt*. Til. ut in Vulg.

[e] Hisce Lucifer sensum Job explicat in iis verbis : *Audite me, quoniam dolores vulneris mei cogunt me loqui.*

[f] Locus mutilus. Forte *certis pœnis*. Latinius. Verum si *certis* pro *aliquibus* intelligatur, sensus erit integer.

[g] *Credo*. Vatic.

[h] Vers. Ant. *Supervenirent mihi tenebræ, et ante faciem meam tegeret caligo.*

[i] Vers. Ant. *Dominum non latuerunt horæ, impii autem nescierunt dies ejus? Finem transgressi sunt : gregem cum pastore rapientes paverunt. Jumentum pupillorum abegerunt..... demessuerunt : infirmi vineas impiorum absque mercede et cibo coluerunt. Nudos multos fecerunt..... et esurientium..... in angustiis inique insidiati sunt, viam autem justitiæ ignoraverunt.*

[j] Vers. Ant. *Quæ enim spes est impio, quia exspectat, et confidit in Domino si forte salvatur.*

[k] Vers. Ant. *Si autem et juvenes facti fuerint..... et qui circa eum sunt, morte morientur,..... quod si et collegerit ut terram argentum, et velut lutum paraverit aurum..... consequentur.*

[l] *Si se corrobaverint* legit Sabat. et infra *collegerint* pro *collexerint*.

[m] Vers. Ant. *Convertimini..... in jejunio, in cilicio..... et scindite*, etc. *Scindite* etiam in Lucifero legit Sabat.

[n] Forte ex sensu verborum Joelis hæc repetit, cum nullibi licuerit hunc textum invenire.

[o] Sensum hic restituit Latin. inserto verbo *audi*. Nos cum Vatic. verbum *reminiscere* subjicimus, quod in edit. deerat.

[p] Vers. Ant. *peccatoris*. Unus Cyprianus in lib. de Laps. convenit cum Lucifero.

rum tuorum, quia velit te tandem a malis emergere per pœnitentiam, per veram satisfactionem. *Numquid* [a] *sustinentiam bonitatis ejus et patientiam contemnis, ignorans quoniam bonitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Tu autem secundum duritiam tuam, et cor impœnitens thesaurizas tibi iram in die iræ, et revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundum operam ejus* (*Rom.* II, 4), Redi. Constanti, ad Deum : contra interni tui hostis latrocinium sume pœnitentiæ arma ; fuge adulatorum, qui tibi non fuerint dignati quæ se habent dicere, perniciosam laudem; memento ore Isaiæ dixisse Dominum : [b] *Qui vos felices dicunt, in errorem vos mittunt, et semitam pedum vestrorum turbant* (*Is.* III, 12). Crede in unicum Dei Filium, accipe veniam tuorum scelerum, repete dicere psalmographum ; *Apud inferos* [c] *quis confitebitur tibi* (*Ps.* VI, 6)? et iterum : *Numquid* [d] *exomologesim faciet tibi pulvis* (*Ps.* XXIX, 10)? Revertere ad Deum, ingemisce pro criminibus tuis, per Hieremiam Domini dicentis audi vocem : *Numquid qui cadit non resurget, aut qui avertitur, non convertetur* (*Jer.* VIII, 4)? Cecidisti die qua negasti Dei Filium; resurges hora qua fueris confessus : quia te plaga hostilis insedit, trade te curandum medicinæ, ipse tibi adhibe medelam. Vulnerasti temet dicens : *Non est verus Dei Filius*, iterum temet sanaturus, si dicas ut nos dicimus et credimus esse illum verum Dei Filium. *Revertimini* [e], dicit Joel, *ad Dominum Deum vestrum, quoniam misericors et pius et patiens, et multæ miserationis, et qui sententiam flectat adversus malitiam irrogatam* (*Joel.* II, 13). Si hanc tibi promissam indulgentiam funerum [f] tuorum repudiandam duxeris, illic hanc consequi desideraturus, ubi nihil eris præter cruciamenta percepturus pœnarum.

[a] Vers. Ant. *An divitias bonitatis ejus, et patientiæ, et longanimitatis contemnis, ignorans quoniam benignitas..... secundum opera.*

[b] Vers. Ant. *Qui vos beatos dicunt, seducunt vos, et vias pedum vestrorum disturbant.*

[c] Vers. Ant. et Vulg. *In inferno.*

[d] Uti in Græco, μὴ ἐξομολογήσεταί σοι χοῦς. Ita et Cypr. lib. III Testim. Vers. Ant. et Vulg. *confitebitur.*

[e] Vers. Ant. *Convertimini..... quia misericors et miserator est, patiens..... pœnitens super malitiis.* Cypr. ep. 52, et Vict., Tun. conveniunt cum Lucifero.

[f] Id est, *facinorum quæ tanta funera in Christi Ecclesiam intulerunt* ; in quo sensu hac voce usus est Lucifer etiam supra pag. 41, lin. 24.

S. P. N. LUCIFERI

EPISCOPI CALARITANI

PRO SANCTO ATHANASIO

AD CONSTANTIUM IMPERATOREM

LIBRI DUO.

LIBER PRIMUS.

Cogis nos, Constanti, absentem damnare consacerdotem nostrum religiosum Athanasium : sed divina id facere prohibemur lege ; impellis auctoritate latius regali Domini sacerdotes ad effundendum cruorem, ignorans jura justitiæ, tradita nobis divinitus, te conatum ex nostris auferre mentibus. An divinitus poteris asserere permissum, absentem, inauditum, et quod est maximum, innocentem damnari? Quomodo etenim arbitraris divinitus permissum, puniri inauditos, quando videas Adam et Evam principes nostri generis auditos sententia percussos Dei? *Et vocavit* [a] *Deus Adam, et dixit ei : Adam, ubi es? Et dixit : Vocem tuam audivi, Domine, in paradiso, et timui, quoniam nudus sum, et abscondi me. Et dixit illi Deus : Quis tibi indicavit, quia nudus es, nisi de ligno de quo præceperam tibi, de hoc solo ne manducares, ex eo manducasti? Et dixit Adam : Mulier quam dedisti, ipsa mihi dedit de ligno, et manducavi. Et dixit Deus mulieri : Quid hoc fecisti? Et dixit mulier : Serpens persuasit mihi, et manducavi* (*Gen.* III, 9). Cum igitur hujusmodi formam judicandi dedisse Deum advertas, cum a latebris evocatis confessisque Deum sententiam dedisse de sacris Scripturarum collegeris fontibus, cujus fuisti atque es impudentiæ judicandi Dei servos [b] eam dare formam, quæ non fuisset de lege veniens Domini? Nec timuisti, ne fuisset dictum ad Deum a nobis de te, quomodo fuerat dictum de refuga illo angelo : *Serpens suasit me;*

[a] Vers. Ant. *Et vocavit Dominus Deus..... et dixit illi : Ubi es? et dixit ei : Vocem tuam audiri deambulantis..... et timui quia..... et dixit illi : Quis nuntiavit..... nisi a ligno quod præceperam tibi tantum né ex eo manducares, ab eo edisti?.... quam dedisti mecum, hæc..... et edi. Et dixit Dominus Deus..... serpens seduxit me*, etc.

[b] Servis. Vatic.

Constantius imperator seduxit nos; credidimus ei, eum arbitrati fuisse hominem. Nonne [a] videre potuisti, quia possis tali percuti Dei indignantis sententia, qua percussus videtur et serpens? cui dicitur : *Quia* [b] *tu fecisti hoc, maledictus tu ab omnibus pecudibus, et ab omnibus bestiis terræ, quæ sunt super terram : super pectus et ventrem tuum repes, et terram edes omnibus diebus vitæ tuæ. Et inimicitiam ponam inter te et mulierem, et inter semen tuum et inter semen ejus : ipse* [c] *tuum observavit caput, et tu ejus observabis calcaneum* (*Ibid.* 14). Nonne [d] ita et te Dei offensam incurrere potuisse, ut ille incurrerit angelus, ex hac una sententia Domini debueras reminisci? præsertim cum cognosceres, tuum etiam opus fuisse serpentinum. An cum ille serpens fuerit factus ex angelis, tu ex hominibus serpentem te fieri potuisse es arbitratus? minime : sed dicas velim, quid intersit inter tuum atque hujus angeli refugæ apostatæ factum : si ille mendacio seduxit rudes homines, et tu, et quidem tu non rudes : si ille utilitatis gratia ad arboris eorum illexit mentes fructus edendos, et tu pacis [e] causa te facere cum eis astruxeris; cumque omnium Christianorum bono te hoc opus dixeris aggressum, utique inspecta [f] opera tua, datur intelligi serpentem te illum esse imitatum : cupiens Dei mandatorum fieri transgressores, dedisti præcepta, damnandum esse inauditum, absentem, negandumque audientiam, purgare posse se de crimine objecto proclamatum [g]. Abel interficitur justus, et interrogatus Cain sumit [h] sententiam; et tu Domini inauditum vis puniri sacerdotem? *Factus est* inquit (*Ibid.*, IV, 2), *Abel pastor ovium, Cain autem erat operans* [i] *terram. Et factum est, post dies obtulit Cain de fructu terræ sacrificium Domino, et Abel obtulit et ipse de primitiis ovium suarum, et respexit Deus super Abel, et super munera ejus, super Cain vero et super sacrificia ejus non respexit : et contristatus est Cain valde, et concidit vultus ejus. Et dixit Dominus Deus ad Cain : Quare tristis factus es, et quare concidit vultus tuus? Quare* [j] *non recte obtulisti? Peccasti, quiesce.* Et infra : *Dixit Cain ad Abel fratrem suum : Eamus in campum. Et factum est, cum essent ipsi in campo, insurrexit Cain super Abel fratrem suum, et occidit eum. Et dixit Deus ad Cain : Ubi est frater tuus? Et dixit : Nescio. Numquid custos fratris mei sum ego? Et dixit Deus : Quid fecisti hoc? Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra* (*Ibid.* 8). Numquid non licuerat Deo, prinsquam Cain convocaret atque interrogaret, punire? sed noluit; dans formam, quo genere inciperemus judicare commissos nobis, nobis inquam, de quibus per Hieremiam prophetam dicit ad populos suæ majestati dicatos : *Et dabo vobis pastores secundum cor meum, et pascent vos pascentes cum disciplina. Damnate*, inquis [k], *eum, quem ignoratis deliquisse* (*Jer.* III, 15). Cur? nempe ad hoc ut jam non episcopi, sed mereremur nuncupari vesani atque carnifices. Non metuis, oro, hæc mandans, Domini ad Noe sanctissimum dicentis vocem? *Sicut olera feni* [l] *dedi vobis omnia : præter* [m] *carnem et sanguinem animæ non edetis. Etenim vestrum sanguinem animarum vestrarum exquiram de manibus omnium bestiarum :* [n] *exquiram animam hominis. Qui effuderit sanguinem hominis, pro sanguine hominis effundetur* [o], *quia ad imaginem Dei feci hominem* (*Gen.* IX, 3). Non metuis, oro, tantorum te qui videas interfectorem Dei exstitisse servorum, ut adhuc et ipse innocentes jugules, et nos participes fieri tuorum cogas funerum? Cum dictum a socero suo Jethro fuisset Moysi, cur tota detineret populum die : *Venit ad me*, inquit, *populus quærens* [p] *judicium a Deo* (*Exod.* XVIII, 15). Igitur si judicium Dei antistitum tam decet esse justum, quod Dei esse dicatur judicio terminatum, quomodo tu inauditum jubebas

[a] *Non.* Id.

[b] Vers. Ant. *Quia fecisti hoc..... ab omnibus pecoribus, et ab omnibus bestiis, quæ... super pectus tuum... ambulabis... omnes dies... Et inimicitias ponam inter te et inter mulierem, et inter semen tuum et semen ejus; ipsa tibi servabit caput, et tu servabis ejus calcaneum.*

[c] Sensus est de Christo. *Til.*

[d] *Non.* Vatic.

[e] Propter edictum pacificatorium a Constantio Ariano promulgatum pretextu pacis cum fratre Constante natu minore, qui catholicus erat, ut postea videbitur. *Til.* Sed non hic hujus loci sensus. Scripsit Lucifer hosce libros post Mediolanense concilium anni 355, in quo cum Athanasii absentis damnationi subscribere noluisset, in exsilium pulsus fuit cum aliis episcopis catholicis, forte in Cappadociam, qui primus exsilii locus; anno vero 349, Athanasius Alexandrinæ Ecclesiæ restitutus jam fuerat a Constantio, qui Constantis metu ad id se adduci passus est. Cum igitur ait Lucifer, Constantium *pacis causa* id esse molitum, ut Athanasius damnaretur ab episcopis catholicis in concilio Mediolanensi, id intelligit, Athanasii damnationem, tamquam pacandæ Ecclesiæ prætextum, ab Imperatore propositam fuisse.

[f] Ablativus est absolutus more Græcorum, quem usurpat pro plurali, *inspectis operibus tuis;* quo sæpe numero utitur tam in nominativo, quam in accusativo casibus. *Til.*

[g] *Proclamanti.* Vatic. Quod nos dicimus *appellantem.* Participium est alibi ab auctore repetitum, verum in activa voce, his verbis : *Si justum est judicium audiri se proclamantem*, id est *appellantem* de judicis iniqua sententia, quam videlicet perverse adversus Athanasium tulerat Constantius. *Til.*

[h] *Sumere sententiam* dicit, pro *condemnari. Sumit* ergo *sententiam*, id est *condemnatur* a Domino, qui quidem dat nobis formam judicandi, posteaquam audiverimus, et diligenter percontati fuerimus. Quemadmodum dixit serpenti : *Quia tu fecisti hoc, maledictus ab omnibus pecudibus terræ*, etc. Til. et La Cerda.

[i] Vers. Ant. *Operabatur.*

[j] Peculiaris omnino est apud solum Luciferum hujus versiculi versio, cujus nulla in Græcis, Latinisque Bibliis indicia, neque ex Patribus, aut Interpretibus licuit reperire. Vers. Ant. *Nonne si recte offeras, recte autem non dividas, peccasti? Quiesce*, etc.

[k] *Dicis.* Vatic.

[l] Vers. Ant. *pabuli.*

[m] *Verum carnem in sanguine animæ suæ.* Eadem. Græc. caret *suæ*, uti Lucif.

[n] Vers. Ant. *Et de manu hominis fratris exquiram*, etc.

[o] Vers. Ant. *Effundetur anima ejus.* Abest a Græco, uti a Lucif. *anima ejus.*

[p] Vers. Ant. *Inquirere.*

damnari a nobis? cum Moysen inveneris dixisse : *Venit ad me populus quærens judicium a Domino* [a] (*Ibid.*). Si populus idcirco ad nos confluit, ut secundum Dei legem judicetur, cur tu inquies, *Damnate innocentem?* Itaque cum hoc præceptum, quod prolatum est a te, non sit veniens ex lege Dei, sed sit plane ex voluntate firmatum diaboli, tandem intellige, quisnam sis. Uxor Loth conversa in salem est, quod implere nequiverit imperata ; nobis, credo, interventu tuo, quia videlicet sis rex Romani imperii, nihil accideret malorum, si falsis prægravatum criminibus damnaremus. Sacra scriptura in Exodo, *Moyses*, inquit, *ascendit in montem Dei et vocavit eum Deus de monte dicens : Hæc dices domui Jacob, et annuntiabis filiis Israel : Ipsi vidistis, quanta fecerim Ægyptiis, et assumpsi vos tamquam supra pinnas aquilæ, et adduxi vos ad me : et nunc si auditu audieritis vocem meam et custodieritis testamentum meum, eritis mihi populus abundans præ omnibus gentibus. Mea est universa terra. Vos autem eritis mihi regnum sacratissimum* [b], *et gens sancta* (*Ibid.* XIX, 3). Quomodo gens sancta, si innocentium fuerimus necatores? Quomodo regnum Deo sacratissimum, si præcepta prætereamus ejus? Item dicit Deus : *Non mœchaberis, Non occides, Non falsum testimonium dices adversus proximum tuum* (*Ibid.* XX, 13). Tu inquis contra : *Crede mihi dicenti falsa, et macta innocentem.* Monens Deus dicit in Exodo : *Non credes auditui vano, Non consenties cum iniquo fieri testis injustus, Non eris cum compluribus* [c] *in malitia. Non appones* [d] *cum compluribus declinare cum turba, ut declines* [e] *judicium, et pauperi non miserearis in judicio ejus* (*Ibid.* XXIII, 1). Et infra : *Non subvertes judicium pauperis in judicio ejus, ab omni verbo iniquo recedes, innocentem et justum non occides, non justificabis impium pro muneribus : munera enim excæcant oculos videntium, et pestiferant* [f] *sermones justos* (*Ibid.* 6). Ad hæc tu excludenda præcepta, subvertere judicium ejus servos compellis ; justam tentans etiam muneribus nostram corrumpere dicatam conscientiam Deo. *Si audieris*, dicit Deus, *audieris vocem meam, et feceris omnia quæ dixero tibi, inimicus ero inimicis tuis, et resistam contrariis tuis* (*Ibid.* 22). Jam tuum sit probare, præcepisse Deum innocentes esse percutiendos, apostolicam deserendam fidem, et tuam suscipiendam perfidiam [g]. Cur hæc, quæ mandatis Domini adversantur, fieri præcipiendum putasti? cum etiam in Levitico Dominum memineris dixisse ad Moysen : *Loquere filiis Israel, et dices ad eos : Ego*] *Dominus Deus vester, secundum studia terræ Ægypti, in qua inhabitastis, in ea non facietis, et secundum studia terræ Chananæorum, in quam ego induxero vos, ibi non facietis, et in legitima eorum non ambulabitis. Judicia mea facietis, et præcepta mea custodite, et ambulate in eis : Ego Dominus Deus vester. Custodite omnia præcepta mea, et omnia judicia mea, et facietis ea : qui fecerit ea homo, vivet in ipsis, Ego Dominus Deus vester* (*Lev.* XVIII, 2). Si in præceptis Domini docere vales conscriptum [h], justos esse ad injustorum suggestiones puniendos, recte cuncta te egisse atque agere poteris advertere. Doce in mandatis Dei conscriptum, calumniis petitos ejus cultores a te domus ejus persecutore per nos episcopos esse interimendos. Cur ad hanc per Coarianos tuos deducius es implendam malitiam? quæ coegit te causa imperatorem petere calumniis Dei hominem? Numquid non legeras in Levitico dixisse Deum : *Nolite* [i] *menducio petere neque calumniemini unusquisque proximum* (*Ib.* XIX, 11)? Et infra : *Non mentiemini* [j] *neque calumniam facietis proximo, et non profanabitis nomen Domini Dei vestri. Ego sum Dominus Deus vester. Non nocebis proximo tuo, et timebis Dominum Deum tuum* [k]. *Ego sum Dominus Deus tuus. Non facietis* [l] *iniquum in judicio. Non accipias personam pauperis, neque miratus fueris ad personam potentis : in justitia judicabis proximum tuum. Non ambulabis in dolo in gente tua. Non consenties in sanguinem proximi tui, Ego sum Dominus Deus vester. Non odies* [m] *fratrem tuum sensu tuo* [n], *corripiens corripies proximum tuum, et diliges proximum tuum sicut te ipsum, Ego Dominus*

[a] Supra, *a Deo*.

[b] Græc. ἱεράτευμα. Vers. Ant. *sanctissimum*.

[c] Sab. Legit *pluribus*, ut in Vers. Ant.

[d] Vers. Ant. *Non apponeris cum multitudine declinare cum pluribus..... et pauperis non misereberis*, etc.

[e] Ita Vers. Ant. Septuag. ὥστε ἐκκλίναι. Sed Coteler., tom. 1. Monum. Eccl. Græc., Luciferi versionem cum Græco Complut. convenire annotat. pag. 5, Ὥστε ἐκκλίνειν.

[f] Septuag. Λυμαίνεται. Lucifer videtur legisse λοιμαίνεται a λοιμὸς, *pestis*. Cotel. ibid.

[g] Sunt, qui censent, Luciferum, cum *perfidiam, blasphemiam, idololatriam* Constantii nominat, ab eo intelligi epistolam, quam pravitatis, ac falsitatis plenam subscribendam proposuit Episcopis catholicis in Ecclesia Mediolanensi ad concilium celebrandum adunatis an. 355. Hoc est verisimilius ; et de hac, seu potius *edicto* iisdem a Constantio proposito, ut inferius Lucifer ipse illud appellat, vide notationes in lib. *De non Conven. cum Hæretic.* Simpliciori tamen sensu intellige Arianam hæresim, quam fere ubique hisce nominibus distinguit. Hieronymus a Prato in Diatriba de gestis Liberii § 10, præposita Opp. S. Damasi, censet *idololatriæ* verbo innui formulam fidei Ariminensem ; alii formulam Sirmiensem Arianam ; sed cum Lucifer gesta præcipue speciet Mediolanensis concilii, neutram ab eo indicari existimo in hisce libris ; utraque enim post concilium illud edita fuit ; licet Lucifer post Ariminense, et Sirmiensia concilia, libros pro Athanasio scripserit.

[h] *Conscriptos justum esse*. Vat.

[i] Videntur hæc e duplici ejusdem saltem cap. versiculo desumpta ; sed nullibi ea, quæ priora, licuit reperire etiam Sabat. qui propterea sub eodem vers. 11. utraque collocavit : et priora quidem differunt ab Ant. Vers., quam ex Augustino hic ille exhibuit ; posteriora fere conveniunt.

[j] Sæpissime variat personas, et numeros tam in allegatione Scripturarum, quam in contextu orationis ; ut, *Ego sum Dominus Deus tuus vester, non nocebis proximo tuo* : deinde subdit, *Non facietis iniquum in judicio*. Til. Verum ita legitur etiam in Græco.

[k] *Tuum* omittit Sabat.

[l] Sabat. legit *facies* ex edit. Lugdun. in Biblioth. SS. PP. Græc. ποιήσετε, ut in edit. Parisiensi.

[m] Pro *non odio prosequeris*, aut *habebis fratrem tuum*. Til. et La Cerda.

[n] Vers. Ant. *Non odio habebis .... in animo tuo*,

Deus vester. Legem meam custodite (*Ibid.* 12). Hæc cum scripta memineris, existimas acceptatores personæ nos tuæ futuros? Ad [a] innocentis rogasti necem, et cum te contemptum advertisses, tetendisti temet ad genera omnia ingerenda pœnarum. Dicit Deus: *A facie* [b] *divitis ne timeas, et honorabis faciem presbyteri et timebis Dominum Deum tuum. Ego sum Dominus Deus tuus* (*Ibid.* 32). Et tu timeri te potuisse es arbitratus, et exhonorari Athanasium, quem Deus præceperit honorandum? Non legeras dixisse Deum: *Non facietis injuste in judicio, in mensura, et in penso, et in stateris: statera justa pensabitis* (*Ibid.* 35), et mensura justa est ut statuisses fuisse per nos neeandum absentem? Si justum est judicium audiri [c] se proclamantem, absentem puniri, tuæ erunt justitiæ [d] allegationes apud Deum contra nos, qui tuæ temeritatis præcepta respuerimus. In Deuteronomio reperitur gloriosus Moyses dixisse ad judices, quos populo dederat: *Audite inter fratres vestros, et judicate juste inter medium viri, et inter medium fratris, et in medio proselyti ejus. Non accipietis personam in judicio, adversus minorem, aut adversus majorem judicabitis: non sumas* [e] *personam hominis, quoniam judicium est Dei* (*Deut.* 1, 16). Et vis, Constanti, credo, quia sis in sublimitate degens regali, accipi tuam personam: es magnopere cupiens eum, cujus sis sanguinem sitiens, mactari per nos Domini sacerdotes. Hinc itaque apud te nos detestabiles, quoniam judicium ad Dei sumus voluntatem promentes. Hinc ad gladium putasti tendendam carnificem dexteram tuam, tamquam possis gladio vincere, quos videres propter Dei Filium nec præsentem dubitare amittere vitam, nec perhorrescere mortem. Ad filios Israel narrat sanctissimus Moyses ex præcepto Dei: *Videte, tradidit vobis Dominus Deus vester ante faciem vestram terram: ascendentes possidete, quemadmodum dixit Dominus Deus* [f] *patrum nostrorum nobis: nolite timere neque formidetis* (*Ibid.* 21). Si illis neminem præter Deum timendum mandatum est, illis imaginem nostræ vocationis portantibus, quanto magis præter Deum neminem metuere condecet, qui non terras Chananæorum, Jebusæorum, et Gergesæorum, atque Amorrhæorum simus desiderantes consequi, sed cœlestia regna, sed Dei perpetuum amorem? Quomodo etenim vigor inanis dignitatis tuæ nos ab hoc potuit aut potest proposito flectere, cum præter Deum statuerimus metuendum neminem? Non sumus Christiani ex illis, qui dixerunt: *Propter quod odiit nos Dominus, eduxit nos de terra Ægypti, tradere nos in manus Amorrhæorum, et disperdere nos* (*Ibid.* 27); sed sumus ex illis, qui dixerunt, ac dicunt ad Deum: *Propter te* [g] *occidimur tota die, æstimati sumus, ut oves occisionis, sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos* (*Rom.* VIII, 36). Non timuimus, neque timemus minas tuas nos, qui novimus nihil posse Deo resistere, ne ut illi pereamus, qui audiunt a Moyse: *Fratres vestri averterunt cor vestrum dicentes: Gens magna est et* [h] *dura multa et potentior vobis, et civitates magnæ, et muratæ usque ad cœlum, sed et filios gigantum vidimus illic* (*Deut.* I, 28). Non timemus gladium tuum Christiani, qui præsumamus prostratis vobis, Dei religionis inimicis, venturos nos ad convivium patriarcharum, prophetarum, apostolorum ac martyrum. Non metuimus virtutem caduci regni tui, milites divini. Non sumus ex illis diffidentiæ filiis, qui plus inimicos suos, quam Deum fuerant arbitrati potuisse, ut tuam fragilem vereamur potentiam: si enim non ita Judæi credidissent, quod videlicet plus possent Chananæi, Jebusæi, et Amorrhæi, et cæteri inimici quam Deus, numquam profecto Moysis vocem [i] superhabuissent dicentis: *Ne loquamini, neque formidetis ab eis. Dominus Deus vester, qui antecedit ante faciem vestram, ipse simul expugnabit eos vobiscum, secundum omnia quæcumque fecit vobis in terra Ægypti, et in deserto hoc quod videtis quomodo fovit te Dominus Deus tuus, sicut quis foveat homo filium suum, in omnem viam quam ambulatis* [j], *quoadusque venistis ad hunc locum, deducens vos in igni nocte, ostendens vobis iter, ut ambularetis in ea, et in nube diei* (*Ibid.* 29). Si non post hæc salutaria monita, plus potuisse quos contra pugnam gerebant, quam Deum, filii Israel fuissent credentes, numquam profecto ad omnem devenissent interitum. Potentem igitur esse novimus Deum ad eripiendos nos de manibus tuis, ad cœleste nobis regnum promissum tendentes: timere tuam crudelitatem non poterimus, maxime qui elegerimus a te, non a Deo puniri. Dixisti: *Damnate Athanasium*. Quem eramus, Constanti, damnaturi? illum ne quem videmus Dei Filium confiteri, ut sunt confessi patriarchæ, prophetæ, apostoli, ac martyres? an te, qui sis negans, ut negavit magister tuus Arius, ut negaverunt Scarioth Judas, et cuncti Judæi? Dicit Deus ad Moysem: *Non erunt tibi dii alii præter me: non facies tibi sculptile, neque omnem* [k] *similitudinem eorum, quæcumque sunt in*

arguendo argues.

[a] Vide ab Imperatore deferri Episcopis judicium sanguinolentum, et hujus fit mentio toto hoc libro. Til.

[b] Vers. Ant. *A facie senioris exsurges, et honorabis personam*, etc. Græc. πρόσωπον cum Lucif. Suspicor tamen priora verba, *a facie divitis ne timeas*, repetita esse, quod ad sententiam spectat, ex vers. 15. ejusdem cap. *neque miratus fueris ad personam potentis.*

[c] *Non audiri.* Latin. et recte.

[d] *Justæ.* Til.

[e] *Sumas* omittit Sab.

[f] *Deus* omittitur a Sabat. et legitur in Græco.

[g] Vers. Ant. *morte afficimur.*

[h] Pro *multum dura et aspera*, suo more et Græcorum, qui sæpissime utuntur hujusmodi adjectivis pro adverbiis: vel apponenda virgula ante *multa*, ut legatur *gens magna et dura, multa et potentior*. Til. et La Cerda, et recte; Græcus enim habet, ἔθνος μέγα, καὶ πολὺ, etc.

[i] Id est, *numquam Moyses hæc verba illis addidisset, numquam sermones ad illos prosecutus fuisset.* Til.

[j] Sabat. legit *ambulastis*, et infra *ambularetis in eo.*

[k] Sabat. legit *omnium.* Græc. est πάντων.

cœlo sursum et eorum quæ sunt in terra deorsum, et quæcumque sunt in aquis subtus terram: non adorabis illa, neque servies eis, quoniam ego sum Dominus Deus tuus, Deus zelans, reddens peccata patrum in filiis, in tertiam et quartam progeniem, eis qui oderunt me, et faciens misericordiam in millibus his qui diligunt me, et his qui custodiunt præcepta mea (*Ibid.* v, 7). Et hæc dicis divina mandata calcanda: Suscipite idololatriam meam, derelinquite Deum, interficite inimicum meum, non Dei, Athanasium, quo possitis inveniri inter eos, qui oderunt Deum, quibus promiserit se in tertiam et quartam progeniem redditurum; date operam, ne cum illis diligamini a Deo, propter quos dicit: *Faciens misericordiam in* [a] *millia his qui diligunt me, et his qui custodiunt præcepta mea* (*Ibid.* 10). Conspicis, prudentissime imperator, hoc tibi bonum videri, quod sit malum, et hoc malum quod bonum. Aut negabis bonum, aut negabis bona te mala esse intelligere? et mala bona si negas, responde. Bonum est damnare innocentem, an malum? bonum est derelinquere Deum, et ire post idololatriam, an malum? Si dixeris malum, dicetur tibi a nobis: Cur hæc tu geris? Iterum clamat in Deuteronomio Moyses, dicens: *Custodire* [b] *mandata Domini Dei tui, et testimonia, et justificationes quascumque mandavit tibi: et facies quod placitum est, et quod bonum ante Dominum Deum tuum, ut benefiat tibi: et intrabis, et hæreditate possidebis terram bonam, quam juravit Dominus patribus vestris* (*Ib.* VI, 17). Et tu hæc esse bona elegisti, hæc Deo placita, ut in contumeliam ejus majestatis idololatria firmetur per tui regni virtutem, et jugulentur hi, qui se ejus fuerint confessi cultores. *Ecce ego*, dicit Moyses, *dedi ante conspectum vestrum hodie benedictionem et maledictionem: benedictionem, si audieritis mandata Domini Dei vestri, quæcumque ego mando vobis hodie* (*Ib.* XI, 26). Cum itaque illi sint benedicti qui innocentem non sint punientes, illi Domini servantes mandata, qui inauditum damnare noluerint, tu quomodo te benedictum putas, cum per opus tuum te probes inter maledictos constitutum? aut si non inter maledictos es, cur Moysem spernis dicentem? *Si autem inveniatur in te in una civitatum tuarum, quas Dominus Deus tuus dabit tibi, vir aut mulier qui fecerit malignum ante Dominum Deum tuum, transire in* [c] *testamentum ejus, et venientes servierint diis alienis, et adoraverint eos, aut soli, aut lunæ, aut omni, qui sunt in mundo de cœlo* (*Ib.* XVII, 2). Et infra: *Produces virum illum, aut mulierem illam, et lapidabitis eos in lapidibus, et morientur: in duobus testibus, aut in tribus morietur. Moriens, non morietur in uno teste; et manus testium erit super eum in primis ad occidendum illum, et manus totius plebis postremo: et tolles malignum ex vobis ipsis* (*Ibid.* 5). Si non es, Constanti, currens cum maledictis, cur non mandatis Dei servi paruisti Moysis? Cur cum ille dicat, duobus tribusve testibus etiam idololatram perire, tu nec quidem audientiam volueris præberi viro Deo dicato, eique negare fecisti audientiam, cui sis traditus a Deo? ei, inquam, cui si justa defendenti restiteris, morte mori jussus ore fueris Moysis? Ut enim judicia sacerdotis maneant inviolata, dicit sic: *Exsurgens ascendes in locum quemcumque* [d] *elegerit Dominus Deus tuus invocari nomen ejus ibi: et loquere* [e] *ad sacerdotes, levitas, aut ad judicem, quicumque factus fuerit in diebus illis: et requirentes nuntiabunt tibi judicium, et facies secundum omne præceptum quodcumque nuntiaverint tibi, qui sunt in loco illo, in quo elegit Dominus Deus tuus invocari nomen illius ibi, et observa te nimis: facies secundum omnia quæcumque constituerunt* [f] *tibi; secundum legem, et secundum judicium, quodcumque dixerint, facies: non declinabis a verbo, quodcumque nuntiaverint tibi, facies quodcumque indicaverint tibi, non declinabis dextra aut sinistra: et homo quicumque fecerit in superbia, ne audiat sacerdotes astantes officia exhibere in nomine Domini Dei, aut judicem, quicumque fuerit in diebus illis, morietur homo ille, et tolles malum de Israel, et omnis populus audiens timebit, et non impie aget ultra* (*Ibid.* 8). Sed dicis; istio in loco Deo devotissimus Moyses quomodo sacerdotum fecit mentionem, sic et judicis. Proba te super nos factum judicem, proba ad hoc te constitutum imperatorem, ut nos armis tuis ad omnem implendam voluntatem amici tui diaboli perduceres; cum probare non possis quia præceptum sit tibi, non solum non dominari episcopis, sed et ita eorum obedire statutis, ut si subvertere eorum decreta tentaveris, si fueris in superbia comprehensus, morte mori jussus sis. Quomodo dicere poteris, judicare te posse de episcopis, quibus nisi obedieris, jam, quantum apud Deum, mortis pœna fueris multatus? Cum hæc ita sint, tu qui es profanus, ad Dei domesticos, quare istam sumis in Dei sacerdotem auctoritatem? cum etiam ipsos judices Judæos, tunc quando in lege manebant Dei, ex genere habere permiserit suo. *Si enim*, inquit Moyses, *dixeris, Statuam supra me principem* [g], *quomodo et reliquæ gentes, quæ in circuitu meo: constituens constitues super te ipsum principem, quemcumque elegerit Dominus Deus tuus, ipsum de fratribus vestris constitues: non poteris constituere super te hominem alienigenam, quoniam non est frater vester* (*Ibid.* 14). Et subsequitur, cur noluerit alienigenam fieri principem, ne scilicet ad sectam suam traheret alios. Propterea dicit: *Ne* [h] *revocet nos in Ægyptum*

[a] Paulo superius dixit *in millibus*; hic ad Græc., εἰς χιλιάδας.

[b] Pro *custodi*; infinitivus pro imperativo. *Til.* Sabat. legit *custodite*; Græc. est φυλάξῃ; sed mendum esse existimo in Parisiensi nostra edit.

[c] *Transire testamentum*. Latin. propius ad Græc. παρελθεῖν τὴν διαθήκην.

[d] Sabat, *quocumque*.

[e] *Venies*. Latin ex Græco ἥξεις.

[f] *Constituerint* habet Sabat.

[g] Vers. Ant. *principes* cum Græco ms. Alex. Lucifer cum Græc. ms. Oxon. et edit. Ald. ac Complut. ἄρχοντα. Cæterum quædam alia variant in hoc textu.

[h] Omittitur hoc testimonium a Sabat.; inest tamen Græc. Septuag., quod parum differt a versione Lucif., μὴ ἀποστρέψῃ τὸν λαὸν εἰς Αἴγυπτον.

(*Ibid.* 16), hoc est, ad idolorum cultum; quasi dicat: Quis es tu, inquam, qui tibi usurpasti hanc auctoritatem, quam tibi Deus non tradidit, et si traderet, et inter [a] te esse permitteret, primo in loco Christianum te esse oportuerat, quia seclus esset alienigenam Dei servos judicare, inimicum religionis domesticos Dei. Deinde si fuisses Christianus, et te participem censuisset Deus sacerdotibus fieri ad gerendum [b] populum ejus, accipe qualem te esse præceperit in Deuteronomio. *Et erit cum sederit in principatu suo, scribe* [c] *hoc in libro ante sacerdotes et levitas, et erit cum ipso, et legetis eis omnes dies vitæ ejus, ut discant timere Dominum Deum tuum, custodire omnia mandata hæc, et justificationes has facere, ut non extollatur cor ejus a fratribus ejus, et non transgredintur a mandatis dextra aut sinistra, ut longiturni* B *temporis sit in principatu suo ipse et filii ejus cum ipso in filiis Israel* (*Ibid.* 18). Quid tu hujusmodi habes, nisi omnia contraria, nisi cuncta, quæ Dei impugnent domum? Primo es hæreticus, deinde persecutor Dei domesticorum; conatus es ac conaris ad Athanasium jugulandum, tamquam is homo, qui non memineris scriptum: *Si fuerit homo odiens proximum et insidiatur eum* [d], *et surrexerit in eum, et percusserit eum animo, et mortuus fuerit, et fugerit in unam civitatum harum, mittent seniores civitatis illius, et accipient eum inde, et tradent eum in manus exquirentium sanguinem, et morietur; non parces oculo tuo super eum, et mundabis sanguinem innocentis ex illis, et bene tibi erit* (*Ib.* XIX, 11). Et iterum: *Non manebit testis* [e] *unus in testificationem adversus hominem secundum omnem* C *iniquitatem, et secundum omne peccatum, quodcumque peccatur: in ore duorum testium aut trium stabit omnis sermo. Si autem steterit testis injustus adversus hominem, detrahens ei iniquitatem, stabunt duo homines, quibus est ipsis contradictio, ante Dominum et ante sacerdotem, et in conspectu judicis, quicumque fuerit in diebus illis: et interrogabunt diligenter judices, et ecce testis injustus testificatus est iniqua, resistens adversus fratrem suum, et facite ei, quemadmodum nequiter egit facere adversus fratrem suum, et auferes* [f] *iniquum ex vobis ipsis; et cæteri audientes timebunt, et non apponent amplius facere verbum malignum hoc in vobis. Non parces oculis tuis super eum, animam pro anima, oculo pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede* (*Ibid.* 15). Cum cernas hæc fieri, de te, homicida, D Deum statuisse dicas. Quæso, quid sit aliud dicere, *Damnate eum, quem scitis innocentem, facite contra Dei mandata*; nisi, *evellite corda, tollite vobismet sensus, ultro jugulate vestras animas, licet videntes quia fovea sit, fingite vos cæcos, præcipitesque vosmet date in æternam voraginem, mergite in eam foveam, a qua non vos eripi posse cernitis, vobis ipsis vitam auferte, sumite perpetuam mortem?* Quid est aliud dicere, *Fac quod Deus fieri prohibuit*, nisi, *estote inimici Deo, acquirite vobis diabolum amicum, date operam ne consequamini paradisum, ne denique regnum cœlorum quod vobis promisit si mandata ejus servaveritis, Deus: amate inferna, diligite stagnum ardentem, desiderate esse cum omnibus, qui sunt semper dantes pœnas, desiderate dici homines diaboli.* Hæc sunt præmia, quæ tua egregia conquirunt consilia, hæc illa optima quæ mortem pariunt sempiternam, hæc quæ demergunt [g] hominem cœlo jam proximum ad B inferna. Adhuc non sciebas scriptum, ut ad hæc nos rogares mala gerenda? *Non erit in sacco tuo pondus et pondus, majus aut minus: non erit in domo tua mensura et mensura major et minor: pondus verum et justum erit tibi, et mensura vera et justa erit tibi, ut multorum dierum sis, et bene tibi sit super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi in* [h] *sorte, quoniam abominabilis est Domino Deo tuo omnis qui facit hæc, omnis qui facit iniqua* (*Ibid.* XXV, 13). Pondera integra, et mensuras justas qui non servaverit, abominabilem [i] eum esse cum sacris referatur litteris, credo nos acceptissimos tunc fore putasti, si injuste in eum protulissemus judicium. Moyses, *Maledictus*, inquit, *qui transfert terminos proximi*: proximi evellere et de loco transferre in locum prohibemur terminos; et tu, *Egredimini*, dicis, *Dei sacerdotes, terminos justitiæ* (*Ib.* XXVII, 17). *Maledictus*, inquit Spiritus sanctus ore Moysi, *quicumque declinaverit judicium advenæ, orphani, et viduæ*; et tu ludos tibi præbens de nostro sanguine, dixisti: *Punite eum quem ignoratis deliquisse* (*Ibid.* 19). Nolnimus, Constanti, esse tecum maledicti; te magis cupientes sumus nobiscum benedictum in sancta inveniri Ecclesia. Non tuam audimus vocem, quæ nos Dei incurrere offensam provocat; sed audimus vocem Moysis servi Domini dicentis: *Et erit, si non audieritis* [j] *vocem Domini Dei vestri, custodire et facere omnia mandata ejus, quæcumque ego mandabo tibi hodie, et venient super te omnes maledictiones hæ, et invenient te. Maledictus tu in civitate, maledictus tu in agro, maledictæ apothecæ tuæ, et quæ sunt reliqua tua, et maledicti* D *filii tui ventris, et nascentia terræ tuæ, armenta boum tuorum, et greges ovium tuarum, maledictus tu in gressu tuo. Mittet tibi Dominus tædium et thlipsen* [k], *et anxietatem in omnia quæcumque immiseris manum*

[a] Id est, *apud te esse, in tua potestate, atque arbitrio; penes te.* Dura est, ac rudis admodum locutio, qua sæpissime utitur. Til. *In te.* Latin.

[b] *Regendum.* Latin. Id est *ad regendum, ac gubernandum populum ejus*; ubi *gerere* pro *gubernare et regere* usurpat: vel forte reponi debet *regendum*, quod immutatum est librarii vitio. *Til. et La Cerda.*

[c] Apud Sabat. *Scribet .... et leget eum omnibus diebus vitæ suæ, ut discat timere Dominum Deum suum .... a fratribus suis*, etc., omnino ferme cum Græco.

[d] *Ei.* Til. et La Cerda.

[e] Deest *testis* apud Sabat. sed Græc. μάρτυς εἷς.

[f] Sabat. legit *auferetis.* Græc. est ἐξαρεῖς, *auferes*, ut in nostra edit.

[g] *Demergant.* Vatic.

[h] *In sortem*, apud Sabat.

[i] *Abominabilis cum esse sacris referatur litteris.* Vatic.

[j] *Audieris .... Dei tui* apud Sabat. et *ut custodias et facias.* Græc. in mss. Alex. et Oxon. φυλάσσειν καὶ ποιεῖν.

[k] Thlipsen, *afflictionem*, a Græco θλῖψις; unde facile intelligitur, eos vulgo sic locutos, et plerumque græcizare; in insula enim, in qua Lucifer moraba-

tuam, quæcumque facies, quoadusque disperdat te in brevi propter nequitiam studiorum tuorum (*Ib.* XXVIII, 15). Si non sunt mala studia falsa mittere crimina, persequi Dei cultores, Dei idololatriam introducere in Ecclesiam, manu militari jugulare credentes in unicum Dei Filium, poterunt hæc maledicta non te ac tecum apprehendere currentes. Convocasti nos ad Dei sacerdotem jugulandum, ad eum interimendum, per quem te præcepta sua audire sanxerit Deus. *Et scripsit Moyses verba legis hujus in libro, et dedit eum sacerdotibus et levitis, qui tollunt arcam testamenti Domini, et presbyteriis* [a] *Israel. Et mandavit eis Moyses in illa die, dicens: Post septem annos in tempore anni remissionis in die festo scenopegiæ in cocundoomnem Israel apparere in conspectu Domini Dei tui, in loco quem elegerit, legetis hanc legem in conspectu Israel, in auribus eorum, convocatis in ecclesiam viris et mulieribus, et natis, et proselyto* [b], *qui fuerit in civitatibus vestris, ut audiant et discant timere Dominum Deum vestrum, et audiant facere omnia verba legis hujus: et filii eorum qui nesciunt, audientes discent Dominum Deum vestrum omnibus diebus, quibus ipsi vivunt super terram* (*Ib.* XXXI, 9). Persequeris eum, per quem te audire præceperit Dominus; agente eo in rebus humanis cohæreticum [c] tuum Georgium [d] mittis successorem, cum tametsi fuisset liberatus jam Athanasius et corpore [e], tibi non licuerit mittere, sed fuerit ac sit in Dei manu, quem fuisset dignatus populo suo antistitem instituere, per servos videlicet suos, hoc est, catholicos episcopos. Neque enim posset impleri virtus Spiritus sancti ad Dei gubernandum populum, nisi is, quem Deus allegisset [f], cuique manus per catholicos episcopos fuisset imposita, sicut defuncto Moyse, impletum Spiritu sancto invenimus successorem ejus Jesum Nave. Loquitur scriptura sancta dicens: *Et Jesus filius Nave impletus est spiritu intelligentiæ. Imposuerat enim Moyses manum super eum. Et audierunt eum filii Israel, et fecerunt secundum quod mandavit Dominus Moysi* (*Ib.* XXXIV, 9). Conspicis ordinationi Dei te obviam isse, contra Dei faciendo voluntatem, temet mucrone gladii tui jugulatum; siquidem non licuerit ordinari nisi fuisset defunctus Athanasius, et defuncto Athanasio, catholicus debuerit per catholicos ordinari episcopos. Loquitur sacra scriptura dixisse ad Jesum Nave Deum: *Moyses servus meus defunctus est: nunc itaque surgens, transi Jordanem tu, et omnis populus iste in terra quam ego dabo illis: omnem locum quemcumque ingressi fueritis vestigio pedum tuorum* [g], *vobis dabo illum, sicut dixeram Moysi; desertum et ante Libanum usque ad flumen Euphratem* [h] *et usque ad mare magnum, usque ad solis occasum, erunt fines termini vestri. Non resistet homo in conspectu tuo per omnes dies vitæ tuæ, et sicut eram cum Moyse, sic ero tecum et non derelinquam te, neque despiciam te* (*Jos.* I, 2). Numquid potest Deus esse cum inimico suo Georgio? numquid ei quem non ordinaverit, quem non elegerit, poterit esse propitius? Talis est Georgius, qualis fuerat Arius, quales qui sunt Valens [i] et Ursacius, vel ad quem me destinasti Germaniciensium, Adoxius [j]: neque enim possent nisi de spinis spinæ procedere. Hæc ita se habere ex actibus ipsius Georgii legens contestationes Alexandrinorum [k] poteris colligere; et quamvis tibi scleratum blasphemum illum esse placeat; neque enim aliter tibi esset amantissimus, nisi quia sit sceleratus: tamen hæc eo protulerim, ut eximiam [l] possis cernere operam tuam. Cum igitur non esse Deum cognoscas cum Georgio, sed esse [m] cum Athanasio, quem populo suo instituerit antistitem, cognoscere tandem poteris Dei te ordinationem fuisse conatum destruere, Deum te fuisse in Athanasio persecutum. Audis enim dicere Deum ad Moysis successorem: *Sicut eram cum Moyse, sic ero tecum, et non derelinquam te, neque despiciam te* (*Ibid.*, 5). Ecce alio loco: *Invalesce et viriliter age, custodire* [n] *et facere sicut præcepit tibi Moyses puer meus: et non declinabis ex illa dextra aut sinistra, ut intelligas in omnibus quæcumque agis: et non recedet liber legis hujus ex ore tuo, et meditaberis in eo die ac nocte, ut custodias facere universa quæ scripta sunt: tunc dirigam vias tuas, et tunc intelliges. Ecce præcepi tibi, invalesce et viriliter age: non est quod expavescas, neque timeas, quoniam tecum est Dominus Deus tuus in omni loco* (*Ibid.*, 7). Jam superest te, sive tu, sive Georgius quæ geritis, si sunt venientia ex Dei mandatis, probare. Audis enim promittere

tur, idioma Græcanicum usurpabant. *La Cerda.*

[a] *Presbyteris.* Vatic. et apud Sabat.

[b] Ita Græc. Sabat. *proselytis.*

[c] *Et coapostatam*, et in similibus vide compositionem ex Græco, et Latino; quod libellum hunc vulgari loquendi modo conscriptum declarat. *Til.*

[d] Georgius Cappadox a Constantio Imperatore in Ecclesiam Alexandrinam intrusus an. 356, pulso Athanasio, *per tempus quadragesimæ*, uti Athanasius testatur in Apologia de fuga sua. *Monstrosus Cappadox* appellatur a Nazianzeno in oratione de laudibus Athanasii, ubi scelestam ejus vitam describit.

[e] *Et corpore* Latin. demit. Videntur tamen retinenda hæc verba, ita ut legatur *e corpore*, et sensus sit, *tametsi Athanasius e corpore solutus jam obiisset*, etc.

[f] *Allegisset* dixit pro *elegisset*, seu *vocasset*, aut *ab eo allectus fuisset*: ubi dignoscitur perorum Episcoporum institutionis forma, et quod Principi non licet instituere Antistites, et de manus impositione. *Til.*

[g] *Vestrorum* legit Sabat.

[h] *Flumen magnum Euphratem.* Vatic. cum Græc. ἕως τοῦ ποταμοῦ μεγάλου, etc.

[i] Famosissimi Arianæ partis sectatores, Valens Mursæ, Ursacius Singiduni Episcopus.

[j] Is Eudoxius est, homo Arianus, Germaniciæ Antistes, ubi Lucifer aliquanto tempore exsulavit jussu Constantii. *Adoxium* appellat per antiphrasim, id est, *inglorium.*

[k] Litteras scilicet civium Alexandrinorum ad Constantium, quibus graviter de Georgii sceleribus conquesti sunt. Vide Baronium ad an. 356.

[l] Id est, *eximia atque egregia facta tua et opera.* Til.

[m] *Esse advertas.* Vatic.

[n] Pro *custodi et fac*, infinitivus pro imperativo, more Græcorum, quorum locutiones in talibus prorsus sequitur. *Til.* Ita Græc. φυλάσσεσθαι καὶ ποιεῖν; sed Sabat. legit, *custodi et fac.*

se Deum futurum cum successore Moysis, quomodo fuerit et cum Moyse, si modo quæ sunt in libro legis scripta servaverit. Si igitur ut hæc geras scriptum non inveneris, tuæ erit æquitatis tandem advertere vobiscum Arianis non esse Deum, sed illum in vobis mansitare, qui manserit et in Cain. Quæ te causa ad hæc, Constanti, impulit gerenda, ut potentia regni tui ad tantam perductus superbiam statuisses eum necandum, quem Deus sibi in sacerdotali honore elegerit? Non inveneras in primo Regnorum [a] libro scriptum? *Non* [b] *glorietur sapiens in sapientia sua, neque glorietur potens in virtute sua, neque glorietur dives in divitiis suis; sed in hoc glorietur, qui gloriatur, scire et intelligere Deum, et facere judicium et justitiam in medio terræ* (*Jer.* IX, 23). Cur hæc prætereiens, qui in omni tempore judicium justum facere debueras, injustitiam tecum etiam nos facere cogebas? Deponi per nos decreveras catholicum, firmari [c] vero hæreticum: sed quando istud sanæ fecissent mentis homines? si enim Heli sacerdos, quod filios in sacerdotii honore constituisset indignos, illa audit, quæ perpessus est a Domino; quid nos audire ac perpeti mereremur, si catholicum episcopum damnantes, et quidem inauditum, sineremus Georgium fieri Arianum Alexandrinis episcopum? *Et venit*, inquit, *homo Dei* [d], *et dixit: Hæc dicit Dominus: Manifeste ostendi me ad domum patris tui ex omnibus tribubus Israel mihi in sacerdotium, ut ascenderent ad sacrificium meum, et incenderent incensum, et tollerent ephod. Et dedi in domo* [e] *patris tui omnia frumenta filiorum Israel in escam. Et tu quare respexisti in incensum meum ac sacrificium meum improbo oculo, et honorificasti filios tuos plus quam me, ut benediceres eos a primordio in omnibus sacrificiis Israel coram me? Propter hoc hæc dicit Dominus* [f] *Israel: Dixi, domus tua, et domus patris tui transiet* [g] *coram me usque in æternum, et nunc non est. Sic dicit Dominus: Nequaquam mihi, non sic erit a me, quoniam qui honorificant me, honorificabo eos, et qui spernit me, ad nihilum redigetur. Et ecce dies veniunt, et disperdam* [h] *semen tuum, et semen patris tui, et non erit tibi senex in domo mea omnibus diebus, et virum disperdam* [i] *a sacrario meo, ut deficiant oculi ejus, et defluet anima ejus: et omnis quæ superaverit multitudo e domo tua decidet in gladio virorum. Et hoc tibi signum, quod veniet super duos filios tuos hos Ofni et Phinees: in uno die morientur ambo gladio* [j] *virorum* (I *Reg.* II, 27). Si hanc ille accepit increpationem pro filiis a Deo, qualem nos mereremur accipere pro te, Constanti? credo dictum fuisset nobis: *Plus honorificastis Constantium, quam me;* quomodo illi dictum est, quod plus honorificaverit filios, quam Deum. Qua, inquis, de re? quia si tua fecissemus præcepta, Domini inveniebamur sprevisse; quia Georgius sit, ut fuerint filii Heli, filius pestilentiæ, quem tu loco Dei hominis Athanasii collocandum per nos censueras. Deinde cum dicat Deus: *Qui* [k] *me honorificaverit, honorificabitur, et qui me spernit, ad nihilum redigetur* (*Ibid.*, 30); si tuam contra ipsius divina mandata prolatam vocem sacrilegam audiremus, honorificaveramus Deum? an si te nihil esse judicantes illius tantum sacris statutis parere niteremur? Interea tu gaude, quia sis exhonorans Deum. Audis enim ipsum dicentem, quod venturi sint ad nihilum omnes eum spernentes. An negabis te exhonorasse Dominum tollendo sacerdotes e plebibus, quos ordinavit ille? An negabis te exhonorasse Dominum, quando contra sancita ipsius coe-

[a] Ita hos libros vocabant veteres, et non *Regum*, ut videre est apud Tertullianum, Cyprianum, Augustinum, et alios antiquos *Til. et La Cerda.*

[b] Legitur hoc testimonium in Vulg. apud Jerem. IX, 23, sed exstat etiam in lib. I Reg. II, 10 apud Septuag.; idcirco minime memoria lapsus est Lucifer, ut Latinius autumat. Igitur quo legitur modo apud Septuag. vers. ant. ex ms. cod. S. Germani aliquantum differt a Luciferiana; habet enim, *Prudens in sua prudentia, et non . . . . . intelligere et cognoscere Dominum:* sed Græc. apud Theodor. ὁ σοφὸς ἐν τῇ σοφίᾳ αὐτοῦ, uti Lucifer, qui cum Cypr. lib. 3 testim. convenit. Sabatierius affert Luciferi versionem in Jerem. cap. IX, 23; legitque vers. 23: *et non glorietur fortis in fortitudine sua, nec*, etc. ut ipse Lucifer intra lib. 2 pro S. Athanasio; in v. autem 24, Vers. Ant. exhibet ex Cypr. lib. 3. testim. in qua hæc differunt a Lucif.: *Intelligere et nosse, quoniam ego sum Dominus, qui facio misericordiam, et judicium, et justitiam super terram.*

[c] Postquam Georgius Alexandrinam sedem vi occupavit, id egisse videtur Constantius, ut catholici episcopi ejus facinus comprobarent; sed restitit cum cæteris Lucifer; ideoque, hinc conjicimus, duriori exsilio multatum fuisse, et Eudoxio traditum Germaniciæ episcopo, et Catholicorum hosti infensissimo; qua propterea in urbe alterum exsilium perpessus sit.

[d] Vers. ant. *Ad Heli ..... Revelans revelatus sum ad domum patris tui, cum essent in terra Ægypti servi in domo Pharaonis. Et elegi domum patris tui ex omnibus sceptris Israel mihi sacerdotio fungi .... ad altare meum ..... et portarent*, etc. Verum ex Hieronymo in epist. ad Marcellam Luciferi versio supplenda omnino est ita, ut sensum efficiat: *et elegi domum patris tui ex omnibus tribubus Israel mihi in sacerdotium*, etc. *Tribubus* ex Græco apud alium Interpretem in Hexapl. ἐκ πασῶν τῶν φυλῶν.

[e] Vers. Ant. *domui .... omnia quæ sunt ignis filiorum ..... Et ut quid ..... et in sacrificium meum impudenti ..... et glorificasti ..... super me, benedicere primitias omnis sacrificii in Israel in conspectu meo?* Hebr. vero habet *honorasti*, uti Lucifer; et in Græco deest præpositio *in* nomini *Israel*, quod etiam Lucifer servat.

[f] Vers. ant. *Dominus Deus .... transibunt ....et nunc dicit Dominus: Nequaquam: sed glorificantes me glorificabo, et qui spernit me, spernetur.* In Græco *nequaquam mihi* cum Lucif. et διαλύσεται. *transibit.*

[g] Pro *transibit*, ut dicit *deleam* pro *delebo*. Til. et La Cerda.

[h] Vers. Ant. *exterminabo .... et semen domus patris tui ..... senior ..... Et virum exterminabo tibi ab altari meo ..... et defluat .... et omnis qui superaverit domus tuæ .... una die*, etc. Græc. πρεσβύτης, *senex*, et ἐν μιᾷ ἡμέρᾳ; uti Lucifer, *in uno die.*

[i] *Disperdam tibi.* Vatic. uti in Græco.

[j] *Gladio virorum* demit Latin., quæ verba desunt et in Græcis Bibliis et Latinis.

[k] Paulo supra idem Lucifer: *Qui honorificant me, honorificabo eos.*

geris sacerdotes ejus damnare absentem, inauditum, et quidem falsis criminibus per te ac tuos petitum? Non ergo [a] exhonorasti Deum, quando tuleris apostolicam atque evangelicam traditionem, et idololatriam, quam [b] Arius ædificaverit in corde, diabolus statueris ab hominibus cultoribus teneri Dei? Cum hæc ita sint, jam tuæ erit prudentiæ æstimare, quid tibi agendum expediat, utrum ne hic corrigens errores tuos, consecutus veniam tantorum scelerum, inter Dei inveniri statuas domesticos; an redactus ad nihilum, sicut promittit spernentibus se Dominus, incipias in perpetuum dare pœnas, quas dant hi quorum tenere delegeris itinera. Et ut plane videre possis, quæ te maneant pericula, propterea quod sis exhonorans divinitatem, accipe Samueli etiam quæ dicantur propter Heli filios: *Et dixit Dominus ad Samuel: ecce ego facio verba mea in Israel, et omnis qui audierit ea, tinnient utræque aures ejus, in illo die, quo suscitabo super Heli omnia quæ locutus sum in domo ejus, et consummabo quæ prædixi ei, quoniam ego ulciscor in domo ejus usque in æternum propter iniquitatem filiorum ejus, quam ego scio; quoniam contemnentes Dominum mala locuti sunt filii ejus, et non monuit eos neque castigavit. Et nunc sic juravi domui Heli, si propitiabitur iniquitas in domo Heli, in incenso, aut in sacrificiis in sempiternum* (I *Reg.* III, 11). Si hæc Heli sunt promissa propter delictum filiorum, quid tibi propter sacrilegium tuum? Si illi hæc in æternum sunt promissa, quid tibi agenti tanta? Si filios Heli dixit Deus male locutos de se, quanto magis dicat te qui susceperis Arii blasphemiam ad impugnandam scilicet fidem, quam patriarchæ, prophetæ, apostoli, et omnes tenuerunt martyres! Rogamus te inter hæc gerere factorum tuorum pœnitentiam, considerans saltem quæ filiis Heli exhonorantibus Deum acciderint. *Heli* (*Ibid.*, 21), inquit scriptura, *senex erat valde, et filii ejus eunles ubierant, et erat maligna via eorum coram Domino. Et factum est in diebus illis, et convenerunt alienigenæ in pugnam ad Israel* (I *Reg.* IV, 1). Et infra: *Et inclinavit pugna, et cecidit vir Israel coram alienigenis, et vulnerati sunt in acie in campo, quatuor millia hominum: et venit populus in castra, et dixerunt majores natu Israel: Propter quid deficere fecit nos hodie Dominus coram alienigenis? Tollamus igitur arcam Domini Dei nostri ex Selon, et exeat in medio nostrum, et liberabit nos de manibus inimicorum nostrorum. Et misit populus ad Selon, et sustulerunt inde arcam Domini, ubi sedebat Cherubin: et ambo filii Heli cum arca Dei ibant, Ofni* [c] *et Phinees* (*Ibid.*, 2). Et infra: *Expugnaverunt illos, et defecit vir Israel a conspectu alienigenarum, et fugit unusquisque in tabernaculum suum, et facta est plaga magna valde, et ceciderunt ex Israel triginta millia virorum: et arca Dei capta est, et ambo filii Heli mortui sunt* (*Ibid.*, 10). Et infra: *Et vir properans accessit ad Heli, dixitque ei: Ego sum qui veni de castris fugiens de prælio hodie. Et dixit Heli: Qui sermo factus est, filiole? Et respondit vir* [d], *et dixit: Fugit vir Israel a facie alienigenarum, et facta est plaga magna in populo, et ambo filii tui mortui sunt, et arca Dei capta est. Et factum est cum audisset, Arca Dei capta est, cecidit supinus de sella juxta portam, et* [e] *contribulatum est dorsum ejus, et mortuus est; quoniam senex erat et gravis homo, et ipse judicabat in Israel viginti annis* (*Ibid.*, 16). Si hæc mala Heli sacerdoti et judici Israelitarum uno die venerunt, propterea quod non, ut fuerat dignum, suos castigasset filios, quid tibi religionis Dei destructori cernis venturum, isto in loco probandum tibi censui. Quod enim ex Dei veniat voluntate, ut nos ejus servi subjiciamur vobis persecutoribus nostris, dixisse te non negabis: *Nisi nostra fides, hoc est, hæc, quæ dicitur a Lucifero Ariana, fuisset catholica, numquam in omnes plebes accepissem potestatem.* Si ita est, potuit et illorum allophilorum, qui arcam ceperant Dei, quisquam fuisse melior, quam est Dei cultor. Utique tu dicis fidem tuam, quam nos novimus hæreticam, hoc tibi præstitisse: sed et Maxentius, Nero, et cuncti illi persecutores domus Dei dixerunt deorum suorum potentia fuisse factum, ut Christiani sub illorum ditionem veniremus. Percurre quæ acciderint illis, qui arcam se Dei cœpisse lætabantur, qui virtute deorum suorum vicisse se Israelitas dicebant, et invenies unum te ex illis qui Dei fuerint domum persecuti. *Et alienigenæ abstulerunt arcam Dei ex Abenezer, et intulerunt illam in Azotum; et sustulerunt alienigenæ arcam, et intulerunt illam in domum Dagon, et collocaverunt illam juxta Dagon: et mane vigilaverunt Azoti, et intraverunt in domum Dagon, et viderunt: et ecce Dagon cecidit in faciem suam ante arcam Dei; et sustulerunt Dagon: et statuerunt in locum suum. Et gravata est manus Domini super Azotos, et cruciabat illos, et percussit illos in domibus eorum, in Azotum, et regiones ejus. Et factum est, cum ante lucem vigilassent, et Dagon ceciderat in faciem ante arcam testamenti Domini; et caput Dagon, et ambo vestigia manus ejus ablata erant per partes centum, et ambo articuli manus illius ceciderunt in limen* (I *Reg.* V, 1). Et infra: *Et gravata est manus Domini super Azotum, et induxit illis mures, et facta est confusio mortis magna in civitate: et viderunt viri Azoti, quoniam sic est, et dixerunt: Quoniam non sedebit arca Domini Dei Israel nobiscum: Quoniam dura est manus illius super nos, et super Dagon deum nostrum. Et mittunt, et convocant reliquos* [f] *alienigenarum ad se, et dicunt, quid faciemus de arca Dei Israel? et dixerunt Gethæi: Transeat arca Dei Israel*

[a] Pro *nonne*, suo more. *Til.*

[b] *Quam Arii ædificaverit in corde diabolus*, aut, *in corde diabolus statuerit*; aut, *quam Arius ædificaverit in corde, tu diabolus*, etc. Latin.

[c] *Ophne* apud Sabat.

[d] *Vir* abest a Sabat.

[e] Id est, *confractum est, atque contusum ex lapsu.* Til. et La Cerda.

[f] Mendose *reliquos*, uti Nobilius, et Sabat. animadvertunt; corrigendum itaque *regulos*, in Græco σατράπας, et paulo inferius idem Lucifer repetit *regulos*.

in Geth. Et factum est, postquam translata est arca Dei, facta [a] *manus Domini in civitate, et est facta turbatio magna valde : et percussit viros civitatis a minimo usque ad maximum, et ebullivit illis mures in sedibus, et fecerunt sibi Gethæi sedes pelliceas, et miserunt arcam Dei in Ascalonem. Et factum est, ut intravit arca Dei Israel in Ascalonem, exclamaverunt Ascalonenses dicentes : Ut quid misistis arcam Dei Israel ad nos, ut morti tradat nos, et populum nostrum ? et mittunt et convocant regulos alienigenarum, et dixerunt : Remittite* [b] *arcam Dei Israel, et reducatur in locum suum, et non morti dabit nos, et populum nostrum : quia acta est confusio gravis in civitate tota, graris valde, ut intravit arca Dei : et qui vivebant, et non sunt mortui, percussi sunt sedibus suis : et ascendit clamor civitatum usque ad cælum* (*Ibid.*, 6). Vides, Constanti, quomodo sinat Deus noster humiliatam videri religionem suam a vobis alienigenis, et eo quidem usque humiliatam, donec etiam vos, persecutores veræ religionis, videatis non esse Deum alium præter Deum nostrum. Sed ut iterum ad Athanasii redeam causam ; numquid non sciebas scriptum in Regnorum libro primo : *Et Samuel judicabat populum Israel in omnibus sanctificationibus* (*Ibid.*, VII, 16) ; ut imperandum putares per Domini sacerdotes fuisse damnandum innocentem ? Legisti Samuel, quod in omni sanctificatione judicarit populum Dei ; et quia nolumus ab hac recedere justa via judicandi, perpetimur persecutionem a te. At hoc non novum, quando Saul persecutus fuerit justum Samuelem, cur [c] ei vera dixerit, equidem eum per quem fuerit in regem unctus, per quem eum Dominus ad tantam provexerat gloriam. Persequebatur Saul Domini prophetam atque sacerdotem, quia non compos fuerat mentis : Saul alioquin quomodo sospes persequereretur eum, quem sciret Dei ministrum, Dei spiritu plenum ? persequebatur eum, quem jugiter propter persecutoris ignorabat ingemuisse salutem. Loquitur in libro primo Regnorum scriptura dixisse Dominum ad Samuel : *Usquequo luges tu in Saul ? ecce expello* [d] *illum, ne regnet super Israel : imple cornu tuum oleo, et veni, mittam te in domo Jesse usque in Bethlehem, quoniam vidi in filiis Jesse mihi in regem. Et dixit Samuel : Quomodo ibo, ne audiat Saul, et occidat me* (*Ib.* XVI, 1) ? Eum quærebat consumere, quem jam multis meminerat modis Dei esse hominem : homo Dei veniam persecutori poscendo non desistit, contra pestilentiæ factus filius ejus auferre animam quærit : eo etenim usque persecutor exstitit Samuelis Domini sacerdotis Saul, ut dixerit Domino dicenti sibi : *Veni, mittam te : Et quomodo ibo ? audiet Saul, et occidet me* (*Ibid.*). Conspicis, Constanti, recedentibus vobis a Deo non vos homines, sed feras, sed belluas, atque latrones æstimari. Aut numquid in hoc, quod Athanasium injuste persequeris, non eris Sauli comparandus ? quando sis ita jugulare cupiens innocentem Athanasium, quomodo et ille fuerit interficere desiderans, non solum Samuelem, sed et David. Eos Saul nempe interficere minabatur, cum quibus cognoscebat esse Deum. *Et vidit*, inquit scriptura, *Saul, quoniam Dominus cum David est, et omnis Israel diligebat eum : et magis adjecit Saul timere a facie David* (*Ib.*, XVIII, 28). *Et locutus est Saul ad Jonathan filium suum, et ad omnes pueros suos, occidere David* (*Ib.*, XIX, 1). Responde, imperator impudentissime ; si hæc gerere potest Dei habens spiritum. Quo Saul cœpit hæc gerere tempore ? nempe quo per Samuel maledictus reprobatus est, eodem etenim tempore scriptum est recessisse Dominum ab eo, cum David vero fuisse. Quibus rebus probatur vos esse Arianos sine spiritu Dei, qui persequimini Athanasium virum plenum Spiritu sancto. *Et erat*, inquit, *David in omnibus viis suis sapiens, et Dominus erat cum illo, et omnis Israel et Juda diligebant David* (*Ib.*, XVIII, 34). Igitur ut ea te agere possis cognoscere circa Athanasium, quæ egerit Saul circa David, accipe scriptum : *Et Jonatha filius Saul diligebat David valde, et indicavit Jonatha David dicens : Saul quærit occidere te* (*Ib.* XIX, 1). Et infra : *Et locutus est Jonatha ad patrem suum dicens : Noli peccare, rex, in servum tuum David, quoniam non peccavit in te, et facta ejus bona sunt valde, et posuit animam suam in manibus suis, et occidit alienigenam, et fecit Dominus salutem in Israel ; et omnis Israel viderunt, et gavisi sunt. Et ut quid peccas in sanguinem, et occidere vis David sine causa ? Et audivit Saul vocem Jonathæ filii sui : et juravit Saul dicens : Vivit Dominus, si morluus fuerit David* (*Ibid.*, 4). Et infra : *Et adjectum est bellum fieri, et invaluit David, et expugnavit alienigenas, et percussit illos plaga magna, et fugerunt a facie David. Et factus est in Saul spiritus malus, et ipse in domo sua dormiebat* [e], *et erat in manu ejus lancea, et ecce psallebat in manibus suis : et quærebat Saul percutere lancea David, et percussit, et declinavit David a facie Saul : et percussit lancea in parietem, et David fugit, et salvus factus est. Et factum est in illa nocte, et misit Saul nuncios ad domum David, ut custodirent illum, quo mane occideret illum* (*Ibid.*, 8). *Et David fugit, et salvus factus est : et venit ad Samuel in Armathen, et renunciavit ei omnia quæ fecit Saul* (*Ibid.*, 18). Et infra : *Et factus est iratus in Jonathon Saul valde* (*Ibid.*, XX, 30). Et infra : *Et dixit : Mitte hæc, accipe juvenem, quoniam filius mortis est. Et respondit Jonatha patri suo : Quare morietur, quid fecit ? et sustulit Saul lanceam in Jonathan ut occideret eum* (*Ibid.*, 31). Cui parceret Saul, vera sibi dicenti, quando nec filio pepercerit ? sic estis prætereuntes

[a] *Facta est*, Latin.

[b] Sabat, *remitte*. Græc. in plurali, sed alio verbo ἐξαποστείλατε, *emittite*.

[c] Pro *quia*, et aliquando pro *cum*, ut suo loco dicetur. *Til.* et La Cerda. Et *quia* pro *cur* : *si justum non est, quia cogis facere nos eam rem*, etc. La Cerda.

[d] Apud. Sabat. *ego expello*, ut in lib. *de Regibus apostaticis*. Vide sup. pag. 33, ubi quædam alia variant in hoc textu.

[e] *Sedebat*. Latin. cum Græco et Vulg.

Dei mandata, atque vestra statuentes. Denique non miramur, si quia dicitur, *non potest damnari absens*, Domini persequaris sacerdotes; quando videamus sic fuisse Deo famulantes persecutum Saul. Loquitur scriptura dicens : *Et dixit rex : Morte morieris, Abimelech, et tu, et omnis domus patris tui* (*Ib.*, XXII, 16). Et infra : *Et dixit rex cursoribus, et stantibus sibi : Adducite, et occidite sacerdotes Domini, quoniam manus eorum cum David est, quoniam cognoverant quod David fugeret, et non* [a] *decooperuerunt aurem meam. Et noluerunt pueri regis ingerere manus suas adversus sacerdotes Domini* (*Ibid.* 17). Quid dicis, æquissime rex ? si illi regis pueri nolnisse referuntur obedire imperio regis, si illi contempsisse monstrantur præcepta Saul, ne contra Dei fecissent mandata, nos episcopos fucrat dignum Domini calcantes præcepta, implere tua sacrilegi homicidæ ? Idcirco ergo nos dignaris persequi, quia non Domini mandatis tua anteponamus. Hæc fecit et Saul, quæ ita esse probat sacra scriptura dicens : *Et dixit Saul ad Doeg : Converte te in obviam sacerdotibus Domini. Et conversus est Doeg Syrus, et mortificavit* [b] *ipse sacerdotes Domini, et occidit illa die trecentos quinque viros, et omnes portantes ephod, et Oben* [c] *civitatem sacerdotum occidit in ore gladii a viro usque ad mulierem, et ab infante usque ad nutrientem* (*Ibid.*, 18). Simili nunc modo conatus es, atque conaris eorum laniare corpora, quos videas præceptorum Dei memores tuo reniti præcepto. Non itaque mirari poterimus, si tu nos persequaris; quando videamus Saul, quod non servum Domini David in manus tradiderint ejus, non solum trecentos quinque sacerdotes, sed et totam perdidisse civitatem. Persequebatur Saul David, eum, in cujus ditione [d] cum fuerit, sæpe tamen ei ignoverit. *Et factum*, dicit scriptura, *cum reversus esset Saul post alienigenas, et renuntiaverunt ei dicentes : Ecce David in deserto Gaddi est. Et sumpsit secum tria millia virorum electorum ex omni Israel, et abiit quærere David et viros ejus ante faciem venationis cervorum : et venit ad greges ovium, quæ* [e] *erant ad viam, et erat ibi spelunca, et introivit Saul ad sellam, et David et pueri ejus interius speluncæ sedebant. Et dixerunt viri David ad eum : Ecce dies hic quem dixit* [f] *Dominus : Tibi dabo inimicum tuum in manibus tuis, et facies ei quæ placita sunt ante oculos tuos. Et exsurrexit David, et dempsit pinnam* [g] *chlamydis Saul occulte. Et factum est post hæc, et percussit cor David eo quod dempsisset pinnam chlamydis : et dixit David ad pueros suos : Non mihi contingat a Domino si fecero hoc verbum domino meo, christo Domini, inferre manum meam in eum, quia christus Domini hic est. Et suasit David viros suos verbis, et non permisit illis, ut surgentes occiderent Saul : et surrexit Saul, et descendit in viam, et exiit David post Saul dicens : Domine rex. Et respexit Saul post ac, et inclinavit se David in faciem suam super terram, et adoravit eum, et dixit David ad Saul : Quare audis verba populi dicentium : Ecce David quærit animam tuam ? et ecce in hac die viderunt oculi tui, quomodo tradidit te Dominus hodie in manibus meis in spelæo* [h], *et nolui te occidere, et peperci tibi, et dixi : Non injiciam manum meam in dominum meum, quoniam christus Domini est : qui accepi pinnam chlamydis tuæ in manu mea, et ego abscidi laciniam chlamydis tuæ, et non occidi te. Cognosce et vide hodie quoniam non est in manu mea malitia, neque injustitia, et non peccavi in te, et tu quæris animam meam accipere. Judicet Dominus inter me et te, et vindicabit me de te, manus autem mea non erit in te. Sicut dicitur parabola antiqua, ex iniquis exiet nequitia : manus autem mea non erit in te. Retro quem tu persequeris? canem mortuum, et retro pulicem unum. Fiat Dominus in judicem et in vindicem inter me et inter te : videat Dominus et judicet judicium meum, et justificet me ex manu tua* (*Ibid.* XXIV, 2). Talis mos est Dei cultoribus, ut totum reservent Deo, scientes esse magnum vindicari ab eo. Interea, sicuti superius dixi, vide Saul, ubi compos mentis est, quæ dicat : ut ubi impos efficitur, quomodo sitiens sit David justi et innocentis sanguinem : *Et factum est*, inquit, *cum consummasset David verba hæc, loquens ad Saul, dixit Saul : Vox tua hæc, fili David? et exclamavit Saul et ploravit, et dixit ad David : Justus,* [i] *es tu quam ego, quoniam tu reddidisti mihi bona, ego autem tribui mala tibi : et renuntiasti mihi hodie quæ fecisti mihi bona, sicut concludit me Dominus in manibus tuis, et non occidisti me : et sicut invenit quis amicum suum, et præmittat eum in viam bonam, et Dominus retribuat tibi bona, pro quibus fecisti mihi hodie : et nunc ecce ego scio quoniam regnando* [j] *regnabis, et constituetur in manu tua regnum Israel, et*

[a] *Non* abest a lect. Sabat.

[b] Id est, *morti tradidit, morte mulctavit*, et *interfecit*, quemadmodum ipse postea explicat linea sequenti, *et occidit illa die trecentos quinque viros* : unde nomen *mortificationis*, quo inferius utitur; *quoniam filii mortificationis estis*, id est, *estis filii mortis; digni* videlicet, *quibus mors inferatur*, *quia Dominum vestrum Christum Domini non custodivistis*. Til. et La Cerda.

[c] Hujusmodi propria nomina ut hic a nostris bibliis sunt vere omnia diversa, ita etiam in sequentibus non concordant, ut facile inde videre sit longe aliam vulgarem tunc temporis ipsos a nobis habuisse versionem, quæ emendata postea fuerit. *Iidem.*

[d] Pro *potestate*. Iid.

[e] Ita habetur in vetusto exemplari. cum dicendum fuisset *qui*. Til.

[f] Sic interpungit Sabat. *Dixit Dominus tibi : Dabo*, etc. Gr. Compl. Ἰδοὺ ἐγὼ δίδωμι, quod nostræ lectioni respondet.

[g] Id est, *ademit occulte, et clam abstulit oram chlamydis Saul*. Ubi dignoscitur summa bonitas ipsius Davidis, qui, cum Saul interficere posset, tamen ei pepercerit. *Til. et La Cerda.*

[h] Id est, *in spelunca, in loco abdito et concavo*. Sic sæpe numero dictiones integras Græcas usurpat Latinis eas immiscens, ut ante dixit, *thlipsen*, θλῖψιν, pro *afflictione* : unde facile intelligere est tunc temporis sic ipsos fuisse locutos : insulæ etiam illæ, in quarum una hic auctor sedem suam habebat, atque in aula imperatoris græcizabant. *Til.*

[i] Græc. δίκαιος; apud Sabat. *justior*.

[j] *Regnando* omittitur a Sabat.; at est in Gr., βασιλεύων.

nunc jura tu mihi in Domino, si non eradicabis semen meum post me : et si non exterminabis nomen de domo patris mei. Et juravit David Saul (*Ibid.* 17). Post hæc utique debuerat jam mutari Saul ; sed adhuc nec iste desinit persequi, nec deficit parcere David. *Et surrexit*, dicit Scriptura, *Saul, et descendit in desertum opacum, et cum eo tria millia virorum electorum ex Israel quærere David* (*Ibid.* XXVI, 2). Et infra : *Et misit David explorutores, et cognovit quoniam venit Saul in Sicelet : et surrexit David occulte, et abiit in locum ubi dormiebat Saul, et Abner filius Ner princeps militiæ ejus : et Saul dormiebat in stragulis præclaris, et plebs erat circa eum. Et David dixit ad Amalech Cethæum, et Abessa filium Sarviæ fratrem Joab dicens : Quis introibit mecum in castris ad Saul ? et dixit Abessa ad David : Ego ibo tecum. Et intraverunt David et Abessa ad populum nocte, et ecce Saul dormiebat in stragulis pretiosis, et lancea fixa ad caput ejus præclara, et Abner dormiebat circa eum. Et dixit Abessa ad David : Conclusit Dominus hodie inimicum tuum in manibus tuis : et nunc occidam de lancea semel in terram figens, et non repetam illam. Et dixit David ad Abessa : Non continges illum : quoniam quis injiciet manum suam in christum Domini, et purus erit ? Et dixit David : Vivit Dominus, quoniam nisi Dominus percusserit illum, aut nisi hora illius venerit, et moriatur, vel in pugnam descenderit et apponatur, mihi autem non sit a Domino injicere manum* [a] *in christum Domini : et nunc accipe lanceam, quæ est ad caput illius, et lentem aquæ, et recedamus nos. Et accepit David lanceam, et lentem aquæ a capite ejus, et abierunt ipsi : et non erat qui videret, neque qui sciret, et non erat qui vigilaret : omnes enim dormiebant, quoniam timor Domini irruerat in illos : et transivit David contra, et stetit in cacumine montis longe, et erat magnum iter inter eos : et deprecatus est David populum, et Abner, et locutus est dicens : Non respondis, Abner ? Et respondit Abner, et dixit : Quis es tu qui vocas me ? Quid est ? Et dixit David ad Abner : Vir tu es ; et quis sicut tu in Israel ? quare non custodis dominum tuum regem ? quoniam intravit unus de populo disperdere dominum tuum regem. Non est bonum hoc quod fecisti : vivit Dominus quoniam filii mortificationis vos estis, qui non custodiistis* [b] *dominum regem vestrum, christum Domini : et nunc vide ubi est lancea regis, et lentis aquæ quæ erat ad caput ejus. Et cognovit rex Saul vocem David, et dixit : Vox tua hæc, fili David ? Servus tuus, domine rex. Et adjecit David : Ut quid hoc persequitur dominus meus retro servum suum ? quoniam quid deliqui, et quæ est a me malitia ? et nunc audiat dominus meus rex verba servi : Si* [c] *Dominus Deus tuus incutit te in meum dolorem, et victimam immolationis : quod si filii hominum, maledicti hi* [d] *in conspectu Domini, quoniam ejecerunt me hodie non confirmatum esse in testamentum Domini, dicentes : Vade, servi diis alienis. Et nunc non cadet sanguis meus in terram ante conspectum Domini,* A *quoniam exiit rex Israel quærere pulicem unum, sicut persequitur noctua in montibus. Et dixit Saul : Peccavi ; converte, fili David, quoniam non molignabor in te jam, ideo quoniam anima mea accepta est ante oculos tuos in diem hunc, in quo stultus factus sum, et ignoravi multa vehementer. Et respondit David dicens : Ecce lancea regis : accedat unus ex pueris et accipiat eam. Et Dominus restituat unicuique justitias, et fidem suam, sicut tradidit te hodie in manibus meis, et nolui injicere manum meam in christum Domini. Ecce sicut exaltavit se anima tua in diem hunc ante oculos meos, sic significetur anima mea in conspectu Domini, et abripiat me, et eruat me ex omnibus tribulationibus. Et dixit Saul ad David : Benedictus tu, fili, et faciens, et potens poteris.* (*Ibid.*, 4) Hæc idcirco indidi, ut tandem posses conjicere, sic te, sive Athanasium, sive nos injuste persequi, sic te famulari in tuæ salutis necem, sic tibimet mortis apud divinitatem contrahere pericula, ut sibi per hæc quæ egerit contraxerit Saul. Si hæc non ita sunt, dic cur nos persequaris ? nempe quia non fundamus sanguinem innocentem. Quem vis imitemur, tene, aut David ? de David enim scriptum invenio : *Et David regnavit in Israel, et erat faciens judicium et justitiam in toto populo suo* (II *Reg.* VIII, 15) : te vero esse cernimus injustum judicem, cultorum Dei interfectorem. Cur nos persequeris ? nempe quia noluerimus, ut tu es, fieri apostatæ, quia noluerimus unicum Dei negare Filium. David liber et Trinitatem loquitur perfectam, et unam narrat deitatem Patris et Filii et Spiritus sancti ; et tu esse inveniris apostata. Quem, inquam, sequar, tene, an David ? illumne cultorem Domini, misericordiæ amatorem ; an te sacrilegum, carnificem ? cujus sapientiæ homo persequeris Athanasium ? Mirarer te hæc agere, si non et Achab rex sic Heliam et cæteros Domini prophetas fuisset persecutus : mirarer te persequi Dei hominem, si non in omnibus te Achab esse cernerem. Denique talia tibi dicuntur a nobis, qualia et illi a Dei dicta sint domesticis : *Noli Baal colere, noli idolis servire, sed Deo ; servi Deo Abrahæ, Deo Isaac, Deo Jacob, servi Deo Israel.* Si talia meministi dixisse Heliam et cæteros prophetas Domini ad Achab apostatam regem, adverte similia tibi ab eis, quibus docendi dederit auctoritatem Dominus, dici. Noli, Constanti, cum Arianis pugnare contra Dei domum, noli idololatriam Arii introducere in ecclesiam, noli negare unicum Filium Dei, desine persequi apostolicam atque evangelicam fidem. Hæc quia dicamus, videmur esse tibi inimici : sic fuerunt regi vera sibi dicentes inimici. Percurramus denique quænam fuerint orta, quæ facta inter Heliam Domini prophetam et Achab tuum coapostatam ; et invenies te esse hodie Achab. *Virit*, inquit Helias, *Dominus, cui assisto ante conspectum, si erit annis istis ros et pluvia, nisi per verbum oris mei* (III *Reg.* XVII, 1). Quod utique cum impletum fuisset, debuerat vecors cognoscere verum Deum solum potentem

[a] *Manum meam.* Vatic. ut in Græco.
[b] *Custodistis.* Vatic.
[c] *Si Dominus Deus tuus incutit te, in me odoretur victimam.* Latin. ex Vulg. et Græco. *Dominus Deus incutit.* Vatic. omisso *tuus*, ut in Græco.
[d] Οὗτοι, Græc. quod omittitur a Sabat.

totum non fuisse, nisi illum, cui serviret Helias. Quid agit Achab? Videt per triennium et eo amplius non esse pluviam, et magis est idolis serviens, magis est cupiens interficere Heliam. Audit Dei prophetæ ore sacrilegi Achab : *Si* [a] *tu es ipse, qui evertis Israel* (III *Reg.* XVIII, 17)? Sic et tu dicis Athanasio vel nobis, quod enim nos [b] sumus vertentes Dei populum, cum tu sis ad tuam suscipiendam hæresim Christianos convocans : sed audis a nobis quæ audiit Achab ille cultor idololatriæ ab Helia glorioso : *Non nos evertimus Dei domum, sed evertis tu et domus patris tui.* Aut negabis nihil te cogitare, nisi ut omnes nos conpostatas efficias tuos? Sed ut cœperam de Heliæ et Achab dicere actibus : *Et dixit Helias : Ego non verto Israel, sed evertis tu et domus patris tui, dum relinquitis vos Dominum Deum nostrum, et itis post Baal. Et nunc mitte, et congrega ad me omnem Israel in montem Carmeli, et prophetas confusionis quadringentos quinquaginta, et prophetas lucorum quadringentos, manducantes et bibentes in mensa Jezabel. Et misit rex Achab ad omnem Israel, et collegit omnes prophetas in montem Carmeli : et accessit Helias ad omnes, et dixit eis : Usquequo vos claudicatis sensu vestro? si est Dominus Deus, ite post ipsum. Si autem Baal est, ite post illum. Et non respondit illi populus verbum : et dixit Helias ad populum dicens : Ego superavi* [c] *solus* [d] *prophetarum Domini unus, et prophetæ hujus Baal quadringenti quinquaginta viri, et prophetæ lucorum quadringenti; dentur ergo nobis duo boves, et eligant sibi illi unum, et demembrent, et imponant eum super lignum, et ignem non supponant; et ego faciam bovem alterum, et ignem non supponam. Et clamate in nomine deorum vestrorum et ego clamabo in nomine Dei mei, et erit hic Deus quicumque exaudierit nos in igne, hic erit Deus. Et respondit omnis populus, et dixerunt : Bonum verbum quod locutus est Helias. Et dixit Helias ad prophetas confusionis : Eligite vobis vitulum unum et facite priores, quoniam vos multi estis, et clamate in nomine deorum vestrorum, et ignem nolite supponere. Et acceperunt vitulum, et fecerunt; et invocabant in nomine Baal a mane usque ad vesperam, et dicebant : Exaudi nos, Baal, exaudi nos. Et non fuit istis vox neque auditio : Et apposuit Helias Thesbites dicens : Invocate in voce magna pariter, ne forte occupatus sit, vel dormiat ipse, et suscitabitur. Et illum vocabant in voce magna, et secabant se secundum consuetudinem suam gladiis et novaculis usque ad effusionem sanguinis super se, et prophetabant usque dum transiret meridies; et factum est quomodo* [e] *tempus erat ut accenderet* [f] *sacrificium, et locutus est Helias Thesbites ad prophetas dicens : Discedite amodo, et ego faciam holocaustomata. Et discesserunt et abierunt; et dixit Helias ad populum : Accedite ad me. Et accesserunt omnes populi ad eum, et accepit Helias duodecim lapides secundum numerum tribus Israel, sicut locutus est Dominus ad eum dicens : Israel erit nomen tuum. Et ædificavit lapides, et restituit altare Domini quod dissipatum fuerat, et fecit foveam, quæ caperet duas metretas seminis in gyro altaris et constipavit scizas* [g] *super altare quod fecit, et demembravit holocaustum, et imposuit scizam, et stipavit super altare, et dixit : Accipite mihi quatuor hydrias aquæ, et effundite super holocaustum, et super scizam. Et dixit : Iterum afferte. Et iterum attulerunt. Et dixit : Repetite tertio. Et repetierunt tertio, et manabat aqua in circuitu sacrarii, et foveam impleverunt aqua. Et clamavit Helias in cœlum, et dixit : Dominus Deus Abraham, et Isaac, et Israel, exaudi me, Domine, exaudi me hodie in igne, ut sciant* [h] *omnis populus hic, quoniam tu es Dominus Deus Israel, et ego servus tuus, et propter te feci hæc opera, et tu versasti* [i] *cor populi hujus retro. Et cecidit ignis a Domino de cœlo, et comedit holocausta, et scizas, et aquam quæ erat in altare, et lapides et terram linxit ignis : et cecidit totus populus super faciem suam, et dixit : Vere Dominus Deus ipse est Deus. Et dixit Helias ad populum : Suscipite prophetas Baal, nemo sit salvus ex illis. Et susceperunt illos, et deduxit* [j] *illos Helias ad torrentem Cison, et occidit illos ibi; et dixit ad Achab : Manduca et bibe, quoniam vox est pedum pluviæ. Et ascendit Achab, ut manducaret et biberet : et Helias ascendit in Carmelum, et inclinavit se in terram, et posuit faciem suam inter genua, et dixit puero suo : Ascende et prospice viam maris. Et respexit puer, et dixit puer : Non* [k] *est nihil. Circumage te septies. Et factum est in septimo, et ecce nubis pusilla, quasi vestigium hominis adducens aquam de mari. Et dixit illi Helias : Ascende, et dic ad Achab : Junge currum tuum et ascende, ne comprehendat te pluvia. Et factum est hinc et inde, et cœlum contenebricavit* [l] *nubibus, et ventis, et facta est pluvia magna : et plorabat et ibat Achab*

[a] A Sabat. omissus versiculus, qui cum Græco optime cohæret.

[b] *Non sumus vertentes* dicit more Græcorum pro *non vertimus*, et *vertimus* pro *evertimus*; sicut ait paulo infra : *Nos non evertimus Dei domum, sed tu*; id est *non perturbamus Dei domum, non confundimus, neque delinquere facimus Dei populum, quemadmodum vos Ariani.* Deinde paulo inferius *vertere* usurpat pro *convertere*, sic inquiens : *Nec post tanta dignatur semel vertere ad Deum*, id est, *convertere ad Deum, et eum obsecrari, ut ipsi sit misericors.* Til. et la Cerda. Adverte tamen in ipso textu editum fuisse *nos sumus*, etc., quam locutionem retinemus, cum et interpunctionis et sententiæ ratio id postulet : error librarii forte irrepsit in notam Tilii, ubi *non* pro *nos* editum.

[c] Pro *supersum*, id est *solus inter Dei veros prophetas remansi et supersum, qui vos quadringentos falsos Baal prophetas vincam.* Til. et la Cerda.

[d] *Solus* demit Latin. Sed retinenda vox, quæ vim Græcæ dictionis μονώτατος egregie exprimit alteri voci *unus* conjuncta, quasi *unissimus* diceres.

[e] Pro *quando*. Til. et la Cerda.

[f] Sabat. *ascenderet* juxta Græc. ἀναβῆναι.

[g] Id est, *collegit schizas*, id est ligna quæ secuerat, et sciderat super altare. Nam σχίζειν *scindere* est vel *secare*, et σχίζα lignum sectum, et in particulas discissum. *Til. et la Cerda.*

[h] Cum Græco γνώτωσαν; *sciat* legitur a Sabat.

[i] Pro *avertisti*, ac si diceret, *Propter malitiam populi ejus eum retro a te avertisti*; quæ interpretatio ad versionem Hebraicam propius accedit. *Til.*

[j] *Deduxerunt.* Vatic.

[k] More Græco, pro *non est aliquid*, vel *non est quidquam.* Til. et la Cerda.

[l] Id est, *cœlum tenebrosum et obscurum factum est*, sicuti fit adveniente pluvia. *Ibid.*

in[a] *Israel, et manus Domini erat in Heliam* (III *Reg.* XVIII, 18). Cognoscis in qua perversitate hodie tu sis manens in qua manserit et Achab : de tantis etenim signis ac prodigiis exhibitis non dignatur gaudere cum populo, sed dolet, cur Helias sacerdotes ac prophetas idolorum fuerit ausus interficere : nec post tanta dignatur semet vertere ad Deum, sed magis adhuc ejus persequitur cultorem. Videt quia est Deus in Helia, et magis quærit ejus animam. Conspicit prophetas Baal et lucorum fuisse dæmoniorum cultores, et illos magis etiam exstinctos diligit, quam eum, quem tot modis adverterat Dei domesticum. Ita et tu eos dignaris diligere, quos hæresis Arianæ sectæ vides homines, et es Dei cultores quam acerrime persequens. Pauca de multis gestis inter Achab et Heliam idcirco duxi tibi ingerenda, ut possis noscere[b] vos, ex quo Deum derelinquitis, neque signis, neque prodigiis facile converti ad eum, sed magis in vestris durantes erroribus, ut bestias immanes sævire in gregem Dei cultorum. Deprecamur te, Constanti, ne adhuc in his tuis malis digneris demorari, sed magis emergas a turbinibus diaboli, ne illa comprehendant te mala, quæ Achab et Jezabel. Nec in eo dicas felicem te, quia potens sis ad Dei persequendos homines : quando videas potuisse ad petitum Heliæ exstingui Achab et Jezabel, et tamen fuerint reservati, ut plenius et Heliæ Dei hominis tolerantia fuisset beatificata et illorum impleta impietatis mensura : quasi vero non posset Helias petere Deum, ut arderent persecutores religionis ejus idolorum cultores. Ignem petit dari de cœlo ad sacrificia consumenda ; illico descendit pluvia, quæ triennio fuerat ablata et mensibus sex ; petit, et illico datur aqua, quamplurima signa fiunt ; et exstingui Dei inimici ad petitum Heliæ non potuerunt, cum etiam illos honoratos quinquagenarios ad Heliæ dictum descendens ignis consumpserit ? Vides hodie posse, quia persequaris Athanasium, vel nos te fulmine aut quolibet modo exstingui[c], sed reservari ad hoc, ut aut te convertas, aut omnis possit impleri iniquitatis tuæ mensura. Persequebatur Achab rex Heliam, ut tu persequeris nunc Athanasium. Dixit nempe Jezabel ad Domini prophetam, posteaquam comperisset per Heliam illas virtutes exhibitas, et prophetas confusionis atque religionum sacerdotes interfectos : *Hæc*[d] *mihi faciant dii et hæc mihi adaugeant, si non in hac hora cras posuero animam tuam, quemadmodum animam unius ex illis* (*Ibid.* XIX, 2). Sed quid audit Helias a Deo post quadraginta dierum ac noctium celebratum jejunium ? nempe ut ungeret reges, per quos Achab et socii exstinguerentur. Est cum Helia misericordia Dei, cognoscit Helias diligi se a Deo : contra Achab Heliæ persecutor ita est miser, ut in diaboli semper potestate fuerit. Sic Athanasium juste puniri mandasti quomodo et Jezabel Naburtheum * Israelitem : sic tu veros testes produxisti contra Athanasium, ut illi produxerunt ad quos scripserat Jezabel dicens : *Jejunate*[f] *jejunium, et sedeat Naburtheus in primo populo, et collocate duos viros filios iniquorum contra eum, et testentur adversus eum dicentes : Maledixisti Dominum et regem ; et deducite eum, et lapidetur, et moriatur* (*Ibid.* XXI, 9). Talia sunt opera nunc vestra Arianorum : reos nos dicitis, impingitis multa, nec testibus falsis egetis, ipsi enim testes in omnibus falsi estis. Sic vos filii perditionis Ariani interficere tentatis Athanasium, quomodo Naburtheum Jezabel ; tamquam possetis omnia conspicientis effugere manum. Scis vindicasse Deum sanguinem Naburthei, mortem ejus de manibus interfectorum exquisivisse ; et arbitraris ex tuis manibus non Deum exquisiturum sanguinem sacerdotis sui Athanasii ? *Et*[g] *dixit Dominus ad Heliam Thesbitem dicens : Surge et descende in obviam Achab regi Israel, qui est in Samaria, quia hic in vinea Naburthei descendit, ut possident eam. Et dices ad eum : Hæc dicit Dominus : Quomodo occidisti Naburtheum, et possedisti vineam ejus, propter hoc hæc dicit Dominus : In loco in quo linxerunt canes et sues sanguinem Naburthei, ibi lingent canes sanguinem tuum, et fornicariæ lavabunt in sanguine tuo. Et dixit Achab ad Heliam : Si invenisti me, inimicus*[h] *meus ? Et dixit Helias : Inveni, quoniam cogitasti facere maligne ante conspectum Domini, ut exacerbares eum. Hæc dicit Dominus : Ecce ego induco super te mala, et succendam post te ignem, et disperdam tuum*[i]*, Achab, mingentem ad parietem, et contemptum, et reliquum in Israel : et dabo domum tuam sicut domum Hieroboam filii Nabath, sicut domum Saba filii Acia, pro omnibus exacerbationibus, quibus exacerbasti, et peccatum dedisti in Israel. Et ad Jezabel locutus est Dominus dicens ; Canes manducabunt eam ante murum Israel*[j] *: et mortuos tuos in civitate manducabunt volucres cæli* (*Ibid.* 17). Quid tu, Constanti, dicis ad hæc ? minora astruis esse peccata tua, quam fuerunt Achab et Jezabel ? illi sacerdotes Dei sunt persecuti, interimerunt Dei domesticos, religionem Dei tulerunt, et idololatriam statuerunt, populum averterunt a Deo, et tu hæc omnia fecisti ac facis. Sic nos tu vocas inimicos tuos quomodo et Achab Heliam, qui cum audisset ore prophetæ Domini indignationem, dixerit : *Si invenisti me, inimicus Achab regi* (*Ibid.* 20) ? Nempe quia diceret : *Noli idolis servire, sed Deo soli Abrahæ,*

[a] *Jezrael.* Latin. et Sabat. uti Græc. et Vulg.

[b] Pro *cognoscere*, sive *nosse*. Tit.

[c] *Exstinguere* legendum videtur.

[d] Et hic versiculus a Sabat. prætermissus, qui a Græco aliquantum differt et ferme congruit cum Vulg.

[e] Pro *Noboth*. Ita et Josephus lib. 8. Antiq. cap. 13, ex tribus Codd. Vatic. Henneberg. et Busbequiano in edit. Havercampii.

[f] Vers. Ant. *Et constituite Nabuthe in principem populi, et constituite.... iniquitatis ex diversoejus, ut falsum testimonium perhibeant.... Benedixit Deum et regem : et producite illum et lapidate.* Lucifer aptius hæc cum Græco : Ἐν ἀρχῇ τοῦ λαοῦ, *in primo populo* ; παρανόμων, *iniquorum* ; καταμαρτυρησάτωσαν αὐτοῦ, *testentur adversus eum* ; et addit *moriatur*, ut Græc. καὶ ἀποθανέτω.

[g] Hunc versiculum, *Et dixit Dominus ad Heliam Thesbitem dicens*, omittit Sabat., qui cum Græco et Vulgata cohæret.

[h] Græc. ὁ ἐχθρός μου. Legit Sabat. *inimicum tibi.*

[i] Id est, *quidquid tuum est, usque mingentem*, etc.

[j] *Jezrael.* Vatic. cum Græco.

Isaac, et Israel : et nunc quia tibi dicatur : *Noli esse hæreticus, sed esto Christianus*, inimicos vocas, quod tibi idololatriam tradenti hæc ingerentur [a], quæ fuerint ingesta et per Heliam regi Achab ; qui Achab dilexisset profecto Heliam, si ejus idolis Domini propheta censuisset serviendum, derelinquendum vero Deum. Negare [b] tu id non potes, quod enim si esse elegissemus quod ipse es, fuisses nos singulari dilecturus affectu. Quibus rebus intelligeris esse filius pestilentiæ, tenebrarum fons, gurges omnium malorum, caput totius nequitiæ, sentina omnium blasphemorum, hæreticorum fomes, radix amaritudinis ; arbos igni destinata, quippe afferens fructus mortiferos ; inimicus Dei, hostis ecclesiæ, veritatis interpolator, pravitatis concinnator, injustitiæ amator, justitiæ adversarius ; totus in tenebras, et quidem inextricabiles conversus ; factus vero verius templum omnium dæmonum, quorum instinctu hæc cuncta, ut Achab, perpetratus fueris mala, ac perpetreris. Sed non diu, nisi te converteris ad Deum, esse poteris impunitus ; cum cernas quæ receperint Achab et Jezabel. Si enim Achab, sicut ei fuerat promissum ore Heliæ, interit, si canes comedunt Jezabel, tu eris a tantis impunitus facinoribus ? qui non solum non doles interfecisse te Deo mancipatos, sed et adhuc glorieris, existimans bene te fecisse. Nec mirum cum præscius futurorum, cujus tu negator es, dixerit in Evangelio : *Veniet* [c] *hora, ut omnis qui vos occiderit putet se officium Deo facere ; sed hoc faciunt quia nesciunt neque Patrem, neque unicum Filium ejus* (*Joan.* XVI, 2) : Sciens tu, degens sine notitia Dei persequeris Athanasium vera tibi dicentem, ex toto amantem Deum corde. Sic et Achab persecutus Heliam. Sed vide exitum Heliæ atque inimici ejus Achab. Heliam conspice translatum ad [d] amicitias Dei perfruendas æternas ; et nunc Achab torquetur in exterioribus tenebris. Est Helias de Dei gaudens amicitiis, et est Achab exsolvens perpetuas pœnas. Erit sine dubio Athanasius in convivio ubi est Helias, et tu eris in loco illo tormentorum, nisi tibi consulueris, in quo detinetur Achab, cujus in omnibus imitator reperieris [e]. Istud est sapere, ut elegisses infelicitatem æternam Achab regis, magis quam frui felicitate perpetua, quam est consecutus Helias ? cujus translationem loquitur scriptura in quarto Regnorum libro dicens : *Eumtibus autem illis et loquentibus, ecce currus igneus, et equi ignei, et separavit inter utrosque : et ascendit Helias in commotione quasi in cœlum : et Helisæus videbat, et ipse clamabat, et dixit : Pater, pater, agitator Israel. Et non vidit eum amplius* (IV *Reg.* II, 11). Non novum nobis tuum, hæretice, factum poterit videri, si nos persequaris Domini sacerdotes ; cum in libro Paralipomenon secundo inveniamus Hieroboam et ejus filios hæc egisse. Sacra scriptura, *Juda*, inquit, *et Benjamin, et levitæ, et sacerdotes qui erant in omni Israel, convenerunt ex omnibus finibus, quoniam dereliquerunt* [levitæ *et tabernacula sua et possessiones suas, et abierunt ad Hieroboam* [f], *quoniam repellit eos Hieroboam, et filii ejus, ut non servirent Domino. Et constituit ibi sacerdotes excelsorum, et simulacris, et dæmoniis, et vitulis, quæ fecit Hieroboam : et projecit eos a* [g] *filiis Israel, et a tribubus Israel, qui dederant cor suum quærere Dominum Deum Israel* (II *Paralip.* XI, 12). Non erit itaque admirandum, si tu nos vel nobis divinitus commissos persequeris, si de re nobis commissa nos pellis, si denique locis nostris ordines Dei inimicos eos, qui tecum dereliquerunt Deum, quando videas hæc te implere quæ fecerit Hieroboam. Quid est enim dicere : *Fidem apud Nicæam damnate conscriptam, et suscipite meam ;* nisi hoc quod dixit Hieroboam : *Et relinquite Deum, et servite simulacris meis ?* Quis tu homo dicis : *Damnate absentem, inauditum, innocentem ?* certe is, qui jam fidem apostolicam negaveras atque evangelicam ; nempe is, qui traditionem beatorum destruxeras, quantum apud te ac tuos est, apostolorum : inde denique factum est, ut ad tantam venires vecordiam, quia fueris ut Hieroboam sine Deo. Cæterum si Deum habuisses, si te ejus meminisses cultorem, numquam profecto diceres : *Damnate innocentem ; percutite inauditum, absentem, consacerdotem vestrum.* Et ut videas te non esse in Deo, unde et talia fieri mandaris, accipe regem, cum quo pro meritis fuerit Deus suus, accipe et ejus obsecrationem ad Domini sacerdotes, quos populo Dei impellebat justum judicare judicium : conspice etiam tuorum a te contra ecclesiam institutorum judicium [h], et illius ministrorum actus, et poteris perpendere, si tecum non immundi spiritus sunt, qui fuerunt cum Hieroboam. *Et habitavit*, inquit in libro secundo Paralipomenon, *Josaphat in Jerusalem, et conversus est, et exiit in populo a Bersubee usque ad montem Ephrem, et convertit eos ad Dominum Deum patrum suorum, et statuit judices in omnibus civitatibus Juda munitis, et per singulas civitates dixit judicibus : Videte quid* [i] *vobis facietis : non enim homini judicabitis, sed Domino, et vobiscum est in verbo, et nunc sit timor Domini super vos, ut servetis et faciatis. Neque enim est cum Domino Deo nostro iniquitas, neque personæ acceptio, neque munerum acceptio. Et quidem in Hierusalem statuit Josaphat de levitis, et sacerdotibus, et principibus Israel in judicium Domini, et judicare* [j] *habitantes in Jerusalem. Et mandavit su-*

[a] *Ingerantur.* Id.

[b] *Negaret, ut totidem non posses.* Id. corrupte.

[c] Vers. Ant. *Hora mea, ut omnis. qui interfecerit vos, arbitretur obsequium præstare Deo ; sed hæc faciunt vobis ; quia non noverunt Patrem neque me.* Cum Cypriano ep. 56 congruit Lucifer usque ea verba, *sed hoc faciunt*, etc.

[d] Vide, quæ de hac re disseruimus in Prælat.

[e] *Reperiris.* Latin.

[f] *Roboam.* Id. et recte ; in Græco, πρὸς Ιούδα εἰς Ἱερουσαλήμ, ubi Roboam regnabat.

[g] *A filiis Israel*, demitur a Latin. et abest a Græco et Vulg.

[h] *Judicum.* Vatic.

[i] *Vos facitis.* Latin. ut in Græco, ὑμεῖς ποιεῖτε. Infra : *Vos facietis.*

[j] Id est, *ad judicandum*, et *ut judicent habitatores Jerusalem.* Til.

per eos dicens : Ita facietis in timore Domini, in corde perfecto; et omne judicium quod acceptum fuerit super vos a fratribus vestris, qui habitant in civitatibus suis; inter medium sanguinis et sanguinis, inter medium legis, in mandatis ac justificationibus, et ad judicia : et distinguetis eis [a], *et non peccabunt Domino, et non erit ira super vos et fratres vestros : sic facite, et non peccabitis. Ecce Amarias sacerdos princeps super vos in omne verbum Domini, et Jubadias* [b] *filius Zmabel, qui princeps est domui Juda in omne verbum regis : et scribæ, et levitæ in conspectu vestro. Confortamini et facite, et erit Dominus vobiscum cum bono* (II *Paralip.* XIX, 4). Numquid dixit ad Domini sacerdotes, vel ad regni sui principes, vel ad cæteros judices : *Condemnate justum, persequimini innocentem, damnate; interficite omnes credentes in Deum?* Numquid dixit : *Amate, quod non amat Deus; odite justitiam, diligite injustitiam*, sicuti dicis tu? Aut numquid negare poteris te dixisse, *Damnate Athanasium absentem, inauditum?* Josaphat Deo dicatus rex Judæ dicit secundum Domini judicandum legem ; et tu dicis in apostasiam conversus rex, *Damnate inauditum.* Pone interea, Constanti, hodie in corpore esse Josaphat regem, et utrosque vos dicere ad nos, ille quidem hæc : *Videte quid vos facietis : non enim homini judicabitis, sed Domino, et vobiscum est in verbo, et nunc sit timor Domini super vos, ut servetis et faciatis. Neque enim est cum Domino Deo nostro iniquitas, neque personæ acceptio* (*Ibid.* 6); tu contra esse damnandum dicas inauditum, et eum quidem quem etiam ipse scias innocentem ; cui obedire poterimus nos antistites Dei? nos, quos ante populo suo ore Jeremiæ promiserat dicens : *Et dabo vobis pastores secundum cor meum, et pascent vos, pascentes cum disciplina* (*Jer.* III, 15). Cui, inquam, obediremus, tibi ne an Josaphat dicato Deo viro, qui id nos facere compelleret, quod meminissemus fieri mandasse Deum? Si itaque illum cognoscis Domini implere præcepisse mandata, te vero exstitisse non solum Dei mandatorum destructorem, verum etiam ipsius desertorem, superest ut videas, quis vestrum fuerit homo Dei, quis ejus clementiæ fecerit voluntatem. Legimus scriptum sic de illo : *Et factus est Dominus cum Josaphat, quoniam ambulavit in viis patris sui* [c] *primis, et non quæsivit simulacra, sed Dominum Deum patris sui, et in mandatis ejus ambulavit, et non sic* [d] *opera Israel : et direxit Dominus regnum ejus : et dedit omnis Juda munera Josaphat : et factæ sunt illi divitiæ et gloria multa : et exaltatum est cor ejus in viis Domini, et adhuc amputavit et* [e] *lucos a Juda : et tertio anno regni sui misit duces suos, et filios virtutum* (II *Paralip.* XVII, 3). Et infra : *Et cum illis Elimasat, et Joram sacerdotes, et docebant Judam, et cum illis librum* [f] *legis Domini, et pertransierunt in civitates Juda, et docebant populum. Et factus est pavor Domini in regnis terræ, et in circuitu Juda, et non bellaverunt Josaphat : et ab alienigenis afferebant* [g] *Josaphat munera, et argentum, et dona, et Arabes afferebant illi arietes ovium septem millia septingentos; et erat Josaphat ambulans magnificatus usque in altum* (*Ibid.* 8). Quid tu tale facis? nempe misisti per omne regnum tuum, ut cuncti mandata Dei despueremus, susciperemusque præceptum tuum, quod tentaret impugnare Domini præceptum. Josaphat misit principes virtutis regni sui, misit consiliarios suos, misit levitas ac Domini sacerdotes, obsecrans ut cuncti cultores Domini fuissent in regno suo, ut omnes unanimes Deo tantum semet præberent famulos ; mittit etiam librum sacræ legis per gloriosum Moysem traditum, ut nihil extra fecissent [h], quam quæ fieri mandasset Deus. Tu non solum legem Domini inveniris impugnasse, quæ præcepit innocentem et justum non necandum, sed et ipsum dereliquisse Deum ; siquidem non sis apostolicam tenens fidem, sed Arii perfidiam. Ille populum errantem ab idolis convertit ad Deum, tu populum Deo dicatum conatus es facere apostatam, quod es tu, hoc est, sacrilegus. Persecutus es atque persequeris Athanasium, ejus sitiens cruorem. Sed vide quid Spiritus sanctus dicat in nono psalmo, in quo tu mihi specialiter descriptus esse videris : *Dixit in corde suo : Non movebor a* [i] *sæculo in sæculum sine malo, cujus os maledictione plenum est, et amaritudine et dolo : sub lingua ejus labor et dolor : sedet in insidiis cum divitibus in occultis, ut interficiat innocentem. Oculi ejus in pauperem respiciunt : insidiatur in absconso sicut leo in spelunca sua; insidiatur ut rapiat pauperem, rapere pauperem, donec adducat eum in conversatione sua : in laqueo suo humiliavit eum, inclinavit se, et cadet dum dominatur pauperum. Dixit in corde suo : Oblitus est Deus, avertit faciem suam, ne videat usque in finem* (*Ps.* IX, 6, *post* 21). An si in hac perseveraveris nequitia, non erit dici dignum de te : *Avertit faciem suam ne videat usque in finem* (*Ibid.*)? Tanta sunt funera tua, Constanti, ut cum dicitur in psalmo decimo ex persona populi nostri : *In Domino confido, quomodo dicitis* [j] *animæ meæ, Transmigra in montem sicut passer? quoniam ecce peccatores intenderunt* [k] *arcum, paraverunt sagittas suas in pharetra, ut sagittent in obscuro rectos corde* (*Psal.* X, 2); tu mihi descriptus esse cum scelerum tuorum participibus videaris. Cognoscimus etenim vos Arianos esse temporis nostri antichristos : aut si non is es, qui merearis numerari inter antichristos, æstima [l] Dei unici Filii negator. Dicit Spiritus sanctus per

[a] *Eos* apud Sabat., sed Græc. αὐτοῖς.
[b] *Zabadias filius Ismael.* Latin. cum Græco.
[c] *Patris sui David.* Id. cum Vulg.
[d] *Sicut.* Id. et Til.
[e] Particula *et* deest apud Sabat. qui legit etiam *de Juda* pro *a Juda.*
[f] *Erat liber legis*, apud Sabat.
[g] Ita Græcus : Ἀπὸ τῶν ἀλλοφύλων ἔφερον.
[h] Pro *facerent* suo more. Til.
[i] Vers. Ant. *De generatione in generationem... in occulto... in occulto sicut leo in cubili suo... pauperem dum abstrahit illum. In laqueo afflictabit illum... dum dominabitur.* etc.
[j] Vers. Ant. *Dicetis.*
[k] Vers. Ant. *Tetenderunt... sagittas in pharetram.*
[l] *Es tamen* : Latin. et recte ; sed Til. Phrasis, in-

prophetam : *Dominus in templo sancto suo, Dominus* [a] *in cœlo sedes ejus : oculi ejus in pauperem respiciunt, et* [b] *palpebræ ejus interrogant filios hominum. Dominus interrogat justum et impium : qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam* (*Psal.* x, 5). Et tu statuisti eum puniendum, quem nec ipse cognoveris reum, nisi tantum in eo, quod tuæ blasphemiæ restiterit, factum apud te mortis reum. Audi dicere Dei spiritum : *Qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam* (*Ibid.* 6) : et cogis iniquitatem amare magis quam justitiam. Si non est injustum damnare inauditum, accusantibus vobis hæreticis, catholicum convince. Ego etenim cum adhuc scriptum invenio : *Pluet super peccatores laqueos : ignis, et sulphur, et spiritus procellarum, et* [c] *pars calicis eorum : quoniam justus Dominus, et justitiam dilexit : æquitatem vidit vultus ejus* (*Ibid.* 7); te atque omnes tecum facientes in hac parte esse cognosco. Veniet utique super vos ignis et sulphur, et spiritus procellarum, nisi conversi fueritis ad Deum, quia sit pars calicis vestri negatorum unici Filii Dei, ejus divinæ majestatis dicatorum persecutoribus : qui cum sciatis Deum justum, justitiam diligere, amare æquitatem, vos censueritis damnare innocentem, persequi Domini fidelissimum sacerdotem. *Diligite*, inquit, *Dominum*, in psalmo xxx. Spiritus sanctus, *omnes sancti ejus, quoniam veritatem requirit Dominus, et retribuet facientibus* [d] *abundanter superbiam* (*Ps.* xxx, 24). Et tu nos impuleras ad interficiendum innocentem, ad superbiam tuam possidendam. Non enim te negare possis esse superbum, cum et in Dei cultores funestas miseris manus, et evangelicam fidem destruere foeris conatus, atque firmare hæreticam. In xxxii psalmo non legeras : *Diligit Dominus* [e] *misericordiam et judicium, et misericordia Domini plena est terra* (*Ps.* xxxii, 5); ut juberes damnari absentem? Cognosce per hæc opera tua quam sis inconsideratus, quamque tuæ salutis hostis, qui cum scriptum memineris : *Quis est homo qui vult vitam, et amat* [f] *videre dies bonos? prohibe linguam tuam a malo, et labia tua ne loquantur dolum : et averte a malo, et fac bonum* (*Ps.* xxxiii, 13); tu tamen non quietem capias hæc gerendo, quæ te prohibuerit gerere Deus. Hoc est nolle videre dies bonos, hoc est nolle vitam, hoc est petere sibi tribui mortem. Cum itaque sis talis, qui ad mortem æternam hauriendam curras, etiam in xxxv tu mihi videris esse præostensus. *Dixit injustus, ut delinquat in semetipsum* [g] : *non est timor Dei ante oculos ejus : quoniam dolose egit in conspectu ejus, ut inveniatur iniquitas ejus et odium. Verba oris ejus iniquitas et dolus : noluit intelligere, ut bene ageret : iniquitatem meditatus est in cubili suo, assistit omni viæ non bonæ, malitiam autem non odivit* (*Ps.* xxxv, 2). Qualis es adverte, justissime [h] imperator, propter quem esse dicta sentiantur etiam illa quæ in Scariotem [i] Judam et populum Judæorum fuerint dicta. Quomodo potueramus, Constanti, damnare innocentem ad superbiæ tuæ consilium? cum sciremus scriptum apud David : *Ostende* [j] *misericordiam tuam scientibus te, et justitiam tuam his, qui recto sunt corde. Non veniat mihi pes superbiæ, et manus peccatoris* [k] *non moveat me : ibi ceciderunt omnes qui operantur iniquitatem, expulsi sunt nec potuerunt* [l] *stare* (*Ibid.* 11). Quid dicis? talis est misericordia Dei ac justitia, ut absentes et inauditi damnentur? et quidem innocentes, quos punire nec præsentes licet. Sed quid mirum si hæc fieri mandasti, homo nesciens Deum? Quid mirum, si ignorans ejus misericordiam atque justitiam, præceperis perversa fieri, iniqua, injusta? Non te a tanto potuit removere scelere psalmographi sermo dicentis : *Ibi ceciderunt omnes qui operantur iniquitatem, expulsi sunt nec potuerunt stare* (*Ibid.* 13)? nec ille in trigesimo sexto : *Desine ab ira, et derelinque* [m] *furorem; noli æmulari ut maligneris, quoniam qui malignantur, exterminabuntur* (*Ps.* xxxvi, 8)? Hæc itaque legens, quia pro nihilo habenda statuta censueris Domini, idcirco te esse judico illum, de quo dictum est : *Observabit peccator justum et stridebit* [n] *super eum dentibus suis; Dominus autem deridebit* [o] *eum, quia pro-*

quit, rudis est, quasi dicat : *Tu mihi videris ille esse, de quo Psalmista loquens de Antichristis verba facit :* vel etiam : *Æstima num tu is es qui merearis numerari inter Antichristos, qui Dei unici Filii negator existis.*

[a] Omittitur *Dominus* in Vers. Ant., sed legitur in Græco et Vulgata.

[b] *Et* deest in Vers. Ant. et Vulgata.

[c] *Et* omittitur in Vers. Ant. et Vulgata, ubi *justitias* legitur pro *justitiam*.

[d] Vers. Ant. *His qui abundanter faciunt superbias.*

[e] *Dominus* omittunt Vers. Ant. et Vulg. ubi *misericordia* tantum legitur pro *et misericordia*.

[f] Vers. Ant. *Cupit... Cohibe... dolum. Deverte.*

[g] Vers. Ant. *Sibi... ut inveniret iniquitatem suam... odiit.*

[h] Hoc dicit εἰρωνικῶς, cum eum injustissimum, atque impiissimum judicet, quia absentem, et, quod pejus est, innocentem damnari voluerit Athanasium. *Til.*

[i] *Scariotem*, iota ablato, dicit, et ita sæpissime nomina propria corrumpit, ut tunc vulgus loquebatur. *Id.* Pro *Ischarioten*, gaudens dimidiare. Unde *striculus* apud Arnobium pro *histriculus*, *trionem* pro *histrionem*. Glossæ veteres apud Isidorum : *Strio, mimarius*, lerme *scenicus*. *Scarioth* etiam dixit S. Odo Abbas. Cluniac. serm. de Magdal. : *Quod vero Judas Scarioth contra hanc sanctissimam mulierem indignatus dicere.* Inde etiam *Spaniscus* pro *Hispaniscus*, aut *Hispanicus*, ut cum dixit Anastasius in Benedicto III, *Spaniscas, quæ pendent super altare.* Item *vestem de Spanisco ornatam* : id est, de velo Hispanico; ut enim erant vela Tyria et Alexandrina, ita et Hispanica. *La Cerda.*

[j] Vers. Ant. *Prætendit misericordia tua.* Græc. cum Lucifero, παράτεινον τὸ ἔλεός σου.

[k] Vers. Ant. *Peccatorum... omnes operantes.*

[l] Hic cum Vers. Ant. *poterunt*; sed paulo inferius *potuerunt* cum Græco δύνωνται.

[m] Vers. Ant. *Derelinque indignationem : ne æmuleris ut nequiter facius, quoniom qui inique agunt*, etc. Lucifer propius ad Græc. *furorem*, θυμόν; *ut malignaris*, ὥστε πονηρεύεσθαι; *qui malignantur*, οἱ πονηρευόμενοι.

[n] Græc. cum Lucif. Βρίξει. Vers. Ant. *fremebit.*

[o] Vers. Ant. *Irridebit eum, quoniam prospicit eo quod veniat.* Sabat. quoque legit, *quoniam prospicit.*

spicit quia veniet dies ejus (*Psal.* XXXVI, 12). Inter illos te habemus, de quibus dictum cerno : *Gladium evaginaverunt peccatores, intenderunt arcum* [a] *suum ut dejiciant inopem et pauperem, et trucident rectos corde : gladius eorum intret in corde ipsorum, et arcus eorum confringatur. Melius* [b] *est modicum justum super divitias peccatorum multas : quoniam brachia peccatorum conterentur* (*Ibid.* 14). Tu inter istos inimicus es Domini constitutus, quos describit Dei Spiritus adhuc infra : *Inimici Domini mox ut* [c] *honorabuntur et exaltabuntur, deficientes ut fumus deficient* (*Ibid.* 20). Considera tandem te cum omni tua sublimitate, nisi temet correxeris, ut fumum interiturum, quippe Dei inimicum. Adhuc de te scriptum video, quod nisi conversus pœnitueris, venturus sis ad nihilum : *Vidi impium superexaltatum et elevatum super* [d] *cedros Libani : et transivi, et ecce non erat ; et quæsivi eum, et non est inventus locus ejus* (*Ibid.* 35). Tu es, inquam, ille, Constanti, de quo etiam hæc dicta video : *Conspicit* [e] *peccator justum, et quærit mortificare eum : Dominus autem non derelinquet eum in manibus ejus* (*Ibid.* 32). Dicit propheta plenus Spiritu sancto ; *Noli æmulari inter malignantes, neque zelaveris* [f] *facientes iniquitatem : quoniam tamquam fenum velociter arescent, et sicut olera herbarum cito decident* (*Ibid.* 1). Et dicitur a te Constantio destructore Dei religionis, *Meos imitamini?* Quis vos imitetur, nisi qui velit vobiscum tamquam olera herbarum arescere? Quis? nisi qui velit Dei indignatione deleri? Si vere utique dicit : *Justitiam loquimini, juste* [g] *judicate filii hominum* (*Ps.* LVII, 2) : et tu in innocentis exsurgis necem. Dubitare itaque non poterit te esse ex illis ad quos dicit Spiritus sanctus : *Etenim in corde iniquitates operamini, in terra iniquitatem manus vestræ concinnant. Alienati* [h] *sunt peccatores ab utero, erraverunt a ventre, locuti sunt falsa ; ira illis secundum similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ, et obturantis aures suas, quæ non exaudivit vocem incantantium incantatoris* [i], *quæ incantatur a sapiente. Deus conterat* [j] *dentes eorum, in ore ipsorum molas leonum confringet Dominus : ad nihilum venientes ut aqua decurrent, intendit arcum suum donec infirmentur. Sicut cera liquefacta auferantur, super eos cecidit ignis, non viderunt solem* (*Ibid.* 3). Audis te cum tuis ad nihilum venturum, ut jam illi venerunt, quorum esse delegeris imitator. Conspicis vos persecutores Dei servorum, unici Filii Dei negatores serpentibus et aspidibus comparatos ; et non tandem times ad Dei te transferre domum? non te, qui unus esse monstraris ex illis aspidibus, ita formas ad diaboli calcandum caput, quo possis dignus effici regnare inter eos, quorum Joannes narrat gloriam : *In sua* [k] *propria venit, et sui eum non receperunt; quotquot autem receperunt eum, dedit illis potestatem filios fieri Dei, qui credunt in nomine ejus* (*Joan.* I, 11)? Non memineras scriptum in LVIII psalmo : *Deus Israel, intende ad visitandas omnes gentes, non miserearis omnibus qui operantur iniquitatem* (*Ps.* LVIII, 6) ; ut juberes damnum in absentem sententiam? nec LXI commonere pariter atque increpare Spiritum sanctum per hæc verba cognoveras : *Quousque irruitis in hominem? interficitis* [l] *universos* (*Ps.* LXI, 4)? *Timor*, inquit Salomon, *Domini, initium sensus ; sapientiam autem et disciplinam impii spernunt* (*Prov.* I, 7). Hinc disciplinam et sapientiam spernis, quia sis sine Dei timore. Hinc impius esse sacris describeris litteris : impius utique, quia non solum ipse deseruerit Deum, sed et qui [m] colentes illum tam infeste persequaris. Væ tibi quia cum illis esse inveniris, de quibus in Proverbiis lego : *Fili, non te seducant viri impii, neque acquiescas, si te rogaverint dicentes : Veni, communica nobiscum sanguinem, abscondamus autem in terra virum justum injuste : deglutiamus* [n] *autem illum, velut inferi vivum* (*Ibid.* 10). Quid te Arianorum Judæorum imitatorum delectaverat, Constanti, ut has illorum impias audiens voces ad effundendum sanguinem Dei servorum fuisses eosdem secutus? Cur non consilia audisti Salomonis dicentis tibi? *Nec abieris vias cum illis, nè declinaveris pedem tuum ad semitas earum : non enim inique tenduntur retia avibus : ipsi enim qui homicidii participes sunt, thesaurizant sibimetipsis mala. Hæ sunt viæ omnium consummantium iniqua : sua enim impietate suam animam auferunt* (*Ibid.* 15). Et iterum : *Quanto tempore innocentes* [o] *tenuerint justitiam, non erubescent ; insipientes autem dum contumeliæ cupidi sunt, impii facti oderunt intellectum, et subjecti facti sunt opprobriis* (*Ibid.* 22). Tu tibi, Constanti, hæc quæsisti opprobria, tu temet damnasti, qui præcepta contemnens Dei, maledictis Judæorum discipulis hærere censueris Arianis, cum quibus digne adhuc hæc audis : *Nam quoniam vocabam, nec obediebatis ; et extende-*

[a] Vers. Ant. *Et tetenderunt... ut trucident justos corde. Framea... in cor.*

[b] Id est, *præstat justum esse modica bona possidendo, quam injustum esse, et ingentes divitias cum peccatoribus possidere.* Til. Sed aptius fortasse, *melius est modicum justum*, id est, *bene parium.* Vers. Ant. et Sab. *modicum justo.*

[c] Vers. Ant. *statim* legit pro *mox ut.*

[d] Vers. Ant. *Sicut.*

[e] Vers. Ant. *Considerat... et perdere eum ; Dominus non relinquet.* Græc. θανατῶσαι, ut Lucif. *mortificare.*

[f] *Æmulatus fueris* pro *zelaveris*, et *cito* pro *velociter*, in Vers. Ant.

[g] Vers. Ant. *Justa.*

[h] Vers. Ant. *Abalienati... serpentium, sicut aspides surdæ et obturantes.*

[i] Vers. Ant. *Et venefici, qui incantantur*, etc. In Græco numerus singul. ut in vers. Lucif.

[j] Vers. Ant. *Conteret dentes eorum in ore ipsorum, molas leonum confregit... devenient velut aqua decurrens, intendens... auferentur : super cecidit ignis, et non*, etc.

[k] Vers. Ant. *In propria... dedit eis... his qui.*

[l] Vers. Ant. *et interficere.* Græc. Φονεῦσαι cum Lucif.

[m] *Et colentes.* Vatic.

[n] Vers. Ant. *Absorbeamus vero eum tamquam infernus viventem.*

[o] Vers. Ant. *Simplices obtinent... imprudentes autem, contumeliæ cum sint cupidi, impii effecti odio habucrunt sensum, et obnoxii... increpationibus.*

bam verba, nec attendebatis : sed irrita faciebatis mea consilia, meis autem increpationibus non intendebatis. Itaque et ego vestra perditione ridebo : gratulabor autem adversus vos, cum venerit vobis subito tumultus, eversio autem similis procellæ, cum advenerit autem vobis interitus : erit enim cum me invocabitis, ego autem non exaudiam ; quærent me mali et non invenient. Oderunt enim sapientiam, verbum autem Domini non assumpserunt, neque voluerunt meis consiliis intendere : spreverunt enim meas increpationes : ideoque edent viæ suæ fructus, et sua impietate saturabunt animas. Nam quia decipiebant parvulos, interficientur (*Prov.* I, 24). Interfici certe tecum merebamur, et quidem a Deo, si tecum Dei hominem fuissemus persecuti. Sed quomodo istud fecissemus? qui sciebamus scriptum : *Noli fabricare in amicum tuum mala, in incolam et confidentem. Noli inimicitias exercere adversus hominem sine causa, ne quid tibi operetur malum* (*Ib.* III, 29). Aut numquid non erat sine causa, si prout insanus furor cohæreticorum tuorum per te jusserat, in innocentem mortis tulissemus sententiam? Væ tibi, quia dictum de te persecutore nostro video : *Oculus contumeliosus, lingua iniqua, manus sunt* [a] *effundentes sanguinem justi, et cor fabricans cogitationes malas, et pedes festinantes ad male faciendum* (*Ib.* VI, 17). Legisti : *Fili, honora Dominum, et valebis : præter eum ne timeas alterum* (*Ib.* VII, 1); et tamen te timeri voluisti, Deum vero contemni. Unde etenim solum Deum potuerimus reperiri metuentes, si minis tuis succumbentes, absentem, inauditum, et quidem eum, quem sciremus justum, damnaremus? Salomon dicit : *Statera doli abominatio est coram Domino : pondus autem æquum acceptum est ei* (*Ib.* XI, 1). Tu contra mandare non dubitas, *Damnate injusto judicio virum*, hoc rectum putans, quod perversum est. Adhuc Salomon de te ac tibi similibus : *Viæ insipientium rectæ coram ipsis : exaudit autem consilia sapiens* (*Ib.* XII, 15). *Damnate*, inquis, *Athanasium* : et quidem ubi valere non potuisti ingenio detestandæ subtilitatis tuæ, viribus imperii tui cœpisti. De te itaque scriptum accipe : *Malus cum contumelia agit mala* (*Ib.* XIII, 10); et iterum, quod temet sic laqueo jam necaveris, hærendo Arianis, sicuti et Judas Scarioth Judæis : *Lex sapienti fons est vitæ, stultus autem laqueo morietur* (*Ibid.* 14). Adhuc dicitur de te : *Rex audax incidet in mala* (*Ibid.* 17). Utique incidisti in hæc mala, quia nihil sapientiæ tibi reliqueris, negando unicum Dei Filium, sed totum temet verteris in stultitiam, quæ res effecerit te mactare Deo charos. Scriptum est : *Sapiens timendo declinabit a malo, insipiens autem miscetur confidens iniquo* (*Ib.* XIV, 16). Non legeras scriptum : *Qui contumeliam facit pauperi, irritat eum, qui fecit illum* (*Ibid.* 31); ut innocentem tecum nos interficere traheris? Si enim contumeliam facienti irascitur Deus, quanto magis ei qui interfecerit ejus sacerdotem! Scriptum adhuc non retinebas : *Initium viæ bonæ, facere justa : accepta autem sunt apud Dominum magis quam immolare hostias* (*Ib.* XVI, 5); ut tu injusta nos facere cogeres? Sed et alio loco : *Qui justum vocat* [b] *injustum, injustum autem ut justum, abominabilis est apud Deum* (*Ib.* XVII, 15). Abominabiles sine dubio essemus, si te justum pronuntiaremus, et virum Deo acceptum Athanasium injustum judicaremus. *Mirari*, inquit, *personam impii non est bonum, neque sanctum declinare justum in judicio* (*Ib.* XVIII, 5). Tu dicis contra qui in impii persona videris descriptus : *Damnate insontem, imitati meam injusti personam :* et licet hæc nos facere coegeris, quæ nobis possent Deum quærere iratum, tamen hortamur te inimicum sospitatis nostræ, ex impio pium fieri, salvum ex ægro, vivum ex mortuo, religiosum ex sacrilego. Unde, inquis, hæc assequi potero? quibus rebus? Desine persequi Dei domum ; desine proscribere, deportare, interficere ejus servos ; fatere te Christianum, exsecrare nobiscum catervam commento diaboli quæsitam Arianorum ; crede sicuti credimus nos, qui ex beatorum Apostolorum successione sumus episcopi ; confitere unicum Dei Filium, sicuti illi confessi sunt, ac nos confitemur ; et veniam consequeris tantorum scelerum. Legisti enim apud Salomonem : *Mors et vita in manibus linguæ* (*Ibid.* 21), et apud beatum Paulum : *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem* [c] (*Rom.* X, 10). Meministi scriptum : *Testis falsus non impunitus erit ; et qui accusat inique, non effugiet* (*Prov.* XIX, 5) : et tamen fuisti ausus inficiari [d] Athanasium. Non enim nobis fuerat aliqua causa cum collegis sectæ tuæ Arianis, cum eosdem jam pridem Dei potentia cum Ario apud Nicæam, tempore quo non solum contra blasphemiam vestram, sed et contra omnes hæreses fides descripta est, præuniverit. Non, inquam, nobis cum illis pseudoepiscopis, inimicis Dei, magistris tuis, aliqua fuerat quæstio, ut iterum contra eosdem confligeremus, quos semel Deus pepulerat de populo suo. Itaque nunc nobis tecum est ratio, quia te auctorem institueris, quod enim Athanasius fuisset reus [e] : quem inauditum quia punire noluerimus, homo qui temet testem scires falsum, ut fera immanis ac bellua cœpisti nos cum Athanasio velle punire, tamquam frendoribus [f] tuis possis servorum Dei vigorem superare. Licet enim Salomon dicat : *Regis* [g] *minæ similes sunt gemitibus leonis* (*Ibid.* 12), tamen gemitus tui leonini contra nos habere virtutem non poterunt. Quare? quia sis tu præ-

[a] *Sunt* delet Sabat.

[b] Vers. Ant. *Judicat... injustum vero justum, exsecrabilis.*

[c] Vers. Ant. *In salutem.*

[d] Pro *falsi criminis accusare Athanasium, et ei injuriam facere.* Til.

[e] Ex Latin. et Til. antea *meus.*

[f] Id est, *rabidis clamoribus.* Vox barbara a verbo Latino *frendo ; frendens* enim dicitur, quod *minando frangat dentes ;* ita Isid. in Etymol.

[g] Vers. Ant. *Iniqui regis minitatio similis rugitui leonis.* Alius Interpres Græc. in Hexapl. pro *rugitui*, βρυγμῷ, habet στεναγμῷ propius Lucif. vers. ; et paulo inferius Græc. est ἀπειλή, *mina*, ubi Vers. Ant. *ira.*

cursor antichristi, et nos sumus milites Christi. Quare? quia homines Dei vincere non valeas tu persecutor ejus religionis. Item alio loco, *Nihil*, inquit, *interest inter minas regis et iram leonis* [a] (*Prov.* XX, 2). Quid hoc ad Dei servos, qui præter Deum neminem esse timendum statuerimus? qui in manu Dei animas positas nostras meminerimus? possunt rugitus tuos timere coariani tui, quia sitis sine notitia Dei, quia sint minime arma [b] Dei induti. Cæterum Dei domestici ridemus rugitus tuos leoni similes. Quare? quia feram te cognoscentes, cujus rugitus habere describeris, rideamus te magis sub figura hominis constitutam rabidam feram cernentes, quam timeamus, necesse est. Sed si non es fera sub imagine latens hominis, dicito. Legisti apud Salomonem : *Misericordia et veritas tutela est regi, et circumeunt justi sedem ejus* (*Ibid.* 28). Cum te contra caterva malignorum circumsepserit Arianorum, et esse cernamus misericordiæ punitorem, veritatis exsecratorem, quid esse aliud te judicabimus, nisi feram ac belluam? excitaris in nos, ut leo rugiens, quod misericordiam et veritatem diligamus, quod non innocentem et justum puniverimus, et arbitraris non te esse immanem feram ac belluam sævissimam? Sed quæ te voluntas ad hæc perpetranda perduxerit, prorsus videre non possum, ut totius justitiæ episcopum catholicum, Domini sacerdotem fuisses tali exitio persecutus. Numquid non memineras scriptum: *Facere justitiam, et veracem esse, placet Deo magis quam hostiarum sanguis* (*Ibid.* XXI, 3)? Displicet tibi Athanasius, quod traditionem beatorum apostolorum custodiat, quod se christianum fateatur, quod nolit esse coapostata tuus. Non mirandum; quandoquidem scriptum teneamus : *Sanctus autem immundus est apud malos* (*Ibid.* 15). Vobis malignis displicet is, qui Deo placeat, tibi præsertim temerario ac superbo, qui temerarius hinc esse intelligeris ac superbus, quod contra Dei ordinationem tetenderis manum, quod apostolicam traditionem putaveris destruendam, quod episcopos, sub quorum te sollicitudine agere oportuerat, sub tuam ditionem censueris redigendos. Quid igitur sis intellige, audiens per Salomonem quod tibi sit superbo nomen : *Temerarius et superbus pestilentia vocabitur* (*Ibid.* 24). Pestilens licet sis homo, tamen morbo tuo vexare nos non poteris, quia tutelam nobis sit præbens divina clementia. Tentasti denique pestilens facere nos compestilentes tuos; sed ille, cui dicati vivimus, non sivit [c] tua tentamenta adire corda recta : suggerit enim scriptum : *Libera eos qui ducuntur ad mortem, et redimere eos qui interficiuntur, ne parcas* [d]. *Si autem dixeris, Nescio hunc, scito quoniam Dominus corda omnium novit : et qui figuravit spiritum omnibus illis, scit omnia, qui reddit unicuique secundum opera ejus* (*Ibid.* XXIV, 11). Ad hæc, te dicente, *Damnate Dei cultorem, derelinquite fidem apostolicam, suscipite perfidiam meam*, utique te aperit esse hominem pestilentem. Deus nobis subvenire [e] vult in pressuris atque angustiis constitutis; et tu eos, quos benefacere oportet, male facere urges, et quidem admovens ea, quæ timere [f] posse existimaris. Adverte jam si non in te sit morbus ille qui vocatur pestis, est morbus ad hoc valens, ut non solum corpora, sed et animas morbidas possis efficere, eorum videlicet qui te velint audire dicentem : *Damnate Domini antistitem, repudiate fidem quam semper tenuit ecclesia, et suscipite meam quam tradidit Arius. Erubescere*, inquit sancta scriptura, *personam in judicio non est bonum : et qui dicit impium justum esse, maledictus erit in populis, et odibilis gentibus. Nam qui arguunt, meliora* [g] *sperabunt : in ipsos autem veniet benedictio optima* (*Ibid.* 23). Et tu existimasti erubescere nos potuisse personam tuam, et damnare eum quem scires etiam ipse innocentem, quem retineres esse reum in hoc tantum, quod noluerit se esse negare christianum. Interea quia te arguamus mortis iter tenentem, quia corripiamus, conspicis quæ nobis merces promittatur : *Aperi*, dicit Propheta, *os tuum verbo Dei, et judica omnibus integre : aperi os tuum et judica juste* (*Ibid.* XXXI, 8). Et tu dicis, *Damnate innocentem?* Retineo quidem sacris [h] continens scripturis : *Noli superbire coram rege* (*Ibid.* XXV, 6) : sed si intra terminos potestatis tuæ esse voluisses, et superbus [i] exstitissem te contra, re vera ipse me ut prævaricatorem legis condemnassem. Nunc vero quia homicidæ tibi ac sacrilego vera dicamus, non utique tamquam superbi puniri merebimur, sed magis præmiis afficiemur cœlestibus, quod tibi erranti non pepercerimus. Scriptum est : *Flagellum equo, et stimulum* [j] *asino, virgam autem genti insipienti* [k] (*Ibid.* XXVI, 3). Vos negatores Dei unici Filii recte insipientes vocamus, quos videamus in tanto versari sacrilegio. Nam cum esse scriptum video, quod *sicut canis qui convertitur ad vomitum suum, et odibilis efficitur, ita stultus sua malitia conversus ad suum peccatum* (*Ibid.* 11); de te specialiter dictum judico. Quare? inquis; quia litteris [l] tuis jurasti Alexandrinis nihil te mali deinceps facturum Athanasio, et nunc quæris eum interficere.

[a] Vers. Ant. *Non distat ira regis ab ira leonis.*

[b] Pro *armis Dei induti*, in accusativo more Græcorum. *Til.* Poeticum est. Iterum ait, *coopertus judicium*, pro *judicio*. La Cerda.

[c] Id est, *Deus, cui dicati vivimus, non permisit conatus tuos pestiferos ingredi corda nostra; liberavit nos a vanis conatibus tuis;* ubi *tentamenta* pro *conatus* dicit. *Til.*

[d] *Ne cesses*, legit Sabat.

[e] *Subveniri*. Latin.

[f] *Timeri*. Id.

[g] *Meliores parebunt*. Id. cum Græco, Βελτίους φανοῦνται.

[h] *Continens* dicit pro *contentum esse*, vel *contineri*. Til. et Latin.

[i] Clarius fuisset, si dixisset, *et contra te superbus exstitissem :* verum sic sæpenumero transponit verba, et implicat dictiones. *Til.*

[j] *Stimulus et virga*. Latin. et Vers. Ant. *Asino imperat*. Vers. Ant.

[k] Vers. Ant. *Nationi imprudenti;* vocem *insipienti* habet Theodotio, sed conjunctam *corpori*.

[l] Innuit litteras a Constantio scriptas *Catholicæ Ecclesiæ populo apud Alexandriam* an. 349, quo Atha-

Sed inquis : *Pater* [a] *meus illum miserat ad exsilium, et me oportuit patris mei parere statutis.* Pone, ut vis, hæreticum esse Athanasium : si recte fuerat missus ad exsilium, cur eum passus es contra patris tui statuta recipere dignitatem, quam ei se tulisse tuus arbitratus fuerat pater? Sed [b] inquis : *Fratris mei Constantis factum est interventu.* Sed potuisti occurrere Constanti, dicens : *Pater noster quem probavit hæreticum nisi se correxerit, recipere in partes regni mei non possum.* Sed inquis, *Timui* [c] *ne inter nos bella fuissent orta.* Ergo quia Soporinus [d] Persarum rex nunc contra te gerit prælium, si tibi dixerit : *Suscipe religiones meas et ero tecum pacatus;* te oportet cum omnibus in imperio tuo demorantibus facere transitum ad religiones dæmonum? dæmoniis enim sacrificans est Soporinus. Conspicis enim [e] non te egisse ut Dei servum, suscipiendo eum, et loco revocando suo quem meminisses in causam fidei deportatum. Primo quod impotentem judicaveris Deum, tamquam te tueri non potuerit, tuentem veritatem, hæreticis resistentem; deinde quod magis tibi propitium esse volueris Constantem, quam Deum : quem utique Constantem regem si hæreticum factum memineras favendo Athanasio, quem tu jam probatum habebas sacrilegum, non solum non regnum tuum Deo debueras præponere, sed nec ipsam tuam animam. Tu etenim ipse testis es conscientiæ tuæ, quod enim propter fidem quam semper tenuit ecclesia ac tenet, quod eam damnare noluerit, missus fuerit ad exsilium, quia videlicet noluerit esse Arianus : idcirco namque Athanasium perosum habitum [f] a patre tuo non fugit te; quandoquidem et tu in ea eum digneris persequi causa, in qua fuerit et tuus pater persecutus. Dicat denique se non esse christianum, fateatur se Arianum, et erit apud te sapientissimus, magnus. Digne itaque comparatus es cani, qui redierit ad vomitum suum : jam enim christianus æstimabaris, et non esse Arianus, ex quo Athanasium A cum talibus litteris divinitus sibi commissis repræsentaveris. At nunc cum esse comprobaris Arianus, et cupiens hæresen tuam invenire locum, virum justum persequaris, quia ille videlicet sit eamdem omni nisu impugnans, recte es comparatus cani redienti ad suum vomitum. Item etiam in illo facto tuo egregio recte comparandus cani, qui redierit ad vomitum suum, quod enim acceperis veritatem, non esse [g] catholicum Adoxium Germaniciensium, et dederis contra eumdem litteras ad Antiochenos, et postea hunc eumdem Adoxium defendere cœperis veritatis esse doctorem, ipsius hæresen catholicam judicans fidem. Quare, Constanti, tam levis? quamobrem in causa fidei, ut ventis pulsantibus arundo, flecteris huc atque illuc? quid mirum si tam facilis fuisti, ad damB nandum Athanasium, etiam cunctos Dei invitare sacerdotes? quandoquidem etiam in statu religionis tanta agere per tuam non dubitaris temeritatem. Efferbuisti ad innocentis fundendum sanguinem rex piissimus, tamquam non meminisses scriptum: *Regis in veritate judicantis de pauperibus, sedes ejus in testimonium resurget* (*Ibid.* XXIX, 14); sed tu hinc putasti te summum, si contra divinas ires scripturas, si cuncta quæ prohibent fecisses. Odis Athanasium quod christianus sit; quod esse noluerit Arii, ut tu dicis, discipulus, summo eum persequeris odio : sed talem te circa eum futurum olim Spiritus sanctus ostenderat, ore Salomonis dicens : *Abominatio est justus viro iniquo* (*Ibid.* 27). Noli, Constanti, adhuc demorari in his malis, noli Dei abuti patientia, retine scriptum C in LXXVII psalmo : *Excitatus est tamquam dormiens Dominus, tamquam potens crapulatus a vino, et percussit omnes inimicos suos* [h] *in posteriora; opprobrium sempiternum dedit illis* (*Ps.* LXXVII, 65). In LXXXI psalmo, *Quousque*, dicit Spiritus sanctus, *judicastis* [i] *iniquitatem, et faciem peccantium sumitis? Judicate pupillum et egenum, humilem et pauperem justificate. Eripite pauperem, et egenum de manu peccatoris libe-*

nasius Ecclesiæ suæ restitutus fuit; iisque jussit omnia in sanctissimum Antistitem nefarie decreta abrogari.

[a] Id contigit an. 336 cum Constantius M. Eusebianorum insidiis, ac fraudibus circumventus Athanasium, qui Constantinopolim adierat ejus opem imploraturus, exsulem in Gallias misit.

[b] Intercesserat enim Constans Constantii frater pro Athanasii reditu an. 348; cumque Constantius Persico bello premeretur, ne Constantis auxilia sibi deessent, hujus petitioni maluit assentiri.

[c] Hoc quoque Constantius timuit, ne Constans Catholicus Imperator in se arma converteret.

[d] Vigebat adhuc Persicum bellum, cum Lucifer hæc scriberet : et ingenti apparatu Constantius in Saporem Persarum regem militares copias instruebat anno exeunte 360.

[e] *Itaque.* Vatic.

[f] Vide, quæ in Præf. de hac re uberius disseruimus.

[g] Gesta hæc sunt an. 358, cum Eudoxius, Antiochena sede occupata, novum Aetii dogma secutus est : hac de causa apud Constantium accusatus a legatis Ancyrani conventus, per litteras Imperatoris, et ejusdem decreto ab illa sede dejicitur. Anno autem 359, Acacianorum ope fretus in gratiam Constantii redit post Conciliabulum Seleuciense hujus anni coactum mense Octobri, cum Imperatorem Constantinopoli adiisset, et doctrinam Aetii ficte ejurasset : anno vero insequenti 360, Ecclesiam Constantinopolitanam obtinuit. Igitur Lucifer ineunte circiter anno 360, libros hosce scribebat. Cum vero subdit, Constantium Eudoxii hæresim veluti catholicam fidem probasse, intellige Arianam hæresim, in qua Eudoxiani ab Eudoxio ita dicti plurimum pollebant; ab ea tamen Aetii dogma discrepabat : vel in ea Lucifer opinione fuit, novas Aetii blasphemias, quas Eudoxius usque ad obitum propugnavit, a Constantio damnatas non fuisse; cum probe nosset et Eudoxium in sententia perstare, et Constantii gratiam adhuc obtinere. Constantius tamen Aetiano errori numquam adhæsit. Hic Lucifer Eudoxium *Germaniciensium*, scilicet Antistitem, appellat, quia, Antiochenum Episcopatum cum vi arripuisset contra Canonum decreta, et Imperatoris voluntatem, hujus episcopatus titulo appellari jure non debuit; et fortasse nondum audierat Lucifer, cum hæc scriberet, illum in Sedem Constantinopolitanam intrusum fuisse, Macedonio dejecto, mense Januario anni 360.

[h] Vers. Ant. *Meos retro.* Lucifer ex Græco, αὐτοῦ εἰς τὰ ὀπίσω.

[i] Vers. Ant. *Judicatis.* *. *judicate pupillo et egeno.*

rate (*Ps.* LXXXI, 2). Tu, *Interficite mecum*, inquis, *Deo dicatum*, cupiens nos tecum haberi cum illis, propter quos dicitur : *Nescierunt, neque* [a] *intellexerunt, in tenebris ambulant* (*Ibid.* 5). Mandat Deus ne judicium proferamus injustum, ne tuam peccatoris reveriti faciem, sineremus te puniro eum quem persequeris injuste. Præcepit Deus humilem justificari a nobis, eripi pauperem, et egenum de manu tua liberari carnificis. Et tu inquis, *Damnate eum quem voluit Deus de mea manu peccatoris erui*. Non mirum; nec enim poteras ire contra tuas exsecrabiles dispositiones. Dicit Spiritus sanctus in XCVI: *Qui diligitis Dominum, odite malum* [b] (*Ps.* XCVI, 10) : et tua indicant præcepta te dicere : *Amate quod est malum*. Si enim malum esse videtur Deo damnari innocentem, dare adversus absentem, et quidem justum virum, sententiam, quid est aliud quod nos cogis facere, nisi quod odio habeat Deus? Si igitur quod odit Deus fecerimus, utique non erimus ex illis, ad quos dicitur : *Qui diligitis Dominum, odite malum* (*Ibid.*). Nempe tu idcirco non odis malum, quia non diligas Dominum : sed nos idcirco facere nolumus quod odit Deus, quia eum diligamus. Facis hæc quia non sis servus ejus, cujus metus atque amor compellat nos odire malum. Neque enim in ecclesia Domini, persecutor ejus ecclesiæ inveniris, ut putes ad vos dixisse Prophetam in psalmo : *Qui diligitis Dominum, odite malum* (*Ibid.*); quando et in centesimo dicat : *Non* [c] *habitat in medio domus meæ qui facit superbiam; qui loquitur iniqua non direxit in conspectu oculorum meorum* (*Ps.* C, 7). Non ergo ad vos foris positos dicitur, sed ad nos : *Qui diligitis Dominum, odite malum* (*Ps.* XCVI, 10). Odimus denique malum quod vos idcirco amatis, quia sitis non in ecclesia Dei. Quomodo etenim te in ecclesia esse poteris astruere Dei, homo qui non solum ecclesiam sis persequens, sed et ipsum negans qui fundarit ecclesiam? An non es superbus, et habitare poteris in domo Domini, quamdiu in hoc manseris supercilio? Quis enim merito poterit dici superbus, si tu possis humilis judicari, qui dicis : *Damnate contra mandata divina innocentem, calcate præcepta Dei, mea servate?* Sed fortasse non loqueris iniqua, et poteris inveniri inter christianos tu negator Patris, negator unici Filii ejus, negator Spiritus sancti paracleti, Arianæ hæresis fundator, destructor apostolicæ fidei; non loqueris iniqua labiis tuis venenatis, nihil ore illo profers sacrilego quod sit iniquum. Ignorabas in psalmo centesimo secundo Spiritum sanctum dixisse de Domino : *Faciens* [d] *misericordiam Dominus, et judicium omnibus injuriam patientibus* (*Ps.* CII, 6); ut injuste mandares judicari [e]? Cujus mandatis parere nos dignum est Domini sacerdotes? tuisne nondum erepti [f] ab immundis spiritibus, an prophetæ? per quem moneat Spiritus sanctus, ut omnis injustitiæ pars vitetur a nobis cultoribus veræ divinitatis? Non legeras, Constanti, dictum ad vos reges a Deo : *Nolite tangere christos meos, et in prophetas meos nolite malignari* (*Ps.* CIV, 15); ut ad domum Dei auderes tendere manus? Dicit plenus Spiritu sancto David in centesimo quinto psalmo : *Beati qui custodiunt judicium, et faciunt justitiam in omni tempore* (*Ps.* CV, 3); et tu : *Facite*, inquis, *mecum injustitiam*. Persequeris Athanasium, impius pium, hæreticus christianum : sed oro te, dicas, qui vestrum Deo esse possit acceptus? tu negator æternæ majestatis unici Filii Dei, ædificator falsæ religionis atque institutor, an Athanasius? Legisti in psalmo CXVIII : *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. Beati qui perscrutantur* [g] *testimonia ejus, in toto corde exquirunt eum* (*Ps.* CXVIII, 1) : et dicito, quis vestrum exquirit Deum, quis fideliter ejus majestati famulatum præbet? tune, qui facis persecutionem Athanasio, quod se christianum fateatur; an ille qui te velit persecutorem suum e laqueis eripi diaboli? tune, qui sis destructor catholicæ fidei; an ille apostolicæ fidei prædicator? Si tu es serviens Deo, quomodo infra dicit Spiritus sanctus? *Non enim qui operantur iniquitatem, in viis ejus ambulaverunt* (*Ibid.* 3). Vos igitur hæretici operarii iniquitatis, cum non in viis inveniamini Domini, utique manifestatis vos operibus vestris esse in via diaboli. Legisti : *Nolite zelari* [h] *mortem in errorem vitæ vestræ, neque acquiratis perditionem in operibus manuum vestrarum; quoniam Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum* (*Sap.* I, 12). An meministi legisse? Cur præcepisti quæreremus nobismetipsis mortem? Si non legisti, cognosce quid nos facere fueris hortatus, tu qui in sortem delegeris esse illorum, quorum facinora describat ore Salomonis Spiritus sanctus dicens : *Neque mercedem speraverunt justitiæ, nec judicaverunt honorem animarum sanctarum; quoniam Deus creavit hominem inexterminabilem, et ad imaginem suæ similitudinis fecit illum : invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum* (*Ibid.* II, 22). Imitantur ergo illum qui sunt ex parte illius. Conspicis te imitatorem esse diaboli, in parte esse constitutum illius; cognoscis tu quod tibimet conquiras mortem, tu qui nolueris in imaginem Dei, quomodo es factus a Deo, manere, sed temet contuleris ad illum, cujus invidia mors intraverit in orbem terrarum. Contra accipe quantam felicitatem cupiat consequi Athanasius; unde et nolit esse, quod sis tu, Arianus apostata; accipe quantam fuerint etiam illi, quos jam quod se Christianos dixerint, es interficere dignatus, consecuti beatitudinem : *Justorum autem animæ in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum* [i]. *Visi sunt oculis insipientium*

[a] Vers. Ant. *Quæ intellexerunt.* Græc. cum Lucif. οὐδὲ συνῆκαν.
[b] Vers. Ant. *nequitiam.* Græc. πονηρὸν ut Lucif.
[c] Vers. Ant. *Non inhabitabat... qui loquebatur.*
[d] Vers. Ant. *Facies misericordias Domini.* Græc. cum Lucif. vers. ποιῶν ἐλεημοσύνας ὁ κύριος.
[e] *Judicare.* Latin.
[f] *Qui nondum ereptus es;* quæ Lucifero usitata locutio.
[g] Vers. Ant. *Scrutantur*, et *exquirent.*
[h] Vers. Ant. *Zelare... in errore.*
[i] Vers. Ant. *Tormentum mortis; mortis* abest a Græco, ut a Lucifero. Sabat. legit, *tormentum malitiæ.*

mori, et æstimata est malitia [a] *exitus illorum ab* [b] *itinere justo. Abierunt in exterminium, illi autem sunt in pace. Etenim* [c] *si coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est, et* [d] *in paucis vexati, in multis bene disponentur, quoniam Deus tentavit illos, et invenit illos dignos se. Tamquam aurum in fornace probavit illos, quasi* [e] *holocaustam hostiam accepit illos, et in tempore erit respectus illorum : fulgebunt* [f] *tamquam scintillæ, in arundineto discurrent, judicabunt nationes, et dominabuntur populis, et regnabit Dominus eorum in perpetuum* (*Sap.* III, 1). Desideras interficere Athanasium, existimans quod ei si eum mactaveris possis æternum dare malum, ignorans scriptum : *Condemnat justus mortuus vivos impios, et juventus celerius consummata, longævitatem* [g] *injusti. Videbunt etenim finem sapientis, et non intelligent quid cogноverit* [h] *de illo, et quare munierit Dominus : videbunt et contemnent, illos autem Dominus irridebit : et erunt post hæc decidentes sine honore, et in contumelia mortis in perpetuo, quoniam disrumpet illos sine voce inflatos, et commovebit illos a fundamentis, et usque ad supremum deserentur, et erunt in dolore, et memoria illorum periet* [i] *: venient in cogitationem* [j] *peccatorum suorum timidi, et transducent illos ex adverso iniquitates eorum* (*Ibid.* IV, 16). Cernis inter quos sit pars tua constituta : cernis cum qualibus temet feceris stare contra Dei domum ; Athanasium vero videbis inter istos, de quibus infra scriptum accipe : *Tunc stabunt justi in magna constantia adversus eos qui se angustaverunt* [k], *et abstulerunt labores eorum : videntes turbabuntur timore horribili et mirabuntur, in subitatione insperatæ salutis dicent* [l] *inter se pœnitentiam habentes* [m], *et per angustiam spiritus gementes : Hi sunt quos habuimus aliquando in* [n] *risu et in similitudinem improperii. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, et finem illorum sine honore : quomodo* [o] *computati sunt inter filios Dei, et inter sanctos sors illorum est* (*Ibid.* V, 1)! Tunc hæc dicturus es, nisi tibi consulueris, quando videris te demersum in Tartarum : tunc dicturus hæc, quæ dicit dicturos suos [p] persecutores militum Christi scriptura sancta : *Ergo erravimus a via veritatis, et justitiæ lumen non luxit nobis, et sol non* [q] *est ortus nobis ; lassati sumus iniquitatis in via et perditionis, et ambulavimus heremias* [r] *difficiles, viam autem Domini ignoravimus. Quid nobis profuit superbia, aut quid divitiæ* [s] *cum exsultatione contulerunt nobis ? transierunt omnia illa tamquam umbra, et tamquam nuncius percurrens* (*Ibid.* 6). Contra Athanasium visurus es inter illos, quorum gloriam narrans Spiritus sanctus dicit : *Justi autem in perpetuum vivent, et apud Dominum est merces illorum, et cogitatio eorum apud Altissimum. Ideo accipient regnum decoris, et diadema* [t] *de manu Domini, quoniam dextera sua proteget illos et in brachio suo defendet illos* (*Ibid.* 16). Tu contra si in hac manseris animi obstinatione, si censueris finire fragilem hanc vitam inter Arianos, eris inter illos, ad quos item loquitur ore prophetæ Spiritus sanctus : *Audite ergo, reges, et intelligite ; discite, judices finium terræ : præbete aures, vos, qui continetis multitudines* [u], *et placetis vobis in turbis nationum ; quoniam data est a Domino potestas vobis, et virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, et cogitationes scrutabitur regni* [v], *quoniam cum essetis ministri ejus* [x], *non recte judicastis, neque custodistis legem* [y], *neque secundum voluntatem Dei ambulastis. Horrende et cito apparebit vobis, quoniam judicium durissimum in* [z] *his, qui præsunt, fiet : exiguo enim conceditur misericordia, potentes autem potenter tormenta patientur. Non* [a] *subitransiet personam cujusque Dominus, nec verebitur magnitudinem cujusquam, quoniam et pusillum* [b] *et magnum ipse fecit, et æqualiter cura est illi de omnibus : fortioribus autem fortior instat cruciatio. Ad vos ergo, o mali tyranni* [c], *sunt sermones mei, ut discatis sapientiam et non excidatis* (*Ibid.* VI, 2). Tunc, si nec dum nos audieris, Constanti, visurus, quæ nunc videre vales minime per incredulitatem tuam, videbis tunc cum inter contyrannos tuos fueris collocatus in illis locis tormentorum, non solum quod injusta amaveris judicia, sed et quod Dei domum destruere volueris, quod negator Dei Filii exstiteris, quod aliter fidem prædicari sanxeris per manentem [d] potentiam tuam, quam prophetæ et apostoli prædicaverunt. Nec

[a] κάκωσις in Græco. Vers. Ant. *afflictio.*

[b] Vers. Ant. *Et quod a nobis est iter, exterminium; illi autem*, etc. Sed ita interpungendum videtur : *Ab itinere justo abierunt.*

[c] Gr. καὶ γάρ. Vers. Ant. *si.*

[d] *Et* deest in Vers. Ant. Græcus, καὶ ὀλίγα.

[e] Vers. Ant. *Et quasi holocausti. Holocausta hostia* habet idem Lucif. lib. *Mor. esse pro Dei Fil.* Sabat. legit, *Holocausti.*

[f] Vers. Ant. *Fulgebunt justi et tamquam scintillæ in arundineto. Et* additur etiam a Latinio et in Gr.

[g] Vers. Ant. *Longam vitam... enim.*

[h] Vers. Ant. *Cogitaverit... de illo Deus... munierit illum.... contemnent eum.... contumelia inter mortuos in perpetuum... desolabuntur et erunt gementes.*

[i] Pro *peribit*, ut ante *exiet* pro *exibit*. Til. Vers. Ant. *peribit.*

[j] Vers. Ant. *In cogitatione ipsorum.*

[k] Vers. Ant. et Sabat. *Angustiaverunt, et qui.*

[l] Græcus, ἐροῦσιν. Vers. Ant. *Dicentes intra se.*

[m] *Agentes* legit Sabat. Vers. Ant. *Agentes et præ angustia.*

[n] Cum Græco, εἰς γέλωτα. Vers. Ant. *in derisum; in risum*, Latin. et Sabat.

[o] *Ecce quomodo* habet Sab. et Vers. Ant.

[p] *Vos.* Latin.

[q] Vers. Ant. *Sol intelligentiæ.* A Græco abest *intelligentiæ.*

[r] Id est, *loca deserta, ardua, ac difficilia.* Ierum ut supra Græcam dictionem, quod sæpissime facit, usurpat. *Til. et La Cerda.* Græc. ἀτρίβους, in Vers. Ant. *vias.*

[s] Ex Græc. πλοῦτος μετὰ ἀλαζονείας. Vers. Ant. *Aut divitiarum jactantia quid contulit.*

[t] Vers. Ant. *Diadema speciei, et teget eos, et brachio sancto suo.* In Græco omitt. *sancto suo.*

[u] Vers. Ant. *Multitudines.*

[v] Vers. Ant. *Cogitationes scrutabitur*, omisso *regni.* Demitur etiam a Latin. et Sabat.

[x] *Ministri regni illius.* Vers Ant. et Sab.

[y] Vers. Ant. *Legem justitiæ*; abest a Græco *justitiæ.*

[z] *In* omittit Vers. Ant.

[a] Vers. Ant. *Non enim subtrahet..... cujusquam Deus, nec verebitur.*

[b] *Pusillum.* Vatic. et Vers. Ant.

[c] Ut in Græco τύραννοι. Vers. Ant. *Reges, sunt hi serm.*

[d] *Amentem.* Latin.

poteris dicere : *Non sum inter illos quos describit per Salomonem Spiritus sanctus;* quando audias dicere : *Ad vos ergo, o mali tyranni, sunt sermones mei* (*Sap.* VI, 10). Non poteris itaque negare te omnium esse contyrannorum tuorum principem, si modo penitus intuearis opera tua. *Custoditio*, inquit Propheta, *legum, confirmatio* [a] *incorruptionis est, incorruptio autem faciet te proximum Deo* (*Ibid.* 19). Tu ad hæc, *Corrumpite*, inquis, *Dei legem;* ut corrupistis vos, persecutores nostri. Quis tam vecors est, qui velit corruptus a te in æternum perire? qui nolit manendo in integritate proximus fieri Deo? Cur hæc aut ipse fecisti, aut nos facere fueras compellere ausus? Numquid non legeras dixisse in libro Sapientiæ Salomonem ad Deum : *Deus parentum* [b], *et Domine misericordiarum, qui fecisti omnia verbo tuo, et sapientia* [c] *constituisti hominem, ut dominetur creaturæ quæ a te facta est, ut disponat orbem terrarum in justitia et æquitate, et in directione animi judicium judicet* (*Ib.* IX, 1). Et iterum : *Docuisti populum tuum per talia opera, quoniam oportet justum esse, et humanæ* [d] *et bonæ spei fecisti filios tuos* (*Ib.* XII, 19). Non, inquam, si hæc scripta inveneras, auderes ad tantam provocare nos inhumanitatem. Quomodo vero bonæ spei filii erimus? Quomodo justos nos et humanos ante Deum servos illius exhibebimus? cum prævaricatores legis neque justi neque filii Dei dicantur. Cognosce itaque a quali nos bono volueris pertrahere ad mortem, et quidem sempiternam. Siquidem omnis qui desinit esse inter eos, quos in filiorum adoptionem vocaverit Deus, sit amittens vitam, sit perpetuam possidens mortem. Cum igitur sitis Ariani inhumani, impii, crudeles, homicidæ, quomodo dici christiani poteritis? sed et cum negetis Christum unicum Dei Filium, et confiteamini credidisse vos in antichristum, unde aut quomodo vos poteritis Christi probare servos, cum manifestaretis [e] vosmet vestra professione esse famulos antichristi? Antichristus etenim, in quem Arius crediderit, re vera [f] *fuit, quando non fuerit :* contra noster Salvator Dominus ac Deus Dei unicus Filius, non est, ut tu vis, Constanti, creatura, sed est Dominus creaturæ; est æternus, inæstimabilis, sicut est, et cujus est Filius; induit sane perfectum hominem novissimis diebus de utero virginis; sed et cum suscepisset hominem, talis est immutabilis, incorruptibilis, inenarrabilis, et inconvertibilis, qualis est et cujus est Filius; non cum suscepti hominis causa in aliud, quam quod semper fuit, potuit convertere; quandoquidem in forma sit Dei patris sui, quandoquidem sit æqualis Filius Patri, ut refert beatissimus Apostolus : *Qui cum in forma Dei esset* [g], *non est rapinam arbitratus esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit formam accipiens servi* (*Philip.* II, 6). Non enim quia dixit, *semetipsum exinanivit, formam servi accipiens* Deus Dei unicus Filius aliud fieri potuit ex illo, quod est incorruptibilis, inenarrabilis, immutabilis, cum sit semper in eo statu æternæ magnitudinis manens, in quo sit manens et ejus Pater. Sed utique intelligimus quod sit [h], *sed semetipsum exinanivit*, hoc est, cum [i] sit similis atque æqualis Patri Filius, tamen quod et hominem se propter nostram salutem fieri voluerit. Cum itaque tu antichristum susceperis pro Christo, quia re vera ille *fuerit, quando non fuerit*, qua fronte adhuc es resistens christianis? nisi illa, qua solent et adulteræ pudicis? Ausus fuisti tentare, dominari velle Dei populo, subjicere velle ecclesiam Dei tuo regno, divinam majestatem illius tantum metuentem tuo futili imperio : et hoc quidem fecisti, quia nesciens sis scriptum esse de vobis tyrannis : *Propter hoc indisciplinatæ animæ erraverunt : dum enim persuasum habent iniqui posse se* [j] *dominari nationi sanctorum, vincti tenebrarum catenis, et longa nocte compediti, inclusi sub tectis, fugitivi* (*Sap.* XVII, 1). Conspicis jam te esse inter illos Dei populi persecutores, de quibus legisti, quod *una catena tenebrarum sunt* [k] *omnes colligati* (*Ib.* 17). Et iterum : *Digni quidem illi* [l] *carere lumen et pati car-*

[a] Græc. βεβαίωσις. Vers. Ant. *consummatio*. Et paulo post, *facit esse*, pro *faciet te*.

[b] Vers. Ant. *patrum meorum : meorum* abest etiam a Græco.

[c] Vers. Ant. *Sapientia tua ..... ut dominaretur ..... directione cordis*, etc.

[d] *Et humanum*. Lat. et Vers. Ant. Sed vereor, ne mendum irrepserit, cum paulo inferius dicat Lucifer, *quomodo justos nos et humanos*, etc. unde arguas eum scripsisse *justum et humanum*.

[e] *Cum manifestetis*. Latin.

[f] Utitur ea formula Lucifer adversus Antichristum, qua Ariani, cum Jesu Christi divinam æternitatem negarent : *Fuit, quando non erat*.

[g] Vers. Ant. *Constitutus* pro *esset*.

[h] *Quid sit*. Vatic.

[i] Jesum Christum Patri solummodo similem ὁμοιον esse, quidam ex Arianis dicebant, nulla *substantiæ* vel *usiæ* facta mentione : κατὰ πάντα vero ὅμοιον esse Filium Patri Semiariani, et Homœusiastæ affirmabant, Eusebio Cæsariensi magistro. At cum perfecta similitudo nihil ab æqualitate et identitate naturæ differat, ideo hæc propositio, *Filius* ὅμοιος *Patri est*, pro diverso enuntiantis consilio et Catholica et Ariana poterat censeri; et complures e Semiarianis, explicato suæ mentis sensu, inter Catholicos propterea admissi, cum ὁμοιούσιον idem plane esse ac ὁμοούσιον confiterentur. Lucifer igitur *similem* Patri Filium dicit juxta perfectam similitudinem, qua proinde et æqualis est, et ejusdem cum Patre naturæ; unde *æqualem etiam* appellat, tamquam per *æqualitatis* vocabulum *perfectam similitudinem* indicare voluerit. Sed Hilario Arelatensi hujusmodi voces tum ὁμοίου, tum ὁμοιουσίου valde erant suspectæ; quare in responsis apologeticis pro libris suis de Synodis hæc ad Luciferum scribit : *Satis absolute, domine frater Lucifer, cognosci potuit, invitum me homœusii mentionem habere. Sed quia tu similitudinem Filii ad Patrem prædicabas, demonstratio ejus a me fuit exponenda sine vitio :* quod pluribus in locis ipse præstat.

[j] *Se* omittit Vers. Ant. quæ postea habet, *Vinculis tenebrarum et longæ noctis compediti*.

[k] *Erant*. Vers. Ant.

[l] Pro *lumine et luce privari;* ubi accusativum pro ablativo usurpat. *Til. et Latin.* Sunt qui emendant, *carere lumine;* quod non fero in hoc auctore. *La Cerda.*

cerem tenebrarum, qui inclusos custodiunt [a] *filios tuos, per quos incipiebat incorruptum legis lumen vitæ* [b] *omnibus dari* (*Sap.* XVIII, 4). An negabis Dei antistites te tenere [c] in claustris? Et cum es detinens ne prædicemus certe Dei populo veritatem, cur nos retines in carcere? cur mittis ad exsilia? nisi quia sis metuens ne vos lupos Arianos, rapaces canes rabidosos [d] atque antichristos esse temporis nostri, manifestemus sacris revelantibus scripturis. Sacræ enim scripturæ probant vos ex actibus vestris non esse Dei servos, sed plane filios diaboli. Si enim non es unus ex illis, quos tales futuros sacræ clamant scripturæ, cum scriptum inveneris in CXXXI psalmo: *Surge, Domine, in requiem tuam, tu et arca sanctificationis tuæ: sacerdotes tui induantur justitiam* (*Ps.* CXXXI, 8); cur damnari a nobis absentem voluisti? certe ad hoc ut justitiam, qua nos induerat Dominus, amitteremus. Cum enim dicat: *Sacerdotes tui induantur justitiam*, et tu injustitiam nos urgeres facere, quid aliud essemus, si fecissemus quod tuæ malevolentiæ fuerat visum, nisi conscelerati tui, nisi totius iniquitatis fontes? hi scilicet, qui deponentes justitiæ officium, injustitiæ, ut tibi placeremus, essemus suscepturi. Persequeris Dei domum, Constanti, ignorans teipsum Deum persequi in domo ejus: domus etenim Dei est ecclesia, in qua est inhabitans Dominus, sicut scriptum est in eodem psalmo: *Elegit Dominus Sion, prælegit eam in habitationem sibi* [e]*: hæc requies mea in sæculum sæculi, hic habitabo quoniam prælegi eam* (*Ib.* 13). Cum hæc itaque sint, temet puniri conspice, quando alium nostrorum punis tuam; te salutem persequi, quando sis Deo repugnans, non nos, in quos audias Deum dicere, quod enim dignetur requiescere. Tu ergo qui templa Domini tentas violare, nisi te converteris, eo dispereas genere, quo illi, de quibus dicit David in psalmo CXXXV: *Qui percussit Ægyptum cum primitivis eorum, quoniam in sæcula* [f] *misericordia ejus, et eduxit Israel de medio eorum, quoniam in sæculum misericordia ejus, in manu forti et brachio excelso, quoniam in sæculum misericordia ejus. Qui divisit mare rubrum in divisionem* [g], *quoniam in sæculum misericordia ejus, et transduxit Israel per medium ejus, quoniam in sæculum misericordia ejus, et excussit Pharaonem et exercitum ejus in* [h] *mare Rubrum* (*Ps.* CXXXV, 10). Qua de re hæc scripta invenio? nisi ut crederem, quia cum tu me premere tentares, Deus meus quod sic potuisset, nisi te convertisses, exstinguere, quomodo Pharaonem, et me quod sic fuisset erepturus de manibus tuis, quomodo et illos de Pharaonis potestate. Idcirco etenim dicit ad singulas virtutes, *quoniam in sæculum misericordia ejus*, ut mihi aperiret, quoniam Domini misericordia mecum sit semper permanens, qui ei tantum sim serviens, tecum vero esse non posse, quia videlicet inimicus illius sis, quomodo fuit et Pharao. Noluimus damnare absentem; noluimus in eum quem scimus innocentem, et in eum quem novimus catholicæ fidei prædicatorem, dare juxta desiderium tuum sententiam. Quare? quia nos christiani in Deum porreximus spem nostram, non in te, ac regnum tuum caducum. Noluimus de gloria regni tui nobis placere, qui gloriam consecuturi [i] sumus, exspectantes ab eo, in quem solum confidendum esse atque sperandum docens dicit David in psalmo CXLV: *Nolite confidere in principibus, et* [j] *in filiis hominum, quibus non est salus: exibit spiritus ejus et revertetur* [k] *in terram suam: in illa die peribunt omnes cogitationes eorum. Beatus* [l] *cujus Deus Jacob adjutor ejus, et spes ejus in Domino Deo ipsius qui fecit cœlum et terram, mare et omnia quæ in eis. Qui custodit veritatem in sæculum, facit judicium injuriam patientibus* (*Ps.* CXLV, 2). Noluimus injuste tecum persequi justitiæ plenum fructibus, ne dum de te vindicta cœpisset consequi, fuisset consecuta etiam de nobis: non fecimus quod injuste præcepisti nos implere, ne tecum veniremus ad illum locum, qui in Ecclesiastico [m] describitur: *Et Deus requiret* [n] *eum, qui persecutionem patitur* (*Eccl.* III, 15); et adhuc: *Vidi sub sole locum judicii, illic* [o] *impius: et locum justi, illic pius* (*Ib.* 16). Noluimus vobis conjungi hæreticis, noluimus tecum dare manus ad Dei impugnandam domum, noluimus tecum idololatriam suscipere in contumeliam Dei, noluimus sacrilegio tuo misceri, ne et nos audire mereremur tecum illa, quæ ore Oseæ prophetæ audient sacerdotes, populus et rex Israel, qui cuncti derelicto Deo ad idololatriam se contulerant: *Audite hæc, sacerdotes, et attendite, domus Israel, et domus regis intuemini* [p]*: ad vos est judicium, quia ut laqueum facti estis ad insidiam, et sicut retia extensa ad aviarium venantis* (*Os.* V, 1). Apud Amos prophetam sciebas

[a] *Custodiebant.* Vers. Ant.
[b] Eadem. *Sæculo dari*, omisso *vitæ*.
[c] Addendum forte *nos*. Latin.
[d] *Rabidos.* Vatic.
[e] Vers. Ant. *Suam*, quæ habet etiam *prælegit*, pro *prælegit*.
[f] *Sæculum.* Vers. Ant.
[g] *Divisione.* Vers. Ant.
[h] Ut in Græco, εἰς θάλασσαν Ἐρυθράν. Vers. Ant. *in mari Rubro.*
[i] *Consequi sumus.* Vat. mendose.
[j] Vers. Ant. *Neque in..... spiritus eorum.*
[k] *Et revertetur in terram suam*, abest a Vers. Ant., sed legitur in Græco.
[l] Latin. hæc verba *Beatus*, etc. demenda censet; sed contra Luciferi sententiam, quæ patet.
[m] Hic liber est, quem Septuag. et Vulg. *Ecclesiasten* appellant; *Ecclesiastici* vero nomine intelligitur liber, cui titulus Σοφία Σιράχ apud Septuag. id est *Sapientia Sirach.* Si mendum abest ab hoc Luciferi loco, haud usitato quidem a veteribus titulo Ecclesiastes librum notavit.
[n] *Quæret.* Vers. Ant.
[o] Lucif. cum Græc. ἐκεῖ ὁ ἀσεβὴς, καὶ τόπον τοῦ δικαίου, ἐκεῖ ὁ ἀσεβής. Vers. Ant. *Ibi impietas, et locum justitiæ, ibi iniquitas.*
[p] Vers. Ant. *Domus regis auribus percipite: ad vos enim..... quia laqueus facti estis speculationi, et sicut rete expansum super Itabyrium.*

utique scriptum, quando dedisti disciplinam, exemplum damnandi scilicet innocentem; *Qui fecit* [a] *in excelso judicium, et justitiam in terra posuit* (*Am.* v, 7). Dei justitiæ violator, Michæam prophetam dixisse numquid ignorabas de Juda et eorum principibus? *Non levaverunt ad Deum manus suas, et concupiebant* [b] *agros, et diripiebant orphanos, et domum per potentiam invadebant, et diripiebant virum et domum ejus, virum et hæreditatem ejus: propter hoc hæc dicit Dominus: Ecce ego cognosco* [c] *super plebem mala, ex quibus non levabitis cervices vestras* (*Mich.* II, 1). Sed tibi cum proscribere digneris, deportare, mittere in carcerem, torquere, postremo interficere Dei cultores, nihil malorum repræsentabitur? Noluimus misceri actibus tuis nefandis, ne tecum ad æternam damnati pœnam hæc audiremus, quæ dicuntur apud Michæam a Deo: *Audite* [d] *itaque hæc, præpositi domus Jacob, et residui domus Israel, qui abominamini judicium, et omnia recta pervertitis. Qui* [e] *ædificastis Sion et Jerusalem in sanguinem iniquitatibus. Judices* [f] *ejus cum muneribus judicabant, et sacerdotes ejus cum mercede respondebant, et prophetæ cum pecuniis divinabant, et in Domino requiescebant, dicentes: Dominus in nobis est, et non venient in nos mala* (*Ib.* III, 9). Non legeras adhuc apud istum sanctissimum prophetam, ut damnari juberes virum Deo dicatum? *In quo* [g] *comprehendam Dominum, assumam Deum meum excelsum. Si comprehendam eum in holocaustis aut* [h] *in vitulis anniculis, aut* [i] *si suscipiet Dominus in millia arietum, aut in decem millia hædorum pinguium, aut dabo primogenita mea impietatis* [i]*, fructum ventris mei pro peccatis animæ meæ. Renuntiandum* [k] *tibi est, homo, quod sit bonum, aut quid Dominus exquisivit* [l] *a te aliud, nisi ut facias judicium et justitiam, et diligas misericordiam, et paratus sis ire cum Domino Deo tuo* (*Ib.* VI, 6)? Nec apud Habacuc inveneras scriptum: *Impius per potentiam oppressit* [m] *justum* (*Habac.* I, 4)? ut ita sceleratum fuisses aggressus opus quod te apud Deum posset facere impium. Item infra non inveneras positum? *Cur* [n] *inspicis super contemptores? tacebis ob hoc, quod* [o] *devoret impius justum* (*Ib.* 23). Et idcirco nos videntes quia tu impius justum devorare tentaveras, verum [p] non solum non tacuimus male te agere, sed nec tacebimus. Non enim alius es ab eo, propter quem dicitur: *Placens* [q] *et contemptor vir superbus nihil proficiet, qui dilatavit sicut infernus animam suam, et ipse ut mors insatiabilis* (*Ib.* II, 5). Non poterit dici quod non conveniat dici de te, si digneris mecum recordari scelera facinorum tuorum, et si funera tua non fueris tardus recensere. Quis etenim alius nostris diebus sibi placens, contemptor, superbus, nihil proficiens, qui dilataverit sicut infernus animam suam, et quia æstimari possit esse ut mors insatiabilis, reperiri potest, nisi tu? Sed conspice nihil te posse proficere, dici tibi a Deo. Licet enim contemptor Dei præceptorum sis, ejus licet religionem cupiens persequi, eo usque dilataveris animam tuam ad Dei mactandos cultores, ut toto in regno non digneris desinere gregem vexando Domini; tamen nihil proficit omnis infestatio tua. Cuncti etenim, quos persequeris, Dei semper et sunt et erunt servi. Tu vero, nisi tibi provideris, in æternum eris periturus: tibi placens, contemptor, superbus, quia sis dilatans animam tuam tamquam inferus ad nos devorandos pariter et absorbendos, propterea quod male tibi agenti resistamus, factus ut mors insatiabilis, furiis ageris in nostram necem. Adeo nequam es, Constanti, ut cum prophetam invenio dicere: *O qui mihi fundat* [r] *fundationem malam domui suæ, ut collocet in altum nidum suum* (*Ib.* 9), tu mihi atque hæreditas antichristi, cui faves, ante oculos obversetur, cognoscens conatus tuos illos sacrilegos. Non enim potest dubitari te conatum et conari, ut toto in regno tuo posset fundari hæresis tua, destrui vero fides catholica. Sed et cum audio dicatum Deo prophetam dicere: *Væ qui ædificant* [s] *civitatem in sanguinibus, et præparant civitatem in iniquitatibus* (*Ib.* 12); tu mihi esse videris, qui speluncam latronum sis per sanguinis fusionem ædificans, per necem Dei servorum. Aut negabis speluncam latronum esse vestrum malignum concilium

[a] **Cum Græco Septuag.** Ὁ ποιῶν εἰς ὕψος κρῖμα, καὶ δικαιοσύνην εἰς γῆν ἔθηκεν. Vers. Ant. *Facit.*

[b] Vers. Ant. *Desiderabant .... pupillos, et domos opprimebant, et rapiebant ..... propterea hæc.*

[c] *Cogito.* Latin. cum Græc., Vers. Ant. et Vulg. Præterea Vers. Ant. *Super tribum istam mala, de quibus non auferetis colla vestra.*

[d] Vers. Ant. *Audite hæc duces .... et reliqui.*

[e] *Qui ædificatis Sion in sanguinem, et Jerusalem in iniquitatibus.* Latin. ex Græco, Vers. Ant. et Vulgata. Vers. Ant. *In sanguinibus.* Vulg. *In iniquitate.* Sabat. legit *ædificatis* in Lucifero.

[f] Vers. Ant. *Duces ejus in .... in mercede .... prophetæ ejus in ..... et super Dominum ..... Nonne Dominus .... ? non venient super nos mala.*

[g] *In quo apprehendam Dominum? si suscipiam Deum*, etc. Vers. Ant. *Si abest a Græco*, ut a Lucif.

[h] *Aut* demitur a Latin. deest in Græco et Vers. Ant. *Apprehendam.* Vers. Ant.

[i] Græc. *εἰ προσδέξεται*, abest *aut.* Vers. Ant. *Suscipiat .... in millibus ..... vel in decem millibus hircorum ..... aut dabo*, etc. Sabat. legit: *Suscipiam Dominum.*

[i] Cum Cypr. lib. 3 Testim. Vers. Ant. *Pro impietate .... pro peccato.* Sabat. *Pro mea impietate.*

[k] *An renunciatum tibi est*, etc. Latin. *Annunciatum est tibi homo quid bonum.* Vers. Ant. *Quid* habet etiam Sabat.

[l] Vers. Ant. *Quærat a te: nisi ut facias judicium, et diligas .... ambulare cum Deo tuo.*

[m] Græc. καταδυναστεύει. Vers. Ant. *Impius prævalet adversus justum.*

[n] Cum Græco in edit. Rom. et Compl. ἵνατι ἐπιβλέπεις; Vers. Ant. *quare non aspicis*, etc.

[o] Ferme cum Græco in edd. iisdem ἐν τῷ καταπιεῖν ἀσεβῆ τὸν δίκαιον. Vers. Ant. *Cum devoraverit impius justiorem se*: omisso, *ob hoc.*

[p] *Virum*, commate postposito. *Latin.*

[q] Vers. Ant. *Arrogans est ..... nihil perducit ad finem ..... sicut infernus ..... et iste quasi mors, non adimpletur.*

[r] Vers. Ant. *O qui multiplicat avaritiam malam ..... ut ponat in excelso*, etc.

[s] *Ædificat, et præparat urbem.* Vers. Ant.

Arianorum? Si non estis latrones, quomodo interficere invenimini Deo dicatos? Civitates in sanguine qui ædificant, væ habent. Prudentissimus imperator, non vidisti, væ tibi posse esse, quia hæresem tuam per sanguinis Dei hominum fusionem putasti reædificandam? Dicit Spiritus sanctus per Sophoniam prophetam: *Quærite Dominum, et* [a] *omnes humiles terræ judicium operamini, et justitiam quærite, et respondete, ea sic ut tegamini* [b] *in die iræ Domini:* tu dicis: *Damnate innocentem, estote mecum homicidæ, sacrilegi* (*Soph.* II, 3); an non hæc sunt, quæ nos facere præcipis? Imperasti damnari Domini sacerdotem, nec non imperasti Arianam perfidiam tenendam, rejiciendam vero fidem apud Nicæam conscriptam. Si hæc impleri mandasse te refragari non potes, conspice et homicidas et sacrilegos nos efficere voluisse. Dicit Deus: *Et erit in illo die: Scrutinabo* [c] *Jerusalem cum lucerna, defendam* [d] *super viros, qui* [e] *contemptores sunt, ne custodiant mandata* (*Ib.* I, 12): et tu inquis, tua magis atque conblasphemorum tuorum custodienda. Quomodo poteramus damnare injuste justitiæ fructibus plenum Domini sacerdotem, cum videamus qualis comminatio fuerit oborta contra Judæorum præpositos, vel contra omnes eorum conscios qui hæc quæ agis egisse noscantur? *O quæ erat splendida* [f] *et redempta civitas, columba: non exaudivit vocem, non percepit disciplinam, in Domino non confidit, et ad Deum suum non accessit. Principes ejus sicut leones fremunt, judices ejus sicut lupi Arabiæ, non subreliqui* [g] *erunt in mane: prophetæ ejus spirituales, viri contemptores, sacerdotes ejus contaminant se* [h] *et impie agunt. Dominus autem justus est in medio ejus, et non faciet injuste* (*Ibid.* III, 1). Cum hæc ita se habeant, et nobis licitum minime sit injustum proferre judicium, superest autem unum te facias esse ex ejus servis, et discas judicium proferre; aut si semper Dei vis esse inter adversarios, judicium tuum solus prome injustum, desine nos cogere facere quod fieri cernas divinitus prohibitum. Desine jam criminari Athanasium vel nos quod [i] nos Dei destruamus domum, quando invenias apud Zachariam te atque contyrannos tuos esse descriptos, quod enim futuri essetis Dei hæreditatis persecutores vos, quos dicit supra modum vobis usurpasse potestatem. Crudelitatem etenim narrans vestram dicit Dominus: *Zelatus sum Jerusalem et Sion zelo magno, et ira magna ego irascor super gentes, quæ se* [j] *superponunt vobis, propter quod ego iratus sum minima. Ipsi autem composuerunt se in mala* (*Zach.* I, 14). Audes, tenebrarum amator, exsecrator luminis, dicere: *Damnate innocentem*, cum dignetur præcipere nobis Deus per Zachariam dicens: *Judicium justum judicate, et pietatem* [k] *et misericordiam facite unusquisque ad fratrem suum: et viduam, et orphanum, et proselytum* [l], *et pauperem, per potentiam nolite nocere, et malitiam unusquisque non reminiscatur fratris sui in corde suo* (*Ib.* VII, 9). Cum hæc sint mandata cœlestia, tu cujus auctoritate dixisti, *Laniate consertum vestrum?* Si Dei mandatis te protulisse hanc auctoritatem dixeris, non poteris probare, quoniam quidem inveniri non possit in sacris scripturis præceptum Dei, innocentem damnandum. Cum itaque ea feceris, quæ lex prohibet Dei, constat te hanc auctoritatem ex voluntate illius protulisse, qui vocetur inimicus Dei; unde et illis compareris necesse est, quibus dicitur per prophetam: *Et* [m] *dissuaserunt ne observarent, et dederunt dorsum stultitiæ, et aures suas et cor suum statuerunt insuadibile, ne obedirent; degravaverunt, ut non obedirent legem* [n] *meam* (*Ibid.* 11). Et infra: *Non* [o] *exaudierunt; si clamabunt, et non exaudiam eos, dicit Dominus omnipotens* (*Ib.* 13). *Animæ, quiescite* [p]: *hæc sunt verba quæ facialis: loquimini veritatem unusquisque ad proximum suum* [q], *et judicium pacificum et justum judicate in portis vestris: et unusquisque malitiam proximi sui* [r] *nolite cogitare in cordibus vestris, et jusjurandum falsum nolite diligere, quoniam hæc omnia odi, dicit Dominus omnipotens* (*Ib.* VIII, 15). Quid me cogis facere ea, quæ odio se habere dicit Dominus omnipotens? Sed instruens Dominus de jejunio, *Pacem*, inquit, *et veritatem diligite* (*Ib.* 19). Quomodo pacis atque veritatis amatores esse poteramus, si innocentem falsis per te ac tuos criminibus prægravatum, tam-

[a] *Et* demitur a Latin., et abest etiam a Vers. Ant.

[b] Vers. Ant. *Ea ut protegamini.*

[c] Pro *inquiram* dicit, unde *scrutinium* pro *inquisitione* et *catechesi* usurpatur etiam apud veteres. *Til.* et in Cerda. *In die illa: Scrutabor.* Vers. Ant.

[d] *Ulciscar.* Latin. cum Vers. Ant. addito, *et.*

[e] *Qui contemnunt custodias suas.* Vers. Ant.

[f] Vers. Ant. *O illustris ..... audivit ..... suscepit ..... non est confisa ..... appropinquavit. Principes ejus in ea veluti rugientes leones.*

[g] *Dimitrebant.* Vers. Ant. et *prophetæ ejus portantes spiritum.* Sabat. legit in Lucif. *subreliquerunt.*

[h] *Sancta.* Latin. ex Græco cum Vers. Ant. in quo, *Polluunt sancta, et impie agunt in legem. Dominus ..... non faciet iniquitatem.*

[i] *Quod enim nos.* Vatic.

[j] *Quæ superimpositæ sunt, pro eo quod ego quidem .... modicum; ipsi vero superpositi sunt in mala.* Vers. Ant.

[k] Vers. Ant. *Et misericordiam, et miserationem faciat.*

[l] Omittitur a Vers. Ant., sed inest Græco. Vers. Ant. *Et pupillum et pauperem non opprimatis: et malitiæ unusquisque fratris sui nolite meminisse in cordibus vestris.*

[m] Vers. Ant. *Et noluerunt attendere, et dederunt dorsum contemnens, et aures suas aggravaverunt, ut non audirent; et cor suum posuerunt inobediens, ut non audirent legem meam.* Sabat. legit in Lucif. *insuasibile* et *degravarunt.*

[n] Pro *legi meæ*, ut supra *carere lumen* pro *lumine*; id est, *ut non parerent legi meæ.* Til.

[o] *Non audierunt eum; sic clamabunt, et non*, etc. Vers. Ant.

[p] Vers. Ant. *Cum proximo suo; veritatem et judicium ..... malum proximi sui non cogitet ..... et juramentum mendax ne diligatis, quia*, etc.

[r] *Tui.* Vatic.

quam reum puniremus ? aut quæ erat pax ? cum hæc faciendo etiam a pace Domini potuissemus rejici. Neque enim pax Domini dicentis : *Pacem meam relinquo vobis, pacem meam do vobis* (*Joan.* XIV, 27), relinqueretur ab eo in nobis, cum alio ipsi tulissemus injuste. Quis ignorat recedente disciplina recedere et gratiam ? Apud Malachiam dicit Deus : *Filius honorificat* [a] *patrem, et servus Dominum suum* [b]. *Et si pater sum ego, ubi est honor meus* [c] ? *dicit Dominus omnipotens* (*Mal.* I, 6). Quem igitur timorem atque honorem Deo facturi eramus, si fecissemus, quæ tu fieri mandasti ? Illa enim tua præcepta et timorem et honorem Dei nituntur auferre dicatis ejus clementiæ. Sed et infra tuam specialiter operam manifestans, dicit : *Exacerbatis* [d] *Deum in verbis vestris, et dixistis : In qua re exacerbavimus eum ? in eo quod dicatis : Omnis qui facit malum, bonum est coram Deo, et in ipsis benedicet : et ubi est Deus justitiæ* (*Ibid.* II, 17) ? Propheta dicit : *Ubi est Deus justitiæ*, contra eos qui dicunt : *Qui facit malum, bonum est coram Deo, et ipsis benedicet :* et tu das mandata, fundendum cruorem justorum, et adhuc dicis te Dei servum, cum sis ipsius dissipator legis. Justum est damnare absentem, et quidem innocentem, aut injustum ? Si justum non est, quia cogis [e] facere nos eam rem per quam puniri mereamur a Deo ? Tobias, *Omnibus*, inquit, *diebus vitæ tuæ, fili, Deum in mente habe, et noli peccare velle, vel præterire præcepta illius. Justitiam fac omnibus diebus vitæ tuæ, et noli ambulare* [f] *per viam iniquitatis, quoniam agente te ex veritate, erit respectio operibus tuis et omnibus qui faciunt justitiam* (*Tob.* IV, 6). Dic, Constanti, justitiam facit, qui interficit innocentes ? qui servorum Dei fundit sanguinem ? Si non facit justitiam, sed magis iniquitatem, restat ut te videas esse iniquitatis amatorem, atque omne iniquum fabricantem opus. Etenim cum justitiam nos in omni tempore facere hortetur sacra lex, et tu compellas facere injustitiam, quem te alium velis habeam nisi et injustitiæ amatorem et perpetratorem ? *Omnibus*, inquit, *diebus vitæ tuæ, fili, Deum in mente habe* (*ibid.*) ; cum eumdem reliqueris hærendo Arianis. Hi etenim non eum derelinquimus, qui fidem tenemus apostolicam. Quomodo non præcepta ejus præteris, qui interficias servos ejus A nomini majestatique dicatos ? cum sis eos cogens derelinquere eum, et fieri conserpentes atque coapostatas tuos ? Nos odio apud te laboramus, quia tibi vera dicamus, quia te vivere nobiscum velimus in æternum ; illos vero es diligens, qui ad te transitum fecerint, illos qui cum tibi primum contraxerint [g], postea tamen servire nefariis meditationibus tuis, quam Dei parere præceptis maluerint. Gaudens es quod eosdem tua calliditate illiciens ad suscipiendam perduxeris hæresim tuam, quod in omnibus eos habeas subjectos, illos quos jampridem videras pro nihilo te dicere [h], quos cernebas calcare propter veritatem regni tui auctoritatem. Sed scire te volumus non esse novum hoc factum, sed sæpe ita esse actum a perfidis atque inconsideratis, ab eis, quos præscius futurorum ore sanctissimi Malachiæ præostenderit prophetæ (*Mal.* III, 13) : *Gravastis* [i] *adversum me consilia vestra, dicit Dominus omnipotens, et dixistis : In qua re detraximus de te ? quia dixistis : Vanus est omnis qui servit Deo, et quid amplius ? Quod custodivimus præcepta illius, et ambulavimus deprecantes ante conspectum Domini omnipotentis. Et nunc nos magnificamus alienos, et renovantur omnes facientes iniqua : et restiterunt Deo* [j], *et salvati sunt. Hæc detraxerunt* [k] *qui timent Deum, unusquisque ad proximum suum : et intendit Dominus, et exaudivit, et scripsit librum memorialem coram se timentibus Dominum et metuentibus nomen suum. Et erit* [l] *mihi, dicit Dominus omnipotens, in die qua ego facio, in possessione ; et eligam eos, quemadmodum eligit homo filium suum bene servientem sibi : et conversi videbitis quantum sit inter justum et injustum, inter servientem Deo et non servientem. Quia ecce dies venit Domini,* [m] *ardens sicut clibanus, et uret eos, et erunt omnes alieni genæ, et omnes qui faciunt scelera ut sarmenta, et succendet eos dies Domini, quæ venit, dicit Dominus omnipotens, et non derelinquetur ex eis radix, nec vitis* (*Ib.* IV, 1). Deum dicere hæc audiens, quia adhuc in malis tuis esse digneris, gaudere te etiam in hoc arbitror, quod cum prævaricatoribus, cum Deum derelinquentibus, illa percepturus sis ab eo. Væ tibi homicidæ atque sacrilego, quoniam nisi pœnitentiam factorum tuorum egeris, eris ut nunc es inter illos, quos ore Esaiæ increpat Deus dicens (*Is.* I, 4) : *Væ, gens peccatrix, te ? Et dixistis : Vanus est qui ..... quid amplius quia..... mandata ejus, et quia..... supplices ante faciem..... Et nunc nos beatos dicimus alienos, et ædificantur omnes qui faciunt iniquitatem..... et salvi facti sunt.*

[a] Vers. Ant. *Glorificat.*

[b] *Dominum suum timebit.* Vers. Ant. *Timebit* abest a Græco Cod. Vatic. ut a Lucif.

[c] Vers. Ant. *Ubi est gloria mea ? et si Dominus ego sum, ubi est timor meus ? dicit*, etc.

[d] *Exacerbastis* melius legit Sabat. Versio Ant. *Provocastis Dominum in sermonibus vestris ..... In qua re provocavimus ..... dicitis ..... bonus est in conspectu Domini, et in his sibi complacet.*

[e] *Quare.* Latin. *Quia* ponitur pro *cur :* uno etenim pro altero sæpissime utitur, et pro *cum* etiam, ut cum occurret, dicetur. *Til.* et ex eo Galand.

[f] Vers. Ant. *Ire in viam..... respectus in operibus*, etc.

[g] *Contradixerint.* Latin. et Galand.

[h] *Ducere.* Latin.

[i] Vers. Ant. *Ingravastis super me verba vestra, dicit Dominus. Et dixistis : In quo locuti sumus contra*

[j] *Deo* hic omittit Sabat.

[k] Græc. κατελάλησαν. Vers. Ant. *Loculi sunt..... et attendit..... et audivit..... librum monumenti in conspectu suo his qui timent..... et qui reverentur nomen ejus.*

[l] Vers. Ant. *Et erunt mihi..... in acquisitionem ; ... sicut... filium suum, qui servit ei. Et convertar, et videbitis quid sit..... iniquum, et inter..... et eum qui non servit ei.*

[m] *Domini* abest post *dies* utroque in loco Vers. Ant. ubi pro *ut sarmenta* legitur *stipula*, pro *ex eis*, ut in Græco, *in eis*, et pro *vitis, ramus ;* et alia quædam minima variant.

populus plenus delictis [a], *semen malignum, filii sine lege, dereliquistis Dominum, et exacerbastis sanctum Israel.* Eris semper unus ex illis, qui propter nequitias studiorum suorum principibus Sodomorum et populis Gomorrhæ comparantur, dum dicitur (*Ib.* 10): *Audite verbum Domini, principes Sodomorum : attendite legem* [b] *Dei, plebs Gomorrhæ.* Cum illis eris nisi te correxeris, de quibus scriptum legisti (*Ibid.* 15) : *Si multiplicaveritis preces* [c], *non exaudiam vos : manus enim vestræ sanguine plenæ sunt.* Væ tibi, Constanti, qui tantam Dei incurreris offensam, ut non videre potuisses quid tibi fuisset cavendum. Cum enim dicat ore Esaiæ illis prophetarum sanctorum et omnium justorum interfectoribus (*Ibid.* 16) : *Lavamini, mundi estote, auferte malitias ab inimicis* [d] *vestris ante oculos meos, desinite a malitiis vestris, discite bonum facere, inquirite judicium, eripite injuriam accipientem, judicate pupillo et justificate viduam ;* ad hæc tu contra juberes trucidandos Dei cultores, ipsum deserendum Deum, suscipiendam vero idololatriam ; hoc fuit audisse Dei monita, et fuisse correctum. Qua de re istud cogis nos facere ? nisi quia sis cupiens nos tecum gladio consumi ? *Et si volueritis* [e], dicit Deus, *et exaudieretis me, bona terræ edetis. Si vero nolueritis, neque exaudieretis me, gladius vos comedet : os enim Domini locutum est ista* (*Ibid.* 19). Cui obtemperabimus, Deone hæc dicenti, an tibi ejus inimico? Deus dicit Judæis, ut jam derelinquerent errores suos, abjicerent malitias suas ex cordibus suis, discerent bonum facere, justum judicarent judicium. Tu inquis, *Damnate injuste.* Qua de re istud suades me facere ? nisi quia velis me effici illiusmodi hominem, quales sint illi, ad quos dixerit Deus (*Ibid.* III, 14) : *Vos autem*, dicit Deus, *quid succenditis* [f] *vineam meam, et rapina pauperum in domibus vestris ? quid vos injuriam facitis populo et faciem inopum confunditis?* Et tu ita hæc es faciens, ita cuncta gerens, quæ quia faciant, indignatur facientibus : tamquam placere te non posse sis sciens, nisi et Domini succendisses vineam, et rapinam pauperum constituisses intra domum tuam, et multis modis servis Dei irrogasses injurias. Aut dicere tentabis hæc omnia te non fecisse? Numquid non succendisti vineam Domini, quando coegisti eam jam non scire Dominum Abrahæ, Deum Isaac, Deum Jacob, Deum apostolorum, Deum prophetarum ac martyrum, sed idololatriam per Arium inventam, per te vero exaltatam ? Numquid non est rapina pauperum hæc Dei servorum christianorum in domo tua, propter quos legisti scriptum : *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum* (*Matth.* v, 3) ? cum scias te proscripsisse resistentes sacrilegio tuo. Numquid dicere audebis : *Non feci, nec facio injuriam populo Dei ?* Et quis tantam aliquando fecit quantam tu? qui neque omnia genera tormentorum inferendo desinis [g], neque varie puniendum. Noluimus innocentem tamquam reum punire, ne ista et nos percuteret sententia, quæ ore adhuc prophetatur Esaiæ (*Is.* x, 1) : *Væ scribentibus nequitiam ; scribentes enim nequitiam scribunt, declinantes judicium pauperum, et rapientes judicium egentium plebis meæ, ut sit illis vidua in rapinam, et pupillus in direptionem : et quid facient in diem* [h] *visitationis. Tribulatio enim a vobis longe supereeniet, et ad quem refugietis ?* Non temperavimus [i] tuo consilio venenato, cupientes confugere in omnibus tribulationibus nostris atque anxietatibus ad eum, ad quem confugerit ille justitiæ amator in omnibus probatione Job ; non obedivimus præcepto tuo crudeli, quia voluerimus imitatores inveniri istius Dei servi Job dicentis (*Job* XXIX, 12) : *Liberavi pauperem de manu potentis, et orphano qui sine adjutorio erat, ego eram adjutor. Os autem viduæ me semper benedixit. Justitia enim eram vestitus, et coopertus judicium* [j] *; et eram oculus cœcorum, et pater infirmorum, iniquorum autem molas confregi, et dentibus* [k] *illorum rapinam abstuli.* Et infra (*Ib.* XXXI, 6) : *Positus* [l] *sum statera justitiæ, et scit Dominus simplicitatem* [m] *meam, quoniam numquam pes meus exerravit a via recta, sed nec oculus meus conspexit.* Quæ est recta via, a qua se refert gloriosus Job non deorbitavisse ? utique hæc, quæ nec innocentem interfecit, nec alium scit Deum ; quia nec scit nisi Deum angelorum archangelorumque, quem non posse nos sentis eripere de tua potestate Quando enim dicis de fide beatæ Ecclesiæ : *Si catholica est apud Nicæam descripta fides, eripiat eos in quem crediderunt de mea potestate ;* non habere utique virum ad eripiendum nos de manibus tuis Deum dicis, non posse te stare

[a] Vers. Ant. *Peccatis..... nequam..... scelesti, reliquistis..... et in indignationem misistis illum sanctum*, etc.

[b] *Legem Dei*, ut in Græco. Vers. Ant. *Verbum Domini, populus*, etc.

[c] Vers. Ant. *Si multiplicetis precem.*

[d] *Aninabus.* Latin, et Galand. ut in Græco et Vers. Ant. *Nequitias ab animis vestris, a conspectu oculorum meorum..... exquirite..... liberate..... judicate orphano*, etc.

[e] Quædam levia, quæ sensum non vertunt, variant hic in Vers. Ant.

[f] Vers. Ant. *Ad quid incenditis..... et rapinæ mendici....? Cur vos lædites populum meum.... mendicorum conf.*

[g] Pro *inferre desinis*, ubi gerundium pro infinitivo usurpavit. *Til.* Locus autem non videtur mutilus, uti censet Latinius, nec nobis, neque Galandio.

[h] *In die.* Latin. uti legit Sabat. et est in Græco.

[i] Pro *obtemperavimus.* Til. et Latin. et la Cerda; ut in lib. 2, *Falso temperassemus crimini.*

[j] Pro *judicio*, ut antea dixit, *induti arma* pro *armis*, more Græc. *Til.* Vers. Ant. addit *sicut chlamyde*, ubi quædam etiam alia sane levia hic variant.

[k] *A dentibus* legit Sabat. Vers. Ant. *Cœcorum, et pes claudorum. Ego eram pater invalidorum : judicium quod non noveram, exquisiri. Confregi molas iniquorum, et de medio dentium eorum rapinas extorsi.*

[l] Græc. ἔσταμαι. Vers. Ant. *Appendat me in statera æquissima.*

[m] Vers. Ant. *Scit autem..... innocentiam... si defluxit pes meus de via* (absque *recta* ; in Græco, ἐξέκλινεν), *et si secutum est oculum cor meum.*

contra ; asseris Ecclesiæ apostolicæ Deum non habere tantam potentiam, quæ possit tuam excludere virtutem. Quid enim aliud confitetur beata Ecclesiæ fides, nisi quia sit credens in Deum Patrem [a] et in unicum Filium ejus, natum ex innato et vero Patre, et in sanctum Spiritum paracletum? Quid aliud confitetur fides catholicæ Ecclesiæ, nisi quia et Trinitas sit perfecta, et una sit [b] dealitas Patris et Filii et Spiritus sancti? Quid aliud confitetur beatæ Ecclesiæ fides, nisi quia neque Pater susceperit hominem, neque Spiritus sanctus paracletus, sed unicus Filius Dei? Quid aliud astruit gloriosæ Ecclesiæ fides, nisi quia sit Dei unicus Filius immutabilis, inconvertibilis, inæstimabilis, immensus, æternus, sicuti sit et cujus sit Filius? Credidit sancta Ecclesia unam potentiam habere, unicamque dominationem Patrem et Filium et Spiritum sanctum, hanc fidem, quam dicis hæreticam; et tuam astruis catholicam, illam quæ dicat Deum non habere verum Filium, quæ dicat *fuisse* [c] *quando non fuerit*, quæ dicat *factum ex nihilo*, utique ex illis sensibus, quibus Rabsaces, dux Assyriorum regis, exprobrabat Deum Abrahæ, et Deum Isaac, et Deum Jacob, dicens: *Non vos seducat Ezechias, quia possit vos liberare de manibus regis Assyriorum Deus vester* (*Is.* XXXVI, 14). Ita et tu, dux Antichristi, dicis per tuos : *Non vos seducant verba episcoporum vestrorum, qui mihi contradicunt, quia vos liberare non potest fides, quam illi prædicant.* Licet enim sermonem varient, tamen res ad hoc perducitur ut constare possit, te sic nobis exprobrare Deum, quod impotens [d] sit ad eripiendos nos, quomodo rex exprobrarit Assyriorum (*Ibid.* 16) : *Hæc dicit rex Assyriorum : Si vultis benedici, exite potius ad me, et manducabitis unusquisque fructum vestrum vineæ et ficus, et bibetis aquam de lacubus vestris, donec veniam et accipiam vos in terra tali, sicut est terra vestra, terra tritici, et vini, et panis, et vinearum. Non ergo vos seducat Ezechias, dicens : Deus vos liberabit.* Et infra (*Ibid.* 20) : *Quis liberabit Jerusalem de manu mea?* Sed quod contra talis esse [e] monstratus es, dicit ore Esaiæ Deus ad Ezechiam (*Ibid.* XXXVII, 6) : *Non est quod paveas a sermonibus istis, quos audistis, quibus exprobraverunt me legati Assyriorum : ecce mitto meum* [f] *spiritum, et audito nuntio revertetur in regione sua, et cadet gladio in terra sua.* Illa nunc, Constanti, circa te stare cernimus pericula, nisi tibi feceris esse consultum, quæ circa illum steterint, qui dicebat (*Ibid.* X) : *Sic dicetis Ezechiæ regi Juda : Non te seducat Deus tuus, in quo confidis, dicens : Non tradetur Jerusalem in manus regis Assyriorum.* Sic in periculis es tu, blaspheme, ut ille, et non vides; contra nos Dei cultores videmus tutos defensosque stare incolumes. Unde tuti sumus ac defensi? nisi quia sanctam teneamus fidem quam tenuerunt patriarchæ, prophetæ, apostoli ac martyres, hanc quam judicasti hæreticam. Sed ut iterum ad Athanasium redeamus, in quo hanc persequeris sacram fidem, non timuisti, oro te, indignationem Domini contra illos prolatam, qui exprobrare tentaverunt Job justissimum, ut falsis criminibus peteres Dei antistitem? Non metuis etiam nunc ne ad te dicat Deus, quæ dixit illi regi loquenti contra Job sanctissimum (*Job* XLII, 7) : *Peccasti tu, et amici tui ambo* [g]. *Nihil enim veri locuti estis coram me.* Interea sic vos Ariani superiores poteritis Athanasio inveniri nunc apud Deum, quomodo et illi tunc inventi sunt, qui Job exprobrant [h]. Utile est tibi, Constanti, ut per Athanasium Domini sacerdotem pro facinoribus tuis sis supplex Deo, per ipsum dirigas vota tua, sicuti et illi per Job; per Athanasium sive per coepiscopos ejus desoperam, salutarem consequi baptismum [i]. Cæterum quo velitis vos torqueatis modo adversus Athanasium, vos de filiis esse invenimini, quippe hæretici, illius anguis, colubri, refugæ, desertoris; Athanasius vero est Dei domesticus, ut fuit Job; est de filiis lucis, et ipsam tenens justitiæ viam quam tenuit servus Dei Job; est ipse possidens fidem, unde et de filiis Athanasius Abrahæ est. Sic Dei Filium confitetur Athanasius, ut confessus est Job; qui Job unde de filiis Abrahæ? nisi quia sic credidit, quomodo fuit credens et Abraham. Si hæc ita se habere ignoras, percurre beatum Paulum apostolum non solum [j] ad Romanos, sed ad Galatas, et invenies vera esse quæ defendam. Aut numquid, quia Job justi beatus apostolus nominis specialiter non fecit mentionem, negabitur Job de filiis esse Abrahæ? Si non potest negari Job esse de filiis Israel, dubitari non potest, hinc illum tantum factum ac talem, quia crediderit in Deum, ut fuerit credens beatus Abraham. Non enim operibus legis, sed per fidem justificari credentes revelat apostolus : neque enim illarum tentationum victoria ei fuisset reputata ad justitiam, nisi fuisset sic credens in Deum ut crediderit Abraham : aut unde vinceret diabolum, nisi quia fuisset credens in Deum Patrem [k], et in unicum Filium ejus, natum ex innato et vero Patre, et in sanctum paracletum spiritum? aut si putas quia non ita est semper creditum, ut hodie credimus, proba beatos apostolos ac martyres potuisse superare concarnifices [l] tuos, atque victo amico vestro

[a] *Patrem innatum.* Vatic.
[b] Pro *Deitas.* Tol. et la Cerd.
[c] Hæ formulæ, quibus Ariani Jesu Christi divinitatem oppugnabant.
[d] *Impotens enim sit.* Vatic.
[e] *Esse tu.* Id.
[f] Sabat. corrigit *in eum*, pro *meum*, ut in Græco, εἰς αὐτόν; et legit *in regionem suam.*
[g] Vers. Aut. *Duo. Non enim...., verum quicquam.*
[h] *Exprobrabant.* Latin.
[i] Videtur innuere Constantium baptizatum ab hæreticis rebaptizandum, vel nondum baptizatum, quod magis credo. *Fil.* Sed ex hist. Eccl., et S. Athanasio in lib. de Syn. ediscimus, eum ab Euzoio Episcopo Ariano baptizatum fuisse paulo ante, quam moreretur, an. scilicet 360, quo in Persica expeditione vita decessit Mopsuestiæ in Cilicia III non. Octobris.
[j] De fide Abrahæ loquitur Apostolus, ad Rom. III et ad Gal. III.
[k] *Patrem innatum.* Vatic.
[l] Id est, *carnifices ut tu es.* Sæpissime his compo-

diabolo consequi regna cœlestia, nisi credentes in Patrem et in Filium et in Spiritum sanctum. Igitur si ita hi credendo vicerunt, qui post Domini unici Filii Dei adventum crediderunt, crede quia et ante adventum ejus, qui vicerunt diabolum, non aliter crediderunt, quam quomodo hodie credimus. Neque enim Daniel leones, et tres pueri vincerent ignes, nisi quia credentes fuissent, ut hodie credit Ecclesia. Inde denique Abrahæ fidem provocat apostolus, probans auctoritate usus sacrarum litterarum, sic credidisse Abraham, quomodo nunc fuerit credens Paulus, tunc vero se fuisse filium iræ erroneum, quando cum Judæis negabat unicum Dei Filium. Cum hæc ita sint, obsecro te ut jam contra Dei domum gerere pugnam desinas, accipiasque hortamenta cœlestia; quæ te perducere possint ad consequendam salutem perpetuam. Ore accipe quæ dicat ad vos Isaiæ Deus (*Is.* XLVI, 12): *Audite me, qui perdidistis cor vestrum* [a], *qui longe estis a justitia.* Aut si cor tuum tecum est, si non a justitia es longe, cur dicis nobis Dei sacerdotibus : *Damnate absentem, punite innocentem?* Si enim cor tuum non amisisti, et justitiæ tenes viam, cur non retines scriptum (*Ib.* LVI, 1): *Custodite judicium, facite justitiam : appropiavit* [b] *enim salutare meum advenire, et misericordia mea revelari. Beatus vir qui facit eam* [c], *et homo qui amplectitur eam, sabbata mea non violare, custodiens manus suas ne faciat injustitias.* Et iterum (*Ibid.* LVII, 21) : *Non est* [d] *gaudere impiis, dicit Dominus. Exclama in virtute, ne parcas : sicut tubæ* [e] *exalta vocem tuam, et annuntia populo meo peccata eorum; et domui Jacob iniquitates suas : me de die in diem quærunt, et scire vias meas volunt, tamquam populus qui justitiam fecerit et judicium Dei non dereliquerit. Petunt a me nunc judicium justum, et appropiare Deo desiderant* (*Ib.* LVIII, 1). Quam, infelix, spem habere potes, nisi pœnitentiam malorum tuorum factorum egeris? cum audias Deum dicere (*Ibid.* LVII, 21) : *Non est* A *gaudere impiis.* Aut negabis te impium Dei cultorem, cum te non neges fusorem sanguinis? Deinde si tempore jejuniorum subditos quia percusserint pugnis, et aliis injuriarum generibus læserint, contra eos hujusmodi increpationes protulit Deus, qualem contra nos protulisset si contra præcepta divinæ magnitudinis ejus damnaremus inauditum, absentem et quidem innocentem? *Nec si flectas* [f] *ut circulum cervicem tuam, et cilicium, et cinerem substernas, nec sic vocabitis jejunium acceptum* (*Ib.* LVIII, 5). Cernimus per hanc comminationem quanta esse possit adversus nos Dei ira, si innocentem damnaremus. Si enim tempore jejuniorum pugnis subditos nobis percusserimus, taliter indignatur Dominus, quanto magis si ejus cultores mactaverimus! Si pugnis non B licet mihi percutere subditos tempore jejuniorum, poterit licere quovis tempore gladio percutere consacerdotem meum? *Non tale jejunium elegi, dicit Dominus, sed* [g] *solve obligationes violentorum contractorum* [h]; *dimitte confractos* [i] *in remissionem, et omnem conscriptionem iniquam disrumpe; frange esurienti panem tuum et egenos* [j], *qui sine tecto sunt, induc in domum tuam : si videris nudum, operi, et domesticos seminis tui noli despicere* (*Ibid.* VI). Quam tenes, rex prudentissime, spem? cum hæc omnia verteris in contrarium. Quomodo enim omnem nodum solvisti iniquitatis, cum sive incredulitate tua, qualem te instituisti adversum nos, sis talis permanens, et magis magisque sis crescens in malevolentia tua ad nos disperdendos, sive in blasphemia tua auctor sacrilegii creveris, magis etiam edicto [k] blasphemiam tuam, catholicam esse asserendo fidem, more [l] scilicet meretricum, quæ primo clam scortentur, postea vero ita sint inverecundæ, ita amittentes pudicitiæ decus, ut velint scortari *in propatulis*? Quomodo dissolvisti omnem nodum iniquitatis, cum contra beatum Athanasium, susceptum anteannos furorem adhuc ita retineas, ut velis ejus fundi

sitionibus utitur, ut *coarianos tuos, compestilentes tuos, comblasphemos tuos, coapostatas tuos*, et his similibus. *Til. et la Cerda.*

[a] *Vestrum* abest a Græco et Vers. Ant.

[b] Pro *appropinquavit* dicit, et *advenire* pro *advenit*, infinitivus pro perfecto : et paulo inferius, *appropiare Deo desiderant*, id est *percupiunt proximi esse Deo, appropinquare Deo.* Til. et la Cerd. In Vers. Ant. *Quia juxta est salus mea, ut veniat, et misericordia mea ut reveletur.* Sed Lucif. Græcam syntaxim omnino sequitur : Ἤγγικε γὰρ τὸ σωτήριόν μου παραγίνεσθαι, καὶ τὸ ἔλεός μου ἀποκαλυφθῆναι.

[c] Vers. Ant. *Hæc, et homo qui retinet ista : et custodit sabbata ut non profanet ea, et servat manus suas ne faciat iniquitatem.*

[d] Vers. Ant. *Non est gaudium..... Dominus Deus. Clama in fortitudine, et ne parcas; quasi tuba..... eorum : me etenim..... quasi gens quæ..... et quæ..... Petunt me..... appropinquare Deo cupiunt.*

[e] *Tuba* legit Sabat.

[f] Vers. Ant. *Neque si incurvaveris quasi circulum collum tuum..... substraveris..... vocabis jejunium et diem acceptabilem.*

[g] Addendum forte, *sed solve omnem nodum iniquitatis, sed solve*, etc. ut in Vers. Ant. et in Græc. cum paulo inferius hanc sententiam Constantio objiciat : *Quomodo enim omnem nodum solvisti iniquitatis*, etc.. et integrum Isaiæ testimonium hoc iterum modo producat. Ita Cotelerius in Tomo 2. Mon. Eccl. Gr. pag. 190, et ex eo Galandius. Vers. Ant. *Nonne..... elegit?..... sed solve omnem colligaturam iniquitatis, dissolve*, etc.

[h] Aptius cum Græco συναλλαγμάτων. Vers. Ant. *cautionum.*

[i] Vers. Ant. *Fractos..... scripturam iniquam conscinde.*

[j] Vers. Ant. *Pauperes sine tecto..... ne despexeris.* Lucifer ipse habet paullo infra *Pauperes*, et *non despicies.*

[k] Vide dicta in præfat.

[l] Significat Lucifer hac comparatione Arianorum calliditatem et astum, qui hæresim occulte primo fovebant sese Catholicos in speciem profitentes, deinde audaciores facti palam errores suos prædicare tuerique cœperunt : quod etiam Hilarius innuit his verbis in lib. de Synod. : *Nunc publicæ auctoritatis professione hæresis prorumpens, id quod antea furtim mussitabat, nunc non clam victrix gloriabatur* : et Sulpicius Severus lib. 2 Hist. : *Ariani perfidiam suam occultabant; non ausi palam erroris sui dogma prædicare, Catholicos se gerebant.*

cruorem? Quomodo dimisisti confractos in requiem, cum torquendo [a] varie non desinas servos Dei? Et quomodo dimisisti [b] confractos in requiem, quando videas carceris [c] metalla, exsilia, vix jam capere posse christianorum numerum per te damnatorum? Quomodo etiamsi fregeris esurientibus panem tuum, acceptum habebit Dominus, cum servos fame neces dicatos ejus æternitati? Quomodo si inducas egenos sine tecto in domum tuam, respicere dignabitur super opus tuum Deus, cum videat servos suæ claritatis rejectos de domibus privatis, propterea exsules factos, quod noluerint suscipere idololatriam tuam per Arium institutam? Quomodo si nudos texeris, poteris Deo placere, cum servis ipsius patrimonia tuleris, et dixeris: *Si damnaveritis fidem apostolicam, atque arianam susceperitis, cuncta vestra recipietis?* Sane [d] unum de his omnibus Domini sacris mandatis inveneris [e] implere, quod enim domesticos seminis tui non despicias. Non despicis re vera conviperinos tuos Arianos, natos videlicet de impuderato [f] patre vestro diabolo; diligis fratres [g] tuos quia hos videas tibi proximiores, hos amas singulari affectu, his cunctam gloriam regni tui exhibes, hos socios atque participes ad Dei delendam hæreditatem in tuo regno habes; illos fecisti locupletes, illos extulisti supra omnes constitutos in sublimitate, hoc est, eos, qui se vestris miscere censuerunt tenebris. Igitur cum sis hæc agens quæ odio habeat Deus, quomodo arbitraris te audiri posse a Deo? aut si feceris eleemosynam, posset tibi ferri accepto? cum audias cum dicere: *Tunc orietur* [h] *matutinum lumen tuum, et sanitas tua cito orietur, et præcedet ante te justitia, et majestas Dei circumdabit te. Tunc clamabis, et Deus exaudiet te. Adhuc* [i] *loquenti tibi dicet: Ecce adsum* (*Ibid.* 8). Aliquid te eorum posse consequi arbitraris, quandoquidem non ortum tibi fuerit matutinum lumen, sed tenebræ inextricabiles obsederint animum tuum, atque pertexerint errorum caligines [j]? quæ sanitas tibi oborta est, cum sis positus in omni vulnere mortis, cum quotidie augmenta parias vulneribus tuis, cum dans operam sis, quo possis penitus temet extinguere? Nobis etenim non aliunde est sanitas, nisi primo in loco quia crediderimus, ut crediderunt patriarchæ, prophetæ, apostoli ac martyres. Quomodo potest te præcedere justitia, cum totus in injustitia sis permanens? cum sentina sis Ariani dogmatis? cum Christianorum sis fusor sanguinis? Quomodo te majestas Dei circumdabit, cum expugnans ipsam majestatem sis, quam derelinquens, idololatriam Ariani dogmatis suscipere censueris? Quomodo tunc clamabis, et Deus exaudiet te? adhuc loquenti tibi dicet: *Ego adsum?* cum sis negans Deum Patrem, negans unicum Filium ejus, negans sanctum paracletum Spiritum. Quomodo aut exaudire te poterit, aut dicere tibi: *Ecce adsum?* cum vertis, quantum apud te est, ejus religionem, cum ejus antistites catholicos removeris, et hæreticos constitueris? quomodo te exaudiet, quem calcandum putasti modis omnibus, nisi pœnitentiam malorum factorum egeris, nisi vias tuas nefarias deserens, sanctæ ecclesiæ justum iter comprehenderis? Tunc utique hæc promissa Dei consequi poteris. Scriptum est enim propter eos, qui corde ex toto sese ad Deum converterint: *Hæc dicit Excelsus in excelsis habitans* [k], *in æternum sanctus in sanctis, nomen ei Dominus Altissimus in sanctis requiescens, et pusillanimis dans* [l] *animæ æquitatem, et dans vindictam contribulatis corde. Non in æternum irascar vobis, nec semper vindictam de vobis exigam* (*Ib.* LVII, 15). Sed quibus hoc dicit? nempe eis, qui se converterint per satisfactionem ad delicta sua delenda. Unde et, *Non tale jejunium elegi*, dicit Dominus, *sed solve omnem nodum iniquitatis, sed solve obligationes violentorum contractorum; dimitte confractos in remissionem, et omnem conscriptionem iniquam disrumpe: frange esurienti panem tuum, et pauperes qui sine tecto sunt induc in domum tuam: si videris nudum, operi, et domesticos seminis tui non despicies. Tunc orietur matutinum lumen tuum, et sanitas tua cito orietur, et præcedet ante te justitia, et majestas Dei circumdabit te. Tunc clamabis, et Deus exaudiet te: et adhuc loquenti tibi dicet: Ecce adsum* (*Ib.* LVIII, 6). Aderit tibi Deus, si primo credas in eum, si deinde ad hæc verteris temet, quæ etiam infra dicit implenda: *Si auferas* [m] *a te vinculum iniquitatis et obligationis, et verbum murmurationis, et dederis esurienti panem tuum ex animo, et animam humiliatam satiaveris. Tunc orietur in tenebris lumen tibi, et tenebræ tibi ut meridies erunt: et erit Deus*

[a] Gerundium *torquendo* pro infinitivo *torquere* usurpat, ut supra *ferendo* pro *ferre*. Til. et la Cerda.

[b] *Demisisti confractos*. Vatic.

[c] *Carceres, metalla*, etc. Latin. Vide, quæ in lib. 2. notabimus hac de re.

[d] *Anne*. Id.

[e] *Inveniris*. Id. et Galandius.

[f] Pro *impudente*, qualis est Diabolus omnium hæreticorum pater. *Til.* et la Cerda. *Inriperato*. Poncius apud Latin. Lugdunenses Bibl. PP. editores, prout interpretatus fuerat Tilius, edidere *impudente*: quod non probandum videtur. Passim enim insolentibus vocibus utitur Lucifer. Vide sis Cangium in Gloss. V. *impuderatus*. Galand.

[g] Memorat Lucifer, quanto favore, et quanta pollerent auctoritate Ariani, præsertim Episcopi, apud Constantium; qui suo cuncta arbitratu gerebant, Catholicorum bonis ditati, et illustrioribus Ecclesiis potiti: et huc respicit fortasse Hilarius in lib. un. contra Constant. idem hisce verbis Imperatori exprobrans: *Episcopatus tuis donas;* e quibus *quinquaginta sedium Episcopos cum satellitio militari ad invitos populos fuisse submissos*, testatur Athanas. in epist. ad solit.

[h] Vers. Ant. *Erumpet.... et sanitates tuæ... orientur, et præibit in conspectu tuo justitia tua, et gloria... Adhuc loquente te*, etc.

[i] *Et adhuc* habet paulo infra idem Lucifer.

[j] *Caligine* Latin. sed ab edito non discesserim. *Galand.* recte.

[k] Vers. Ant. et Sab. sic interpungunt: *Et in excelsis habitans in æternum; Sanctus in sanctis nomen illi; excelsus in sanctis*, etc.

[l] Vers. Ant. *Dans patientiam, et vitam his qui corde contriti sunt.... Ulciscar in vos, neque semper irascar vobis*. Sabat. legit *animæquitatem*.

[m] Vers. Ant. *Si abstuleris.... colligationem, et ordinationem*.

tuus tecum semper, et repleberis sicut desiderat anima tua, et omnia ossa tua pinguescent, et erunt sicut hortus ebrius, et sicut fons cui non defecit [a] *aqua* (*Ibid.* 9). Hæc, ut jam dictum est, consequi poteris, si te ad ecclesiam conferas, si coarianos tuos vites, si illam malignorum congregationem vestram odire digneris. Tunc erit Deus tecum semper, tunc in tenebris orietur lumen tibi, tunc tenebræ tibi ut meridies erunt, tunc in bonis dirigetur iter tuum. Cæterum si in hac pervicacia manseris, si in hac crudelitate, ut servos ejus crucies, non tecum Deus erit, sed ille, qui et hodie esse in vestro cœtu Arianorum invenitur, hoc est diabolus. Ista etenim quæ agere dignaris, non sunt Dei, sed diaboli. Si opera sunt illa Dei, ut proscribas certos quod aut Athanasium antistitem Dei non damnaverint innocentem, aut quod non cohæretico tuo Georgio [b] communicaverint, aut quod se dicant Christianos, quod nolint effici coapostatæ tui, possunt sane æstimare [c], si illa opera Deo sint placita; item si eleemosyna est ista, quam de [d] lacrymis das alienis, de eorum bonis, qui deportari, interfici, proscribique maluerint a te, quam aut innocentem damnare, aut negare unicum Dei Filium, in quem credentes sciebant glorificatos Abraham, Isaac, et Jacob, et omnes prophetas, apostolos ac martyres, quorum te fieri socium, atque omnibus participem me cupere, mea circa te hæc esse vota, ille est testis qui nobis tribuere hoc potens est.

[a] Ex Græco ἐξέλιπεν. Vers. Ant. *deficiet*. Sabat. *deficit*. Alia quædam levia in hoc textu variant in Vers. Ant.

[b] Georgius Cappadox Alexandrinam sedem occupavit ad an. usque 361, quo a furente populo interfectus est.

[c] *Æstimari*. Latin. et Galand.

[d] Gloriabatur maxime Constantius in ecclesiasticis sumptibus, et pia quadam in pauperes liberalitate; sed hæc eidem exprobrat Lucifer tum hic, tum aliis in locis, quippe vel spolia e catholicis templis detracta, vel bona Episcoporum, quos in exsilium ejecerat, et catholicorum, quibus aut vitam auferri, aut facultates publicari jusserat, in alios præsertim suæ partis homines largissime erogabat. Hinc Hilarius in lib. unic. contra Constantium: *Auro reipublicæ sanctum Dei oneras, et vel detracta templis, vel publicata edictis, vel exacta pœnis Deo ingeris;* et ibid.: *Ecclesiæ tecta struit, ut fidem destruat;* unde Lucifer ipse superius: *Es memorias martyrum instaurans, et servorum Dei cruorem fundis.*

PRO SANCTO ATHANASIO

LIBER SECUNDUS.

Audes ad Deo dicatos tendere, Constanti, manus, ad eos vexandos, quorum felicitatem declarat apostolus dicens: *Scimus autem quoniam diligentibus Dominum* [a] *omnia procedunt in bonum, his qui secundum propositum vocati sunt, quos præscit et prædestinavit conformes fieri imagini Filii ejus* (*Rom.* VIII, 28). Procedunt quidem nobis in bonum tuæ persecutiones. Sed adverte per Jeremiam quæ vobis persecutoribus promittat Deus dicens: *Sanctus Israel Domino, initium generationum ejus: omnes qui edunt eum, pœnitebunt. Mala inducam super eos, dicit Dominus* (*Jer.* II, 3). Venient super te mala quæ tibi promittit Deus, Constanti, nisi temet correxeris, sicut venerunt super illum populum carnalem comblasphemum tuum, ad quem dicitur: *Tu malignatus es ut coinquinares vias tuas, et in manibus tuis inventus est sanguis animarum innocentium* (*Ibid.* 33). Eris in æternum inter Dei inimicos, nisi audieris audiens ejus sanctam dicentis admonitionem: *Si emendantes emendabitis* [b] *vias vestras, et cogitationes vestras, et facientes feceritis judicium inter virum et proximum ejus, et proselytum, et pauperem, et viduam non potentabitis* [c], *sanguinem innocentis non effuderitis in hoc loco, et post alienos Deos non abibitis* (*Ib.* VII, 5). Emendabis vias tuas, si jam desinas persequi Dei servos, si te Christianum fueris confessus, et esse Arianum negaveris, si Filium Dei, verum Dei Filium credideris, si anathema feceris dicentes: *Erat* [d] *quando non erat*, et *factus est ex nihilo*: mutabis vias tuas, si pœnitueris pro homicidiis, proque [e] sacrilegio tuo; alioquin eris [f], ut nunc es, ex illis, in quorum exprobrationem dicitur a Deo: *Numquid spelunca latronum est domus mea, in qua vocatum est nomen meum* (*Ibid.* 11)? Quos vis esse Dei domum, vosne Arianos, an nos Christianos? Si enim vestra maligna congregatio est domus Dei, ergo latronum congregatio est domus Dei. Vos etenim fundendo sanguinem Dei servorum, ut tunc fundebant Judæi, inspicimini esse latrones. Ex fructibus tuis, Imperator Constanti, non esse Christianus, sed plane manceps latronum cognosceris. Præcipis denique innocentes interimi, habitans scilicet non in ecclesia Domini, sed in spe-

[a] Vers. Ant. *Deum.... in bonis.... quia quos præscit.... imaginis*, etc.

[b] Sabat. legit *emendaveritis*.

[c] Id est, *potestatem vestram non exercebitis, ut sanguinem ejus funda is, et ipsum interficiatis: ubi potentare*, pro *potestatem et dominium exercere* usurpat. Til. et la Cerda.

[d] Hanc Arianorum formulam aperte damnavit Synodus Nicæna: *Eos autem, qui dicunt*, Erat quando non erat, *et*, Priusquam nasceretur, non erat, *et*, Quia ex nullis exstantibus factus est, *hos anathematizat catholica et apostolica Ecclesia.*

[e] Cum Latin. et recte ita correximus; in edito legebatur *pro quo*.

[f] *Eris unus ex illis*. Til.

lunca latronum : non desinis interficere eos, quos videas interfici paratos pro unici Dei Filii claritate, pro æterna illius majestate. Noluimus ad falsas suggestiones tuas, dare contra virum justum sententiam, ne et nos perculeret tecum et cum Judæis ista Domini increpatio : *Extendit linguam suam sicut arcum in falso, et fides non invaluit super terram, quia de malis mala exierunt, et me nescierunt* (*Ibid.* IX, 3). Tu, qui falsorum es criminum concinnator pariter et amator, tu Dominum nesciens, nisi [a] te correxeris, ut es, unus eris ex illis, de quibus scriptum legisti : *Veritatem non loquuntur, didicit lingua eorum loqui mendacium : reverti noluerunt, et non obreliquerunt usuram super usuram, dolum super dolum : noluerunt me nosse, dicit Dominus. Propter hæc, hoc dicit Dominus : Ecce ego comburo eos, et probabo eos, quia sic faciam a facie malignitatis filiæ populi mei. Sagitta vulnerans lingua eorum, maligna verba oris eorum : proximo suo loquitur pacifica, et in semetipsum detinet inimicitiam. Numquid in his* [b] *visitabo, dicit Dominus, aut in gentem talem non vindicabit anima mea* (*Ibid.* 5)? Eripe te, Constanti, a fovea Arianæ dementiæ, ne des æternas pœnas cum consacrilegis tuis. Noli gloriari tibi de caduca tua dignitate : considera te mortalem, quia aliter non possis consequi immortalitatem, nisi Deum agnoveris, et ejus feceris voluntatem ; sicut scriptum est : *Hæc dicit Dominus : Non glorietur sapiens in sua sapientia* [c], *et non glorietur fortis in fortitudine sua, nec glorietur dives in divitiis suis, sed in hoc glorietur qui gloriatur, inquirere* [d] *me et intelligere, et scire in Deum gloriari, quia ego sum Dominus qui facio misericordiam, et judicium, et justitiam super terram; quia in his est voluntas mea, dicit Dominus* (*Ibid.* 23). Cum igitur videas in his esse voluntatem Domini, quomodo hæc quæ amare se dicit Dominus, perosa habere dignaris? *In hoc*, inquit, *glorietur, qui gloriatur, inquirere me et intelligere, et scire in Deum gloriari* (*Ibid.* 24). Quomodo poteris te dicere nunc in Deum gloriari? Quomodo poteris requirere te illum astruere, cum sis provocans omnes cultores ejus majestatis ad deserendam fidem apostolorum, ad blasphemiam dogmatis vestri suscipiendam? *In hoc glorietur, qui gloriatur, inquirere me et intelligere, et scire in Deum gloriari, quia ego sum Dominus qui facio misericordiam, et judicium, et justitiam super terram, quia in his est voluntas mea, dicit Dominus* (*Ibid.*). Cum itaque judicium vis injustum a Dei proferri sacerdotibus, cum sis fusor innocentium sanguinis, non es ejus servus, qui hæc ore loqui dignatus sit prophetæ, sed plane es illius famulus qui repleverit cor Cain, ut justum puerum primum cultorem interficeret Domini. Hinc est quod cum sis tanta in sublimitate positus, unus tamen ex his esse inveniaris, de quibus Dominum locutum in evangelio legisti : *Vos* [e] *de diabolo patre nati estis, et concupiscentiam patris vestri facere vultis : ille enim homicida fuit ab initio, et in veritate non stetit* (*Jo.* VIII, 44). Es mendax et homicida : mendax, qui crimina falsa obieceris [f] Dei servo Athanasio ; mendax, quia hæreticam fidem dicas catholicam, et catholicam dicas hæreticam ; homicida, quia et sanguinem persequeris Athanasii, et jam interfeceris [g] certum numerum Dei cultorum. Non stetisti sine dubio in veritate, quia sis hæc gerens, sed es totus in mendacio constitutus, quia et mendax sit pater tuus, qui te cogit ad unicum negandum Dei Filium, qui te impellit ad ejus servorum effundendum cruorem. Noluimus damnare absentem, noluimus innocentum [h] ferre sententiam, noluimus hæresim suscipere tuam, ne facti tibi similes mereremur audire, quæ audiunt coerratici [i] tui Judæi, in quorum opprobrium colligimus per Jeremiam dictum : *Omnes gentes sine circumcisione sunt* [j], *et omnis* [k] *domus Israel sine circumcisione sunt cordis* (*Jer.* IX, 26). Es atque eris, nisi te nobis tradideris, inter illos, quos contra clamat Spiritus sanctus ex persona nostri populi ad Deum dicens : *Scio, Domine, quoniam non sunt hominis viæ ejus, neque vir ibit et corriget cogitationem suam : doce nos Domine, sed in judicio, et non in ira, ne paucos nos facias : effunde iram tuam super gentes, quæ nesciunt te, et super regna quæ nomen tuum non invocaverunt, quia comederunt Jacob, et consumpserunt illum, et pascua ejus exterminaverunt* [l] (*Ib.* X, 23). Conspicis te unum esse ex illis, contra quos dicit Dei spiritus ex persona populi nostri. Respicis, nisi te converteris, quod ira Domini in te alienigenam,

[a] *Nisi te correxeris, eris unus ex illis.* Id. et Galandius ; sed potest retineri, *ut es*, hoc sensu : *Nisi te correxeris ex eo, qui nunc es.*

[b] *Non visitabo.* Latin. in Græco μὴ οὐ ut in Vulg. *numquid non.*

[c] *Patientia.* Codices quidam apud Tilium.

[d] Vers. Ant. *Intelligere, et nosse, quia ego*, etc. Vide quæ super hoc textu notavimus supra p. 65, n. 7.

[e] Convenit cum Cypr. lib. de orat. Domin. Vers. Ant. *Ex patre diabolo estis, et desideria.... homicida erat*, etc. Ms. Cantabrig. apud Sabat. et idem Sab. in Lucif. habet *concupiscentias*, ut legitur etiam in lib. *de non parc. in Deum delinq.*

[f] Pro *objeceris.* Til. Quot et quam graves calumnias in Athanasium hæretici confinxerint, ex ejus vita plane perspicuum.

[g] Ærumnis scilicet, exsiliis, carceribus confectos catholicos, præsertim Episcopos, intelligit. Idem testatur Athanasius in epist. ad Solit. : *Episcopi flagellati, et acerbis vinculis constricti sunt.... quot monachi flagellati, quot Episcopi concisi!* præsertim in Oriente, ubi versabatur Constantius ; clariores vero ex Episcopis in perferenda Constantii crudelitate nominat Serapammonem, et Paulinum Trevirensis, Eusebium Vercellensis, Dionysium Mediolanensis, Luciferum ipsum Calaritanæ Ecclesiæ Antistites, aliosque, de quibus meminit Ecclesiastica Historia, præsertim de Hilario Pictaviensi.

[h] Pro *de innocentibus :* clarius tamen fuisset, si dixisset, *Noluimus ferre sententiam in innocentes*, sive *in innocentem* ; et forte *in innocentem* legendum est. *Til et Latin.*

[i] Id est, *qui tecum errant.*

[j] Vers. Ant. *Incircumcisi carne, domus vero Israel incircumcisi sunt corde.*

[k] Sabat. legit *omnes.*

[l] Infra Lucifer ipse, *desolaverunt.*

in te regem; quia non solum non invocaveris nomen Domini, sed adhuc fueris persecutus, sit ventura. Nam et cum dicit : *Quia comederunt Jacob, et consumpserunt eum, et pascua ejus desolaverunt* (*Ibid.* 25); quis reperiri potest esse inter contyrannos tuos, princeps hujus pascuæ exterminator, nisi tu quidem, qui nec laniando [a] Dei destiteris servos, nec blasphemias tuas toto in regno seminans tuo? Exterminare etenim te populi Dei pascuam conatum non [b] poterit dubitari, quando ejus pastores tuleris, de quibus, sicut sæpe diximus, per Jeremiam dixerit Deus: *Et dabo vobis pastores secundum cor meum, et pascent vos pascentes cum disciplina* (*Ib.* III, 15); et statueris hæreticos, aliis vero catholicis imponi feceris modum, ut si in [c] votis gererent in suis considere sedibus, non auderent fidem prædicare apostolicam, non tentarent [d], te hæresis Arianæ defensore degenti in corpore, evangelicam traditionem populis insinuare. Hæc est causa, quæ te probat pascuam Dei populi exterminare tentasse. Omnis etenim sagina [e] animarum christianarum non est nisi credere, quomodo et crediderint patriarchæ, prophetæ, apostoli ac martyres, deinde omnem facere justitiam. Tu contra cum et fidem tollere volueris de cordibus populorum Dei, et perfidiam tuam inserere, cum justitia [f] Dei vis in ecclesia fieri ut absens et innocens damnetur a justitiæ sectatoribus, et per sacerdotes puniatur consacerdos eorum catholicus ad tuam hæretici [g] suggestionem; quomodo videri poteris non esse exterminator pascuæ dominici gregis, quando nostra pascua non sit nisi cœlestis doctrina? *Si vis*, inquit Dominus, *ad vitam venire, serva mandata* (*Matth.* XIX, 17); et iterum : *Si feceritis quæ mando vobis, jam non dico vos servos, sed amicos* [h] (*Jo.* XV, 14). Cum hæc ita sint, debes tu ad te purgandum dare præcepta dominica, quæ jusserint innocentem catholicum episcopum, te hæretico interea imperatore accusante, debere interfici a consacerdotibus suis. Fortassis etenim tentabis isto in loco dicere, non te pascuam dominici gregis exterminare conatum. Si nullum Domini præceptum illiusmodi quale prolatum est a te poteris proferre, superest ut

A cordis illi tui oculi blasphemia cæcati Arii patefacti per Dei servos hanc increpationem videant omnia te fecisse quæ tibi objecimus. Negare non poteris, talem te præbere circa nos, qualem se præbuerit Herodes ille, cui et in carnificinæ rabie, et in sacrilegio, et in regali dignitate esse inveniris collega, circa illos quos in evangelio legimus propter Deum Dei Filium interfectos parvulos. Invenisti utique scriptam crudelitatem Herodis, quam nunc tu dignaris exhibere, apud Matthæum evangelistam : *Tunc Herodes cum* [i] *videret quia delusus est a Magis, iratus est vehementer, et misit occidere omnes infantes in Bethlehem, et in omnibus finibus ejus a bimatu et infra, secundum tempus quod exquisierat a Magis* (*Matth.* II, 16). Minime adhuc fortassis conspicis sic te injuste
B contra nos Dei cultores motum, ut contra illos parvulos fuerit motus Herodes. Cur nobis dignaris esse infestus? nempe quia fateamur nos Christianos, qui non damnaverimus justum falsis a te prægravatum criminibus. Quibus rebus quisnam sis, ex beati Baptistæ Joannis responsis poteris perpendere, et temet reconciliare Deo per pœnitentiam : *Progenies viperarum, quis demonstravit* [j] *vobis fugere ab ira superventura? Facite ergo dignum pœnitentiæ fructum, et nolite præferre* [k] *vos, dicentes : Patrem habemus Abraham. Dico enim vobis, quod potens sit* [l] *Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. Jam enim* [m] *ad radices arborum posita est securis. Omnis enim* [n] *arbor quæ non facit fructum bonum, exciditur, et in ignem mittitur* (*Ib.* III, 7). Quid sentis ad hæc? debuimus
C damnare innocentem, debuimus dare contra absentem inauditum sententiam? et quomodo cum hoc fecissemus, potueramus reperiri Christiani? Cum illos quo possint esse Christiani, hortatus fuerit beatissimus Joannes, ut dignum fructum fecissent [o] pœnitentiæ; illi, qui nec dum comprehenderant viam justitiæ, comprehendere cogebantur; nos, qui jam tenemus, urgebamur atque urgemur a te illud occupare iter iniquitatis, in quo positi noscantur Judæi. Quid igitur nobis posset accidere, si vipereis tuis depasti fuissemus consiliis? nisi ut ex Christianis fuissemus viperæ [p] progenies effecti. Cur hæc fieri mandasti, nisi quia conserpen-

[a] Dura ac rudis admodum est locutio, et more Græcorum duæ negativæ pro affirmatione ponuntur. Item dicit *laniando* pro *laniare*, ut sæpenumero ante dictum est, gerundium pro infinitivo ponens : deinde mox usurpat participium pro infinitivo *seminans* pro *seminare :* quod Latinius efferretur : *Nisi tu quidem, qui neque laniare Dei destiteris servos, neque blasphemias tuas toto in regno tuo seminare.* Til. et la Cerda, qui addit : *sed hic vir gerundia ponens pro infinitis conturbat sententiam.*

[b] Pro *nemo poterit dubitare*, id est, *nemo ignorabit te conatum fuisse exterminare pascuam* pro *pascua Dei.* Til.

[c] Pro *in votis haberent*, id est, *si vellent in suis remanere sedibus securi, apostolicam prædicare fidem non auderent :* ubi notanda est hæreticorum adversus Catholicos crudelitas et sævitia. *Id. et la Cerda.*

[d] Pro *aggrederentur*, et *tentare auderent.* Iid.

[e] Id est, *fides patriarcharum, etc., est pinguis animæ nutritio.*

[f] Sensus esse potest, *Cum vis justum esse in Ecclesia Dei*, ut, etc. *Injustitiam* pro *justitia* subjicit Galandius.

[g] *Qui es hæreticus.*

[h] Ita etiam codex Major. Monast. apud Sabat. Vers. Ant. *Jam non dico vos servos, quia etc., vos autem dixi amicos.* Lucifer ipse habet paulo post, *Quod mando vobis, jam non dicam*, etc., et iterum infra, *Quod præcipio vobis*, etc.
D

[i] Vers. Ant. *Vidit, quoniam.... valde, et misit et occidit.... pueros qui erant in... regionibus ejus.*

[j] *Demonstruvit*, ferunt codd. plures apud Sabat. Vers. Ant. *Demonstrabit*, ... *ira venitura.*

[k] Vers. Ant. *proferre.* Ms. S. Germ. ex Sabat. cum Lucif.

[l] Vers. Ant. *Quoniam potens est.*

[m] *Etenim.* Vatic.

[n] Vers. Ant. *Omnis ergo .... excidetur .... mittetur.* Græc. cum Lucif. ἐκκόπτεται.... βάλλεται.

[o] Pro *facerent.* Til. et la Cerda.

[p] *Vipereæ.* Vatic.

tes nos tuos effici cupiveris tu? qui cum scias dixisse Dominum in evangelio : *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quia ipsi saturabuntur. Beati misericordes, quia* [a] *ipsi misericordiam consequentur* (*Ib.* v, 6) ; et [b] tamen dixeris, necandum innocentem. Quomodo etenim beatus potero esse, si damnavero virum justum, si rejiciens sitim justitiæ concepero ardorem injustitiæ? Quomodo propter fructus justitiæ saturabor a Deo, cum opus hoc injustum faciat me Cain fratricidam? Quomodo iterum potero inter misericordes fructibus misericordiæ locupletatis regnum consequi cœleste? cum, si interfecero juxta desideria tua Dei servum, inveniar non misericors, sed crudelis atque sceleratus, quippe homicida; cum, si cum [c] ego immisericors fuerim circa fratrem meum, sic sit et circa me futurus ille misericordiæ amator, ille justitiæ exactor, qui dicit : *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quia ipsi saturabuntur. Beati misericordes, quia* [d] *ipsi misericordiam consequentur* (*Ibid.*). *Quicumque*, dicit Dominus, *solverit unum ex mandatis his minimis, et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cælorum* (*Ibid.* 19); et dicis, Constanti, ut quicumque non fuderit sanguinem innocentis, non potest regnum consequi cœlorum? Dic, sanctissime, in quo abundare poterit Christianorum justitia, plus quam scribarum et pharisæorum, si eum, quem tu, quod se Christianum dicat, quod nolit fieri Arianus, persequeris, interfecerimus? in quo essemus potiores scribis et pharisæis, si exstitissemus tecum negatores unici Dei Filii, si, ut illi repudiant, tecum repudiaremus evangelicam fidem, destruxissemusque apostolicam traditionem? Ne [e] dixisse memineras Dominum : *Audistis quia dictum est antiquis* [f] *: Non occides; quicumque autem occiderit, reus erit judicio* [g]. *Ego autem dico vobis quod omnis qui irascitur fratri suo sine causa, reus erit judicio* (*Ibid.* 21); ut hæc fieri imperares? Si iratus fuero sine causa fratri meo, si dixero ei, Fatue, reum me dicit futurum unicus Dei Filius in gehennam; et [h], imperator Constanti, si fudero cruorem innocentis, dicis, requiem æternam possessurum : nec retinere potuisti, quando meditabaris interfici oportuisse Athanasium, sub quali conditione munera jusserit offerri Dominus? *Si igitur offers munus tuum ad altare, et ibi rememoratus fueris, quod* [i] *habeas aliquid cum fratre tuo, pone munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo, et tunc reversus offer munus tuum* (*Ibid.* 23). Quid fuerat operatus malorum Athanasius, ut hæc transgressus præcepta interfici eum mandares? nempe hoc, quod se Christianum dixerit, aut dicat. Aliud etenim nihil est quod exsecraris, atque es punire cupiens in Athanasio. Non memineras præcepisse Dominum etiam inimicos diligendos, ut eum quem neque in te, neque in Deum scires peccasse, tam acerrime fuisses persecutus? *Audistis quia dictum est : Diliges proximum tuum, et odio habebis* [j] *inimicum tuum. Ego autem dico vobis : Diligite inimicos vestros, et benedicite maledicentes vos, et benefacite eis, qui* [k] *persequuntur vos, et orate pro eis, qui vos persequuntur, ut sitis filii Patris vestri qui est in cœlis, qui solis ortus exhibet super bonos et malos, et pluit super justos et injustos. Si enim dilexeritis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nonne et publicani ita* [l] *faciunt? et si salutatis amicos vestros tantum, quid plus facitis? nonne et gentiles idipsum faciunt? Eritis ergo et vos perfecti, sicut et Pater vester, qui est in cœlis, perfectus est* (*Ibid.* 43). Diligendos mandat etiam inimicos Dominus; et tu nos persequeris quod innocentis Domini sacerdotis cruorem non tecum fuderimus. Divina clamat vox dicens : *In quo judicio judicaveritis, et de vobis judicabitur, et in qua mensura mensi fueritis, in eadem remietur* [m] *vobis* (*Ib.* VII, 2), et tu dicis : *Jugulate quem deliquisse ignoratis.* Fontem malorum cum te esse memineris, fuisti tamen ausus de eo, quem sciebas false petitum a vobis, dicere : *Reus est mortis.* Adeo es excors, Constanti auguste, ut nec dictum illud Domini cum hæc mandares fieri, potueris reminisci : *Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem in oculo tuo non vides? aut quomodo dicis fratri tuo : Sine ut ejiciam tibi festucam de oculo tuo, et ecce trabes* [n] *in oculo tuo est? Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo, et tunc videbis ejicere festucam de oculo fratris tui* (*Ibid.* 3). Trabem in oculo tuo dicit esse Dominus, et audes dicere Athanasio viro justissimo, *Festucam habes in oculo?* Ille enim nihil horum commisit, quæ ei dignaris objicere : contra tu, quæcumque diximus, es operatus, *Damnate*, quoties dixisti, *innocentem.* Quam nos aliam voluisti comprehendere viam, nisi tuam, quam describit Dominus, dicens : *Quam* [o] *lata et spatiosa via, quæ ducit ad interitum, et multi sunt qui intrant per illam*

[a] Cum Cypr. l. 3 testim. Vers. Ant. *Quoniam ipsis miserebitur Deus.*

[b] Forte *Tu tamen.* Galand. qui paulo inferius legit *locupletatos* pro *locupletatis.*

[c] *Si cum* ; intellige *si quando.*

[d] Vide mox dicta.

[e] Pro *nec* Til. et la Cerda, et Galand. Forte, *anne*, vel *nonne.* Galand. rectius.

[f] Vers. Ant. *Ab antiquis.... qui autem.*

[g] Vers. Ant. utrobique *in judicio. In* abest a Græco, uti a Lucif.

[h] Forte, *et tu imperator*, etc. Galand.

[i] Cum Hilario Pictav. Comment. in Matth. Vers. Ant. : *Si ergo offeres.... quia frater tuus habet aliquid adversus te : relinque ibi.... veniens offeres.*

[j] Vers. Ant. *Odies... benedicite qui maledicent vobis.*

[k] Vers. Ant. *His, qui odiunt vos, et orate pro calumniantibus vobis, et persequentibus vos..... solem suum oriri jubet.... Si enim diligitis... hoc faciunt? et si salutaris fratres..... amplius facietis? Nonne et Ethnici hoc faciunt? Estote ergo etc.* Cypr. lib. de bono patient. *qui vos persequuntur.* Mss. plures φίλους, *amicos.* Græc. ποιεῖτε, *facitis :* Tertull. lib. 4 adversus Marc. *eritis :* omnes hi cum Lucif.

[l] *Ista* legit Sabat.

[m] Vers. Ant. *remetietur ;* ita corrigunt Til. et Latin.

[n] Corb. et Sangerm. codd. *trabis*, apud Sabat. et Vers. Ant.

[o] Vers. Ant. *Quia lata.... via est.... ad perditionem.* Cypr. lib. 3 testim. ; Hilar. in Matth. ; Cod. Clarom. ; Sabat. cum Lucif. *Quam lata.*

(*Ibid.* 13)? Quia [a] itaque sis in hac lata et spatiosa constitutus via, præcepisti damnari innocentem, cupiens profecto cunctis revelari, quod tua late perditio dominetur. Tempore [b] quo venisti ad Italiam, sic te lupum finxeras ovem, tamquam non fuissemus ex operibus tuis te reperturi, tamquam fugisset nos Domini monella [c] dicentis : *Attendite vobis a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestitu ovium, intrinsecus* [d] *autem sunt lupi rapaces, ex fructibus eorum cognoscetis eos* (*Ibid.* 15). Numquid non luxerunt illico tristes venenis diaboli in te inseminati amarissimi fructus tui, ut dicere tentasti, damnandum fuisse inauditum? numquid nam non patuerunt confestim insidiæ tuæ lupi rapacis? Quod enim contra Dei ovile machinam construxisses maximam, fructibus ergo tuis quomodo non ovis fuisse, sed lupus agnitus es, sic et quomodo sis, nisi tibi consulueris, arbor igni destinata, probant sacra evangelia. *Numquid colligunt de spinis uvam* [e], *aut de tribulis ficus? sic omnis arbor bona bonos fructus facit, mala autem arbor malos fructus facit. Non potest arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala bonos fructus facere. Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur, et in ignem mittetur : ex fructibus enim eorum cognoscetis eos. Non omnis qui mihi dicit, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem Patris mei* (*Ibid.* 16). Si voluntatem Patris unici Dei Filii facis, quomodo fit ut ejus Filium neges unigenitum, ut ipsum Patrem dicas non esse verum Patrem, ut fundamenta per apostolos coneris destruere jacta, ut interficeres atque interficias cultores ejus, ut antistites ipsius de populis pelleres sibi commissis, ut absentem et inauditum damnari juberes, ut hæresim tuam, quæ unam blasphemat divinitatem Patris et Filii et Spiritus sancti, in ecclesiam introduceres? Si hæc cuncta, ut diximus, placita sunt Deo Patri, poteris intrare in regnum cœlorum. Audis enim dicere unicum Filium ejus : *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem Patris mei* (*Ibid.* 21). Damnari jubes innocentem : non recolis in Exodo dixisse Deum? *Si rixaverint* [f] *duo, et percusserint mulierem in utero habentem, et abortiverit* [g] *non deformatum, detrimentum patietur : quodcumque æstimaverit* [h] *vir mulieris, dabit cum* [i] *dignitate. Quod si deformatum fuerit, dabit animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, combustum pro combusto, vulnus pro vulnere, livorem pro livore* (*Ex.* XXI, 22). Credo [j] nihil sacrarum te fugere scripturarum : neque enim posses egregia nobis dare mandata, nisi fuisses legis peritus. Legisti utique etiam hæc : *Omnis qui audit hos sermones meos* [k] *et facit illos, similem æstimabo illum viro prudenti* [l], *qui ædificavit domum suam super petram : descendit pluvia, et* [m] *venerunt flumina, flaverunt venti, impegerunt* [n] *in domum illam, et non cecidit : fundata enim erat super petram. Et omnis qui audit sermones meos, nec illos facit, similem æstimabo illum* [o] *homini stulto, qui ædificavit domum suam super arenam : descendit pluvia, advenerunt flumina, flaverunt venti, illiserunt domui illi, et cecidit, et facta est ruina ejus magna* (*Matth.* VII, 24). Quem te horum esse dicis, Constanti, sapientem, an insipientem? Si dixeris sapientem, cur opera tua monstrant te insipientem? cur domus tua invenitur collocata supra arenam? Neque enim poteris supra petram te ædificasse domum tuam dicere, cum omnis sapiens videat fabricam stultitiæ tuæ, cum omnis Dei servus conspiciat magnam hanc quam prædixit Dominus ruinam salutis tuæ. In quo etenim invenitur stare Christianus, nisi in eo quod præceptis pareat Domini? nisi in eo quod, omnibus si fuerit vexatus pro nomine Dei Filii persecutionibus, tamen duret immobilis? in quo erit perfectus Christianus, nisi si etiam fuerit interfectus pro eo, quem tu negare dignaris verum esse Filium Dei? Tu contra, cum non in ecclesia sis, sed apud Arianos Dei inimicos, cum Dei unicum Filium negans sis, cum non sis implens ejus mandata clementiæ, sed magis destruere coneris, cum sis prævaricator legis, cum desertor sacramenti militiæ cœlestis, cum persecutor Dei religionis, cum te circa ejus cultores præbeas carnificem, quomodo poteris sapiens vir inveniri similis illi, quem dixerit Dominus supra petram ædificasse domum suam? Sed inquis contra hæc : *Non sum insipiens, ego novi me sapientem.* Si sapiens es, cur ea fecisti atque es faciens, quæ soli possunt facere in-

[a] Pro *cum*. Til.

[b] Innuit Constantii e Galliis adventum in Italiam an. 354, ubi ea molitus est, quæ in Mediolanensi Concilio anni insequentis nefarie perpetrata sunt ab Arianis.

[c] Pro *admonitione* et *exhortatione*. Til. Hanc vocem notat etiam du Cangius in Gloss. litt. M. ex Lucifero.

[d] Vers. Ant. *abintus*.

[e] Vers. Ant. *Uvas.... Omnis ergo..... Igitur ex fructibus.... dicet*.

[f] Vers. Ant. *Si litigabunt duo viri*.

[g] Pro *abortum passa fuerit, et pepererit non deformatum*. id est, *integrum et perfectum, nec membris captum, aut mutilum* : et hæc lectio propius accedit ad textum Hebraicum, quam nostra communis. Til. et la Cerda. Vers. Ant. *Et exierit infans ejus nondum formatus*. Galandius legit *nondum formatum* cum Augustino Quæst. LXXX; et rejicit Tilii sententiam, quæ tamen potest probari.

[h] Vers. Ant. *Quantum indixerit... et dabit*.

[i] Ita Græc. μετὰ ἀξιώματος. Vers. Ant. *Cum postulatione*, et, *si autem formatum fuerit..... combustionem pro combustione*. Sab. legit, *si autem deformatum*, pro *quod si*.

[j] Hæc ironice dicta. Vide notat. in lib. *Moriendum pro Filio Dei*.

[k] Vers. Ant. *Verba mea hæc... similis est*.

[l] Cum Græco, φρονίμῳ. Vers. Ant. *sapienti*.

[m] Vers. Ant. *Flaverunt venti, advenerunt flumina, et impegerunt.... verba mea hæc, et non facit ea, similis est viro.... flaverunt venti, advenerunt flumina, et impegerunt in domum illam*.

[n] Calmet legit ex Lucif. *impugerunt* inter variant. lection. Tom. VII Comment. in S. Script.

[o] *Eum* legit Sab.

sipientes? Si es sapiens, cur damnari mandasti inauditum absentem? cur innocentem præcepisti interfici? cur Dei sacerdotes desiderasti hostes Dei fieri? neque enim possint Dei effici amici per hoc factum, cum Dominum scias dixisse apostolis: *Si feceritis* [a] *quod mando vobis, jam non dicam vos servos, sed amicos* (*Jo.* xv, 14). Si sapiens es, cur damnantem te Athanasium Dei sacerdos audire debeo? Tu cum causas præstare allegationum suarum minime es passus. Si sapiens es, si es Dei cultor, cur nos, quia Christianos esse nos fateamur, persequeris? cur eos, qui se non dixerint esse Christianos, sed fatentur se esse Arianos, vehementer diligis? Si sapiens es, cur ad domum Dei misisti sæpe militem armatum? Si prudens es, et Dei te nosti servum, cur ejus populum armis es persecutus atque persequeris? cur postremo fidem apostolicam atque evangelicam hæreticam dicis, et hæreticam catholicam pronuntias? Tu te dicis sapientem; sed contra nos cernimus nullum posse, qui hæc faciat, esse sapientem. Quis etenim sacrilegus poterit dici prudens, nisi ab imprudentioribus se? Si tu sapiens es, Constanti, quis sit te insipientior, invenire non potero. Tunc adhuc tibi videris esse sapiens, qui fueris arbitratus, quod prophetæ apostoli ac martyres pro creatura fuerint interfecti? Negare enim non audebis cunctos hos pro unico Dei interfectos Filio. Quomodo poteris dici sapiens, qui non solum descendentibus pluviis, fluminibus inundantibus, flantibus ventis resistere non tentaveris, ne temet, qui domus esse inveniris, pessum dedissent, sed et ipse in pluvias, flumina, ventosque te verteris ad hoc, ut nos tu turbo atque procella diabolica tecum ad exteriores traheres tenebras? *Manifesta autem sunt*, dicit Apostolus, *opera carnis, quæ sunt adulteria, fornicationes, immunditia, impudicitia, luxuria* [b], *idololatria, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, hæreses, invidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes, et his similia, quæ prædico vobis, sicut prædixi, quia qui talia agunt, regnum Dei non consequentur* (*Gal.* v, 19). Et fuerit [c] in innocentis necem mens tua sapientia vigens? Clamat apostolus quod homicidæ non sunt possessuri regnum cœlorum, et tu Constantius prudentissimus dicis imperator: *Jugulate absentes, mactate inauditos, interficite innocentes, et vestrum erit Dei regnum.* Hinc datur intelligi quam sis sapiens; si denique ille sis qui domum tuam ædificaveris supra petram: dixisse etenim te negare non poteris: *Ego propterea cupio damnare Athanasium, quia desidero placere Deo.* Sic utique et nos placere desiderasti Deo, quomodo jam tu placueris, ex quo videlicet Athanasium es dignatus cogitare interimere in nostra omnium conscientia Domini sacerdotum [d]. Sic [e] in primordio Cain Deo placuit, mox ut interficere meditatus est fratrem; quomodo videtur, Constanti, unde sit radix tua, de qua descendisset stirpe. Numquid nam poteris negare post hæc, te in illo esse choro quem narrat apostolus Romanis: *Et sicut non probaverunt Deum habere in notitiam* [f], *tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea quæ non conveniunt, repletos omni iniquitate, malitia, impudicitia* [g], *cupiditate, nequitia; plenos invidia, homicidiis, contentione, dolo, malis moribus; susurratores* [h], *detractatores, Deo odibiles, contumeliosos, superbos, sibi placentes, gloriantes, inventores malorum, parentibus non obsequentes* [i], *insipientes, incompositos, sine affectu, sine misericordia, qui cum justitiam Dei cognoverint, non intellexerunt, quoniam qui talia agunt, digni sunt morte. Non solum qui illa faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus ea* (*Rom.* i, 28) [j]. Ecce nimius amor in te subito circa nos ortus quid nobis contulerat, si tibi obtemperare auderemus? mortem hausissemus perpetuam. Item dicit infra: *Nulli malum pro malo reddentes, providentes bona non* [k] *solum coram Deo, sed etiam coram hominibus. Si fieri potest, quod ex vobis ipsis est, cum omnibus* hominibus *pacem habentes* (*Ib.* xii, 17). Sitiens hæc calcari salutaria monita es nos hortatus punire innocentem. Quomodo autem bona non solum coram Deo, sed et apud homines providisse inveniebamur, si damnassemus innocentem, qui dedissemus formam ad sanguinem fundendum justorum? quomodo cum omnibus inveniebar hominibus pacem desiderans habere, qui suggestione tua falsa hæretici exitus [l] pacem exstinxissem consacerdotis mei? Dic, Constanti, verum crimen detulisti de Athanasio ad Dei ecclesiam, an falsum? Si verum te detulisse certum habes, proba mihi qui te jam falsi criminis cognovi portitorem. Arbitraris nihil te malorum in conspectu egisse Dei? Quæ te [m] compulit ratio fieri testem falsum? cur mendax imperator exstitisti? cur non timuisti ne exemplo Ananiæ et Sapphiræ fuisses exstinctus? Loquitur in Actibus apostolorum scriptura dixisse beatum Pe-

[a] Vide quæ notavimus pag. 119 (*huj. edit. col.* 886, *not. h*).

[b] *Luxuria* abest a Vers. Ant. in qua *irritationes* pro *rixæ*, et *possidebunt* pro *consequentur*.

[c] *Furit* Pontius apud Latin.

[d] *Sacerdotem*. Galand. non recte; nam sensus constat, *In conscientia nostra omnium sacerdotum Domini*.

[e] Ironice dictum.

[f] Vers. Ant. *Innotitia*, ut Lucifer ipse lib. *Mor. pro Dei Fil.* ubi habet etiam *conveniant*, pro *conveniunt*.

[g] Mss. duo Sabat. ἀκαθαρσία cum Lucif. Vers. Ant. *fornicatione, avaritia*, omisso *nequitia*, et pro *malis moribus, malignitate*.

[h] Vers. Ant. *Susurrones, detractores... elatos*, omissis *sibi placentes, gloriantes*.

[i] Vers. Ant. *Obaudientes... sine affectione... cognoverunt*.

[j] *Ea* omittit Sabat. et Vers. Ant.

[k] Ita etiam Clemens Alex. cum quibusdam mss. οὐ μόνον ἐνώπιον τοῦ θεοῦ, ἀλλὰ καὶ ἐνώπιον τῶν ἀνθρώπων. Vers. Ant. solum *coram hominibus*.

[l] *Exitus*. Latin. et Galand.; sed potest et intelligi *pacem exitus*, id est, *Finem, exitum, obitum pacificum sustulissem, si innocentem damnassem*; vel *suggestione exitus hæretici, quæ* scilicet *finem obtinuisset veræ fidei perniciosum*.

[m] Vide paulo inferius notata.

trum a l Ananiam : *Ut quid replevit satanas cor tuum mentiri Spiritui* [a] *sancto, ut subtraheres de pretio prædii ? nonne manens tibi manebat, et venditum in tua erat potestate ? Quid est* [b] *quod posuisti in corde tuo rem istam ? Non es mentitus hominibus, sed Deo. Audiens autem Ananias hos sermones cecidit, et exspiravit : et factus est timor magnus super omnes qui audiebant. Surgentes autem adolescentes sustulerunt eum, et euntes sepelierunt. Factum est autem intervallum horarum fere trium, et uxor ejus nesciens quod erat factum, intravit ; dixitque ad illam Petrus : Dic mihi si tanti prædium vendidisti ? Illa vero ait : Tanti. Quid convenit inter vos tentare spiritum Domini ? Ecce pedes eorum qui sepelierunt virum tuum in ostio sunt, et efferent te. Et protinus cecidit ante pedes ejus, et exspiravit* (*Act.* v, 3). Credo legeris hæc, et tamen non timueris concinnare mendacium ante Domini conspectum. Quare istud fecisti, nisi quia sis sapiens ? Quid tu tibi futurum existimas, qui sis non solum mendax, sed homicida, non solum homicida, sed et hæreticus ? Credis tibi impune tanta cessura ? credis te evadere posse æterna supplicia ? Ananiæ dicitur : *Ut quid replevit satanas cor tuum, ut fuisses mentitus Spiritui sancto* (*Ibid.*) ? et dices, Constanti imperator, quia non repleverit satanas cor vestrum Arianorum ut mentiti fuissetis Spiritui sancto manenti in Dei ecclesia ? Ecclesiam etenim convenisti dicens : *Deliquit in Deum Athanasius* ; et videbat Spiritus sanctus mendaces animas vestras, sicut vidit et Ananiam ac Sapphiram. Videbat, inquam, Spiritus sanctus, quando hæc fingebatis, quod idcirco talia fuissetis commentati circa Athanasium, quo possetis vestram hæresem introducere in ecclesiam, quo possetis apostolicam destruere traditionem. Ananias et Sapphira, propterea quod : grum suum vendentes fraudaverunt de pretio, quod ausi fuissent non integre loqui ante Dei apostolum, taliter judicari meruerunt. Tu qui non solum crimina falsa Dei servo objecisti, sed et omnem domum Dei fueris persecutus, qui effuderis cruorem cultorum ejus, qui sacerdotes ejus miseris ad metalla et exsilia, et hæreticos locis ordinaveris eorum, qui evangelicam fidem dixeris hæreticam, et blasphemiam [c] vestram dixeris catholicam, qui introduxeris idololatriam in ecclesiam, qui deserueris Deum Abrahæ, Deum Isaac, Deum Jacob, ac omnium prophetarum, apostolorum, ac martyrum, et idololatriam fueris Arii secutus, existimas, si in hac blasphemia atque crudelitate duraveris, quod non in te maxima sit vindicta futura ? Deinde si adversariis Susannæ sic est Deus vindictam dare dignatus, in te arbitraris non graviorem processuram ? Procedet, mihi crede, si non te mature converteris. Si enim illi, quia Susannæ pudicitiam violare fuerant conati, hæc quæ subjeci meruerunt consequi, quanto magis tu qui ecclesiæ es aggressus violare castitatem ? Petiverunt illi falso crimine Susannam, et vos totidem petistis non solum Athanasium, sed et cunctos vobis resistentes. Aut unum dare poteris e resistentibus, cui non applicitum fuerit crimen ? Sic vos fuistis armati ad ecclesiæ violandam castitatem, sicut illi ad Susannæ fuerunt, qui dixerunt : *Ostia viridarii clausa sunt, nemo nos videt, in concupiscentia tui sumus ; propter hoc consenti nobis, et esto nobiscum : alioquin falsum testimonium dicemus adversum te, quoniam erat tecum juvenis, et propter hoc dimisisti puellas a te* (*Dan.* XIII, 20). Aut tentabis negare esse dictum ? *Desiderantes summus nos Ariani, et vos, Christiani, unum effici corpus : derelinquite fidem quam apud Nicæam contra nos tenetis conscriptam, acquiescite Arii doctrinæ ; alioquin quia nos multum possumus, imperium nostrum est, quibus velimus vos modis gravabimus, et omnes tollemini e vestris sedibus.* Non poteris hæc ita se habere negare, cum Deo perosæ meditationes tuæ rebus gestis fuerint revelatæ. Cur enim cogebamur, etiamsi non damnaremus Athanasium, tamen communioni misceremur Arianorum, nisi quia tu leno hæresis Arianæ cunctos nos cuperes quovis modo fieri consacrilegos tuos ? Sed credo adhuc tentas negare, non te idcireo persequi nos, quia noluerimus Christiani fieri Ariani. Quomodo negare poteris, cum sanctissimum Dionysium [d] Mediolanensium Episcopum, qui jam tibi falsa asserenti credens damnaverat Athanasium, quod Arianus esse noluerit, miseris ad exsilium ? aut si non est Auxentius, quem loco illius tu temerarius ac pestilens ordinasti, Arianus ? Si Auxentius fidem [e] sanctam apud Nicæam descriptam tenet, poteris nec tu esse Arianus, nec hæc omnia sicut assero egisse poteris, et non misisse [f] crimen Athanasio falsum. Fortassis Eusebii Episcopi Vercellensis callido, prudentique consilio ejus subscriptio deleta fuit : nam ad Arianos Episcopos conversus, simulansque, se quoque in Athanasii damnationem consentire, priorem sibi subscribendi locum præ Dionysio tribui postulavit, quippe senior esset ætate. Hac ratione permoti Ariani nomen Dionysii delent, primas Eusebio deferunt ; quos ille increpans, iisque irridens, ait : *Neque ego me vestris sceleribus polluo, neque filium meum* Dionysium *vobiscum participare permitto.* Actus est in exsilium Dionysius, ejusque in locum suffectus Auxentius Arianus, sed Catholicum aliquando se simulans, qui Valentiniani Imperatoris indulgentia Mediolanensem occupavit ecclesiam annos 20, vita functus an. 374.

[a] Uti Cypr. lib. 3 testim. Vers. Antiq. *Quare implevi... mentiri te in Spiritum Sanctum, et usurpare de pretio possessionis?* Luciler ipse paulo post habet, *ut fuisses mentitus* pro *mentiri.*

[b] Vers. Ant. *Quid utique posuisti... hanc... Statimque audiens... verba hæc... omnes audientes hæc... autem protinus... collexerunt eam et traducentes... quasi... et uxor ipsius, ignorans quod factum esset, introivit. Ad quam Petrus ait ... agrum vendidistis ? Illa autem dixit : Etiam tanti. Dixit autem Petrus ad eam : Quid utique... vobis... maritum... stant ad ostium... Cecidit autem confestim.*

[c] Ita legimus, ubi editum erat *blasphemam* ; sic paulo post *in hac blasphemia* scribit ipse Lucifer ; de qua vide Præf.

[d] S. Dionysius Episcopus Mediolanensis usque ad annum 355, qui in Mediolanensi Concilio hujusce anni ab Arianis deceptus Athanasium damnavit. Sed

[e] Cum. Til. Latin. et Galand. recte ; antea *quidem.*

[f] Pro *immisisse* ; id est, *si hæc, quæ de te assero,*

dicas hinc non esse catholicos, quod Susanna fuerit exaudita, nos vero minime. Quantum apud nostram conscientiam est, tunc nos vindicatos novimus, quando tu serpens publicatus [a] es, quando patuerunt cuncta venena tua, quando omnis machina tua patefacta est: sic etenim nos vindictam desiderabamus de vobis inimicis Dei, ut vos Deus esse hæreticos revelaret populo suo. Omnis pene cognovit jam mundus false Athanasium petitum per vos, hujus te esse iniquitatis auctorem; conspectus etenim es, aliud te cupienten implere, aliud protulisse. Ad senes ingemiscens dicit Susanna: *Angustiæ mihi undique, si enim hoc egero, mors mihi erit. Si autem non fecero, non effugiam manus vestras. Melius est mihi non facienti incidere in manus vestras, quam peccare in conspectu Domini* (*Ibid.* 22). Et [b] nos crimina mox ut vidissemus imposita a vobis, exstincturi eramus fratres nostros, quoniam essemus ut estis vos tenebræ. Quis Christianus non dicat, melius esse sibi interfici a te præcursore antichristi, quam in vestras ire Arianorum vel quorumlibet hæreticorum tenebras? Impingi fecisti crimina non solum Athanasio, sed et nobis, quod noluerimus Christiani effici Ariani. Non defuerunt singula quæ possunt objici crimina singulis, quo nullus videretur e nobis propter Deum missus ad exsilia, sed quod quasi pro criminibus nostris. Cum sitis igitur vos rei tantorum criminum quia non vobiscum habere Deum iratum voluerit Athanasius, dixistis eum reum esse mortis: hoc fecerunt et illi quibus in hoc scelere pares estis presbyteri. Loquitur enim scriptura dicens: *Et factum est in die altero, ut convenit plebs ad virum ejus Joachim, venerunt duo presbyteri pleni iniquæ mentis adversus Susannam, ut* [c] *mortificarent eam: et dixerunt coram plebe: Mittite ad Susannam filiam Chelchiam, quæ est uxor Joachim. Et miserunt, et venit ipsa, et parentes ejus, et omnes cognati ejus. Susanna autem erat tenera nimium et bonæ formæ: injusti autem jusserunt revelari eam (erat enim velata) ut saturarentur forma ejus. Flebant autem omnes ejus* [d], *et cæteri qui videbant eam. Assurgentes igitur duo presbyteri in media plebe posuerunt manus super caput ejus: ipsa autem lacrymans aspexit in cœlum, quoniam erat cor ejus confidens in Domino. Dixerunt autem presbyteri: Ambulantibus nobis in viridario solis intravit hæc cum puellis; et dimisit puellas, et clausit ostia viridarii: et venit ad eam juvenis qui erat absconditus, et concubuit cum ea. Nos autem cum essemus in angulo viridarii, videntes iniquitatem accurrimus ad eos, et vidimus concurrentes* [e] *eos. Illum quidem non potuimus apprehendere quod fortior nobis esset, et quod aperiens ostia prosilierit: hanc autem apprehensam interrogavimus, quis esset juvenis, et noluit nobis dicere. Hæc contestamur. Et credidit eis omnis synagoga ut presbyteris plebis et judicibus, et damnaverunt ut morereturi* (*Ibid.* 27). Considera penitus, Constanti, maledictas adinventiones vestras Arianorum, si non talia sunt quæ egeritis vos interim circa Athanasium, qualia et illi egerint circa Susannam. Quis etenim non credidisset tibi imperatori dicenti? *Sacrilegium fecit Athanasius.* Sed in eo quia tu detestabilior fuisti ab illis comperditis pseudopresbyteris, tibi non est fides habita a nobis; dicebatur etenim tibi, quia absens damnari non posset: illi etenim presbyteri in præsentem dixerunt allegationes criminosas, et omnis synagoga in præsentem dedit sententiam; tu contra ad accusationem hæreticorum quando inauditum et absentem damnari cogebas catholicum, utique jam videri cœperat scenæ tuæ machina. Sed jam accipe quid præstitum sit Susannæ pudicæ ab innocentium defensore, ab oppressorum vindice. Accipe quæ referat Daniel liber de vindicta Susannæ. *Exclamavit autem Susanna voce magna et dixit: Deus æternus, qui occultorum cognitor es, qui scis omnia ante generationem eorum, tu scis quoniam falsum testimonium adversum me dixerunt; et ecce morior quæ nihil feci horum, quæ hi maligni finxerunt adversum me. Et exaudivit Deus vocem ejus. Et cum duceretur ut periret, excitavit Deus spiritum sanctum pueri adolescentis, cui nomen erat Daniel, et exclamavit voce magna: Mundus ego a sanguine hujus. Et conversa est omnis plebs ad eum, et dixerunt: Quis est iste sermo quem tu locutus es? At ille stans in medio eorum: Sic, stulti Israel, non interrogantes neque verum cognoscentes damnastis filiam Israel? Redite in judicium, falsum enim testimonium adversum eam dixerunt* (*Ibid.* 42). Sic etiam nunc exclamante Athanasio ad Deum, omnes famulos suos Deus fecit pro veritate exsurgere contra vos adversarios suos. Hæc cultoribus suis præstitit, quæ tunc Danieli devotissimo suo, quo possemus te falsum esse testem

non egeris, jam non es Arianus, nec falso Athanasium accusasti. Til. la Cerda, et Galand.

[a] Tota Mediolanensis Conciliabuli machina eo conversa erat, ut Athanasius ab Episcopis catholicis, præsertim occidentalibus damnaretur, veluti criminum reus, quæ in illum hæretici toties effinxerant; *ut inde Arianæ impietati, cujus erat patronus* Constantius, *speciem aliquam conciliaret*; inquit Athanasius ipse in epist. ad Solitar. Episcopos itaque Imperator urgebat, ut in Athanasium subscriberent: *Comminabundus stringebat gladium contra illos, et quosdam abripi e conspectu jubebat. Videns autem Luciferi, Eusebii, et Dionysii Episcoporum constantiam.... exsurgens ille confestim dixit: Ego nunc accusator sum Athanasii, propter me credite iis, quæ dicunt Ariani. Illis autem respondentibus: Quomodo accusator esse potes absentis rei? si enim accusator adest, absit autem reus, judicium nullum exercetur: adesse autem propter itineris longinquitatem non potuit... Quod si de auditis, objiciens loqueris, æquum est te quoque illa credere, quæ dicit ipse: si autem non credis illi, credis vero istis, potius videntur isti in tui gratiam talia dicere, et ob eam Athanasium accusare.* Hæc cum sibi coram dicta Imperator *audisset, et suam reputaret contumeliam, illos ejecit in exsilium.* Athan. ibid. et huc spectant, quæ hoc in loco Lucifer innuit, et quæ paulo superius, *quæ te compulit ratio fieri testem falsum?* usque ad hunc locum.

[b] Per ironiam dicta.

[c] Id est, *ut eam morti traderent:* sic antea; unde etiam participium, quo utitur inferius: *jacent venena vestra virtute Dei mortificata*, Id est, *mortua, vana, et inania.* Til. et la Cerda.

[d] Sabat. legit *sui.*

[e] *Concumbentes.* Til. ex Græco et Vulg. cui assentitur Galandius.

intelligere, te unum esse de viperarum progenie, te falsa hæc cum consacrilegis tuis poetasse [a]. Redeunt ad justum judicandum judicium jam cuncti [b] inter hæc torquenti mortis sententiam, etiam illi, quos inscios sua calliditate per te dominator animæ tuæ diabolus circumscripserat. Non enim esse potest præter coarianos tuos, qui non velit Athanasii vindicari innocentiam, adeo qui non faveat innocentiæ Athanasii, sicut et nunc Susannæ, posteaquam constitit illam falso crimine petitam, pudicam ab impudicis, castam ab adulteris, Dei ancillam a servis diaboli : ita a vobis serpentinis filiis satanæ pulsatus est status innocentis Deo fideliter servientis; sed estis prostrati. Jacent enim omnia venena vestra virtute Dei mortificata. Siquidem omnis anima christiana sit exorans Deum, ut sicut Susannam, dignetur Athanasium falso eripere crimine, eripere a gladio tuo carnificis, a tua sævitia homicidæ. Interea iterum atque iterum urgeo, ut videas quæ vos Arianos ceperit dementia, quæ comprehenderit insania, ut auderetis hæc machinari in innocentis necem, quando sciretis Deum scire omnia priusquam fiant. Sed non mirandum sit, si hæc circa Athanasium fuerit per te ac tuos constructa machina quandoquidem non dubitaveris dicere de Deo Patre : *Non est verus Pater : non enim habet verum filium.* Qui enim dicis ex nihilo esse Filium Dei, quid aliud dicis, nisi quia non sit verus Pater? Non, inquam, mirum, si in Dei servum Athanasium sic exsurrexeris, quando in eum, cujus est servus Athanasius, mittere non dubitaris funestas tuas manus. Nec enim latro, qui domino domus non pepercerit, poterit ejus parcere resistenti sibi familiæ. Sed jam redeamus ad illud quod nos facere præcipiebas. Dixisti : *Damnate Athanasium.* Quid intervenerat ut non facie ad faciem illum vidissemus? Quid factum fuerat, ut non omnem cardinem rei fuissem perscrutatus? Cur idoneis testibus non es passus eumdem superari? Numquid vel hos sanctissimus Daniel, quin immo per Danielem Spiritus sanctus inauditos damnavit? Legimus etenim gloriosum Daniel dixisse ad populum : *Separate eos ab alterutro : et vocavit unum ex illis, et dixit ad illum : Inveterate dierum malorum, nunc advenere peccata tua, quæ ante faciebas, judicans judicia injusta, et innocentes quidem damnabas, nocentes autem dimittebas, dicente Domino : Innocentem et justum non occides. Nunc tamen hunc si vidisti, dic sub qua arbore vidisti eos tractantes? Et dixit : Sub lentisco. Dixit autem Daniel : Recte mentitus es in caput tuum. Jam enim angelus Domini accipiens præceptum a Deo secabit te medium. Et cum removisset illum, jussit admo-*

A *veri alterum, et dixit ad eum : Semen Chanaan et non Juda, species seduxit te, et concupiscentia evertit cor tuum : sic faciebatis filiabus Israel, et illæ quidem timentes concumbebant vobiscum. Sed non sustinuit filia Juda injustitiam vestram. Nunc autem dic mihi, sub qua arbore comprehendisti eos invicem tractantes? Respondit : Sub ilice. Dixit autem illi Daniel : Recte mentitus es et tu in caput tuum. Manet etenim angelus Dei gladium habens ad secandum te medium, ut vos perdat. Et exclamavit omnis synagoga voce magna et benedixit Deum, qui salvos facit sperantes in eum : et surrexerunt adversus duos presbyteros, quoniam comprobaverat eos Daniel ex ore ipsorum falsos testes, et fecerunt illis quemadmodum ipsi male proximo fucere voluerunt secundum legem Moysi, et occiderunt, et*

B *salvus factus est sanguis innocentis in illo die (Ibid. 51).* Quid respondere, Constanti, imprudentia tua potest ad hæc? conspicisne reos tanti sceleris passim damnatos, nisi omnibus diligentissime discussis? et tu in eum quem innocentem sciebas, jubere non dubitasti, darent Dei sacerdotes mortis sententiam? Quid audituri si fecissemus? nempe hæc quæ illi libidinis scopuli pseudopresbyteri falsi testes audiunt : *Inveterate dierum malorum, nunc advenerunt peccata tua, quæ ante faciebas, judicans judicia injusta, et innocentes quidem damnabas, nocentes autem dimittebas, dicente Domino : Innocentem et justum non occides (Ibid. 52).* Hæc nonne jure meritoque audire mereremur, qui a te sentina Ariani dogmatis aut fuissemus illecti aut territi ad innocentis damnationem? et idcirco in te hæc omnia mala venerunt. Tu cum tuis auditurus, quæ illi per Daniel audierunt, sive quia falsi criminis objecti reus sis, sive quia ad innocentis necem omnem chorum [c] invitaris episcoporum, et quia volueris omnem Dei populum hæresim suscipere tuam, audies et quidem gravius, quia tua sint graviora facinora, quippe qui Dei religionis destructor exstiteris, qui ingentem multitudinem Christianorum se dicentium interemeris, qui hæresim vestram Arianam introduxeris in ecclesiam, qui catholicam damnaveris fidem, qui Deum Patrem negaveris verum Patrem, qui unicum ejus Filium dixeris non esse verum Filium, Spiritum quoque sanctum paracletum asseveraveris non esse verum Dei Spiritum. Cum te contra et contra omnes Dei

D inimicos clamet sanctæ ecclesiæ fides, credere se *in Deum verum Patrem innatum, et in unicum Filium ejus natum ex innato et vero Patre, hoc est de substantia Patris, Deum* [d] *de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, natum non factum, unius* [e] *substantiæ cum Patre, quod Græci dicunt omousion, per*

[a] Id est, *finxisse, et falso attulisse;* quod poetæ multa, quæ numquam fuerunt, fingant. *Til. et la Cerda.*

[b] Locus corruptus, inquit Tillius, quem Latinius ita emendavit: *jam cuncti in te retorquent*, etc. sed sensus, licet obscurus, hic est: *Episcopi cuncti catholici, etiam illi, quos tu seduxeras, redeunt ad judicium justum pro Athanasio contra te torquentem inter hæc sententiam mortis in nos.*

[c] De numero Episcoporum, qui Concilio Mediolanensi interfuerunt, vide jam dicta in vita S. Lucileri.

[d] Hæ formulæ catholicæ fidei ex symbolo Nicæno desumptæ usque *omnia facta sunt.*

[e] Sive *ejusdem cum Patre substantiæ*, quod proprie sonat Græcum vocabulum ὁμοούσιος. Vid. Petavium lib. 4 de Trinit. cap. 5.

quem omnia facta sunt, et sine quo factum est nihil, et in Spiritum paracletum verum Dei Spiritum. Tibi ergo falso testi, spiritali adultero, homicidæ sacrilego digne graviora dicentur, digne qui tantis ac talibus criminibus major sis illis pseudopresbyteris Susannæ inimicis. Si enim illis dicitur mentientibus : *Recte mentitus es in caput tuum. Jam etenim* [a] *angelus Domini accipiens præceptum a Deo secabit te medium* ; (*Ibid.* 55). Et, *Recte mentitus es* [b] *in caput tuum. Manens est angelus Dei gladium habens ad secandum te medium, ut vos perdat* (*Ibid.* 59). Quanto magis, nisi tibi prospexeris, ad te talia dicentur ! Num [c] scis esse scriptum : *Beati qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud* [d] (*Luc.* XI, 28)? exciderat cordi illi tuo errorum vincto tenebris, ut juberes damnari innocentem : nisi fallor etenim omni in loco lex sacra innocentem et justum non condemnandum loquitur ; et idcirco quia hæc fieri contra Dei mandasti præceptum, unum te habemus ex illis, quos Dominus percutit in evangelio : *Væ vobis, Scribæ et Pharisæi* [e], *quia monumenta estis quæ non parent, et homines nesciunt ambulantes super ea* (*Ibid.* 44). Nesciebant quidem illi, quos ad te sacrilegum illexisti amandum, qui per conatus tuos non consideraverant te esse monumentum omnibus immunditiis plenum ; arbitrabantur hominem. Cæterum nos statim, ut cœpisti episcopis imponere necessitatem damnandi absentem, illico diximus te injustitiæ cultorem, justitiæ vero esse persecutorem. Item cum te urgeremus legati [f] nos beatæ ecclesiæ, sectam damnandam Arii, et illam magis dixisti esse catholicam, prænuntiavimus te Antichristi fuisse præcursorem. Cum persequi Christianos dignaris, cum interficis, similem te, Constanti, illorum facis, ad quos Dominus dicit : *Væ vobis qui ædificatis monumenta prophetarum, patres autem vestri occiderunt illos. Ergo* [g] *testimonium perhibetis, non* [h] *consentientes operibus patrum vestrorum, quoniam illi* [i] *quidem occiderunt eos, vos autem ædificastis sepulcra eorum : ideo* [j] *mitto prophetas et apostolos, et ex illis occident et persequentur, ut inquiratur sanguis omnis prophetarum, qui effusus est a constitutione mundi usque ad generationem istam : a sanguine Abel usque ad sanguinem Zachariæ, qui periit inter altare et ædem : ita dico vobis, requiretur ab hac generatione* (*Ibid.* 47). Tu autem esse ex illis hinc intelligeris, quod cum sis memorias martyrum beatorum instaurans, tamen servorum unici Filii Dei cruorem fundas. Redi, Constanti, ad domum Dei, esto Christianus, ne inventus foris ecclesiam, sis semper ut es hodie inter illos, quos percutiens dicit Dominus : *Contendite intrare per angustum ostium, quia dico vobis, multi quærunt* [k] *et non poterunt. Cum exsurrexerit pater familias et cluserit* [l] *ostium, et incipietis foris stare et pulsare* [m] *dicentes : Domine, Domine, aperi nobis. Et respondens dicet : Nescio vos unde sitis. Tunc incipietis dicere : Manducavimus coram te et bibimus, et in plateis nostris docuisti* [n]. *Et dicet vobis : Nescio* [o] *unde estis, discedite a me, omnes operarii iniquitatis. Ibi erit fletus et stridor dentium. Cum videbitis* [p] *Abraham, Isaac, et Jacob, et omnes prophetas introeuntes in regnum Dei, vos autem expelli foras* (*Ibid.* XIII, 24). Noli ita te perisum habere, ut te sinas hæc audire inter illos, maxime cum videas te nequiorem fuisse quam cui digne dicatur : *Discede a me, operarius iniquitatis.* Eris, Constanti, si in hac malevolentia tua manere volueris, inter illum populum carnalem, cui dicitur : *Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis prophetas, et lapidas eos qui mittuntur ad te* (*Ibid.* 34) ; eris, inquam, inter illos, quia sic sis persecutor eorum, qui te hortentur promereri Deum, sicut illi fuerint persecuti prophetas atque apostolos. Iterum urget defensio veritatis quæri a te, cur absentem damnari præceperis. Dic, quæso, bene an male id fieri imperaris ? Si dixeris bene, credo te ad beati Pauli confugere factum, quod Corinthiis scripserit, jam se illum punisse peccatorem, quem comperisset graviter deliquisse. Videamus nunc, si tu, bellua, membra et corpus tantum habens hominis, animum vero ferinum, si ita egeris ut egit apostolus, si tali ordine rem celebraveris, quo ille qui dixit : *Sic* [q] *omnino auditur inter vos fornicatio, qualis nec inter gentes, ita ut uxorem patris sui aliquis habeat : et vos inflati estis, et non potius luctum habuistis, ut tolleretur e medio vestrum qui hoc opus fecit. Ego quidem sicut absens corpore, præsens autem spiritu jam judicavi ut præsens eum, qui sic operatus est, in nomine Domini Jesu, congregatis vobis et spiritu meo cum virtute Domini nostri Jesu Christi,*

[a] Supra idem Lucifer *enim*.

[b] *Et tu* addit supra idem Lucifer, ubi *manet etenim* etiam habet, pro *manens est*.

[c] *Non*. Latin. Locum reformarunt Lugdunenses, *Cum scis* etc., inquit Galandius ; sed recte stat interrogatio *Num*.

[d] *Illud* omittit Vers. Ant.

[e] Vers. Ant. *Væ vobis quoniam... ineerta... ambulantes supra*.

[f] Præfuit Lucifer Mediolanensi Synodo legatus Liberii cum Pancratio et Hilario Romanæ Ecclesiæ Clericis.

[g] Vers. Ant. *Profecto testificamini consentire*.

[h] *Vos* pro *non*. Latin. recte, et ex eo Galandius.

[i] Vers. Ant. *Ipsi.... ædificatis. Ædificatis* habet etiam Sabat.

[j] Vers. Ant. *Propter hoc et sapientia Dei dixit : Mittam ad vos... et ipsos occidetis et persequimini, ut exquiratur sanguis omnium..... progeniem.... Abel justi... inquiretur a progenie hac*.

[k] *Quærent* Latin. et Sabat. ex sua edit. Vers. Ant. *Per angustam portam... quærunt intrare, et non potuerunt*. Editio nostra convenit cum ms. Corb. apud ipsum Sabat.

[l] Pro *cluserit*. Til. *Cludo* pro *claudo* obvium in aliis. *La Cerda*. Vers. Ant. hic, *Cum autem intraverit... et cluserit... suum*. Græc. cum Lucifero, ἐγερθῇ, *exsurrexerit*. *Cluserit* pro *cluserit* legit Sabat.

[m] Vers. Ant. *Pulsare ostium... dicet vobis : Nescio unde*, etc.

[n] Additur *et in synagogis* in Vers. Ant., sed abest a Græco.

[o] Vers. Ant. *Nescio vos... recedite*.

[p] *Videritis*. Vatic. et Vers. Ant.

[q] Vers. Ant. *Omnino... fornicatio, et talis fornicatio.... patris aliquis.... de medio. .. Ego enim ut.... spiritus.... in nomine Domini nostri Jesu Christi.... hujusmodi satanæ... in diem Domini Jesu Christi*.

tradere hujusmodi hominem satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Jesu Christi (1 *Cor.* v, 1). Dicis, credo : *Et ego idcirco vobis mandaveram damnare absentem, quia damnaverat et apostolus.* Primo omnium beato apostolo catholici nuntiaverant hi, quos norat fideles, quos Deo probaverat devotos, et testem sciebat esse omnem Corinthiorum sanctam ecclesiam. Tu contra cum [a] consacrilegis tuis accusantibus Deo odibilibus hæreticis nos dignabaris urgere ad absentis damnationem. Deinde cum apostolum audis dicere : *Congregatis vobis et spiritu meo cum virtute Domini* [b] *Jesu, tradere hujusmodi hominem satanæ in interitum carnis* (*Ibid* 4); tu, tenebra [c], cur nobis dicentibus : *Ad ipsum nos nostris impendiis pergemus in plebe, cui divinitus constitutus est, eumdem audiemus, tantum da catholicos accusatores secundum sacræ legis mandatum* ; cur detrectrasti ? cur, tamquam gladiatores, non episcopi essemus, tantum juxta vota tua, quo possemus interficere eum, cujus tu olim sitiebas cruorem, operam dabas ? Interea sic te infelicem traditum satanæ pro homicidiis, proque sacrilegio tuo debes scire ut ille qui in illo reatu apud Corinthios inventus est. Neque enim ista tua quæ gesseris ac geris minora sunt funera ; ut, si se illum tradidisse ore beati apostoli loquitur Spiritus sanctus satanæ in interitum, et te mox ut tam gravia commisisti crimina non tradiderit. Si enim non ita esset, meminisses profecto dixisse apostolum : *Pretio empti estis, nolite fieri servi hominum* (*Ibid.* VII, 23) : numquam cogere Dei ausus fuisses sacerdotes ad inauditum damnandum. Qui enim pretio emptus sum, quia liberatus a lege peccati servus fuerim factus justitiæ, jam viventi mihi in lege justitiæ imponi onus non debuerat a te, ut servus iterum efficerer iniquitatis atque injustitiæ. Impositum itaque est onus a te, quia traditus fueris satanæ in interitum propter homicidia atque sacrilegium. Si non fuisses traditus satanæ, retineres Timotheo scripsisse apostolum : *Scimus autem quoniam bona est lex si quis ea* [d] *legitime utatur, sciens hoc quia justo lex non est posita, injustis autem, et non obedientibus, et impiis, et peccatoribus, sceleratis, et profanis, parricidis, et matricidis, impudicis, masculorum concubitoribus, plagiariis, mendacibus, perjuris, et si quid aliud sanæ doctrinæ adversatur, quæ secundum evangelium est gloriæ beati Dei quod creditum est mihi* (1 *Tim.* I, 8). Si non est traditus, ex quo Filium Dei negasti, in interitum satanæ, quomodo præteriens tanta, quæ te cohibere a tanto potuerant scelere, ad hæc gerenda exsilire dignatus es, quæ possint cuncta tollere hæc, quæ noscantur sanæ esse doctrinæ ? Hæc qui sis faciens, quæ sanæ adversentur doctrinæ, qui proscribas, torqueas, deportes, mittas in carcerem interficiasque, dic, obsecro, si sis dissimillis ab Herode illo rege, cujus carnificinam describens ita loquitur sacra scriptura : *Eodem in tempore remisit Herodes rex manus, ut noceret quosdam* [e] *de ecclesia. Occidit* [f] *autem Jacobum fratrem Joannis gladio, et cum vidisset quod placeret hoc Judæis, addit* [g] *ut comprehenderet Petrum. Erant autem dies azymorum. Hunc cum apprehendisset, misit in carcerem traditum quatuor quaternionibus militum custodiendum, volens post pascha producere* [h] *eum plebi. Petrus* [i] *vero custodiebatur in carcere. Oratio ergo instantissime fiebat ad Dominum pro eo ab ecclesia : et cum futurum esset ut eum Herodes produceret, illa nocte Petrus dormiebat inter milites alligatus catenis duabus, et custodes ante ostium, et custodiebant carcerem. Et ecce angelus Domini astitit, et lux ab eo refulsit in illo loco : compungens autem latus Petri suscitavit eum dicens : Surge velociter. Et* [j] *surrexit, et ceciderunt catenæ de manibus ejus* (*Act.* XII, 1). Et infra : *Et* [k] *cum transisset primos et secundos custodes, venit ad portam ferream, quæ ducit in civitatem, quæ a se aperta est eis. Et cum exiissent, processerunt vicum unum, et continuo discessit ab eo angelus. Et Petrus in se conversus ait : Nunc* [l] *scio quia vere misit Dominus angelum suum, et eripuit me de manibus Herodis, et de omni exspectatione plebis Judæorum* (*Ibid.* 10). *Facta autem die turbatio* [m] *erat inter milites, quidnam Petrus factus esset. Herodes autem cum requisiisset* [n] *eum, et non invenisset, interrogatos custodes jussit duci* (*Ibid.* 18). Similem te illi in omnibus videmus sive in crudelitate, sive in sacrilegio ; ut enim ille Jacobum beatum apostolum interfecit, ita et tu ingentem multitudinem credentium, sicuti credidit Jacobus apostolus, interfecisti ; ut ille in Jacobo apostolo Dei unicum persequebatur

[a] *Tu contra, tenebra, te, atque cum consacrilegis*, etc. Vatic.

[b] *Domini nostri Jesu Christi.* Idem Lucifer supra.

[c] *Tenebra*, singulare, quod non est in usu, usurpat pro plurali *tenebræ*, ut *opera tua* pro *operibus tuis.* Til. et la Cerda. Ita loqui placet Lucifero : neque aliter infra : *Si te secuti tenebram fuissemus.* Galand.

[d] Vers. Ant. *Eam ..... scientes ..... peccatoribus est, scelestis .... patricidiis et matricidiis, masculorum concubitoribus, homicidiis, impudicis.*

[e] Pro *quibusdam.* Til. Vers. Ant. *Eodem autem tempore immisit Herodes ... affligeret quosdam. Noceret* pro *interficeret* ; la Cerda.

[f] Vers. Ant. *Interfecit .... videns autem quia placitum est .... apposuit apprehendere et ... Quem et adprehensum .... tradens... custodire eum.*

[g] *Addidit.* Latin.

[h] Græc. ἀναγαγεῖν. Vers. Ant. *perducere.*

[i] Vers. Ant. *Petrus quidem servabatur .... Oratio autem erat, incessanter ... ad Deum... Cum autem vellet producere ... erat Petrus dormiens inter duos milites, ligatus ... custodes autem ante ostium custodiebant .... et lux fulsit in habitaculo : percussit*, etc.

[j] *Et surrexit*, abest a Vers. Ant.

[k] Vers. Ant. *Transeuntes autem primam custodiam et secundam venerunt ... quæ ultro ... Et exeuntes transierunt .... reversus in se dixit .... manu.*

[l] Græc. Νῦν οἶδα ἀληθῶς ὅτι. Sed Lucifer legebat transpositis vocibus, ὅτι ἀληθῶς : *Nunc scio quia vere*, nec ὃν ὁράματι dumtaxat, *misit Dominus.* Atque ita legisse quoque Chrysostomus perhibetur. *Galand.* Vide Chrys. hom. 26, in Acta Apost.

[m] Vers. Ant. *Tribulatio non minima.* Græc. τάραχος solum, ut Lucif. et ἐγένετο, *factus esset*, ubi *factus est* in Vers. Ant.

[n] Vers. Ant. *Requirens eum et non inveniens, disquirens.*

Filium, ita et tu, et in illos quos jam interemisti, et in nos, quos persequeris. Iterum te et instruimus et hortamur, ut redeas ad Dei ecclesiam desinasque jam persequi Athanasium, vel nos facientes contra tuam hæresim, ne istius Herodis exemplo disperire incipias; cujus interitum loquitur sacra scriptura dicens : *Descendit a Judæa Cæsarea* [a], *ibique mansit. Erat autem infestus Tyriis et Sidoniensibus : et unanimes venerunt ad eum, et persuaso Blasio, qui erat a cubiculo regis, postulabant pacem, eo quod regiones eorum de regia alerentur. Statuto autem die Herodes vestitus veste regali sedit pro tribunali, et concionabatur ad eos. Populus autem clamabat : Dei voces, et non hominis. Confestim autem percussit eum angelus Domini, quia non dedit honorem Deo, et vermibus scatens exspiravit* (*Ibid.* 19). Ignorabas tu, qui [b] te legisperitum vis videri, dixisse Joannem apostolum [c], ut cum diceres [d], *Damnate innocentem : Ex* [e] *hoc intelligimus quoniam cognovimus eum, si mandata ejus servemus. Qui autem dicit : Quoniam cognovi eum, et mandata ejus non custodit, mendax est, et in hoc veritas non est. Qui autem servaverint ejus verbum, vere ab eis charitas Dei consummata est* (1 *Joan.* II, 3). Tu fieri præcipis contra Dei mandatum : et contra apostolus dicit, quia qui non custodierit præcepta ejus, nec quidem cognoverit eum; quia, inquit, si dicat : *Cognovi eum, et mandata ejus non custodit, mendax est, et in eo* [f] *veritas non est* (*Ibid.* 4). Vis nos esse mendaces, vis homicidas inveniri ad hoc sine dubio ne Christiani esse reperiamur. Neque enim mendaces, neque homicidæ sunt Christiani. Apostolus dicit : *Qui servaverint ejus verbum, vere consummata est charitas Dei apud illos* [g] (*Ib.* 5); et apostata præcursor antichristi dicis : *Quicumque non custodit mandata illius, vivet.* Adhuc, *Qui dicit se in lumine esse*, inquit, *et fratrem suum odit, in tenebris est usque adhuc. Qui autem amat fratrem suum, in lumine permanet, et scandalum non est in eo. Qui autem odit fratrem suum, in* [h] *tenebris ambulat, et nescit quo eat, quoniam tenebræ obscuraverunt cor ejus* (*Ibid.* 9). Quid a te tenebroso poterit dici ad hæc? cur in tenebras constitutus, non in lumine dicis : *Odite mecum et vos eum quem ego injuste odi, estote comparticipes insaniæ meæ, estote ut ego etiam vos homicidæ.* Deinde si dicit, quia *qui odit fratrem suum, in tenebris ambulat* (*Idid.* 11), et nesciens sit quo pergat, videlicet quia tenebræ violentiæ oculos ejus excæcaverunt, quid si interfecerit quis fratrem suum? quid si homicida fuerit? Sed tibi nihil videtur homicidæ [i] qui tantorum Dei servorum inveniris fudisse sanguinem. Audes hæc Dei jubere sacerdotibus facere, quæ soli sunt placita patri vestro diabolo, et vobis Arianis filiis ejus. Hortatur item sanctissimus apostolus ut justitiæ iter tenentes in perpetuam mereamur constitui requiem; et tu vir sapientissimus compellis nos ad æternos venire tecum cruciatus. *Filii, nemo vos fallat : qui facit justitiam, justus est* [k]; *qui autem facit peccatum a diabolo est, quoniam origine* [l] *diabolus peccat. Ad hoc enim declaratus est Filius Dei, ut solveret opera diaboli* (*Ibid.* III, 7). Igitur cum dicatur ab apostolo, quia sit peccatum a diabolo, et tu compellas nos crimina capitalia committere, quid te aliud possum dicere, nisi procuratorem diaboli? eum quem videam ita ejus diligere causas, ita ejus colere rem, ut cunctos nos in ejus cupias inveniri parte. Unde etenim omnem Dei cultorem compellis ad ipsum facere transitum, nisi quia delegeris favere parti ejusdem? Audis dicere beatum apostolum : *Idcirco declaratus est Filius Dei, ut solveret opera diaboli* (*Ibid.* 8); et tu sis urgens Dei cultores opus consummare diaboli. Cum hæc agis, nonne videris impugnatorem te constituisse ejus, qui solverit opera diaboli? Sed non mirandum si elegeris ut quæ dissolvit unicus Filius Dei, hæc possint reædificari per te Diaboli satellitem, quandoquidem nec ipsum negare dubitaveris, qui opus diaboli destruxerit. Hinc tibi est pro nihilo cruorem fundere innocentis, quia jam innocentium amatorem et suorum cultorum defensorem negans contuleris temet ad eum, ad quem se contulerit Scarioth Judas. Si itaque negare non potes, quia opus sit diaboli viri justi fundere sanguinem, utique est clarum te diaboli opera fecisse, et nos, ut faceremus, hortatum. Adhuc loquitur Joannes Deo amantissimus ut fraterna inviolata teneatur charitas, dicens : *Ex hoc apparent Filii Dei et filii diaboli. Omnis qui non est justus, non est ex Deo, et qui non amat fratrem suum, quoniam hæc est repromissio* [m] *quam audistis ab initio, ut amemus* [n] *alterutrum, et non sicut Cain qui* [o] *ex maligno fuit et interfecit fratrem suum. Et propter quid interfecit eum? Quoniam opera*

[a] *In Cæsaream* legit Sabat. Vers. Ant. *Descendens ab Jud. in Cæs. morabatur .... Herodes animis infestus .... Sidoniis : unanimes autem .... super cubiculum .... civitates .... indutus vestem regalem et sedens .... succlamabat : Dei vox .... eo quod non dedisset gloriam Deo, et consumptus verm.*

[b] Vide not. in lib. *Moriendum pro Filio Dei.*

[c] *Beatum Apostolum.* Vatic.

[d] *Ut diceres.* Id. Sensus est; *ignorabas, cum diceres,* Damnate innocentem, *dixisse Joannem* etc. *Ut* redundat.

[e] Græc. καὶ ἐν τούτῳ γινωσκομεν, ὅτι ἐγνώκαμεν αὐτὸν, etc. Vers. Ant. *Et in hoc cognoscimus eum, si servaverimus. Qui dicit quia cognovit .... servat .... servaverit .... in hoc perfecta est dilectio Dei.*

[f] Supra *in hoc* idem Lucif.

[g] *Ab eis* idem supra.

[h] Vers. Ant. *Nam qui in tenebris est, et in tenebris ambulat; et excæcaverunt oculos ejus.*

[i] *Homicida.* Latin. et Galand.

[j] Vers. Ant. *Filioli.. . seducat.*

[k] Addit Vers. Ant. *Sicut et ille justus est;* quæ tamen desunt in mss. quibusdam.

[l] Vers. Ant. *Quia ab initio.. . In hoc manifestatus.... solvat.* Lucifer ipse habet infra *idcirco* pro *ad hoc.*

[m] Vers. Ant. *In hoc manifestati sunt.... a Deo.... non diligit.... quia.... annunciatio quam audivimus ab initio.* Græc. ἣν ἠκούσατε, ut Lucifer qui habet infra *ab origine* pro *ab initio.*

[n] Vers. Ant. *Diligamus invicem, non.... erat, et occidit.... Et cujus rei gratia occidit? quia opera ejus.... fratris vero ejus.... mundus.... quia transivimus de.... quia diligimus.... Qui non diligit.*

[o] *Cain ex maligno.* Vatic. Ita in Græco omittitur *qui*, uti etiam a Lucifero paullo inferius.

ipsius maligna fuerunt, fratris autem sui justa. Nolite mirari, fratres, si odit nos sæculum. Nos scimus quoniam transitum fecimus a morte ad vitam, quoniam amamus fratres : qui autem non amat, manet in morte. Omnis qui odit fratrem suum, homicida est : et scitis quia omnis homicida non habet vitam æternam in se manentem (*Ibid.* 10). Cum itaque omnis, qui odire invenitur fratrem, filius dicatur diaboli homicida, Cain denique fratricidæ comparetur, in morte manere designetur, cur me hoc opus implere compellebas, quod me ut Cain fecisset fratricidam et filium diaboli, quod me in mortem perpetuam fecisset manere? cum jam videas me transitum fecisse de morte ad vitam, cum inter eos, quos filios [a] appellare dignatus est, me jam constituerit Deus. Quam ob caussam me Cain fieri voluisti, tenebras etiam et filium diaboli? in quo te læsi, in quibus rebus exstiti adversarius salutis tuæ, ut mihi desideraris ita esse nocitum? cur hæc iteramus? nisi ut aliquando intelligere possis, quod quidnam sit bonum sis ignorans. Si enim scires, numquam et ipse tantum admisisses facinus, et nos perpetrare urgeres. Dicas inter hæc precor, quamobrem persequeris Dei domus antistitem? dicit enim apostolus, quia *qui odit fratrem suum, homicida est* (*Ibid.* 15). Si nos vis habere homicidæ nomen, cur odis fratrem tuum? Proba odio dignum Athanasium; quid malorum operatus sit manifesta, ut sit odiri dignus etiam ab omnibus nobis. Profecto non dabis opus commissum aliquod injustum, quod eum faciat odiosum. Cum hæc ita sint, necesse est te idcirco odisse illum, quia opus tuum sit malignum, Athanasii vero justum. Propterea etenim vis interficere eum, quod non fuerit te sceleratum, facinorosum, atque sacrilegum imitatus. Constat hæc ita esse. Cum enim gloriosus apostolus Cain et Abel introducit comparationem, tu mihi esse videris Cain, Athanasius vero Abel, *Ex hoc apparent filii*, dicens, *Dei, et filii diaboli. Omnis qui non est justus, non est ex Deo, et qui non amat fratrem suum, quoniam hæc* [b] *repromissio quam audistis ab origine ut amemus alterutrum, et non sicut Cain ex maligno fuit, et interfecit fratrem suum. Et propter quid interfecit eum? quoniam opera illius maligna fuerunt, fratris autem sui justa* (*Ibid.* 10). Nec debes dubitare opera tua esse maligna, Athanasii vero justa. Tu etenim es homicida, religionis Dei destructor, unici Filii Dei negator, apostolicæ fidei expugnator, idololatriæ Arianæ fundator; contra Athanasius est in timore Dei ita permanens, ut nihil commisisse, quantum videri potest, inveniatur, quod eum possit a Deo dilectissimis separare. Cum hæc ita sint, hortamur diligas te in Athanasio. Retines scriptum : *Diliges proximum tuum tamquam teipsum;* et, *Qui diligit proximum, legem implevit* (*Matth.* XXII, 39; *Rom.* XIII, 8). Ut etenim te in ipso odis, ignorans quia malum sit justum odire injuste, ita te in eo incipies amare, si hæc tua malevolentia fuerit conversa in benevolentiam. Tunc poteris eripi e tenebris, in quibus te dicit beatus apostolus mansitare. *Nolite* enim, inquit, *mirari, fratres, si odit nos sæculum. Nos scimus quoniam transitum fecimus a morte ad vitam, quoniam amamus fratres : qui autem non amat, manet in morte. Omnis qui odit fratrem suum, homicida est : et scitis, quia omnis homicida non habet vitam* [c] *in se manentem* (1 *Joan.* III, 13). Non audeas jam dicere : *Damnate innocentem*, homo non habens in te vitam manentem, homo qui nec dum feceris transitum de morte ad vitam. Si enim fecisses, hoc est, si in unicum Dei Filium sicut nos credidisses, nec homicida esse delegisses, ne videlicet inciperes iterum regredi ad mortem. Duplici igitur modo constitutus sine spe vitæ dignatus es imperare Dei sacerdotibus, interficere innocentem. Sed fortassis tenes [d] dicere : *Amo amantes Deum, et odio habeo odientes eum.* Sed hæc de Athanasio non poteris dicere, quoniam quidem magis constet, te odire Deum, quia et dereliqueris illum, et transitum feceris ad idololatriam. Itaque, quia nullam culpam persequeris in Dei sacerdote, sed solam justitiam, sed solam Dei religionem, superest ut adhuc videas nos, quos hortabaris innocentes interficere, quales esse jusserit circa conservos nostros iste beatus apostolus Joannes : *Ille propter nos* [e] *animam suam posuit, et nos debemus pro fratribus animas nostras ponere* (*Ibid.* 16). Ab apostolo jubeor animam ponere pro fratre, et a te antichristi mancipio præcipitur mihi fratrem interimere : et iterum, *Fiduciam*, inquit, *habeamus* [f] *ad Deum, et quicquid petierimus accipiemus ab eo, quoniam mandata custodimus, et quæ ei placent ante conspectum ejus faciamus in nomine Filii ipsius Jesu Christi,* [g] *et amemus nos invicem, sicut dedit mandatum nobis....* (*Ibid.* 21). Sed quomodo potero audiri ab eo in omni obsecratione, qui sim non servans mandatum ejus? Ut enim diligam fratrem meum mihi mandavit, non ut interimam. Et infra : *Charissimi,* [h] *amemus nos alterutrum, quoniam charitas ex Deo est* (*Ibid.* IV, 7). Et iterum : *Quicumque non diligit fratrem* [i], *non novit Deum, quoniam Deus charitas est. Ex hoc declarata est charitas Dei in nobis, quoniam Filium suum misit Deus unicum in sæculum, ut vivamus per eum. In hoc est charitas, non quod nos amaverimus*

[a] Ex Joannis textu allato legerim *filios Dei*. Galand.

[b] *Hæc est* habet idem Lucifer supra et *opera ipsius* pro *illius*. Vide.

[c] *Vitam æternam* habet supra idem Lucifer.

[d] *Tentes*. Latin. et Galand.

[e] Vers. Ant. *Pro nobis*, et omittit *nostras*. *Propter* solum legerat Sabat. in suo exemplari.

[f] *Habemus* legit Sabat. Vers. Ant. *Habemus.... postulaverimus.... quia mandata ejus servamus.... illi, in conspectu ejus facimus*, etc.

[g] Addit. Latin. *Et hoc est mandatum ejus ut credamus et amemus* etc. Ita Vers. Ant. et Vulg. in quibus post *credamus* insunt verba *in nomine Filii ipsius Jesu Christi*, quæ a Lucifero afferuntur post verbum *faciamus*.

[h] Vers. Ant. *Dilectissimi, diligamus invicem, quia dilectio.*

[i] *Fratrem* abest. a Vers. Ant. quæ sic legit : *Qui.... quia Deus dilectio est. In hoc manifestata est dilectio.... quia... unigenitum in hunc mundum... ipsum... dilectio, non quia nos dileximus, sed quia ipse dilexit nos, et misit.... litatorem pro peccatis.... Dilectissimi*, etc.

Deum, sed quod ipse amaverit nos [a], *et miserit Filium suum expiatorem peccatorum nostrorum. Charissimi, si ergo sic Deus amavit nos, nos et debemus alterutrum amare* (*Ibid.* 8). Et iterum : *Si quis dicit* [b], *quia diligit Deum, et fratrem suum odit, mendax est. Qui autem fratrem suum non amat, Deum quem non vidit* [c] *non potest amare* (*Ibid.* 20). Et iterum : *Hoc mandatum habemus ab ipso ut qui amat Deum, amet et fratrem suum* (*Ibid.* 21). Et [d] iterum : *Quoniam* [e] *ex hoc intelligimus, quoniam* [f] *amamus filios Dei, quando Deum amamus, et mandata ipsius facimus. Hæc est enim charitas Dei* [g] *: et mandata ipsius gravia non sunt* (*Ib.* v, 2). Hæc conspice pauca de multis, et invenies ad quas nos traxeris tenebras, tu homo tenebrarum. *Ex hoc intelligimus*, dicit, *quoniam amamus filios Dei, quoniam* [h] *Deum amamus, et mandata ipsius facimus. Hæc est enim charitas Dei ut mandata ipsius custodiamus* (*Ibid.*); et tu me dignaris impellere ad hæc mandata dissipanda, alia contra ipsa, quæ per te instinctu diaboli prolata sunt, instituere. Quomodo inveniri potero Deum amans, qui ejus mandatorum adversarius per te factus inveniar? Quibus ex factis quis mihi esse videris, nisi unus ex illis zizaniis destinatis igni? de quibus Dominus, *Sicut ergo*, dicit, *colliguntur zizania, et igni comburuntur, sic erit in consummatione sæculi : mittet filius hominis angelos suos, et congregabunt* [i] *de regno ejus omnia scandala, et eos qui faciunt iniquitatem ; et* [j] *mittent eos in camino* [k] *ignis. Ibi erit fletus, et stridor dentium. Tunc justi fulgebunt sicut sol in regno patris sui* (*Matth.* XIII, 40). Conspicis quia si te hæretico satis [l] agente damnarem innocentem, tecum essem futurus in gehennam. Neque enim possemus consequi Dei regnum, in quo possemus fulgere tamquam sol [m], si aut homicidium fuissemus perpetrati, aut apostolicam violaremus fidem. Gaudeas huc [n] te in his degere malis, noli cognoscere quæ geras mala, et invenies sine dubio te esse inter malignos illos quos designat ad ignem venturos Dominus dicens : *Exient* [o] *angeli et separabunt malos a justorum conversatione, et mittent illos in caminum ignis : ibi erit fletus et stridor dentium* (*Ibid.* 49). Dignaris pro nihilo habere persequi servos unici Filii Dei, tu membrum diaboli, qui fueras arbitratus quod omnem posses perducere ad scandalum sanctam ecclesiam. Sed conspice quæ tibi atque omnibus consacrilegis tuis promittat Deus : *Qui acceperit unum puerum talem in nomine meo, me accipit : qui autem scandalizaverit unum de pusillis* [p] *qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et mergatur in profundum maris. Væ autem huic mundo ab scandalis. Necesse est enim venire scandala : verumtamen væ homini illi per quem scandalum venit. Quod si manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum, et projice abs te* (*Ibid.* XVIII, 5). Et infra : *Videte ne contemnatis unum ex his pusillis* [q] *: dico enim vobis, quod angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei qui in cœlis est* (*Ibid.* 10). Igitur qui non solum sis spernens credentes in ejus majestatem divinam, sed et es interficiens, quas erit merces repræsentaturus tibi iste quem negas? Qui tibi expedire dixerit, si molam asinariam suspenderes collo tuo, et in profundum maris fuisses præcipitatus, quam unum ex credentibus in eum perduxisses ad scandalum, quam unum contempsisses ex illis, qui sint regnum possessuri cœlorum, quæ erit repræsentaturus tibi, qui ea de causa ejus sanctæ ecclesiæ ex membris scindi merueris, quia sis per quem

[a] *Nos* omittit Sabat.

[b] Vers. Ant. *Dixerit : Diligo Deum.*

[c] Græc. ἑώρακε. Latin. corrigit. *videt* ex Vulg. et Vers. Ant. in qua : *Qui enim non diligit fratrem suum quem videt, Deum, quem non videt, quomodo potest diligere?*

[d] *Et iterum : Ex hoc* etc. Vatic.

[e] Vers. Ant. *In hoc cognoscimus quia diligimus.... quia Deum diligimus, et præcepta ejus.... dilectio Dei, ut præcepta ejus servemus, et præcepta ejus etc.*

[f] *Quia* legit Sabat.

[g] Additur a Latin. *ut mandata ejus custodiamus* etc. ex Græco et Vers. Ant. ac Vulg. quæ postea Lucifer recitat ferme ibidem. Repetita verba, *mandata ipsius*, ni causa fuisse, cur præcedentia librario excideriut, Galandius autumat ; sed haud ita facile librarii culpæ tribuendum, si qua desunt, quæ Lucifer sciens ipse omiserit.

[h] *Quando* idem Lucif. supra.

[i] Vers. Ant. *Colligent.*

[j] *Mittunt.* Vatic.

[k] *Caminum.* Til. et Latin. cum Græco et Vers. Ant. ac Vulg. Frustra est, cum dicit Tilius pro *in caminum ;* nam grammatice quoque *in camino* egregie dices. Nec pigebit aliqua adducere. Plautus Amphit. *in mentem fuit*, et Bacchidib. *Ecquid in mentem est tibi?* Etenim Agellius locum hunc laudat lib. I, cap. 7, et defendit hanc scripturam Cicero pro lege Manil. *Cum vestros portus in prædonum potestatem fuisse sciatis ;* et pro Quinctio ; *res cæpit esse in vadimonium.* Arbiter : *res est in controversiam ;* quod eleganter et in modum Ciceronis dictum asserit Turnebus. Manilius lib. V, *cum venit in regione*, ut Cicero, *veni in Senatu.* Plaut. Epid. *in amorem hærere*, sic legit Camerarius ; et Henricus Stephanus multis defendit illud Plauti, *in mentem fuit.* Lege Taubmanum ad Plautum in Amphitryone. Lege eumdem in eadem comedia, ubi defendit, *interrumpam in ædibus*, et ibidem, *pergam in ædibus.* Ulpianus : *finge in possessionem precariam mulierem remansisse.* Tertull. de Præscript. adver. hæret. cap. VIII, *foris actum ;* quem in locum Junius legit, *foras ;* sed Pamelius *foris* legit ex veteribus. In sacris litteris est, *ingredialur putredo in ossibus meis.* Itaque indifferenter antiqui hæc nomina usurpabant ; ex qua consuetudine Lucifer dixit, *Mittent eos in camino ignis ardentis ;* et infra : *numquid fugerat te, dixisse Dominum B. Petro : Converte gladium tuum in loco suo.* La Cerda.

[l] Idem quod *satagente.* La Cerda.

[m] Post vocem illam *Sol* commate interjecto, ubi punctum inerat in veteri editione, ita disjunctas sententias in unum sensum colligavimus Latinii auctoritate, qui particulam *aut* pro *autem* substituit.

[n] *Gaude adhuc.* Latin.

[o] Vers. Ant. *Exibunt ... de medio justorum .... eos... ignis ardentis.* Ms. Clarom. apud Sabat. *exient ;* et Græc. cæterique omnes mss. codd. carent *ardentis*, ut Lucif. vers.

[p] Vers. Ant. *Pusillis istis.... præcipitetur in profundo.... abscide.*

[q] *Ex pusillis his, qui credunt in me.* Vers. Ant. ; sed absunt a Græco et a Vulg. verba, *qui credunt in me*, uti a Lucif.

scandala diabolus immiserit nostris diebus in Dei populum, quia licet concitaris scandala, tamen deceperis eos tantum qui te neseiverint jam sic aruisse ut rivus præcisus a fonte, ut fractus ramus ex arbore? Cæterum qui te extra ecclesiam cognoscimus positum, qui hostem unici Filii Dei cernimus, scientes te morituum, conatus tuos Deo juvante subter pedes nostros esse conspicimus. Scimus etenim mortuum vivis dominari non posse. Sed quid dicis vivere te in Christo? Unde probare es potens cum eum sis negans? vivere etenim non possunt, nisi qui illum fateantur verum Deum esse, verum Dei Filium. Unde es vivens cum nos idcirco persequaris, quia ejus esse nos fateamur servos? Aut numquid ob aliam nos persequeris causam? numquid fortassis invenisti nos in te deliquisse? et idcirco in nos tam infestus es? nos in te peccasse nosmet non retinemus. Quomodo etenim in te peccasse nos probari poterit, cum te de morte venire ad vitam urgescimus [a]? et tamen si sentis nos in te deliquisse, accipe quæ te circa nos facere jusserit Dominus dicens: *Quod si peccaverit in te frater tuus, vade, et corripe eum inter te et ipsum solum; et si audierit, lucratus eris fratrem tuum: si autem non te audierit, adhibe tecum unum* [b] *vel duos, ut in ore duorum, vel trium testium, stet omne verbum. Quod si non audierit eos, dic ecclesiæ: si autem ecclesiam non audierit, sit tibi tamquam ethnicus et publicanus* (*Ibid.* 15). Cum hæc non feceris quæ præceperit Dominus fieri, cum non solum [c] tu in te et nos non monueris, quibus præsentibus Athanasium unum e nobis convincens reum fuisse, sed coegeris eum inauditum a nobis damnari consacerdotibus suis, cum [d] ei audientiam abstuleris, quomodo nos tu juste poteris incusare, quod enim deliquerimus in te, nihil horum mandatorum Domini cum impleveris? Cur nos tam infeste persequeris, cum magis tu sis reus prævaricationis, qui minime circa nos, pro ut tibi dedit mandata Dei unicus Filius, egeris, sed qui pro ut placuerit inimico nostro diabolo, cuncta gesseris? illius etenim est hujusmodi consilium, illius talis voluntas, ut inauditus damnetur, ut absens interficiatur, ut innocentis cruor fundatur; cum non, inquam, rem egeris eo modo quo jusserit te agere Dominus. Fuisti ausus perferre ad beatam ecclesiam, fuisti ausus dicere: *Peccavit Athanasius, et debet ab omnibus ejus condemnari communio?* Sed quid dicere tentabis? *In Deum deliquit*; et ecce inveniri non potest quod in Deum deliquerit, si quidem neque tu, neque consacrilegi tui filii meretricis hæresis Arianæ possitis testes admitti contra catholicum episcopum. Dominus etenim loquebatur de tribus catholicis testibus, de servis majestatis suæ, ut illis crederet beata ecclesia, non vobis profanis, ex adulterio de meretrice natis. Cæterum si non ita acceperimus Domini istud præceptum, poterunt et Saturni atque omnium idolorum cultores admitti contra Dei domesticos testes; poterunt et omblasphemi tui a Deo derelicti sine lumine, ut tu es, positi Judæi. Si enim vos hæretici et quidem omnium sectarum admittendi estis testes contra Christianos, debent et ethnici et Judæi: siquidem sive Judæi, sive ethnici, sive vos hæretici positi extra Domini ecclesiam sitis sine Deo, ut tunc illi cuneti qui non fuerint in area sanctissimi Noe. Ut enim illi positi extra aream salvari non potuerunt, ita nec vos, sed sic sitis interituri, nisi credentes in unicum Dei Filium, ejus in sancta ecclesia fueritis commanentes nobiscum. Si igitur testes neque tu neque omblasphemi tui esse potestis, quomodo fecisti, insanissime rex, damnari, et quidem a consacerdotibus suis, totius virum innocentiæ? Addo illud, quia jam illum accusaveratis fuisse homicidam [e] apud Sardicam in synodo catholicorum, et probare [f] minime valuerit iniquitas vestra. Addo quod tu ipse ad ecclesiam Alexandrinorum dederis litteras [g] astruens illum virum justum, episcopum catholicum. Ad ultimum, tametsi [h] peccasset, Athanasius fuerat pellendus a populo sibi commisso, et quidem ut ille populus alium e corpore suo dignum peteret sibi fieri episcopum; non tamen fuerat gladio per te imperatorem petendus. At cum [i] tu loco innocentis, in quem nihil veri constituerit loco catholicus, miseris consacerilegum tuum Georgium, [j] et nolentibus ejus maculari sacrilegio tantas contumelias, tantasque intuleris pœnas, ut pluri-

[a] Pro *sæpius urgemus*. Til. et la Cerda.

[b] *Tecum adhuc unum*. Vatic. cum Græco et Vers. Ant.

[c] *Solus tu inter te et nos*. Latin.; sed melius: *Cum non solum tu inter te et nos non monueris, convincens quibus*, id est *nobis, ipsis præsentibus Athanasium unum e nobis reum fuisse, sed coegeris* etc. Latinius idem *convinceres* pro *convincens* legendum autumat; sed retineri participium optime potest. Latinium sequitur Galandius.

[d] Constantius enim ad Mediolanense Concilium non invitavit Athanasium, qui litteris Liberii Pontificis ad se Alexandriam delatis minime fidens, cum suspicio esset ab Arianis confictas fuisse, ne in Italiam quidem venerat; et insidias sibi parari in palatio Imperatoris metuens misit legatos ad Constantium, qui sibi illum conciliarent: sed frustra; nam, ut ipse Athanasius testatur in epist. ad Solit., *singulis urbibus cogebat Episcopos*, Galliarum scilicet, et Italiæ, *ad mutandam* in causa Athanasii *sententiam*; et *cum ei audientiam denegasset* in Concilio Mediolanensi, Episcopos *jussit subscribere contra Athanasium*.

[e] In Concilio Sardicensi anni 347 Athanasius de nece Arsenii Episcopi pluries jam ab hæreticis accusatus, a Patribus Synodi absolutus fuit.

[f] Forte *probari*.

[g] Exstant hæ litteræ apud Athanasium in Apol. II, et Socratem lib. II, cap. 23, quibus scribit Constantius, se ad illos *virum remittere vitæ rectitudine, et morum probitate omnibus notissimum*; cum nimirum Gallis, ubi exsulabat, ad Alexandrinam Ecclesiam revocatus fuit.

[h] Id est, *si*.

[i] Hæc corrupta sunt, licet sensus facile appareat. *Til.* Latinius vero ita corrigit: *At cum tu iniquum nihil veritus restitueris, et loco catholici miseris* etc. Sed placet locum hunc sic interpretari: *Cum tu loco innocentis*, Athanasii, *in quem catholicus*, id est *catholici Episcopi, nihil loco veri*, scilicet *ex iis, quæ contra illum calumniantur Ariani, constituerit*, hoc est *decreverit inesse, miseris* etc.

[j] Vide quæ de Georgio dicta jam sunt, et quæ

mos proscripseris, relegaveris in exsiliis, in metallis, quamplurimos etiam interfeceris, et hodie non desinas ea facere blasphemiam tuam, quæ est et Georgii, suscipere nolentibus, quæ irati hostes immanissimi barbari vix faciant; quomodo te arbitraris posse intelligi Christianum, qui et feris sævissimis videaris esse ferocior, et belluis omnibus immanior? Fuisti ausus dicere Athanasium percutiendum, non conspiciens tunc vos Arianos esse punitos, et quidem Dei virtute, quando idololatriam introducere estis meditati in Domini ecclesiam. Sed adhuc dicas fortassis: *Deliquit in me Athanasius.* Ut omittam, quia et in hoc mendax sis, non sciebas scriptum quid circa in te delinquentes agere te præceperit Dominus, ut sic gladio eum fuisses persecutus? *Tunc accedens ad eum Petrus, dixit ei: Domine, si peccaverit in me frater meus, quoties remittam ei? usque septies? Dicit illi: Non dico tibi usque septies, sed usque* [a] *septuagesies septies* (*Ibid.* 21). An erubescis audire Athanasium fratrem tuum? Si Christianum te profiteris, debes omnes Christianos fratres dicere, et quidem non solum Athanasium, sed et eos quos videris stipem petentes. Omnes etenim in ecclesia Domini constituti unum sumus ei, apud quem non sit acceptatio personarum: et tamen benefeceris, si nolis illum dici fratrem tuum. Tu etenim filius pestilentiæ cum sis, et ille unus sit de filiis lucis, tu cum mancipium sis nostri inimici, et ille sit servus Dei, est iniquissimum si dicaris frater hominis Dei, præcursor antichristi. Si deliquisse illum in te in aliquo videras, dimittendum ei fuerat illico a te, ut tibi dimitteret crimina propria Deus. Nunc vero quia dimittere nequivisti propter contumaciam atque malevolentiam tuam, tibi, qui præceptum Domini irritum fecisti, accipe quæ possint præsentari: *Tunc accedens ad eum Petrus dixit* [b]*: Domine, si peccaverit in me frater meus, quoties remittam ei? usque septies? Dicit illi: Non dico tibi usque septies, sed septuagèsies septies. Ideo simile est habitum* [c] *regnum cœlorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum servis suis: et cum cœpisset rationem ponere, oblatus est ei unus qui debebat decem* [d] *millia talenta: cum autem non haberet* [e] *unde redderet, jussit eum dominus venumdari et uxorem ejus, et filios, et omnia quæ habebat, et reddi debitum. Procidens autem servus ille, orabat eum dicens: Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi. Misertus autem dominus servi illius, dimisit* [f] *eum, et debitum dimisit ei. Egressus autem servus ille invenit unum ex conservis suis qui debebat ei centum denarios, et tenens suffocabat eum dicens: Redde quod debes. Et procidens servus ille rogabat eum dicens: Patientiam habe in me, et reddam tibi. Ille autem noluit, sed abiit, et misit eum in carcerem, donec redderet debitum. Videntes autem conservi ejus quæ fiebant, contristati sunt, et venerunt, et narraverunt domino suo omnia quæ facta erant. Tunc vocavit eum dominus suus, et ait illi: Serve nequam, omne debitum remisi tibi, quia rogasti me: non oportuit te quoque misereri conservo tuo, sicut et ego misertus sum tibi? Et iratus dominus ejus tradidit eum tortoribus, quoad usque redderet universum debitum. Sic et vobis faciet Pater meus qui in cœlis est, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris* (*Ibid.*). Quid respondes ad hæc tu, cujus mentis oculi videre minime potuerint hæc quæ præceperit fieri Dominus? Ubi ponis illud quod neque in te, neque in Deum deliquerit, sed sit sustinens persecutionem, cur apostolicam teneat fidem, cur nolit fieri ut tu es sacrilegus? Firmasti interficere veritatis prædicatorem cupiens in eo te collocari honore, in quo sunt illi, quos in evangelio et prophetarum interfectores designat Dominus, et impias manus ad ipsum etiam porrecturos [g] aperit dicens: *Homo erat paterfamilias qui plantavit vineam, et sepem* [h] *circumdedit; et fodit in ea torcular, et ædificavit turrem, et locavit eam colonis, et peregre profectus est. Cum tempus autem fructuum appropinquasset, misit servos suos ad colonos, ut acciperet de fructibus suis: et coloni apprehensis servis unum ceciderunt, alterum autem lapidaverunt, alium vero occiderunt. Iterum misit ad illos servos plures, et fecerunt eis similiter. Novissime autem misit illis filium suum unicum dicens: Verebuntur filium meum. Coloni autem videntes filium dixerunt inter se: Hic est hæres, venite, occidamus illum, et* [i] *habebimus hæreditatem ejus: et apprehensum eum occiderunt, et ejecerunt eum* [j] *extra vineam. Cum ergo venerit dominus vineæ, quid faciet colonis illis? Dicunt*

paulo inferius dicemus: de clade vero Catholicis Alexandrinis illata, qui a Georgii communione abhorrebant, hæc Athanasius in Apol. 1: *Videre erat post septimanam Paschæ, virgines in carcerem detrudi, Episcopos vinctos a militibus duci, viduarum, pupillorumque ædes populari.... noctu Christianos raptari ædesque obsignari, et fratres clericorum pro fratribus in periculum devocari.... in hebdomade post sacram Pentecostem.... ipso die dominico.... virgines ignibus flammantis rogi admotas.... cæteros omnes quotquot comprehenderunt una cum virginibus.... relegarunt.... corpora defunctorum insepulta.... ex Ægypto, et Africa Episcopos ad fugam exsiliumque compulerunt.... quos tanta acerbitate rapuerunt, ut quidam in via, quidam in exsilio mortem oppetierint.* Hæc gesta anno 356 post Mediolanense Concilium, et ejectum e sua sede Athanasium.

[a] Omittit *usque* paulo inferius, ut etiam Tertull. in lib. de orat. et de patient. Vers. Ant. *Dimittam illi.... Dicit illi Jesus.... septuagies.*

[b] Supra, *dixit ei.*

[c] *Habitum* omittit Vers. Ant.

[d] Codd. plures apud Sabat. *decem millia* cum Lucif. Græc. μυρίων. Vers. Ant. *centum.*

[e] Vers. Ant. *Habebat.... dominus ejus.... ut redderet.... rogabat dominum suum... Misericordia autem motus... illius, debitum remisit ei. Regressus.... Et procidens conservus ejus.... et omnia.... sunt valde, et enarraverunt.... fuerant.... illum.... nonne ergo.... te misereri* (omisso *quoque*).... *tui?*

[f] Cum Græco, ἀπέλυσεν αὐτὸν, καὶ τὸ δάνειον ἀφῆκεν αὐτῷ. Vers. Ant. solummodo, *debitum remisit ei.*

[g] Cum Til. et Latin. Antea, *porrecturus.*

[h] Vers. Ant. *Sepem ei.... in ea turrim.... servis ejus* (omisso *coloni*).... *alium... misit alios servos plures prioribus.... Forsitan reverebuntur..... occidamus eum..... Dixerunt.... perdet, et vineam,* etc.

[i] *Et* omittit Sabat.

[j] Apud Calmet Comm. in Evang. inter var. Evang. lect. omittitur *eum* in hoc Lucif. loco.

illi [a] : *Malos male perdet illos, vineam locabit aliis* A *colonis, qui reddent ei fructum temporibus suis* (*Ibid.*, XXI, 23). Ex his quia esse unus magnopere desideraris, et nos socios criminum tuorum suadebas fieri : neque enim alia sunt consilia tua ab illorum nefariis consiliis, qui inveniuntur prophetas interemisse, qui denique in unicum Dei Filium impias porrexerint manus; maxime cum etiam passiones beatorum istorum missorum ad colonos ad nihilum sis redigens, astruendo illos fuisse interfectos propter eum *qui fuerit quando non fuerit;* cum clament sacræ scripturæ, quia unicus Dei Filius semper regnaverit, ac sit regnans cum Patre. Unam habere [b] deitatem aperiunt dominicæ litteræ Patrem, et unicum ejus Filium; et dicis eum, pro quo interfecti sunt prophetæ gloriosi, *factum esse ex nihilo.* Si enim tu quæ B dicis vera sunt, constat propter creaturam interfectos beatos prophetas. Et ubi erit illud quod ingenti indignatione irascatur Dominus in eos, qui serviant creaturæ quam creatori? Si pro creatura interfecti sunt beati prophetæ, quomodo eos habet charissimos Deus? quomodo quia ipsorum verbis non crediderunt Judæi, sunt hodie Dei inimici? Unde Dei Judæi inimici? unde extra Domini positi inveniuntur vineam? nisi quia prophetarum interemptores exstitissent, nisi quia æternum Deum æterni Dei Filium prædicaverint prophetæ, et illi comblasphemi tui non solum non crediderint prophetiæ eorum, sed et eosdem interemerint. Quid etenim persecutos fuisse arbitraris in prophetis Judæos, nisi unicum Dei Filium, sicut et in apostolis atque martyribus? C Ex te saltem cognosce vera esse quæ dico : siquidem et tu, quem [c] in Athanasio nec non et in nobis, Dei verum persequaris Filium. Cum hæc ita sint, censueras nos jungendos interfectoribus prophetarum, justorum sanguinis fusoribus, consacrilegis tuis, hoc est Judæis, ipsorum videlicet quia sis imitator. Nec enim alia de re, *Athanasium damnate*, dixisti, susciperemus etiam Arii fidem mandasti, nisi ut et in effusione sanguinis justorum, et in negando unicum Dei Filium pares fuissemus Judæorum, quorum jam tu sis in omnibus particeps. Si enim illi prophetas interemerunt eos qui de adventu loquebantur unici Dei Filii, et tu eos interficis qui sint credentes, sicut crediderunt prophetæ. Sed quamdiu de his cum incredulo? cum proposuerim tibi manifestare, unum D te esse ex illis, ad quos dicit Dominus : *Ideo dico vobis, quia auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructum ejus* (*Ibid.*, 43). Neque enim tu in gente hac es, quæ fructus inveniatur facere justitiæ, ut non unus esse pronuncieris ex illis, quos pulsos esse a Dei regno propter justorum necem et incredulitatem suam audias. Esse te adverte hæc gerendo inter illos, quorum nequitias aperiens dicit Dominus : *Simile est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo, et misit servos suos ad invitatos* [d] *ad nuptias* (*Ibid.* XXII, 2). Et infra : *Et noluerunt venire. Iterum misit* [e] *ad illos servos dicens : Dicite invitatis : Ecce prandium paravi meum : tauri mei, et saginata occisa, et omnia parata; venite ad nuptias. Illi autem neglexerunt, et abierunt alii in villam suam, alii vero ad negotiationem suam; reliqui vero tenuerunt servos ejus, et contumelia affectos occiderunt. Ille rex cum audisset, iratus est, et misit exercitum suum, et perdidit homicidas illos, et civitates* [f] *eorum incendit. Tunc ait servis suis : Nuptiæ quidem paratæ sunt, sed qui erant invitati, non fuerunt digni : ite ergo ad exitus viarum, et quoscumque inveneritis, vocate ad nuptias. Et egressi servi in vias congregaverunt quotquot invenerunt, malos et bonos, et impletæ sunt nuptiæ a discumbentibus. Intravit autem rex ut videret discumbentes, et vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali, et ait illi : Amice, quomodo huc venisti* [g] *non habens vestimentum nuptiale? At ille obmutuit. Tunc dixit rex ministris : Tollite eum pedibus et manibus, et mittite eum in tenebras exteriores : ibi erit fletus et stridor dentium* (*Ibid.* 3). Quia itaque sine vestitu sis nuptiarum, Constanti, eris in perpetuum, nisi te converteris, talis, qualis ille, cui dicitur : *Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem* (*Ibid.* 12)? Sic venturus in tenebras exteriores. Nec dubites etenim te venturum ad exteriores tenebras, quandoquidem jam totus in tenebras sis conversus. Illi etenim, qui justorum fuderunt sanguinem prophetarum, qui unicum Dei negaverunt Filium, et tenebræ, et filii diaboli vocantur. Quia hæc sis et ipse agens, utique et tenebrarum, et diaboli filius eris perseveraturus, nisi tibi consulueris. *Quomodo*, dicis, *consulere mihi potero?* ut [h] persequi nos desinas, et fidem apostolicam suscipias; qui [i] nisi feceris, ut es nunc, semper futurus [j] inter illos, ad quos dicitur : *Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, qui decimatis mentham et anethum, et cyminum, et reliquistis quæ graviora sunt legis, judicium, et misericordiam, et fidem : hæc oportuit facere, et illa non omittere : duces cæci, liquantes culicem, camelum autem contraglutientes* [k] (*Ibid.* XXIII, 23). Si non tu hæc digne audis cum illis, ubi est justum judicium quod

[a] *Dicit illis.* Vatic.

[b] *Habens.* Latin. et Galland. ex prava interpunctione decepti; cum legeretur; *sit regnans, cum Patre unam habere deitatem. Aperiunt* etc.

[c] *Qui.* Til. *Quoque.* Latin. et Galland. haud recte; nam sensus est : *et tu, quem persequeris in Athanasio necnon et in nobis,* etc.

[d] Vers. Ant. *Vocare invitatos.*

[e] Vers. Ant. *Misit alios servos suos.... et saginatio.... parata sunt.... Ille autem rex.... et civitatem illorum succendit.... servi ejus.... omnes quotquot.... nuptiæ discumbentium.... videre disc.... vestimento.... vestem.... Tunc ait.... illum* etc.

[f] *Civitatem* legit Sab.

[g] Infra idem Lucif. *Intrasti non habens vestem nupt.*

[h] Pro *si* Til. et la Cerda.

[i] Pro *quod.* La Cerda.

[j] *Eris futurus.* Til.

[k] *Transglutientes.* Latin. ut idem Lucif. paulo inferius, verso etiam *autem* in *et.* Verum hic nulla mutatione facta legerim equidem divisim *contra glutientes.* Galand. non satis bene.

procedit a te, qui justum virum, apostolicam cur [a] sit prædicans fidem, nitaris interficere? Ubi est justum judicium? qui eos sis omnibus viribus imperii tui persequens, quos videas neque damnare velle inauditum, neque fidem catholicam deserere, et eos sis diligens, quos cognoscas tecum et sanguinem innocentis fudisse, et fidem evangelicam respuisse. Quæ est apud te, et in te constituta misericordia, quæ ut exhibeatur, lex præcepit sancta? nempe illa quæ torquet, proscribit, deportat, mittit in carcerem, deducit ad exsilia, collocat in metalla; illa quæ fami, siti, verberibus, nuditate necat; ad ultimum illa quæ gladio punit. Hæc est, Constanti, tua misericordia, quæ non veniat ex lege Dei, sed ex præsumptione diaboli. *Judicium, et misericordiam, et fidem, hæc*, inquit, vos *oportuit facere, et illa non omittere* (*Ibid.*). Ubi est fides tua? qui fidem, quam tenuerunt Abraham, Isaac, et Jacob beatissimi, et cuncti prophetæ, apostoli, ac martyres, damnaveras [b], et illam statueris suscipiendam a cunctis Dei cultoribus, quam contra hanc catholicam fidem diabolus per magistrum vestrum Arium vomuerit. Quibus ex rebus esse intelligeris unus ex illis qui dignoscantur audire : *Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, qui decimatis mentham, et anethum, et cyminum, et reliquistis quæ graviora sunt legis, judicium, et misericordiam, et fidem : hæc oportuit facere, et illa non omittere : duces cæci, liquantes culicem et camelum transglutientes* (*Ibid.*). Aut negabis [c] culicem te liquare, et camelum transvorare, homo, qui, cum stipem non solum rogatus, sed et tribuens sis nonnumquam sponte, tamen, ut est sæpe dictum, proscribas Christianos se confitentes, deportas, torqueas, postremo interficias : et idcirco esse te cum illis debes advertere, ad quos dicatur : *Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, quia similes estis sepulcris dealbatis, quæ aforis parent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum, et omni spurcitia : sic et vos aforis quidem paretis hominibus justi, intus vero pleni estis hypocrisi et iniquitate* (*Ibid.* 27). Es ex illis interfectoribus, ad quos dicitur : *Serpentes, generamina* [d] *viperarum, quomodo fugietis a judicio* [e] *gehennæ? Ideo ecce mitto ad vos prophetas, et sapientes, et scribas, et ex illis occidetis, et crucifigetis, et persequimini de civitate in civitatem, ut veniat ad vos omnis sanguis justorum, qui effusus est super terram, a sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariæ filii Barachiæ, quem occidistis inter templum et altare. Amen vobis dico, venient hæc omnia super generationem istam* (*Ibid.* 33). Probaris actibus tuis ex alio genere te esse vipereo [f]. Inveniris [g] etenim esse unus ex illis, ad quos hæc quod perpetraturi essent dicebantur. Aut si negas esse te ex illis qui audiunt ore Domini : *Serpentes, generamina viperarum* (*Ibid.*); proba non te, sed Judæos [h] destinasse militem ad Alexandriam, Judæorum militem obsedisse fores Dei domus, Judæorum militum ducem fuisse Syrianum. Proba Judæos ingressos basilicam cum armis, atque certum numerum interfecisse. Si probare non potes, quia constet te misisse ad Dei impugnandam religionem, rectissime dicimus te unum esse ex illis, ad quos dictum est : *Serpentes, generamina viperarum, quomodo fugietis judicium gehennæ* (*Ibid.*)? Non sine dubio fugies judicium gehennæ, sed eris semper illic ardens cum conserpentibus tuis, nisi tibi prospexeris. *Tunc*, inquit, *tradent vos in tribulationem, et occident vos : et eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum. Et tunc scandalizabuntur multi : et invicem tradent, et odio habebunt invicem : et multi pseudoprophetæ exsurgent* [i], *et seducent multos : et quoniam abundabit iniquitas, perfrigescet charitas multorum* (*Ibid.* XXIV, 9). Si non mens tua sacrilega scit me propter unicum Dei Filium pati persecutionem a te, poteris non esse de illo genere, non esse in illorum sententia, ad quos dicitur : *Serpentes, generamina viperarum, quomodo fugietis a judicio gehennæ? Ideo ecce mitto ad vos prophetas, et sapientes, et scribas, et ex illis occidetis, et crucifigetis, et persequimini de civitate in civitatem* (*Ibid.* XXIII, 33). Quæ cum tu sis hodie gerens, negare non audebis te de vipera esse progeniem. Interemisti enim multis in locis plurimos Christianorum, alios detines vinctos in carceribus, in ergastulis; etiam hinc poteris videre te unum

[a] Pro *quia*. Til.

[b] Forte *damnaveris*. Id.

[c] Id est, *minora præcepta servare, majora contemnere*.

[d] Vers. Ant. *Progenies... ecce ego.... et sapientes viros.... et ex eis flagellabitis in synagogis vestris, et persequemini... donec veniat super vos.... justus*, etc.

[e] *Judicium* Lucifer infra, et *genimina* pro *generamina*, et *ecce ego mitto*.

[f] Forte *quam vipereo*. Galland. sed melius, *ex illo genere vipereo*.

[g] Cum Vatic. Antea *inveneris*.

[h] Ea hic innuit, quæ impie crudeliterque perpetrata sunt a Syriano duce jussu Constantii, ut Athanasio expulso, vel interempto, Georgius Cappadox in ejus locum intruderetur anno 356; quæque ab ipsis Alexandrinis narrantur in libello ad Constantium misso graviter de Syriano, ejusque facinore conquerentes; nam *vigilantibus*, inquiunt, *nobis in Dominico, et precibus vacantibus, eo quod synaxis paraceves die celebranda esset, de repente per intempestam noctem.... in ipsis recitationibus sacrarum lectionum januas fregit.... statim ex illius edicto alii sagittas mittere..... ensesque ad lucem candelarum micare, virgines multæ calcibus elidi..... icti sagittis perfossi concidere, aliqui militum ad prædam versi virgines denudare ... Episcopus*, Athanasius, *per id tempus sedebat in throno, omnes ad preces cohortans.... cum hinc illinc raptaretur, minime minus discerptus fuit.... et nescimus quid de illo factum sit.... deinde tot occisorum hominum corpora jusserunt milites ea in occultis abdere. Sanctissimas autem virgines interfectas, ibique relictas in monumentis sepelierunt.... Diaconi porro in ipso Dominico alii plagis concidebantur, alii vinculis constringebantur.... quisque pro sua libidine fractis ostiis introrumpebat, scrutabaturque omnia, in ea loca penetrans, in quæ non omnibus Christianis fas est introire*. Hæc illi. Porro discimus ex hoc Luciferi testimonio finxisse Arianos, ea ex Judæorum tumultu patrata fuisse.

[i] Vers. Ant. *Insurgent.... abundavit.... refrigescet*.

esse ex illis, ad quos dicitur : *Serpentes, genimina viperarum* (*Ibid.*); et infra : *Ecce ego mitto ad vos prophetas, et sapientes, et scribas, et ex illis occidetis* (*Ibid.* 34) : dum non eos dignaris exsecrari, quos videas per abundantem iniquitatem tuam recessisse ab apostolica fide, illos, quorum perfrixerit charitas, sed eos quos videas permanere in eo statu fidei, in quo manentes beati prophetæ, apostoli, atque martyres meruerunt æternas Dei consequi amicitias. Non enim apud Alexandriam Machetam [a] et Dydimam ex presbyteris exsecraris, qui noscantur ex Christianis facti Ariani, sed eos, quos adhuc cognoscis stare nobiscum. Aut si non ita est, cur nunc non exsecraris Dydimam et Machetam, quos antea exsecrabaris? nisi quia tunc a te fuissent exsecrabiles habiti, quia essent adhuc scilicet Christiani, nunc vero sint tibi charissimi, quia videlicet esse cœperunt, ut tu es apostata, blasphemi. Sed jam credimus, te post tantas probationes tibi exhibitas te unum esse ex illis, ad quos dicitur, *Serpentes, genimina viperarum, quomodo fugietis a judicio gehennæ* (*Ibid.* 33)? datum te operam quo possis curare vulnera tibi per diabolum inflicta tam gravia, quia et homicida sis et sacrilegus : a quibus criminibus si te nolueris liberari, sanguis tuus requiratur a te, nos coram Deo mundi futuri a sanguine tuo, qui tibi omnibus veritatem patefecerimus modis; a te non solum tuus, sed et eorum requiretur sanguis, quos aut ad hæresem perduxisti suscipiendam, aut ad innocentem illexisti jugulandum. Sed si dixeris : *Arbitrabar illorum catholicam fuisse fidem, quos dicitis Arianos;* si in fidei nutasti causa, si quod ii qui credere se dicant in creaturam ignorasti quod sint hæretici, hi qui dicant Deum non habere verum Filium, numquid etiam hoc ignorasti, quia non sit justum gladio persequi innocentem? numquid fugerat te dixisse Dominum beato Petro : *Converte gladium tuum in locum suum* [b]. *Omnes enim qui accipiunt gladium, gladio peribunt* (*Ibid.* XXVI, 52)? Quid interea, Constanti, acturus, qui tantam Christi Dei unici Filii servorum interemeris multitudinem? Videas etenim eum, quem in nos persequeris, dicere, quod *omnes qui gladium accipiunt, gladio sunt periturі* [c] (*Ibid.*). Quid accepturus [d]? qui nisi veniam facinorum tuorum, credens in eum quem negans fueris, consecutus toties merearis et quidem Dei percuti gladio, quoties tu percusseris ejus clementiæ dicatos. Quis [e] homo Dei sacerdotibus imponendam dixisti necessitatem ad absentem perculiendum, ad inauditum puniendum, ad innocentis fundendum sanguinem? Cur noluisti audiri Athanasium consacerdotem nostrum a nobis? Cur sic more latronum occulte nos jugulare Dei hominem volueras? nisi quia sis ex illis, in quorum exprobrationem prolata sint hæc : *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit, Filius hominis qui est in cœlis* [f]. *Sicut enim Moyses exaltavit serpentem in deserto, sic oportet exaltari Filium hominis, ut omnis qui credit in eum, habeat* [g] *vitam æternam. Sic enim Deus mundum dilexit, ut Filium suum unicum* [h] *daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed vitam æternam habeat. Non enim misit Deus Filium suum in mundum ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum. Ideo qui credit in eum, non judicatur : qui autem non credit in eum, jam judicatus est, quia non credidit in nomine unici Filii Dei. Hoc* [i] *est autem judicium, quia lux venit in mundum, et dilexerunt homines potius tenebras quam lucem : erant enim opera illorum mala. Omnis qui prava agit, odit lucem* [j]*; ut non arguantur opera ejus. Nam qui facit veritatem, venit in lucem, ut manifestentur opera ejus, quoniam in Deo est* [k] *factum* (*Joan.* III, 13). Si servum te unici cognosceres Dei Filii, numquam profecto ejus majestatem negares, numquam ejus servos nunc occulte, nunc publice jugulari mandares; sed quia sis amator tenebrarum, quippe tenebra, quia sint opera tua mala, noluisti rem quam detuleras plenissime examinari per Dei sacerdotes. Cur noluisti? nisi quia timueris opus tuum publicari serpentinum. *Dum sumus in corpore*, inquit apostolus, *peregrinamur a Domino* [l] : *ex fide enim ambulamus non per speciem : audemus etiam bonam voluntatem habentes magis peregrinari a corpore et præsentes esse ad Dominum, et contendimus sive absentes sive præsentes placere illi. Nam*

[a] A Socrate lib. II, cap. 23, et Nicephoro lib. IX, cap. 21, *Achetas* dicitur, ut etiam Latinius notavit. Is erat diaconus, cum anno 348, litteras Constantii detulit ad Athanasium commorantem Aquileiæ, quibus ad Alexandrinam sedem revocabatur. In sacerdotium cooptatus jam fuerat, cum Lucifer hæc Constantio exprobrabat, et cum Didyma presbytero, qui forte *Didymus* appellandus, a Catholicis partibus ad Arianas defecerat. Gallandius legendum putat *Achetam ex diaconis;* sed nullo fretus argumento, cum Lucifer utrumque ex presbyteris fuisse affirmet.

[b] Vers. Ant. *In locum suum*, ut idem Lucifer in lib. *de non parc. in Deum delinq.*

[c] Supra Lucifer ipse, *peribunt.*

[d] *Accepturos.* Vatic.

[e] *Qui* Latin.

[f] Vers. Ant. *In cœlo. Et sicut... ita*, etc.

[g] Vers. Ant. *Qui credit in ipso, non pereat, sed habeat*, etc. Lucifer convenit cum Cypr. lib. II Testim.

[h] Vers. Ant. *Unigenitum.... credidit.... Qui credit* (omisso *ideo*).... *qui autem non credit* (omisso *in eum*).... *unigeniti* etc.

[i] Vers. Ant. *Hoc est autem : quia* etc. Græc. favet vers. Lucif.

[j] *Et non venit ad lucem*, addunt Vatic. et Latin. et Græc.; sed hæc absunt etiam a Vers. Ant. in qua, *Omnis enim qui male agit.... arguantur* etc.

[k] Dicendum, *sunt facta :* et in veteri codice scriptum erat in singulari, *Arguatur opera ejus, et manifestetur opera ejus.* Genera et numeros more vulgari non semper observat. *Til. et la Cerda*, qui subjicit : *Tale in aliis eruditis frequentissimum.* Græc. Φανερωθῇ, ἐν θεῷ ἐστιν ἐργασμένα : scilicet nimis religiose verba Græci textus expressit Lucifer. *Galland.* Vers. Ant. *Qui autem facit... ad lucem... quia in Deo sunt facta.*

[l] Vers. Ant. *A Deo : per fidem.... voluntatem* (omisso *bonam*).... *omnes vos* etc. Lucifer in lib. Mor. pro Dei Fil. *Positi in corpore, peregrinemur a Domino*, sensum potius exprimens, quam ipsa verba.

omnes nos oportet manifestari ante tribunal Christi, ut ferat unusquisque propria corporis, secundum quod gessit sive bonum sive malum (II *Cor.* v, 6). Et Constantius hæreticus dicis : *Damnate, Christiani, Christianum.* Cur hoc dicis? nisi quia fundere sanguinem justorum, derelinquere etiam Deum et suscipere idololatriam hoc esse optimum censueris? Sed iterum te obsecro piissime cognoscas imperator, cum sis et unici Filii Dei negator, et in eum credentium persecutor, si non compar illis inveniaris, quorum in Actibus apostolorum describitur nequitia : *Cum magna* [a] *dissensio esset inter illos, timens tribunus ne raptus fuisset Paulus ab illis, jussit exercitum descendere, et rapere eum in castris. Sequenti autem nocte assistens ei Dominus ait : Constans* [b] *esto : sicut enim testificatus es de me in Jerusalem, sic oportet te etiam Romæ testificari. Facta autem die, collegerunt se quidam ex Judæis, et devoverunt se dicentes, neque manducare, neque bibere, donec occiderent Paulum. Erant autem fere* [c] *quadraginta, qui hanc conjurationem fecerant, qui et accesserunt ad* [d] *principes sacerdotum, et indicaverunt dicentes : Devotionem vovimus nos nihil gustare in totum, donec occidamus Paulum : nunc ergo vos* [e] *colligite concilium, et notum facite tribuno, ut deducat eum ad vos, quasi de eo diligentius quæsituros : nos vero priusquam appropiet, parati sumus interficere eum* (*Act.* XXIII, 10). Si non Dei sacerdotem isto petiisti genere Athanasium, nisi non aliud finxisti te agere, et aliud perficere disposueras, potes ne negare non eodem adverso spiritu te quoque agi, quo sunt acti atque agantur Judæi? Nisi etenim illo fuisses excitatus spiritu contra nos Deo servientes, numquam sine dubio absentem damnari, et quidem innocentem mandares. Sed hæc sic ego sæpe repeto, tamquam etiam ipse, cum interdum vacas a furoris stimulis, non consideres omnibus te modis ita a justitiæ regula exorbitasse [f], ut nec in Actibus apostolorum videre potueris, petentibus Judæis ad Paulum necandum beatum, hominem gentilem præsidem Festum minime cœtui Judæorum commodasse [g] assensum, sed tam ipsos, nec non et Paulum se in unum auditurum posse [h] pollicitum : gentilis servavit æquitatis jus, tu vero destruxisti : aut æquitas est damnare inauditum, interficere absentem, audientiam vero negare justo ei homini, cui omnis testis sit Dei populus, quod enim false fuerit petitus a te ac tuis, Christianus a vobis Arianis. Ergo, ut dicere cœperam, quæ fuerint inter Judæos et Paulum beatum gesta a Festo, accipe. *Festus* [i] *autem cum venisset in provinciam præses, ascendit Hierosolymam, insidias tendentes, ut eum interficerent in via. Festus ergo* [i] *respondit Paulum quidem servari in Cæsarea, se autem maturius proficisci. Itaque qui* [k] *inter vos sunt, descendant, et, si quod est in viro crimen, accusent eum. Demoratus* [l] *ergo inter eos non plus quam octo aut decem dies, descendit Cæsaream, et altero die sedit pro tribunali, et jussit citari Paulum : qui cum adductus esset, circumsteterunt eum Judæi, qui a* [m] *Hierosolymis descenderant, multa et gravia crimina objicientes, quæ probare non poterant : Paulo autem rationem reddente, quod neque in legem Judæorum, neque in templum, neque in Cæsarem aliquid deliquerit* (*Ib.* XXV, 1). Ethnicus æquitatis viam inter beatum Paulum et cohomicidas tuos Judæos tenuit, et tu desideriis malarum meditationum tuarum parere cupiens æquitatem justitiamque tollendam ex sensibus censueras nostris. Sed quomodo istud facere potueramus quod tu fieri cogebas contra justitiam? qui meminissemus scriptum : *Nolite judicare secundum personam* [n], *sed justum judicium judicate. Damnate inauditum* (*Jo.* VII, 24), quo dixisti tempore, cur non memoratus es dixisse Nicodemum : *Numquid lex nostra judicat* [o] *de homine, nisi audiat ab ipso et cognoscat quid fecerit* (*Ibid.* 51)? Cur noluisti audiri quem reum mortis dixisti, nisi quia falsa detulisses? Dicit Dominus ad Judæos : *Qui loquitur mendacium, de suo* [p] *loquitur, quoniam mendax est et pater ejus* (*Ib.* VIII, 44). Et tu, cum [q] mendax esse clarueris, æsti-

[a] Vers. Ant. *Magna autem facta seditione.... ne discerperetur.... ab ipsis.... descendens rapere eum de medio eorum, et reducere in castra.*

[b] Cum Græco, βάρσει. Vers. Ant. *Confide.... in Hierosolyma.... et Romæ.... facta collectione Judæi devoverunt semetipsos.*

[c] Vers. Ant. *Plusquam quadraginta.... fecissent.... qui cum access.*

[d] Vers. Ant. *Ad principes sacerdotum, et seniores, dixerunt : Devotione devovimus nos ipsos nihil gustare* (omisso *in totum*).

[e] Vers. Ant. *Notum facite tribuno cum concilio.... tamquam aliquid cognituros certius de eo : nos autem* etc.

[f] *Aberrasse, declinasse, a justitiæ regula discessisse.* Til.

[g] *Consensum præbuisse*, vel *consensisse Judæis.* Id.

[h] *Esse.* Id. et Latin. et Galland.

[i] Desunt hic plura, quæ omnino ex Vers. Ant. inserenda, ut sensus constet; quod Tilius etiam et Latinius animadverterunt : *Festus ergo cum venisset in provincia, post triduum ascendit in Hierosolyma a Cæsarea. Manifestaverunt autem ei principes Sacerdotum, et priores Judæorum, adversus Paulum : et rogabant eum, postulantes gratiam adversus eum, ut accerseret eum in Hierusalem, insidias facientes, ut,* etc. Omissa intermedia equidem existimarim ab incurioso sive librario sive typographo, qui oculos a præcedente voce *Hierosolyma* ad sequentem converterit. *Galland.* Sed caret culpa typographus, cum ea verba in ipso codice omissa fuisse Tilius affirmet.

[i] Vers. Ant. *Festus igitur... servari* (omisso *quidem*)... *profecturum.*

[k] *Potentes* addit Latin. et Galland. ex Vulgata. Vers. Ant. *Qui ergo in vobis, ait, potentes sunt, descendentes, si... illicitum* etc.

[l] Vers. Ant. *Demoratus est autem..... dies non amplius octo..... descendens in..... in crastinum sedens, jussit Paulum adduci. Adveniente autem eo.... qui ab Hierosolyma* (omisso *Judæi*).... *multas et graves causas objicientes Paulo, quas non vincebant probare..... Quoniam neque..... quidquam peccavi.*

[m] *Ab* legit Sabat.

[n] Cum ms. Cantrabig. apud Sabat. Vers. Ant. *faciem.*

[o] Vers. Ant. *Judicat hominem, nisi audierit primum ab ipso, et cognoverit primum quid fecit?*

[p] Vers. Ant. *Ex suis propriis..... quia..... sicut et pater ejus.*

[q] *Cum luce clarius sit te mendacem esse, et falsa contra Athanasium dixisse.* Til.

mas non te esse filium mendacis, et audes filius mendacis resistere veracibus fallax Domini sacerdotibus? sacrilegus tu audes, quem advertamus esse latronem atque furem illum, quem præostenderit Dominus dicens : *Amen, amen dico vobis* [a], *qui non intrat per januam in ovile ovium, sed qui ascendit per aliam partem, ille fur est et latro* (*Joan.* x,1). Porrexisti quidem manus ad Christi oves antichristo vindicandas; sed ut es agnitus fur atque latro, es vitatus atque rejectus. Cur te vel consacrilegum tuum Georgium [b] non sunt secutæ oves Dei? Cur illum, quem esse Alexandrinorum fortissime es dolens episcopum, sequuntur? nisi quia illum quidem instituerit illis episcopum Deus, te vero atque Georgium ad mactandas ut latrones et fures immiserit diabolus. *Qui intrat per januam*, inquit, *pastor est ovium : huic ostiarius aperit, et oves audiunt vocem ejus, et suas oves vocat nominatim, et educit illas; et cum suas omnes ejecerit, ad* [c] *illas vadit, et oves eum sequuntur, quia noverunt* [d] *vocem ejus; alterum non sequuntur, sed fugiunt ab illo, quia nesciunt ejus vocem* (*Ibid.* 2). Quia igitur tu non intraveris per januam in ecclesiam, latro esse conspiceris atque fur : non enim nosti Dei Filium ut dicas te intrasse per januam : siquidem ille eos diceret et fures et latrones, quia et tunc non fuerunt in ejus clementiam divinam credentes, nec deinceps essent credituri, et aliter fuissent erudire oves illius tentaturi. Igitur cum tu hinc [e] doctrinam spargens insanam sis, quod enim non in eum credideris, utique esse latro ille atque fur, qui jam tunc præostendebaris, ex blasphemis [f] tuis manifestissime comprobaris. Quod ita esse probat sequentia [g] pronuntiationis : ait ad illos Jesus : *Amen, amen dicos vobis, ego* [h] *sum janua ovium. Omnes quicumque venerunt ante* [i] *me, et fures sunt et latrones, sed non audierunt illos oves. Ego sum janua* [j]; *si quis per me intraverit, salvus erit, et intrabit, et pascua inveniet; fur non venit, nisi ut furetur* (*Ibid.* 7). O tu itaque fur, qui ad hoc intrasse Dei inveniaris ovile, ut videlicet fuisses furatus et interficeres, qua adhuc voce poteris dicere : *Debet non esse episcopus Athanasius Alexandrinorum, sed Georgius*, quando videas te Georgium, vel cunctos consacrilegos vestros non esse aliud nisi fures ac latrones? A suos Deus servos pastores esse voluit supra gregem, ut te ac tuos cognoscentes latrones esse ac fures pellerent. Sed tu idcirco te ac tuos, pulsis nobis Dei ordinatis judicio, præesse gregi dominico censuisti, quo possis libere in Dei grassari gregem. Cum sis talis, mirari non poterimus quia dixeris puniendum absentem Dei cultorem. Neque enim retinere potueras dixisse Dominum : *Si diligitis me, mandata mea servate* [k] *: et ego rogabo Patrem, et alium advocatum dabit vobis, ut vobiscum sit in æternum spiritus veritatis, quem mundus non potest accipere, quoniam non videt illum nec agnoscit; vos agnoscitis eum, quoniam vobiscum manet et in vobis est* (*Ibid.* XIV, 15). Sed dic, oro te, quomodo possit in nobis habitare Spiritus sanctus paraclitus, si tuam vel patris tui fecisse- B mus voluntatem? Infra etiam, *Qui audit*, inquit, *præcepta* [l] *mea, et custodit* [m] *illa, ille est qui me diligit. Qui autem me diligit, diligetur a Patre meo, et ego diligam illum, et ostendam illi meipsum. Ait illi Judas non Scarioth* [n] *: Domine quid factum est, quod manifestas te nobis, et non huic mundo? Respondit Jesus et dixit illi : Si quis me diligit, sermonem meum custodiet, et Pater meus diliget illum, et ad illum veniemus, et apud eum manebimus. Qui non me diligit, sermones meos non custodit* (*Ibid.*, 21). Ex his Domini pronuntiationibus, quam inimicus noster exstiteris, potest conjici : *Qui audit mandata mea et custodit illa, ille est qui me diligit* (*Ibid.*). Quomodo dilexisse nos eum monstrabamus, si, ut tu, mandata ejus calcaremus? calcans es etenim dominica mandata; cumque C ille servari sanxerit, tu non tantum non esse servanda mandes, sed et ipsum negari præcipias : aut quomodo me Pater ipsius, propterea quod servaverim mandata Filii ejus, amare poterit, si damnem innocentem? Dicit Filius Dei : *Si quis me diligit, sermonem meum custodiet, et Pater meus diliget illum, et ad illum veniemus, et apud illum manebimus* (*Ibid.* 23) : et tu dicis, esca ignis apostata, *Damnate innocentem.* Quo genere Dei diligere inventi fuissemus Filium, si contra mandata ipsius jugularemus virum justum? Quomodo fieri poterat ut diligeret nos Pater, et venirent Pater et Filius, et mansitare dignati fuissent in nobis, si rescindentes Domini mandata, tua sacrilegi præ-

[a] Vers. Ant. *Amen dico....in cortem.... sed ascendit alia parte.* D *Cum autem oves.... produxerit, ante illas vadet.* Græc. ἐκβάλῃ.

[b] Quantopere a Georgii communione abhorrerent Alexandrini, ipsi testantur in libello paulo ante memorato : *Si edictum principis est, ut in nos persecutio fieret, parati sumus omnes ad martyrium subeundum... obsecramusque, ut obtineamus, ne illis liberum fiat, alium Episcopum introducere; quod ne fieret restituimus, Athanasium reverendissimum desiderantes, quem Deus ab initio nobis dedit secundum successionem patrum nostrorum, quem ipse Constantius religiosissimus Augustus cum litteris juramentisque huc misit.* Quæ vero consecuta sunt, cædes, exsilia, publicationes bonorum, proscriptiones in tota ferme Alexandrini Episcopatus diœcesi integro ferme sexennio usque ad reditum Athanasii satis declarant, paratos fuisse Catholicos illos extrema quæque malorum oppetere, quam cum Georgio ullam inire religionis ac sacrorum societatem.

[c] *Ante.* Latin. et Galland. ut in Vers. Ant., in qua,

[d] Vers. Ant. *Sciunt..... alienum autem... ab eo*, etc.

[e] *Hanc.* Til.

[f] *Blasphemiis.* Id.

[g] *Probant sequentia*, vel *sequentia* femininum facit. *Id.*

[h] Vers. Ant. *Quia ego sum ostium..... quotquot.*

[i] Ita Græcus, πρὸ ἐμοῦ, quod abest a Vers. Ant.

[j] Vers. Ant. *Ostium. Per me si quis introierit, salvabitur : et introibit, et exiet, et pasc.*

[k] Vers. Ant. *Præcepta mea custodite.... spiritum.... hic mundus..... quia..... eum, nec cognoscit eum : vos autem nostis illum, quia*, etc.

[l] Lucifer infra *mandata, et apud illum manebimus.*

[m] Vers. Ant. *Servat ea....et manifestabo ei.... non ille Scariotha, sed alius.... quia nobis incipis manifestare teipsum..... dicit ei.... servavit..... eum, et ad eum.... manemus..... non servat.*

[n] *Iscarioth* legit Sabat.

cepta custodiremus? Conspice, Constanti, invidus ille amator tuæ voluntatis diabolus a quali nos gloria per te clientem suum pellere tentaverit, nisi nobis Domini subveniret pietas ; te [a] jam non hominem, quem Deus fecit ad imaginem et similitudinem suam, sed cœnum esse omnium cloacarum considerantes, calcaremus tuas sacrilegas jussiones. Quis etenim nolit, nisi vobis Arianis infelicior, a Dei unico Filio diligi? Quis est qui nolit amari ab ejus Patre? Quis qui Patris et unici ejus Filii templum esse recuset? quæ utique consequi non potest, qui sicut tu et homicida fuerit et sacrilegus : consequi sane tu etiam poteris, si conversus vere pœnitueris. Dicit adhuc Dominus : *Hoc est mandatum* [b] *meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. Majorem hanc* [c] *charitatem nemo habet, ut animam suam ponat pro amicis suis. Vos amici mei estis, si feceritis quod præcipio vobis. Jam non dico vos servos, sed* [d] *amicos* (*Joan.* xv, 12). Et iterum : *Non vos me elegistis, sed ego vos elegi, et posui* [e] *vos ut eatis et fructificetis, et fructus vester maneat, et quodcumque a Patre meo petieritis in nomine meo, det vobis* (*Ibid.* 16). Quomodo poterimus esse amici unici Filii Dei, si contra interdictum illius pietatis damnaverimus absentem, interfecerimus innocentem? Quomodo fructus noster augmenta crementorum facere poterit? Quomodo quicquid petierimus in nomine ejus, accipiemus a Patre, si, ut tu cogebas, non solum cultorem ejus puniremus, sed et ipsum negaremus? Tito viro Deo dicato scripsisse beatum apostolum non inveneras de episcopi irreprehensibili officio, quod sit dignum præbere Deo, ut homicidas nos effici cupere? *Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea quæ deerant corrigas, et constituas per civitates presbyterium* [f], *sicut ego tibi disposui. Si quis est sine crimine, unius uxoris vir, filios habens fideles, non in accusationem luxuriæ, aut non subjectum* [g] : *oportet enim episcopum sine crimine esse sicut dispensatorem Dei, non protervum* [h], *non iracundum, non vinolentum, non percussorem, non turpilucrum* [i]; *sed hospitalem, benignum, sobrium, justum, sanctum, continentem, amplectentem id quod secundum doctrinam est, fidem i verbi, ut potens sit exhortari in doctrina* [k], *et contradicentes revincere. Sunt enim multi etiam non subditi, vaniloqui, et deceptores* [l], *maxime qui ex circumcisione sunt, quos oportet redargui, qui universas domos evertunt, docentes quæ non oportet turpis lucri gratia* (*Tit.* I, 5). Cum igitur talem voluerit episcopum fieri, qui hanc tenentem viveret viam justitiæ, qua tu auctoritate ad excludenda mandata beati apostoli nova præcepta dare dignatus es, ea videlicet, quæ ex diaboli esse noscantur orta voluntate? Apostolus me non iracundum, non percussorem vult fieri, et tu me homicidam vis effici? Quibus ex rebus potest colligi Spiritum sanctum locutum ore beati apostoli, spiritum vero nequam locutum ore vestro Arianorum. Conspicis interea mandasse apostolum, ut vos veritati resistentes indentemini [m] episcopi interventu, ut per sanam doctrinam vestra punita esset blasphemia. Non ad hoc beati apostoli protuli dictum, *oportere episcopum sine crimine esse*, ut me peccatorem negarem, cum et meam norim conscientiam, et dicere audiam Job illum justum : *Quis enim mundus* [n] *a sordibus? nemo, etiam si unius diei sit vita ejus in terra* (*Job.* xiv, 4); Joannem etiam beatum advertam dicere : *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus* [r] *et veritas in nobis non est* (*I Joan.* I, 8). Non ergo iccirco apostoli præceptum protuli, ut, qui meminerim me peccatorem, prædicarem esse sine sordibus, sed ut tu, quam sit malum quod præceperis fieri, posses advertere. *Juvenes*, inquit, *similiter hortare ut sobrii sint in omnibus* [p], *per omnia teipsum formam præ-*

[a] Id est, *nisi te, etc. calcaremus etc.*

[b] Vers. Ant. *Præceptum..... quia dilectione dil..... Majorem hac dilectionem..... quæ ego præcipio*, etc.

[c] *Me quamvis non monente, nemo erit, qui non emendabit hunc locum Luciferi*, inquit Cotelerius in notationibus ad Apophthegmata Patrum pag. 621 monum. Eccl. Græc. *cum ad Græcam lectionem*, μείζονα ταύτης τῆς ἀγάπης, *vertendum sit*, majorem hac caritatem. Sabat. legit *hac* in ipso Lucif. Ms. Fossat. apud ipsum Sabat. præfert *hanc*.

[d] *Sed amicos*, abest a Vers. Ant. legitur in ms. Major. Mon. apud Sabat. et in Cypr. epist. 63. Vide quæ notavimus, pag. 119, n. 8.

[e] Vers. Ant. *Ordinavi...ut quodcumque a Patre in nom.*

[f] *Presbyteros.* Latin. ex Græco. Vers. Ant. *presbyterium* cum Lucif. At nihil mutandum. Hanc enim Luciferi lectionem in nonnullis exstare codicibus, monet Millius tum in hunc locum, tum etiam in Prolegom. ad N. T. § 777. *Galland.*

[g] *Non subditos* legit Sabat. Vers. Ant. *non subjectos.*

[h] *Superbum* habet Sabat.

[i] Litteram Græci textus αἰσχροκερδῆ exprimere conatus est Lucifer. *Galland.*

[j] Vers. Ant. *Fidelis verbi.*

[k] *In doctrina sana.* Galland. ex Vulg. *Et exhortari in doctrinam sanam.* Vers. Ant.

[l] Græc. Φρεναπάται. Vers. Ant. *seductores.*

[m] Hoc nomen corruptum est, et puto reponendum esse *integerrimi Episcopi*, vel tale aliquid. *Til. et La Cerd.* Cangius in Glossario ita emendat hunc Luciferi locum : *ut vos veritati resistentes indeptemini Episcopi interventu, etc.* a verbo nimirum *indeptare* : sed sensus adhuc obscurus ; quare retinere satius est verbum *indentemini* ab *indentare* deductum, quo *dente infringere* significat, eoque utitur in epist. 2, S. Pacianus Episc. Barcin. apud Cangium ipsum : *de similibus quidem Apostolus, quos oportet indentari* : et sensus erit, *ut Ariani nimirum indententur*, id est *infringantur, conterantur sana doctrina et auctoritate talis Episcopi*, qui a Paulo describitur in ea ad Titum epistola.

[n] Iloc Jobi testimonium inter cap. xiv ejus libri apud Septuag. Et Origenes pluribus in locis eadem fere verba, quæ Lucifer, exhibet : *Nemo mundus a sorde, nec si unius diei fuerit vita ejus* : nimirum in lib. iv de Princip., Homil. 8 in Levit. et 3 in Num., in Select. in Psal. 129, Lib. 3 in Cant., Hom. v in Jerem. et xiv in Luc. ac Tom. xv in Matth. Tum Auctor Quæst. ad Orthod. quæst. 88 : Τίς γὰρ καθαρὸς ἔσται ἀπὸ ῥύπου; ἀλλ' οὐδείς, ἐὰν καὶ μία ἡμέρα ὁ βίος ἐπὶ τῆς γῆς. Vers. Ant. *Quis enim erit mundus absque sorde? nec unus quidem..... fuerit..... super terram.*

[o] Cum Græco, πλανῶμεν. Vers. Ant. *Nosmetipsos seducimus.*

[p] *In omnibus*, abest a Vers. Ant. Monet Hieronymus in Tit. II, 6. ita esse legendum, ut fert versio Luciferi ; sed Lucifer repetit, *per omnia teipsum* etc. ubi Vers. Ant. *in omnibus*, quæ cum Græco ad ϟ 7 referuntur.

bens bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate, in [a] *sermone sanum, irreprehensibilem, ut adversarius revereatur, nihil habens quid* [b] *dicere malum de nobis* (*Tit.* II, 6). Quomodo me formam bonorum operum aliis præbuissem, si sanguinem Dei servi fudissem? Quomodo doctrinam integram, quam tradiderunt apostoli, prædicantem me Dei populus cognosceret, si hæresim tuam suscepissem, si denique vel in hypocrisi satellitis [c] tuis pseudoepiscopis Arianis communicarem? Quomodo possit sermo meus proferri sanus, irreprehensibilis, si evangelicam atque apostolicam deserens fidem tuam suscepissem blasphemiam? Quomodo adversarius revereri potuerat? Quomodo de me nihil possit dicere mali, cum si tibi acquiescendum censuissem, et homicidam et sacrilegum me factum comprehendisset? Iterum, cum moneret, servos dominis suis subditos esse debere : *Illuxit enim*, inquit, *gratia Dei salvatoris nostri* [d] *omnibus hominibus, corripiens* [e] *nos, ut abnegantes impietatem et sæcularia desideria, sobrie, et pie, et juste vivamus in hoc sæculo, exspectantes beatam spem in* [f] *adventum gloriæ magni Dei, et salvatoris nostri Jesu Christi, qui dedit pro nobis seipsum, ut liberaret nos ab omni iniquitate, et mundet* [g] *sibi populum abundantem, æmulatorem bonorum operum* (*Ibid.* 11). Cum in his nos ambulare præceperit bonis operibus, quid tibi visum est ut invitaris ad homicidium faciendum? Quomodo etenim abnegantes impietatem, pie et juste viventes conspici potueramus, si tecum fudissemus innocentis cruorem? Sed et cum dicat iccirco se pro peccatis nostris tradidisse Dominum, ut nos eriperet ab operibus satanæ, et constitueret ad hoc ut æmulatores essemus bonorum operum, si opus istud tuum et nos tecum perpetrati fuissemus, in qua essemus parte, nisi in qua sit Cain? *Illuxit enim*, inquit, *gratia Dei salvatoris nostri omnibus hominibus, corripiens nos, ut abnegantes impietatem ac* [h] *desideria sæcularia, sobrie, et juste, et pie vivamus in hoc sæculo* (*Ibid.*). Et Constantius tu imperator dignaris dicere, simus impii, scelerati, perditi, maligni, iniqui, injusti. Ubi hanc spem inveniam beatam, quam me exspectare docet apostolus beatus, si non solum ipsius, qui omnem beatitudinem tribuere potens est, servos interemero, sed et ipsum negaverò? Tu etenim utrumque facis, Constanti, quia et servos ejus persequeris atque interficis, et ipsum deserens idolis te mancipandum censueris. Cur ista geris, nisi quia tibi non illuxerit gratia Dei salvatoris nostri? Si enim illuxisset, meminisses apostoli dicentis præceptorum :

A *Videte itaque quomodo caute* [i] *ambuletis, non quasi insipientes, sed ut sapientes, redimentes tempus, quia dies mali sunt. Propterea nolite effici imprudentes, sed intelligentes quæ sit voluntas Domini* (*Eph.* v, 15). Si voluntas est Domini interficere innocentem, derelinquere fidem evangelicam, poterit non solum hæc pars, sed et totum corpus epistolarum beati apostoli tuis patrocinium præbere præscriptionibus; sin minus favet præscriptionibus tuis nulla [j] pars sacrarum scripturarum, est luce clarius manifestum te sub tenebrarum degere potestate; unde et effectum sit, ut nihil de sacris scripturarum hauseris fontibus, quod te potuisset a tantis removere periculis. Si enim non te potestas tenebrarum sub sui redegisset ditione, profecto retineres quæ Philippenses audiunt : *Coimitatores mei*
B *estote, fratres, et observate eos, qui sic ambulant, sicut habetis formam nostram. Multi enim ambulant, quos sæpe* [k] *dicebam vobis, nunc autem et flens dico, inimicos crucis Christi, quorum finis est interitus, quorum Deus venter est, et gloria in confusione* [l] *ipsorum, qui terrena sapiunt* (*Philip.* III, 17). Dicas cupio, prudentissime imperator, in quibus debemus effici coimitatores apostoli : doce apostata. Si homicida fuit apostolus, si blasphemus, si evangelicæ fidei destructor, si sacrilegus; hæc etenim omnia et antequam credidisset in unicum Dei Filium fecisse se profitetur; tu vero qui hæc facis hodie, quæ ille ante agnitionem unici Dei Filii faciebat, qua de re ausus fuisti jubere nobis Domini sacerdotibus, ut innocentem condemnaremus, ut hæresim tuam suscipientes, apostolicam fidem
C despueremus? Tu qua de re hæc fieri præcepistis, quæ contra formam apostoli sunt prolata, nisi quia sis ex inimicis crucis Christi, ex illis qui jam tunc designati fueratis ore sancti apostoli? Te ne ac tuos audiremus, quorum finem dicit apostolus esse interitum? ut illos tuos satellites, qui derelinquentes formam traditam disciplinæ, et regulam fidei per apostolos, tibi semet turpis lucri gratia tradiderunt; illos qui plus mensæ tuæ copias fecerunt, quam ea, quæ promittit suis Dominus; illos qui tui convivæ esse delegerint, quam patriarcharum, prophetarum, apostolorum, vel martyrum; ad quos dicitur rectissime : *Vester Deus venter est. Examinate* [m], dicit apostolus, *bonum continete, ab omni specie mala continete* [n] *vos* (I *Thess.* v, 21) : et quia
D viderimus maledictam operam vestram Arianorum et vitaverimus, odio laboramus. Sed quam pulchrum est, quamque jucundum a te odiri, amari vero a Deo! Repulisti nos e re commissa nobis, arbitratus po-

[a] Vers. Ant. *In doctrinam, in integritatem, gravitatem, sermonem sanum... habens quod* etc.
[b] *Quid* omittit Sabat.
[c] *Satellitibus.* Til. et Latin. vel *satellitus satelliti*, vel quod ego existimo *satellitis*, ut sit genus interpunctionis, quod nos dicimus *abbreviaturam;* cum postea clare dicat, *ut illos tuos satellites.* La Cerd. Sic stylus Luciferianus pro *satellitibus.* Galland.
[d] Vers. Ant. *Dei salutaris omnibus*, etc.
[e] *Erudiens* legit hic Sabat.
[f] *Et adventum.* Latin. ex Græco et Vulg. ac Vers. Ant.
[g] Pro *mundaret.* Til. *Mundaret.* Latin. Vers. Ant. *mundet* cum Lucif.
[h] *Et sæcularia desideria... et pie et juste.* Idem Lucifer supra.
[i] Cum Græco ἀκριβῶς, quod deest in Vers. Ant.
[j] *Ulla.* Latin.
[k] Cum Græco. Vers. Ant. *semper.*
[l] Ita Græc. ἐν τῇ αἰσχύνῃ. Vers. Ant. *confessione.*
[m] *Examinate omnia.* Latin. cum Græco et Vers. Ant. et Vulg.
[n] Vers. Ant. *Abstinete.*

tuisse te, quod Deus ædificavit, destruere. *Unicuique autem nostrum*, ait Ephesiis scribens, *data est gratia secundum mensuram dignationis* [a] *Christi, propter quod dicit : Ascendens in altum captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus. Quod autem ascendit, quid est, nisi quia et descendit in inferiora terræ? et qui descendit, ipse est et qui ascendit super omnes cœlos, ut adimpleret omnia : et ipse dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, quosdam vero evangelistas, quosdam autem pastores, et doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitate fidei et agnitione Dei* [b] *in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi : ut jam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in astutia ad remedium* [c] *erroris. Veritatem autem facientes in charitate crescamus in illo per* [d] *omnia qui est caput Christus, ex quo totum corpus compactum et connexum per junctura submini-strationis in mensurâm uniuscujusque partis incrementum corporis facit in ædificationem sui in charitate* (*Eph.* IV, 7). Cum hæc ita esse legis, cur fuisti ausus tollere pastores, quos gregi suo Deus voluerit præsse? cur? nisi [e] ut te cum omni vento doctrinæ possent Dei circumferre supra dominicum gregem pastores, ne fuissent ducti tamquam parvuli omni vento doctrinæ? Accedentes ad fidem, ne vestra nequissimorum hominum astutia ad diaboli principis vestri remedia [f] recederent ab apostolica evangelicaque fide, tulisti [g] episcopos e plebibus, quibus præsumus divina dignatione, ad hoc utique ut doceres doctrinam non apostolicam sed hæreticam. Væ tibi misero, per quem hæc gerit satanas. Inveneras homo sapiens colorem aptum fallaciæ tuæ, quo nam modo posses Dei oves patri tuo defendere [h], qui tibi ut in his demoreris malis, jam illis jaculis, quibus Evæ et Adæ mentes sauciavit, cor [i] tuum jaculavit, ad hoc videlicet, ut in hac temet pravitate constitueret. In- A veneras, inquam, homo sapiens colorem aptum fallaciæ tuæ ; quo nam modo posses dominicum depopulare gregem dicens : *Peccavit Athanasius, et iccirco qui illum mecum interemerit, erit episcopus; qui insuper habendum censuerit, non erit :* et qui damnabant Athanasium jungebantur pseudoepiscopis dogmatis tuæ Arianæ. Si qui tuam metuentes iram hoc egissent, triplex per te homicidam atque sacrilegum incurrebant crimen, sive quod innocentem damnarent, sive quod catholici hæreticis communicarent, et in gregem Dei vos lupos intrare sinerent, cum dicat apostolus, iccirco datos pastores, ut omnis dæmonum doctrina, quæ per vos hæreticos et omnes adversarios ecclesiæ profertur, fuisset exclusa, atque in veritate currentes Dei servi eo usque mansissent immobiles, donec ad summam venirent perfectionem ; et tu tenebra auferre dignatus es pastores judicio constitutos Dei, quo possis tu lupus convertere cunctos in diaboli amatoris tui prædam. *Ut jam*, inquit, *non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in astutia ad remedium erroris. Veritatem autem facientes in charitate crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus* (*Ibid.*, 14). Quomodo possemus crescere in illo, si te secuti tenebram fuissemus, cum sis negans illum verum Deum esse, cum dicas illum non natum de substantia Patris, sed astruas factum ex nihilo? Quomodo potueramus [j] crescere in illo, qui non ambulaturi eramus in veritate, ex quo te fuissemus apostatam secuti? Deinde cum dicat : *Veritatem facientes crescamus in charitate* (*Ibid.* 15), et sit manifestum criminibus falsis petitum Dei sacerdotem per te ac tuos Athanasium, si ea, quæ imperas, fecissemus, quomodo aut in veritate, aut in charitate currere conspecti fuissemus, qui et charitatem exstinxissemus, quam tenemus cum coepiscopo nostro Athanasio, et quia [k] falso temperassemus [l] crimini, et ipsi tibi fallaci in innocentis necem juncti tecum mereremur divina indignatione percuti? Sic ergo,

[a] *Donationis.* Id Latin. cum iisdem. Nihil muto. Vox enim *dignatio* pro *donatio* frequenter usurpatur a Tertulliano, Cypriano, aliisque Patribus. Vide sis Cangii Glossarium v. *Dignatio.* Galland.

[b] Vulg. *Et agnitionis Filii Dei*, ut habet textus Græcus : καὶ τῆς ἐπιγνώσεως τοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ. Deest tamen, ut apud Luciferum, lectio τοῦ υἱοῦ etiam apud Clem. Alex. Pædag. lib. 1, c. 5. *Galland.* Vers. Ant. *In unitatem fidei et agnitionis Filii Dei.*

[c] Græc. πρὸς τὴν μεθοδείαν τῆς πλάνης. Vulg. *ad circumventionem erroris.* Quem in locum Millius observat, veterem interpretem μεθοδείαν reddidisse *remedium* tum hic, tum Eph. VI, 11, eamque versionem in complurium veterum Latinorum scripta manasse. Cujus quidem interpretationis causam ejusmodi fuisse putat idem vir eruditus in Proleg. ad N. T. numm. 568, 866. Nimirum, inquit, *remedium* ætate ista significasse videtur *deceptionis* genus aliquod, quo per adhibita pharmaca et potiones simplicium loculos emungebant venefici aliive circumforanei nebulones. Cum autem jamdudum exsoleverit iste vocis sensus, et *remedium* jam aliud omnino significet, S. Hieronymus in ejus locum *circumventionem* reposuit: et Ephes. VI, 11, pro *remedia diaboli*, quod habuit Vetus Italica, *insidias diaboli* rescripsit. *Galland.*

[d] *Crescamus in illo omnia.* Vers. Ant.

[e] Locus mancus, aut omnino corruptus videtur. *Til.* et ita quidem, ut nequeat apte explicari.

[f] *Insidias* scilicet eo sensu, quem modo ex Millio enarravimus. *Galland.*

[g] *Abstulisti, deposuisti Episcopos Catholicos, et Arianos instituisti.* Til. et La Cerda. De hoc graviter conqueritur etiam Athanasius in Apologiis, et in epist. ad Solit. et ad Episcopos Africæ. *Quæ Ecclesia*, scribit in Apol. de fug. sua ad Constantium, *non luget obstructas ab illis*, Arianis, *in Episcopos suos insidias? nonne Antiochia ob Eustathium... ademptum in mœrore est? et Balaneæ ob Euphrationem; Paltus et Antaradus ob Cymatium et Carterium; Adrianopolis ob Eutropium, deinde ob Lucium; Ancyra ob Marcellum, Berœa ob Cyrum, Gaza ob Asclepam*, etc.

[h] I. e. diabolo *servare.* Gallandius mallet legendum esse *deferre.*

[i] *Jaculatus est cor tuum, feriit cor tuum.* Activum usurpat loco passivi; quod latine non dicitur. *Til.*

[j] *Poteramus.* Latin.

[k] *Qui.* Id.

[l] Pro *obtemperassemus*, *paruissemus falso crimini in Athanasium delato.* Til. Latin. et la Cerd. et Galland.

Constanti, ædificatur domus Dei per fallaciam, per sanguinis innocentium fusionem, per prædicationem blasphemam? Væ tibi qui ad hoc sis vivens, ut hæc cuncta mala per te gerat diabolus. Tu mihi dicis : *Puni innocentem, derelinque fidem catholicam, atque suscipe venena hæresis meæ*, et est apostolus dicens : *Hoc itaque dico et testificor in Domino, ut non amplius* [a] *ambuletis, sicut et gentes ambulant in vanitate mentis suæ, obscurati intellectu, alienati a vita* [b] *Dei, per ignorantiam quæ est in illis, propter cæcitatem cordis ipsorum* (*Eph.* IV, 17). Cui obediam vestrum? tibine an apostolo? tibine apostatæ sacrilego, an illi qui jam fudisse sanguinem propter unicum Dei inveniatur Filium? Quem vestrum sequar? tene templum dæmonum, an illum Dei templum? te qui operibus tuis aut Judæum, aut ethnicum esse declaras, an illum qui jam consecutus sit per hanc quam exsecraris fidem regna cœlestia? Si enim non tu operibus tuis gentilem te esse manifestas, poteris defendere, quod enim non digne hæc te contra proferantur. Primo quia sis negans Dei Filium, gentilis aut Judæus nobis es : deinde cum proscribis, deportas, torques, falsis criminibus innocentes oneras, interficis, non inveniri poteris Christianus, qui per viam suam Dei esse homo cognoscatur, sed utique unus de illis, de quibus per apostolum dicit Dei Spiritus, quod enim sint *in vanitate mentis suæ, insensati* [c], *alienati a vita Dei, per cæcitatem cordis ipsorum* (*Ibid.* 18). Quando ergo hæc cæcati gerere corde voce apostoli manifestentur, quæ tu geris, qua fronte audes sanis corde ac mente dicere, *Errastis;* fallax veracibus, *Mendaces estis?* Apostolus (*Ibid.* 21), *Sicut est veritas*, dicit, *in Jesu, deponentes* [d] *secundum pristinam conversationem veterem hominem eum, qui corrumpitur secundum concupiscentiam erroris* [e]. *Renovamini autem spiritu sensus vestri, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitiam* [f] *et sanctitatem et veritatem. Deponentes mendacium, loquimini veritatem, unusquisque ad proximum suum.* Ubi hæc prætermisisti [g] monita salutaria, quæ nos custodire hortatur apostolus? Quomodo etenim deposuisse veterem hominem, et novum hominem eum, qui secundum Deum sit, induisse reperiri potueramus? Quomodo manentes in justitia et sanctitate et veritate conspecti fuissemus, qui injusta tecum gerentes eum novum hominem, qui sit creatus secundum Deum, exstinxissemus, et illum veterem, qui corrumpitur secundum erroris concupiscentiam, ut ante corrumpebatur, quam Deum nosse cœpisset, iterum portare cœpissemus? Ista etenim cuncta faciunt, quæ tu facis, non Dei domestici, sed satellites antichristi : *Deponentes mendacium, loquimini veritatem, unusquisque ad proximum suum, quia sumus invicem membra* (*Ibid.* 25). Si fuisses de ecclesiæ Dei membris, mihi crede quod numquam mendacium pertulisses ad ecclesiam; sed [h] quia sis illius homo, qui deceperit Adam per fallaciam et Evam, iccirco pertulisti mendacium, ut nos sic circumscriberes, quomodo circumscripserit diabolus primoplastos homines. Tu dixisti : *Damnate Athanasium, quia graviter deliquit, alioquin in reatu eritis maximo apud Deum. Suscipite Arii fidem, et vivetis in æternum.* Accipe [i] quæ etiam amantissimus tibi circa Adam et Evam egerit, et invenies hæc te nunc gerere circa nos, quæ et ille tunc gesserit circa illos (*Gen.* II, 25). *Et erant*, inquit in Genesi Moyses, *ambo nudi tunc* [j] *Adam et mulier ejus, et non confundebantur.* (*Ib.* III, 1). *Serpens autem erat sapientior* [k] *omnibus bestiarum* [l] *quæ erant.* Et infra : (*Ibid.*) *Et dixit serpens mulieri : Quid* [m] *quia dixit Dominus Deus* [n] *ne edatis ex omni ligno quod est in paradiso? Et dixit mulier serpenti : Ex* [o] *omni ligno quod est in paradiso edemus, de fructu autem ligni quod est in medio paradisi dixit Deus : Non manducabitis ex eo, sed nec tangetis eum, ne moriamini.* Dicimus tibi loco serpentis persuadenti nobis ut inauditum damnemus, ut innocentem jugulemus; præcepit Dominus innocentem et justum non interficiendum. *Et dixit serpens mulieri : Non moriemini* [p] (*Ibid.* 4). *Sciebat enim Deus quia quacumque die manducaveritis ex eo, aperientur oculi vestri, et eritis sicut dii scientes bonum et malum.* Dicentem [q] itaque istum serpentem per te ad nos, Magis eritis justi si fuderitis sanguinem justum, magis eritis beati si apostolicam evangelicamque anathematizantes fidem Arianam susceperitis perfidiam, calcatur propitio Deo in te quidem jam a

[a] Vers. Ant. *Jam non vos sic ambulare.*

[b] *Via* legit hic Sabat.

[c] Supra idem Lucifer : *Obscurati intellectu..... per ignorantiam quæ est in illis, propter cæcit.*

[d] Vers. Ant. *Deponere vos secundum priorem*, etc.

[e] Græc. ἀπάτης. Vers. Ant. *seductionis.*

[f] Vers. Ant. *In justitia et sanctitate et veritate. Propter quod.... cum proximo suo.*

[g] Legendum videtur *prætermisissemus*, atque ita locus interpungendus : *Ubi hæc prætermisissemus monita salutis, quæ nos custodire hortatur Apostolus : quomodo, etc.* Atque emendationem suadent, quæ mox subduntur verba, *conspecti fuissemus, exstinxissemus, portare cœpissemus.* Galland. Sed particula *etenim* prioris interrogationis cum altera conjunctionem vetat; et prior illa *ubi etc.* aptius ad Constantium refertur, qua eum interrogat, quomodo oblitus sit monita Apostoli, qui mendacium prohibet omnibus, præcipue Episcopis.

[h] *Sed*, cum Latinio; antea leg. *si.*

[i] Antea *accipite*, forte librarii errore; et ita sentit etiam Galland.

[j] *Tunc* omittit Vers. Ant. et habet *non pudebat illos* pro *non confundebantur.*

[k] Vers. Ant. *prudentissimus*, et, *quæ sunt super terram.* Hieronymus in quæst. Hebraic. legit *sapientior* cum. Lucif.

[l] *Bestiis.* Til.

[m] *Quid quia* pro *cur.* Id.

[n] Vers. Ant. *Dixit Deus : Non edetis ab omni ligno paradisi?*

[o] Vers. Ant. *A fructu ligni.... Non edetis.... neque tangetis illud.*

[p] Vers. Ant. *Non morte moriemini ... quoniam qua die.... de eo.... vobis oculi.... tamquam dii.*

[q] Aliquid hic deest, quo sensus illius accusativi *dicentem* perficiatur; vel, solœcismo admisso, conjungi debet cum verbo *calcatur :* nihil tamen immutare voluimus.

nobis fallaciam ipsius scientibus ; sed tibi nos dolere est testis Deus, propterea quod per te semet constituerit ad nos circumscribendos. Constat etenim tunc per semetipsum aggressum Adam et Evam. Deprecor te ne hæc graviter accipias, quæ salutis tuæ causa proferantur. Dolere etenim te arbitror quod dixerim per te nos aggressum serpentem, et quod te multis in locis inter eos posuerim qui fuerint dicti serpentes. Considera operam tuam et illorum, et si non unum vos esse cognoveris corpus, dicito me non juste hæc dicere. Tuos magistros in perfidia Judæos audis certe in sacris evangeliis serpentes sæpe dictos a Domino, *serpentes generamina viperarum* (*Matth.* XXIII, 33). Unde hoc nomine vocari meruerunt? certe propter nequam opus illorum, certe propter incredulitatem suam. Inde et Joannes Baptista, *Progenies viperarum* (*Ibid.* III, 7), dicit ad eos, *quis monstravit* [a] *vobis fugere ab ira ventura? Facite ergo dignos fructus pœnitentiæ.* Ut ex illis ergo, qui in unicum crediderunt Filium Dei, qui vias correxerunt suas, meruerint filii effici lucis, alii vero serpentes dicuntur, ita et tu, nisi fructus feceris dignos pœnitentiæ, nisi tuas vias correxeris, filius viperæ atque serpentis diceris. Quis etenim Dei servorum non [b] te homicidam atque blasphemum esse cernens non eo vocet nomine quo vocentur Judæi? quis te [c] e Deum timentibus dubitabit, quod es, pronunciare, quando videat scribas, pharisæos et principes Judæorum iccirco serpentes dici, quia et prophetarum fuderunt sanguinem et unicum negaverint Dei Filium? Cum hæc ita se habeant, superest ut factorum tuorum geras pœnitentiam, advertens Deum suæ clementiæ misericordiam omnibus a viis recedentibus malis præstitisse, habens formam Ninevitarum, quos si fueris imitatus, ita opem misericordiæ consequaris necesse est. Quocirca accipe quæ fuerint gesta, vel ipsi, prædicatione Jonæ territi, quæ fecerint. *Præceptum* [d] *est*, inquit sacra scriptura, *ceto, et rejecit Jonam super terram* (*Jon.* II, 11). *Et factum est verbum Domini ad Jonam iterum, dicens* (*Ibid.* III, 1) : *Surge et vade in Ninive* [e] *civitatem magnam, et prædica in ea secundum prædicationem priorem, quam ego locutus sum ad te. Et surrexit Jonas et abiit in Ninivé, secundum quæ locutus est Dominus ei. Erat autem Ninive civitas magna adeo* [f] *sicut iter tridui. Et cœpit Jonas introire in civitatem sicut iter diei unius, et prædicavit, et dixit : Adhuc* [g] *triduo, et Ninive subvertetur. Et crediderunt viri Ninivitæ Deo* [h], *et prædicaverunt jejunium, et vestierunt se cilicio* [i] *a maximo usque ad minimum eorum : et pervenit* [j] *verbum usque ad regem Ninive, et surrexit de sede sua, et abstulit a se stolam suam, et circumdedit se cilicium* [k], *et sedit super cinerem. Et prædicatum* [l] *est a rege Ninive et a magistratibus illius, dicens : Homines et pecudes et boves et oves nihil gustent, sed nec vescantur, et aquam non bibant. Et circumdederunt se cilicio* [m] *homines, et proclamaverunt homines et* [n] *pecudes apud Deum instanter, et reversi sunt unusquisque a via sua mala, et ab iniquitate manuum suarum, dicentes : Quis scibit si pœnitebitur* [o] *Deus, et avertet ab ira furoris sui, et non peribimus? Et vidit Deus operam* [p] *illorum, quia reversi sunt unusquisque a via sua mala : et pœnituit Deum de malignitate, qua* [q] *locutus est facere eis, et non fecit. Et contristatus est Jonas tristitia magna* [r], *et confundebatur : et oravit apud Deum dicens* (*Ibid.* IV, 1) : *O Domine, nonne hæc sunt verba mea cum adhuc essem in terra? Ideo præoccupaveram fugere in Tharsis, quoniam scivi quia tu misera-*

[a] Ita Codd. plures apud Sabat. Vers. Ant. *demonstrabit*, et *fructum dignum*. Lucifer ipse supra pag. 920. *Quis demonstravit.... ab ira superventura?... dignum pœnitentiæ fructum.*

[b] *Non* forte demendum. *Latin.*

[c] Nos hunc locum ita cum Latin. et Galland. correximus, ubi in Tiliana editione legebatur : *Quis te esse Deum timentibus dubitabit quo es pronunciare etc.* Lugdunenses Bibl. PP. editores ita correxerant : *Quis te e timentibus Deum asseret, quod potes pronunciare, cum videas scribas etc.*

[d] Vers. Ant. *Præcepit.... et ejecit.... super siccum. Et factus est sermo.... secundo.... Niniven.... juxta præd.... Niniven, sicut ei locutus fuerat.... magna Deo, quasi itinere viæ dierum trium.... ingredi civitatem quasi itinere.... Adhuc tres dies* etc.

[e] *Niniven* hic et infra legit Sabat.

[f] *A Deo* habet Sab. pro *adeo*.

[g] Sic Tiliana editio et Vers. Ant. Atque hujusmodi lectio recte retenta fuit in Bibl. PP. Parisiensi. Sed in Lugdunensi non solum contra primi exemplaris fidem, sed et fœdo errore ita inquinata effertur : *adhuc quinquaginta dies.* Secutus est Lucifer pro more suo Septuaginta, apud quos Jon. III, 4, legitur, ἔτι τρεῖς ἡμέραι. Neque aliter veteres Patres Lucifero antiquiores. At in Hexaplis Origenianis prisci ex Græcis Interpretes Aquila, Symmachus, ac Theodotion, ἔτι τεσσαράκοντα ἡμέραι, *adhuc quadraginta dies*, constanter ferunt, ut habent Hebr. Syr., et Chald. De hac vero lectionum varietate sacrarum scripturarum enarratores consulendi. *Galland.* Sabatierius quoque legit hic : *Adhuc quinquaginta dies.*

[h] Vers. Ant. *In Deum.... et vestiti sunt saccis a majore usque ad minorem.*

[i] *Cilicia.* Vatic.

[j] Vers. Ant. *Appropinquavit sermo ad..... de throno suo.... et coopertus est sacco.... in cinere.*

[k] *Cilicio* legit Sabat.

[l] *Prædicatum est Ninive a rege, et a majoribus omnibus ejus, dicentibus :.... et jumenta.... non gustent quidquam, nec pascantur.* Vers. Ant.

[m] *Cilicio* hic quoque legit Sabat. Vers. Ant. *Et cooperti sunt saccis homines et jumenta, et clamaverunt ad Dominum vehementer, et reversus est.... de via.... quæ erat in manibus eorum, dicentium.*

[n] *Et pecudes* transferendum superius ita, *circumdederunt se cilicia homines et pecudes*, uti etiam in Vers. Ant.; nec propterea demendum *homines* post verbum *proclamaverunt*, quod vellent Latinius et Galland. licet absit a Vers. Ant.

[o] Cum Græco, μετανοήσει. Vers. Ant. *Quis scit si convertatur Deus, et exhortetur, et avertatur.. et non pereamus?* Abest autem a Græco *exhortetur*, ut a Lucifero. Sabat. legit hic : *Quis scit si convertatur et ignoscat Deus, et revertatur* etc.

[p] *Opera* habet Sabat. Vers. Ant. *Opera eorum, quia conversi sunt de.... et misertus est Deus super malitiam, quam locutus fuerat ut faceret* etc.

[q] *Quam* legit Sabat.

[r] Vers. Ant. *Grandi, et confusus est : oravitque ad Dominum, et ait.... isti.... sermones mei.... in terra mea? propterea præoccupavi.... scio enim quod tu misericors et miserator, patiens et multæ miserationis, et agens pœnitentiam super malitiis.*

tor et benevolus, patiens, et misericors, et pœnitens in malignitatibus. Et infra : *Et dixit Deus ad Jonam* (*Jon.* II, 9) : *Si valde contristatus es tu super cucurbitam, valde* [a] *contristatus sum usque ad mortem. Et dixit Dominus : Tu pepercisti cucurbitæ* [b], *in qua non laborasti, neque nutristi eam, quæ sub nocte nata est, et per noctem perit. Ego autem non parcam in Ninive civitatem magnam, in qua habitant plus quam centum* [c] *viginti millia hominum, qui non sciverunt dexteram aut sinistram* [d] ? Et tuam, Constanti, operam malignam si rejecisse te viderit Deus, si vias tuas perditas correctas perspexerit, et te in omnibus reformatum esse viderit, mihi crede, quia in ingenti felicitate esse inter Dei famulos incipies. Habes præterea beatissimi Pauli apostoli exemplum, ne forte ut ille geras hæc per ignorantiam, quod enim mox ut te converteris ad unicum Dei Filium confitendum, veniam tuorum facinorum, ut illi, ita tibi sit tributurus : ipsum sequere, ipsius apprehende viam, ipsum Philippensibus loquentem audi, et quisnam fuerit ante agnitionem, et quantam beatitudinem post agnitionem consequi meruerit. (*Phil.* III, 4) *Si quis autem* [e] *putat se fiduciam habere in carne, ego magis circumcisione octava die* [f] *de genere Israel, tribu Benjamin, Hebræus ex Hebræis, secundum legem pharisæus, secundum zelum persequens ecclesiam, secundum justitiam quæ in lege est conversatus* [g], *cum essem sine querela, quæ mihi fuerunt lucra, hæc existimavi propter Christum detrimenta. Verumtamen* [h] *omnia arbitror detrimentum esse propter eminentiam scientiæ Christi Jesu Domini nostri, propter quem omnia detrimenta* [i] *passus sum, et arbitror stercora ut Christum lucrifaciam, et inveniar in illo, non habens meam justitiam, quæ est ex lege, sed illam quæ per fidem Jesu* [j] *Christi, quæ ex Deo est justitia in fide, ad agnoscendum illum, et virtutem resurrectionis ejus, et communicationem passionum ejus, cooneratus morte* [k] *ipsius, si quo modo occurram in resurrectionem ejus* [l], *quæ est a mortuis.* Sicut et jam dictum est, istum imitare, istum sequere, ut quia et ille fuerat, quod tu nunc, hoc est persecutor ecclesiæ, negator unici Filii Dei, inveniaris sic ad consequenda regna cœlestia fuisse conversus a perfidia ad fidem suscipiendam catholicam, sic te transitum fecisse de morte ad vitam. Illum etenim per ignorantiam Dei fuisse persecutum ecclesiam, adhuc accipe etiam Timotheo aperiente de semetipso : (I *Tim.* I, 8.) *Scimus autem quoniam bona est* [m] *lex, si quis ea legitime utatur, sciens hoc quia justo lex non est posita : injustis autem, et inobedientibus, et impiis, et peccatoribus, et scelestis, et profanis, parricidis et matricidis, homicidis, impudicis, masculorum concubitoribus, plagiariis, mendacibus, perjuris, et si quid aliud sanæ doctrinæ adversatur, quæ est secundum evangelium gloriæ beati Dei quod creditum est mihi. Et gratias ago ei qui confortavit me Christo* [n] *Jesu Domino, quod fidelem me æstimavit, ponens in ministerium ; qui prius fueram blasphemus, et persecutor, et injuriosus, sed misericordiam sum consecutus, quod ignorans feci in* [o] *incredulitate. Superabundavit autem gratia Domini nostri cum fide et dilectione, quæ est in Christo Jesu.* Ita et tu ex persecutore, ex injurioso et blasphemo beatus et vere Deo charissimus effici poteris, si ut Paulus beatus verum Dei Filium esse Jesum Christum credideris, si semper illum cum Patre regnasse ac regnaturum, hoc est, sine initio et sine fine confessus fueris, si unam æternitatem habere Patrem et Filium et Spiritum sanctum clamantibus sacris scripturis non restiteris ; si denique unam habere deitatem [p] Patrem ac Filium et Spiritum

[a] *Et dixit, Valde* etc. Latin. et Galland. quod suppl. ex Græco et Vers. Ant. ac Vulgata. Vers. Ant. *Et dixit Dominus Deus.... Valde contristaris tu super cucurbita? Et ait : Valde contristor ego* etc.

[b] Vers. Ant. *Super cucurbita, pro qua.... in nocte, et in nocte periit.... parcam Ninive civitati magnæ*, etc.

[c] *Plusquam duodecim myriades virorum, qui ignorant dexteram et sinistram suam, et pecora multa?* Vers. Ant.

[d] Sabat. habet, *qui nesciunt quid sit inter dexteram aut sinistram.*

[e] Εἴ τις δέ. Græc. ex cod. Borner. apud Sabat. Vers. Ant. *si quis alter*, etc.

[f] *Circumcisus octavo die, ex genere Israel, de tribu*, etc. Sic legit Sabatier.

[g] Abest a Vers. Ant. *conversatus*, et habet *sine crimine* pro *sine querela.*

[h] Vers. Ant. *Verumtamen et arbitror.... detrimenta.... Domini mei.*

[i] *Omnia damnum feci.* Vers. Ant.

[j] *Jesu* omittit Vers. Ant.

[k] *Morti* Vers. Ant. *Conformatus morti.* Latin. ex Græco συμμορφούμενος. Singularis plane lectio : quæ itidem occurrit in versionibus Latinis duorum codd. antiquissimorum, Claromontani et Sangermanensis. Hujusce translationis fontem, quem ignoravit Millius in Prolegom. ad N. T. § 776, Krusterus aperuit sub finem præfationis ad repetitam Millianam editionem. Nimirum inquit pro συμμορφούμενος τῷ θ. αὐτ. ut legitur in Græco textu hodierno Philip. III, 10. Codices Alex. et Colbert. habent συμμορφιζόμενος. Ex hac autem posteriore voce alia corrupta soni affinis συνφορτιζόμενος. orta est, prout in codice Borneriano Græco-Lat. sic legitur : συνφορτιζόμενος, *cooneratus. Hinc vero*, subdit vir eruditus, *persuasum habeo*, τὸ συνφορτιζόμενος *errori librariorum Græcorum tribuendum. Qui quidem error cum exinde ad plures codices Græcos dimanasset, non mirum est Latinos in ejusmodi codices incidentes suum* cooneratus *inde efformasse.* Cæterum hanc lectionem esse ineptam ex verborum serie satis constat, ut arguit Wollius in suis Curis Philolog. et Crit. Tom. IV, p. 141. *Galland.*

[l] *Ejus* omittit Vers. Ant.

[m] *Est* omittit Sabat. supra pag. 135. ubi hæc variant in ipso Lucifero : *Et non obedientibus.... sceleratis*, omisso *homicidis.* Vide ibi Vers. Ant. n. 1.

[n] Ut in Græco, Χριστῷ etc. Vers. Ant. *Confirmavit me in Christo.... nostro.*

[o] Cum Græco, ἐν ἀπιστίᾳ. Vers. Ant. *in incredulitatem.*

[p] Similem huic locutionem alibi Lucifer adhibet, et in lib. de Non conven. cum hæret. *unam esse deitatem Patris et Filii* affirmat ; quibus verbis *summam esse unitatem, ac singularem substantiæ divinæ* probat Petavius ex Patribus Latinis, et ex ipso Lucifero in lib 4. de Trin. cap. 14, qui præterea in lib. 8 cap. 8, *deitatem* μονάδα esse, id est *perfectissimam, ac numericam unitatem* confirmat. Sed vide, quæ de hac locutione in Præfat. disseruimus.

sanctum credideris, crede mihi quod futurus sis in choro patriarcharum, prophetarum, apostolorum ac martyrum, alioquin tibi imputaturus, cum te torqueri cum diabolo et omnibus satellitibus ejus videre cœperis, cur has tam salubres admonitiones nostras despexeris.

FLORENTII AD LUCIFERUM EP. CALARITANUM EPISTOLA.

EPISTOLA.

Domino benignissimo Lucifero Florentius.

Nomine tuo codicem [a] quidam domino et augusto nostro obtulit: hunc ad sanctitatem tuam perferri æternitati [b] ejus denuo offerri.

[a] Librorum scilicet, quos Lucifer pro S. Athanasio scripsit. Vide præfat. nostram.

[b] Ita *æternitatis* titulum arrogabat sibi impius (Constantius), quem Filio Dei imminuere non metuebat, Arium defendens, cujus inter cæteras blasphemias una erat, *fuisse tempus quando non erat Filius*. Papebrochius in tom. 4 Maii, Bolland. ad cap. 2 Comment. Hist. de S. Lucifero. Hanc *αἰωνίου*, id est *æterni* appellationem Constantio attributam in Formula Sirmiensi anni 359, irridet etiam Athanasius in libro de Synodis.

LUCIFERI EPISCOPI CALARITANI
AD FLORENTIUM
EPISTOLA.

EPISTOLA.

Florentio Magistro Officiorum [a] Lucifer Episcopus.

Codicis perlatorem quem memorat honorificentia tua nomine meo adiisse imperatorem a mea fuisse destinatum mediocritate, ipsum quoque codicem ut es admonere dignatus sollicite inspectum, atque Bonoso in rebus agenti [b] perferendum traditum, his formanda [c] fuit religiosa prudentia tua, fili carissime. Jam tuæ erit generositatis agnitum a me sine ulla cunctatione defendere. Nos etenim propitio Deo contra ea quæ in nostram parantur necem stare lætos, cum causas, cur tali [d] scripserim modo, discutere cœperit, inveniet.

[a] Summa dignitas in aula Imperatorum, quæ Palatinis et Principis administris præerat, præcipue vero legationes exterarum gentium tractabat. Vide Valesium in not. ad Ammianum Marcellinum lib. 26, cap. 5. Florentius hanc dignitatem adhuc gerebat an. 360, ut testatur Ammianus lib. 20, cap. 2. et anno insequenti a Juliano Imperatore in exsilium *contrusus est in insulam Dalmatiæ Boas*, scribit idem Ammianus lib. 22, cap. 3.

[b] *Agentes in rebus* Magistratum Palatinum constituebant, cujus hoc etiam munus erat, ut per provincias inquirerent, siquid in Principem nefarium consilium iniretur: et ideo Luciferi libri Bonoso traditi. Vid. Vales. ad Amm. Marcell. lib. 15, cap. 3.

[c] Puto *informanda*. Til. recte. Baronius ad an. 356, num. 67, *his informanda*.

[d] *Talia*. Papebroch. loco cit.

S. P. N. LUCIFERI
EPISCOPI CALARITANI
DE NON PARCENDO IN DEUM DELINQUENTIBUS,
AD CONSTANTIUM IMPERATOREM,
LIBER UNUS.

Superatum [a] te, Imperator, a Dei servis ex omni cum conspexisses parte, dixisti passum te ac pati a

[a] Respicit hic Lucifer non solum quæ a Catholicis Episcopis gesta fuerant constantissime contra minas et dolos Constantii, atque Arianorum, quorum pars magna Lucifer fuit, sed etiam quæ postea invictis animis gesserunt, qua libris in Constantium scriptis, qua fortitudine in tolerandis suppliciis, ac ipsa potius morte, quam ut in hæreticorum sententiam concederent. Ait vero *ex omni parte superatum* Constantium,

nobis contra monita sacrarum scripturarum contumeliam : dicis nos insolentes exstitisse circa te, quem honorari decuerit. Si quisquam Dei cultorum pepercit [a] apostatis, sint vera quæ dicis de nobis. Unde ordiamur, ut tu nunc a nobis corriperis, ita esse correptos omnes erraticos per Dei cultores, quo probare possimus? unde? nisi a Mosis Dei servi actibus. Legimus in Exodo, ascendisse montem Mosen post testamentum sibi traditum, et plurimos interfecisse eorum propter idololatriæ reatum. *Stetit*, inquit, *Moses* [b] *ad portas castrorum, et dixit : Quis ad Dominum paratus veniat ad me? Et convenerunt ad eum omnes filii Levi, et dixit eis : Hæc dicit Dominus Deus Israel : Ponite unusquisque gladium suum in femore suo, et pertransite, et revertimini a porta usque ad portam per castra, et occidite unusquisque fratrem suum, et unusquisque propinquum suum, et unusquisque proximum suum. Et fecerunt filii Levi, sicut dixit eis Moses. Et ceciderunt de populo in illa die quasi tria millia hominum. Et dixit eis Moses : Implestis* [c] *hodie manus Domino unusquisque in filio aut in fratre dari in vobis benedictionem* (*Ex.* xxxvi, 26). Sumus tibi contumeliosi ut fuit Moses populo insulso illi : neque illis placebant illa quæ dicebantur, aut fiebant a Mose, quando jam delegissent non servire Deo, qui eos eripuisset de potestate Pharaonis, sed illi vitulo quem illis fuderat ignis : ita et tu jam non Deo mancipatus, sed Arii idololatriæ, qui errasse arguaris, indigne fers, contumaces nos clamitas, dicis indignum nos circa [d]e facinus perpetratos, ut imperatori Romani regni dicere auderemus : *Male, Constanti, facis idololatriam introducere in ecclesiam.* Moses primus prophetarum ille Deo amantissimus gladio est persecutus eos, quorum te instituisti imitatorem, et ego contumax esse notor a te, quia dixerim Deum te dereliquisse, et idololatriæ temet mancipasse? Adhuc filios Israel fornicatos clamat sacra scriptura in filias Moabitarum, et quod vocati ab eis manducaverint immolata idolis, et eadam adorasse idola; contra quos quia ita exarserit zelo devotionis incensus Phinees sacerdos, propterea vel maxime quod gladio idololatres [d] media in synagoga interemerit, adeo placuit Deo, ut sit scriptum ad hoc factum Domini indignantis quievisse iram, et ipsum nimio præcipuum apud Dominum effectum : *Et locutus est Dominus ad Mosen dicens: Phinees filius Eleazar filii Aaron sacerdotis compescuit* [e] *iram meam a filiis Israel, in* [f] *eo quod zelatus est zelo in eis, ut* [g] *non occiderem filios Israel in zelo meo : et* [h] *ecce dabo ei testamentum meum, testamentum pacis ei et semini ejus cum ipso in testamentum sacerdotii æternum, quoniam* [i] *zelatus est Deo suo, et exoravit pro filiis Israel* (*Num.* xxv, 10). Et tu nos arbitraris contumaces quia tibi erranti vera dicamus? existimas cum tibi displicemus non nos tunc Deo placere? Sed oro te dicas, Constanti, qua auctoritate viam justorum patriarcharum, prophetarum, apostolorum ac martyrum nos volueris deserere, et comprehendere istam tuam novam, quam per Arium instituerat diabolus. Numquidnam somnio es admonitus et dictum est ad te, ne patiaris Christi nos tenere viam, quam tenuerunt Abel, Enoc, Noe, Melchisedech, Abraham, Isaac, et Jacob, Joseph, Moses, Aaron, Jesus Nave, Job, Judices, et cæteri reges, hoc est, David, Josaphat, Ezechias, Josias, quam tenuerunt cuncti prophetæ, apostoli, ac martyres, quam tenuerunt omnes qui Deo inveniuntur placuisse? Si hoc tibi a dæmonum dictum est principe, audi quid fieri Deus statuerit de te per gloriosum prophetam Mosen : *Si autem surrexerit* [j] *in te propheta, aut somnium somnians, et dederit signum aut prodigium, et venerit* [k] *signa faciens aut prodigia, et dixerit ad te, dicens : Eamus et serviamus diis* [l] *alienis, quos nescitis; non audietis verbum prophetæ illius, aut somnianti, quoniam tentat Dominus* [m] *Deus vos videre, si diligatis Dominum Deum vestrum ex toto corde vestro, et ex tota anima vestra : post* [n] *Dominum Deum vestrum abibitis, et ipsum* [o] *timebitis, et mandata ejus custodietis, et vocem ejus audietis, et illi apponemini : et propheta*

quia neque Arianam blasphemiam profiteri, neque cum Arianis communicare, neque in Athanasii damnationem subscribere se umquam passi sunt Catholici Antistites, quæ tria in Mediolanensi Concilio, et ab ipsis præsertim Pontificis legatis extorquere vi omni conati fuerant Ariani.

[a] Id est, *non est apostatas insectatus, ut vel ad verum Dei cultum redirent, vel ab lacessenda vera religione desisterent.*

[b] *Moyses* legit Sabat. et, *Quis ad Dominum? veniat*, etc.

[c] Ita legit Sabat. : *Consecrastis hodie manus vestras.... in fratre suo, ut detur vobis benedictio;* sed nostra edit. convenit in his cum Græc. ἐπληρώσατε, *implevistis*, et δοθῆναι ἐφ' ὑμᾶς εὐλογίαν, *dari in vobis benedictionem.*

[d] *Idololatras.* Latin.

[e] Vers. Ant. *Seduxit furorem meum.*

[f] Propius ad Græc. ἐν τῷ ζηλῶσαί μου τὸν ζῆλον ἐν αὐτοῖς. Vers. Ant. *In eo quod æmulatus est zelum meum in illis.*

[g] *Ut non* ἐξανίλουσα. Vatic. In veteri Cod. habetur, *ut non* ἐξανήλωσα, et alia manu in interlinea, *occiderem.* Til. Ita est in Græco, ἐξανήλωσα, *consumsi*, quæ vox corrupta est in Cod. Vatic. Vers. Ant. *et non consummavi.*

[h] Vers. Ant. *Sicut dixi. Ecce ego do ei testamentum pacis, et erit illi et semini ejus post eum testamentum*, etc.

[i] Vers. Ant. *Propter quod æmulatus est Deum suum, et non exoravit*, etc. Lucifer cum Græco : ἐζήλωσε τῷ Θεῷ αὐτοῦ, καὶ ἐξιλάσατο, *depropitiavit*, id est *exoravit.*

[j] *Resurrexerit* legit Sabat. Vers. Ant. *Si ipse propheles exsurrexerit..... et dederit tibi signum vel ostentum.*

[k] Vers. Ant. *Et evenerit, et dixerit : Eamus* etc. Græcus, πρός σε, *ad te*, ut Lucif.

[l] Vers. Ant. *Eamus.... diis aliis quos non scitis : ne audiatis sermonem.... aut somniatoris illius, quia* etc.

[m] Vers. Ant. *Dominus Deus vester, ut sciat, si ex toto corde* etc. *timeatis Deum.* Græc. εἰδέναι, εἰ ἀγαπᾶτε (κύριον τὸν ex mss. Alex. et Oxon.) Θεὸν ὑμῶν, ut Lucif.

[n] Vers. Ant. *Post Deum* etc. Græc. cum Lucif.

[o] Vers. Ant. *Hunc.... et præcepta.... adjiciemini : prophetes autem et somniator*, etc.

ille, aut somnium [a] *somnians illi* [b] *morientur. Locuti* A *sunt enim seducere vos a Domino Deo vestro* (*Deut.* XIII, 1). Cognoscis quid pati jussus sis? sive etenim te somnio dicas admonitum; sive te prophetam velis astruere nobis, inimicus Dei es, qui velis nos fidem apostolicam derelinquere, atque suscipere eam, quæ negat unicum Dei Filium. Illos etenim cunctos, quos recitavi, propterea quod credentes fuerint in unicum Dei Filium, tantos ac tales effectos est clarum: siquidem *qui* [d] *non crediderit in Filium, nec Patrem habeat: qui vero credit in Filium, et Patrem et Filium habeat* (I *Joan.*). Hæc cum vox sit beati Joannis, cum quo quia sit faciens chorus sanctorum apostolorum, omnes utique debes intelligere, sicut crediderunt apostoli, quod sic ante fuissent credentes patriarchæ atque prophetæ, sic cuncti qui fidei merito honorati B esse noscantur. Neque enim poteris mihi probare, quia aliter crediderunt Abraham, Isaac, et Jacob, et aliter Joannes vel omnes coapostoli ejus. Si enim non ita crediderunt apostoli, ut crediderunt patriarchæ, cur beatus Paulus omnes ad Abrahæ comprehendendam provocat fidem? Sed inquis: *Ego te arguo cur insolens sis, cur contumeliosus* [e] *imperatori exstiteris; et tu fidei causam retexis.* Fidei itaque; ut probem te esse sacrilegum, ut probem te a via deorbitasse veritatis; hinc contumeliosus tibi videor, quia dicam tibi deseruisse te iter omnium Dei cultorum, atque comprehendisse illam quam tenuerunt ac sunt tenentes hi, qui non Deo, sed phantasiæ servierunt ac sunt servientes. De te itaque a Deo me recedere suadenti accipe quid sanxerit fieri Deus per Mosen: *Si* C *autem rogaverit te frater tuus ex patre vel matre, aut filius tuus, aut filia tua, aut mulier, quæ in gremio tuo est, aut amicus qui anima tuæ par est, clam dicens: Eamus et serviamus diis* [f] *alienis, quos nescis, nec patres tui, ex diis nationum quæ circa te aut proxime aut longe* [g], *ne velis ire cum illo, et ne audieris eum, non parcet oculus tuus super eum, nec* [h] *salutabis eum, nec celabis eum: annuntians annuntiabis de eo: manus tuæ erunt in eum in primis ad occidendum eum* [i], *et manus populi tui in novissimo. Et lapidabitis illum, et morietur, quoniam quæsiit absistere* [j] *a Domino Deo tuo* (*Deut.* XIII, 6). Præceptum [k] te interfici, quippe Deum me derelinquere invitantem, ignorans dicis, *Contumeliam mihi facit Lucifer.* Aut negabis te ad [l] idololatriam invitasse nos suscipiendam? Si censes negandum, convincent te expositiones [m] sectæ tuæ episcoporum, comblasphemorum videlicet tuorum; convincent te [n] libelli recitati a te, ac dati Romæ episcopis etiam catholicis, ad hoc videlicet, ut omni in loco tua roborari posset blasphemia. Quas incurreris errorum tenebras non sentis? non conspicis quo possis perire modo? quando videas cur contra divina fecerit monita Achar unus e populo, cur furto abstulisset ab Hiericho certam partem vestis, argenti, aurique, sic fuerit multatus morte. Quid tibi sit futurum conspice, qui sis negans æternam unici Filii Dei divinam majestatem, accipe quid circa Achar fuerit celebratum; et tandem consule tuæ saluti, redi ad Dei ecclesiam, a qua te *per* Arianos abigavit [o] coluber ille refuga, qui verterit Adam quoque et Evam: *Et erat*, inquit, *Dominus cum Jesu* [p], *et erat nomen ejus super universum terram* (*Jos.* VI, 27. *Et neglexerunt filii Israel negligentia* [q], *et fraudaverunt fraude de anathemate, et indignatus est ira Dominus filiis Israel. Et misit Jesus viros in Ge, quæ est* D *conjuncta Bethel, dicens: Considerate Ge. Et ascenderunt viri, et consideraverunt Ge: et reversi sunt ad Jesum, et dixerunt ad eum: Non ascendat omnis populus, sed duo vel tria millia virorum ascendant, et devastent civitatem, ne inducas illos* [r] *universum populum: pauci enim sunt. Et ascenderunt cum illo fere*

[a] Cum Græco, ἐνύπνιον ἐνυπνιαζόμενος. Vers. Ant. *somniator.*

[b] *Ille moriatur*, Latin. ex Græco, ἐκεῖνος ἀποθανεῖται. Vers. Ant. *Ille morietur.*

[c] Vers. Ant. *Locutus est enim ad seducendum te a Domino Deo tuo.*

[d] Vers. Ant. *Qui negat Filium, nec Filium nec patrem habet: et qui confitetur Filium, et Filium et patrem habet.*

[e] Editis præsertim libris pro S. Athanasio.

[f] Sabat. legit: *Deis alienis, quos nescis tu et patres tui*: Vers. Ant. *Deis aliis, quos non scis.... ex deis.... quæ circum te proxime sunt aut longe.*

[g] *Ab ex remo terræ usque ad extremum terræ*, addit Latin. ex Græco; sed hæc absunt a ms. Græc. Oxon. apud Sabat.

[h] Vers. Ant. *Nec miseraberis.*

[i] Ut in Græco, αὐτὸν· καὶ αἱ χεῖρες.... ἐπ' ἰσχάτου. Vers. Ant. omittit *eum*, et, *manus omnis populi in novissimis.*

[j] *Quæsivit avertere te.* Vers. Ant. Ἀποστῆσαί σε, Græc.

[k] *Præceptum esse* etc. Gallandius recte.

[l] Quo nomine alterutrum ex hisce potest intelligi, aut epistolam, sive edictum catholicis præsertim Episcopis propositum Constantii nomine in Concilio Mediolanensi, ut eidem contra Nicænam fidem adscriberent; aut simpliciter Arianam hæresim, cui totis viribus favit Constantius, dum vixit.

[m] Formulæ nimirum fidei Arianæ, quas annorum circiter novemdecim spatio ediderunt hujus sectæ magistri, ac patroni; easque quatuordecim enumerat Petavius in lib. I de Trinit., cap. 9, quarum postrema Antiochiæ conscripta videtur anno 360; adeo vero inter se dissimiles, ac dissonæ fuerunt, ut, *dum identidem novas cudentes iis ipsis rejectis, ac damnatis, alias subjiciunt*, veluti testamenta condentes, *ut illis exprobrat Athanasius in Orat.* I *adversus Arianos, risui se omnium objecerint; et conemptui; quod illorum omnia decreta non ab aliis, sed ab ipsismet antiquata et rejecta, auctoribus suis sacrilegi mendacii et perfidiæ dedecus aspergunt*, inquit laudato in loco Petavius num. 13.

[n] De mente Luciferi hoc in loco, et utrum quæ Constantius Romæ gesserit pro Arianis, an vero Sirmiensem formulam an. 357, an Ariminensem, sive Acaciauam publicatam in Concilio Constantinopolitano sub exitum an. 359 et initium insequentis celebrato, vide, quæ in Præf. disseruimus, et huc revoca notam 6. subjectam pag. 54 (*hic col.* 820 *not.* h).

[o] Id est, *a qua te abegit, et expulit coluber ille refuga, qui Adamum et Evam seduxit*; ubi *abigavit* pro *abegit* usurpat. *Til.* la Cerda et Cangius in Gloss.

[p] Ita Græc. constanter. Sabat. legit *Josue* in Lucifer.

[q] *Negligentia magna.* Latin. ex Græco.

[r] Pro, *ne ducas in illos omnem populum*: sic sæpissime invertit dictiones more Græcorum, quo fit

tria millia virorum, et fugerunt a facie virorum qui erant in Ge : et occiderunt ex ipsis viri Ge triginta sex viros, et persecuti sunt illos a porta [a], *et contribulaverunt illos in proclivo, et expavit cor populi, et factum est ut aqua. Et conscidit Jesus vestimenta sua, et procidit Jesus* [b] *in faciem ante Deum usque ad vesperum, ipse et seniores Israel, et miserunt pulverem super capita sua, et dixit Jesus : Precor* [c], *Domine, ut quid transjecit puer tuus populum istum Jordanem tradere eum Amorrhæo, perdere nos? si mansimus in terra, commorati sumus apud Jordanem. Et quid dicam, quod convertit Israel dorsum contra inimicum suum? et audiet Chananæus, et omnes qui commorantur terram* [d], *et circumibunt nos, et* [e] *contribulabunt nos a terra : et quid facias, nomen tuum magnum? Et dixit Dominus ad Jesum : Surge, ut quid tu procidisti in faciem tuam? Peccavit populus, et transgressus est testamentum meum quod disposui ad eos, et furati sunt de anathemate, et miserunt* [f] *in vasa sua. Non poterunt filii Israel resistere contra faciem inimicorum suorum, dorsa convertent in conspectu inimicorum, quia facti sunt anathema. Non ero ultra vobiscum, nisi abstuleritis anathema ex vobis ipsis. Surge, sanctifica populum, et dic* [g] *: Sanctificetur in crastinum. Hæc enim dicit Dominus Deus Israel : Anathema est inter vos, non poteritis resistere contra inimicos vestros usque dum auferatis anathema ex vobis ipsis. Et convenite mane omnes per tribus* [h], *et erit tribus quæ ostensa fuerit mane per Deum, adducite per plebes, plebem quam ostenderit Dominus offerte per virum, et quisquis ostensus fuerit per Dominum, cremabitur igni, et omnia quæ sunt ejus, quia transgressus est testamentum Domini, et fecit iniquitatem in Israel. Et vigilavit Jesus mane, et obtulit populum per tribus, et ostensa est tribus Juda : et oblati sunt per plebes, et ostensa est plebs Zara : et obtulit plebem Zaræ per domus, et ostensa est Domus Jambri* [i] *: et oblata est domus per viros, et ostensus est Achar filius Charmi filii Jambri. Et dixit Jesus ad Achar : Da honorem hodie Domino Deo Israel, et da confessionem, et indica mihi quid feceris, et ne celaveris me. Et respondit Achar ad Jesum, et dixit : Vere peccavi ante conspectum Domini Dei Israel, taliter et taliter feci : vidi in præda vestem variam optimam, et ducentos siclos argenti, didragmam, et ligulam unam aureum quinquaginta didragmarum; et concupivi eam* [k], *et sustuli, et ecce hæc abscondita sunt in tabernaculo meo, et argentum absconsum est sub ipsis. Et misit Jesus nuncios, et cucurrerunt in tabernaculum, et hæc erant abscondita in tabernaculo, et argentum sub ipsis : et tulerunt ea de tabernaculo, et attulerunt ad Jesum, et ad seniores Israel, et posuerunt ea ante Deum. Et* [l] *apprehenderunt Achar filium Charmi, et perduxerunt in vallem Achar* [m], *et filios ejus et filias, et vitulos ejus, et subjunctoria ejus, et oves ejus, et tabernaculum ejus, et omnia quæ erant ejus : et omnis Israel cum eo erat, et perduxerunt eos in Mecachor. Et dixit Jesus ad Achar : Quid exterminasti nos? Disperdat te Dominus sicut hodierna die. Et lapidaverunt* [n] *eum omnis Israel lapidibus, et imposuerunt super illum congestum lapidum magnum. Et cessavit Dominus ab indignatione iræ suæ* (Jos. VII, 1). Considera, Constanti, quali sis periturus exemplo, nisi tibi provideris tu, quas sis in æternum daturus pœnas. Achar propter prævaricationem mandatorum talia est consecutus ; tu qualia mereris hinc intelligi datur, quod sis apostata. Si ille etenim quia habuerit de anathemate, tanto est punitus exitio, quanto magis tu sine dubio punieris gravius, qui fueris factus anathema negando Dei Filium! In eo nos scelesti apud te, in eo superbi ac pervicaces, in eo petulantes, quia dicamus tibi, *Sacrilegium fecisti, unici filii Dei existendo negator ;* quia dicamus, *Consule tibi, eripe animam tuam de laqueis diaboli.* Quid novi facimus episcopi, si tibi ea dicamus, quæ tu mereris audire? cum inveniamus illum sanctissimum Samuel Dei sacerdotem hæc dixisse ad Saul regem, quæ infra lecturus es : *Dolores et gemitus ad te adducentur* [o]. *Pro quibus nullius momenti fecisti verbum Domini, nullius momenti te faciet Dominus ne regnes* (1 *Reg.* XV, 23). Et iterum : *Quoniam* [p] *nullius momenti fecisti verbum Domini, et ad nihilum rediget te Deus, ne sis rex super Israel* (*Ibid.* 26). Et infra : *Disrumpet* [q] *Dominus regnum tuum ex Israel de manu tua hodie, et dabit illud proximo tuo meliori te* (*Ibid.* 28). Si hæc ille dixit ad Saul, propterea quod Domini præcepta præterierit, cur nos putas non

ut obscurior et rudior appareat. *Til. et la Cerd.* Sed melius corrigunt, *ne inducas illuc*, Latin. et Sabat. ex Græco.

[a] *Usque ad Sebarim*, addit Latin. ex Vulg.

[b] *Jesus* omittitur a Sabat., sed est in Græco.

[c] Aliter legit Sabat. in Lucif. *Heu, Domine Deus, quid voluisti traducere populum istum Jordanem fluvium, ut traderes nos in manus Amorrhæi, et perderes?* cum Græco tamen nostra conveniunt : Δέομαι, Κύριε, ἵνατί διεβίβασεν ὁ παῖς σου τὸν λαὸν τοῦτον τὸν Ἰορδάνην παραδοῦναι αὐτὸν τῷ Ἀμορραίῳ ἀπολέσαι ἡμᾶς; tum Sabat. *utinam ut cœpimus, mansissemus trans Jordanem :* quæ in Græco propius ad nostra : Καὶ εἰ κατεμείναμεν, καὶ κατῳκίσθημεν παρὰ τὸν Ἰορδάνην, al. πέραν τοῦ Ἰορδάνου.

[d] Ex Græco, τὴν γῆν. Apud Sabat. *in terra.*

[e] Apud Sabat. *Et delebunt nomen nostrum de terra; et quid facies nomini tuo magno?* Græc. fere ut in nostra edit. Καὶ ἐκτρίψουσιν ἡμᾶς ἀπὸ τῆς γῆς· καὶ τί ποιήσεις τὸ ὄνομά σου τὸ μέγα;

[f] Sabat. *Et absconderunt inter vasa sua.*

[g] *Dic eis : Sanctificamini in crastinum*, apud Sabat. *Eis* abest a Græco.

[h] *Tribus vestras*, ut in Græc. quibusdam. Sabat.

[i] *Zambri.* Latin. ut in Hexapl. cum asteriseo.

[j] Ita in Græc. Oxon. Ἄχαρ υἱὸς Χαρμί. *Achan* est apud Sabat. constanter. *Achar* veram esse hujus nominis pronunciationem probat Cotelerius ad lib. II Constit. Apostolic. cap. 10.

[k] *Ea.* Latin. ut in Græco.

[l] *Et* omittit Sabat.

[m] *Achor* habet idem Sabat.

[n] Sabat. *lapidavit*, et, *acervum lapidum*; Græc. in plural. ἐλιθοβόλησαν.

[o] In lib. de Reg. Apost. vertitur, *adduxisti*; hic convenit cum vers. Ms. Floriac. apud Sabat.

[p] Vers. Ant. *Quia sprevisti verbum Domini, et spernet te Dominus.*

[q] Eadem vide in lib. de Reg. Apost. pag. 33 (*hic col.* 798).

libera voce dicere potuisse te esse sacrilegum, qui nisi converteris temet ad Deum, quod sit te ad nihilum redacturus? Si non te fuissemus hortati, si non ad satisfactionem provocaremus, merito diceres odiri te a nobis. Aut cum audias nos dicere, *Pœnitere, imperator, corrige vias tuas, ut misericordiæ invenias locum*, arbitror considerare te oportuisse, quod enim diligaris a nobis, amaris a nobis; et tu in eo nos exsecraris; cur maneamus in fide apostolica, reddis mala pro bonis. Non miramur, si vos, ex quo receditis a Dei voluntate, et facere non desinitis desiderium diaboli, bene vobis fieri poscentibus Deum atque cupientibus repræsentetis mala; quandoquidem sit vobis insitum male agere, quippe qui a bono ad malum feceritis transitum, hoc est ad diabolum. Si nos tu persequeris diligentes te, omnia tibi summa cupientes provenire, non magnum nec novum, quando et istum Samuel prophetam atque sacerdotem Domini Saul fuerit persecutus. Persequebatur eum, per quem et in regem unctus fuerat, et cujus preces ad Dominum jugi obsecratione dirigebatur pro incolumitate utique istius persecutoris. Si nobis non credis dolere nobis sacerdotibus Dei pro te, propterea quod tantas hauseris errorum tenebras, quod sic temet sis mactans, Deo dicenti crede ad Samuel propter Saul: *Usquequo* [a] *luges tu in Saul? Ecce ego expello illum ne regnet super Israel* (I *Reg.* XVI, 1). Et supra: *Et factum* [b] *est verbum Domini ad Samuel, dicens: Pœnitet me quod constituerim regem Saul, quoniam aversus est a me, et verba mea non statuit. Et contristatus est Samuel et clamavit ad Dominum tota nocte et ante lucem* (*Ibid.* XV, 10). Cum hæc propter Saul regis incolumitatem Samuel sacerdos egerit, tamen Saul postea persequebatur Samuelem, nec cognoscens miser, quod prophetam atque sacerdotem persequeretur Domini: ita et tu ignorans quid faciens sis, persequeris nos, qui te placere Deo cupiamus, et amas eos qui secum te ad æternam mortem trahant, ad perpetuam Domini offensam: indignaris cur vera audias, cum videas Samuel sacerdotem Domini non adulatum [c] regi animum. Quid decuerat aliud præcessores nostros, aliud nos agere? Cur tibi vera dicamus, superbi tibi videmur. Quid a nobis audisti? nempe quod homicida sis: si mentimur, tunc contumeliosi, tunc superbi recte dicimur a te: si vero rem dicamus veram, non sumus contumeliosi, sed hi, qui imitemur illos, qui commissis sibi non adulando, sed eos salubriter prænonendo, Dei effici meruerint dilectissimi. Ad Heliseum interficiendum prophetam ut rex misit Israel, si minime legisses dixisse Heliseum ad eos, qui secum fuissent, *Si vidistis, quoniam filius homicidæ illius misit* [d] *ad auferendum caput meum* (IV *Reg.* VI, 32), merito ut reum me injuriarum peteres. Spiritu sancto plenus propheta homicidæ filium vocavit regem Israel, hoc est filium diaboli, non quia patrem illius carnalem dixisset homicidam, sed diabolum, cujus se filium esse, ut tu nunc te actibus tuis aperis, et ille se esse monstrabat Dei persequendo servos, prophetas illius clementiæ interficere audendo. Omnia hæc ut faciatis, diabolus vestra instigat corda. Quod ita esse accipe Dominum dicentem Judæis in Evangelio: *Vos* [e] *de diabolo patre nati estis, et concupiscentias Patris vestri facere vultis: ille enim homicida fuit ab initio* (*Joan.* VIII, 44). Propheta inquam Domini plenus Spiritu sancto regem Israel homicidæ filium vocat, hoc est diaboli, et nos arbitraris contumeliam tibi facere, quia dicamus te esse interfectorem servorum Dei, esse carnificem corporum nostrorum, esse te totius cogitationis virum injustitiæ, destructorem religionis, negatorem unici Filii Dei? Quæ te facere cernimus, hæc dicimus [f]; quod es, hoc te esse clamamus. Dicis nos petulantes, quoniam quidem quod est tibi dicamus. Dicas velim, unde meruerit a Domino talia audire rex Israel? *Eapropter quod fecisti bona coram me, et fecisti secundum cor meum, et secundum animam meam, domui Achab: filii tui quarta progenie sedebunt tibi in throno Israel* (IV *Reg.* X, 30). Dic, inquam, cur hæc audire a Deo meruerit? quia peperierit Dei inimicis? an quia eos quam acerrime fuerit etiam gladio persecutus? an quia interfecerit filium Achab idololatram et quadraginta ejus filios? Jezabelem quoque reginam quod exstinctam projecerit canibus, omnesque servos Baal cum omnibus sacerdotibus et prophetis confusionis ore exstinxerit gladii, quod simulacra destruxerit, placet Deo. Nos quid agere circa te decuerat, ne nos contumeliæ designares reos te circa, quem Achab et Jezabel vias tenentem videmus? non est novum quod agis facere contra Deum, impugnare ejus domum, persequi ejus antistites eos, per quos te monet ut tibi consulas, ut dum est locus pœnitentiæ, temet trahas a malo. Fuerunt tibi ante te in sacrilegio similes sic idolis servientes derelicto Deo patrum suorum. In libro secundo Paralipomenon Amasiam [g] regem Judæ commonitum a Deo per prophetam, ne ex filiis Israel, quos centum millibus [h] talentis argenti conduxerat, secum fuissent profecti ad bellum, propterea videlicet quod Deus dereliquisset Israel, quoniam quidem dereliquissent Deum, et idolis serviissent: obtemperavit rex prophetæ verbis, credidit Dei fuisse comminationem.

[a] *Quousque* habet ibidem Lucifer pro *usquequo*.

[b] Eadem vide in lib. eodem pag. 32 (*hic col.* 797), ubi *Samuelem* pro *Samuel*, et *ad Deum* pro *ad Dominum*. Sic quoque verba postrema interpunguntur: *Tota nocte: et ante lucem*.

[c] Locus corruptus, inquit Til. quem ita corrigit Latin. *adulatum regi. An numquid* etc. sed non abhorrent hujusmodi locutiones a stylo Luciferi: hæc autem retineri potest, si ita legas; *non adulatum esse animum regi*, pro *animo regis*. Gallandius assentitur Latinio.

[d] Vers. Ant. *Auferre caput meum*.

[e] Eadem vide in lib. II pro S. Athan. pag. 118 et not. 1 (*hic col.* 884, *et not.* [c] *col.* 883).

[f] *Hæc dicimus*, cum Latin. *Hoc didicimus*. Til.

[g] Subjice *legimus* cum Galland.

[h] *Millibus* demitur a Latin. ex Vulg., 2 Paralip. XXV, 9, et Græco.

Quid [a] hic facit? Posteaquam adversarios suos subigit, eorumdem idola tollenda, atque ad regnum suum transferenda putavit, et ipsa adoranda; cui quia dixerit ille Dei homo, non bene illum egisse, ut Deum derelinquens idola coleret gentium, fortiter est Domini prophetam iste rex persecutus. Conspicis, quod in vobis conversis in apostasiam semper unus fuerit animus ad persequendos eos, qui vobis bene velint. *Et factum est*, dicit scriptura sancta, *posteaquam venit Amasias percutere Idumæam, et attulit inde deos montis Seir, et statuit eos sibi in deos, et in conspectu eorum adorabat, et ipse eis immolabat. Et facta est super* [b] *eum ira Domini in Amasiam, et misit ad eum prophetam Baneam, dixitque ei Baneas: Quid quæsisti deos populi, qui non liberaverunt populum suum de manu tua? Et factum est, ut loqueretur ei, dixit ad eum: Numquid consiliarium regis dedi te? cave* [c] *tibi ne flagelleris* (II *Paralip.* xxv, 14, *seq.*). Vides, Constanti, quam amentes efficiamini, postea quam placuerit vobis diabolo vivere servientes, posteaquam placuerit vobis nescire Deum totum potentem, posteaquam elegeritis vobis in contumeliam Dei vos oportere statuere idololatriam. Ut enim ille dixit: *Numquid in* [d] *consiliarium regis dedi te? cave tibi ne flagelleris* (*Ib.* 16); ita et tu: *Numquid vos mihi consiliarios elegi*, dicis, *utnon prout mihi placitum est geram, ut non hanc teneam viam quam tenuerit Arius?* Nec conspicis quo exemplo interierit Arius? quomodo in eum fuit [e] vindicatum divinitus? Interea, quia dicis nos tibi esse contumeliosos, vide hunc Dei hominem non pepercisse consacrilego tuo illi regi, sed posteaquam dictum est ei, *Tace ne flagelleris* (*Ib.*), dixisse ad illum: *Scio ego quoniam Dominus Deus disperdet te, qui fecisti istud, et non obaudisti consilium meum.* In qua re nos sentis contumeliosos? nempe quia dicimus tibi: *Nos scimus, quod enim, nisi tibi provideris ut convertaris ad Deum, sit te Dominus ad æternam pœnam damnaturus* (*Ibid.*). Hæc est contumelia, hæc omnis injuria, quia tibi dicatur per Dei antistites, in æternum te interiturum, nisi correxeris vias tuas. Non credidit ille rex homini Dei. Quid statim ei acciderit, dicit sancta scriptura sic: *Et in tempore, quo discessit Amasias a Domino, insurrexerunt ad eum insurrectione. Et fugit ab Hierusalem in Lachis, et interfecerunt eum in Lachis* (*Ibid.* 27). Sic et te malorum tuorum facta potuerunt conservare, tueri, ac defendere, quomodo et illum, qui dixit homini Dei pro salute ipsius loquenti: *Numquid consiliarium te regi constitui* [f]? *tace ne flagelleris.* Non est a nobis primum factum, si dicamus tibi erranti, ordinationi Dei resistenti, novas vias constituere laboranti: *Male facis non ire per viam, per quam omnes Dei cultores ad cœlestia regna pervenerunt.* Legisti Oziam [g] regem jurgatum a sacerdotibus Domini, cur illicita fuisset ausus gerere: *Et intravit*, inquit Scriptura, *in templum Domini incensum ponere super altare: et intravit post eum Ozias* [h] *sacerdos, et cum ipso sacerdotes Domini triginta* [i] *filii virtutis, et surrexerunt super Odiam regem: et dixerunt ei: Non licet tibi Odia incendere Domino, sed sacerdotibus filiis Aaron, qui sanctificati sunt ut incendant. Exi de sanctis, quoniam recessisti a Domino, et non erit tibi istud in honore a Domino Deo* (*Ib.* xxvi, 16, *seq.*). Dicis contumeliosos illi [j] fuisse regi Domini sacerdotes, necne? Si nec dum fuerunt contumeliosi, nec nos tibi videamur, quandoquidem similia audias a nobis quæ audierit et ille: *Non licet tibi, Constanti: Ariano cum Dei convenire populo. Non licet tibi idololatriæ Ariunæ hæresis auctori, negatori unici Filii Dei de Dei sacerdotibus judicare, sacrilego* [k] *fingens te Christianum cum sis Antichristi præcursor. Non erit tibi bonum, ut Dei tollens sacerdotes ordines* [l] *adversarios ejus, collegas scilicet sacrilegii tui.* Cum hæc audis, irasceris nobis: iratus est et illis tunc sacerdotibus Domini Odias rex: sed adverte illos Deo dicatos perpetuum status sui tenuisse honorem, Odiam vero ad opprobrium sempiternum lepræ confestim varietate maculatum. *Et iratus est*, inquit, *Odias, et in manu ejus erat altare* [m], *ut incenderet in ara* [n]: *et lepra apparuit in fronte ejus in conspectu sacerdotum in domo Domini* (*Ibid.* 19). Hæc ita sunt, et arbitraris te contumacem prævaricatorem non trahere offensam apud eum, qui nos suæ claritudini perpetuo præceperit sacerdotii repræsentare officia? Quæ ista nostra, Constanti, superbia est, quæve arrogantia? si, quia te videamus morbidum esse, pestiferum, quippe Arianum, elephantiam in te esse, quia istam consideremus illam quam Arius habuerit, quod urgeamus te secedere e populo Dei, sicut illi sacerdotes Domini Odiam de templo compulerint egredi, quia te ita cogamus dare Deo honorem. Si enim Odiam Dei sacerdotes idcirco pellebant ex aula Dei, quia meminissent divinitus præceptum, leprosos ante expiationem ingredi templum prohibitos, quanto magis nos digne te, conspice [o], ex ecclesia pellere Christi, de domo Domini, quia non sit licitum hæreticum convenire cum catholicis, insanum

[a] Ita cum Latin. recte. Legebatur antea, *quia hic facit*, etc.

[b] *Super eum* demit Latin., abest et a Græco.

[c] Legit *tace* paulo inferius idem Lucifer; sed aptius *cave tibi.*, Græc. πρόσεχε.

[d] *In* omittit supra idem Lucifer, et paulo infra.

[e] *Fuerit.* Vatic.

[f] *Dedi* habet supra idem Lucifer pro *constitui.*

[g] Librarius hæc immutavit: vetus enim codex legit *Odiam regem*, et *Oziam sacerdotem* appellat pro *Azaria.* Til. *Odiam;* Vatic. et Latin. *Odias* is est, qui in Vulg. *Ozias* rex.

[h] Idem qui *Azarias* in Vulg.

[i] LXXX, Latin. ex Græco.

[j] *Illos*, Latin.

[k] *Sacrilegus.* Id. *Sacrilego fingere*, melius.

[l] Hæc de Episcopis Arianis, quos Constantius Catholicis Ecclesiis præfici jusserat; uti jam dictum in libris superioribus.

[m] Contendit Galland. in Græco Luciferi exemplari mendose scriptum fuisse θυσιαστήριον, *altare*, pro θυμιατήριον, *thuribulum*, uti ferunt Septuaginta; sed forte sensus est, *manibus tenebat altare;* et idem habet Sabat.

[n] *Ara sua*, Vatic.

[o] *Conspicis*, Latin

cum sanis, plenum immundis spiritibus cum eis, in quibus inhabitat spiritus Dei! Quæ hæc contumelia est, si sacerdotes Domini zelo eo accensi, quo sunt semper prædecessores nostri, tibi dicimus quæ nostræ conducant ac tuæ saluti? *Petulans es!*, inquis, *Lucifer*. Hinc petulans, quia te urgeam elephantiam rejicere Arii, atque per hanc, quam prædicaverunt apostoli beatissimi fidem, quamque nos sumus (ut cernis) tenentes, tuæ menti es [a] adeptus sospitatem, teque totum ereptum e laqueis diaboli temet in æternum gaudeas Deo quæsitum. Tu, qui nos ingentis supercilii esse flagitas, invenisti scriptum, quod [b] Josias rex Judæ de consacrilegis fecerit tuis, de talibus qualis tu esse hodie conspiceris, quomodo eorum quamplurimos etiam post mortem fuerit persecutus, ossa eorumdem ignibus consumens. Sed [c] illum decuit regem tanto zelo persequi Dei hostes; nos episcopos, nos Dei sacerdotes indignum fuerat tibi resistere, idololatriam introducenti in ecclesiam; ille gladio interfecit consacrilegos tuos, reliquias etiam olim sepultas est persecutus, cupiens cultor inveniri Dei fidelissimus; nos contra nec verbo tibi resistere oportuerat, tibi Dei inimici amico, tibi omnium carissimo in apostasiam conversorum angelorum [d], tibi qui factus es per hanc blasphemiam tuam Deo inimicus. Accipe igitur in quarto Regnorum libro, quæ propter illa, quæ circa coinmundos tuos gesserit Josias servus Domini rex Judææ [e], adeptus fuerit; et tandem desine de nobis dicere, *Superbi sunt atque contumeliosi. Fecit*, inquit, *quod rectum est ante conspectum Domini, et ambulavit in via patris sui David, et non declinavit dextra aut sinistra* (IV *Reg.* XXII, 2). Item infra, posteaquam domos reædificavit Domini, et sacerdos misisset legis librum ad regem: *Et factum est, cum audisset rex verba libri legis, conscidit vestimenta sua* (*Ib.* 11): *et mandavit rex Helchiæ sacerdoti, et Alchinæ filio Josaphat, et Achiliæ filio Melchiæ, et Sapham scribæ, et Joas filio regis, dicens: Quærite a Domino pro me et pro omnibus Juda de verbis libri hujus inventi, quoniam magna ira Domini accensa est in nobis, quoniam non audierunt patres nostri verba libri hujus secundum omnia scripta ut facerent. Et abiit Elchias sacerdos et Acicam* [f], *et Saphan, et Joas ad Oldam prophetissam, uxorem Sellæ filii Tacuellarum* [g], *vestis custodem, et ipsa habitabat in Jerusalem: et loculi sunt ad eam secundum hæc. Et dixit eis: Hæc dicit Dominus Deus Israel, viro* [h] *qui misit vos ad me, dicit Dominus: Ecce adducam mala super hunc locum, et super inhabitantes in eum, secundum omnia verba libri hujus quæ legit rex Juda; pro quibus dereliquerunt me, et intenderunt diis alienis, et exacerbaverunt me in operibus manuum suarum: et incensa est ira mea in hoc loco, et non extinguetur. Et ad regem Juda qui misit vos, ut quæreretis a Domino, hæc dicetis: Hæc dicit Dominus Deus Israel: Verba mea quæ audisti et reveritus es a facie mea, quia audisti quæ loquutus sum in locum* [i] *istum, et inhabitantes in* [j] *illum, fieri in* [k] *eremo, et in maledictionem; et scidisti vestimenta tua, et plorasti ante conspectum meum, et ego audivi, dixit Dominus virtutum: propter hoc ego abduco* [l] *te apud patres tuos, et adaugeris in pace, et* [m] *videbunt oculi tui omnia mala quæ ego induco* [n] *in locum istum, et super inhabitantes in* [o] *illo. Et respondit regi verbum, et misit rex Josias, et collegit ad se omnes presbyteros Juda in Jerusalem* (*Ib.* XXIII, 1) *et ascendit rex ad Dominum, et omnes viri Juda, et sacerdotes, et levitæ, et omnis populus a pusillo usque ad majorem: et legit rex in auribus populi omnia verba libri testamenti, qui inventus est in domo Domini. Et stetit rex ad columnam, et disposuit testamentum quod* [p] *inventum in domo Domini ante conspectum Domini, ire* [q] *post Dominum, et observare mandata ejus, et testificationes, et præcepta ejus in toto corde ejus* [r], *et tota anima, statuere omnia verba testamenti istius scripta in libro isto. Et transivit omnis populus in testamentum, quod disposuit rex ex libro. Et mandavit rex Helchiæ sacerdoti magno, et sacerdotibus secundariis, et custodientibus ephod, ut ejicerent de domo Domini omnia vasa quæ fecit ad Baal et Asera* [s], *et omni militiæ cœli: et combussit illa foras extra Jerusalem in* [t] *incendio rivi Cedron. Et sumpsit cineres illorum, et sparsit in rivum,*

[a] *Tuæ mentis adeptum.* Id. Rectius ita censeo corrigendum, *tuæ mentis adeptus*, ut sensus sit; *atque ut per hanc fidem..... tuæ mentis adeptus sospitatem, teque totum ereptus..... gaudeas*, etc.

[b] *Quid.* Id.

[c] *Si.* Id.

[d] Quo nomine *Episcopos* innuit, qui a Fide Nicæna desciverant: ita Joannes Apost. in Apocalypsi hoc honoris ac dignitatis nomine *Episcopos* donat: attamen et *Angelos apostatas*, id est *Dæmones* forte hic intelligit.

[e] *Juda.* Latin.

[f] Ita Græc. Ἀχαάμ. Sabat. legit *Ahican*, ut in Vulg.

[g] Gallandius corrigit ex Græco Alex. Cod. *Filii Thecue, filii Aras*, etc.

[h] *Dicite viro, qui misit vos ad me: Hæc dicit.* Sabat.

[i] Ut in Græco, ἐπὶ τὸν τόπον τοῦτον, Vatic. et Sabat., *In loco isto.*

[j] *In illo.* Sabat.

[k] *In stuporem.* Id.

[l] Apud Sabat., *Ego colligam.... et colligeris ad sepulcrum tuum in pace, et non videbunt*, etc. Gallandius corrigit, *adduco te*; sed retinendum *abduco*; id est, *abduco te e loco afflictionis ad patres tuos.*

[m] Gallandius adjicit *non* ex Græco, cum Sabat.

[n] Cum Græco, ἐπάγω, Sabat., *inducam.*

[o] *In illum.* Vatic.

[p] *Quod inventum est.* Id. cum Sabat.

[q] Τοῦ πορεύεσθαι, in Græco. *Ut irent.... et observarent*, etc., apud Sabat. Hic, ut sæpe alias, litteræ iuhæret Lucifer. *Galland.*

[r] *Corde suo.... Statuerent.* Sabat.

[s] Haud mendose, ut notat Gallandius. *Asherah* Sidoniorum numen aliquod fuisse probat Seldenus syntagm. 2, cap. 2, de Diis Syris; idque confirmat Beyerus in additamentis ad librum Seldeni; vel *Asherah* simulacra lignea significat, Astharoth Sidonio numini dicata, uti ibidem Seldenus ipse animadvertit. Mendum orthographicum solummodo inest, et *Asherah* vel *Ashera* scribendum.

[t] *In convalle Cedron.* Sabat. *In incendio* tamen recte legitur, pro loco, ubi mortuorum cadavera cremabantur. *Galland.*

et abiit in Bethel. Et combussit sacerdotes quos constituerant reges Judæ [a], *ut incenderent excelsis civitatum Juda, et circa Jerusalem, incendebant Baali, et soli, et lunæ, et omni militiæ cœli. Et extulerunt de domo Domini foras extra Jerusalem in* [b] *rivum Cedron, et extenuavit cinerem, et projecit in monumentum filiorum plebis : et extraxit filios illorum, qui erant in domo Domini, quorum mulieres officiabantur ibi ad stolas : et introduxit omnes sacerdotes ex civitatibus Juda, et coinquinavit sancta, ubi incendebant sacerdotes Agabæ* [c] *usque de Rasabæ ; et detraxit excelsos illorum.* Et infra : *Et coinquinavit Phem* [d] *quod erat in Cepenam* (IV *Reg.* XXIII, 10), *quoniam perduxerunt* [e] *quisque filium suum et filiam suam in igne Moloch : posuerant* [f] *reges Juda soli ab introitu domus* [g] *Domini ad pastorium, quos posuit tres equos,* [h] *qui in Faradin et fontem solis combussit in igne in domo domus, quam ædificaverant reges Israel excelso illi Baal, et omni militiæ cœli : et sacraria* [i] *erant supra ædificia superiorum, Achas quæ fecerit rex Juda, et sacraria quæ fecit Manasses in duobus ædificiis domus Domini, detraxit rex, et expulit illa inde, et projecit cineres illorum in rivo Cedron : et excelsos* [j] *quæ fecerant a facie Jerusalem, quod erat in dextro montis Amissa, quod ædificavit Salomon rex Astarte simulacro Sidoniorum, et Camos idolum, et Mulcro, simulacro filiorum Ammon polluit rex. Et contribulavit titulos et implebat loca illorum ossibus hominum : et sacrarium quod* [k] *in Bethel excelsum quod fecit Hieroboam filius Natæ, in quo fecit peccare Israel, et sacrarium illud excelsum detraxit, et contribulavit lapides illius, et attenuavit in pulverem, et accendit* [l] *lucos eorum. Et reversus est Josias rex, et vidit monumenta quæ erant ibi in monte. Et sumpsit ossa de monumento, et combussit super sacrarium, et polluit illud secundum verbum quod locutus est homo Dei, cum staret Hieroboam in die festo ad aram.* Quid cognoscis, Constanti, factum esse a rege cultore Dei ? et nos te idololatriam introducentem in ecclesiam quia verbo percutimus, *Contumeliam,* inquis, *mihi facit Lucifer ?* cum, si illius fuisses temporis homo, gladio possis exstingui, aut, si jam fuisses defunctus, etiam ossa tua, quippe sacrilegi, fuissent igni perducta ad nihilum. Ille gladio reos tanti sceleris percutit, nos te nec verbo vulnerare decuerat ? Conspicis interea hoc etiam loco in civitatem Dei, in Domini domum, et in templum ejus introduxisse consacrilegos tuos illos reges idololatriam, quam iste exterminarit Josias rex Deo dicatissimus ; nec existimes te tantum hoc opus implere contra Deum fuisse aggressum ? Noli itaque dicere : *Si male agerem, jam in me Deus dedisset vindictam ;* sed potius obsecro videas captum te detineri a diabolo, in ejus te degere potestate, sicuti et illi reges, quorum operam Josias persecutus est rex. Cur blasphemias exsecremur tuas, cur resistamus iniquis conspirationibus tuis, videmur tibi esse injuriosi : sic et Judæis, quorum imitatores estis, videbantur contumeliosi, superbi sanctissimi prophetæ, beatissimique apostoli. In libro Amos prophetæ : *Et misit,* inquit (*Amos.* VII, 10), *Amasias sacerdos in* [m] *Bethel ad Hieroboam regem Israel, dicens : Conventum facit adversum me* [n] *Amos in media domo Israel : non poterit terra sufferre verba ejus. Propter* [o] *quod hæc dicit Amos : In gladio morietur Hieroboam, Israel autem captivus ducetur a terra sua. Et dixit Amasias ad Amos : Vade,* [p] *discede in terram Juda, et ibi commorare, et ibi prophetabis. In Bethel autem jam* [q] *non adjicies prophetare, quia sanctificatio regis est, et domus regni*

[a] *Juda,* et *in excelsis.* Sabat.

[b] Εἰς τὸν χειμάῤῥουν. Græc. *In convalle* apud Sabat. qui omittit *extra.*

[c] Error profecto typographi : corrige *de Gabaa usque Bersabee.* cum Sabat., qui præterea legit *destruxit* pro *detraxit.*

[d] Corrigo in hoc voce Luciferum : rescribendum enim, *Pheth, quod erat in Gehenam,* aut *Gehennam, Gehennom, Gehenennom.* Nimirum his nominibus donatur ea vallis. Et legebat Lucifer τὸ φὲθ τὸ pro Τόφεθ τὸ, quod habet editio Complutensis. *Cotel.* lib. 2 Constit. Apostol. cap. 22.

[e] *Perduxerat,* et *in ignem :* apud Sabat.

[f] Hæc partim corrupta vitio librarii, partim diversa, et ignoto e fonte hausta, ita lege ex Sabat. : *Abstulit quoque equos, quos dederant reges Juda, soli in introitu templi Domini juxta exedram Nathanmelech eunuchi, qui erat in Pharurim : currus autem solis combussit igni.* Hunc locum ita corrigit Cotelerius Tom. I. PP. Apostol. in not. 27 lib. 2 Constit. Apostolic. cap. 57 : *Et deposuit equos quos posuerant reges Juda soli ab introitu domus Domini ad pastophorium Nathan regis eunuchi, qui in Pharurim* (vel *Farradim*). *Et fontem solis combussit in igne.* Aut : *Et combussit equos quos posuerant reges Juda soli ab introitu domus Domini ad pastophorium, quod posuit regis eunuchus, qui in Pharurim.* etc. (*Nathan* enim nomen proprium significat *posuit*). In Græco : Καὶ κατέκαυσε τοὺς ἵππους οὓς ἔδωκαν βασιλεῖς Ἰούδα τῷ ἡλίῳ ἐν τῇ εἰσόδῳ οἴκου Κυρίου εἰς τὸ γαζοφυλάκιον Ναθὰν βασιλέως τοῦ εὐνούχου ἐν Φαρουρίμ· καὶ τὸ ἅρμα τοῦ ἡλίου κατέκαυσεν πυρί. Bochartus in Hieroz. legit κατέπαυσε ἵππους. Γαζοφυλάκιον verti potest *pastophorium,* ut vetus Scholiastes annotat ad Ezech. XL, 17, aut *exedram,* ut Hieronymus ibidem observat ; hinc librarii error in Lucifero, ubi *pastorium* pro *pastophorium :* pro ἅρμα vero, id est *currum,* Lucifer legit νᾶμα, *fontem :* et alii legunt in Græco, ἐν πυρί, *in igne,* ut Lucifer ipse.

[g] Ut in Græco, οἴκου.

[h] *Equas.* Vatic.

[i] Et hæc apud Sabat. diversa : *Altaria quoque, quæ erant super tecta cœnaculi Achaz, quæ fecerant reges Juda, et altaria, quæ fecerat Manasses in duobus atriis templi Domini, destruxit.... in torrentem Cedron.* Græc. pro *templi* habet *domus,* ut in nostra edit.

[j] Ita rursum Sabat. *Et excelsa, quæ erant in Jerusalem ad dexteram partem montis Amissa, quæ ædificaverat..... et Chamos idolo.* Gallandius pro *Mulcro* legendum ait *Moloche ;* ego potius *Milchon* scripsisse Luciferum sentio, ut vertit Theodotion ; unde facilior librarii error.

[k] *Quod erat.* Sabat., sed *erat* abest etiam a Græco.

[l] *Incendit.* Vatic. κατέκαυσε, in Græco.

[m] Vers. Ant. *Sacerdos Bethel... Congregationes facit contra te Amos in medio domus..... sustinere omnes sermones* etc.

[n] *Adversum te* Vatic. et Sabat.

[o] Cum Græco, διότι. Vers. Ant. *Hæc enim.... de terra sua.*

[p] Vers. Ant. *Qui vides, egredere, recede..... et ibi vive* etc. quæ a librario per incuriam omissa autumat Gallandius ; quis tamen id certo affirmet ?

[q] Vers. Ant. habet *ultra* pro *jam,* et *domus regni,*

erit. Et respondit Amos, et dixit ad Amasiam : Non eram propheta [a], *neque filius prophetæ sum ego, sed pastor eram caprarum vellicans, et assumpsit* [b] *me Dominus de ovibus : et dixit ad me : Vade prophetare in plebem meam Israel. Et nunc audi verbum* [c] *Domini : Tu dicis : Non prophetabis in Israel, et non congregabitur in domo Jacob. Propter hoc* [d] *hæc dicit Dominus Deus : Uxor tua in civitate prostabit, et filii tui et filiæ tuæ gladio decident, terra tua funiculo metebitur, et tu in terra immunda morieris, Israel autem captivus duretur a terra sua* [e]. Cum hæc esse facta videris ab eo, qui veritatem et correptionem populo suo erranti voluerat nuntiari, cur dicas nos insolentes, cur contumeliosos, quia quæ sunt erratico tibi vera dicamus ? quia non tuam audiamus vocem dicentem, *Nolite credere sicuti crediderunt patriarchæ, prophetæ, apostoli, ac martyres, sed credite quomodo tradiderit Arius* ? In quibus rebus apud te superbi invenimur ? nisi in hoc quod sacrilegia tua exsecremur, præceptaque tua ut gladios atque venena vitemus. Non hoc factum a nobis est primum : omnes illi, qui jam Deo placuerunt hanc tenentes fidem, quam nos prædicamus, istud fecerunt ; nemo mortem timuit suscipere pro Deo ex ejus servis, nemo famulorum ejus cogitavit tormentorum genera quæ a vobis inferuntur tyrannis, sed illius præcepta ante oculos habuit. Sic Tobias gloriosus præcipuus invenitur factus apud Dominum, dum non comperditi tui regis timet edictum, sed solum totum potentem Deum. Hæc ita esse ipsi crede Tobiæ dicenti : *Ubi* [f] *venit Sennacherim rex, de Judæa fugiens* (*Tob.* I, 21) *propter defensionem quam fecit ex illis Dominus, propter blasphemias illius quæ blasphemavit, et occidit in ira sua multos ex filiis Israel : ego autem corpora illorum involabam, et sepeliebam : et* [g] *renuntiatum est regi, quoniam sepelio, et quærebat ut occideret me. Ego autem fugi, et direpta est omnis substantia mea, et nihil mihi remansit plus quam uxor mea Anna, Tobias* [h] *filius meus. Et* [i] *contigit post dies quadraginta quinque, occiderunt regem illum filii ejus, et regnavit Arcedonossar filius ejus pro eo illic. Et* [j] *cum venissem in domo mea, et reddita est* [k] *mihi uxor mea Anna, et filius meus Tobias. In Pentecoste die festo nostro, qui est sanctus ex* [l] *septimanis, factum est mihi prandium bonum* (*Tob.* II, 1), *et discubui ut pranderem, et posita est mihi mensa, et vidi pulmentaria quamplurima, et dixi Tobiæ filio meo : Vade et adduc quemcumque pauperem inveneris ex fratribus nostris qui sunt captivi in Ninive, qui tamen in mente habent* [m] *Deum in toto corde suo ; hunc adduc ; et manducet pariter mecum hoc prandium : ecce sustineo te, fili, donec venias. Et exiit* [n] *Tobias inquirere aliquem pauperem captivum ex fratribus nostris, et reversus dixit mihi : Pater. Et dixi : Quid est, fili ? Et dixit mihi : Ecce unus de natione nostra occisus laqueo circumdato, projectus est. Et exii relicto prandio meo, antequam aliquid ex illo gustarem ; et* [o] *tollo illum de platea in unum locum apud me, donec sol occideret, ut illum sepelirem : et reversus lavi, et manducavi prandium meum cum luctu, et rememoratus sum sermonum prophetæ Amos, quos* [p] *locutus est in Bethel, dicens : Convertentur dies festi vestri in luctum, et omnia cantica vestra in lamentationem : et lacrymatus sum. Et postquam sol occidit, abii et fodi, et sepelivi illum : et omnes proximi mei deridebant me dicentes : Quomodo non timet hic homo ? jam enim inquisitus est hujus rei caussa ut interficeretur, et fugit,* [q] *et iterum sepelire cœpit mortuos.* Cum conspicias itaque Dei servos non vestram crudelitatem tyrannorum semper timuisse, ac nunc timere posse, sed præcepta cogitasse Domini ac cogitare, quomodo tu nos dignaris petulantes judicare ? nempe quia faciente Deo tuam calcemus ut lutum potentiam : hoc non faciunt vires nostræ, sed tribuit illius misericordia quem exsecrari dignaris in nobis. Dicit Deus ad Eze-

omisso *erit*.

[a] *Propheta ego, neque filius prophetæ : sed pastor vellicans sycamina.* Ead.

[b] *Et tulit.... ex ovibus : et dixit Dominus.... et prophetiza super populum meum*, etc. Ead.

[c] *Sermonem.... Noli prophetare super Israel, et ne congreges audientes contra domum Jacob.* Ead.

[d] *Propterea.... Dominus : Uxor.... fornicabitur.... in gladio cadent, et.... dividetur.... de terra*, etc. Ead. In Græco, καταμετρηθήσεται, *dimensurabitur*, cum Lucif. *metetur*.

[e] *In terram suam* legit Sabat. hic.

[f] Vers. Ant. *Quos occidisset Sennacherim rex..... Dominus cœli de illo, ob blasphemias illius, multos enim filiorum Israel occidit in ira sua. Ego corpora illorum involvebam : et quærebat illa rex. et non inveniebat.* Hæc autem ex Lucif. *quæ blasphemavit*, et *involabam*, ferme cum mss. Regin. Suec. *quibus blasphemavit*, et Germ. *occulte auferebam*, apud Sabat. Idem legit *Sennacherib* in Lucifero.

[g] Sabat. habet : *quia sepeliebam.* Vers. Ant. *Et renuntiatum est illi quoniam ego sepeliebam illos, me occidere.* Ms. Germ. *regi.* Græc. θάπτω, *sepelio*, uti Lucif.

[h] *Et Tobias.* Vers. Ant. *Uxor Anna* legit Sabat. omisso *mea*.

[i] Vers. Ant. *Et contigit dum laterem.... duo filii sui, et fugerunt in montem Ararath. Et regnavit post eum Archedonassar..... pro illo.* Mss. Germ. hæc cum Lucifero : *Et contigit ut post dies quadraginta et quinque occiderunt regem illum filii ipsius.*

[j] Fere cum Græco : Ὅτε δὲ κατῆλθον εἰς τὸν οἶκόν μου, καὶ ἀπεδόθη, etc. Vers. Ant. postquam quædam alia adjecit, quæ omittit etiam Vulgata : *Et descendi in Ninive in domum meam.*

[k] *Reddita esset.* Vatic.

[l] Cum ms. Germ. *a septimanis.* Vers. Ant. *In Pentecosten.... a septem annis, et..... pulmentaria complura.*

[m] Ita ms. Germ. ubi *et manducet.* Vers. Ant. *Habet...., ut manducet pariter nobiscum.* Sabatier. legit *habet* etiam in Lucifero.

[n] Hæc cum ms. Germ. *et exiit Tobias inquirere ;* cum Græco, εἷς ἐκ τοῦ γένους ἡμῶν, *unus de genere nostro.* Vers. Ant. *Abiit Tobias quærere..... et ego dixi..... et ait mihi..... unus ex fratribus nostris..... projectus jacet in publico. Et exsilivi.... quicquam ex illo*, etc.

[o] Convenit cum ms. Germ. *et tollo illum de platea in unum locum apud me.* Vers. Ant. *et sustuli illum..... in domum* etc. *Sustuli* etiam in Lucif. legere Sabat. videtur.

[p] Vers. Ant. *Quod locutus est in Bethleem.... omnes dies* etc.

[q] *Et perdidit substantiam suam*, additur in Vers. Ant. quæ tamen absunt etiam a Græco. *Occideretur* pro *interficeretur* habet eadem.

chielem prophetam (*Ezech.* II, 3) : *Fili hominis, mitto te ad domum Israel, quia amaricaverunt* [a] *me ipsi, et patres eorum usque in hodiernum diem. Et dices ad illos : Hæc dicit Dominus : Si audierint aut trepidaverint quoniam domus amaricans est, et cognoscent quoniam propheta es tu in medio eorum : et tu, fili hominis, ne timueris eos, neque trepidaveris a facie eorum, quoniamne furiabuntur, et concurrent super te in circuitu, et in medio scorpionum tu inhabitas; sermones eorum ne timueris, et a facie eorum ne trepidaveris, quoniam domus amaricans est : et loqueris verba mea ad eos, si forte audierint vel expaverint quoniam domus amaricans est.* Contumaces videmur tibi, ut iste Deo soli dicatus videbatur propheta illis, quorum tu tenebras sequeris; nempe hinc Ezechiel propheta apud Judæos coapostatas tuos contumax, hinc superbus regibus videbatur Israel, quia Domini impleret mandata, qui eisdem loqueretur quæ præcepisset eum loqui Deus. Recte nos superbos appellas, nos, per quos omnia præcepta sua voluit ad populorum credentium perferri notitiam : recte, inquam, insolentes designas nos Dei antistites, si nos ea tibi dicamus, quæ voluerit Deus dici ad vos. Odis amantes te, persequeris bene tibi cupientes, sed non metuere possumus frendores carnificinæ tuæ. Audis etenim Dominum dicere : *Et tu, fili hominis, ne timueris eos, neque trepidaveris a facie eorum, quoniam effuriabuntur, et concurrent super te* [b], *et in medio scorpionum tu habitas : sermones eorum ne timueris, a facie eorum ne trepidaveris, quoniam domus amaricans est* (*Ibid.* 6). Non, inquam, possumus metuere minas imperii tui, quia nullæ sunt vires tuæ scorpiaces [c] adversum nos, quos Dei virtute tegi cernas, quorum esse defensorem ac protectorem Deum advertas. Non itaque cessabimus tibi Domini ingerendo præcepta, illi solimet uni servantes timores, qui dicit : *Fili hominis* (*Ib.* III, 4), *ingredere ad domum Israel, et loquere sermones meos ad eos, quoniam non ad populum alti sermonis tu mitteris ad Israel, neque ad populos multos aliæ vocis aut aliæ linguæ, neque graves qui sint in lingua, quorum non audies sermonem : et si ad tales misissem te, illi forsitan audissent sermones tuos : domus autem Israel nolent* [d] *audire te, quoniam nolunt audire me, quoniam tota domus Israel contentiosi* [e] *sunt, et duri corde. Et ecce dedi faciem tuam potentem adversus facies eorum, et constantiam tuam confortabo adversus contentionem eorum, et eris semper firmior petra, ne timueris ab eis, neque expaveris a facie eorum, quoniam domus amaricans est.* Metuere te quis poterit nostrum, quos videas potentia

A Dei solidatos atque firmatos ad tuam contumaciam retundendam fixo gradu stare contra tuam rabiem, immobiles ut saxa mole solent robusta æquor contra tumidum? Hinc nos judicas hostes tuos, quia te urgeamus Dei fieri servum ex scorpione. Nunc etenim unum te esse ex scorpionibus non [f] poterit dubitari ex illis, dictum de quibus audisti prophetæ a Domino : *Et tu, fili hominis, ne timueris* [g] *neque trepidaveris a facie eorum, quoniam effuriabuntur, et concurrent super te in circuitu, et in medio scorpionum tu habitas* (*Ib.* II, 6). Hinc tibi injuriosi sumus, quia videas te a nobis scorpium vocari. Si non te esse scorpium dixisset Deus, merito me diceres contumeliosum : nunc vero actibus te tuis manifestas esse scorpium, et es frustra clamitans contumeliam te pati a nobis, Deus te scorpium

B esse dicit, et mihi irasceris cur te eo vocem nomine? Quæ hæc contumelia est, si dicatur tibi : *Nisi te verteris ad Deum, eris semper unus ut nunc es ex scorpionibus, ex vastissimis unus inimicis Dei?* Percurre reliqua Ezechiel prophetæ, et aude me dicere insolentem, superbum, contumeliosum, contumacem : *Et factum est* (*Ib.* III, 16) *verbum Domini ad me dicens : Fili hominis, ecce dedi te speculatorem domus Israel, et audies de ore meo sermonem, et comminaberis eis a me in eo quod dicam ad sceleratum : morte morieris : et non distinxisti illi, neque locutus es, ut distingueres scelerato avertere a viis suis, ut vivat, ille sceleratus in injustitia sua morietur, et sanguinem ejus de manu tua inquiram : et tu si distinxeris scelerato, et non aversatus fuerit ab scelere suo, et via sua, sceleratus ille in injustitia sua morietur, et tu animam*

C *tuam liberabis : et in eo, in quo adversatur justus a justitiis suis, et faciet delictum : et* [h] *dabo tormentum in facie ejus, ipse morietur, quoniam non distinxisti illi, et in peccatis suis morietur, eo quod non sint in memoriam justitiæ ejus, et sanguinem ejus de manu tua exquiram : tu autem si distinxeris justo ne derelinquat* [b], *et ipse non derelinquat, justus ille vivens vivet, quoniam distinxisti illi, et tu animam tuam salvabis.* Quid, Constanti, dicis ad hæc? tacendumne sacerdotibus Dei erit, et mandata celare divina eis? An dignum est aperire tibi cuncta præcepta Domini? omnem voluntatem perferemus ne Dei ad vos nobis commissos? an eam ad nosmet jugulandos vobis fraudabimur? Sanguinem etenim tuum dicit Dominus requisituruma me : quinimmo si non obedieris Deo, cujus nos tibi ingerimus

D divina monita, tu in tuo morieris sceleratus scelere, et a nobis jam non requiretur salus animæ tuæ; quoniam quidem minis tuis non fuerimus territi, sed solum timuerimus eum, qui præter se neminem mandarit timendum; quoniam quidem ut temet eri-

[a] Id est, *ipsi me exacerbarunt, et exasperarunt, me amarum erga ipsos reddiderunt.* Sæpenumero hoc verbo utitur, etiam in participio, ut sequitur paulo inferius : *Quoniam domus amaricans est.* Til.

[b] *Super te in circuitu.* Vatic. uti paulo superius, ubi *inhabitas... et a facie*, pro *habitas... a facie.*

[c] Haud recte Gallandius corrigit, *scorpio tu es*; nec Tiliana editio habet *scorpiace es*, sed *scorpiaces*, id est *vires tuæ scorpiaces*; ubi melius legerem *scorpiaceæ*, nimirum *scorpio similes*, qui latenter, sed graviter ferit : sed Lucifero non insolens est nova procudere nomina.

[d] Ut in Græco, μὴ θελήσουσιν. Sabat. *nolunt.*

[e] Item cum Græco, φιλόνεικοί εἰσι, καὶ σκληροκάρδιοι. Apud Sabat. *Contentiosa est, et duro corde.*

[f] *Non poteris.* Vatic.

[g] *Eos* addit supra.

[h] *Delinquat*, utroque in loco apud Sabat. Forte mendum inest edit. nostræ.

peres a nefandis semitis tuis, in [a] nomine Domini Dei conveniremus. Ne tibi imperatori viderer [b] facere contumeliam, quid me agere oportuit tempore, quo te judico natum ad nos Dei servos a via vertendos veritatis? Cum [c] in Nabuchodonosor Holofernem virtutis suæ principem misisset, et Jerosalem obsideret, quid orat Judith Deum? nempe ut destrueret inimicos Israel. Numquid dixit: *Custodi insurgentes adversus domum tuam? Domine Deus patris mei Simeon, qui* [d] *dedisti gladium in ultione alienigenarum, qui violaverunt vulvam virginis in coinquinationem, et denudaverunt femur in consummationem, et coinquinaverunt matricem in improperium: dixisti enim: Non sic erit, et fecisti; propter quod* [e] *dedisti principes eorum in occisionem, et torum eorum qui accepit dilectam in sanguinem, et percussisti servos super potentes, super thronos eorum: et dedisti mulieres eorum in prædam, et filias in captivitatem, et omnem* [f] *prædam in divisionem filiorum dilectorum, qui æmularunt zelum tuum, et abominaverunt* [g] *coinquinationem generis tui, et invocaverunt te in adjutorium tuum: Deus meus exaudiet me viduam. Tu enim fecisti priora* [h] *eorum cum illis, et illa postea, et nunc, et quæ supervenientia. Omnes enim viæ tuæ paratæ, creatura* [i] *tua in providentia. Ecce enim Assyrii repleti sunt in virtute sua, et exaltati sunt in equo et ascensore, et gloriati sunt in brachio peditum, speraverunt in clypeis, et tenso arcu* [j], *et fundibulis* [k], *et nescierunt quoniam tu es Dominus, qui* [l] *conteres bella, Dominus nomen est tibi. Tu* [m] *projice illorum vires, æterne, contere illorum plenitudinem virtute tua, et deduc eorum tenacitatem in ira tua: cogitaverunt enim frustrare sancta tua, coinquinare tabernaculum requietionis tuæ, nominis honorifici tui, apprehendere ferro cornu altaris tui. Respice in fastigio* [n] *eorum: da in* [o] *manu mea viduæ quam cogitavi virtutem, et percute* [p] *os eorum labiis persuasionis meæ in principe, et principem super servum suum: quassa substantiam ejus in manu viduæ* [q]. *Non enim in multitudine virtus* [r] *tua, sed nec potentia, neque datum tuum in fortibus: sed humilium es Deus, infirmorum adjutorium, infirmorum susceptor, desperatorum salvator, etiam* [s] *Deus patris mei, et Deus hæreditatis Israel. Domine dominator cœlorum et terræ, creator aquarum, rex totius creaturæ, exaudi obsecrationem meam, da* [t] *versutiam et suasionem in vulnere, et in livorem eorum, qui adversus testamentum et domum sanctam tuam, et vertices Sion, et domui retentionis filiorum tuorum cogitaverunt* [u] *dura facta super omnem gentem et tribum omnem. Sciant* [v] *quia tu es Deus universæ potestatis et virtutis, et non est alius defensor generis Israel præter te* (*Judith.* IX, 2 *et seq.*). Quid ad hæc prudens mens tua sentire dignabitur?

[a] Hæc de conventibus Mediolanensis Concilii, quels Lucifer interfuit, recte possunt intelligi.

[b] Forte *videremur*, ut superiori *conveniremus* respondeat. *Galland.* Sed alia illi interpunctio: *Conveniremus, ne tibi viderer*, etc. *Quid agere*, etc.

[c] *Cum enim.* Latin. recte.

[d] Vers. Ant. *Cui dedisti in manu gladium in ultionem..... in coinquinatione..... femur in confusione..... in improperio..... pro quibus egerunt in sanguine virginis, et dedisti..... et torum ejus, qui recepit..... et præposuisti servos..... super sedes*, etc. Ms. Germ. *Qui dedisti ei gladium. ... in improperium..... propter quod.....* Ms. Corb. in plurali, *percusserunt servos*, Græc. ἐπὶ θρονούς αὐτῶν, *super thronos eorum*: hæc cum Lucif. Sabatierius legit: *Dedisti ei gladium in ultionem..... propter* (omisso *quod*) *dedisti*, etc.

[e] Tiliana lectio corrupta hic dicitur a Gallandio, qui autumat ita ab auctoribus Lugdunensis Biblioth. PP. fuisse exscriptam: *et fecistis; propter*. Sed vel pro arbitrio *fecistis* scripsere, vel mendum typographo excidit; germana enim Tilii lectio hæc est, quam præ manibus habeo: *et fecisti, propter quod*, addito *quod* ex correctionibus ad calcem editionis Tilianæ subjectis.

[f] Vers. Ant. *Omnia spolia.....et abominati sunt..... sanguinis sui..... in adjutorium sibi: Domine..... exaudi*, etc. Ms. Corb. *omnem prædam* cum Lucif. Sabat. quoque habet *exaudi* pro *exaudiet*.

[g] Pro *abominati sunt*. Til. ut in Vers. Ant.

[h] *Priora eorum cum illis;* cum ms. Germ. *et illa postea. et nunc, et quæ supervenientia*, cum Græco: καὶ τὰ μετέπειτα, καὶ τὰ νῦν, καὶ τὰ ἐπερχόμενα. Vers. Ant. *Priora illorum, et posteriora, et nunc quæ futura sunt*, additis aliis quæ ex parte desunt etiam in Vulgata.

[i] Vers. Ant. *Et judicia tua.* Ms. Germ. et Pech. cum Lucif. *creatura tua*. Sabat. Legit in Lucif. *creaturæ tuæ*.

[j] Contendit hic Gallandius legendum esse, *et gæso, et arcu*; sed potior nobis lectio est Vers. Ant. quæ cum Lucifero congruit.

[k] *Fundibalis*. Vers. Ant.

[l] Cum mss. Germ., Pech., Corb. ex Sabat. Vers. Ant. *Conteris..... Dominus enim*.

[m] Ms. Germ. cum Lucif. *Frustrare sancta tua..... tabernaculum requietionis tuæ et nominis honorifici tui, apprehendere*, etc. Vers. Ant. *Contere virtutem illorum, Deus æterne; comminue multitudinem illorum in virtute tua, confringe potestatem..... cogitaverunt enim contaminare..... et coinquinare..... requiei nominis majestatis tuæ, et dejicere*, etc.

[n] *In superbiam.* Vers. Ant. quæ addit, *et mitte iram in capita illorum. In fastigia*, mss. Germ. et Corb.

[o] Cum Græco, ἐν χειρὶ μου. Vers. Ant. *In manum meam*.

[p] Græc. hæc cum Lucif. Πάταξον..... ἐπ' ἄρχοντι, καὶ ἄρχοντα ἐπὶ θεράποντι αὐτοῦ. Ms. vero Pech. *os eorum*, ut præfert Tiliana editio in correctionibus ad calcem subjectis, quod Gallandius non animadvertit. Vers. Ant. *Et percuties eos ex labiis suasionis meæ, principem*, etc.

[q] *Ut sciant omnia regna, quoniam tu es Deus*, addit Vers. Ant.

[r] Cum ms. Pech. *virtus tua. sed nec potentia:* cum Germ. *infirmorum susceptor*. Vers. Ant. *Tua est, neque in potentia, nec..... in fortibus prævalet..... et infirmorum adjutor, et humilium susceptor, et*, etc. *Prævalet* abest a Græco, uti a Lucif.

[s] Ita in Græco. καὶ, ὁ θεὸς τοῦ πατρός μου. Cætera cum ms. Germ. Vers. Ant. quæ aliter interpungit cum Sabatierio: *Itaque, Domine Deus .... tu exaudi*, etc.

[t] Græc. fere cum Lucif. in his: Δὸς λόγον μου, καὶ ἀπάτην..... οἱ κατὰ τῆς διαθήκης σου.....καὶ οἴκου καταχθονίου..... ἐδουλώσαντο, etc. Vers. Ant. *Et da versutiam in suasione, et vulnus, et livorem eorum, qui sunt adversus testamentum tuum..... et domum possessionis..... qui cogitaverunt dura. Inspice et fac super omnem gentem et omnem tribum scientium.*

[u] Gallandius scribit, *hæc vitiata esse procul dubio ab inscito librario, et ita reformanda ad Græc. Vatic. Cogitaverunt dura. Et fac*, etc. propius Vers. Ant.

[v] Vers. Ant. *Ut sciant quoniam.*

Numquidnam poteris dicere post hanc Deo fusam contra religionis hostes obsecrationem, quod enim nos malo ordine te contra nitamur, quia dicamus tibi, *Aut corrige vias tuas pravas, et noli tibi in imperii tui placere potentia, aut cognosce ad nihilum te perventurum?* Quid aliud nos hodie facimus Dei servi, ejus divinæ magnitudinis sacerdotes, nisi quæ fecerunt illi, quorum cupimus inveniri imitatores? Puto etenim dignum esse non derelinquere populos nobis commissos in tanta hac a te illata persecutione, sed eos hortari, [a] quod enim potens sit cujus summus nos eripere de inimicorum suorum manibus, non esse te metuendum hostem Dei domus; advertendum quod sis nihil, quia videlicet noster Deus ac Dominus omnia potens ad nihilum redacturus sit omnia contra ejus domum instituta impia tua conamina. Quæ hic tibi injuria fit a nobis? quæ ingeritur Imperatori Romano contumelia ab antistitibus Dei vivi, si ut aut vitam æternam habeas rogaris aut dicatur tibi propterea quod contra Dei susceperis arma domum, nisi te correxeris, ingenti exitio sis interiturus? Qua etenim de re tibi cunctorum Dei domus inimicorum proferimus interitum? nisi ut aut metu Dei territus temet mutes, aut cum temet in æternum esse feceris [b] punitum, nos securi ex omni triumphemus parte; quia et tuus sanguis a nobis non possit a Deo requiri, et quia interitum adversariorum ecclesiæ ejus videremus. Persevera denique in hac tua injustitia, et invenies quæ te pro tantis consequitur [c] meritis. *Superbia inflatus est*, inquis, *Lucifer*; quia vera tibi dicat. Quid me jubebas facere tempore isto, quo tu antichristi præcursor ad nos interficiendos arma contra Dei levasti domum? tempore quo exstitisti unici Filii Dei negator? Taceremne? et te lupum venientem ad Dei vastandum gregem sinerem? An dignum fuisse censes obviam pastores tibi iremus siccis parato faucibus ad nosmet nobiscum [d] commissos transvorandos? Magnalium fuerat satis, ut mulier ista Deo cupiens placere Judith manu interimeret sua hostem; et nos ne quidem verbo tibi a Domino restitissemus instituti

[a] Forte, *quod cum potens sit Deus, cujus summus, nos*, etc. Galland. sed Lucifero frequens est locutio *quod enim* pro *quia*; quo in loco sensus est: *sed eos hortari, quia potens*, etc., *non esse te metuendum*, etc. ad mentem vero Gallandii ita legendum præterea esset: *sed eos hortari; quod, cum*, etc., *tu non es timendus*, etc.

[b] *Sciveris puniendum.* Galland. minus recte; sensus enim est, *cum jam in æternum damnatus eris tua culpa*, etc.

[c] *Consequentur.* Lat. et Galland. *Consequuntur.* Til. vel *consequitur pœna.*

[d] Illud *nobiscum* importunum videtur: aut legendum *nobismet commissos, nobiscum transvorandos.* Galland. sed correctio ad calcem editionis Tilianæ habet, *nosmet nobiscum commissos*, id est, *inter nos discordes.*

[e] Græc. τίθησιν. Vers. Ant. *dat.*

[f] *Mercenarius autem, et qui non est pastor..... dimittit oves....., eas, et disperguntur oves.* Vers. Ant. Tertull. lib. de Fuga in persec. *derelinquit.* Cypr. in epist. ad Cler. Carth. *dispergit* cum Lucif.

[g] Eadem in ms. Cantabrig. Vers. Ant. addit: *pastores?* Dicit Dominus in Evangelio (*Joan.* x, 11): *Pastor bonus animam suam ponit* [e] *pro ovibus: qui* [f] *mercenarius est, et non est pastor, cujus non sunt oves propriæ, videt lupum venientem, et relinquit oves, et fugit; et lupus rapit illas et dispergit, quoniam mercenarius est, et non pertinet ad eum de ovibus.* Quid itaque nobis erat gerendum, ne tibi contumeliosi exstitisse videremur? Cognovimus te lupum, vidimus ad oves te tetendisse Domini manus, conspeximus te uno tempore conatum laniare cunctos Domini invocantes nomen. Numquidnam fuerat dignum non pastores, sed mercenarios exhibere nos? Petro dicit beato: *Pasce* [h] *agnos meos* (*Ib.* xxi, 16). Et iterum: *Pasce oviculas meas* (*Ibid.* 17). Et tu veniens lupus vis eos, qui successores exstitisse inveniuntur beato Petro, vicem gerere mercenariorum? eos quos jampridem per Jeremiam promiserat populo suo dicens: *Et dabo vobis pastores secundum cor meum, et pascent vos pascentes cum disciplina* [i]: et non dixit: *Dabo vobis Constantium imperatorem, qui vos possit in diaboli vertere prædam* (*Jer.* III, 15). Dicas nos male agere, quia sacrilegio tuo resistamus virtute protecti Dei. Videamus quid etiam tempore, quo contyrannus tuus Antiochus persecutor nostræ religionis exstitit quid fecerint hi, qui meminerant præter Deum neminem timendum. Sed prius est cognoscas, quæ ille, cui tu similis es, scripserit; sic etenim poteris intelligere illos Dei servos, quoniam [j] nos cupimus inveniri participes, restitisse Antiochi sacrilegio, sicut et nos tibi Deo propitio resistamus. Loquitur sancta scriptura dicens in Machabæorum primo libro: *Et scripsit rex* [k] *omni regno suo, ut esset universus populus unus, et relinquerent unusquisque legitima sua. Et* [l] *receperunt omnes gentes secundum verbum regis, et multi ex Israel consenserunt* [m] *simul cum illis, et polluerunt sabbatum. Et misit rex libros in* [n] *manu nuntiorum Jerusalem, et civitates Judæ, ut irent post legitima exteræ terræ, et prohibere* [o] *holocausta, et sacrificium, et libationem de sanctificatione,* [p] *contaminare sabbata et dies solemnes, et* [q] *polluere*

mercenarius autem fugit: quia conductitius, etc. Græc. μισθωτὸς: *mercenarius*, cum Lucif.

[h] *Pasce oves meas.* Vers. Ant. utroque in loco.

[i] Dixit Lucifer *cum disciplina*, quo *scientiam* et *doctrinam* intellexit. *La Cerda.*

[j] *Quorum.* Latin.

[k] Vers. Ant. *Rex Antiochus... relinqueret... legem tuam.* Ms. Alex. omittit *Antiochus*, uti Lucif. Græc. τὰ νόμιμα αὐτοῦ cum Lucif. *Relinquerét* legit etiam hic Sabatierius.

[l] Vers. Ant. *Consenserunt... regi Antiochi.* Abest a Græco, *Antiochi*, uti a Lucif.

[m] *Consenserunt servituti ejus, et sacrificaverunt idolis, et coinquinaverunt*, etc. Vers. Ant.

[n] *Per manus nunciorum in Jerusalem, et in omnes... ut sequerentur leges gentium terræ.* Bad.; mss. Germ. convenit omnino cum Lucif.

[o] Ita in Græco. Vers. Ant. *Et prohiberent et sacrificia et placationes fieri in templo Dei.* Sabat. legit *prohiberent* in Lucif.

[p] Vers. Ant. *Et prohiberent celebrari sabbatum.* Græc. cum Lucif. in quo *contaminarent* apud Sabat.

[q] *Et polluerunt.* Sabat. *Et jussit coinquinari sancta,*

sanctificationem, et statuere [a] *delubra et idola, et immolare porcinam, et pecora communia, et* [b] *relinquere filios suos incircumcisos, et polluere animas eorum in omni immunditia et abominatione, ita ut obliviscerentur legem, et mutarent justificationes : et* [c] *quicumque non fecisset secundum verbum regis moreretur. Secundum* [d] *omnia verba hæc misit scripta universo regno suo, et fecit consideratores super populum : et* [e] *mandavit civitatibus Juda immolare per civitatem et civitatem : et congregati sunt multi de populo ad eos* [f] *omnes derelinquentes* [g] *legem, et fecerunt mala in terra* (I *Machab.* I, 43, *seq.*). Et infra (*Ib.* 57): *Et ædificaverunt* [h] *abominationem desolationis super altare, et in civitatibus Juda in circuitu struxerunt aras ; et* [i] *in ostiis domorum, et in plateis incendebant : et* [j] *libros legis invenerunt, et succenderunt igne conscissos, et apud quem inveniebatur liber testamenti, et si quis consentiebat legi, constitutio* [k] *regis interficiebat eum. In* [l] *virtute sua faciebant ad Israel, his qui inveniebantur in omni mense et mense in civitatibus ; et quarta* [m] *et vicesima mensis sacrificabant super aram, quæ erat super altare : et* [n] *mulieres quæ circumciderant natos suos, interficiebant secundum præceptum : suspendebant* [o] *infantes a cervicibus eorum* [p], *et in domos eorum, et eos qui circumciderant eos : et* [q] *multi in Israel obtinuerunt, et confirmati sunt in eis, ut non manducarent communia, et susceperunt mori, ut non polluerentur escis, et* [r] *non profanarent testamentum sanctum. Et* [s] *facta est ira magna super Israel nimis in diebus illis. Et* (*Ibid.* II, 1) [t] *surrexit Mattathias filius Joannis Simeonis, sacerdos filiorum Joarib ab Jerusalem, et* [u] *huic filii quinque.* Et infra (*Ibid.* 6) : *Et viderunt blasphemias* [v] *quas faciebant in Juda et in Israel, et* [x] *dixit : Heu me, ut quid istud factus sum videre contritionem populi mei, contritionem sanctæ civitatis, et sederunt illic cum daretur in manu inimicorum sanctificatio* [y] *in manu exterorum?* Et infra (*Ibid.* 11) : *Omnis* [z] *ornatus ejus ablatus est : ex libera facta est ancilla. Ecce* [aa] *sancta nostra, et speciositas nostra, et gloria nostra desolata est, et polluerunt eam gentes. Ut* [bb] *quid nobis adhuc vita? Et conscidit* [cc] *Mattathias et filii ejus vestimenta sua, et percooperunt : et eos, qui circumciderant illos, trucidabant, ut ita* Vers. Ant. Corrigit Latin. *Et domos eorum diripiebant,* ut in Græco, *et eos, qui circumciderunt eos, occiderunt.*

et sanctum populum Israel. Vers. Ant.

[a] *Statuerent* et *immolarent.* Sabat. Cætera conveniunt cum ms. Germ. Vers. Ant. *Et jussit ædificari aras et templa..... et immolari carnes suillas,* etc.

[b] *Relinquerent* et *polluerent*, apud Sabat. Græc. fere, ms. Germ. omnino convenit cum Lucif. præter additum *patrum suorum.* Vers. Ant. *Coinquinari animas..... in omnibus immundis, et abominationibus..... et immutarent omnes justificationes Dei.*

[c] Convenit cum ms. S. Theod. apud Sabat. præter hoc additum *regis Antiochi*, quod inest etiam Vers. Ant. in qua *fecissent*, et *morerentur.*

[d] Hæc cum Græco præter *misit scripta, in quo* ἔγραψε, et ἐπὶ πάντα τὸν λαὸν, pro, *super populum.* Vers. Ant. *Scripsit omni... et præposuit principes populo, qui hæc fieri cogerent.*

[e] Ita etiam Græc. Vers. Ant. *Et jusserunt civitatibus Juda sacrificare.*

[f] Vers. Ant. *Ad eos qui dereliquerant legem Domini... super terram.* Vox *Domini* abest a Græco, ubi ἐν τῇ γῇ, *in terra*, cum Lucif.

[g] *Omnis derelinquens.* Vatic. cum Græco, πᾶς ὁ ἐγκαταλιπών.

[h] Cum Græco, ὠκοδόμησαν. Cætera cum ms. Germ. Vers. Ant. *Ædificavit rex Antiochus abominandum idolum... Dei, et per universas civitates... ædificaverunt,* etc.

[i] Cum ms. Germ. Vers. Ant. *Ante januas... tura, et sacrificabant.*

[j] Ita fere in Græco : καὶ τὰ βιβλία τοῦ νόμου ἃ εὗρον ἐνεπύρισαν πυρὶ, κατασχίσαντες. Vers. Ant. *Libros legis Dei combusserunt igni, scindentes eos.*

[k] Legit Sabat. *Secundum edictum regis interficiebant eum.* Lex Vers. Ant. in qua præterea : *et apud quemcumque inveniebantur libri testamenti Domini, et quicumque observabat legem Domini, secundum edictum regis trucidabant eum.* Ms. Germ. cum Lucif. *Et siquis consentiebat legi, constitutio regis interficiebat eum.*

[l] Fere cum Græco. Vers. Ant. *Faciebant hæc populo Israel, qui inveniebatur*, etc. Sabatierius legit hic : *Faciebant hæc populo Israel.*

[m] *Quinta*, ms. Germ. quocum in cæteris convenit. Vers. Ant. *quinta et vigesima die*, et *contra altare.*

[n] Sic cum ms. Germ. in quo *interficiebantur.* Vers. Ant. *Circumcidebant filios suos, trucidabantur secundum jussum regis Antiochi.*

[o] *Et suspendebant.* Latin. cum Vers. Ant.

[p] Legit Sabat. *A cervicibus per universas domos eorum* Vers. Ant. Corrigit Latin. *Et domos eorum diripiebant,* ut in Græco, *et eos, qui circumciderunt eos, occiderunt.*

[q] Ferme ut in Græco : καὶ πολλοὶ ἐν Ἰσραὴλ ἐκραταιώθησαν, καὶ ὠχυρώθησαν ἐν αὐτοῖς τοῦ μὴ φαγεῖν κοινὰ καὶ ἐπελέξαντο ἀποθανεῖν, ἵνα μὴ μιανθῶσι τοῖς βρώμασι. Sabat. ita legit in Lucif. : *Et multi de populo Israel definierunt apud se, ut non manducarent immunda : et maluerunt mori, quam pollui escis immundis :* quæ cum Vers. Ant. conveniunt præter hæc : *Et elegerunt magis mori, quam cibis coinquinari immundis.*

[r] Cum ms. Germ. in quo additur, *et moriebantur.* Vers. Ant. *Et noluerunt infringere legem Dei sanctam, et trucidati sunt.* Sabat. legit *profanare* pro *profanarent.*

[s] Ita quoque in Græco præter, *in diebus illis*, quæ verba initium sunt capitis insequentis. Vers. Ant. *Ira magna super populum valde.*

[t] Eadem in Græco. Vers. Ant. *In diebus illis surrexit... filii Simeonis... ex filiis Joarib ab Jerusalem, et consedit in monte Modin.*

[u] Ut Græc. καὶ αὐτῷ υἱοὶ πέντε. Vers. Ant. *Et habebat filios quinque.* Hæc omittit Sabat.

[v] Græc. Τὰς βλασφημίας τὰς γινομένας ἐν Ἰούδᾳ. *Viderunt*, et *in Israel* cum ms. Germ. Vers. Ant. *Illi viderunt mala quæ fiebant in populo Juda et in Jerusalem.*

[x] Fere cum Græco, καὶ εἶπεν· Οἴμοι ἵνατί τοῦτο ἐγεννήθην ἰδεῖν τὸ σύντριμμα τοῦ λαοῦ μου, καὶ τὸ σύντριμμα τῆς... καὶ καθίσαι ἐκεῖ ἐν τῷ δοθῆναι, αὐτὴν ἐν χειρὶ ἐχθρῶν. Vers. Ant. *Et dixit Mattathias : Væ mihi, ut quid natus sum... et sedere illic cum datur in manibus inimicorum?* Sabat. legit sic : *Ut quid natus sum... et sedere illic cum datur... et in manu*, etc.

[y] *Et sanctificatio.* Latin. cum Græco : καὶ τὸ ἁγίασμα ἐν χειρὶ ἀλλοτρίων. Vers. Ant. *Sancta in manu extraneorum facta sunt.*

[z] Ita Græc. πᾶς ὁ κόσμος αὐτῆς ἀφῃρέθη. Ἀντὶ ἐλευθέρας ἐγένετο εἰς δούλην. Vers. Ant. *compositio*, et *quæ erat libera.*

[aa] Cum ms. Germ. *Ecce sancta nostra... gloria nostra... et polluerunt.* Cum ms. S. Theod. *eam.* Vers. Ant. *Et ecce... et pulchritudo... et claritas... et coinquinaverunt ea.*

[bb] Ita ms. Germ. Vers. Ant. *Quo ergo nobis adhuc vivere?*

[cc] Eadem ms. Germ. In Vers. Ant. *Et scidit... et operuerunt... et planxerunt valde.*

ruerunt se ciliciis, et luctum habuerunt valde. Et [a] *venerunt qui erant a rege, et compellebant discessionem in Modiin civitatem ut sacrificarent : et* [b] *multi Israel accesserunt ad eos. Et Matathias et filii ejus congregati sunt : Et* [c] *responderunt qui a rege missi fuerant, et aiunt Matathiæ dicentes : Princeps et nobilis et magnus es in civitate ista, et confirmatus* [d] *filiis : nunc* [e] *accede primus, et fac imperium regis, sicut fecerunt omnes gentes, et viri Juda et qui derelicti sunt in Israel ; et eris tu et filii tui amici regis et tu et filii tui gloriamini* [f] *argento et auro, et muneribus multis. Respondit Matathias voce magna, et dixit : Si* [g] *omnes gentes quæ in domo regis audiunt eum, ut discedat unusquisque ab officio patrum suorum, et elegerunt in mandata ejus, et ego* [h] *et filii mei ibimus in testamentum patrum nostrorum. Dominus propitius nobis sit, non* [i] *derelinquemus legem et justificationes : verbum* [j] *regis non audiemus, non declinabimus officium deservitionis nostræ dextra vel sinistra. Ut* [k] *cessavit loqui sermones istos, accessit vir Judæus in oculis omnium sacrificare in Modiin secundum præceptum regis : et* [l] *vidit Matathias, et zelatus est, et contremuerunt renes ejus, et attulit iram secundum judicium : et accurrens ad aram interfecit eum, et* [m] *virum regis qui cogebat immolare, occidit in illo tempore, et aram destruxit, et æmulatus* [n] *est in lege, sicut fecit Phinees Jambrim filio Salom. Et* [o] *exclamavit Matathias in civitate voce magna dicens : Omnis æmulus statuens testamentum exeat post me. Et fugit et ipse et filii ejus in montem, et reliquerunt quæcumque habebant in civitate.* Quid tale a nobis factum conspexisti, ut digneris dicere : *Contumeliam mihi fecit Lucifer?* Ille gladio occidit regis ministrum, sed et eum quem viderat de populo suo regis edicto [p] quam Dei temperasse; ego, quia tibi ac tuis verbo resisto et dico, *Non derelinquo apostolicam atque evangelicam fidem, sic credo quomodo crediderunt Abraham, Isaac, et Jacob patres nostri ;* inde apud te reus contumeliarum sum. Si fuisses inter manus Matathiæ istius zelantis Deum, aut in manu Phinees, cui testimonium in Numeris apud Moysen perhibet Deus, et alienigenarum more vivere tentares, sine [q] dubio te gladio interficerent, illi te gladio fuerant interfecturi : ego, quia verbo animum illum tuum cruore Christianorum madidatum vulnero, reus judicor contumeliarum a te. Cur, imperator, non ulciscéris te de me? cur contumelias tuas non digneris defendere, vindicare te de homine mendico? cur non satis agens [r] ? non quia nolis, sed quia tibi adhuc non fuerit data potestas ab eo, cujus me esse confidens tibi hæc libera dico voce, quæ quidem juxta tuos nefandos actus prava mihi videantur. Tibi omnibusque divitiis regni tui, patri [s] quoque tuo renuntiasse nos cum videris, et a fide nullo pacto recessuros, pollicitus [t] inspexeris, multum misereri [u] nos scias, quod cum ore gladii soleas displicentes tibi devorare, nobis [v] parcas. Credo [x] pietatis causa, et possumus istud sentire de tua lenitate. Nullum etenim te interfecisse, ex [y] nimia tua benignitate potui colligere. Dicis, *superbus est.* Unde tibi superbus esse

[a] Ita in Græco. Vers. Ant. *Venerunt illuc, qui missi erant a rege Antiocho, ut cogerent eos, qui confugerant in civitatem Modin, immolare, et accendere tura, et a lege Dei discedere.*

[b] Fere cum ms. Germ. Vers. Ant. *Et multi de populo Israel consentientes accesserunt ad eos : sed... constanter steterunt.*

[c] *Et respondentes qui missi erant ab Antiocho, dixerunt Matathiæ : Princeps et clarissimus... in hac civitate, et ornatus filiis et fratribus.* Vers. Ant. *Dicentes... et nobilis* cum Græco; *responderunt* cum ms. Germ.

[d] *Confirmatus filiis, et fratribus.* Vatic. cum Græco.

[e] Vers. Ant. *Ergo accede prior... jussum... remanserunt in Jerusalem, et eris... inter amicos regis, et amplificatos auro et argento.*

[f] Pro *gloriabimini.* Til. sed mendum inest fortasse in edit. quod Gallandius etiam corrigit ad Græc. δοξασθήσεσθε.

[g] Ut in Græco : Πάντα τὰ ἔθνη, τὰ ἐν οἴκῳ τῆς βασιλείας, ἀκούουσιν αὐτοῦ. Vers. Ant. *Et respondit... et si omnes gentes regi Antiocho obediunt.... a servitute legis patrum suorum et consentiat mandatis ejus.* Sabat. legit in Lucif. *Quæ in domo regis sunt.... et consentiant mandatis ejus.*

[h] Cum ms. Germ. præter *in testamento*, et additum *et fratres mei.* Vers. Ant. *Ego et filii mei et fratres mei obediemus legi* etc.

[i] Vers. Ant. *Non est nobis utile relinquere legem et justitias Dei.*

[j] Τὸν λόγον Græc. in Compl. Vers. Ant. *Non audiemus verba regis Antiochi, nec sacrificabimus transgredientes legis nostræ mandata, ut eamus altera via.* Δεξιὰν ἢ ἀριστεράν. Græc. cum Lucif.

[k] Eadem ms. Germ. præter *ante oculis*, et *super aram in Modiim.* Vers. Ant. *Et ut...., verba hæc.... quidam Judæus... idolis super aram in civitate Modin... jussum*, etc.

[l] Sic etiam in Græco. Vers. Ant. *Et vidit.... et doluit.... et accensus est furor ejus secundum judicium legis, et insiliens trucidavit eum super aram.*

[m] Omnino cum Græco. Vers. Ant. *Sed et virum, quem rex Antiochus miserat.... in ipso tempore.*

[n] Vers. Ant. *Et zelatus est legem..... Zamri filio Salomi.*

[o] Congruit penitus cum ms. Germ. Vers. Ant. *Omnis qui zelum habet legis, statuens..... Et fugit ipse.... in montes*, etc.

[p] Subaudiendum *magis*, vel *potius*, et hoc modo sæpe loquitur. Til.

[q] *Sine dubio* etc. Prius membrum a dormitante librario efformatum equidem puto. *Galland.* Videtur certe redundare.

[r] *Cur non sis agens.* Gall. minus recte; intellige potius, *cur non es satagens;* id est, *hac in re sollicitus.*

[s] Id est *diabolo.*

[t] *Publicitus.* Latin. qui sensum conjungit cum verbo *recessuros*, et probatur a Gallandio : sed aliter : *Tu pollicitus divitias, et dignitates inspexeris, nos non recessuros a fide promissis tuis allectos.* Vide, quæ animadvertimus in lib. *Moriendum esse pro filio Dei.*

[u] *Mirari.* Latin. sed recte *misereri*, id est, *super nos ipsos, qui pro Christo non interficimur.*

[v] *Nobis tamen.* Vatic.

[x] Hæc ad lenitatem illam, et philosophicam patientiam referri possunt, quam Constantius affectabat, vir cæteroquin sævissimus, quique Arianorum suorum consilio ideo martyrii consummati gloriam Lucifero denegavit, quia se ejusdem cupidum esse valde præseferebat. Vide Baron. ad an. 356, n. 68, 80.

[y] Εἰρωνικῶς dicta. De cædibus a Constantio patratis, absque religionis causa, leges plura in Amamiano Mrcellino.

videor? nempe quia audis a me ea te gerere, quæ semper fecerint hostes Dei religionis. Est officii mei, ut hæc ingeram tibi hæretico. Aut non es hæreticus? Si autem hæreticus es, cur me incusas, quod [a] enim sim tibi injuriosus, qui id facio te contra, quod me voluerit facere Deus? Loquitur sanctissimus propheta Jeremias dixisse ad se Deum: *Et tu accinge lumbos tuos, et surge, et dic omnia quæcumque mandavi tibi, et ne timeas a facie eorum, nec formides in conspectu eorum* (*Jer.* I, 17). Cum hæc ita sint, et nos urgeat necessitas officii nobis a Deo impositi, ut vobis agentibus dicamus, quæcumque vobis dici jusserit Deus, superest aut ut obedias Dei mandatis, conventus a me ipsius clementiæ servo ac sacerdote, aut probes de Scripturis sacris, fortassis quia rex sis, quod enim non liceat mihi te in nomine Domini convenire ut temet corrigas. Si probare non potes mihi prohibitum, sed invenire magis incipies mihi præceptum, ut te arguam, et increpem, et exhortier, et deprecer, et admoneam, atque provocem ad Deo placendum, cur me dicis tibi facere contumeliam? Eo etenim usque nobis antistitibus suis dedit potestatem ad vos nobis commissos increpandos, docendos, ut dixerit: *Ne timeas a facie eorum, ne* [b] *formides in conspectu eorum. Ecce posui te in hodierna die sicut civitatem firmatam, et sicut murum æreum, firmum, omnibus regibus Juda, et principibus ejus, et plebi terræ: et pugnabunt ad* [c] *te, et non poterunt adversum te, quia ego tecum sum, ut liberem te, dicit Dominus.* Quæ sunt quæ dicebat Jeremias regibus Juda, et principibus ejus, et plebibus terræ? nempe hæc quia dereliquerunt Dominum, et immolaverunt diis alienis. Hæc et tu fecisti ac facis: dereliquisti apostolicam atque evangelicam fidem, suscepisti hæresim Arianam, et cogis omnes idololatras fieri Dei servos: quia hæc audes, vocas superbos saluti tuæ cupientes consultum. Dicit Deus Jeremiæ: *Et tu accinge lumbos tuos, et exsurge* [d], *et dic omnia quæcumque dico tibi. Ne timeas a facie eorum, nec formides in conspectu eorum* (*Ibid.*). Et Constantius imperator indignaris cur tibi erranti dicamus: *Redi ad viam salutiferam, derelinque errorem per Arium instinctu diaboli inventum?* Deus se solum timendum mandat; præter se esse neminem formidandum præcepit; et tu ea statuisti implenda, quæ Domini auferant metum, et te faciant formidandum? Deus dicit Jeremiæ: *Ecce posui te in hodierna die sicut civitatem firmam* [e], *et sicut murum æreum, firmum, omnibus regibus Juda, et principibus ejus, et plebi terræ: et pugnabunt ad te, et non poterunt adversum te, quia ego tecum sum, ut liberem te, dicit Dominus* (*Ibid.* 18); et tu existimas te timeri posse a quoquam servorum Dei? Cur me dicis arrogantem, superbum? cur contumeliosum vocas? nempe quia te repererim operibus tuis esse unum ex illis de quibus beatus Joannes: *Audistis quia antichristus venit* [f]: *nunc autem antichristi multi sunt* (1 *Joan.* II, 18). Sic nos injuriarum reos designas, tamquam primi restiterimus ne idololatriam tuam in Dei introduceres Ecclesiam. Legisti in Machabæorum libro primo: *Et dixit vir proximo suo: Si omnes fecerimus sicuti et fratres nostri fecerunt, et non pugnaverimus adversus gentes pro* [g] *anima nostra, et justificationibus nostris, nunc citius disperdent nos a terra. Et cogitaverunt in die illa dicentes: Omnis homo, quicumque venerit ad nos in* [h] *bellum die sabbatorum, pugnemus adversum eum, et non moriemur omnes, sicut mortui sunt fratres nostri in occultis. Tunc congregati sunt ad eos* [i] *conventus fortis in viribus ab Israel, omnis voluntarius in lege, et omnes qui fugiebant a malis ad eos* [i], *et facti sunt illis in firmamentum* [k], *et* [l] *constituerunt virtutem, et percusserunt peccatores in ira sua, et viros iniquos in indignatione, et ceteri fugerunt ad nationes, ut se liberarent, et circumcidit Matathias et amici ejus, et destruxerunt aras, et circumciderunt pueros incircumcisos quotquot invenerunt in finibus Israel in* [m] *fortitudine, et persecuti sunt filios superbiæ, et prosperavit* [n] *opus in manu eorum, et obtinuerunt legem de manibus gentium et regum, et non dederunt cornu* [o] *peccatori* (1 *Mach.* II, 40, *seq.*). Quid sentire dignatur venenis [p] Arii sauciata mens tua? Quid poterit excogitari [q] contra hanc nostram defensionem morsibus serpentis concisum cor tuum? illos cum illa advertis egisse; nobis quiescendum fuerat ore tuo prolatis blasphemiis ad populum nobis divinitus commissum sauciandum? *Et circumivit*, inquit, *Matathias et amici ejus* (*Ib.* 45), *et destruxerunt aras, et circumciderunt pueros incircumcisos quotquot invenerunt in finibus Israel in fortitudine, et persecuti sunt filios superbiæ, et prosperavit opus in manu eorum, et obti-*

[a] Multis in locis illud *enim* redundat, ut apud Græcos particula δέ, sed apud Latinos sensum facit obscuriorem; et sæpissime ita loquitur. Til.

[b] *Nec* habet supra, et paulo infra pro *ne*.

[c] Apud Sabat. *contra te*.

[d] Paulo superius idem Lucifer: *Surge, et dic omnia quæcumque mandavi tibi: et ne timeas*, etc.

[e] *Firmatam* habet idem supra.

[f] *Quod.... sit venturus, nunc Antichristi multi facti sunt.* Vers. Ant.

[g] Ita Græc. in ms. Alex. ὑπὲρ τῆς ψυχῆς ἡμῶν. Vers. Ant. *Pro animabus nostris.*

[h] *In bello.* Vers. Ant.

[i] Sabatierius legit in Lucifero hic, *contra eos exercitus fortes*: et in lib. de non conv. cum hæret. *conventus fortes.* Vide etiam quæ notavimus pag. 15 (*hic col.* 778 *not.* [i]).

[i] Additur in lib. de non conv. cum hæret. et in Vers. Ant. *Addili sunt ad eos.* Sabat. legit hic *adversus eos.*

[k] Vide supra pag. 15 (*col.* 779, *lin* 3 *et not.* [a]), ubi Lucifer ipse delet *in*.

[l] Vide ibid. (*lin.* 6 *et not.* [b]) ubi *circuivit* pro *circumivit*.

[m] Cum Græco. Vers Ant. præpositis duobus punctulis, *et in fortitudine.*

[n] *Prosperavit* cum ms. Germ. *in manu eorum*, cum eodem et Græco. *In manus* habet Lucifer supra pag. 15 (*col.* 779), ubi vide n. 4 (*not.* [c]).

[o] *Cor* habet ibidem Lucifer pro *cornu*. Vide n. 3.

[p] Cum Latin. *venenis* subjicimus pro *venisse*, ut antea legebatur.

[q] *Excogitare.* Id.

nuerunt legem de manibus gentium et regum, et non dederunt cornu peccatori. Cum illi, hæc qui ita egerint, fuerint facti Deo amantissimi, nos tibi adulando, tecumque in tuo currendo scelere, fuerat dignum, ut tu es, efficeremur Deo inimicissimi? Si nos tibi hinc videmur injuriosi, quia idololatriam tuam suscipere nequiverimus, des unum, quæso, qui pepercerit ex Dei cultoribus adversariis ejus religionis. In secundo libro Esdræ, contradicentibus, ne domum, et templum, et civitatem in Hierosolymis Domino instaurarent, *Deus*, inquit, *cæli ipse prosperavit nobis, et nos servi ejus surgemus et ædificabimus, vobis autem non est* [a] *portio, neque mentio in Jerusalem* (II *Esd.* II, 20). Et infra dicentibus adversariis : *Numquid sacrificabunt? an manducabunt in loco suo? nonne ascendet vulpes, et demoliet* [b] *muros lapidum eorum* (*Ibid.* IV, 3)? Et hæc dicit ad Deum servus ejus Esdra : *Exaudi* [c], *Deus noster, quia facti sumus contemptibiles, et converte convitia ipsorum in capita ipsorum, et da illos ut sint in derisu, et in terra captivitatis; et ne operias iniquitatem ipsorum, et peccata eorum a facie tua non deleantur* (*Ibid.* 4). Quid tale nos circa te locuti sumus? est testis quem oravit Esdras, quemque et ego oro, et omnis per totum mundum constituta ejus orat beata ecclesia, mea circa te hæc esse vota, ut corrigas errores, sisque unus ex nobis. Conspice interea quomodo Dei homines neque adversarios timuerint, neque contra inimicos Dei domus precem fundendo desiverint, ut videlicet vires Dei religionis adversariorum fuissent deductæ ad nihilum. Sic etenim etiam sanctissimus Moyses dicit in cantico Exodi ad Deum : *Decidat* [d] *super eos timor et tremor magnitudinis brachii tui; fiant tamquam lapides donec transeat populus tuus hic quem acquisisti* (*Ex.* XV, 16). Talia illi ad Deum verba fecerunt [e] sibi traditis : nos quia tibi dicimus, *Aut convertere ad Deum, aut* [f] *habe certum quod Deus ad nihilum sit deducturus omnem inanem superbiam tuam*, videmur tibi petulantes. Conspice adhuc quid fecerit Matathias sanctissimus ille vir devotus Deo post tam illustria illa quæ egerit, quæ etiam in fine exitus sui dixerit ad filios, et vide an recto contra te ordine Dei hæc agamus sacerdotes. Loquitur Scriptura sancta dicens : *Appropiaverunt* [g] *dies Matathiæ moriendi, et dixit filiis suis : Nunc confortatus est superbia, et castigatio, et tempus everA sionis, et ira indignationis : nunc, filii, æmuli estote legis, et date animas vestras ad testamentum patrum nostrorum, et mementote operum patrum, quæ fecerunt in* [h] *sæculis suis, et accipietis gloriam magnam, et nomen æternum. Abraham nonne in tentatione inventus est fidelis, et reputatum est ei ad justitiam? Joseph in tempore angustiæ suæ custodivit mandatum, et factus est dominus Ægypti. Phinees pater noster in* [i] *zelando zelum accepit testamentum sacerdotii æterni. Jesus dum* [j] *impleret verbum, factus est dux in Israel. Chaleb dum testificatur in Ecclesia, accepit hæreditatem. David in sua misericordia consecutus est sedem regni in sæcula. Helias dum zelat zelum legis, raptus* [k] *est ad cœlum. Ananias, Azarias, et Misahel credentes liberati sunt de flamma. Daniel in sua simplicitate liberatus est de ore leonum. Et ita cogitate per generationem et generationem, quia omnes qui sperant in eum non infirmabuntur* [l]. *Et a verbis viri peccatoris non timueritis, quia gloria ejus in* [m] *stercore, et vermes : hodie extollitur, cras non invenietur, quia conversus est in terram suam, et cogitatio ejus peribit* [n]. *Filii, confortamini, et* [o] *prævalete in lege, quia in ipsa gloriosi eritis. Et ecce Simeon frater vester, scio quod vir consilii est; illum audite* [p], *ipse vobis pater erit. Et Judas Machabæus fortis viribus a juventute sua, sit vobis principalis* [q] *militiæ, et expugnabit bellum : et adducetis ad vos omnes factores legis et vindicate vindictam populi vestri, retribuite retributionem gentibus, et intendite in præceptum legis* (I *Mach.* II, 49, *seq.*). Quando itaque videas talia præcepta dedisse illis, et ea mandasse fieri quæ etiam fecerit ipse, cum doceat sic patriarchas, prophetas et cunctos justos Deo placuisse, quid nos, in tenebrosæ, ne tibi contumaces videremur, voluerat facere? Cessissemusne tibi mortuo vivi, Dei servi satelliti diaboli? cum cernas istum Matathiam dicere ad filios : *Et ita cogitate per generationem et generationem, quia omnes qui sperant in eum non infirmabuntur. Et a verbis viri peccatoris non timueritis, quia gloria ejus in* [r] *stercore, et vermes : hodie extollitur, et cras non invenietur, quia conversus est in terram suam, et cogitatio ejus peribit* (*Ibid.* 61). Ne tibi injuriosi videamur, parcamus tibi Dei domum destruenti, tibi qui hodie vis, et cras eris in vermes et stercore, et hanc trahamus apud Deum offensam, quo tecum mereamur redigi ad nihilum. Cognosce post hæc, quid etiam filii

[a] Apud Sabat. *Non est portio, jus neque mentio.*

[b] Ubi *demoliet*, quod non est in usu, pro *demolietur* dicit, id est, *destruet ac diripiet muros lapideos civitatis eorum.* Til.

[c] *Exaudi nos*, legit Sabatierius.

[d] Hæc cum ms. Germ. Vers. Ant. *Cecidit...magnitudine... lapis, donec pertranseat populus tuus, Domine, usquedum... tuus, Domine, hunc quem acquisisti.*

[e] *Pro sibi traditis.* Galland.

[f] *Pro certo scias, sis certus, quod Deus ad nihilum tuam reducet superbiam.* Til.

[g] Vers. Ant. *Appropinquaverunt... nunc ergo, o filii æmulatores....pro testamento patrum vestrorum.*

[h] Cum ms. Germ. Vers. ant. *In generationibus suis.*

[i] Cum eod. Vers. Ant. *Zelando zelum Dei.*

[j] *Dum implevit.* Vers. Ant.

[k] *Receptus est in cœlum.* Ead.

[l] Cum Græco. Vers. Ant. *Infirmantur.*

[m] Fere cum Græco, εἰς κόπρια, καὶ σκώληκας. Vers. Ant. *Stercus et vermis est.* Melius legerem in Lucif. *stercora* cum Galland. Sabat. legit, *Ne timueritis.... et vermis.*

[n] Ita ms. Germ. Vers. Ant. *Et cras...periit. Et cras* habet idem Lucifer paulo infra.

[o] Ita in cod. ms. Vers. Ant. *Vos ergo....et viriliter agite.*

[p] Vers. Ant. *Ipsum audite semper, et ipse,* etc. Lucifer cum ms. Germ.

[q] Vers. Ant. *Princeps militiæ, et ipse agel bellum populi.*

[r] *Stercore ejus.* Vatic.

Matathiæ istius religiosissimi fecerint, si timuerint concarnificis tui manum, si exercitum illius ante oculos habuerint, et non Dominum nostrum, quem omnia potentem, ut nos credimus, credentes contra hostem omnibus suis viribus semet erexerint. *Et surrexit Judas qui vocabatur Machabæus filius ejus* [a] *pro eo : et adjuvabant eum omnes fratres ejus, et universi qui se conjunxerant patri ejus ; et præliabatur* [b] *prælium Israel cum lætitia : et dilatavit gloriam populo suo, et* [c] *induit se lorica sicut gigas, et succinxit vasa bellica sua, et prælia constituit, protegens castra gladio : et similis factus est leoni in operibus suis, et sicut catulus leonis rugiens in* [d] *venationem : et persecutus est iniquos, et perscrutans* [e], *et hos qui perturbabant populum suum, succendit : et* [f] *subducti sunt iniqui præ timore ejus, et omnes operarii iniquitatis conturbati sunt, et prospera facta est salus in manu ejus. Et exacerbabat reges multos, et delectabat* [g] *Jacob in operibus suis, et usque in sæcula memoria ejus in benedictione : et perambulavit in* [h] *civitatibus Juda, et disperdidit impios omnes ex ea, et avertit iram ab Israel : et nominatus est usque ad novissimum terræ, et congregavit pereuntes* (*Ib.* III, 1, *seq.*). Illi tali zelo accensi contra Dei domus fecerunt inimicos ; nobis te contra non fuerat surgendum, ne dicti fuissemus petulantes ? Sed bene me petulantem diceres, si non recte contempsissemus sacrilegum edictum tuum [i]. Respice etenim comperditi tui quid præceperint duces Judæorum apostolis, et contra quid fecerit beatorum chorus apostolorum, et invenies nos non esse petulantes, sed et tibi et nobis consultum esse cupientes. *Petrus autem et Joannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam. Et quidam vir claudus ex utero matris suæ portabatur* [j], *quem quotidie ponebant ad januam templi quæ dicitur Speciosa, ut peteret eleemosynam ab introeuntibus in templum. Hic* [k] *cum vidisset Petrum et Joannem introeuntes in templum, rogabat elecmosynam. Intendens* [l] *autem in illum Petrus cum Joanne dixit : Aspice in nos. At* [m] *ille respexit in eos, sperans se aliquid accepturum ab eis. Ait* [n] *autem illi Petrus : Argentum et aurum non habeo, sed quod habeo, hoc tibi do : In nomine Jesu Christi Nazareni surge et ambula. Et* [o] *apprehensa dextra manu ejus erexit eum, confestimque confirmati sunt pedes ejus et plantæ, et exsiliens stetit et ambulabat* [p], *et intravit cum illis in templum ambulans ac saliens, laudans Deum. Et vidit eum omnis populus ambulantem et laudantem Deum, et cognoscebant* [q] *quia ipse erat, qui ad eleemosynam sedebat ad Speciosam portam templi, et repleti sunt pavore et admiratione in eo quod acciderat ei* (*Act.* III, 1, *seq.*). Et infra (*Ib.* IV, 1) : *Loquentibus autem illis ad populum hæc verba, insurrexerunt* [r] *sacerdotes et pontifex templi, et Sadducæi, dolentes* [s] *quod docerent plebem, et annuntiarent in Jesum resurrectionem mortuorum, et injecerunt in eos manus, et posuerunt in custodia* [t]. Et infra (*Ib.*, 13) : *Videntes Petri* [u] *constantiam et Joannis, et comperto quod homines imperiti sint et sine litteris mirabantur : cognoscentes etiam illos, quia cum Jesu erant : hominem etiam videntes cum ipsis stantem qui curatus erat, nihil* [v] *poterant contradicere. Cum* [x] *jussissent autem illos foras extra concilium discedere, conferebant ad invicem, dicentes : Quid faciemus hominibus his* [y] ? *Nam quia notum factum est signum per ipsos omnibus habitantibus Jerusalem, manifestum est, et non possumus negare : sed ne amplius innotescant* [z] *in populum verba hæc, comminemur illis ne amplius loquantur in nomine hoc ulli hominum. Con-*

[a] *Ejus* delere videtur Sabatier.

[b] *Præliabantur*. Vers. Ant.

[c] Hæc omnino ex Græco usque *gladio*, quod habet ἐν ῥομφαίᾳ, *in gladio*. Vers. Ant. *Loricam.... succinxit se arma bellica sua in prœliis, et protegebat castra gladio suo.*

[d] Ex Græco. Vers. Ant. *Similis* (sine *et*)..... *in venatione.*

[e] Itidem ex Græco : ἐξερευνῶν, καὶ τοὺς ταράσσοντας τὸν λαὸν αὐτοῦ ἐφλόγιστ. Vers. Ant. *Iniquos, perscrutans eos, et qui conturbabant.... eos succendit flammis.*

[f] Conveniunt hæc cum ms. Germ. præter *iniqui*, in quo *inimici*, Græc. ἄνομοι. Vers. Ant. *Et repulsi sunt inimici ejus.... et directa est salus* etc.

[g] Cum ms. Germ. Vers. Ant. *Lætificabat,... et in sæculum.* Sabatierius addit *erit* in Lucif.

[h] Ἐν πόλεσιν Ἰούδα. Græc. Cætera cum ms. Germ. Vers. Ant. *Civitates Juda, et perdidit impios ex eis.* Sabat. quoque legit in Lucif. *civitates Juda.*

[i] De quo plura in vita Lucif. et in lib. *de non conveniendo cum hæreticis.*

[j] Vers. Ant. *Constitutus portabatur.*

[k] *Qui.... incipientes introire..... eleemosynam accipere ab eis.* Vers. Ant. *Accipere* deest in Græc. quibusdam, ut in Lucif.

[l] Cum Græco, ἀτενίσας, et βλέψον, *aspice*. Vers. Ant. *Intuens..... in eum..... Respice in nobis.* Sabat. legit, *Aspice nos.*

[m] Ὁ δέ, Græc. Vers. ant. *Qui respexit eos.*

[n] Vers. Ant. *Dixit autem Petrus... non est mihi... quod autem habeo.*

[o] *Apprehensa manu ejus dextera*, cum Cod. reg. Vers. Ant. *Et apprehendens eum dextera manu, elevavit : confestim autem confirmati sunt ejus gressi et plantæ.*

[p] Vers. Ant. *Ambulabat gaudens : et introiit una... et exsiliens et collaudans Deum. Gaudens* abest a Græco, ut a Lucifero.

[q] Vers. Ant. *Cognoscebant autem eum, quoniam hic erat.... repleti sunt stupore.... quod attigit ei.*

[r] *Adstiterunt eis sacerdotes et præpositus templi.* Ead.

[s] Cum Græco *dolentes*, διαπονούμενοι, et *annuntiarent*, καταγγέλλειν. Vers. Ant. *Indignantes propter quod docerent ei populum, et prædicarent.*

[t] Græc. ἔθεντο εἰς τήρησιν. Vers. Ant. *Et injiciebant eis..... eos in custodiam in crastinum.*

[u] Cum ms. reg. Vers. Ant. *Fiduciam..... et comperti quoniam..... inlitterati essent, et privati... cognoscebant autem eos* etc.

[v] Ex Græco, οὐδὲν εἶχον. Vers. Ant. *Qui sanatus fuerat, nihil habebant cont.* In Lucif. *fuerat* legit Sabat.

[x] Vers. Ant. *Jubentes autem eos foras consilii abire, conferebant invicem.* Græc. ἔξω τοῦ συνεδρίου, et πρὸς ἀλλήλους, cum Lucif.

[y] Vers. Ant. *Istis? quoniam quidem..... per eos.... manifestum, et non* etc. Ms. reg. cum Lucif. *manifestum est.*

[z] Vers. Ant. *Sed ut ne amplius serpant in plebem verba ista, minis minemur eis, ne ultra..... nomine isto.*

sentientibus [a] *autem omnibus, accersientes eos, præceperunt illis ne omnino loquerentur neque docerent in nomine Jesu. Respondentes autem Petrus et Joannes dixerunt* [b]*: Si justum est coram Deo vos audire potius quam Deum, judicate; non enim possumus nos quæ* [c] *vidimus et audivimus, non loqui. At illi comminantes* [d] *dimiserunt eos, non invenientes quomodo punirent eos propter populum. Omnes enim honorificabant Deum in facto. Annorum erat plus quadraginta homo, in quo factum est signum* [e] *sanitatis. Dimissi* [f] *autem venerunt ad suos, et retulerunt quanta ad illos principes sacerdotum et seniores dixerunt. At* [g] *illi cum audissent, uno animo levaverunt vocem ad Dominum et dixerunt : Domine tu Deus qui fecisti cœlum, et terram, et mare, et omnia quæ in eis sunt, qui per Spiritum sanctum, et os patris nostri David pueri tui dixisti* [h]*: Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania? adstiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum adversus Dominum et adversus Christum ejus? Convenerunt enim vere in hac civitate adversus* [i] *sanctum Filium tuum Jesum, quem unxisti, Herodes et Pontius Pilatus cum gentibus et populis* [j] *Israel, facere quæ* [k] *manus tua et consilium præfiniit. Et nunc, Domine, respice in minas eorum, et da servis tuis cum omni fiducia loqui verbum tuum, dum* [l] *extendis manus ad sanitates, ac signa et prodigia facienda per nomen sancti filii tui Jesu. Et cum* [m] *orassent, motus est locus in quo erant congregati, et repleti sunt omnes Spiritu sancto, et loquebantur verbum Dei cum omni fiducia.* Si collegisti jam, cuncta cur hæc protulerimus, si imbibisti omne penitus præscriptionis nostræ desiderium, dicere audebis ulterius nos esse petulantes? quandoquidem videas nec apostolos beatos temperasse ducibus Judæorum, nec minis succubuisse eorum, sed magis intrepide semper duxisse ad effectum, sibi delegatum totidem etiam Dei populum non solum non fuisse perterritum comminationibus incredulorum, sed etiam fuisse obsecratum, ut fiduciam loquendi, constantiamque defendendi veritatem fuisset apostolis suis dignatus tribuere Deus. Si igitur hoc et ab apostolis factum est beatis et populis Deo dicatis, et non sunt neque contumaces neque petulantes dicti a Deo, quod restiterint inimicis ejus, quomodo nos dicimur a te superbi, petulantes, contumeliosi, qui, licet peccatores, tamen sanctam teneamus fidem apostolorum, atque illorum populorum, qui credentes fuerant in unicum Dei Filium? cum apostolis idcirco superbi, quia vocem tuam apostatæ, quia terrores tuos sacrilegi Christi milites ducamus pro nihilo, quia Dei Filium, verum Dei prædicemus Filium, sicut prædicaverint beatissimi apostoli. Sic nos tibi protervi, petulantes, superbi videmur, ut Judæis videbantur sanctissimi apostoli, quibus, si hodie fuissent in corporibus, potueras hæc dicere quæ dignaris dicere ad nos. Invenimus etenim semper præceptum eis ore comblasphemorum tuorum Scribarum, Pharisæorum, principum, atque pontificis Judæorum, ne docerent, neve prædicarent unicum Dei Filium : tamen quid illi fecerint, accipe adhuc quæ scripta sunt, ne [n] forte possit tenebris saginatum cor [o] tuum ad videndam adduci veritatem : *Per manus apostolorum fiebant signa, et prodigia multa in* [p] *plebe : et erant uno animo omnes in porticu Salomonis; cæterorum autem nemo audebat ad* [q] *illos accedere, sed magnificabat illos plebs : magisque* [r] *addebantur credentes Domino multitudo virorum ac mulierum, ita ut in plateis ejicerent infirmos* [s]*, et imponerent in lectulis et grabatis, ut veniente Petro vel umbra inumbraret aliquem eorum: et liberabantur ab infirmitate sua. Concurrebat* [t] *autem multitudo vicinarum civitatum Jerusalem, portantes infirmos, et eos qui a spiritibus immundis vexabantur, et omnes sanabantur. Exsurgens* [u] *autem princeps sacerdotum, et omnes qui cum illo erant hæresis*

[a] *Consentientibus autem omnibus*, et *præceperunt illis*, cum ms. Cantabrig. Hæc desunt Vers. Ant. quæ habet ; *Et arcessientes eos præceperunt omnino ut non loqu.*

[b] Vers. Ant. *Dixerunt ad eos : Si hoc vobis justum videtur ante conspectum Dei, vobis magis obaudire*, etc.

[c] *Ea, quæ.* Vers. Ant. *Ea* deest et in Cantabrig. ms.

[d] *At illi autem administrantes... nihil invenientes... punirent eos, timentes populum... gloriabant... in facto isto.* Vers. Ant. Græc. cum Lucif. διὰ τὸν λαὸν, absque *timentes*, et ἐπὶ τῷ γεγονότι, absque *isto*.

[e] *Signum hoc.* Vers. Ant. *Hoc* abest etiam ab Iren. lib. III c. 12.

[f] Omnino cum ms. Cantabrig. Vers. Ant. *Illi autem,.... et annuntiaverunt.... ad eos*, etc.

[g] Ferme cum eod. præter *unanimiter... ad Deum... tu es Deus.* Vers. Ant. *Qui cum.... unanimiter sustulerunt vocem suam ad Deum.... tu Deus fecisti.... in illis sunt.* Sabat. legit *audivissent* pro *audissent*.

[h] Ut Iren. lib. III. c. 12. Vers. Ant. *Dicens : ut quid.*

[i] Ut idem ibi. *Super.* Vers. Ant.

[j] *Populo.* Vers. Ant.

[k] *Quanta... consilium tuum præfinivit fieri... super minas.* Eadem.

[l] *In eo quod manum tuam extendes in sanitatem, et signa, et prodigia fieri.... pueri tui.* Ead.

[m] *Et precatis eis..... cum fiducia omni volenti credere.* Ead.

[n] *An forte.* Galland.

[o] *Cor tuum aliquando.* Vatic.

[p] Vers. Ant. *In populo ..... unanimiter ..... in templo congregati, in portico.* Sabat. legit cum Vers. Ant. *Per manus autem.*

[q] *Conjungere eis ..... eos plebs.* Vers. Ant.

[r] *Magis autem adjiciebantur ..... virorum quoque et mul.* Ead. *Magisque.* In Ms. Cantabr. Sabatierius legit. in Lucif. *Magisque augebatur credentium in Domino* etc.

[s] Vers. Ant. *Ægrotos, et ponerent ante eos .... vel umbra ejus obumbraret alicui .... et liberarentur ab omni valetudine, quam habebant.* Græc. ὑ σκιά, simpliciter, uti Lucif. Sabatierius legit *ponerent*, et *obumbraret*.

[t] Cum Græco, συνήρχετο δὲ. Cum Ms. Cantabrig. *Et qui vexabantur ab spiritibus immundis.* Vers. Ant. *Quamobrem concurrebat et multitudo conjunctarum ... in Jerusalem, afferentes secum ..... et vexatos a spiritibus immundis, qui curabantur universi.*

[u] Vers. Ant. *Et hæc videns* (quæ absunt etiam in Ms. Cantabr.) ..... *cum eo constituta hæresis .... repleti sunt zelo.*

Sadducæorum, repleti sunt invidia, et injecerunt manus [a] *apostolis, et posuerunt illos in custodiam. Angelus autem Domini aperuit* [b] *januas carceris, et eduxit illos, dicens : Ite, et stantes in templo loquimini omnia* [c] *verba vitæ hujus. Cum* [d] *hæc itaque audissent, introierunt sub luce in templum, et docebant. Adveniens autem princeps sacerdotum, et qui cum eo erant, convocaverunt concilium, et omnem congregationem filiorum Israel, et miserunt in carcerem ut eos adducerent. Venerunt* [e] *autem ministri, et non invenerunt illos in carcere, et regressi renuntiaverunt dicentes : Quoniam* [f] *carcerem quidem clausum invenimus in omni diligentia, et custodes stantes in janua : cum aperuissemus autem, neminem intus invenimus. Ut autem audierunt hos* [g] *sermones principes et pontifex sacerdotum, hæsitabant de illis, quid illud esset. Adveniens autem quidam renuntiavit illis, dicens* [h] *: Ecce viri quos posuistis in custodia, in templo sunt stantes et docentes populum. Tunc abiit princeps* [i] *cum ministris et adduxit illos, non cum vi : timebant etenim populum ne lapidarentur. Cum autem adduxissent eos, statuerunt* [j] *eos in concilium : et interrogavit eos sacerdos dicens : Denuntiatione* [k] *denuntiavimus vobis ne doceretis in hoc nomine, et ecce replestis Jerusalem doctrina vestra, et vultis inducere super nos sanguinem hominis illius. Respondens autem Petrus et apostoli dicentes* [l] *: Utrum obedire oportet Deo an hominibus* (*Ibid.* v. 12)? Si igitur Deo est obediendum et non hominibus, cur nos contumaces, cur nos injuriosos vocas, quos videas Dei obedire præceptis? *Audientes* [m] *autem hæc fremebant,* dicit scriptura (*Ibid.* 33), *et cogitabant eos occidere.* Ita et tu retines nos in custodias, minitaris interficere, quia sis eo obsessus spiritu, quo capti detinebantur Judæi atque detinentur. Si non eo captus immundo spiritu detineris, cur nos prohibes confiteri ac prædicare unicum Dei Filium? Angelus Dei producens apostolos ex Judæorum consilesperatorum tuorum [n] carcere : *Ite,* [o] *docete in templo verba vitæ hujus* (*Ibid.* 20) : et tu tollens sacerdotes de ecclesia Dei in carcerem conjiciendos putasti, ne prædicaremus verbum vitæ. Interea oro te respondeas, quid [p] sit inter te et consortium, quem verso ordine Sirmienses [r] vocant Photinum? Quid intersit, quid distet rogaris distinguas. Ecce si tunc dixerint ad apostolos principes et pontifex et omne concilium Judæorum, *Vultis introducere* [s] *super nos sanguinem hominis illius* (*Ibid.* 28) ; etiam Photinus hominem tantum profitetur Dei Filium, dicit [t] illum non fuisse ante beatam Mariam : tua quoque hæc est professio, quod enim ante omnia quidem, hoc est, ante cœlos, terram, mare, et omnia quæ in eis sunt, Dei sit Filius, sed quod constiterit ex nihilo, sed quod creatura sit. Quid interesse arbitraris inter te et Paulum [u] Samosate-

[a] *Manus suas in Apostolos... eos in custodia publica.* Vers. Ant. *Suas* deest in Mss. quibusdam Græc.

[b] *Per noctem aperuit ostia ..... cumque eduxisset eos, dixit.* Vers. Ant.

[c] *Loquimini plebi.* Ead. *Ad populum.* Vatic.

[d] Græc. ἀκούσαντες δὲ. Vers. Ant. *Exeuntes autem de carcere .... diluculo in templo .... et omnes seniores filiorum ... adducere eos.* Sabatierius legit : *Ad carcerem ut adducerentur.*

[e] Vers. Ant. *Ministri autem adventientes .... eos in carcerem .... reversi autem pronuntiaverunt.* Græc. ἀπήγγειλαν cum Lucif.

[f] Ex Græco : Ὅτι τὸ μὲν δεσμωτήριον εὕρομεν κεκλεισμένον ἐν πάσῃ ἀσφαλείᾳ. Vers. Ant. *Cum omni diligentia ..... ad ostium; aperientes autem,* etc.

[g] Cum Græco, τοὺς λόγους. Cum Ms. Cantabr. *hæsitabant.* Vers. Ant. *Verba hæc sacerdotes, et magistratus templi, et principes sacerdotum mirari cœperunt et confundebantur mente de his, quidnam vultesse hoc.* Sabat. legit hic in Lucif. *Magistratus templi et principes sacerdotum.*

[h] Ut in Græco λέγων. Vers. Ant. *Nuntiavit eis, quia ecce .... in carcere .... plebem.*

[i] Vers. Ant. *Magistratus in templo,* Græc. στρατηγὸς simpliciter.

[j] Vers. Ant. *Statuerunt in concilio, et princeps sacerdotum.*

[k] Ita Græc. παραγγελίᾳ παρηγγείλαμεν. Sabat. legit in Lucif. ut in Vulgata : *Præcipiendo præcepimus.* Vers. Ant. *Nonne præcipiendo præcepimus ..... ne docealis .... doctrinæ vestræ .... hominis hujus.* Interrogatio abest. in Mss. quibusdam, ut in Lucif.

[l] Vers. Ant. *Dixerunt : Obedire oportet Deo magis,* etc.

[m] Vers. Ant. *At illi audientes hæc disecabantur.... interficere.*

[n] *Ut tu, et Ariani tui, qui hæresi sua Judaismum profitentur, negantes Jesu Christi divinitatem.*

[o] Vide paulo superius eadem verba, quæ hic aliquantum immutat.

[p] Nihil re vera, quod ad ipsam hæresis substantiam, Ariani a Photinianis discrepabant : Photinus tamen Christum Dei Filium ita purum fuisse hominem docuit, ut tunc primum exstiterit, cum in utero Virginis conceptus fuit ; Ariani vero ante creaturas omnes creatum fuisse prædicabant. In Concilio tamen Sirmiensi an. 351. juxta Petavium damnatus fuit ab ipsis Arianis hanc quidem ob causam specie tenus ; sed re quidem vera, *cum Constantius,* uti Baronius ad an. 357. animadvertit, *Photino non esset impietate secundus, ut se pium Catholicumque, et hæreticis adversarium ostentaret, tamquam in scena ludum, Photinum adduxit in medium, et contra eum Episcopos Arianos;* in edita vero Fidei formula, quæ prima est Sirmiensis, οὐσίας vocem, et *similitudinis,* et *imaginis* omiserunt, *Filium Deum de Deo* esse affirmantes, prolato anathemate contra eos, qui dicerent, *ex non existentibus, aut ex altera hypostasi esse Verbum, vel fuisse tempus aliquando, cum non esset :* quæ tamen omnia callide ad decipiendum, suamque tegendam impietatem decreta. Hanc larvam hic detegit Lucifer, dum Photinum Constantio socium, suumque quasi amicum in impietate appellat.

[q] Id est, *inter eum qui tecum, ac sicut tu, versatur in tenebris :* nam σκότος *tenebræ* sunt. Alludit contrario nomine ad Photini nomen. *Til.* Per antiphrasim nimirum ; *Photinus* enim a φῶς, quod *lumen* significat, derivatur.

[r] Ita correximus ex Cod. Vatic. ubi antea *Smyrnienses* legebatur, et inferius *Smyrnensum.* Sirmii enim Episcopus erat Photinus, licet, quo tempore hæc Lucifer scribebat, e gradu, ac dignitate ab ipsis Arianis dejectus.

[s] *Inducere* supra idem Lucifer.

[t] *Et dicit illum non fuisse.* Galland.

[u] Paulus Samosatenus Dominum Jesum Deum, ac Dei natura Filium esse negavit, meramque humanitatem eidem attribuit : ejus error in Synodo Antiochena damnatus fuit an. 265. atque iterum in altera Synodo ibidem celebrata an. 270, et ipse damnatus,

num, vel cum tum ejus discipulum tuum consecutinum [a], nisi quia tu ante omnia dicas, ille vero post omnia? Cæterum una vobis crudelitatis [b] atque incredulitatis mens est, ut diceretis, non habere Deum [c] verum Filium. Contra videte, quomodo sit credens sancta ecclesia. *Credimus* [d] *in unum Deum Patrem omnipotentem, visibilium* [e] *et invisibilium, factorem, et in unum Dominum Jesum* [f] *Christum Filium Dei natum de Patre* [g], *hoc est de substantia Patris, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, natum non* [h] *factum, unius* [i] *substantiæ cum Patre, quod Græci dicunt ὁμοούσιον, per quem omnia facta sunt, sive* [j] *quæ in cœlo, sive quæ in terra sunt, qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit, et incarnatus est, homo* [k] *factus est, passus est, resurrexit* [l] *tertia die, ascendit* [m] *in cœlum, venturus* [n] *judicare vivos et mortuos: Credimus* [o] *et in Spiritum sanctum.* Conspicis fidem apostolicam, evangelicamque esse hanc, quæ semper Filium cum Patre regnasse et regnare defendat, quæ fateatur et perfectam esse divinam Trinitatem, et unam habere substantiam. Cæterum quid inter ecclesiam et vos hæreticos vel Judæos erat inter, si non sic crederet beata ecclesia? quæ sancta fides, ut sciretis quid in vobis punit Domini ecclesia, dixit atque dicit de vobis: *Eos* [p] *autem qui dicunt: Erat quando* [q] *non erat, et priusquam nascerétur non erat, et quia ex* [r] *nullis existentibus factus est, vel* [s] *ex alia substantia, dicentes mutabilem* [t] *et* [u] *convertibilem Filium Dei, hos anathematizat catholica et apostolica ecclesia.* Propter hanc sanctam fidem recludebantur apostoli in carcerem, vincula accipiebant, verberibus per horarum momenta vexabantur, ne mundo revelarent veritatem, et tamen prædicare eo voluerunt usque quo etiam mactati fuissent. Et dicis nos maximæ esse homines contumaciæ, quia videlicet viam teneamus apostolorum? quia tibi dicamus, erraticum te factum? Quid fecerit [v] Herodi beatus Baptista Joannes? *Herodes autem tetrarcha cum corriperetur ab illo propter* [x] *Herodiadem uxorem fratris sui, et de omnibus malis quæ fecit Herodes, adjecit hoc super omnia, et inclusit Joannem in carcere* (Luc. III, 19). Qua de re inclusit Joannem Herodes? certe quia arguebantur opera ejus: ita et tu cum servis Dei agis, quia dicamus tibi: *Noli gerere quæ geris, noli esse homicida, noli persequi ecclesiam Domini, noli apostolicam reprobare fidem, probare vero hæreticam, noli idololatriam introducere in ecclesiam.* Nos arbitramur hæc propter tuam specialiter dicere salutem: qui si nolueris temperare, sine dubio sic tibi sis æternam quæsiturus mortem, quomodo quæsierit et Herodes. Joanni etenim nocere non potuit, sive quod eum in carcerem conjecerit, sive quod interfecerit, quandoquidem videas Joannem Dei amicum, Herodem vero esse Dei inimicum. Quærens nocitum nobis, qui tibi æternam sospitatem tribui desideramus, omnibus nos persequeris modis: sed valere non poterunt vires auctoritatis tuæ ad Dei unici Filii servis nocendum, quia tu unus esse ex illis invéniris, quos nobis credentibus subjecit dicens: *Ecce dedi* [y] *vobis potestatem calcandi super serpentes et scorpiones, et supra omnem virtutem inimici: et nihil vos nocebit* (*Ibid.* x, 19). Tu qui dicis, quia vera tibi dicam, superbum quem me vis inveniri? illum ne servum qui acceperit unum talentum et absconderit, atque ipsum solum domino repræsentaverit; propterea quod non per fenus eumdem multiplicatum, sicuti conservi ejus, domino repræsentaverit, meruit etiam ipsum talentum amittere, et audire: *Serve* [z] *nequam et piger* (*Matth.* XXV, 26)? an illum qui acceptam quantitatem decies multiplicatam repræsentaverit, cuique fuerit dictum: *Euge, serve bone et fidelis, quia in* [a] *modico fuisti fidelis, et in plurimis te constituam; intra in gaudium domini tui* (*Ibid.* 24)? Sed istud unde audire potero, si te metuens, quæ tibi fuerint placita fecero? Intuere in evangelio quid nos facere

et ab Antiochena Ecclesia, cui præerat, depulsus fuit. Lucifer vero Photinum ejus discipulum dicit, quia ab illo impietatis suæ venenum hausit.

[a] Qui tecum in tenebris est; σκότος, *tenebræ*. La Cerda.

[b] *Credulitatis*. Vatic.

[c] Nam uti ex Paulli, ita ex Photini et Arianorum doctrina, illud sequebatur, quod, si Christus ex Dei substantia genitus, et Deus non est, profecto filium nullum proprie ita dictum habeat Pater, et sit μονοπρόσωπος.

[d] Hoc est Nicænum symbolum, sive Nicæna Fidei professio, quam hic Lucifer recitat, eadem fere, quæ e vetustis codicibus edita est in Tom. 2. Conc. Venet. Edit.

[e] *Omnium visibilium*. In Codd. Conc. laudatis.

[f] Ita ex Græco in epist. Athanas. ad Jovianum. *Dominum nostrum* in Codd. cæteris.

[g] *De Patre unigenitum*. Græc. et Codd. iidem.

[h] Cum Græco, οὐ ποιηθέντα. In uno Cod. *non creatum*.

[i] *Ejusdem*. Cod. Colbert. et Hard.

[j] *Et*, utroque in loco Codd. iidem.

[k] *Et homo factus*. Iid.

[l] *Et resurrexit*. Iid. Apud Gelasium Cyzicenum in lib. 2. Hist. Conc. Nic. cap. 26. *Sepultus est, et resurrexit*.

[m] Ita eod. Hard. alii omnes cum Græco, *Et ascendit in cœlos*.

[n] Cum eod. cui additur, *venturus inde*. Ex Gelas. *Et iterum venturus est*. Colb. cod. *Unde venturus est*.

[o] Cum eod. Colbert. *Credimus* abest a cæteris.

[p] Sequuntur anathemata eidem symbolo subjecta, contra capitales Arianæ hæresis propositiones.

[q] Græc. et alii codd. *Erat aliquando*; al. *tempus*.

[r] *Nullis existentibus*. Cod. Hard. *Ex nullis subsistentibus*. Colb.

[s] *Aut ex alia substantia, vel essentia dicunt esse*. Hard. et Colb. cum Græco.

[t] *Commutabilem*. Colb.

[u] *Aut*. Colbert. et Hard. ex Græco.

[v] *Fecit*. Latin. et Galland.

[x] *De Herodiada uxore fratris sui .... adjecit et hoc*. Vers. Ant.

[y] Græc. δέδωκα, in Mss. quibusdam. Vers. Ant. *Do*, et *super omnem*.

[z] Ita in Ms. Corb. Vers. Ant. *Nequam serve, male, et piger*.

[a] Vers. Ant. *Super pauca ... super multa*. Lucifer congruit cum Iren. lib. 4. c. 11. præter hæc *super multa*, quæ Sabat. legit etiam in Lucifer.

voluerit Dominus, et desine nos dicere arrogantes. *Homo quidam erat dives : is* [a] *abiit in regionem longe accipere regnum et reverti. Et vocavit decem servos, et dedit illis decem talenta* [b] *et ait ad illos : Negotiamini dum venio. Cives* [c] *autem oderant illum, et miserunt legationem post illum dicentes : Nolumus hunc regnare super nos. Et factum est dum* [d] *reverteretur accepto regno, et jussit vocari servos, quibus dedit pecuniam, ut sciret quantum quisque negotiatus esset. Venit autem primus dicens : Domine, talentum* [e] *tuum decem talenta acquisivit. Et ait illi : Euge, bone serve, quia in modico fidelis fuisti, eris potestatem habens supra decem civitates. Et alter venit dicens : Domine, mina* [f] *tua fecit quinque talenta. Ait et huic : Et tu esto supra quinque civitates. Et alter venit dicens : Ecce* [g] *talentum tuum quem habui repositum in sudario, quia timui te, quod homo austerus es : tollis* [h] *quod non posuisti, et metis, quod non seminasti. Et dixit ei dominus* [i] *: De ore tuo te judico, infidelis serve; sciebas quod homo austerus ego sum, et tollo quod non posui, et meto quod non seminavi : et quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, et ego veniens cum usuris utique exegissem illam? Et astantibus dixit : Auferte ab illo talentum* [j] *, et date illi, qui decem talenta habet. Dico autem vobis, omni habenti dabitur; ab eo autem, qui non habet, et quod habet auferetur* [k]. *Verumtamen inimicos meos illos, qui noluerunt me regnare super se, adducite huc, et interficite ante me.* (*Luc.* XIX, 12). Nempe si non te mutaberis [l], unus eris ex his, qui interfici fuerunt jussi. Hinc superbus videor tibi, quia te cupiam non interfici, quia sim exoptans illa [m] quantitate mihi commissa, quam cupio multiplicari, te quoque inveniri. Quia tali modo tecum geramus luctam, videmur tibi inimici, hi qui præceptum retinentes beati apostoli indesinenter propter tuam incolumitatem fundamus precem. *Obsecro* [n] *igitur primo omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro regibus, et omnibus qui in sublimitate sunt, ut* [o] *tranquillam et quietam vitam agamus, cum pietate et gravitate. Hoc enim bonum et acceptum coram salutari nostro Deo* [p], *qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire* (1 *Tim.* II, 1). Videmur tibi inimici hi qui te agnitionem veritatis cupimus consequi; contumeliosum me dicis, quia dicam quæ tuæ et meæ conducant saluti. Sed hæc quoque asseveratio tua, quæ astruit me tibi facere injuriam, ostendit te imprudentem. Si etenim fuisses prudens, primo numquam sacrilegus repertus fuisses, deinde correptus sacrarum litterarum auctoritate temet jam hominem præbuisses : at nunc, quia sis imprudens, dicenti tibi episcopo : *Imperator, provide saluti tuæ, ea enim ingentibus sarcinis scelerum tuorum prægravatus,* dicis, *Contumeliam mihi facis. Testor coram Deo,* dicit apostolus Timotheo, *et Christo Jesu, et electis angelis, ut hæc custodias sine discrimine* [q], *nihil faciens in aliam partem, sed* [r] *æquitatem custodire* (*Ibid.* v, 21); et tu contumeliosum appellas eum, qui te in tantis sceleribus deprehensum nunc increpet, cur illa fueris perpetratus, nunc deprecetur ut temet dum facultas est malis eripias tuis, sisque talis, quem non Deus puniat inter illos quos nequam esse ac perfidos designat dicens : *Filios genui* [s] *et exaltavi, ipsi autem me spreverunt* (*Isai.* I, 2)? Hinc tibi superbus videor, quia cupiam te inveniri inter eos, quos unicus Dei Filius ad regnum suum invitat dicens : *Venite, benedicti Patris mei, percipite* [t] *regnum quod vobis paratum est ab origine mundi* (*Matth.* XXV, 34). Tu tibi arbitraris contumeliam te pati, quia dicantur tibi quæ vera sunt; apostolus gloriosus contra mandat dicens : *Peccantes coram omnibus argue, et ut cæteri timorem habeant* [u] (1 *Tim.* V, 20). Cui auscultare me oportet, tibi ne, qui dicas : *Sine me destruere Dei religionem, servos ejus convertere ad antichristum, sine me in sacrilegio hoc meo cunctos statuere;* an beato apostolo, qui mihi præcipit ut te peccantem arguam coram cunctis? Sed si existimas parcere me tibi debuisse, propterea quod sis imperator, et in hoc inveniris imprudens. Audis enim dicere apostolum : *Peccantes coram omnibus argue, ut et cæteri timorem habeant* (*Ibid.*) : et tu, *Debueras,* inquis, *mihi specialiter parcere, quia fuissem rex Romani imperii?* Et ubi istam testificationem prætermittebam? *Testor coram Deo et Christo Jesu, et electis*

[a] Vers. Ant. *Et abiit in regionem longinquam accipere sibi* etc. *Sibi* abest ab aliis Mss. apud Sabat. ut a Lucif. *Longinquam* pro *longe* legit hic idem Sabat.

[b] Vers. Ant. *Mnas.*

[c] Vers. Ant. *Cives autem ejus;* sed *ejus* abest ab aliis Mss. ut a Lucif.

[d] *Ut rediret, accepto regno, jussit.* Vers. Ant. Ms. Maj. Mon. *Et misit* cum Lucif.

[e] Vers. Ant. *Mna tua decem mnas.*

[f] *Mna tua fecit quinque mnas.* Ead. et sic legere videtur Sabat. in Lucif.

[g] *Domine ..... mna tua, quam* etc. Ead. *Quod* pro *quem* habet hic Sabat.

[h] *Tollis,* et *metes.* Ead. Mss. alii cum Lucif.

[i] *Et dixit ei : De ore .... austerus sum, tollo* etc. Vers. Ant. Græc. in quodam Ms. habet κύριος, *Dominus,* ut Lucif. Sabatierius addit in Lucifero, *infidelis, serve nequam.*

[j] *Mnam,* et *decem mnas.* Vers. Ant.

[k] *Auferetur ab eo.* Ead. *Ab eo* deest in al. Mss. ut Lucif.

[l] In *Mutaveris.* Latin.

[m] *In illa.* Id. et Galland.

[n] *Obsecra igitur primum.* Vers. Ant.

[o] *Ut cum severitate et gravitate vitam transagamus cum pietate et castitate.* Ead. Ἡρεμον καὶ ἡσύχιον βίον. Gr.

[p] Vers. Ant. *Dei ..... et in agnit.*

[q] Vers. Ant. *Præjudicio,* et, *in aliam partem declinando.* Sic infra idem Lucif.

[r] Hæc putat demenda Latinius; et Gallandio *glossema sapere videntur. Quæ nimirum verba Luciferiani exemplaris margini apposita ad præcedentia explicanda, exinde in textum fuerint immissa.* Sed Latinius ea rejicit, quia Vulgatæ non insunt; Gallandii vero mera est conjectura : eadem leguntur et in Codice Vatic.

[s] Cum Iren. lib. 4. c. 2. Vers. Ant. *Generavi, et reprobaverunt.*

[t] Cum Cypr. lib. de op. et eleem. Vers. Ant. *Possidete ..... præparatum ..... hujus mundi.* Calmet. in Comment. Evang. D. Matth. ita legit in Lucif. *Possidete paratum vobis regnum ab origine;* quæ lectio convenit cum Ms. Corb. ab eodem producto.

[u] Ut Cypr. lib. 3. Testim. *Habeni.* Vers. Ant. quæ habet *ut et cæteri,* sicut infra idem Lucifer.

angelis, ut hæc custodias sine discrimine, nihil faciens in aliam partem declinando [a] (*Ibid.* 21). Hinc certe tibi videor esse contumeliosus, quia præcepta tua Dei præceptis non anteposuerim. In Actibus apostolorum lego beatos apostolos raptos ab eis, quorum es particeps non solum in incredulitate, sed et crudelitate, et præceptum fuisse illis ne docerent in nomine Domini nostri Jesu Christi. Sed videamus pariter ipsam sacræ scripturæ partem, si apostoli præceptis Dei unici Filii inimicorum temperaverint, an ea quæ implenda susceperant, instantissime fuerint præfinientes. *Vocantes* [b], inquit, *apostolos, cæsos eos dimiserunt, præcipientes ne loquerentur in nomine Jesu ulli hominum. Illi ergo ibant gaudentes a conspectu concilii, quod* [c] *pro nomine digni habiti sunt contumeliam pati. Omni* [d] *autem die in templo et domi non cessabant, docentes et evangelizantes Dominum nostrum Jesum Christum* (*Act.* v, 40). Cum hæc referat apostolos beatos egisse sacra scriptura, te ad negandum Dei Filium omnium invitantem corda, et hæresim tuam firmare satis agentem, nobis erit tacendum præpositis Dei ecclesiarum, ne videlicet tibi blasphemo, homicidæ, destructori Dei religionis inveniamur contumeliosi exstitisse? Apostolos loquitur sacra scriptura nec verbera, nec minas filiorum pestilentiæ, timuisse, sed semper docuisse; nos caduci regni tui decuerat frangi vigore, quo tu omnes iniquos posses tuos implere conatus? Contumaces æstimamur a te, quia vera tibi dicantur a nobis. Sic et comblasphemi tui Stephanum beatissimum judicaverunt, quia eis diceret: *Dura cervice, et non* [e] *circumcisi corde et auribus, vos semper Spiritui sancto restitistis, sicut patres vestri, et vos. Quem prophetarum non sunt persecuti patres vestri? et occiderunt eos qui annuntiabant de adventu justi cujus nunc vos proditores* [f] *et interfectores fuistis, quia cepistis legem in ordinationem* [g] *angelorum et non custodistis* (*Ibid.* VII, 51). Hæc cum audissent Judæi, digne sunt commoti contra sanctissimum martyrem Stephanum, an indigne? Si indigne, utique et te indigne inspice moveri contra eos, qui te salvum velint. Adverte in ea te parte stare contra Dei ecclesiam, in qua et tunc steterint, et nunc sunt Judæi stantes, sic te esse duræ cervicis, sic incircumcisum corde et auribus: inde est quod, sicut illi audientes vera non sustinuerint, sed ad necem Dei cultoris prosilierint, sis etiam tu prosiliens ad nostram integra [h] et manifesta tibi dicentium necem. *Cum* [i] *autem hæc audissent*, inquit divina scriptura, *fremebant in cordibus suis, et stridebant dentibus in eum* (Ibid. 54). Et infra: *Clamantes autem voce magna, compresserunt* [j] *aures suas, et impetum fecerunt uno animo in eum: et* [k] *ejectum extra civitatem lapidabant* (*Ibid.* 56). Sic tu corde fremens, dentibus stridens sis adversum nos nulla alia de re, nisi quia te persecutorem dicamus Dei domus, nisi quia destructorem Dei religionis, quia fusorem sanguinis servorum Christi, quia sacrilegum vocemus juste, quippe blasphemum, hæreticum, quippe fidem apostolicam evangelicamque expugnantem. Non facimus rem Deo odibilem si tibi isto modo, quo tecum conlido, agentes, quod te esse intelligimus, dicamus. Invenimus etenim sic egisse tales, qualis sis tu, contra gloriosum [l]. *Deservientibus* [m] *autem illis* (*Ibid.* XIII, 2), dicit sacra scriptura, *et jejunantibus Domino, dixit Spiritus sanctus: Segregate mihi Barnabam et Saulum in opus, ad quod vocavi eos. Tunc jejunantes et orantes imposuerunt* [n] *eis manus, et dimiserunt eos. Et* [o] *illi quidem dimissi a sancto Spiritu, descenderunt Seleuciam, et illic* [p] *navigaverunt Cyprum: et cum venissent Salaminam* [q], *prædicabant verbum Domini in synagogis Judæorum: habebant autem Joannem ministrum: et cum perambulassent* [r] *universam insulam usque Paphum, invenerunt quemdam virum pseudoprophetam Judæum, cui nomen erat Bariesuban* [s], *quod interpretatur Paratus, qui erat*

[a] *Declinando* cum Vers. Ant. quod paulo superius omisit.

[b] *Et vocaverunt .... et cæsos eos præcipiebant ..... ulli in .... et dimiserunt eos.* Vers. Ant.

[c] *Illi igitur ... quoniam pro nomine Domini Jesu dignati essent.* Ead. Lucif. convenit cum Ms. Cantabrig. et in Græco Codd. quorumdam legitur simpliciter *pro nomine. Ejus* addit Sabatier.

[d] Cum Ms. Cantabrig. in quo tantummodo demitur *nostrum.* Vers. Ant. *Omnem autem diem ... circa domos .... et bene nuntiantes Jesum Christum.*

[e] Vers. Ant. *Incircumcisi .... resistitis ..... sicut et patres* etc. *Et* deest in Græco, ut in Lucif. Scripserit forte Lucifer *resistitis* juxta Græc. ἀντιπίπτετε. Galland. *Ita et vos* legit Sabat. in Lucif.

[f] *Cujus vos traditores et homicidæ estis.* Vers. Ant.

[g] Ut in Græco unius Ms. εἰς διαταγήν. Vers. Ant. *Qui accepistis .... in præceptis.* Sabat. sic habet hic: *Qui accepistis legem in ordinatione*, etc.

[h] Ex Latin. Antea *integram.* Lugdunenses, *integram et manifestam*, male. Galland.

[i] Vers. Ant. *Audientes autem hæc, fremebant cordibus suis et fremebant dentibus suis super eum. Suis* abest a quibusdam Mss. in Græco ut in Lucif.

[j] Cum ms. Cantabrig. Vers. Ant. *Continuerunt*, et *unanimes.*

[k] Cum eodem, ubi additur *eum* post *lapidabant.* Vers. Ant. *Et expulerunt..... lapidabant.*

[l] *Gloriosos.* Vatic. sed utro legas modo, subintellige vel *Paullum*, vel *Apostolos.* Lugdunenses vero locum hunc ita reformandum censuere: *Si te ac tecum agentes tales dicamus, quales vos esse probe noverimus. Invenimus enim sic talia egisse qualia es tu contra Gloriosum:* sed audenter nimis; nam Luciferi sensus probe dignoscitur: est autem: *Si agentes isto modo, quo tecum ego conlido, dicamus tibi id, quod intelligimus te esse.* Cætera nec rejicimus, nec probamus.

[m] Vers. Ant. *Ministrantibus autem illis Domino..... dixit eis..... separate vero..... quod advocavi eos.* Vocem *Domino* post *deservientibus* collocat Galland. cum Græco.

[n] Vers. Ant. *Et imponentes eis manus, dimiserunt eos.*

[o] *Ipsi quidem emissi.... in Seleuciam, et inde.... in Cyprum.* Ead.

[p] *Illinc.* Latin. Sabat. legit *inde.*

[q] Vers. Ant. *In Salamina.... verbum Dei.... habentes secum et Joannem in ministerium.* Hæc in Græco cum Lucif. Εἶχον δὲ καὶ Ἰωάννην ὑπηρέτην: et in cod. Græc. Cantabrig. apud Millium legitur *prædicabant verbum* κύριου, *Domini*, ut notat Galland. Sabatierius legit *Salaminam.*

[r] Vers. Ant. *Cum pertransissent autem totam.... virum magum pseud.*

[s] *Barjesu.* Latin. cum Vers. Ant. *Barjhesus* quod

cum proconsule Sergio Paullo viro prudente: qui [a] *cum advocasset Barnabam et Saulum, quærebat audire verbum Dei. Resistebat autem illi* [b] *Etœmus* [c] *magus (sic enim interpretatum dicitur nomen ejus), qui quærebat avertere proconsulem a fide. Saulus autem, qui Paullus, repletus Spiritu sancto intendens* [d] *in eum ait* [e]*: O plene omni dolo et fallacia, filius diaboli, inimice omnis justitiæ, non desinis pervertere vias Domini rectas. Et nunc ecce manus Domini adversum* [f] *te, et eris cæcus non videns solem usque ad tempus. Et protinus cecidit super eum caligo et tenebræ, et circumiens quærebat, quisse* [g] *ad manum deduceret. Videns* [h] *autem proconsul quod erat factum, credidit cum admiratione stupens in doctrina Domini.* Credimus hoc instructum testimonio non te dicturum : *Contumeliam mihi Lucifer facit imperatori.* Quid mea interest quid sis, cum ego ei hæc dicam, quæ audivit ab apostolo ille qui agnitus est pseudopropheta fuisse? Talem etenim ego habeo te Constantium imperatorem, qualem habuerint gloriosi Paullus et Barnabas Bariesuban Judæum? Sic etenim tu contrarius inveniris esse nomini Domini, quomodo et ille fuerit: sic tu resistis veritati, ut ille restitit; sic tu non vis credere homines in Dei unicum Filium, tibi [i] atque illi Judæo pseudopropheteæ, nisi quia sic tu adverso A spiritu agaris, quomodo et ille ageretur. Cum enim audis proconsulem virum fuisse prudentem et cupientem ab apostolis beatis se instrui, quo posset viam comprehendere veritatis, et illum, cujus tu imitator es, restitisse apostolis, ne proconsulem ad credendum in Dei Filium perduxissent, manifestum est talem te esse, qualis iste [j] fuerit Judæus pseudopropheta. Item cum Paullum dicat scriptura sancta repletum Spiritu sancto illam dixisse invectionem, debes intelligere Judæum illum pseudoprophetam immundo fuisse spiritu plenum. Sicut ergo ille adverso actus spiritu contradicebat, quia et tu ita instinctu adversarii resistere inveniris, non te alium esse debes judicare, nisi Bariesuban Judæum pseudopropheta. Igitur quia te alterum Bariesuban Judæum B pseudoprophetam esse intelligis, quotiens fuerit dictum ore tuo sacrilego [k], *Deus non* [l] *habet verum Filium*, ne moleste feras, si dicantur tibi a nobis illa, quæ sunt dicta ab apostolo prædecessori tuo Judæo pseudoprophetæ : *Plenus* [m] *omni dolo et fallacia, filius diaboli, inimicus omnis justitiæ, qui non desinis pervertere vias Domini rectas* (*Ibid.* 10). Si fueris motus cur hæc tibi dicantur quæ fuerint dicta illi, cujus sis tenens iter mortis, multum te insulsum ostendis, qui velis hoc esse quod fuit ille Judæus

interpretatur Elymas. Adde ex Galland. *Barjesuban*, inquit Millius in proleg. § 774 mendum est scribæ pro *Barjesuam*, quod habet codex Cantabrig. sed forte aut Lucifer ipse, aut interpres, quo usus est, legit *Bar-shuman*, ut est in interpretatione Syriaca. C

[a] *Hic cum accersisset.... requirebat*, etc. Vers. Ant.

[b] *Eis Elymas.... interpretatur.... quærens .... de fide; quoniam libenter eos audiebat.* Ead.

[c] Ἑτοιμος *paratum* et *promptum* significat, quemadmodum etiam *Barjesu* interpretatur, quod nomen alii *malleficum* et *magum* exponunt : et videtur ἕτοιμος legisse pro ὕλμας, quod *magum* sive *corruptorem* et *perniciosum* significat. *Til.* Mendum Lucifer ianæ versionis inest hisce verbis *Etœmus magnus;* et vetus interpres nomen *Etœmus*, quod legerat in Græco, recte *Paratus* interpretatus est. Causam erroris tribuit Millius in Prolegom. § 774, pravis codicum Græcorum exscriptoribus, qui pro ὕλμας ὁ μάγος posuere ἑτοιμος ὁ μέγας. In Cod. Cantabrig. apud Sabat. legitur ἑτοίμας; hinc Sabatierius ipse suspicatur ita in suo codice Luciferum legisse, aut ἕτοιμος nomen appellativum ab ἕτοιμος *paratus* effictum fuisse. Habet tamen *Elymas magus.* Sed Tilius errasse videtur, cum notat, alios nomen *Barjesu* interpretatos fuisse *maleficum* et *magum*. Legimus enim in Vers. Vulg. *Elymas magus, sic enim interpretatur nomen ejus;* et sensus est nomen *Elymæ* magum significare, ut quidam existimant in Synopsi Criticorum sacrorum Tom. 4 et *Elymas* Arabicum esse vocem tuentur. Ludovicus de Dieu apud Calmetum in cap. Act. XIII, nomen *Elymæ* desumit ex voce Hebraica *Chalumam*, quæ *sanatorem* significat; unde *Barjesus* dictus *Elymas*, id est *filius salutis*, et propterea ad sanandum aptus ac etiam *sanator*. Codex Græcus Bodlejanus apud Millium § 1025. præferi βαριησοῦς ὁ μεθερμηνευόμενος ὕλμας. Ligfootius autem in Horis Hebraicis ad Acta Apost. cap. 13 ait *Barjesus* dictum *filium doloris*, quocum *Elymas* convenit, quippe ex Arabica voce deducitur *Elima*, quæ *dolere* significat. Itaque sensus hujus locutionis proprius est, nomen *Elymæ*, non *Barjesus* significare *magum*, quem *sanatorem* dicere etiam possumus cum Ludovico de Dieu, quia hoc hominum genus magicis artibus ac præstigiis morbos curare se posse jactabant. Notasse tamen juverit, magum hunc, quem Ambrosius in lib. IV. Hexaem. cap. 8. *Elymum* vocat, in ms. Carnutens. operis ejusdem *Hymnum* dici, in Benigniano *Elymum*, in Bigotiano et Gemeticensi *Jeu*, in Cœnoman. *Hymenæum*, in Corb. uno *Barjeu*.

[d] Cum Græco, ἀτενίσας. Vers. Ant. *Et intuens.* Sabatierius legit cum eadem : *Qui et Paullus.*

[e] Vers. Ant. *Dixit.... et omni fallacia, fili diaboli..... subvertens*, etc. *Fili diaboli* etiam apud Sabat.

[f] *Super te.... Confestim autem cecidit.* Eadem.

[g] *Quærebat manus ductores.* Ead. *Duceret* pro *deduceret* legit Sabat.

[h] *Tunc.... factum est, miratus est, et credidit stupefactus super doctrina Domini.* Ead. *Miratus est* abest a Græco, ut a Lucif.

[i] Recte Latinius animadvertit, hic aliquid deesse : forte subjici potest; *Non vis credere homines in Dei unicum Filium, sed tibi*, etc.

[j] *Ille.* Vatic.

[k] *Tuo illo sacrilego.* Id.

[l] Animadverte hoc in loco, Luciferum tum hic D tum alibi sæpe, et in aliis libris id Constantio et Arianis obtrudere, quod negent *Filium esse verum Filium Dei, Patrem Deum habere verum Filium;* et ad hoc eos adigere, ut fateantur *Jesum Christum esse verum Dei Filium;* cum inde consequatur, et illum esse ὁμοούσιον, et *unius substantiæ cum Patre :* at ii *verum* quidem *Filium esse* dicebant, non tamen *verum Deum;* quippe *Filii* nationem eo modo tribuebant Christo, quo homines etiam *Filii Dei* vocantur in Scripturis, unde inter creaturas, sed cæteris præstantiorem illum annumerabant : iisdemque verborum fallaciis *Deum* quoque nominabant Filium, et in fidei formulis fatebantur, sed ὁμωνύμως tantum et secundo veluti dignitatis gradu : hinc sæpissime Lucifer has locutiones ingerit in Arianos, quod *Filius sit verus Filius, et verus Deus.* De hisce fuse Petavius in lib. 2, capp. 4, 5, 9 et 10.

[m] Posuit *plene* paullo superius, et *inimice*, omisso *qui* ante *non desinis*.

pseudopropheta, et nolis te illis nominari vocabulis nominum, quibus fuerit et ille vocatus. Iterum et hortor et deprecor, ut et moneo, ut tibi velis consulere, ne æterna te accipiat pœna. Si enim ille ita meruit excæcari, quia tentarit resistere, conspice quæ tibi homicidæ, quæ sacrilego, destructori Dei religionis possint mala repræsentari et in hac vita et in perpetuum. Accipe adhuc ea quæ te formare possunt, non esse contumeliosos nos, sed veraces. Antiocho septem illi gloriosissimi fratres restiterunt, nempe ut nunc tibi nos restitimus. Legisti quartus quid responderit compestilenti tuo, qui me contumeliosum dignaris clamitare, quia dicam tibi, quod nisi conversus fueris ad Deum, in æternum sis interiturus; nempe dicit : *Potius est ab hominibus morti datos spem exspectare a Deo, iterum ab ipso resuscitari* [a] *: tibi enim resurrectio ad vitam non erit* (II *Mach.* VII, 14). Si a nobis tu tyrannus audis quod ad vitam sis resurrectionem non accepturus, si in hac incredulitate manseris, quod non ad requiem, sed ad pœnam sis resurrecturus sempiternam, quæ contumelia est? Quintus quoque cum admotus fuisset et vexatus, dixisse loquitur scriptura regi : *Potestatem inter homines habes* [b] *cum sis corruptibilis, facis quod vis : noli autem putare genus nostrum a Deo esse derelictum ; patienter* [c] *sustine, et vide, magna potestas illius qualiter te et semen tuum torquebit* (*Ibid.* 16). Quid tibi videtur, quia tali constantia Dei servus invectus fuerit in contyrannum tuum? Numquidnam injuriosum fuisse cultorem Dei diaboli judicabis cultor? Illum vera dicentem negabis superbum? nec me debes judicare insolentem, quia dicam tibi, non derelinqui nos a Deo, propter quem [d] hæc sustineam, te contra, nisi fueris correctus, cum corruptibili gloria tua ad nihilum venturus. Quid etiam serius dixerit inspice, et invenies nos eo cuneo reniti tibi turbido procellæ, quo illi fuerunt renitentes : *Noli frustra errare* (*Ibid.* 18); *nos enim propter nosmetipsos hæc patimur, peccantes in Deum nostrum, et digna admonitione* [e] *facta sunt : tu autem ne te existimes impune* [f] *futurum, cum contra Deum pugnare tentaveris.* Probant epistolæ [g] meæ mediocritatis, et libri rustico licet sermone descripti, me sæpe dixisse, quod peccata quidem fecerint nostra, ut in tuas antichristi præcursoris veniremus manus, te tamen pugnare contra Deum, et idcirco nisi tibi prospexeris, te quidem ut

A istum Antiochum in æternam pœnam futurum, nobis vero propitiaturum Dominum. Dolens es, cur commissis nobis te, et quisnam sis revelemus, et quod sit dignum antichristi umbram te calcari a cunctis Christi militibus : *qui me*, inquis, *calcare potuerunt?* illi [h], quos, cur se Christianos fateantur, carceribus retines reclusos, patrimonio privas, facis extorres, torques, interficis. Hinc nos insolentes esse censes, quod cunctos nobis creditos deprecemur diaboli calcare caput, sacrilegos conatus tuos virtute passionum suarum illatarum pro Christo Dei unico Filio deducere ad nihilum. Sit tibi et illa gloriosissima mater septem horum filiorum insolens, quia ad coamentem [i] tuum vincendum Antiochum suos illicere dignata [j] filios dicens : *Nescio qualiter*

B *in utero meo apparuistis, neque ego spiritum* [k] *donavi vobis et vitam, et singulorum membraturam non ipsa compegi : sed enim mundi creator, qui formavit hominis nativitatem, quique omnium scrutator* [l] *originum, et spiritum vobis cum misericordia iterum reddet et vitam, sicut nunc vos ipsas despicitis propter leges ejus* (*Ibid.* 22). Hæc dicere non destitit filiis religiosa mater, fortiter filios diligens, quoad usque cunctos advertisset interfectos. Nos contra, quos prædixerat ore propheta futuros pastores gregi suo dicens. *Et dabo vobis pastores secundum cor meum, et pascent vos pascentes cum disciplina* (*Jer.* III, 15), tacere decuerat, ne tibi ad mactandas venienti rabido lupo Dei oves fuissemus visi insolentes? Mulier eo usque corda incendit Dei

C amore filiorum, ut eorum interitu gladii [m] fuisset potita victoriarum : et nos Christi dicere militibus fuisse congruum arbitratus es : *Nolite arma sumere contra Constantium diaboli satellitem, nolite resistere templo omnium dæmonum : magis autem facite quæcumque fieri præceperit.* Quæ hæc est nostra contumacia, si officium nobis delegatum a Deo nitamur implere, si denique istius mulieris imitatores fuerimus inventi? Tu vis diabolo placere, cujus opus inveniris celebrare, nos minime; vis Deo hæc te gerendo contra fieri acceptissimos. Si te adhuc movet, cur, quod es, voceris a nobis, accipe etiam ab illo septimo hujus mulieris sic clamitatum contra Antiochum filio : *Antiochus autem contemni arbitratus* [n] (II *Mach.* VII, 24), *et ejus quæ increpabat vocem despiciens, cum adhuc adolescentior superesset, non verbis hortabatur*

D me dolendum.

[a] Græc. ἀναστήσεσθαι. Vers. Ant. *resuscitandos.*

[b] Sabat. legit *habens*, ut in Vers. Ant.

[c] Vers. Ant. *Tu autem... et videbis magnam potestatem ipsius*, etc. Sabat. videtur legisse etiam in Lucif. *ipsius.*

[d] *Propter quem hæc sustineam, te*, etc. *ad nihilum venturum.* Latin. let Poncius apud illum; ita enim sensum efficiunt; *Quia dicam tibi, non derelinqui*, etc. *te contra*, etc. *ad nihilum venturum.* Potest tamen ita etiam corrigi locus iste; *Hæc sustineam contra te, qui*, etc. *sis ad nihilum venturus.*

[e] Vers. Ant. *Digna admiratione facta sunt in nobis :* abest tamen *in nobis* a Græco. *Admiratione* legit etiam in Lucif. Sabat.

[f] Vers. Ant. *Tibi impune.... quod contra*, etc. Sabat. legit *tibi* etiam in Lucif. sed deest et in Græc.

[g] Nullæ supersunt Luciferi epistolæ præter unam Florentio scriptam : cæteras vetustate periisse maxi-

[h] Innuit persecutionem a Constantio in Catholicos sævissime excitatam; de qua in libro pro S. Athan.

[i] Ita legit Poncius apud Latin. Antea *conamentum.*

[j] *Dignata sit.* Latin.

[k] Vers. Ant. *Neque enim ego spiritum et animam.... singulorum membra non ego*, etc. *Animam* non est in Græco. *Membra* pro *membraturam* habet Sabat.

[l] Vers. Ant. *Omnium inventi originem*, et *vosmetipsos ;* quæ Sabat. legit etiam in Lucif.

[m] *Gaudii.* Galland.

[n] Vers. Ant. *Se arbitratus, simul et exprobrantis voce despecta.... non solum verbis hortabatur, sed et.... se diritem.... et translatum a patriis legibus amicum habiturum.... ei præbiturum. Se arbitratus*, et *se diritem* legit etiam Sabatier.

tantum, sed etiam cum juramento affirmabat divitem et beatum facturum, translaturum [a] *a patriis, et hospitem habiturum, et res necessarias crediturum. Sed* [b] *ad ista adolescentem non intendentem vocavit matrem, et suadebat ut adolescenti fieret in salutem. Cum autem multis* [c] *esset hortatus, suscepit suadere se filium. Itaque inclinata ad illum derisit* [d] *crudelem tyrannum, èt ait patria voce : Fili, miserère mèi, quæ te in utèro mènsibus dècem portavi, èt lac triènnio dèdi, èt alui, èt in ætatem istam pèrduxi. Pèto, nate, aspicias* [e] *in cœlum èt in terram, èt omnibus quæ in eis sunt inspèctis, intèlligerè quia èx nihilo fecit illa Dèus, et hominum gènus : ita fièt, ut non timeas carnificem istum, sed dignus* [f] *fratrum èffectus, suscipias mortem, ut in illa misericordia cum fratribus tè recipiam. Cum hæc illa* [g] *dixisset, ait adolescèns : Quèm sustinètis? non obèdio regis imperio, sèd præcèpto lègis obèdio, quæ data èst nobis pèr Moysen : tu vèro, qui inventor omnis malitiæ factus ès in Hèbræos, non èffugies manum Dei. Si* [h] *enim propièr increpationem èt correptionèm Dominus nostèr nobis vivis modicè iratus èst (Ibid.33), sed iterum reconciliabitur servis suis ; tuquè* [i], *o scelestè, èt omnium hominum flagitiosissimè, noli frustra extolli vanis spècièbus in servos ejus* [j] *: nondum enim omnipotentis, omnia conspicientis* [k] *Dei judicium effugisti. Nam patrès* [l] *nostri, modico nunc dolorè sustèntato, sub tèstamènto Dei æternæ vitæ recidèrunt : tu vero judicio Dei justas superbiæ pœnas exsolves : ego autem sicut et fratres* [m], *et animam et corpus trado pro patriis legibus, invocans Deum maturius genti nostræ fieri propitium, teque cum tormentis ac verberibus confiteri quod ipse est Deus solus. In me vero et in fratribus meis statuere* [n] *omnipotens iram, quæ super omnè gènus nostrum juste superducta est.* Quid, Constanti, a nobis plus audisti quam ea, quæ ab hoc Dei sunt dicta fideli servo? Si ille dixit ad Antiochi satellites : *Quem sustinetis? non obedio regis imperio, sed præcepto legis obedio, quæ data est nobis per Moysen* (*Ibid.* 30) : et nos tuis dicimus : *Quid est quod nos ad Constantii antichristi præcursoris voluntatem posse existimatis facere Arianos? ut sumus Christiani, semper erimus* (*Ibid.* 31). Si ille Antiocho dixit : *Tu vero qui inventor omnis malitiæ factus es in Hebræos, non effugies manum Dei ;* et tibi nos diximus atque sumus dicentes, quod enim, quia te potior nullus úmquam fuerit persecutor sacræ legis Dei, quia sis non effugiturus Dei manum. Si audit Antiochus, quod arguendi gratia suis tunc Dominus fuerit iratus, et quod iterum esset reconciliaturus se servis suis, hæc et tu nos dicere audis. Si illi dictum est regi : *Tuque, o scelerate, et omnium hominum flagitiosissime, noli frustra extolli vana* [o] *spe in servos ejus inflatus : nondum enim omnipotentis Dei* [p] *judicium effugisti* (*Ibid.* 34) : hæc et tu audis a nobis, quod enim sis sceleratus omnium hominum flagitiosissimus, qui iccirco hæc geras ut nos coapostatas facias tuos, sed tamen frustra te elatum, vana instinctu diaboli in nos Dei servos spe inflatum : quia neque tuos possis implere conatus malignos, neque Dei omnia conspicientis, omniaque potentis evadere judicium. Audis a nobis, sicut et per illum illustrem adolescentem audit Antiochus : *Quod* [q] *enim fratres nostri pauca perpessi sub testamentum Dei æternæ vitæ reciderunt, tu vero quod sis judicio Dei justas superbiæ pœnas persoluturus* (*Ibid.* 36). Audis et a nobis nos ita esse paratos interfici a te carnifice pro Deo, sicuti jam fratres nostros interfecisti, animas et corpora nostra tradere nos paratos pro Jesu Christo Dei vero unico Filio, confidere præterea nos de ejus

[a] *Translatum a patriis legibus :* apud Sabat. et Galland. Nos ex correctionibus Tilianæ editioni adjectis subjecimus *translaturum* ; et nihil pro arbitrio immutamus.

[b] Vers. Ant. *Sed ad hæc cum adolescens nequaquam inclinaretur, vocavit rex matrem, et suadebat ei*, etc. Fere similia legit Sabat. in Lucif. *Sed ad ista cum adolescens non intenderet, vocavit rex*, etc. Forte tamen in edit. nostra ita legendum, *adolescente non intendente.*

[c] *Eam verbis.... promisit suasuram se filio suo.* Vers. Ant. et sic Sabat. in Lucif. deleto *verbis. Verbis*, et *suo* non sunt in Græco.

[d] Vers. Ant. *Irridens.... ait.... fili mi.... novem mensibus.* Græc. non habet *mi* post *fili*, et ms. S. Theod. ac Cypr. epist. ad Fortun. præfert *mensibus decem*, ut Lucif. *Novem* habet Sabatierius.

[e] Vers. Ant. et Sabat. in Lucifero : *Ut aspicias ad cœlum, et terram, et ad omnia quæ in eis sunt, et intelligas*, etc. Lucifer convenit cum Cypr. epist. ad Fortun. excepto *oro* pro *peto.*

[f] *Dignus fratribus tuis effectus particeps, suscipe.... in illa miseratione cum fratribus tuis.* Vers. Ant. *Tuis* utroque in loco, et *particeps* abest a Græco, in quo cum Lucif. ἀλλὰ ἐπιδέξασθαι, *sed suscipias.* Sabat. legit, *dignus fratribus tuis*, et itidem postea *fratribus tuis.*

[g] *Adhuc diceret.... præcepto regis, sed præcepto legis, quæ*, etc. Vers. Ant.

[h] *Et si in nobis propter.... Dominus Deus noster modicum.* Ead. *Et si* legit etiam Sabat.

[i] *Tu autem,... vanis spebus.... ejus inflammatus.* Ead. sed nihil in textu Luciferiano mutare voluimus, uti Gallandius pro *speciebus* edidit *spebus.* Vide paullo infra.

[j] *In servos ejus inflatus.* Latin. et Vatic. ut et paullo infra.

[k] Vers. Ant. *Et omnia inspicientis. Et* addit etiam Sabat.

[l] *Fratres.* Latin. et Vatic. ut in Vers. Ant. *Fratres mei.... testamento æternæ vitæ effecti sunt.... superbiæ tuæ. Tuæ* abest a Græco, ut a Lucif., qui convenit in his ὑπὸ διαθήκην Θεοῦ, *sub testamento Dei*, etc. Etiam Sabat. legere videtur, *sub testamento æternæ vitæ effecti sunt*, et hic et paullo infra.

[m] *Fratres mei, animam et corpus meum.* Vers. Ant. cum Sabat. Græc. non habet *meum* post *corpus*, ut Lucif.

[n] *Desinet omnipotentis ira.* Vers. Ant. et cum ea Sabatier. in Lucifero. Græc. στῆναι. *Omnipotens ira.* Vatic. Alii, *desinere.* Litteræ inhæsit auctor, quemadmodum et in iis quæ mox subjiciuntur. *Galland.*

[o] Græc. in plur. ἀδήλοις ὄπίσιν. Paullo superius : *O sceleste.... vanis speciebus in servos ejus*, omisso *inflatus.*

[p] *Omnia conspicientis Dei.* Vatic. uti paullo superius.

[q] Hic convenit cum Græco in his ἀδελφοὶ, *fratres*, πεπτώκασι, *ceciderunt*, aut *reciderunt.* Vide paullo superius eadem, sensu retento, sed mutatis verbis. Hæc aliaque hujus loci complura immutarunt Lugdunenses Vulgatam secuti, ut alibi sæpe, haud plane laudando consilio. *Galland.*

infatigabili pietate, quod enim omnem quidem gregem suum sit maturius erepturus ex te rapace lupo, ex te cane rabido; tu vero quod sis, nisi tibi consulueris, semper in tormenta abiturus. Quid ego plus sive per scripturam, sive in præsenti tibi dixerim, volo revincas tu nostri temporis tyrannus. Si te ego carnificem dixi, dixit non solum iste adolescens justissimus, sed et ejus mater Antiocho coamenti tuo : si inventor omnis malitiæ dictus es a me si quod non sis effugiturus manum Dei, si sceleratus et omnium hominum flagitiosissimus, quia non sis omnia potentis, omnia conspicientis judicium effugiturus, sed in judicio Dei tu justas pœnas sis exsoluturus, hæc omnia jam ab isto religioso adolescente dicta fuerant collegæ tuo Antiocho. Contumeliosum me clamitas, quia videas digna tuis factis nomina tibi imposita, illa quæ jam contyrannis tuis imposuerunt nostri prædecessores, cultores Dei vivi. Petrus beatus apostolus, *Sobrii*, inquit, *estote, vigilate, adversarius* [a] *vester diabolus tamquam leo rugiens circumit, quærens, quem transvoret, cui resistite firmi in fide, scientes has easdem passiones in omni hoc sæculo fraternitatem vestram perpeti* (I *Petr.* v, 8). Si putas, quia contumeliosus sum, propterea quod audias mala esse quæ geris, in quo invenior diabolo resistere secundum apostoli præceptum? Ecce enim vino suo hic draco ad omnem te perducens ebrietatem, immisit in omnem Dei gregem, ut cunctos, tuo regali usus adminiculo, sicut ipse es, efficias ebrios : hoc est, insanos, vecordes dementesque. Te etenim quis de Sodomorum vite, de vinea Gomorrhæ sic efficit ebrium, ut temet fornicatum, sicuti sunt fornicati Judæi, non videres? In quo, inquam, resistemus diabolo, si tibi, per quem ad nos transvorandos semet armarit, non itum fuerit obviam? si non tibi fuerit dictum a sobriis ebrio, a sospitibus ægro, ab integris vulnerato, a videntibus cæco, a stantibus eliso, a piis impio, ab ovibus Dei rapaci lupo, a benignissimis misericordiamque diligentibus crudeli carnifici, sævo homicidæ, a Deum clarificantibus blasphemo, a cultoribus Dei sacrilego, a Christianis hæretico Ariano, si non tibi fuerit dictum a nobis : *Discede, minister adversarii nostri, da honorem Deo?* In quo resistemus diabolo, si tibi voluntatis illius sagenæ pepercerimus, si non universis ebrietas tua, hoc est insania, fuerit declarata, si denique non per id quod sævis adversum nos fueris omni orbi manifestatus? ex eo quod gerens sis hæc, non te Christi servum posse sentiri, sed plane mancipium illius, qui sit tamquam leo rugiens adversum nos. Hinc tibi videmur esse petulantes, quia dicimus tibi, vino illo te factum ebrium, de quo fuerint et illi ad omnem perducti ebrietatis dementiam; illi, ad quos vel propter quos dicitur : *Peccaverunt non ei filii maculati, natio* [b] *prava et perversa. Hæc domino retribuistis, sic plebs* [c] *fatua, et non sapiens* (*Deuteron.* XXXII, 5). Et infra : *Bibit vinum, et manducavit Jacob et satiatus* [d] *est, et calcitravit dilectus : pinguis factus est, et incrassatus est, dilatatus est, et dereliquit Deum qui fecit eum, et recessit a Deo salvatore suo* (Ibid. 14). *Exacerbaverunt me in alienis, in abominationibus suis concitaverunt* [e] *me, et sacrificaverunt* [f] *dæmoniis et non Deo, deos quos non noverant, novi ad præsens venerunt, quos nesciebant patres ipsorum. Deum qui te genuit, dereliquisti, et oblitus es Deum alentem te.* Sic te ut Judæos dereliquisse Deum, et idololatriam secutum probat quidem perfidia tua quam prædicas. Sed nunc ad hoc te solum arbitratus sum perducendum, ut videres non esse nos, quia quod sis tibi dicam, injuriosos petulantes atque superbos, sed veraces, sed præter Deum timentes neminem. Joannes beatissimus apostolus, *Charissimi nolite*, cum dicit, *omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sunt, quoniam multi pseudoprophetæ exierunt* [g] (I *Jo.* IV, 1) : tu mihi unus esse ex his pseudoprophetis manifeste videris, siquidem negando Dei unicum Filium, non te habere nisi antichristi spiritum in ore tuo sacrilego declares : hinc efficitur, ut nec audire possis nos loquentes de divina æternitate unici Filii Dei, siquidem spiritus ille qui in te manet antichristi non possit sustinere, et nolit se ex te pelli, sed sit cupiens eo usque in te mansitare, donec te videat ad illa raptum loca, in quibus ipse sit in perpetuum futurus : dolet enim te tam fidelissimum delicium [h] suum, te omnibus desideriis suis parentem ex se eripi. *Charissimi*, inquit, *nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sunt : quoniam multi pseudoprophetæ exierunt in sæculo* [i]. *Ex hoc intelligite* [j] *spiritum Dei. Omnis spiritus, qui confitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est. Et omnis spiritus, qui* [k] *destruit Jesum, ex Deo non est, et hoc* [l] *est quod est antichristi* (*Ibid.*). Et infra : *Isti de*

[a] Sabat. *Quia adversarius*, et *circuit*, et *devoret*. Sed ὅτι *quia* abest a quibusdam mss. ut in nostra edit.

[b] *Natio*, ut in mss. pluribus apud Sabat. qui aliter ac nos legit hic : *Peccaverunt ei, et non filii ejus in sordibus, generatio*, etc. *Generatio*. Vers. Ant.

[c] Cum mss. iisdem. *Populus stultus*. Vers. Ant. Variat Sabatierius; *Hæccine Domino reddis plebs*, etc.

[d] *Et impletus est, et recalcitravit.... impinguatus est, et incrassavit, et dilatus.... salutari suo*. Vers. Ant. Lucif. *Satiatus est, pinguis factus est*, cum ms. Rem. *Incrassatus est*, cum ms. Corb. *Salvatore suo*, cum Græco, σωτῆρος αὐτοῦ.

[e] Ita mss. aliquot. *Et exasperaverunt me*. Vers. Ant. *Diis alienis* addit Sabat.

[f] *Sacrificaverunt.... diis quos.... novi recentesque.... eorum*. Vers. Ant. Mss. Rem. et Corb. *deos*, Corb. *ad præsens* cum Lucif. Sabatierius aliter legit in Lucifero : *Diis quos.... novi recentesque venerunt, quos non coluerunt.... et oblitus es Domini creatoris tui.*

[g] *Dilectissimi.... quia .... exierunt in istum mundum*. Vers. Ant. Habet *sint* pro *sunt* Sabat.

[h] Singulare usurpat, quod non est in usu, pro plurali, *tam fidelissimas delicias suas;* ut alias ante sæpissime dictum est. *Til.*

[i] Sabatier. legit *in mundum*, ut in Vers. Ant.

[j] Cum Græco, γινώσκετε. Vers. Ant. *In hoc cognoscitur spiritus.*

[k] Vers. Ant. *Qui non confitetur Jesum Christum in carne venisse.* Lucifer cum Iren. lib. III, c. 16, præter *solvit*, pro *destruit*.

[l] Ex Græco, καὶ τοῦτό ἐστι τὸ τοῦ Ἀντιχρίστου. Vers. Ant. cum Sabat. *Et hic est antichristus.*

sæculo [a] *sunt, propterea de sæculo loquuntur, et sæculum audit eos : nos* [b] *autem ex Deo sumus. Qui cognoscit Deum, audit nos; qui autem non est ex Deo, non audit nos. Ex hoc intelligimus spiritum veritatis, et spiritum erroris* (*Ibid.* 5). Clarum est, Constanti, te esse antichristi portantem spiritum, te spiritu agi erroris. Sicut enim qui dixerunt, non suscepisse hominem de utero beatæ Virginis unicum Filium Dei, qui non illum crediderunt [c] incarnatum, hominem factum, habere erroris astruuntur spiritum, et antichristi nuncupantur, sic et vos Ariani cum unicum Dei Filium natum vere de Patre negatis, hoc est, de substantia Patris, verum illum esse Filium cum despuitis et semper illum cum Patre regnasse, numquam Filium fuisse sine Patre, neque Patrem sine Filio cum credere detrectatis, cum unam habere Patrem, et unicum Filium ejus deitatem negatis, cujus vos spiritu esse plenos manifestatis, nisi antichristi? Non etenim potest dicere Dei habens spiritum, *Erat quando non erat, et factus est ex nihilo*, de unico Dei Filio, cum illum sine initio credat cum Patre regnasse, et regnaturum sine fine. Itaque cum [d] non esse illum verum Dei Filium dicitis, cum denique ὁμοούσιον τῷ πατρὶ, quod dicunt Græci, nos vero Romani [e] dicimus *unius substantiæ cum Patre*, illum esse destruere tentatis, utique et vos de illis esse pseudoprophetis, et inter antichristos pronuntiatis [f]. Non me debes contumeliosum judicare, quia dicam te immundo spiritu agi, qui dicam te antichristi præcursorem; os etenim tuum te hoc esse revelat, neque enim habens spiritum Dei poterit talia adstruere quæ vos asseritis Ariani, aut cuncti variarum [g] sectarum vestri quoque hæretici. Negas Deum verum habere Filium, dicis illum esse adoptivum [h], et judicas ne [i] non intellectum, quod enim unus sis ex illis antichristis ore pronuntiantis [j] Joannis : revelatus es inquam te spiritu adverso duci. Inde est denique quod nec crediderimus tibi dicenti de Filio, *Factus est ex nihilo*. Cognovimus etenim hæc non posse [k] dicere, nisi pseudoprophetæ spiritum, nisi antichristi præcursorem, nisi satellitem atque mancipium dæmonum. Non tibi hæc dicenti potuimus credidisse, quandoquidem Spiritus sanctus et per prophetas fuerit locutus de unico Dei Filio, illum esse verum Filium Dei, illum æternum esse, et coæternum Patri, numquam neque Filium sine Patre, neque Patrem fuisse aut esse sine Filio, et beati hæc eadem apostoli retulerint : siquidem sanctus Spiritus paracletus, qui fuerit in prophetis, etiam in apostolis manserit, qui sanctus paracletus Spiritus, quia in Dei sit ecclesia, et vos sitis constituti extra ecclesiam Dei, cum non manens sit in vobis, utique probamini antichristi vos habere spiritum; qui immundus spiritus, ne hæc quæ ingerimus videatis, corda hæretica vestra tenebris offundit errorum [l] caligine cæca, ne scilicet ex ejus possetis emergere laqueis. Judicas nos esse contumeliosos, quia te qualem esse videmus pronuntiemus. Ecce etiam cum in evangelio κατὰ [m] Matthæum dixisse Dominum invenio : *Ecce ego mitto vos, sicut oves inter* [n] *lupos* (*Matth.* x, 16); tu mihi esse unus ex illis lupis videris, et quidem omnium luporum contra Dei gregem rugientium rabiem in quem videam congestam. Quis etenim Dei unici Filii negator non gaudeat, non præ se ferat, cum videat sic te Christi depopulatum gregem? Ex illis quoque unum te accipio incredulis, ex illis perfidis, ad quos dicitur : *Progenies viperarum, quomodo potestis* [o] *quæ bona sunt loqui, cum sitis mali? nam ex abundanti corde unusquisque loquitur de ore suo. Bonus homo de bono thesauro emittit* [p] *bona, et malus homo de malo thesauro profert mala* (*Ibid.*, XII, 34). Si bona sunt, Constanti, quæ loqueris,

[a] *Mundo*, et *mundus* apud Sabat. ut Vers. Ant. *Hi de mundo sunt : ideo*, etc.

[b] Vers. Ant. *Nos ex Deo. . . . novit Deum .... qui non est.... cognoscimus spiritum veritatis et erroris.*

[c] Duas in classes dividuntur hæretici, qui Deum Verbum, et Filium Dei hominem factum esse negabant; alii enim nullam penitus hominis cum Verbo conjunctionem fuisse arbitrati sunt, quorum principes Photiniani, et Samosateni; alii ludicram, et fictam, ac specie tenus exhibitam hominum oculis incarnationem docuerunt. Primos inpuere videtur Lucifer; et utrorumque historiam, ac dogmata vide apud Petavium lib. I de Incarn. cap. 2 et 4.

[d] Ita cum Poncio apud Latin. Antea *eum*.

[e] Se Romanum dicit, quia e Patriarchia Romana cum Sardus esset. *Til.* De origine potestatis et jurisdictionis patriarchalis vide Binghamum in Tom. I de Orig. Eccles. Utrum autem Sardinia Patriarchæ Romano subesset, an forte Constantinopolitano, disputat Mattheius in Sardinia Sacra cap. IV. dissertat. de Sardin. ejusque ecclesiis : mihi tamen videtur verisimilius, Luciferum, cum se Romanum appellat, ad linguam, qua Romani utebantur, respicere, scilicet latinam, ut, quod Græci ὁμοούσιον τῷ πατρὶ dicunt, a Romanis *unius esse substantiæ cum Patre* dici latino sermone significet. De ὁμοουσίου et *substantiæ* vocibus vide Petavium pluribus in locis inter libros de Trinit. ubi in lib. V. cap. 7 num. 2, potissimum docet Arianos veram e substantia Patris generationem oppugnasse.

[f] *Pronuntialis* cum Poncio et Galland. Antea *pronuntiari*.

[g] In plures enim sectas divisa fuit Ariana hæresis, quæ omnes de Christi divinitate male sentiebant. Has recenset Petavius lib. I. de Trin. cap. 10.

[h] Ariani, cæterique hæretici, qui Filium Dei ὁμοούσιον negarunt, vereque genitum, prorsus naturalem filium abstulerant, adoptivum solummodo putantes, communi quidem cum cæteris hominibus, licet potiori, atque insigniori adoptione. Hunc igitur errorem hic Lucifer exprobrat Constantio : de adoptiva autem Christi filiatione secundum humanam naturam, vide, quæ Petavius docte, eruditeque tractat in lib. 7. de Incarn. contra hæresim Felicianam, et illustres quosdam in Catholicis Scholis Theologos.

[i] *Judicas te*. Til. et Galland.

[j] *Pronuntiatis*. Iid.

[k] *Potuisse*. Vatic.

[l] Cum Latin. et Galland. ita corrigendum censuimus, ubi antea leg. *offundi terrorum*.

[m] Id est *secundum*.

[n] Ita etiam Ms. Corb. Vers. Ant. *In medio luporum*.

[o] *Potestis bona loqui.... ex abundantia enim cordis os loquitur*. Vers. Ant.

[p] Græc. ἐκβάλλει. Vers. Ant. *profert*.

bonum potes habere thesaurum. Petulans sum, quia dicam tibi, tenebras tuo habitare in corde; inde ex tenebrosissimis sensibus tuis, ut es, immunda tenebrosaque audes proferre. Ecce, etiam illud quod dictum est beato Petro a Domino si audias, dicturus sine dubio me contumeliosum. Matthæus sanctissimus, *Adhuc*, inquit, *ipso loquente, ecce Judas unus de duodecim* [a], *et cum eo turba multa cum gladiis et fustibus, missi a principibus sacerdotum, et senioribus plebis : qui autem tradidit eum* [b], *dedit eis signum dicens : Quemcumque osculatus fuero, ipse est, tenete eum. Et confestim accedens ad Jesum ait : Ave Rabbi. Et osculatus est eum. Dixit* [c] *autem Jesus : Ad quid venisti amice ? Tunc accesserunt, et manus injecerunt in Jesum, et tenuerunt eum. Et ecce unus ex his qui erant cum Jesu, extendens manum, exemit gladium suum, et percussit servum principis sacerdotum, et amputavit auriculam ejus. Tunc ait illi Jesus : Converte gladium tuum in locum suum* [d]; *omnes enim qui accipiunt gladium, gladio peribunt* (*Ibid.* XXVI, 47). Contumeliosum me dicas necesse est, cum audieris, quia, si gladio utaris, sis periturus gladio. Aut numquid non es usus gladio [e] Christianorum ? Si nullum gladio interemisti, si nullum ad mortem usque persecutus es, cur Dei unicum Filium verum Filium fuerit esse confessus, cur apostolicam atque evangelicam tenuerit fidem, cur non esse Arianus voluerit, potueris non perire gladio? Audis enim dictum beato Petro et utique a Deo Dei unico Filio, omnis, qui gladio utitur, quod gladio sit periturus. Contumeliosus sum quia dixerim tibi; *Christianis non licet interficere, quia pati, non facere dignum sit injuriam Christianos, interfici* [f]; *debes etenim pro Christo non Christianos se clamitantes interficere.* Hæc nobis dedit mandata Dominus; si custodita fuerint, tunc Christiani esse perseverabimus. Contra tu cum gladio digneris ejus persequi servos, non te utique jam Christianum poterimus nuncupare, sed plane latronem vel gladiatorem. Interea, quoniam recitavimus, quomodo coamens tuus Scarioth Judas tradiderit Dominum, isto in loco ejus penitus retractemus sacrilegii causas et tuas, et invenies unum vos esse te et Judam Scariotham. Ille tradidit Dominum Judæis, quia non fuerat credens, nisi quomodo sit nunc credens consecutus tuus Sirmiensium, qui dicebatur ac dicitur indigne Photinus. Tu tradidisti cum, et quidem toti orbi, ut cuncti ejus possint negare divinitatem. Quis vestrum in scelere major est ? Ego arbitror quia tu. *Omnis* [g] *enim qui peccaverit in Filium hominis, dimittetur ei : qui autem blasphemaverit in Spiritum sanctum, non dimittetur ei, neque hic neque in futuro* (*Ibid.* XII, 32). Et tu deitatis illius, quo cuncti possunt [h] negare, exstitisti traditor. Quantum enim apud te est, tradidisti eum, de quo et libros [i] scriptos dedisti, et prædicatores benigni voti tui omni in loco constituisti. Quem quo possent omnes negare verum illum esse Dei Filium, apostolicam atque evangelicam contra vos hæreticos apud Niciam descriptam fidem fecisti [j] judicare hæreticam, et blasphemiam tuam fecisti dici catholicam. Et tamen iste Judas, qui eum tradiderat, videns in suæ salutis se operatum necem, *pœnitentia ductus, retulit triginta argenteos principibus sacerdotum et senioribus dicens : Peccavi, quod tradiderim sanguinem justum. At illi dixerunt* [k] *: Quid ad nos ? tu videris. Et projectis argenteis in templo, secessit; et abiit, et laqueo se suspendit* (*Ibid.* XXVII, 3). Ille licet uno momento pœnituit, et pretium quod acceperat reddidit; tu quid tale ? qui conventus piaculum te facere ab ejus servis non solum non pœniteris, sed et magis in contumaciam creveris; tu quid tale ? qui sis dans omnes copias regni tui, ut possis sacrilegium tuum firmare, qui, quos alio modo corrumpere non potueris a veritate, nonnullos ingenti præmio facultatum tuarum corruperis, qui certum numerum egenorum ita locupletaveris, ut comitibus [l] tuis de di-

[a] Vers. Ant. et Sabat. *Venit, et cum eo turba multa.*

[b] Vers. Ant. *Illum, dedit illis. . . . ad Jesum, dixit.*

[c] *Dixitque illi Jesus.* Eadem. *Dixit illi Jesus.* Sabatierius hic.

[d] *In loco suo*, in lib. II. pro S. Athanasio.

[e] Hic aliquid deesse comperitur. Quid si legamus, *in necem Christianorum ?* id sane vel quid simile contextus postulare videtur. *Galland.*

[f] Adjiciendum, *et interfici.*

[g] Vers. Ant. *Et quicumque dixerit verbum contra .... remittetur. . . . dixerit contra.... remittetur.... in hoc sæculo neque in fut.*

[h] Forte *possint*, ut sit sensus : *Et tu deitatis illius, ut cuncti eam possint negare, exstitisti traditor.* Til.

[i] Vide librum *de non conveniendo cum hæreticis* (*hic col.* 780), et notas in lib. *Moriendum pro Filio Dei.*

[j] Hæc de Synodo Ariminensi intelligenda sunt, in qua an. 359. unanimi Patrum consensu ὁμοουσίου vox, a Concilio Nicæno stabilita, quæ veluti fidei tessera erat ad secernendos ab Arianis Catholicos, silentio omissa fuit : hinc Hieronymus adversus Luciferianos de actis Ariminensis Concilii hæc scripsit : *Tunc Nicænæ Fidei damnatio conclamata est. Ingemuit totus orbis, et Arianum se esse miratus est.* Possunt tamen Luciferi verba referri ad Synodum Nicænam ejusdem anni, ad quam plurimi Catholici Episcopi vi adducti, et callide ab Arianis circumventi οὐσίας, ac ὁμοουσίου voces rejecerunt. Vide Theodor. lib. II. Hist. cap. 21. In utraque vero Synodo *Filius Patri similis* subdolo Arianorum sensu declaratus est; in Ariminensi tamen Ursacii ac Valentis fraude hæ præterea formulæ propositæ sunt, atque Episcoporum anathemati subjectæ, quæ *Filium* non negabant *creaturam* esse, sed similem cæteris creaturis; quare Ariana blasphemia quodammodo probari videbatur. Vide etiam Baron. ad hunc annum.

[k] *Dixerunt ei* Vers. Ant. Sed *ei* abest etiam a Græco.

[l] Comites tunc erant præcipui magistratus apud Cæsarem. *Til.* Sed haud recte : erant enim imperatorii palatii proceres, qui Comites ideo dicebantur, quia Imperatorem comitabantur quocumque, neque ab ejus latere unquam discedebant : hoc etiam nomine ii dicti fuerunt, qui palatii ministeriis, ac officiis præerant, at nullam magistratus formam gerebant. Comites vero provinciales, ii quidem suo magistratus munere fungebantur, sed, uti ex Du-Cangio conjicimus in Gloss., sub imperio Constantii nondum instituti fortasse fuerunt. Primos hic tenuit Lucifer, quorum divitiis fere æquabant abjectissimi

vitiarum magnitudine possint æquari. Judas postea- A quam facinus suum advertit, laqueo finivit vitam : tu qui pro magnitudine maleficii tui majori mereris plecti supplicio, quid eris acturus, cum male te fecisse sero licet cognoveris ? cum ea, quæ nunc possunt conspicere, minime suppurati veneno hæretico oculi tui videre cœperint ? et tamen, si velis credere, dimittatur tibi necesse est id quod ex ignorantia geris, sicuti dimissum beato Paullo apostolo advertis : sin vero, sic eris ut Judas descensurus ad infernam noctem, tunc dicturus eis, qui te nunc hæc facere compulerunt, hoc est coarianis tuis : *Peccavi vobiscum, negans unicum Dei Filium; peccavi tribuendo vobis auctoritatem ad ejus æternam negandam clementiam.* Tunc cum cognoscere cœperis Patris et Filii et Spiritus sancti unam nos recte confiteri æternitatem, B cum videre cœperis quod una sit magnitudo unaque potentia in Patre, et in unico Filio ejus, et in sancto paracleto Spiritu, ubi tunc erunt qui te impulerunt ad hoc perpetrandum sacrilegium, ut dicas ad eos : *Pœniteor, quia vobiscum Dei inimicis cucurrerim, quia vobiscum fuerim persecutus Dei domum ?* tecum erunt sine dubio in gehenna. Ubi tunc erunt divitiæ regni tui, quæ tibi non ad salutem, sed proficiunt ad æternum tuum interitum ? Optamus quidem, ut tibi salutis tuæ inimico dignetur revelare Deus veritatem, emergasque e tantis periculis. Cæterum quantum in scelere sis eminentior ab Scarioth Juda, non est laboris æstimare; quandoquidem tu [a] ad ejus divinitatem negandam omnem convocaveris orbem; Judas vero solis illis Dominum tradiderit, qui in eum nec C dum crediderant; tu contra etiam eos provocare dignatus es ad negandam ejus deitatem, qui jam crediderant. Judas nulli vim intulit ut secum periret, tu contra cum militari manu sis pugnans contra nos, quos cognoscis credere, quomodo patriarchæ, prophetæ, apostoli, ac martyres crediderunt; utique quantum distet inter te atque Judam non est magni laboris perpendere. Dicis me contumeliosum, qui et me et mihi commissos sim cupiens non tua pestifera doctrina vulnerari, quia dicam tibi morbo te plenum, et iccirco esse [b] a Dei vitandum servis, ne jam ipsi morbidi effecti una hac tua pereamus peste. *Utinam*, inquit Corinthiis apostolus, *sustineretis* [c] *pusillum insipientiæ meæ, sed et supportate me. Æmulans* [d] *enim vos Deo æmulor. Statui enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo. Timeo autem ne sicut serpens Evam seduxit astutia* [e] *sua, corrumpantur sensus vestri a castitate quæ est in Christo Jesu* (II *Cor.* XI, 1). Iccirco tibi videor esse contumeliosus, quia sim timens, ne per blasphemias tuas corrumpas castitatem quam habemus in Christo Jesu, quia sumus metuentes ne sicut serpens charissimus B tuus Evam seduxit astutia sua, seducas nos a Deo, et facias reos mortis. Dicis me contumacem, quia dicam te operarium dolosum pseudochristianum. Non sunt primum per me adversum te prolata. Audis etenim beatum apostolum operarium te designasse dolosum pseudoapostolum : nam ejusmodi pseudoapostoli sunt operarii dolosi, transfigurantes se in apostolos Christi. Nec mirum : ipse enim satanas transfigurat se sicut angelus lucis : non magnum si ministri ejus transfigurantur, sicut ministri justitiæ, quorum finis est secundum operationem ipsorum. Hinc tibi videor esse superbus, quia dicam te cognoscens ex actibus tuis ex illis esse, quos tales futuros Spiritus sanctus per apostolum præostenderit. Si non es tu operarius dolosus, revince me. Ego enim scio quod C fingis te Christianum, cum Arianus sis, omnes nos volueris servos cujus tu satellis [f] es facere. Nisi non es operarius dolosus, tu proba nos. Etenim videmus in quibusdam pium [g] te fingere, cum omnem exerceas in nos Christianos impietatem tuam. Si non es tu operarius dolosus, quomodo fingens pacem [h] te firmare, conatus fueras ad omnem Dei ecclesiam destruendam, ad pacem ei per unicum Filium [i] tra-

e læce Arianorum homines a Constantio ditati Catholicorum bonis et opibus, quos aut exsiliis, aut morte plectebat. Nonnulla in hanc rem notavimus in lib. II. pro S. Athan.

[a] Cum nimirum Ariminensis, cui Occidentales, et Seleuciensis Synodus, cui Orientales Episcopi interfuerunt, eodem anno 359. coacta fuit jussu Constantii, ut omnes tandem contentiones Arianos inter et Catholicos dirimerentur; sed usitatis hæreticorum fraudibus, quarum præsidio Nicænam fidem evertere conabantur; et in Concilio Ariminensi quid gestum fuerit diximus; in Seleuciensi vero Semiariani triumpharunt, et ὁμοιούσιον Filium esse decreverunt, confirmata secunda Arianæ fidei formula, quæ e tribus edita fuerat in Antiocheno Conciliabulo an. 341.

[b] *Te esse.* Vatic.

[c] Vers. Ant. *Portaretis.. insipientiam meam.* Græc. in ms. Borner. cum Lucif. μικρὸν τῆς ἀφροσύνης μου.

[d] *Æmulans enim vos Deo æmulor.* Videtur itaque legisse Lucifer : Ζηλῶν γὰρ ὑμᾶς θεῷ ζηλῶ. Atque hanc lectionem præferunt Codd. Clarom. et Sangerm. apud Millium. *Galland.*

[e] *De astutia sua.... a castitate, et simplicitate, quæ est in Christo.* Vers. Ant. Lectionem Luciferianam *a castitate* exhibent quoque Ambrosius, Augustinus, Prosper, Gaudentius, ex interpretamento nimirum τοῦ ἁπλότητος. Vide Millium ad hunc locum. *Galland.* Verum in Græc. Cod. Colbert. I, tum Reg. ac Sangerm. apud Sabat. legitur ἀγνότητος, καὶ ἁπλότητος, et in Borner. Græco-Lat. apud eumdem ἁπλότητος, καὶ ἁγνότητος; cumque ἁγνότης Græce sit *castitas* Latino nomine, ii Patres, qui *a castitate* scripserunt in textu Paullino, non ex interpretatione τοῦ ἁπλότητος, sed ex ipso Græco nomine ἁγνότητος, atque ex Græco textu locutionem illam accepere. In Cod., quo Lucifer usus est, deerat forte τὸ, καὶ ἁπλότητος, *et simplicitate.*

[f] Pro *satelles, minister*, ut *Prophetis*, sive *prophetes*, pro *propheta*. Til. et la Cerda.

[g] Eleemosynis, ac muneribus sacris, de quibus in lib. I, pro S. Athan.

[h] Dicta de hoc plura ad libr. *de non conven. cum hæret.* Sed cum liber *de non parcendo in Deum delinquentibus* scriptus fuerit post Ariminense Concilium, fortasse id innuit Lucifer, quod in Socrate legimus lib. II, cap. 37, edit. Vales. Constantium scilicet *concordiæ causa* duo illa decrevisse Concilia, alterum Arimini, alterum Seleuciæ habitum : *sed ejus consilium felici successu caruit.*

[i] *Dei Filium.* Vatic.

ditam dissolvendam ? neque enim pacem Domini habere possim exinde, ex quo fecissem id quod mihi jubebas contra Domini præceptum, ex quo ipsum denique unicum Dei Filium, ut tu negas, cœpissem negare. Si non [a] transfiguratus es in apostolos Christi, qui, tamquam vere ad te omnis cura ecclesiæ pertineat, sic sis sollicitus videlicet, ne quis alicubi catholicus præsit ecclesiæ episcopus, ne quis relinquatur, qui se possit fateri Christianum. Tollis [b] episcopos catholicos, ordinas hæreticos, scribis horrendas comminationes, ne forte oriatur seditio : utique qui ignorat, arbitratur te, dum hæc agere conspicit, esse Christianum : nos contra, qui instruente apostolo beato cognoscimus transfigurasse sicut angelum lucis satanam, qui hæc cuncta adversum ecclesiam sanctam per te gerit, mirari non possumus si te ministrum ejus conspiciamus, si velut justitiæ transfiguratum ministrum, justitiæ [c] hortatamur. Utinam temet convertas ad hoc, quo possis credi Dei servus, quo possis judicari et intelligi Christianus. Quotiens dicitur a nobis tibi, non te potuisse Dei unici Filii negatorem existere, nisi quia sis adverso plenus spiritu, dicere es solitus, quod enim tibi injuriam faciamus : et quamvis rem hanc plurimis in locis jam probaverim, immundis spiritibus instigantibus corda vestra, vos venire contra Dei familiam, adhuc in Actibus apostolorum sume quæ acciderint. *Factum est autem euntibus nobis ad orationem, puellam quamdam habentem spiritum pythonis occurrere* [d] *nobis, quæ reditum multum præstabat dominis suis divinando. Hæc subsecuta Paullum* [e] *et nos, clamavit dicens : Hi servi Dei excelsi sunt, qui prædicant nobis* [f] *viam salutis. Hoc autem faciebat per multos dies : quod* [g] *cum indoluisset Paullo, conversus ad Spiritum ait* [g] *: Præcipio tibi in nomine Jesu Christi, ut exeas ab ea. Et exiit eadem hora. Videntes autem domini ejus quia exiit spes* [h] *reditus eorum, apprehensum Paullum et Sileam, extraxerunt ad forum ad magistratus, et obtulerunt* [i] *eos dicentes : Homines hi conturbant civitatem nostram cum sint Judæi, et prædicant sectam* [j] *quam non licet nobis recipere nec facere, cum simus Romani. Et consurrexit* [k] *universa turba adversus eos, et magistratus, destitutis* [l] *tunicis eorum jusserunt eos virgis cædi. Et cum* [m] *multas eis imposuissent plagas, miserunt eos in carcerem, præcipientes custodi carceris diligenter servare eos : qui* [n] *cum tale præceptum accepisset, misit eos in imam carceris, et pedes eorum in nervo conclusit. Circa* [o] *mediam autem noctem, Paullo et Silea orantibus, et hymnum canentibus Deo, audiebant eos cæteri vincti. Repente autem terræ motus factus est magnus, ita ut* [p] *conculerentur fundamenta carceris : et ostia aperta sunt, et omnia vincula soluta sunt. Expergefactus est* [q] *custos carceris, et cum vidisset ostia carceris aperta, eximit gladium ut se interficeret, et* [r] *existimans fugisse vinctos. Exclamavit autem Paullus voce magna dicens : Nil tibi mali feceris : omnes enim hic* [s] *sunt. Quo* [t] *audito custos carceris petit lumen, et ingressus est, et tremens procidit ad pedes Paulli et Silæ : et* [u] *cum produxisset eos foras, ait : Domini quid me oportet facere ut salvus sim ? At* [v] *illi dixerunt : Crede in Deum Jesum, et salvus eris tu et domus tua. Et locuti sunt ei verbum Domini cum* [x] *omnibus qui erant in domo ejus. Et sumens* [y] *eos ipsa hora noctis lavit a plagis : et bap-*

[a] Subintellige, *proba nos*, id est *contra nos, si non es transfiguratus* etc. Gallandius edidit *in Apostolum Christi*, et *quia* pro *qui* substituit, ut sensus constet ; sed constat ex ipsis Luciferi verbis, quæ sic interpretamur : *Proba contra nos, te non suscepisse tuo prorsus arbitrio apostolicum munus, qui* etc. Quæ ironice dicta esse patet, et sensu exprobrantis Constantio, quod ecclesiasticis negotiis se se immisceat in perniciem Catholicæ fidei.

[b] De his plura notavimus in libris superioribus.

[c] Id est, *hortamur et invitamus te ad justitiam tuendam et conservandam, admonemus te de justitia.* Til. Gallandius hisce verbis, *justitiæ hortamur*, hanc notam subjicit ; *Quomodo ista cum præcedentibus cohæreant, judicent eruditi.* Sed ita videntur recte cohærere ; *Si te, qui justitiæ minister vis videri, ad veram justitiam hortamur.*

[d] *Obviare nobis, quæ quæstum* etc. Vers. Ant. ms. Cantabrig. *reditum* cum Lucif.

[e] *Paullum, et nos*, cum ms. Cantabrig. *Paullo et nobis clamabat.... Hi homines.... adnuntiant.* Vers. Ant.

[f] *Vobis.* Vatic. cum Græco ὑμῖν.

[g] Vers. Ant. *Dolens autem Paullus, et conversus, spiritui dixit.*

[h] *Spes operationis.... adprehendentes Paullum et Silam duxerunt in forum ad principes.* Ead. *Silam* pro *Sileam* habet etiam Sabat. hic et infra.

[i] *Obtulentes eos magistratibus, dixerunt.* Ead.

[j] *Mores quos.... Romanis constitutis.* Ead.

[k] *Constituit turba adv.... discissis.... jusserunt virg.* Ead.

[l] *Discissis* Latin. ut in Vers. Ant. Quid sonent ista hoc loco, plane se nescire fatetur Millius prolog. § 774. Duxerim equidem scripsisse Luciferum *disruptis* seu *diruptis tunicis.* Græc. περιρήξαντες, *dirumpentes.* Galland.

[m] *Multa autem imponentes illis plagas, miserunt in carcerem.... custodire eos.* Vers. Ant.

[n] *Qui præc. tale accipiens.... in interiorem carcerem.... diligenter conclusit in lignum.* Sic legit Sabat. apud Lucif. *In imum carceris, et pedes eorum strinxit ligno.*

[o] *Circa mediam autem noctem*, cum ms. Cantabr. *Media autem nocte Paullus et Silas adorantes hymnum canebant Deo : audiebant autem eos vincti.* Vers. Ant.

[p] *Ut moveri. . . . aperta sunt autem protinus ostia omnia, et universorum vincula, etc.* Ead.

[q] *Experge autem factus custos .... et videns apertas januas carceris, stringens gladium incipiebat se interficere, æstimans effugisse vinctos.* Ead.

[r] *Et* demit Latin. ut in Vers. Ant. Demit etiam Sabat.

[s] *Hic*, cum ms. Cantabr. *Sumus in præsenti.* Vers. Ant. *Sumus* quoque legit Sabat in Lucif. Habet etiam *nihil* pro *nil.*

[t] His omissis, *petens autem lumen introgressus est, et tremefactus procidit Paullo et Silæ.* Vers. Ant. Græc. ἐπὶ τοὺς πόδας, cum Lucif.

[u] Vers. Ant. *Et producens eos foris ..... fiam.* Ms. Cantabr. cum Lucif.

[v] *Illi autem .... in Dominum Jesum Christum ..... et universa*, etc. Vers. Ant. Vide paullo infra.

[x] Σὺν πᾶσι. Græc. in mss. quibusdam. Vers. Ant. *et omnibus.*

[y] *Et adsumens eos in ea .... ipse et qui illius erant omnes continuo.* Vers. Ant. *Lavit eorum plagas*, legit Sabat. in Lucif.

tizatus est ipse cum omnibus suis : et ducens [a] *eos in domum apposuit mensam, et epulabantur* [b] *cum universa domo sua, credens in Domino.* Igitur ut ille spiritus pythonis audiens nomen Domini Jesu Christi, mox effugatus est de domo sua, concitavit universum populum civitatis adversus unici Filii Dei majestatis prædicatores, ita et te cum tuis contra nos ejus servos illi impuri spiritus concitaverunt. Nec dubites te iisdem agi spiritibus, quibus fuerint acti contra Paullum et Sileam surgentes, quando te sic Dei religionis factum videas persecutorem, ut illud vulgus fuerit, quod nec dum credidisset in Dei unicum Filium, quod non aliunde tales, nisi quia sine spiritu fuerint Dei, ut tu quoque esse probaris. Spiritum etenim te habere sanctum non posse, nisi credideris in Dei unicum Filium, custodis istius carceris factum manifestat, qui cum utique unus fuerit e populo illo resistenti, tamen est [c], posteaquam credidit, quia jam sancto regeretur Spiritu, quo regerentur Paullus et Sileas, nonnisi viam tenere amplexus fuerit eorum, propter quos viderat januas sponte carceris reseratas. Ita tu qui nunc diverso ageris spiritu, nisi credideris in unicum Dei Filium, sicut etiam nos credimus, habere in te non poteris nisi adversarii nostri spiritum. Ait etenim ille custos ad gloriosos Paullum et Sileam : *Domini quid me oportet facere ut salvus sim? At illi dixerunt : Crede in* [d] *Dominum nostrum Jesum, et salvus eris tu, et domus tua* (*Ibid.* 30). Constat igitur non te esse salvum, quia adhuc non credideris in Dominum Jesum. Nec enim poteris te asseverare credidisse in eum, cum sis eum persequens. Aut numquid arbitraris, non te ipsum persequi in nobis? si non ipsum persequeris in nobis, quomodo ipse dicit ad Saulum : *Quid me persequeris?* [e] *Durum est tibi calcem* [f] *mittere contra stimulum* (*Ib.* IX, 4). Quid agebat Saulus ut hæc audiret a Domino? nempe hæc quæ tu : sic etenim ille negabat unicum Dei Filium, ut sis negans tu. Non enim Paullus tunc persecutor, postea vero qui perpeti cœperit persecutionem, locirco Christianos persequebatur, quia credidissent, sicuti tu credis, *quod fuisset quando non fuerit, quod factus fuerit ex nihilo*, et *quod verus sit* [g] *Filius :* sed utique quod auderent unicum Dei Filium confiteri, quod credere se astruerent Christiani, quia æternitas una sit Patris et Filii, quia una sit dealitas, quia una sit potentia in Patre et Filio. Hæc exsecrabatur Paullus, existimans errare Christianos : at ubi illustratus est per eum, quem negabat, ubi cognovit de libris Moysis, et de omnibus prophetarum voluminibus, confestim hæc cœpit, quæ impugnabat, defendere, quæ scilicet ante defenderent illi quos persequebatur quam credidisset. Cæterum quis tam vecors erat, ut estis vos Ariani, aut est Photinus Sirmiensium, qui vere dicitur Scotinus, ut crederet in creaturam, in eum *qui fuerit quando non fuerit*, in eum *qui creatus sit ex nihilo?* Apparet igitur cunctos vos non credentes, sicut credit ecclesia gloriosa, spiritu duci adverso ; de quo adverso spiritu liberari non poteris, nisi credideris verum illum esse Filium Dei. *Contumeliam*, inquis, *faciunt mihi episcopi.* Cur tibi videmur contumeliosi? nempe quia dicamus : *Quid te Christianum fingis?* Videris etenim esse Arianus, videris esse Dei religionis hostis. Hinc apud te ac tuos esse injuriosi videmur. Sed conspice quæ, ut ageremus episcopi contra vos lupos, fuerit locutus beatissimus apostolus : *Vos scitis a prima die, qua ingressus* [h] *sum Asiam, quemadmodum vobiscum fui per omne tempus serviens Domino in* [i] *omni humilitate et lacrymis et tentationibus, quæ mihi acciderunt ab insidiis Judæorum, quomodo* [j] *nihil subtraxerim ob eis quæ utilia essent, quomodo renuntiarem* [k] *vobis, et docerem publice, et per domos, testificando* [l] *Judæis et Græcis in Deum pœnitentiam, et fidem in Dominum nostrum Jesum. Et nunc ecce vinctus* [m] *spiritu vado Jerusalem, quæ in ea mihi eventura sunt ignorans, nisi* [n] *Spiritus sanctus per omnem civitatem protestatur mihi dicens : Quia vincula et tribulationes me manent in*

[a] *Cumque perduxisset eos in domum suam .... eis mensam, et exsultabat credens Deo*, Vers. Ant. *Domum suam, apposuit eis mensam, et lætatus est*, legit hoc loco Sabat. Ms. Cantabrig. habet *cum tota domu sua*, ut Lucif.

[b] *Epulabatur*. Latin.

[c] Id est, *factum est, quod, posteaquam credidit .... amplexus fuerit*, etc.

[d] Paullo superius, *in Deum Jesum*.

[e] *Persequeris? Ego sum Jesus, quem tu persequeris. Durum*, etc. Vatic.

[f] *Calcitrare*. Vers. Ant.

[g] *Non sit*. Latin. Gallandius eamdem particulam *non* Luciferiano textui inconsulto adjecit. Lucifer enim hoc in loco non implietatem solum, sed ipsum quodammodo stuporem Arianorum objurgat, qui Filium Dei verum esse Filium, at non ὁμοούσιον, id est *consubstantialem* docebant ; cum verus esse nequeat Filius, qui non sit *ejusdem cum Patre substantiæ* : ils igitur et Constantio Lucifer irridet, quippe verum esse Filium Patris obtruderent, quem *fuisse, quando non fuerat*, quem *factum fuisse ex nihilo* dicebant. Vid. Petav. lib. II. de Trinit. cap. 10. Fucum autem verbis appingebant Ariani, et *Filii* vocem non propria ac strictiori notione, sed laxiori ea intelligebant qua vox eadem ad creaturas ratione præditas transfertur, unde homines etiam *Filii Dei* appellantur.

[h] *Ex quo accessi in Asiam, qualiter*, etc. Vers. Ant. ms. Cantab. *quemadmodum*, ut Lucif.

[i] *Cum*, et *in insidiis*. Vers. Ant.

[j] Ὡς οὐδὲν ὑπεστειλάμην τῶν συμφερόντων, Græc *Subtraxerim quod profuit quod non adnuntiarem .... docerem vos*, etc., Vers. Ant. *Vos* omittit etiam ms. Cantabrig.

[k] Græc. τοῦ ἀναγγεῖλαι. Cæterum et in Cod. Cantabrig. deesse paruculam negantem μὴ testatur Millius, ut est in not. Galland.

[l] *Testificans Judæis quoque, atque Gentibus, quæ .... et fidem quam in Dominum Jesum Christum*, Vers. Ant. Græc. cum Luc. Ἰουδαίοις τε, καὶ Ἕλλησι τὴν εἰς τὸν Θεὸν μετάνοιαν : et in mss. Græc. quibusdam abest etiam τὴν post πίστιν, *fidem*, et Χριστὸν, *Christum*.

[m] *Ecce ego .... in Hierusalem .... ventura*. Vers. Ant. *In Jerusalem* habet etiam Sabat.

[n] *Verum tamen, quod Spiritus sanctus protestatur mihi dicens : quoniam .... manent*. Vers. Ant. In Græc. quibusdam κατὰ πάσας πόλεις, *per omnes civitates*, et εἰς Ἱεροσόλυμα, *in Hierosolymis*, cum Lucif.

Hierosolymis. Sed [a] *pro nihilo æstimo animum meam caram esse mihi, quam consummare cursum meum, et ministerium verbi quod accepi a Domino, testari Judæis et Græcis evangelium gratiæ Dei* [b]. *Et nunc ego scio quod amplius non videbitis faciem meam vos omnes, inter* [c] *quos perambulavi in* [d] *prædicando regnum Domini Jesu. Propter* [e] *quod contestor vobis hodierna die, quia mundus sum a sanguine omnium, et non prætermisi* [f] *prædicando* [g] *omnem voluntatem Dei. Attendite* [h] *vobis et omni gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere ecclesiam Domini* [i], *quam acquisivit sanguine suo. Ego scio* [j] *quia intrabunt post discessum meum lupi graves in vos, non parcentes gregi: ex* [k] *vobis ipsis exsurgent homines, et loquentur perversa, ut adducant discipulos post se. Propter quod vigilate, memoriam* [l] *tenentes, quia per triennium nocte ac die non cessavi cum lacrymis monendo unumquemque vestrum* (*Ib.* xx, 18). Cum hæc mandata videas esse apostoli, quid me jubes facere, ne contumeliosus esse videar tibi? nempe tacere me, et sinere jubes, ut tu unus ex illis lupis designatis gravibus quovis modo grasseris in Dei gregem. Videmus vos lupos, quos præostendere est dignatus Spiritus sanctus per vas electionis apostolum, omnem comprehendere conatos Dei gregem; et nos, episcopos [m] quos Spiritus sanctus ad gerendam [n] Dei ecclesiam constituerit, dicit beatus apostolus, debemus tibi lupo parcere, debemus vereri regni tui diadema, inaurem [o] etiam et dextrocheria [p], debemus insignes quas esse censes vestes tuas honorare, et despicere rerum creatorem atque rectorem? Quis te imprudentior est, ut dicas: *Injuriam patior a Lucifero, imperator ab homine egeno?* nec dignaris dicere *ab episcopo*, quia esse lupus fueris agnitus, et merueris repulsam. Tali potasti me onerandum invidia, ut assentiaris Dei servum tibi imperatori exstitisse contumeliosum. Si putas nos injuriosos, accipe quid responderit principi sacerdotum prohibenti prædicare unicum Dei Filium beatus Paulus. *Intendens* [q], dicit scriptura, *in concilium Paulus, dixit: Viri fratres, ego omni conscientia bona conversatus sum coram Deo usque in hunc diem. Princeps* [r] *autem sacerdotum Ananias* [s] *circumstantibus* [t] *sibi præcepit percuti os Pauli. Tunc Paulus ad eum dixit: Percutere te incipiet Deus, paries dealbate: et tu sedes judicans* [u] *de me secundum legem, et contra legem jubes me percuti* (*Ib.* xxiii, 1). Igitur si non potest sacra lex beatum Paulum contumeliosum judicare, quia hoc dixit injuste judici, nec tu me vera tibi, et quod es dicentem juste poteris dicere superbum. Reum me contumeliarum designas, sed quæso te dicas, cui de me possis conqueri? Si Deo, quomodo ei quereris quem sis ignorans? quomodo cum alienus sis ab ejus domo? Si vero tibimet ipsi conqueraris, quid facturus homo, qui nocere Dei servis ex nulla possis parte? Si torqueas, magis curamur: si crucies, magis reficimur: si interficis, magis vivemus. Cur audeam te dicere antichristi præcursorem, dicis me injuriosum. Si non te actus tui hoc esse ostendunt, consideras cum ingenti sollicitudine sanctissimi etiam prophetæ Danielis librum, et invenies te unum ex illis præostensis persecutoribus Dei religionis. *In primo anno Balthasar regis Chaldæorum, Daniel somnium vidit, et visus* [v] *capitis ejus in cubili ejus, et somnium suum scripsit: Ego Daniel videbam, et ecce quator venti cœli immittebant*

[a] *Sed neminum rationem facio: nec habeo animam pretiosiorem me, in ipso ut consummem cursum meum cum gaudio, et ministerium quod..... Jesu testificari evangelium* etc., Vers. Ant. Ms. Cantabr. *Animam caram mihi quam consummare cursum meum*, etc. Græc. quid. διακονίαν λόγου, *ministerium verbi*, et Ἰουδαίοις καὶ Ἕλλησι, *Judæis et Græcis*, in codd. Cantabrig. et Steph. apud Millium cum Lucif. in quo Sabat. legit *animam cariorem*.

[b] In Tiliana nostra editione legitur, *Evangelium gratiæ Dei*; unde Gallandius non recte judicat Parisienses PP. Biblioth. editores ex Tilio exscripsisse *evangelium gloriæ Dei*.

[c] Vers. Ant. *Per quos pertransiri prædicans regnum Dei.*

[d] *Perambulavi prædicando.* Vatic. Codex Cantabrig. apud Millium præfert *regnum Jesus*, τοῦ Ἰησοῦ.

[e] Vers. Ant. *Quapropter.... in hodierno die.... omnium vestrum.* Ms. Cantabr. *propter quod*, ut Lucif.

[f] *Non enim subterfugi.* Vers. Ant.

[g] *Ut non adnuntiarem vobis omne consilium Dei.* Ead.

[h] *Attendite ergo seipsis, et universo gregi.* Ead. ms. Cantabr. cum Lucif.

[i] Græc. cum Vulg. *ecclesiam Dei.* Atque hanc lectionem retinent plurimi mss. codices et Patres: quæ proinde Luciferianæ *Domini* præferenda, quamvis et ista in aliis codd. exstare noscatur, atque aliis scriptoribus ecclesiasticis usurpata occurrat. Vide sis Millium ad hunc locum. *Galland.* Vers. Ant. *Per sanguinem suum.*

[j] *Ego enim scio hoc, quia venient post discessionem meam*, etc. Vers. Ant. *Hoc* omittitur et in ms. Cantab. Græc. εἰσελεύσονται, *intrabunt, ingredientur*, cum Lucif. Pro *lupi graves* habet *lupi rapaces* Sabat.

[k] *Et ex ..... viri loquentes ..... post seipsos.* Vers. Ant. *Abducant* pro *adducant* legit Sabat.

[l] *Memoria retinentes*, et *monens*. Ead.

[m] Gallandius edidit *nos episcopi*; sed sensus est, *nos, quos episcopos.*

[n] *Regendam.* Latin.

[o] Aurium ornamentum viris, ac feminis æque commune, sed in Oriente hominibus multo usitatius, præsertim principibus. Plin. lib. xi, cap. 37. *In Oriente quidem et viris aurum gestare eo loci* (in auribus scilicet) *decus existimatur.*

[p] Videtur dictio e Latino et Græco composita, pro ornamento quodam in manu dextera. *Til. et la Cerda.* Nimirum a Latino *dexter*, et Græco, χεὶρ *manus.* A Du Cangio in Gloss. dicitur brachii dexteri ornamentum, auctore Ugutione; sed si etymon nominis consideres, videtur armillæ quoddam genus, quo dextera manus ornaretur: viris tamen, ac feminis commune fuit, in Oriente præsertim, cum eæ gentes hujusmodi ornamentis delectentur.

[q] Græc. ἀτενίσας. Vers. Ant. *Adtendens autem concilio .... sum Deo usque hanc diem.* Sabat. habet *dicit* pro *dixit.*

[r] Vers. Ant. *Pontifex autem Ananias præcepit adstantibus ei percutere ejus os.*

[s] In Tiliana nostra editione ita legitur *Ananias*; in aliis corrupte *Annas.*

[t] *Circumstantibus sibi.* Vatic.

[u] *Judicans me ..... et extra legem*, etc. Vers. Ant.

[v] Apud Sabat. *visio.*

[a] *in mare magnum : et quatuor bestiæ* [b] *de mari, altera alteram magnitudine antecedens. Prima ut leo* [c] *et pinnæ ejus. Et surrexit a terra et super hominis pedes stetit, et cor hominis datum est ei. Et ecce alia bestia similis urso* [d], *et in una parte stetit : et tria latera in ore ejus in* [e] *medio dentium ejus, et sic dixit ei : Surge et manduca carnes multas. Post* [f] *hanc bestiam videbam, et ecce alia bestia ut leopardus, et ei alæ quatuor volucris super eam, et quatuor capita bestiæ, et potestas data est ei. Post* [g] *hanc videbam, et ecce bestia quarta horribilis, admirabilis, et fortis vehementer : dentes ejus ferrei manducabant et comminuebant, et reliqua pedibus suis conculcabant* [h] *: et hæc bestia major cæteris bestiis quæ antea visæ sunt, et cornua decem ei. Et intendebam in cornua ejus, et ecce cornu aliud minus ascendit in medio eorum, et tria cornua* [i], *quæ erant ante illum, eradicata sunt a facie ejus : et ecce oculi hominis in cornu hoc, et os loquens magna. Videbam quoadusque sedes positæ sunt, et vetustus dierum sedebat : vestitus ejus albus ut nix, et capillus capitis ejus ut lana munda, et sedes ejus flamma ignis, rotæ ejus ignis ardens : fluvius ignis lucebat ante eum, millia millium serviebant ei, et dena millia denum millium astabant ante eum : in judicium* [j] *sedit, et libri aperti sunt. Videbam tunc a voce sermonum magnorum, quos cornu illud loquebatur, quoadusque interiit bestia, et periit, et corpus ejus datum est ut comburatur : et reliquarum bestiarum regnum translatum est, et longitudo vitæ data est eis usque ad* [k] *tempus. Videbam in* [l] *visum noctis, et ecce cum nubibus cœli ut filius hominis veniens venit usque ad vetustum dierum : anticipavit et oblatus est ei : et datum est ei regnum, et honor, et imperium, et omnes populi, tribus, linguæ serviunt* [m] *ei, et potestas ejus potestas perpetua, quæ numquam transibit, et imperium ejus numquam corrumpetur. Horruit spiritus meus in habitu meo, et ego Daniel* [n], *et visus capitis mei conturbabat me : et accessi ad unum circumstantium, et veritatem quærebam ab eo de omnibus his. Et dixit mihi veritatem, et interpretationem sermonum declaravit mihi : Hæ bestiæ quatuor magnæ quatuor* [o] *regna surgent in terra, et accipient regnum sancti altissimi Dei* [p], *et obtinebunt illud usque in sæculum. Et quærebam diligenter de bestia quarta, quod erat præter cæteras bestias horribilis valde : dentes* [q] *ei ferrei, et ungues ejus ærei : manducabat et comminuebat, et reliqua pedibus suis conculcabat : et de cornu ejus decimo, quod erat in capite ejus, et de altero cornu quod ascendit, et priora tria cornua excussit, cujus oculi et os loquens magna, et visus ejus major cæteris* [r] *videbatur, et cornu illud faciebat bellum cum sanctis, et valebat* [s] *adversus eos, quoadusque advenit vetustus dierum, et judicium dedit sanctis altissimi Dei, et anticipavit tempus, et regnum obtinuerunt sancti. Et dixit : Bestia quarta, quartum regnum erit in terra, quod eminebit omnia* [t] *regna, et manducabit omnem terram, et conculcabit eam, et concident decem cornua ejus. Decem reges exsurgent, et post eos exsurget alius qui superabit malis omnes qui ante eum fuerunt, et tres* [u] *humiles faciet, et verba adversus altissimum Deum loquetur, et sanctos altissimi Dei inveterabit* [v], *et excogitabit mutare tempora et legem, et dabitur in manu ejus usque ad tempus temporum, et dimidium temporis ; et judicium sedebit, et regnum transferet ut exterminet et perdat usque ad finem : et regnum, et potestas, et magnitudo regum* [x] *data est sanctis altissimi Dei, et regnum ejus sempiternum, et omnes ei servient et obedient* (*Dan.* VII, 1). Debueram quidem tantum illam partem indere, quæ te declarat per actus tuos, cuinam sis similis bestiarum : sed ut scires te in illa gehenna futurum, in qua bestiam illam missam refert gloriosus Daniel, nisi te correxeris, et, quomodo quos persequeris in æternum sint regna-

[a] Apud eumdem : *Pugnabant in mari magno.* Edit. nostra cum Græco, προίβαλον εἰς τὴν θάλασσαν τὸν μεγάλην.

[b] *Bestiæ grandes ascendebant de mari ;* apud Sabat.

[c] *Prima ut leæna, et alas habebat aquilæ : aspiciebam donec evulsæ sunt alæ ejus. Et sublata est de terra, et super pedes quasi homo stetit,* etc. apud eumdem, qui recte supplet, quod deest in nostra edit. Sed post *pinnæ ejus* legendum *sicut aquilæ*, ut in Græco, καὶ πτερὰ αὐτῆς ὡς ἀετοῦ, ut ibidem post *pedes* legitur *hominis*, ἀνθρώπου.

[d] *Ursæ.* Vatic.

[e] *Et in medio.* Sabat. *Et* vero abest a Græco.

[f] Apud Sabat. *Post hæc aspiciebam, et ecce bestia,* etc.

[g] Cum Græco, ὀπίσω τούτου. *Post hæc aspiciebam.* Sabat.

[h] *Conculcabat.* Id.

[i] *Cornua eorum, quæ erant ante, eradicata,* etc. Id. Græc. Ἔμπροσθεν αὐτοῦ, *ante illum*, ut in nostra edit.

[j] *Judicium* duco scripsisse Luciferum juxta Septuaginta, κριτήριον ἐκάθισε. *Galland.* Nos retinemus Vers. Ant.

[k] Septuag. Ἕως καιροῦ καὶ καιροῦ, *usque ad tempus et tempus.* Ex vocis repetitione posteriora omiserit incurius librarius. *Galland.* Sed lectio cohæret Vers. Ant.

[l] *In visione.* Sabat.

[m] *Servient.* Id. et Galland. ex Græco Septuag. δουλεύσουσιν.

[n] *Daniel territus sum in eis.* Sabat. Quæ tamen præter *Daniel* desunt etiam in Græco.

[o] *Quatuor sunt regna quæ surgent in terra ;* apud Sabat. Græc. edit. Rom. consentit cum nostra edit. Gallandius ex Septuaginta legit *quatuor regna . . . . . quæ auferentur in terra.*

[p] *Dei*, hic et paullo inferius demendum autumat Latin. nulla tamen caussa, cum legatur in Græco, præterquam in fine.

[q] Sabat. *Dentes et ungues ejus ferrei ;* nostra edit. cum Græco.

[r] Sic interpunxit Sab. *Cæteris. Videbatur,* etc.

[s] Ita et Iren. lib. v, c. 25. *Prævalebat* apud Sabat.

[t] *Super omnia regna*, et *concidet. Decem*, etc. Sabat. *Concidet. Et decem cornua ejus reges decem.* Latin. ad sensum Vulg. *Eminebit omnia regna :* literæ inhæret auctor ; ὑπερέξει πάσας τὰς βασιλείας. Galland.

[u] *Tres reges.* Latin. cum Vulg. et Galland. ex Septuag.

[v] Ut in Græco edit. Rom. παλαιώσει, et Theod. in Hexapl. Apud Sabat. *conteret.*

[x] *Regum eorum.* Latin. Vers. Ant. *Regum qui sub omni cœlo sunt . . . . Altissimi : et regnum ejus regnum sempiternum, et omnes principatus ipsi servient et obaudient.* Hæc Iren. lib. v, cap. 34, cum nostra edit. *Altissimi Dei : et regnum ejus sempiternum . . . . obedient.*

turi in regno collocati Domini, quo advertere posses hæc omnia annectimus : item ad hoc universam revelationem censui applicandam, quo tu tibimet et saltem legens satisfacere posses, quod enim vos tyranni persecutores Dei religionis bestiæ fueritis dicti ; cupiens etenim sum me purgare apud tuam infectam venenis Ariani dogmatis conscientiam, apud te non religiosum, sed religionis destructorem, non me ut astruis esse contumeliosum, quia dicam te feram bestiam, vel immanem belluam, cum videas sic vos vocitari, juxta facta vestra vobis etiam nomina applicata. Cæterum quartæ illius bestiæ te gerere similitudinem, te hæc implere esse cupientem, quæ illa prædictum est quod esset impletura, manifestum est. Scriptum est de antichristo, cui tu similaris, aut ipse esse judicaris : *Verba adversus Altissimum* [a] *Domini loquetur, et sanctos altissimi Dei inveterabit, et excogitabit mutare tempora et legem, et dabitur in manu ejus* (*Dan.* VII, 25). Hæc tu jam fecisti atque es faciens. Cum enim dicis : *Non est verus Deus Filius Dei, sed factus est ex nihilo*, verba loqueris adversus Deum. Christiani etenim cum unam vindicemus divinitatem Patri et unico Filio ejus, et tu sis hanc nostram impugnans defensionem, sis astruens de Filio *quod fuerit quando non fuerit*, et *quod factus sit ex nihilo*, utique probas te aut esse antichristum, aut certe ejus præcursorem. Neque enim poteris alius esse intelligi, nisi aut præcursor antichristi aut antichristus, qui audeas apostolicam evangelicamque hæreticam dicere fidem, et tuam tentes blasphemiam catholicam fidem vindicare. Injuriam te pati sentis, quia bestia esse dicaris a nobis : inveniris excogitare fidem mutare, hoc est ut non ita credamus, quomodo patriarchæ, prophetæ, apostoli ac martyres crediderint, sed instituerit sic credendum, quomodo comperditus tuus Arius : et dicis non te recte dici bestiam, cum, quia hæc esses acturus, bestiam te esse dixerit sanctissimus propheta? Non minor es, Constanti, incredulitate ab antichristo : nam dentibus ferreis Dei servos devorando non desinis. Quid pluribus? nil antichristus acturus est, nisi ut negetur unicus Dei Filius : hoc agit stultitia saginatus immundissimus animus tuus. Sed quantumvis sævias, transient, transient tempora tua, et venient illa, in quibus visurus es te, nisi tibi consulueris, in illo igneo fluvio constitutum, visurus tunc eos, quos infeste persequeris, propterea quod nolint perire tecum, non in illo in quo tu futurus es loco tormentorum, sed cum angelis sanctis gratias et laudes referentes semper Deo, te vero in illo liquore flammeo. Nolo mireris, si Daniel gloriosus te bestiam esse designarit, quando et Paulus beatus de collectis [b] tuis dixerit Cretensibus : *Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri* (*Tit.* I, 12). Et infra : *Quamobrem* [c] *increpa illos acriter, ut sani sint in fide, non intendentes Judaicis fabulis et mendaciis* [d] *hominum aversantium se a veritate* (*Ibid.* 13). Hinc tibi episcopi sumus injuriosi, quia te increpemus atque objurgemus, cur fueris ausus avertere temet a veritate, cur volueris Dei mandatis derelictis hominum hærere blasphemiis atque mandatis, cur denique derelicto Deo idololatriam susceperis. Hinc tuus tibi inimicus esse videor, quia velim te gradi secundum apostoli præceptum, et non secundum Arii atque Judæorum mandata. Contra has nostras justissimas allegationes videns te veritate superatum dicere es solitus : *Sacræ scripturæ præcipiunt regibus et omnibus degentibus in sublimitate debere te esse subditum ; et audes tanta ac talia mihi ingerere, Lucifer?* Hæc conspicis, hujusmodi quæ te jubent honorari intelligis ; quæ vero te jubent facere, illa fingis non nosse, illa quæ te moneat Dominus sacerdotibus obedire, illa quæ urgeant unum te exhibere ex omnibus conservis tuis oportere, nec cuiquam te, si velis Dei inveniri servus, superiorem dicere. *Hæc*, inquit Tito beatus apostolus, *loquere, et exhortare* [e], *et argue cum omni imperio : nemo te contemnat* (*Ib.* II, 15). Si Christianus es, quia et tu unus sis de illis, propter quos dixerit : *Hæc loquere, et exhortare, et argue cum omni imperio : nemo te contemnat* (*Ibid.*) ; utique me cum omni te corripientem imperio audire debes, non contemnere. Tunc eris Christianus, si me non contempseris hortantem te, ut perseveres Christianus : si vero contempseris, jam non de Christianis esse inveneris ; quia si fuisses Christianus, non contempsisses eum quem Deus ordinaverit ad instruendam plebem suam, et eum, cui apostolus dixerit : *Hæc loquere, et exhortare ; et argue cum omni imperio : nemo te contemnat* (*Ibid.*). Quid enim te hortor? nisi ut non sis homicida, ut Dei non persequaris domum ; ut desinas torquere, proscribere, deportare, recludere carcere, trucidare, varie disperdere, interficere eos quos cernas Christianos ; ut desinas denique blasphemare unicum Dei Filium ; ut apostolicam suscipias, quam hæreticam dicis fidem, hanc scilicet nostram, quam apud Nicæam te contra et cunctos hæreticos episcopi descripserunt ; ut sis credens sicuti nos, dignerisque respuere idololatriam per Arium magistrum tuum institutam ; ut Christianum te clamites, non Arianum ; ut [f] desinas crimina falsa Dei mittere sacerdotibus : hæc est correptio mea, hæc objurgatio. Apostolus mihi dicit ut te arguam cum omni imperio, et tu dicis : *Facit mihi injuriam Lucifer ;* et non dicis : *Dei*

[a] Paulo superius, *altissimum Deum.*

[b] *Conelectis*, vel *combestiis*. Latin. Utrum vero aliquid hic subsit, quod ad historiam referri debeat, cum *suos Cretenses* appellat, haud divinari licet : certe Arianos intelligit, quibus, ut Cretensibus, *bestiarum* appellatio, et Pauli verba rectissime aptentur. *Collegis* pro sociis. *Galland.*

[c] *Propter quam causam .... mandatis hominum aversantium*, etc. Vers. Ant.

[d] Forte *mandatis*, ut Vers. Ant., cum paulo post hanc vocem usurpet ad sensum Pauli.

[e] *Hortare.* Vers. Ant.

[f] Id est, *ut desinas crimina falsa Dei sacerdotibus objicere, falso eos accusare ; ubi mittere* pro *immittere* dicit. *Til.* et ex eo Galland.

sacerdos commonet atque hortatur secundum sacræ legis præcepta, ut possim ducere vitam Deo acceptissimam. Nam quia dicas debere nos tibi obsequia, scito quia non tibi soli, sed et omnibus nos in sublimitate degentibus in obsequiis repræsentantibus [a] esse novimus debitores. Dicit enim apostolus : *Admone illos principibus et magistratibus* [b] *subditos esse, obedientes, ad omne opus bonum paratos esse, neminem blasphemare, non litigiosos* [c] *esse, sed modestos, omnem ostendentes mansuetudinem ad omnes homines. Fuimus enim et nos aliquando stulti et incredibiles* [d], *errantes, servientes desideriis et voluptatibus variis, in malitia et invidia agentes, odibiles, odientes, alterutrum* [e] ; *sed cum benignitas et humanitas illuxit salvatoris nostri Dei, non ex operibus justitiæ quæ nos fecimus, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis, per Spiritum sanctum, quem effudit in nobis* [f] *honeste* [g] *per Jesum Christum salvatorem nostrum, ut justificati gratia ipsius hæredes efficiamur secundum spem vitæ* [h] (*Tit.* III, 1). Admonet ergo subditos nos debere esse in bonis operibus, non in malis. Si bonum est opus, ut absentem [i] interimamus, ut inauditum purgare se proclamantem [j] necemus, ut eum, quem innocentem scimus, omittentes omnem respectum misericordiæ tecum puniamus, si opus bonum est negare Dei unicum Filium, si opus Deo acceptum est apostolicam deserere fidem, suscipere hæreticam, merito diceres contra sacrarum facere me scripturarum monita. Addo illud, quod illorum principum et magistratuum apostolus fecerit mentionem, qui nec dum credidissent in unicum Dei Filium ; utique [k] humilitate nostra et mansuetudine, et longa in adversis patientia, et maxima in rebus congruis obedientia fuissent provocati ad credendum. Cæterum si tu, quia imperator sis, fingens te unum e nobis cogas nos Deum derelinquere, et idololatriam suscipere, numquid acquiescendum tibi erit, ne apostoli prætermissa fuisse videantur præcepta ? Et tamen tu, qui te fingis Christianum, Christianos tentaris quod ipse sis facere, A hoc est apostatas, tu qui adhuc stultus sis, et incredibilis permanens in malitia tua, in qua et nos fuisse ante agnitionem, ante susceptam sacram fidem apostolus dicit. In quibus tibi temperaturi eramus, nisi ut quæ licita essent impleremus? Aut cum dicas tu blasphemo homicida : *Necate credentes in unicum Dei Filium, estote mecum persecutores domus ejus, mecum negate eum, apostolicam respuite fidem, suscipite hæresim meam, cujus ego omnibus viribus cordis mei exstiti amator ;* quis te infelicior est, ut non te vitet? Nonne te hæc facere suadentem dæmonum templum esse cognoscens fugiat? Quia hæc audis, dicis : *Injuriam patior a Lucifero homine misero, et utique imperator ;* non subsequitur sermo ille tuus blasphemus conspurcatus : *Audio quæ mereor a Lucifero Domini* B *sacerdote.* Galatis vas electionis, *Miror*, inquit, *quod sic tam cito transferamini* [l], *qui vos vocavit in gratia, in aliud evangelium, quod non est aliud, nisi* [m] *sunt aliqui qui vos conturbant, et volunt convertere evangelium Christi. Sed licet nos aut angelus de cœlo evangelizaverit* [n] *præterquam evangelizavimus vobis, anathema sit. Sicut prædiximus, et nunc iterum dico : si quis vobis aliud* [o] *annuntiaverit quam quod accepistis, anathema sit* (*Galat.* I, 6). Et tu arbitraris aliud posse te judicari a me nisi anathema esse? cum inveniam te aliter evangelizare quam tradiderunt beati apostoli. Cum itaque audis a me quod anathema habeam te evangelizantem aliter quam evangelizarunt apostoli, si dicas me injuriosum, mentiri te cognoscere, aliquid hominis [p] gestans, poteris; si- C quidem videas tibi me idcirco dicere anathema, quia jam beatus apostolus te anathematizaverit. Injuriosum me judicas, quia dicam te stultum : sed quomodo potero recte a te injuriosus vocari, quando constet me verum dicere, quod enim sis stultus? Si enim Galatæ audiant, *O stulti* [q] *Galatæ* (*Ib.* III, 1), a beato apostolo, cur putes tu non stulti debere te nomine vocitari? Illi etenim si propterea quod falsis fratribus obtemperassent, quia ad illorum conserpentinorum tuorum suggestiones intendentes, et sabbata

[a] *Repræsentandis.* Galland.
[b] *Potestatibus et obaudientes.* Vers. Ant.
[c] *Non litigeos esse, moderatos*, etc. Bad.
[d] Sabatierius legit *increduli.*
[e] *Invicem.* Vers. Ant.
[f] *In nos.* Ead.
[g] Græc. πλουσίως. Vulg. *abunde.* Sed nihil muto. Sic enim passim vulgatus, quemadmodum et vetus Interpres, quem sequitur Lucifer. Sap. VII, 11 : καὶ ἀναρίθμητος πλοῦτος ἐν χερσὶν αὐτῆς (σοφίας) : *Et innumerabilis honestas per manus illius* (*sapientiæ*). Ibid. Vers. 13 : Τὸν πλοῦτον αὐτῆς οὐκ ἀποκρύπτομαι : *Honestatem illius non abscondo.* Sic Eccli. XI, 14 : Πτωχεία καὶ πλοῦτος παρὰ κυρίου ἐστί : *Paupertas et honestas a Domino sunt.* Ibid. XXIV, 23 : καὶ τὰ ἄνθη μου, καρπὸς δόξης καὶ πλούτου : *Et flores mei fructus honoris et honestatis.* Cætera omittimus. *Galland.*
[h] *Vitæ æternæ* Latin. ut Vers. Ant. et Vulg. et Græc.
[i] Hæc de Athanasio intellige, cujus causam hisce tuetur Lucifer, ut in libris superioribus pro illo ad Constantium scriptis

[j] De hac voce vide initium lib. I, pro S. Athan.
[k] Ni pro *ut* ea particula usus fuerit Lucifer, existimarim equidem ipsum scripsisse, *ut ii quoque.* Galland. Sensus est : *Infideles ii utique exemplo nostro* D *permoti crederent.*
[l] *Transferamini ab eo.* Latin. ut Vulg. et Vers. Ant. in qua *gratia Jesu Christi* ; sed *Jesu Christi* omittit etiam Tertull. lib. 5 contr. Marc. Ἐν χάριτι. Græc. cum Lucif. Sabatierius legit hic : *Transferamini. Quis vos...?*
[m] *Nisi si.* Vers. Ant. *Turbant* pro *conturbant* legere videtur Sabat.
[n] Ita etiam Tertull. lib. 5 contr. Marc. et in lib. de præscript. Vers. Ant. *Evangelizaverit vobis.* Sabat. habet *præter id quod* pro *præterquam.*
[o] *Vobis annuntiaverit præter quam quod.* Vers. Ant.
[p] *Aliquid es hominis*, etc. Vatic. sed obscure, nisi præponas particulam *si* voci *aliquid* ; quare vox *gestans* clariorem sensum reddit absolute ; sic in lib. Moriendum pro Filio Dei : *Nihil hominis nisi lineamenta geras.*
[q] *Insensati.* Vers. Ant.

servare se oportuisse, et circumcisionem fuisse custodiendam censuerant, sunt stulti dicti, quanto magis tu digne diceris stultus, qui unici Dei Filii negator exstiteris! Quia dicam tibi, *Eripe te a canibus rabidis Arianis, dole tibi quod illorum maligno hærendo concilio et ipse canis factus sis*, contumacem me dicis; sed fortassis ignoras unici Dei Filii negatores dictos canes, dictos tauros pingues, dictos filios iniquitatis, semen adulterum et meretricis, filios perditionis, et semen iniquum. Si fugitis [a] ita vocitatos vos a Deo, audi per Esaiam ipsum dicentem ad comblasphemos tuos Judæos : *Accedite huc, Filii iniquitatis* [b], *semen adulterum et meretricis. In quo delectati* [c] *estis, et in quem aperuistis os vestrum, et adversus quem immisistis linguam vestram? nonne vos estis filii perditionis, semen iniquum* (*Is.* LVII, 3)? Et alio loco : *Videte quia* [d] *omnia excæcata sunt, non cognoverunt sapere, omnes canes muti, qui non potuerunt latrare, somniantes in cubile* [e], *amantes dormitare : et canes improbi* [f] *animæ nescientes satietatem, et sunt nequam nescientes intellectum, omnes vias suas secuti sunt* (*Ib.* LVI, 10). Qui hi sunt ad quos hæc, vel propter quos dicantur? nempe illi quos in vicesimo primo psalmo incusat unicus Dei Filius ore David dicens : *Circumdederunt me vituli multi, tauri pingues obsederunt me. Aperuerunt in me os suum, sicut leo rapiens et rugiens* (*Ps.* XXI, 13). Et infra : *Circumdederunt me canes multi, concilium malignantium obsedit me : foderunt manus meas et pedes* (*Ib.* 17). [g] Quando itaque illos in sacrilegio magistros tuos dictos vitulos, tauros pingues atque canes advertes, non poteris tu unus ex malignantium concilio contumeliosum me judicare, quia illis te nuncupem nominibus, quibus compestilentes tui vocati sunt ac vocantur : neque enim tu minor es in nequitia, qui audeas dicere : *Erat quando non erat, et factus est ex nihilo*, ut non illis aptis tibi nominibus nuncuperis. Sed vis his non nuncupari nominibus? muta vias tuas, corrige errores tuos, ut correxerunt Paulus beatissimus, et cæteri ex illo perfido populo. Quia dicam tibi : *Eripe te a malignantium concilio*, videor esse tibi contumeliosus. Qua de re? nempe quia profitear me Christianum, quia noluerim derelinquere Deum, et abire post idololatriam tuam. Non nos primum contumeliosi ac superbi a vobis dicti sumus sacrilegis; dicti sunt enim etiam illi cuncti, qui restiterunt funestis edictis contyrannorum tuorum. Ut et [h] cæteros præteream in clausula orationis, ad solum iterum me vertam Antiochum regem. Judicabatne resistentes sibi contumeliosos superbos necne? Sine dubio, quia contumeliosos superbos illos existimarit fuisse, talli est crudelitate Deo dicatos ad mortem usque persecutus. Restat ergo ut videas quæ adhuc super illa, quem jam cognovisti, gesserit Antiochus; et si illos recte poteris dicere superbos fuisse Antiocho contumeliosos, poteris et nos [i]. Hæc etenim et nos patimur a te, quæ sunt et illi perpessi ab Antiocho; sic nos sumus proclamantes pro fide, pro religione, sicut fuerunt proclamantes et illi; sic nos Deo Abrahæ, Deo Isaac, Deo Jacob servire profitemur, quomodo et illi sunt confessi. *Misit*, inquit Scriptura, *rex senem Atheniensem* [j] *qui compelleret Judæos, ut se transferrent a patriis, et Dei legibus ne uterentur, contaminare etiam quod in Hierosolymis erat templum, et cognominare Jovis Olympii, et Margarizin* [k], *pro ut erant, qui locum inhabitabant, Jovis hospitalis. Pessima autem et universis gravis malorum erat seditio* [l]. *Nam* [m] *quia templum comessationibus gentium erat plenum, scortantibus cum meretricibus, et in sanctis tectis mulieribus se appropiantibus, insuper intro inferentes ea quæ non oportebat : altare etiam plenum erat illicitis quæ legibus prohibebantur. Neque autem sabbata agebantur* [n], *neque dies solemnes patricii custodiebantur* (II *Mach.* VI, 1). Et infra : *Ducebantur autem amara* [o] *necessitate per singulos menses, in diem regis natalis, miseratio erat; et cum sacra Liberi celebrarentur, co-*

[a] *Fugis* Latin.

[b] *Iniqui, semen adulterorum.* Vers. Ant.

[c] *Lusistis? super quem.... super quo ejecistis*, etc. Vers. Aut.

[d] *Quoniam excæcati sunt omnes, non cognoverunt universi : canes muti non poterunt latrare, somniantes lectulum, amantes dormitationes.* Eadem. Græc. Ms. Alex. φρονῆσαι, *sapere*, post *cognoverunt*. Græc. Compl. πάντες κύνες, *omnes canes*. Græc., Aquil., Symm., Theod. et septuag. νυστάξαι, *dormitare*, cum Lucif.

[e] *Cubili* legit Sabat.

[f] *Impudentes animæ ignoraverunt saturitatem... mali nescientes intelligentiam*, etc. Vers. Ant. Forte scripserit auctor, *canes improbi anima*. Galland.

[g] *Pedes meos.* Vers. Ant. Græc. πόδας simpliciter.

[h] *Et ut cæteros.* Galland. Sed metathesis licet vitiosa non abhorret a stylo Luciferi.

[i] *Et nos tibi.* Galland.

[j] *Quemdam Antiochenum.* Vers. Ant. quæ omittit, *ne uterentur.* Græc. Ἀθηναῖον, *Atheniensem*, cum Lucif.; et μὴ πολιτεύεσθαι, *ne se regerent*, post *legibus*. Lugdunenses et Sabatierius contra fidem Tilianæ editionis, *senem Antiochenum*, cum Vulg.

[k] *Et in Garizim prout erant hi.* Vers. Ant. Editi pessime *Margarizin*. Forte in exemplari Luciferiano scriptum fuerit grandioribus litteris *Ingarizin*, ad quem locum nonnemo margini adleverit litteram M. qua significaretur Mons *Garizin*, ubi scilicet alterum exstructum erat templum. Atqui hujusmodi litteram marginalem ad textum pertinere existimans indoctus librarius, neque satis percipiens lectionem Luciferianam, hinc vocis monstrum *Margarizin* efformavit. *Galland.*

[l] *Incursio.* Vers. Ant.

[m] *Nam templum luxuria et com... et scortantium... sacratisque ædibus mulieres se ultro ingerebant, intro ferentes ea quæ non licebat.* Ead. Græc. hoc cum Lucif. πλησιαζόντων, *appropiantibus*.

[n] *Custodiebantur, et patrii servabantur.* Vers. Ant. Græc. διαφυλάττειν *custodire*, post *dies patrii*.

[o] *Cum amara necessitate in die.... ad sacrificia... hedera coronati Libero circuire.* Vers. Ant. absque *miseratio erat*. Sabat. legit : *In die regis natalis ad sacrificia.* Græc. cum Lucif. εἰς τὴν κατὰ μῆνα, *per singulos menses*; *et* κισσοὺς ἔχοντες, *hederas habentes* : legitur vero post *diem regis natalis*, ἐπὶ σπλαγχνισμόν, *ad visceralionem*; quare Latin. ita corrigit in Lucif. *ad visceralionem*, vel *visceratio erat*, id est, *quia eo die visceratio erat victimarum.* Sed σπλαγχνισμὸς *et sacrificium* significat, et *miscrationem*, qua victimarum viscera tanguntur; hinc in Lucifero, *miseratio erat.*

gebantur enim hederas habentes Libero circumire. Decretum autem exiit in proximas Græcorum [a] *civitates, suggerentibus Ptolomæis, id ipsum institutum adversus Judæos agere et misereri : eos vero qui nolint* [b] *transire ad instituta Græcorum, interficere. Advenit ergo videre miseriam. Duæ enim mulieres delatæ sunt natos suos circumcidisse, quarum* [c] *infantes ad ubera suspenderunt, et cum publice per civitatem illas circumduxissent, per murum illas præcipitaverunt. Alii vero in* [d] *proximo concurrerunt in speculas, et latenter septimum diem celebrabant. Quod cum indicatum esset, sufflammati sunt, eo quod metuerent in die solemni gloriosa ferre sibi auxilia* (II *Machab.* VI, 7). Quid censes oportuisse A facere tunc cultores Dei? Deo oportuerat an Antiocho placendum [e]? Si illos non censes Antiocho placere oportuisse, nec nos utique tibi, quia et tu alio licet modo, tamen nos sis cupiens tollere a Deo, et jungere diabolo, ut ille voluerit illos : ipsa per te crudelitas geritur, sic sævus atque iniquus in eos, qui tuo lunesto edicto resistunt. Superest igitur, ut est sæpe dictum, doleas te errasse, agnoscensque te esse homicidam atque blasphemum, temet, desertor Dei, repræsentes domui [f], alioquin tu tibi imputaturus, cum te videre cœperis illic esse, ubi nunc sunt cuncti illi contyranni tui.

[a] Cum Græco Ἑλληνίδας, *Græcas*. Vers. Ant. *Gentilium.... ut pari modo et ipsi.... agerent, ut sacrificarent*. Græc. hic σπλαγχνίζειν ubi in Lucif. *misereri*, id est *ad sacrificium victimas eviscerare* : verum cum a nomine σπλάγχνον et σπλαγχνίζω, quod *sacrificare, et* σπλαγχνίζομαι derivetur, quod *misericordia commoveri* significat, ideo aut Lucifer, aut Interpres, quo usus est, vertit *misereri*. Sed *an hæc editorum lectio a Luciferi manu primum prodierit haud equidem putarim*, ait Gallandius. Sabat. legit : *Gentilium.... ut id.... agerent et sacrificarent*.

[b] Græc. cum Lucif. *instituta* ἑλληνικὰ, *Græcorum*, et παρῆν, *advenit*. Vers. Ant. *Eos autem qui nollent... gentium, interficerent : erat ergo*, etc.

[c] Vers. Ant. *Quas infantibus ad ubera suspensis cum publice per civitatem circumduxissent, per muros præcipitaverunt*. Lucif. ex Græco, *illas*, αὐτὰς, *circumduxissent, et per murum*. κατὰ τοῦ τείχους.

[d] *Ad proximas coeuntes speluncas ..... sabbati diem celebrantes, cum indicati essent Philippo, flammis succensi sunt, eo quod verebantur propter religionem et observantiam manu sibimet auxilium ferre*. Græc. τὴν ἑβδομάδα, *diem septimum*, et συναθροισθησαν, *sufflammati sunt* cum Lucif. Sabaticrius habet : *In proximas cucurrerunt speluncas*.

[e] Pro *placere* ; sicut ante dixit *nocitum* pro *nocere*. Til.

[f] *Domui Dei*, id est *Ecclesiæ ad pœnitentiam*.

S. P. N. LUCIFERI

EPISCOPI CALARITANI,

MORIENDUM ESSE PRO DEI FILIO,

AD CONSTANTIUM IMPERATOREM,

LIBER UNUS.

Decuerat quidem, Constanti imperator, nihil jam C tecum de divinis retractare scripturis, cum eo videlicet, quem veritatis compererimus interpolatorem, tecum quem de illis ex actibus tuis te comprehenderimus esse, qui idcirco dicantur sibi sapientes, quod enim sint insipientiæ iter tenentes ; decuerat, ut diximus, post tanta illa quæ ingessimus, jam præbere silentium, maxime cum scriptum meminerimus : *Noli respondere imprudenti ad imprudentiam ejus, ne similis fias illi* (*Prov.* XXVI, 4). Et iterum : *In aures imprudentis noli quicquam dicere, ne quando audierit, irrideat sensatos sermones tuos* (*Ib.* XXIII, 9). Sed, quia adhuc de armorum tuorum potestate et vana imperii tui dominatione times [a], collegi [b] plaudere, quod enim possis, quos ratione debueras in id quod censueras constituere, violare, in his omnibus, D quibus te putas magnum, esse te miserum, contemnique omnem carnificinæ tuæ rabiem a servis Dei, volui isto præsertim libro notum sacrilegio funestatæ facere menti tuæ. Te enim cum temporali, caduco, fragili, corruptibili regno tuo transiturum, et ad æternam pœnam, nisi tibi, dum est locus, provideris, perventurum, Christianos vero ad æternam venturos requiem, incorruptibile regnum consecuturos, fixum manifestumque habere te volumus. An defendere tentabis, quod enim per hanc hæresim tuam comprehensurus sis regnum cœlorum, tu, qui cum compestilentibus tuis Arianis timens, ne a nobis Christianis revictus manus dare aliquando clamante veritate ipsa cogereris, disceptatione rejecta, ad virtutem confugiendum fragilium Arianorum [c] tuorum censueris? tamquam posses armis fra-

[a] *Times*. Vatic. *tumes*. Til.

[b] Forte *intellexi te tibi plaudere* ; vel si retinendum est *times* ; *Intellexi, quia victus ab ipsis Catholicis, quos interemisti, neque in tuis ipse armis confidis ; ideo plaudo, lætor, esse te miserum*, etc.

[c] *Armorum*. Latin. recte ; hæc enim respicere videntur, quæ paulo ante leguntur, *quia adhuc de armorum tuorum potestate*, etc. Quid quod restitutionem confirmant, quæ mox subdit auctor, *tamquam posses armis fragilibus*, etc. ? Neque aliter sane sua-

gilibus immortalia dona consecuturos superare inimicus divinæ religionis, religiosos servos Christi præcursor antichristi, milites Dei eos, quos ad æternas divinitatis suæ perfruendas amicitias unicus est Filius Dei invitare dignatus, dicens: *Beati estis cum* [a] *vos odio habuerint homines, et maledicentes persequentur, et exprobrabunt, et dicent adversum vos omne malum: gaudete et exsultate, quoniam merces vestra multa* [b] *est in cœlo: sic enim persecuti sunt et prophetas, qui erant ante vos.* Ilos tu in omnibus impotens de gradu putasti pellere, hos prosternere, quos videas idcirco esse paratos pro unico Dei interfici Filio, quod enim elegerint non vobiscum negatoribus torqueri apud inferos, sed cœleste consequi regnum; hos per inanem regni tui auctoritatem censueras temet [c] superaturos, qui Dei templa esse ipsa confessione fidei suæ clarescunt. Ut enim vos Ariani negando Filium Dei domos esse immundi spiritus, vocibus prophetarum, apostolorum, atque sacrorum evangeliorum designamini, ita [d] qui Filium Dei confitemur, templa Dei esse ostendimus nos. Milites Dei tuæ carnificinæ succumbere potuisse crudelis atque sacrilega mens tua suggestionibus favens cohæreticorum tuorum præsumpserat, nos quos templa sua dicit esse Deus sic: *Quoniam inhabitabo in illis, et inter eos ambulabo, et ero illorum Deus, et ipsi erunt mihi populus* (I *Cor.* VII, 16). Ilos te vincere potuisse judicaveras, quos apostolus hortatur tollere Deum, et portare in corporibus suis; hos te armis futilibus regni tui subigere potuisse fueras quidem arbitratus: sed perspicis [e], in tuo palatio intra velum [f] licet stans tulisti responsum

A a me ad conservandam salutem, omnes Dei servos, calcata frivola auctoritate tua, mente, voluntate, studio, virtute, voce consentire. Advertis quomodo caduca dominatio tua quanto contra nos sævire dignatur, quod tanto ea judicetur esse infirma, contemptibilis, inanis, debilis et abjecta: furore etenim et scelere concitata manus tua ad perimendos nos quotiens prævaluit, totiens nos crevisse, et magis atque magis victores exstitisse meminimus. Mactasti [g] quamplurimos in Alexandria, laniasti certos toto in orbe, disperdidisti resistentes tibi variis in locis; sed hi omnes, quod tu audire minime vis, martyres sunt: illos omnes beatissimos tuo mactatos gladio in paradiso esse qui [h] credimus. Crede mihi quod a te statuerimus interfici, quia et B melius esse viderimus in omnia æva Deum habere amatorem, quam te cum Juda Scarioth Judæorum imitatorem puniri. Hinc est denique, Constanti, quod frendores colubri per te illatos non timentes subire parati sumus omne exitium. Nunquam nos consiliorum nostrorum pœnitere potest, si per te mactati, qui adhuc tuis crudelibus restitisse videmur manibus, fuerimus. Mors etenim, quam nobis tu minitaris inferre, omnibus est parata: tantam vero beatitudinem, quantam sancti sunt martyres adepti, nemo ut videmus est consecutus, nisi hi qui mortem propter unicum Dei Filium moriendo vicerunt. Dicatos Deo homines torques, interficis, exterminas; et cur hæc geras, causas odiorum reddere non vales, quia tu erras. Etiam nobis irasceris cur veram C teneamus viam, et cum nostra salubri admonitione corrigere te possis, errores tuos insuper crudelibus

dere noscuntur sive libelli argumentum, *Moriendum esse pro Filio Dei*, sive totius opellæ contextus. *Galland.*

[a] *Cum vos maledicent, et persequentur et dicent..... propter justitiam.* Vers. Ant. Ms. German. *cum vos odio habuerint homines.* Floriac. *et exprobrabunt*, cum Lucif. in quo Sabat. legit: *Persecuti fuerint, et exprobraverint, et dixerint.*

[b] *Quia merces vestra copiosa est in cœlis.* Vers. Ant. Græc. Vatic. *multa.*

[c] Lege *superaturum.*

[d] *Ita cum*: sic legimus ut comparatio rite instituatur. Editi *itaque.* Scriptum forte fuerit in exemplari Luciferiano *ita quum*, et scriba fugientibus oculis legerit *itaque.* Galland. Nos ex correctionibus Tilianæ editionis legimus, *ita qui.*

[e] Forte subjiciendum, *cum in tuo palatio*, etc. D Gallandius *perspicue* pro *perspicis*, aut *perspicuum responsum* legit.

[f] Indicat hic Lucifer qua constantia in concilio Mediolanensi restiterit Constantio, cum in palatium admissus ad interius principis cubiculum ipse Catholicorum Antistitum nomine veluti Liberii Pontificis legatus, et concilii præses, negavit posse se, cæterosque in illius et Arianorum sententiam ac voluntatem concedere, tanta vocis libertate, ut Imperator qui post velum stabat, quo interius cubiculum occludebatur, potuerit illum Arianis Episcopis ac Imperatoris ministris respondentem audire. De velis autem, quibus interiores principum virorum ædes præ foribus occludebantur plura disserit Caspar Sagittarius in lib. de Januis veterum, cap. 24. Iis utebantur potissimum Imperatores, sive ut majorem quamdam majestatis speciem præse ferrent, cum post velum stantes veluti ex sacro recessu dabant responsa, sive ut occulti audirent, quæ in consilium, aut in judicium decernenda proponebantur. Utrumque confirmant tum hic Luciferi locus, ubi ait Constantium *intra velum stantem tulisse a se responsum*, etc., tum alius paulo inferior, cum scribit *se dixisse judicibus, Constantio velo misso audiente*, etc. Sed Sagittarii diligentiam uterque locus effugit. Hieronymus Magius in Miscell. lib. 2, cap. 13, docet velum tum fuisse in judiciis agendis interjectum, cum graviores causæ in quæstionem proponerentur; cujusmodi certe fuit Luciferi causa, de Fide nimirum Catholica et Athanasii innocentia tuenda.

[g] Cum cives Alexandrini constantissime Athanasio Episcopo adhærerent, neque in ejus locum suffici quemquam ferrent, præsertim Arianum Episcopum, D idcirco in eos Constantii furor sæpius exarsit, tum maxime cum Gregorius primum, deinde Georgius duo Arianorum monstra Athanasio in exsilium acto suffecti sunt, quibuscum nullam habere se religionis communionem passi sunt Catholici Alexandrini ad quælibet potius toleranda parati, quam cum Arianis convenirent: hinc atrox in illos persecutio mota, quæ totam crudelius pervasit Ægyptum ad obitum usque Constantii, licet aliquando constiterit, sed brevi. Vide Athan. Apologias, et epistolam ad Solit. tum notationes, quas subjecimus ipsis Luciferi libris pro S. Athan. Totum vero fere per orbem, vel jubente, vel connivente Constantio, Arianorum crudelitas adeo in Catholicos desæviit, ut plurimi præcipue episcopi gloriosum obierint martyrium: quod et hic et aliis in locis hujus libri Lucifer innuit ejusdem gloriæ obtinendæ cupidissimus.

[h] An *quin?* Galland.

factis coacervas, dicatas Deo mentes evisceratis corporibus extorquens eorum, qui statuerimus Deo fidem usque ad extrema vitæ servare curricula. Perspicis ita hæc esse, et quidem non sine maximo dolore tuo, cum non valere te advertis nos ab hac, quæ sola est, religione deflectere, ab isto cursu, in quo ad bravium sursum [a] vocationis tendimus, retrahere, non cum te ex aperto facis inimicum, non cum te simulas amicum [b]. Videris etenim quod sit in te qui deceperit Evam; nam [c], cum Verbum tuum, per quod serpis ut cancer, falso fucato scientiæ tumore componis, astruendo te omnibus flagitiis tuis maculato edicto [d] tuo rescissore [e], messe omnium errorum, cum sis ipse totius erroris fons, affirmas te luminis portitorem, cum sis tenebris obsessus omnibus. Nullis ergo modis posse nos a via veritatis deflecti, licet intellectu omni careas, tamen ex parte contemni te inspiciens potes tandem videre, Constanti imperator immanissime. Hoc enim fidei proprium esse negotium novimus Christiani, nec prosperis nec adversis de gradu demoveri, non a proposito semel vigore deduci : cernimus una hac voce religiosa, *Christianus sum, nolo esse ut tu es, Constantius, apostata*, omne crimen excludi : hac una voce tribui præsidium salutis, vinculum libertatis et honoris : conspicimus hac confessione tribui nobis protectionis clypeum, telum contra per te in nos sævientem diabolum; et tu inquis : *Negate vos Christianos?* Ut contra adversans discrimen duremus stabiles, nec sævitiam tuam torquentis horreamus, animemur magis quam doleamus, ista efficit conscientia, quæ reminiscitur unicum Dei Filium ad protegendos victoresque efficiendos suos suæ divinitatis præbere præsentiam : hinc efficitur, ut, qua nos credis exstingui pœna, vivificemur. Id etenim nobis, qui eum propter quem patimur, esse nobiscum credimus, in augmentum virtutis assumimus, quod tu cruciatui sperasti prodesse, punitor : hinc est quod malis tuis quatientibus non frangamur, quantoque varie continua crudelitate vexamur, tanto firmiter roboremur. Est enim nobiscum ille, qui adolescentes Hebræos credentes in se in camino ignis tutatus est; ipse firmat nostras mentes, ipse sensum regit nostrum, ipse divino incendit amore suo nostra corda, et ad tolerantiam sanctæ passionis animat : unde et nemo nostrum mortem quam inferre minitaris cogitat, sed immortalitatem; nec temporariam per te illatam pœnam, sed gloriam sempiternam. Tormentis namque martyres Dei consecrari, et ipsa passionis probatione coronari aperiunt ita sacræ scripturæ: *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus* (*Ps.* CXV, 15). Et : *Si coram hominibus tormenta passi sunt, spes eorum immortalitate plena est : et* [f] *in paucis vexati, in multis bene disponentur, quoniam Deus tentavit illos, et invenit eos dignos se. Tamquam aurum in fornace probavit eos, et quasi holocausta* [g] *hostia accepit eos, in* [h] *tempore erit respectus illorum. Judicabunt nationes et dominabuntur populis, et regnabit Dominus eorum in perpetuum* (*Sap.* III, 4, 8). Qui igitur tantam felicitatem consecuturos se de Dei præsumunt magnitudine et exsultant, necesse est, et futura cogitantes gaudia, præsentia tua mala calcent. Unici Dei Filii divina vox est: *Qui amat animam suam* [i] *in isto sæculo, perdet illam; et qui odit animam suam propter me, in vitam æternam conservabit eam* (*Joann.* XII, 25). Quo divino hærentes Christiani præcepto, licet in membris nostris resultans, Constanti, tua ungula recurrat in vulnera, stamus stabimusque immobiles, te atque omnibus pœnis tuis fortiores, hoc solum nobiscum ipsi revolventes, quod ista crudelitatis tuæ carnificina nobis sit utilis ad gloriam sempiternam. A barbaris sæpe parcitur victis, et est locus inter arma clementiæ, et utique apud eos qui ferali [j] ritu sint vitam ducentes. Hoc vero inenarrabile est quod fit adversum nos a te, qui tibi bene voluimus, atque ut contingat desiderantes sumus, Deumque jugiter obsecrantes non desinimus : spolias, proscribis, mactas gladio, varie punis, nec corpora [k] quæ laniare sanxisti, sepeliri permittis, eleemosynam fieri prohibes, omnia metalla, omniaque loca, exsilia vocari quæ putabantur digna, nostro tuæ calliditati resistentium replesti numero; relegando insontes, fame, siti, nuditate vexando non desistis. His illa ingeris mala, qui æternam cupimus consequi beatitudinem. Et tamen, imperator crudelissime, quicquid sævitia tua nobis intulit atque irrogatura erit, adverte quod mendacium sit; si quidem nec mors sanctis qui nos præcesserunt martyribus per te illata mors sit, nec

[a] *Sursum* cum Latin, ubi antea legebatur *rursum*. Textus verbis inhæret Lucifer, ἐπὶ τὸ βραβεῖον τῆς ἄνω κλήσεως. Galland.

[b] Promissis, ac blanditiis, quibus ad sua consilia allicere tentabat Catholicos episcopos, uti notabimus etiam inferius.

[c] Sic emendavimus cum Gallandio, ubi antea legebatur *non*.

[d] De quo fuse in Vita.

[e] Id est, *Ostendendo te eum esse, qui cum edicto tuo maculato omnibus flagitiis tuis rescindas sanam doctrinam, et metas ac colligas errores omnes.*

[f] *Et* omittit Vers. Ant. Vide quædam variantia in l. I pro S. Athanasio pag. 95 (*hic col.* 861), et quæ ibidem notavimus.

[g] *Holocaustam hostiam*. Lat. ut in l. I pro S. Athan. p. 95 (*col.* 861, *lin.* 7), *Holocausti hostiam* Vers. Ant. Integrum hunc locum, teste Gallandio, recitat S. Cyprianus lib. 3 Testim. cap. XV, et lib. de Exhort. martyr. cap. XII; utrobique vero legit *holocausta hostiæ*, quam Luciferi quoque germanam versionem censeo. Monet tamen Nobilius in hunc libri Sapientiæ locum complures codices Cyprianicos præferre lectionem istam, *holocaustam hostiam*, quam in Lucifero inserunt Latinius, Gallandius ipse, aliique. Sabatierius habet : *Holocausti hostia*.

[h] *Et in tempore*. Latin. ut Vers. Ant. et Vulg.

[i] Vers. Ant. *Animam suam, perdet eam; et qui odit animam suam in hoc mundo....custodit eam*. Cyp. epist. 81 cum Lucif. *in isto sæculo, et conservabit*.

[j] Pro *ferino*.

[k] Quod præsertim contigit Alexandriæ, cum Georgius Cappadox jussu Constantii vi armisque Ecclesiam illam occupavit an. 356. Vide notas in libris pro S. Athan.

jactura, neque damnum, sed fidei feneratio. Semper Christiani [a] vobis tyrannis in persecutione perversa quæstione torquemur. Quo enim genere nocentes coguntur ad confitendum, eo nos compellimur modo ad Christum unicum verissimum Filium Dei negandum. Sed ut illi pro meritis confessi damnantur, sic nos, quia Dei Filium non negamus, coronamur, quibus victoria est a te illata damnatio: auferimur a te e medio, quibus coram non audeas blasphemare. Prosternitur etenim una voce Christi militis ille, qui contra nostram confessionem religiosam in te manet; loquitur ille, qui per te nostrum sitit sanguinem; ille, qui tuam obsedit mentem, contremiscit præsentiam cultorum Dei, atque ferre non valet, cum dissentimus a te, qui dicas *esse ex nihilo Filium Dei*, cum contra stamus minas tuas, omnemque crudelitatem carnificinæ tuæ potentia ejus juvati protectique calcamus. Castigari te profecto sentis ejus servorum constantia atque tolerantia, qui dicit: *Nolite metuere* [b] *eum, qui potest occidere corpus; magis autem metuite eum, qui potest et corpus et animam perdere in gehennam* (*Matth.* x, 28). Pauli etiam beatissimi ejus apostoli ad te calcandum tyrannorum omnium tyrannum hortamentis animamur: *Sumus filii Dei. Si autem* [c] *filii Dei, et hæredes Dei, cohæredes autem Christi, siquidem compatimur, ut et simul glorificemur* (*Rom.* VIII, 16). Et iterum: *Existimo* [d] *non esse condignas passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis* (*Ibid.* 18). Cujus claritatis gloriam cogitantes pressuras omnes et persecutiones non solum per te illatas a diabolo, sed et per omnes ejus homines nos tolerare servos Christi convenit, quia licet sint multæ, tamen ex omnibus illis liberamur, qui Filium Dei verum esse Filium credimus: et cum duas esse personas Patrem et Filium meminerimus, tamen unam divinitatem Patri et ejus unico Filio vindicemus. Has nostras justas invictasque audiens allegationes, quia sustinere veritatem ille qui tuam obsedit mentem non potest, instigat tuum ferinum animum, ut nos quam acerrime vexes, exquisitis pœnarum generibus exercies, cur nolumus iter deserere salutare. Hinc est quod nimia tua crudelitas nostris illudit corporibus, cur magni æstimemus fidem, cultoresque Dei nos esse non abnegemus: totis in nos incumbis carnificinæ tuæ viribus, arbitratus nociturum te nobis, ignorans probationis nostræ nos gaudere occasionibus; hi videlicet qui felicitatem nostram hanc existimemus maximam, si in hoc justitiæ agone tua carnifice manu nobis contingat pro Dei jugulari Filio, stabiles contra tuam religiosa mente perstamus insaniam, vincente scilicet in nobis eo, pro quo patimur, quicquid sub persona nostra injuriæ [e] ipsius divinæ majestatis, tu profane jactitas sermone vacuo, et inani colloquio, voluntate prava; quæ cuncta dura mens tua et obstinata pectoris feritas in necem suæ gignit salutis: dum a religione Dei dissentis ducente dementia, furore rapiente, omni denique te immanitate vexante, qua instigaris pariter ac feris, eo quem negas protegente contra tuam, bellua, immanitatem, ut vel verso solent mari moles oppositæ, reluctamur. Feriant licet per te diabolici fluctus, et pulsent late vagantes mundi turbines, magis magisque immobilis, ut est, erit virtus, nec undis tuarum infestationum circumspumantibus succumbemus operti, sed contra omnia erimus semper erecti pericula: siquidem non bit Christianus animus abjectus qui sternatur et jactetur ad vitia, sed eo usque sit generosus ac nobilis, ut contra omnia tentamenta immobilis victorque permaneat. Non sumus Christiani cogitantes præsentis fragilis vitæ dulcedine perfrui, sed sumus adipisci cupientes æternæ securitatis et felicitatis gloriam, perpetuæ beatitudinis possessionem. Joannis apostoli beati, ut terrena spernentes, cœlestia sequi desideremus, hortantis religiosa vox est: *Et mundus transit, et concupiscentia* [f] *ejus: qui autem fecerit voluntatem Dei, manet in æternum, quomodo et Deus manet in æternum* (I *Joann.* II, 17). Cum hæc ita sint, cupio te cognoscere cum omnibus tuis præstigiis ac fraudibus, cumque vastissima sævitiæ tuæ crudelitate, jacere te subter pedes Dei servorum, omnem gloriam tuæ vanæ dominationis duci a nobis atque haberi pro nihilo, nihilque te aliud esse a nobis sentiri cum omni vigore atque auctoritate imperii tui, quam inanem aurulam. Jactare nos hæc quisquam de tuis fortassis dicat adulatoribus. Non retines, Constanti, dixisse me judicibus, te [g] velo misso audiente, quod

[a] Ita cum Latinio et Gallandio hæc emendavimus, et interpunctione distinximus, ubi Tiliana editio sic locum hunc exhibebat: *Sed fidei feneratio semper Christiana: vobis tyrannis*, etc.

[b] Vers. Ant. *Timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere, sed potius eum timete qui potest animam*, etc. Mss. Cantabr. *magis eum qui potest et*, cum, Lucif.

[c] *Si autem filii et hæredes: hæredes quidem Dei.... si ita compatimur, ... conglorificemur.* Vers. Ant. Cypr. ep. 55 cum Lucifero: *Si autem filii Dei, et hæredes Dei, cohæredes autem Christi.*

[d] Cum Cypr. lib. 3 Testim. præter hæc, *ad superventuram claritatem.* Vers. Ant. *Existimo enim quod non sunt condignæ*, etc.

[e] *In injuriam.* Latin. Sed fortassis eodem sensu scripserit *injuriæ* dandi casu Lucifer, scilicet stylo suo minus accurato ut assolet. Suos enim *libros rustico sermone* descriptos agnoscit ipsemet auctor sub fin. lib. *de non parc. in Deum delinq.* Galland.

[f] Cum Græco, *ἐπιθυμία.* Vers. Ant. *desideria*, et, *sicut et ipse manet in æternum.* Cypr. lib. 3 Testim. *quomodo Deus*, omisso *et.*

[g] Ita hunc locum correximus, Poncio auctore apud Latin., ubi antea legebatur mendose, *te vel omisso audiente*; et sensus ad ea refertur, quæ paulo superius notavimus. Idem Gallandius confirmat; loquitur enim utrobique Lucifer de velo, quod Imperatoris aut judicis conspectum ab oculis adstantium removebat. Nonnulla de hisce velis itidem notarunt Cotelerius ad lib. 2 Constit. Apostolicar. cap. 52, et Mazochius ad Kalendarium vetus marmoreum Eccl. Neapol. pag. 384, ex quo nota, graviores quidem causas, qualis nimirum erat causa Luciferi, prætenso velo, leviores sublato velo ag.

licet totum militem tuum in nos decrevisses jacere regni tui tela, in nos exsecratores blasphemiæ tuæ, ut in sacrilegi [a] tui decreti contemptores, omnia sua colliderent arma, nec si [b] tamen quod possemus a proposito recedere? Sed tu pro tua illa prudentia in omni pro te moriundos bello milites tuos censuisti, Christianos vero sanxisti Dei oportuisse exsistere negatores. Et utique tui sentiunt dolorem vulnerum, dolent se periisse, dolent hanc amittere lucem; nos vero primo sentire pœnarum cruciatus non possumus, in quibus Christus patitur, in quibus Christus æternam salutem operatur: deinde, quia præsentia pro nihilo ducamus, et lumine in illo perenni semper futuri sumus, qui [c] fieri potest, ut non pro Christo Dei Filio vitæ æternæ tributore sacrilegio funestatis manibus tuis maluimus [d] interfici? qui aliter nos Deo Patri placere non posse cernamus, nisi conventi a te ad negandum unicum Dei Filium ejus per mortem etiam ipsam verum esse illum Filium Dei confessi fuerimus? Detestabilis mens tua indigne fert, quia dicamus Christum Dei Filium Dei esse verbum, Dei sapientiam, Dei virtutem, *Deum* [e] *verum de Deo vero, natum de Patre, id est de substantia Patris, lumen de lumine, natum non factum, unius substantiæ* illum esse *cum Patre, quod Græci dicunt* ὁμοούσιον, *per quem omnia sunt facta, sine quo numquam fuerit Pater.* Indigne fers, Arii vermis, cur defendamus, quod claritas, potestas, magnitudo, æternitas, divinitas, quæ [f] una sit Patris et unici ejus Filii. Non esse novum quod nos legati asseverabamus in [g] tuo palatio, et firmando non desumus semper sic fuisse et esse creditum a Christianis, sicuti apud Nicæam contra hæresim tuam Arianam et [h] omnes errores videtur esse sacra fides conscripta, si tandem oculos serpentis morsibus confossos cordis tui aperias, invenies, quod hanc habet, hanc defendit ecclesia fidem, quam sibi traditam cognoscit per beatos apostolos. Omnes momento peragrare si posses gentes, invenisses, stolidissime imperator, ubique Christianos sicuti nos credere, in hac defensione nostra perstantes pro Dei Filio ut nos mori cupere. At tua novella prædicatio et recens religio, sub prætextu fidei blasphemia [i] in perniciem salutis tuæ per te prolata, non solum adhuc limitem Romanum peragrare non valuit, et utique te satis agente, sed, et ubi [j] radices figere tentaverat, aruit, recedentibus scilicet omnibus Dei famulis a te, atque paucis tuis, quos lolium esse super frumentum seminatos Dominus prædixerit, tecum manentibus: quæ omnia tibi præstitit atque est præstans artifex fraudis ac mortis, qui per te plurimos blanditiis obliquis illicit ac decipit, qui, cum sit reus totius sceleris, suggerit cordi illi tuo amarissimo, ut nos tamquam reos alicujus criminis punias. Sed prospice tandem, aperi cordis oculos, in quibus tibi nihil luminis est, sed omnis caligo et ingentes tenebræ versantur, et invenies quod mors tua fragili illata potestate integriorem reparet vitam, quod hæc magis nos deducat ad gloriam per ignes, per gladios, per catenas ac feras, per quicquid denique rabies tua piissimi [k] imperatoris in nostram censuerit ingerere necem. Tutante Deo non modo non exstinguimur, sed magis atque magis vivificamur, qui meminerimus nil esse super nos præter Deum; unde erubescit animus devotus atque mancipatus Deo tibi per tuam mortuo blasphemiam, cani latranti contra veritatem, vermibus Arii scatenti succumbere. Servorum Christi animæ quoties vim diligenter veram examinant tormentorum, considerant nullum majus esse tormentum quam a te adversarii nostri servo servum vinci Christi. Recordamur Dominum dixisse: *Si quis vult post me venire, abneget se sibi, et tollat* [crucem *suam, et sequatur me. Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet illam. Qui* [l] *autem perdiderit animam suam propter me, inveniet eam. Quid enim prodest homini, si totum* [m] *mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem animæ suæ* (*Matth.* XVI, 24)? Martyrii cogit dignitas ut vitam Christiani morte [n] contemnamus, siquidem novum salutis genus per Dei Filium fuerit tributum; *interire* [o] *ne peream.* Novimus hanc esse nobis traditam divinitus disciplinam, ut sine ullo terrore militiæ vim tueamur tanti nominis, quippe quos jam pridem æternæ memoriæ cupiditas abstraxerit a desiderio istius lucis, quosque ad calcanda omnia terrena Christi societas segregarit. Crescit [p], Constanti, crudelitatis tuæ pugna: sed crescere adverte et Christi militibus gloriam, nec

solitum antiquis fuisse.

[a] Ita correximus cum Latinio, cum antea legeretur, *in sacrilego tuo decreto.*

[b] *Nec sic.* Latin. et Galland.

[c] *Quin.* Vatic. sed corrupte.

[d] *Malimus.* Latin. et Galand.

[e] Initium Symboli Nicæni hic refert, quod integrum descripsit in lib. *de non parc. in Deum delinq.*

[f] *Divinitasque.* Latin. et Galland.

[g] De Luciferi legatione in Mediolanensi concilio vide quæ in ejus Vita narrata sunt.

[h] *Et contra.* Vatic.

[i] Edictum intellige, sive epistolam Constantii nomine ab Arianis proposita in concilio Mediolanensi, de qua in Luciferi vita. Gallandius mallet legere *blasphema religio.*

[j] Id est, in ipso concilio Mediolanensi, unde per Italiam, et Occidentem late posset vagari: sed irrito Constantii et Arianorum conatu. *Ex quibus videas,* ait Baronius ad an. 336, num. 71, *quantumlibet Ariani favore Constantii, et ipse Constantius omni Arianorum conatu totum Christianum orbem miscuerint, ut Arianam hæresim, fide explosa Catholica, in ecclesia seminarent.*

[k] Εἰρωνικῶς dictum.

[l] *Qui enim voluerit animam suam perdere,* etc. Vers. Ant., Ms. S. Germ. apud Sabat. cum Lucif., præter *nam* pro *autem.*

[m] Ex Græco, τὸν ὅλον κόσμον. Vers. Ant. *hunc.*

[n] *Morte contra emamus.* Latin. et Galland. minus tamen recte, cum sensus perstet.

[o] Editio Tiliana non habet hanc lectionem, *interire ne per eam*, ut affirmat Gallandius; sed in ea perspicue legitur, *interire ne peream.* Lugdunenses vero et pessime et absque ulla causa ita ediderunt: *interire ne possim.*

[p] Similem sententiam habet Cyprianus in epist. 8 edit. Baluzianæ ad Martyres et Confessores: *Crevit*

retardamur denique ab acie tormentorum metu, sed ipsis magis tuis tormentis ad aciem provocamur. Hæc ita esse negare non poteris, quando conspicias [a] pari et simili calore virtutis Christianos toto in orbe ad gerendum certamen animatos, quando videas, militem Christi, incorruptam fidei firmitatem quod non detestandæ tuæ blanditiæ decipiant, non minæ furoris tui terreant, non cruciatus tuæ carnificinæ ac tormenta crudelitatis devincant, illo videlicet in nobis manente, et nobiscum semper constituto, qui ad beatos apostolos dixerit : *Vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII, 20). Est ubique præsens, quia omnipotens [b] sit, Filius totum potens, cui cum Patre una sit æternitas atque potestas divina. Sed te quanta caligo obsederit incredulitatis, quantaque tenebrarum et errorum nubes tuum pectus obduxerit, dici non potest, qui cum te Christianum fingas, Christianum tamen nomen e medio auferre nitaris. Inter hæc daturos legentes veniam conspicere debes, quod pro merito impietatis tuæ facundia mediocris ingenii mei ad exsecrandum te describere non valuerit; dedisse me etenim videbant formam universis Deum timentibus, præbuisseque materiam tractaturis, quo [c] te ordine possent sine vitæ æternæ radicibus positum secare. Nec te maledicis vocibus dicas a nobis objurgari, si quæ dignus es [d] a rusticis, licet tamen Christianis, audis. Novimus non maledicendum, sed magis propter inimicos rogandum : Filius etenim Dei, rerum cum sit Dominus, tamen cum maledicereтur, non remaledicebat. Cæterum, si rerum malediceret Dominus, tantæ utique majestatis impetu universa concíderent. Dicis utique ad hæc : *Dominus te mitem esse voluit quippe antistitem suum, et tu te pervicacem me circa præbes.* Prophetæ, apostoli, et chorus evangeliorum non occidendum docent, tu contra Deo dignaris interficere dicatos. Christiani ad placandum quem colimus his rebus opus esse novimus, quibus illum delectari ac gaudere scimus. Si igitur placere censendum est posse Deo quod facis, omnes nos oportet homicidas esse, sacrilegos ac blasphemos. O Constanti, quam ingentis sis dementiæ, videris : conspicitur veterator ille subtilis, A circumscriptor innocentium in tua mente sedem sibi collocasse, et arbitraris non te adhuc publicatum? adhuc in ovem, cum sis lupus, perfrigescis tu, qui a sanctissimis prophetis bestia nominaris, a beatissimis apostolis canis ac lupus rapax, subornatus, cum sis operarius iniquitatis, tamquam minister justitiæ : et te esse hominem censes, cum nihil hominis nisi lineamenta ac summam figuram geras? Doles te immanem bestiam dici, nihil te hominis nisi lineamenta ac summam gerere figuram. Dic, quæso, an possis, innocentium interemptor, merito dici Christianus, et non potius insanus, hebes, vecorsque, hostis quippe Dei religionis, in qua pietas, humanitas, omnisque justitia versatur, in qua nec malum pro malo discitur reddere, in qua non occidere, B sed occidi propter Dei Filium docemur? Tu sacrilego conatu tuo, contemptam vanam dominationem tuam considerans, tormenta admoves; sed est protector [e] fidei, gubernator salutis, rector animarum, quem nos impellis negare semper, nobiscum semper adest certamini nostro, quia prælíatores atque assertores divini sui nominis erigat. Hinc est quod servientibus [f] injustitiæ tuæ ac ministris, hoc est concarnificibus tuis torquentibus, stemus fortiores, inanimamur ut tuam ungulam artus nostri pulsati ac laniati superent. Quomodo etenim inexpugnabilem fidem superare poterit sæviens diu plaga repetita, cum omnis miles Christi sciat ipsum, pro quo patitur, secum esse præsentem, gaudentemque de suorum tolerantia servorum? Stamus [g] utique C famuli Christi ejus majestate firmati, voce libera, mente incorrupta, telis quidem fragilibus tuis, nudi, sed illa induti arma, quæ nos ut inducremus est deprecatus beatus apostolus dicens : *De cætero confirmamini* [h] *in Domino et in potentia virtutis ejus* (*Eph.* VI, 10). Et : *Induite arma Dei, ut possitis stare adversus remedia* [i] *diaboli, quia non est vobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed contra* [j] *potestates, contra hujus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritalia nequitiæ in cœlestibus. Propterea accipite arma Dei, ut possitis resistere in die malo, et in omnibus perfecti* [k] *stare, præcincti lumbos vestros in veritate, induentes loricam justitiæ, et calciati pedes*

pugna, crevit et pugnantium gloria; nec retardati estis ab acie tormentorum metu, sed ipsis tormentis magis ac magis estis ad aciem provocati. In textu Luciferi pro *ne retardamur* edidimus ex Latinii correctione, *nec retardamur*.

[a] Rursum Cyprianus eodem in loco : *Jam comperi.... universos..., pari ac simili calore virtutis ad gerendum certamen animatos...., ut incorruptam fidei firmitatem non blanditiæ decipiant, non minæ terreant, non cruciatus ac tormenta devincant : quia major est, qui in nobis est, quam qui est in hoc mundo.*

[b] *Omnipotentis.* Vatic.

[c] Hæc de libro intelligenda videntur, quem scripsit ad Constantium *de non parcendo in Deum delinquentibus.*

[d] *Dignus es audire, a rusticis*, etc. Galland.

[e] Item Cyprianus in loco paulo superius laudato : *Quam lætus illic Christus fuit....et vicit protector fidei.... certamini suo adfuit præliatores atque assertores sui nominis erexit*

D [f] Cum Gallandio, ubi Tiliana editio habebat *serviens*, Latinius et Lugdunenses *servientes*. Cyprianus in epist. laudata : *Steterunt torti torquentibus fortiores, et pulsantes ac laniantes ungulas pulsata ac laniata membra vicerunt.*

[g] Cyprianus ibidem : *Vidit admirans præsentium multitudo .... stetisse servos* (Christi) *voce libera, mente incorrupta, virtute divina, telis quidem sæcularibus nudos, sed armis fidei credentes armatos.*

[h] *Confortamini*, et *in potentiam*. Vers. Ant. *Confortamini*, idem Lucifer infra.

[i] *Insidias*. Ead. Vide notata in lib. 2 pro S. Athan. et paulo infra.

[j] Nullus dubito, quin scripserit Lucifer *contra principes, contra potestates*. Galland. Et ita quidem legitur in Græco : sed auctor noster probe convenit cum Vers. Ant. apud Sabat.; nihil propterea immutandum est pro arbitrio.

[k] *In omnibus operis stetis*. Vers. Ant. Lucifer ad Græci textus amussim. *Galland.* Sed aliter a versione Cypriani tum in lib. 3 Testimon. tum in epist. 58.

in præparatione [a] *evangelii pacis ; in omnibus assumentes scutum fidei, in quo possitis omnia jacula nequissime candentia* [b] *exstinguere, et galeam salutis* [c], *et gladium spiritus, quod est verbum Dei, per omnem orationem et obsecrationem orantes omni tempore in spiritu, et in* [d] *illum vigilantes* (*Eph.* VI, 11). Igitur quia taliter armatos, tanta potentia munitos, superare non possit tua patrisque tui crudelitas, ut sæpe dictum est, stetimus et stamus, et quoad usque consumas corpora nostra, staturi sumus salutari Christi clypeo muniti, lorica pietatis ejus circumdati, sancto Spiritu gubernati, immobiles [e], et magis magisque in omnibus auctores [f], pellentes omnem vocem servitutis. Certi etenim et fidentes sumus nullis nos tuis insidiis, nulla tua calliditate, nulla cavillatione, nullis tuis frandibus posse a proposito vigore deduci, quandoquidem sciamus quod enim finis delictorum mors sit, deinde sequitur vita, quæ semper sit; amplectamurque beati consilia apostoli ejus, ejusque imitatores atque participes desideremus inveniri, qui astruit, quod [g] (II *Cor.* IV, 16) *cum vetus homo noster corrumpitur, qui intus est innovetur.* Et [h] (*Ibid.* V, 1) *si terrestris domus nostri corporis dissolvitur, cœlestis ædificetur ;* et quod (*Ibid.* 6,) [i] *positi in corpore, peregrinamur a Domino;* cum quo apostolo in regnis cœlestibus uberes laudes referre non poterimus Deo, nisi prius morte expurgata ad immortalia sumenda præmia venerimus. Igitur cum per te dissipata atque penitus dissoluta fuerint corpora nostra, tunc nos integerrimos esse præsumamus; cum per te mors fuerit illata, tunc nos magis vivere posse credimus. Quomodo adhuc præsumis, Constanti, interea imperator semper insulsissime, ea ingerere, quæ te exstinguant, nos contra vivificent? Ad exstinguendos nos malo pravoque consilio erigeris, actus es velox ad effundendum Dei unici Filii servorum cruorem, ignorans quod sanguine nostro pateflat cœlum, sanguine nostro gehennæ exstinguatur ardor. Te sæcularis ambitio, nos cœlestis admonet magnitudo, qui salutem timemus æternam amittere. Scimus nos pro Deo mori debere; ut enim te, nisi e castris diaboli ad exercitum in cœlestibus castris constitutum feceris transitum, in perpetuum detinebit ignis apud tartarum, sic nos, si tuas minas tormentaque tua spernentes propter Dei jugulari [j] Filium per te sævissimam feram immanemque belluam maluerimus, in cœlo erimus gaudentes. *Beati* enim (*Matt.* V, 10) *qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum;* et non dixit: *Beati qui persecutionem faciunt.* Christiani scimus ad hoc nos Christi factos milites, ut injusto a te indicto belli campo ducem nostrum confessi, quo possimus victoriarum triumpho [k] potiri, moriamur armati: hinc nobis quanto sævis, tanto et clementior videris, cum interficere Christianum se confitentem dignaris. In hoc vero sceleratissimus judicaris, quod sub specie dilectionis, et consulere cupientis [l], ad nos blandiaris dejiciendos, tamquam utile sit nobis a te de gradu pulsos reservari, a Deo vero damnari. Novimus quod sis metuens, ne in omnibus his pœnis, tua detestabilitate inventis, in hac perseverantia fidei moriamur, et tamen admoves varios durosque cruciatus. Sic nos, quos tam infeste persequeris, varie excarnificari cupis, et quidem momentis omnibus; interficiendos vero non esse statuisti, tamquam [m] mors tantummodo beatos millites Christi faciat, ac non etiam tormenta quanto fuerint graviora, tanto majorem virtutis gloriam pariant. Etenim, qui novimus justitiæ copiosiorem esse vitam ac prolixiorem, in isto belli campo non terga vertimus, non ad castra tua Dei hostis transitum facimus, sed magis inter hæc a te illata exitia positi Dei ovili, unde te raptum possidet diabolus, repræsentari cupimus: et tamen eo hæc dico, non ut nobis parcas. Invenies etenim Christianos nos esse, ut jam, quos interfecisti, invenisti in fide stabiles, in dolore patientes, in quæstione victores per

edition. Oxon. a Gallandio laudata : legitur enim : *Propter hoc induite arma Dei ut possitis resistere in die nequissimo ; ut cum omnia perfeceritis, stetis accincti,* etc.

[a] *Præparationem.* Vers. Ant.

[b] Sic emendavimus ex Vers. Ant. Legebatur antea *cadentia.*

[c] Cum Cypriano epist. 56. Vers. Ant. *salutaris.*

[d] Græc. εἰς αὐτὸ τοῦτο. Porro τὸ τοῦτο non expressit Lucifer cum aliis Patribus; neque illud agnoscit vulgatus interpres; quin et abesse a pluribus codd. ex Millianis annotatis constat. *Galland.* Græcus codex Bornerianus apud Sabat. εἰς αὐτὸν cum Lucifero. Vers. Ant. *in illo.*

[e] Non recte censet Gallandius *immobile* hic usurpari pro *immobiliter* : nos ex Tilianis correctionibus legimus *immobiles*, uti Lugdunenses quoque edidere.

[f] *Auctores* pro αὐθέντας, ἐξουσιαστάς, *domini*, usurpare Luciferum Græco stylo assuetum existimarim ex iis in primis, quæ statim subdit, *pellentes omnem vocem servitutis.* Videsis virorum eruditorum observationes ad Hesychium v. Αὐθέντας, nec non Suicerum in Thes. eccl. eodem v. § II, tom. I, pag. 574. Neque præterea velim Cangium in Gloss. v. *Auctor.* Galland.

[g] *Sed etsi, qui foris est, homo noster, corrumpitur : sed qui intus est, renovatur de die in diem.* Vers. Ant.

[h] *Et* est conjunctio, qua unum cum altero testimonio conjungit, uti sæpe solet, minime vero propria testimonii, quod subditur, uti Sabat. autumat. Vers. Ant. *Si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cœlis.*

[i] Eadem hic conjunctionis vis contra ac Sabat. legit. Vers. Ant. *Dum sumus in corpore, peregrinamur a Deo;* ut idem Lucifer lib. II, pro S. Athanasio. Vide pag. 151, nota 10. Græc. fere cum Lucif. Ἐνδημοῦντες ἐν τῷ σώματι, ἐκδημοῦμεν ἀπὸ τοῦ Κυρίου : quamvis in hisce tribus testimoniis videatur sensum potius, quam ipsa Apostoli verba expressisse.

[j] Cum Latin. Antea *jugulare.*

[k] *Triumphos.* Vatic.

[l] Ita Latin. ubi antea *cupientes. Cupiens*, Galland. Hanc calliditatem blandiendi Catholicis, ut in suas illos partes traheret, sæpe Lucifer exprobrat Constantio : hinc Hilarius in lib. cont. Constant : *Pugnamus contra persecutorem fallentem, contra hostem blandientem... qui non dorsa cædit, sed ventrem palpat ; non proscribit ad vitam, sed ditat in mortem ; non trudit carcere ad libertatem, sed intra palatium honorat ad servitutem ; non latera vexat, sed cor occupat ; non caput gladio desecat, sed animam auro occidit, non ignes publice minatur, sed gehennam privatim accendit.*

[m] Hilarius in lib. eodem : *Omnia sævissima sine invidia gloriosarum mortium peragis.*

illum scilicet qui confessores suos non deserit, cujus nos milites agnoscentes, ut advertis, congredimur fortiter, dimicamus constanter. Scimus enim magnam esse claritatem, immensam sublimitatem, ac singularem sanctitatem, vitam salutis æternæ honestate passionis ornare, maximam esse nobilitatem potestatis tuæ tormenta contemnere, nec horrere calcare te, nec tuam rabiem pertimescere, qui in innocentes tam rabide sævis, qui, cum sis blasphemiæ, et injustitiæ, et totius crudelitatis doctor, tamen [a] Christianum te pium, prudentem, atque justum videri posse censeas, cæcus et hebes, et veritatis ignarus. Adverte, vorator innocentium, quod, in quo Christus vigilet, vinci tuis tormentis non possit, famem vincat, sitim spernat, squalorem carceris et receptaculi, pœnarum horrorem, roboris sui vigore subigat, omnem calcet pœnam, cunctos conterat cruciatus, nec mortem, quam tu magno nisu minitaris inferre, metuat. Superare te existimas illum, qui meminerit scriptum : (*Ps.* CXV, 12) *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit* [b] *mihi? Calicem salutaris accipiam et nomen Domini invocabo. Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus* (*Ibid.* 15). Et (*Rom.* VIII, 35) : *Quis nos separabit a charitate Christi? tribulatio an angustia? an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? sicut scriptum est : Quia propter te morte* [c] *afficimur, tota die æstimati sumus ut oves occisionis, sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos.* Quid nos tuum possit ab his auferre salutaribus præceptis, prorsus videre non valeo. Nam et licet eos qui tuæ pravitati consentiunt ad nos illiciendos levando omni officio tuo non desinas impio, ut Epictetum [d] et cæteros, quos ex Dei servis tuos esse ac patris [e] tui satellites fecisti, tamen absit a nobis hæc amentia, ut falsum vero anteponamus, aut aliqua nos oblata per te felicitas illiciat regni tui : inanem gloriam tibimet serva, omnemque stolidissimi cordis tui prudentiam tibimet retine et comparibus tuis, quibus te morum conjunxit similitudo : relinque nobis stultitiam nostram, cum nos Christum Dei Filium verum esse Filium confitemur, cum eumdem unius esse substantiæ cum Patre defendimus, cum nos propter eum, ne ejus divinitatem negemus, interfici cupere profitemur : relinque nobis hujusmodi stultitiam. Quid ut hanc amittamus das operam? quid impugnandam putas posse a te veritatem, ignorans quod vi sua valeat? unde etenim contra fremitus atroces, asperosque tuos cruciatus invicta virtute populum Dei conspicis resistentem? nisi quia hæc sit, quam defendimus, apostolica atque evangelica fides. Hi resistunt tuæ crudelitati, hi tuam calcant rabiem, quorum spes æternæ immortalitatis, et vita cœlestis est, quorumque ardor in cupidinem perpetuæ lucis accenditur, et salus de promissa lætatur beatitudine. Adeo namque securi ad æternam nos perfruendam vitam perventuros scientes omnia gratanter perpetimur, quando non tormenta propria cogitare nos profiteamur, sed tua tortoris supplicia; damna corporum lucris animæ Christiani repensamus, coronam in vulneribus computamus, de tormentis et doloribus illatis per te lætissimi in Christo triumphamus. Recordare [f], Constanti, de scelerum tuorum memoria recenti, quam tibi in civitate Alexandrinorum inussisti, quantos [g] per abrupta una tincta [h] subscriptionis tuæ dejecerit, quantos gladio demeti fecerit, quantos fame sitique exedi, vel carceribus necari, quantos intercepto effecerit spiritu strangulari; et tamen his omnibus crudelitatibus in sanctos martyres, quos tuus interfecit gladiatorius animus, cum sævieris in nos, crudelius sævis dum retines gladium, dum das operam, ne in remedium velocius exitus succurrat mortis. Dilacerari toto corpore, urique nos patimur, probantes nihil [i] congruere sapientium gravitati atque constantiæ, quam nullis terroribus de sententia et proposito depelli, sed esse utilissimum pro Deo cruciari, et emori non posse

[a] **Rursus Hilarius** ibidem Lucifero consentit : *Christum confitetur* Constantius, *ut neget... hæreses comprimit, ne Christiani sint.... sacerdotes honorat, ne Episcopi sint. Te, Christe, in verbis, te in ore circumfert, et omnia omnino agit, ne tu Deus ita, ut Pater, esse credaris.*

[b] *Retribuet.* Vers. Ant.

[c] *Morti.* Ead. in qua hæc verba *tota die* conjunguntur cum verbis *morte afficimur.* Iren. lib. II, cap. 22, *morte;* et lib. IV, cap. 16, *tota die* conjungitur cum verbis *æstimati sumus,* ut apud Lucif. qui tamen lib. I pro S. Athanasio pag. 58, habet : *Occidimur tota die.*

[d] De quo etiam in lib. de non conveniendo cum hæret.; sed ex hisce Luciferi verbis intelligimus, hunc hominem Catholicis primum partibus, deinde ambitione compulsum Arianis adhæsisse. Hoc innuit Athanasius in orat. I cont. Arian.: *Nam de Cecropio, Auxentio, et Epicteto hypocrita superfluum est dicere, cum omnibus liqueat, quomodo, ob quas causas, et per quos inimicos Ecclesiæ etiam isti promoti sint, nimirum qui se calumniarum in Episcopos orthodoxos, quibus insidiæ parabantur histriones, actoresque præbuerunt. Hi, cum essent nonnisi in presbyteri ordine constituti, nec vulgo cogniti haberentur, tamen per impietatem Episcopatus titulum sibi procurarunt.*

[e] Id est *diaboli,* uti paulo superius.

[f] Quæ Lucifer hic commemorat, videntur referenda esse ad an. 360, quo hic liber scriptus fuit : nulla tamen de hoc Constantii facinore mentio apud Historicos : si tamen, quod ait Lucifer, *memoriæ recentis* nomine velimus intelligere, paucos quæ ante annos Constantius adversus Catholicos Alexandrinos crudeliter jussit perpetrari, forte conjicias ea hic enarrari, quæ anno circiter 357 Georgius Cappadox Constantinopoli Alexandriam reversus impie, sævissimeque aggressus est in Alexandrinos ipsius Constantii auctoritate et edicto. Vide Sozom. lib. IV, cap. 10, edit. Vales., et Præfat. nostram, § IV.

[g] A Georgio namque, qui Alexandria expulsus ad Imperatorem confugerat, vehementer ira incensus idem Imperator Notarium misit Alexandriam, qui Constantii jussu *multos Alexandrinorum tormentis subdidit, ac verberibus affecit. Nec multo post Georgius ipse revertitur terribilior factus, quippe qui Imperatorem ad multorum vexationem incitasset;* ait ibidem Sozom. Hinc Lucifer scribit, *una tincta subscriptionis* tantum scelerum in ea urbe commissum, id est una edicti subscriptione temere ac furenter a Constantio signata Georgii impulsu.

[h] Tincta subscriptionis una, *pro una subscriptione quæ tinctura seu atramento fit : tincta nomen novum.* Til. et la Cerda.

[i] *Nihil magis.* Galland.

Deo mancipatos, perpetua vinci tormenta, sed te magis prosterni atque deduci ad nihilum. Accipe in vicesimo sexto psalmo positum (*Psal.* XXVI, 1) : *Dominus illuminatio mea, et salus mea, quem timebo? Dominus defensor vitæ meæ, a quo trepidabo? Dum appropinquant super me nocentes, ut edant carnes meas. Qui tribulant me inimici mei, ipsi infirmati sunt, et ceciderunt. Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum. Si exsurgat adversus me prælium, in hoc ego sperabo. Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in* [a] *domo Dei per omnes dies vitæ meæ.* Igitur, cum justitiæ virtus in his perficiatur passionibus, cum, quia Christus in nobis patitur, nec sentiamus supplicium, propterea quod, ubi deest culpa, nec pœna sit, quomodo his te rebus vincere Deo dicatos devotosque potuisse arbitratus es, quibus augmenta virtutis invicta præbeat fides? Credo equidem, nec me veritas fallit, quod, licet adhuc totis tuis eo incumbas carnificinæ viribus, ut membra divellas, artusque laniatos in sanguinem nostrum sæviens diu tortor vexares, quod vincere tamen numquam Dei possis familiam, numquam exercitum Christi superare valeas, non doloribus subjicere, non pœnis angentibus poteris flectere. Christiani nullos cruciatus, nullamve mortem recusamus; non tyrannicas tuas jussiones, non judicum tuorum gladios tremere possumus, quia gladio Dei armati tibi resistamus. Beatus apostolus, *De cætero*, dicit Ephesiis (*Eph.* VI, 10) : *Confortamini in Domino, et in potentia* [b] *virtutis ejus. Induite arma Dei, ut possitis stare adversus remedia* [c] *diaboli, quia non est vobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed contra potestates, contra hujus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritalia nequitiæ.* Arma indutos Dei tu, per quem omnes in nostram necem sæviunt dæmones, superare quia non potes, hortamur tandem te nobis tradas, ne cum istis, quos describit apostolus, in cuncta torquearis æva. Sic non in tenebras carceris tui filii possint vinci lucis a tenebrarum filio, tamquam tenebras sentire possint hi, in quibus inhabitare dignatur ille, qui sit lucis conditor. Perferat virtus necesse est, quod ferendum natura mortalis edocuit; si enim ignibus consumere nostros artus tentaveris, te magis in nostra corpora sentiemus exuri quam nos, qui cum libenter ac prompte curramus ad mortem pro fide, non nos amittere vitam posse, sed magis conquirere, et quidem post fragilem æternam præsumamus. Stat semper nempe gladii tui acies exstricta [d], parata Christianorum neci, et tamen omni plumbo curvior esse nobis videtur iste mucro gladii tui, sicut et acies animæ tuæ. Toleramus omnia in passione securi, veluti ingeramus supplicia quæ patimur, quoniam qui per te in nos sævit, nostra fide prosternitur. Non enim morte in perpetuam malignitatem illam deleri nos posse novimus, qui in Christum vitæ æternæ tributorem unicum [e] Dei Filium crediderimus; sed credentes sumus et bene præsumentes, quod ad lucem vitamque perennem etiam corpora sint resurrectura, quæ tu nunc uris, torques, ac lanias. Si enim, posteaquam per te interficimur, nihil nos esse futuros sciremus, profecto stultissimi essemus non huic vitæ consulentes, ut esset quam diutina, et commodis omnibus plena; quod contingere nobis poterat, si tibi magis quam Dei decretis temperandum censuissemus; ac nunc cum, per te si vita præsens auferatur, immortalis sumatur, hanc præsentem vitam propter Dei Filium cum bonis suis contemnere servos ejus necesse est, siquidem omnis hujusmodi jactura immortalitate pensetur. Quanta virtus, quantum robur animi, qualis fuerit firmitas fidei eorum, quos interfecisti, et sit horum qui adhuc tuo sacrilegio resistunt, adverte, Constanti, stetisse aut illos beatos martyres, quos jam Dei potentia in cœlestibus regnis esse constitutos cernimus, aut hos quos adhuc interficere non valuisti, contra te immanem feram, qui fanda atque infanda nobis comminando non desinas, cum multis [f] tolerabilius audere semper desiderans fueris, ac sis, adversum te æmulos surgere principes, quam Christum Dei Filium confitentes exsistere victores. Placuerat enim tenebris omnium errorum obsesso cordi tuo, et profunda caligine cæcato animo, nos omnes per tuam hæresim a Deo convertens [g] primo tuos clientes efficere, deinde consatellites. Sed vicit te et ipsum in te, ista qui fuerit machinare molitus, veritas; valet enim vi sua. Exspectantes denique sumus momentis omnibus super [h] ista, quæ jam intulisti tormenta, adhuc addas constituendo sæviores carnifices, ferociores ultores, qui devotos Deo milites adversus edicta feralia tua resistentes, quo minas et cruciatus et tormenta fidei vigore per Dei misericordiam calcemus, possint vel gladio invadere, vel crucifigere, vel igni torrere, vel quolibet inaudito genere pœnarum viscera nostra ac membra laniare; ut stamus nunc usque per Dominum immobiles staturi semper, si quidem non nos simus qui tuos frendores vincamus, sed ipse in nobis, cujus auxilio regimur, cujus virtute servamur. Quantus enim tu es, aut qualis, qui possis spoliare nos his bonis, quæ sunt in nos collata divinitus? rapis nos, negas [i], egenos facis, damnas, vincis, uris, miseris etiam modis necas, et tamen vincere Christianorum invictam fidem non vales. Per quod intelligere debuisti factum, quia et tu erroris crudelitatisque tuæ sis recepturus supplicia;

[a] *In domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.* Vers. Ant.

[b] *In potentiam.* Eod.

[c] Cum Ms. reg. apud Sabat. Vers. Ant. *insidias.* Vide not. in lib. II, pro S. Athan. et hoc eodem libro pag. 248.

[d] *Stricta.* Latin. et ex eo Gallandius.

[e] *Unicum verum.* Vatic.

[f] Forte *multo*, aut *multos*. Til. *Multo*, Latin. et Galland. Recte *multis*, id est *tolerabilius rebus multis*, pro suo scribendi more.

[g] Participium pro gerundivo, sic sæpe utitur: *convertendo nos tuos clientes efficere.* Til. et Galland. *convertentes primos.* Latin.

[h] Id est, *atrociora quam ista.* Galland.

[i] *Relegas.* Latin.

et contra nos, quod per hanc propositam difficultatem angustissimus trames ad immortalitatis præmium sublimiter ducat, non poterimus cedere tuæ crudelitati, qui novimus quod sit martyrium dominicæ fortitudinis singularis imitatio. Laboris quidem et difficultatis plena satis et ardua martyrum adeo via est, ut non quis humanis implere valeat viribus; sed nos, qui auxilio divinæ suffragationis juvamur, calcemus te semper, ut nunc calcamus, necesse est. Hinc est quod libitum sit nobis, non solum non te timere Dei religionis adversarium, sed et ultro provocare. Provocaris [a], cum semper, ut non miserearis immisericors, sed ut interficias exspectaris: hinc est quod non possit capere divisionem felicitas nostra, quia, et cum occidimur pro Dei Filio, ipse dilectione vivat in nobis, ipse, qui est in pressura et excitatio, in persecutionum præliis fortitudo. Quibus etenim velis te modis exseras adversus Dei cultores, numquam tamen poteris evacuare signatam virtutem, quippe cum mundana non invitent, non terreant tormenta. Cum hæc ita sint, te Dei domus persecutorem quid aliud dicam quam miserum, qui prædonum tuorum dæmonum instigationibus pareas, quorum stimulis actus hæc fueris perpetrare machinatus, per quos inhærente cordi tuo persuasione tua sacrilega libenter erras. Faveas stultitiæ tuæ tibi ignotæ [b]; atque utinam cum solis Arianis comblasphemis tuis errare ac desipere velis! nos etiam in consortium malorum tuorum rapere conaris, proscribis, exspolias; sed novimus maximæ felicitatis genus esse propter Christum quæsitam paupertatem. Infers [c], carnifex, mortem [d] ad nos; non solum non cervicem subducimus, sed et damus [e], ut propter Dei unicum Filium jugulemur. Quorsum hæc retuli? ut scires pœnas tuas nullas habere contra Christi servos vires, et quod expavescere non possumus id, quod venturum semper exspectemus. Indigne fers cur dicaris hæreticus, et audes tamen dicere non comparari posse, vel exæquari Patri Filium; nos, qui unam deitatem Patri et Filio defendimus, Filium æqualem dicimus Patri. Credimus, ut credidit beatus Paulus apostolus, qui dicit de Filio (*Phil.* II, 6): *Qui cum in* [f] *forma Dei esset, non est rapinam arbitratus esse se æqualem Deo.* Quid est, *qui cum in forma Dei esset?* nisi quod sit Filius, ut est Deus Pater, incommutabilis, inconvertibilis, inæstimabilis, inenarrabilis, æternus, perfectus. Quid est, *qui cum in forma Dei esset?* nisi quod ipsam inaccessibilem lucem habitet Filius, quam et Pater; nisi quia una sit divina sublimitas Patris et Filii. Sanctus [g] Spiritus, in beato manens apostolo, corda vestra omnia hæreticorum jam tunc conspiciens addidit interpretationem, quid sit *in forma Dei* esse Filium: (*Ibid.*) *Qui cum in forma Dei esset, non est rapinam arbitratus esse se æqualem Deo.* Apostolus beatus æqualem Filium Patri dicit, unam deitatem manifestans Patris et Filii; et tu audes cum sacrilegæ audaciæ tuæ satellitibus atque sacrilegii tui comparticibus dicere: *Non enim nos possumus æquare aut comparare Filium Patri?* Aut cur Dominum dixisse arbitraris, *Qui me vidit, vidit et Patrem* [h] (*Joan.* XIV, 9); Et, *Ego et Pater unum sumus* (*Ibid.* X, 30)? nisi quod una sit potentia Patris et Filii. Tu dicis, quod habet Filius initium; at nos dicimus sine initio esse: si quidem omne, quod habet initium, et finem possit habere necesse est. Igitur, cum credamus unicum Dei Filium æternum esse, hoc est coæternum Patri, et vos hostes Dei negetis, nonne rectissime dementes et omni vecordia saginatos filios pestilentiæ vos nuncupamus? de quibus clamat beatus apostolus, ut tunc de Judæis (*Rom.* I, 28): *Et sicut non probaverunt Deum habere in notitia; tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea, quæ non conveniant* [i]. Et ad Philippenses: *Coimitatores mei estote, fratres, et observate* [j] *eos qui sic ambulant, sicut habetis formam nostram* [k]. *Multi enim ambulant, quod* [l] *sæpe dicebam vobis, nunc autem et flens dico, inimicos crucis Christi, quorum finis est interitus, quorum deus venter est, et gloria in* [m] *confusione ipsorum, qui terrena sapiunt* (*Philip.* III, 17). Et ad Timotheum de te, Constanti, ac tibi dilectissimis comperditis tuis (I *Tim.* IV, 1): *Spiritus autem manifeste dicit, quia in novissimis temporibus recedent quidam a fide* [n] *attendentes spiritibus seductoribus, doctrinis dæmoniorum, in* [o] *hypocrisi mendaciloquentium, cauteriatam habentium conscientiam* [p] *suam.* Vos adhuc percutit atque interficit Spiritus Sanctus ore ejusdem beati apostoli [q]: *In novissimis diebus advenient tempora periculosa. Erunt homines se ipsos amantes, cupidi* [r], *superbi, fastidiosi* [s], *blasphemi,*

[a] *Provocaris enim.* Galland.
[b] Melius cum Latin. et Galland. nam antea *ignitæ.*
[c] Forte *inferas*, ut paulo ante *faveas.* Galland.
[d] *Mortem; at nos*, etc. Latin. et Galland.
[e] *Damus* cum iisd. ut sensus sit: *Infers, carnifex, mortem, at nos non solum non cervicem subducimus, sed et damus;* antea leg. *manus.*
[f] Vers. Ant. *In forma Dei constitutus.*
[g] Ita cum Latinio: antea legebatur, *Patris et Filii sancti Spiritus, in beato manens Apostolo.* V. præfat. § 2.
[h] Cum Græco, τὸν πατέρα simpliciter. Vers. Ant. *Patrem meum.*
[i] Vers. Ant. *Conveniunt.*
[j] *Observate qui.* Vers. Ant.
[k] Vers. Ant. *Formam nos.*
[l] Vers. Ant. *Quos semper. Quos*, idem Lucifer l. 2 pro S. Athan. Vide pag. 159 (*hic col.* 926, *lin.* 17).
[m] Ex Græco, ἐν τῇ αἰσχύνῃ. *In confessione.* Vers. Ant.
[n] Græc. τῆς πίστεως. *A veritate.* Vers. Ant.
[o] Ἐν ὑποκρίσει. Græc. *In dissimulatione mendaciloquorum.* Vers. Ant. Cotelerius in Tom. I Monum. Eccl. Græc. pag. 337, monet, in Lucifero aut ad Græcam locutionem voces ambas ita esse conjungendas, *mendaciloquentium*, ἐν ὑποκρίσει ψευδολόγων, I Timoth. IV, aut legendum *mendacium loquentium.* Nos ad sensum Græcæ vocis utramque conjunximus.
[p] *Mentem et conscientiam suam.* Vers. Ant. *Mentem* abest a Græco.
[q] *Apostoli Pauli.* Vatic.
[r] Cum Cypr. lib. de Unit. Eccl. Vers. Ant. *Avari... non obaudientes.*
[s] Græc. ἀλαζόνες, ὑπερήφανοι. Vulg. *elati, superbi.* Et eo quidem sensu, quo *superbi*, accipi posse videtur *fastidiosi* Luciferi. Cicero X Philip., *Quorum*, in

parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine fide, detractores, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, protervi, inflati, voluptatum amatores magis quam Dei, habentes speciem pietatis, veritatem [a] *autem ipsius negantes; et hos devita* (I Tim. III, 1). Et infra: *Quemadmodum autem Jannes* [b] *et Mambres resisterunt Moysi, sic et hi resistent* [c] *veritati, homines corrupti mente, et reprobi circa fidem, (sed ultra non proficient; insipientia* [d] *eorum manifesta erit omnibus sicut et illorum fuit (Ibid., 8). Et infra: Erit tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros prurientes aures* [e] *et a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur* (*Ib.* IV, 3). Deserens apostolicam fidem, conversus ad fabulas, ut cancer ita sermo tuus quod serpere possit, cum prædixerit ore apostoli Spiritus sanctus, catholicos dicis erraticos, et paulo post, ipsam quam catholicam dicebas, quamque suscipere [f] cogebas, dicis esse blasphemiam [g]. Item [h] post paululum, quam nunc [i] astruxeras apud Antiochenos contra Adoxium faciens fuisse blasphemiam, ipsam iterum nunc firmas catholicam; unde et Adoxium Constantinopoli esse censueris, quod enim ipsum probaveris catholicum. Scias utique ex hoc ipso quantum intersit inter verum atque falsum, quando ipse cum sis, ut tibi videtur, peritus, habeasque dictatorum [j] designatum numerum, tamen persuadere nulli, nisi eis, qui carnificinam tuam timuerunt, te potuisse advertamus. Nos vero, quibus ad loquendum natura sufficit, alieni ab omni scientia, et hinc alieni litterarum, ad omnem destruendam hæresim valemus, quia res ipsa ac veritas loquitur. Tu ac tui adjutores litterarum et hinc aliam plenam auxistis artem; nos sumus tantum sacras scientes

quit, *si essent arrogantes, non possem ferre fastidium.* His adde *fastidium* quandoque sumptum pro *fastigium*, ut Cangius nos edocet in Gloss. Vid. *fastidium*. Quid porro si Lucifer stylo minus Latino et pene rudi passim usus *fastigiosi* scripsisse dicatur? *Galland.* Cum Lucifero tamen convenit Vers. Ant. apud Sabatierium.

[a] *Virtutem... et hoc devita.* Vers. Ant.

[b] Græc. Ἰαννῆς. Vulg. *Jannes.* Sed cum Lucifero *Jannes* legit quoque Sanctus Cyprianus de unit. Eccl. pag. 115, edit. Oxon. Vide sis Cotelerium ad Constit. Apost. lib. VIII, cap. 1, *Galland.* Nostrum non est de hoc nomine quæstionem instituere: *Magno certe cum discrimine*, inquit Cotelerius in loco laudato, *nomina magorum istorum efferunt, scribuntque auctores Hebræi, Græci, et Latini, his fere modis,* Johane, Janne et Mamre, Jamre, Ἰαννὴς, Ἰάννης, Ἰαννῆς, Ἰαννὶς, Ἰωάννης, Ἰάμνης, et Ἰαμβρῆς. Ἰάμβρης, Ἰαμβρῆς, Ἰαμβρὶς, Μαμβρὶς iisdem accentibus, Μαμβρὶς; *apud Glycam* Ζαμβρῆς, *inversa forte prima littera M, sicque mutata in Z*; Jannes, Jamnes, Johannes, et Mambres, Jambres etc. *Restiterunt* pro *resisterunt* legit Sabatierius. Vers. Ant. *Jannes.*

[c] *Resistunt, et corrupti mente, reprobi*, etc. Eadem.

[d] *Insipientia enim*, etc. Ead.

[e] *Auribus* legit Sabatierius.

[f] *Nos suscipere.* Vatic.

[g] Redarguit hic Lucifer inconstantiam imperatoris, qui ad arbitrium et pro Arianorum voluntate fidei formulas ab iisdem prolatas recipiebat modo, modo rejiciebat; præsertim vero indicare videtur libellum fidei in Mediolanensi concilio exhibitum catholicis episcopis, ut eidem subscriberent, vi ac minis adacti, ut alibi sæpe notavimus: hanc fidei formulam reprobavit postea Constantius ipse, et novas identidem ab hæreticis cusas aut admitti, aut respui jussit.

[h] Eudoxius, quem Lucifer per contemptum Adoxium nominat, post occupatam anno circiter 358 Antiochenam Ecclesiam, ibidem concilium celebravit ineunte anno insequenti, ibique descripta fidei formula ὁμοουσίου ac ὁμοιουσίου voces rejecit; præterea e cathedra ad populum sermonem habens, aut in ipso concilio impiissimas protulit blasphemias, quas Hilarius refert in lib. III. contra Constantium. At Arianorum et Semiarianorum appetitus insidiis, et apud imperatorem, cujus gratia, et auctoritate plurimum pollebat, accusatus e sua Sede dejicitur in concilio Seleuciensi anni 359 die septembris 15. Rursum vero Acacii potentia fretus imperatorem adiit, suas blasphemias verbo tenus ejurat, et inito anno 360 in Constantinopolitano conventu a suis fautoribus, et Constantio probante, Cp. Ecclesiæ præficitur, Macedonio depulso. Hæc Boschius in Hist. Patriarch. Antioch. præposita tom. IV Julii Boll. Utrum Antiochenam quoque formulam ejuraverit Eudoxius, videtur incertum, cum Seleucienses Patres nihil contra statuerint, concilio re infecta dissoluto. Ut aliquid certi e Luciferi verbis conjicere liceat, sic existimo, Antiochenam formulam ab Eudoxio sanctam, a Constantio ejusdem Eudoxii persuasione probatam fuisse; mox Constantius ab Eudoxii adversariis e sententia dimotus et formulam, et illius auctorem damnavit; iterumque Eudoxii fraude deceptus, cum hic blasphemias suas in Aetium rejecisset, seque illas ejurare fingeret, Eudoxium in gratiam recepit, de Antiochena formula nihil præterea sollicitus, eumque Constantinopolitanum episcopum confirmavit. Hæc tamen adhiberi potest iisdem verbis interpretatio: quod Constantius visus fuerit formulam istam iterum comprobasse, cum illius auctorem ad Constantinopolitani episcopatus culmen evexerit, qui numquam destitit et formulam suam suasque blasphemias palam profiteri. Petavius Antiochenum concilium retulit ad annum 360 in lib. I de Trinit. cap. 9; nostrum non est de hac controversia disputare. Utramvis probes sententiam, cum Constantinopolitanum concilium initio anni 360 Eudoxium huic Ecclesiæ præposuerit, licet paulo post secutum sit Antiochenum, auctore Petavio aliisque, in quo illa fidei formula edita est, stat utique hunc librum aut anno eodem ad finem saltem vergente, aut insequenti descriptum fuisse a Lucifero. Equidem Luciferi hic idem locus convenit cum sententia Boschii, si sensum recte assequi velimus: nimirum, *Formulam, quam apud Antiochenos editam probaveras, mox contra Adoxium concitatus dixisti fuisse blasphemiam, et rursum veluti catholicam confirmas, cum Adoxium illius auctorem dignum censeas Constantinopolitano episcopatu.* Vide Boschium in Histor. laudata, qui duas distinguit Synodos Antiochenas, alteram sub Eudoxio ante annum 360, in qua voces ὁμοούσιος et ὁμοιούσιος rejectæ fuere; alteram sub initium anni 361, in qua, licet Acacianis contra obnitentibus, formula synodi Constantinopolitanæ confirmata fuit, et Filii cum Patre ὁμοιουσία, id est similitudo *secundum Scripturas.*

[i] *Tunc.* Galland.

[j] Id est *scriptorum*, qui dictata excipiunt, scribuntque, uti censet Ducangius in Glossar. Ego potius quosdam ex aula Constantii intelligerem, et in humanioribus litteris versatos, qui ejus edicta, litteras, et sententias de fide, atque formulas scribendas dictarent compto sermone, ac diserto, uti subdit paulo inferius, eosque *adjutores litterarum* appellat.

litteras ; noster sermo est communis, contra vester politus, ornatus, qui etiam dici mereatur disertus ; et tamen suadere dulcis per artem quæsitus sermo vester nulli potest christianorum, nisi ei, qui non sit, sed tantum dicatur, ut tu, qui cum sis lupus unus esse de ovibus ab insciis judiceris. Quis tam excors est, nisi qui ut tu omnem hauseris amentiam ? quis est Dei famulorum, qui nolit devotionis obsequio morte honestari ? quis est qui cruorem sanguinis sui pro Christo non sit desiderans fundere? cum hujusmodi mors integriorem faciat vitam, æternam inveniat gloriam. Stamus, ut advertis, virtute Dei protecti, præceptis Evangelii calciati, fixo immobiles gradu, ne possint per te præcipiti labe rapi vestigia. Stamus scutum fidei tenentes, ut in totum non possint per te jacta fumantia hostis concrescere jacula, quippe quæ semper in te repercutiantur. Munita sunt nostra capita casside salutis, est in ore verbum Domini, ut hostis in te collocatus gladio elidatur spiritali, sternatur pariterque dissipetur ; esse advertes sanctam fidem, quam nos abjicere cogebas, animæ nostræ clypeum, et fortem et impenetrabilem et contextam loricam, quam nulla diaboli possint tela per te perforare illata. Tantam perseverantiam cernens christianorum, *Defendendum est*, inquis, *et a me semel susceptum Arianum dogma ;* dicis talia honesta voluntate errans. Sentis enim nihil esse in rebus humanis religione præstantius, eamque summa vi oportere defendi : defendis gladio ; at nos defendendam novimus religionem non occidendo, sed moriendo pro Deo, universaque mala hæc quæ tu ingeris sustinendo. Tali genere defendentes religionem quæ tua crudelitas poterit vincere ? Si enim quilibet militum tuorum in hac fragili imperii tui militia tibi mortali mortalis fidem servaverit in aliquo egregio facinore, et acceptior fit, et carior ; si perierit apud te inanem hominem, summam consequitur gloriam, quod pro te duce suo morte occubuerit : quanto magis Deo æterno imperatori fides est servanda a nobis clementiæ ejus militibus ! Cum hæc nos agere susceptum cogat officium devotionis, tu, quia cæcus sis Christum verum Deum veri Dei Filium esse non credendo, quia sis simpliciter infelix, quod æternæ mortis tenebras minime evaseris, volueras et nos redire ad veterem cæcitatem, ut tam[a] non simpliciter, sed detestabiliter cum lumine videremus amisisse prudentiam. Nam et cum cognoscamus unam mortis damnationem esse tibi, quia credere nolis, et geminatum malum esse nobis, si rejecta nostra credulitate ad interitum redire maluerimus, quomodo nos posse tuis præsumpseras aut falsis obsequiis, quæ magis, dum illiciunt, interficiunt, aut omnibus tormentorum crudelitatis generibus a Dei charitate separari ? Quis tantam sibi obA latam felicitatem respuat, nisi qui sit te infelicior, cum videat confessione vocis unius, *Christianus sum*, adversa succumbere, læta provenire, patefieri regna, æterna parari imperia ? Dicis : *Negate Dei Filium, aut interficiet vos virtus regni mei.* Quam melius est ab hoste Christi interfici, quam a Christo ! quam est optimum a te antichristi amico mactari, et a Christo vivificari ! Quis nolit particeps ac socius patriarcharum, prophetarum, apostolorum, martyrum, cunctorumque justorum inveniri, quam Judæ, cujus tu exstitisti imitator ? In carcere per Herodem compestilentem tuum punitus est Baptista Joannes ; Jacobum sævitia Herodis interfecit ; in insulam [b] relegatus apostolus Joannes ; crucifixus est beatus Petrus ; alligatus est beatus apostolus Paulus, recluB sus est carceribus, flagellatus est, et sæpe lapidatus, interfectus est postremo. Sed, hi cuncti illa gratissime sustinendo quod amici Dei fuerint facti, qui advertimus, et ipsi crudeli manu tua mactari malumus, quam tuæ cedere carnificinæ. Cur nos exosos habes, cur tanta sævitia persequeris ? nempe quia nos christianos fatemur : et illi beati, quorum fecimus mentionem, pro unico sunt interfecti a contyrannis tuis Dei Filio, cur se ejus servos dixerint. Dicit ore religiosi David Spiritus sanctus ex nostri persona populi : *Si obliti sumus nomen Dei nostri, et si expandimus manus nostras ad deum alienum, nonne Deus requirit* [c] *ista ? Ipse enim novit abscondita* [d] *cordis : quoniam propter te mortificamur tota die, æstimati sumus ut oves occisionis* (*Ps.* XLIII, 21) ; et tu Constantius Arianæ idololatriæ mancipatus interea imperaC tor, *Metuite*, inquis, *frendores recrudescentis in vestram necem insaniæ meæ, et estote mecum apostatæ.* Hæc audiens non vulneribus tuis mederi vis, sed magis pergis cæco et irrationabili furore illorum instinctu, qui insinuant se menti tuæ, et instigant nescium furere his spiritibus [e], quibus tu, quod Dei unicum Filium neges, sacrificare dignosceris ; qui, quia per se nocere nobis nihil possunt, protegimur enim magnitudine Dei, per te nos satellitem suum persequuntur, quos sibi inimicos esse infestissimos sentiunt, exercentque per te amatorem suum sævitiam quam violentissime possunt, existimantes interventu tuo carnificis se nostram violaturos fidem. Doctrina cunctarum est sacrarum scripturarum, in Dei Filium D credere primam et consummatam esse justitiam. Hinc est quod te victo quæstionario [f] illi dæmones in te vincantur, quia victoriam non nostrorum fragilium nobis præstat corporum virtus, sed illius clementia ille sufficit vires, ut inter omne carnificinæ tuæ instrumentum duremus immobiles, ut non doloribus vulnerum, non ictibus quæstionum frangamur, sed potius erigamur ; hinc verus est Dei cultus, in quo mentes colentium seipsas Deo immaculatas victimas

[a] *Jam.* Latin.
[b] Forte addenda vox *Patmos.* Galland.
[c] Vers. Ant. *requiret.*
[d] *Occulta*, et *morte afficimur.* Ead.
[e] *Instigant nescium furere. Hi spiritus sunt*, etc. Latin. et Galland. His imputatis, *spiritibus* pro *spiritus*, *furere* pro *furore*, sententiam retinemus.
[f] *Qui quæstiones de Fide in nos exerces judiciarias.*

sistunt. Et arbitraris Dei esse cultorum quemquam tam segnem ac stolidum, ut non illum ardor tanti [a] cupidinis excitet, et non armet, non instiget, non stimulet, non denique illis facibus amoris inflammet, quibus sunt sancti inflammati prophetæ, apostoli, ac martyres? Quem, inquam, nostrorum non impingat animus inter manus tuas crudeles pro Christo interfici? quem ad martyrii gloriam et culmina non tantum per hæc, quæ tu ministras, sed etiam per crudeliora non pervenire urgeat? quippe cum facile superentur tua supplicia, si ipsorum suppliciorum ante oculos proponatur gloria. Nec enim id, quod lacerat, consideratur, ubi pœnæ merces tanta præstetur. Mercedibus incorruptibilibus tua, Constanti, tormenta vincuntur, et cruciatus obteritur, mors subigitur, quæ cum inferatur, magis vita [b] reparatur. Dolerent, imperator, vulnera per te inflicta, si statim non Dei amicos efficerent. Ac [c], cum tunc vere victuros nos præsumamus, si a te propter Dei plectamur Filium, tunc nihil salutis amissuros, quin [d] fieri potest ut tuis inanibus cedamus frendoribus? Tuo nos potuisse ac posse vigore subigi es arbitratus, et credo adhuc frustra arbitreris. Quousque tandem abuteris Dei patientia, Constanti? Quinimmo hortor, hæc pellens ex tenebrosis sentibus tuis illa insulsa mens tua recipiat meditationes, quæ te possint in viam statuere, quæ ducunt ad Dei regnum. Apprehende amœniter quod te ducat ad convivium Abrahæ, Isaac, et Jacob, Dei amicorum, tu qui ausus fueris homo totius injustitiæ justum te æstimare, omnibus te præponens Dei judicio sanctæ Ecclesiæ constitutis episcopis, fidemque sanctam, quam semper tenuit ac tenet Ecclesia, reprobans, fueris nisus blasphemiam consacrilegi tui Arii ore prolatam nunc per satellites tuos, nunc edicto [e] tuo, nunc spiritibus immundis referto ore tuo prædicare, et juste [f] perfectum cultorem Dei, et omnia sancte agentem vocitare, cum adhuc te neque crudelior, neque detestabilior, neque in [g] blasphemis major, quam quisquam eorum regum, qui tyranni nuncupantur, fuisse reperiatur. Quæ ita se habere in libro, [h] qui titulatur *de Regibus apostaticis*, quia jam aperui tuæ imprudentiæ, nunc illud te scire volo, quia, nisi te mature converteris, nisi credideris, ut nos, unicum Filium Dei semper cum Patre regnasse, et numquam fuisse Patrem sine Filio, unum etiam esse regnum Patris et unici ejus Filii, unamque deitatem possidere Patrem et Filium, in æternum te periturum: siquidem Arius magister tuus creaturam dixerit Dei Filium, et tu ejusdem ad cœlum extuleris usque laudibus blasphemiam. Nos te urgemus, rogamus, impellimus Deo fieri amantissimum, et tute injuriam pati a nobis quereris: sic inanem dignitatis tuæ tueris censuram, tamquam hæc sit te a perpetuis ereptura cruciatibus; erigis super Domini sacerdotes superbum caput, non advertens scriptum: *Omnis qui se exaltat, humiliabitur, et qui se humiliat, exaltabitur.* Apostolus, *Qui cum in forma Dei esset* [i], dicit de unico, quem in nos persequeris, Dei Filio, *non est rapinam arbitratus esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in* [j] *habitu inventus ut homo: humiliavit* [k] *se usque ad mortem, mortem autem crucis.* Ille, qui in forma Patris semper et fuit, et est, et futurus est, quippe verus Filius, quippe immutabilis et inconvertibilis, quia Deus sit totum potens Filius omnipotentis, propter nostram tamen salutem sese humiliare dignatus est, ut nos jacentes atque depressos, erectos exaltatosque efficeret; quæ ejus sancta humilitas te canem rabidum fecerit latrare contra ejus divinam majestatem, sola videns de sacris scripturis, quæ præter [l] susceptam humilitatem scripta sunt, præteriens ea quæ æternam narrent ejus divinitatem. Quid ad hæc respondes, Constanti? cui crebro sunt acclamantes Ariani dogmatis tui episcopi, episcopum [m] te esse episcoporum: morientes propter Deum unicum Filium credis, an non credis regnum possessuros cœlorum? Si credis, cur ad ejus æternitatem nos impellis negandam? cur non desinis persequendo nos, qui sumus credentes in eum? cur nobis es perinquietus et semper infestus, præbens te persecutorem violentum, sub pacis vero titulo hostem subdolum? Doleo quod tania tibimet acquisieris mala: lugeo te quod sis omni ex parte positus sine spe vitæ æternæ. Cæterum, licet tu non gladiis tantum scindas nosmet, sed et dentibus tuis veluti honorificentiore, donabantur episcopi, qui dignitate, aut virtute, aut doctrina cæteros antecedebant. Vide Bingham. de Orig. Eccles. tom. I, lib. II, cap. 2, § 8, hinc illud Luciferi dictum in lib. *de non parc. in Deum delinquentibus*, quo Constantio exprobrat, quod ecclesiasticis negotiis, ac religionis controversiis sese immisceret: *qui tamquam vere ad te omnis cura Ecclesiæ pertineat, sic sis sollicitus*, etc. cum homo is esset Constantius, qui dogmatum ac legum ecclesiasticarum peritiam jactaret, ut in lib. II pro S. Athanasio idem Lucifer de illo scribit: *qui te legis peritum vis videri*; et sub ejusdem libri initia; *Credo nihil sacrarum te fugere scripturarum, neque enim posses egregia nobis mandata dare nisi fuisses legis peritus*; quod ironice dictum; et in lib. de non parc. in Deum delinquent. *de quo*, id est, *Jesu Christo, libros scriptos dedisti*: hæc autem ob Arianis episcopis imperatoris nomine edebantur in vulgus.

[a] *Tantæ*. Latin.
[b] Cum Latin. Antea *vitare paratur*.
[c] *At*. Id.
[d] *Quei*. Galland.
[e] De hoc satis jam in Vita Lucif.
[f] His mendum inesse putarim: ac forte legendum, *et jure te perfectum*. Galland.
[g] *In blasphemiis major*. Id. Antea *majorum*.
[h] Ex his cognosce suos libros seorsim et diverso tempore a Lucifero scriptos fuisse.
[i] Ita et Hilarius lib. VIII de Trinit. Vers. Ant. *constitutus* pro *esset*.
[j] *In similitudine hominum factus et habitu adinventus ut homo*. Vers. Ant. Græc. ἐν σχήματι.
[k] *Humiliavit seipsum factus obaudiens*, etc. Vers. Ant.
[l] *Propter*. Latin. et Galland.
[m] Ita Constantio adulabantur, qui in definiendas fidei controversias semet ingerebat; et hoc titulo,

sis mandens, tamen, tuam rabiem quod a Deo protecti superaturi sumus, certum tene ; nec in eo nos despicere digneris, quod videas corpora nostra fragilia ; quod est enim potissimum, sapientiæ [a] recti ac muniti valemus, habentes ornatus ac munimenta in cordibus, ac sensibus nostris. Unde nunc nos ornatos videmus? unde munitos ac tutos esse sentimus ? unde nos sapientes cognoscimus ? nisi quia et blasphemiam tuam vitemus, et mortalia corpora nostra tuo ensi gratanter propter Dei Filium tradamus, scientes quod, cum terrenum nostrum domicilium interficere valueris, cœleste, quod habeamus, quia interficere non possis. Idcirco etenim bona nobis, malaque proposita esse novimus, ut vis omnis prudentiæ nostræ in discernendis bonis malisque versaretur. Quid stultius nisi temet vere Deum negare? quid sapientius, quam nefandum tuum calcare caput et Deo propter hoc placere factum ? Hinc est quod perspicis omnibus nostris viribus nos stare paratos in agone justitiæ, fide integra, virtute devota, mente incorrupta ad aciem stare, quæ per te indicta est, divini [b] milites interritos. Fortiter etiam portatur a nobis scutum fidei, unde et protegente Deo quidquid manibus tuis diabolus jaculatur, exstinguitur, quia calciati sunt nostri evangelico magisterio , et armati pedes calcaribus. Tu licet sis augustus, et [c] in te obteritur rugiens in nostram insontium necem serpens ; siquidem mordere et supplantare per te carnificem suum non prævaleat : premi etenim nos per te vult Deus, non utique ad hoc, ut fidem iterque deseramus patriarcharum, apostolorum ac martyrum, sed ut coacti a te unicum negare Filium Dei mortem etiam subire non recusemus. Non sumus ut tu adeo stulti ac perversi, ut malimus salutaria excutere, mortalia vero suscipere ; non sumus præsidium cœlestis medicinæ fugientes. Prospicimus, [d] quod enim licet ferro medicus secet, cauterio urat, sinapis incendio ad omnem dolorem ægrum deducat, tamen nec secari, inuri, exedi, morderique esse inimicum : quippe quod idcirco bonum sit, quia dolores inutiles auferat per adhibitos salutis causa dolores. Vult nos Deus mortem morte dissolvere, tormentis temporariis æterna cruciamenta discutere, supplicia futura perpetua tuis suppliciis evacuare ; hi videlicet, qui, cum vitam A abstuleris a nobis, præsumamus magis posse conferri, et quidem propter temporariam æternam, propter fragilem et caducam incorruptibilem et perpetuam. Non sufficere tibi censes confitentes se Christianos tantum gladio esse plectendos, nisi omnia genera suppliciorum eorum inflixeris corporibus. Nihil interest quo genere mortis nos punire digneris, dum per hæc ad vitam perfruendam admittamur æternam, dum per hæc tua mortificetur rabies, nos contra vivificemur. Si enim miserum putas, quod malim quovis crudeli supplicio pro Dei interfici Filio, ut omittam æternam beatorum martyrum gloriam, quocumque genere esse moriendum scio. Dabo denique tibi multos, qui in lectulis crudelius pereant, quos interior aliqua suppuratio inflavit, et nervo- B rum secum luctantium dolore contraxit. Interest ex qua causa, non ex quo pendeam stipite. Quid dicis, rex stultissime ? inique in ista supplicia, in hujusmodi pœnam mittor a te, an juste ? si inique, tua figentis erit crux, non mea quem fixeris : si juste, culpa mea me criminis mei, non pœna tua torquere incipiet. Cæterum quantum ad exitum nihil interest, clavo per te an lancea moriar, restrictis post terga manibus an porrectis sparsisque ; utrum pronum, incurvum, an rectum et editum, nihil refert utrum quiescentem me in lectulo occidas, an cervicem mihi stanti incidas gladio, an securi caput auferas, an ad palum me, an ad crucem alliges, igne torreas, an vivum humo condas, saxo præcipites, an in maria mergas , labandagine [e] magnis viribus conatus uno C vastissimo ictu longe a me meum caput excutias, an omni subtilitate subtilior sagitta diutissime figens in meo corpore ludas ; centum millia licet formas pœnarum crudelitas tua faciat, ex his omnibus ad me sola per istam mortem illatam a te perveniet immortalitas. Non possum nisi gaudere cum talia ingesseris, quandoquidem per hæc supplicia sciens sim, quod possit omne finiri supplicium. Nam et illa, quæ extrinsecus sunt, et accidere posse per tuam [f] sævitiam arbitror, nihil judico ad me pertinere ; alitesne an canes meum corpus lanient, hæreant corpori meo ; feræ luminibus illis crudelibus te exspectante [g] insiliant ; jacens humi unguibus, dentibus ad ossa usque redigar, cum post hæc omnia Deo salvus sim. Cum enim corpus meum talibus actis ferinæ

[a] Forte *sapientia*.

[b] Vel aliquid deest, vel legendum *Dei milites*.

[c] *Tamen in te obteritur*. Galland. qui editionem Tilianam ita exhibet. *et in obteritur*, cum recte in ea legatur, *et in te obteritur*.

[d] Lucifer hoc in loco, uti monet Cotelerius in not. subjecta lib. II Constit. Apost. cap. 41, imitatur Tertullianum in Scorpiaco cap. 5, cujus hæc verba sunt: *Est plane quasi sævitia medicinæ, de scalpello, deque cauterio, de sinapis incendio : non tamen secari, et inuri, et extendi* (al. *exedi, morderique*) *idcirco malum quia dolores utiles affert*.

[e] Dictio barbara, pro forma quadam instrumenti, quod vi ducebatur. Unde etiam apud nos illud quo balistæ tenduntur, vocatur *bendage*. Til. et la Cerda. Contra sentit Cangius in Gloss. qui aliam Gallicæ vocis *bendage* significationem esse contendit : putat D vero legendum *an a pendigine*, id est, *a reliquo corpore ; est enim* pendigo *idem quod* πάγμα compago : *ita ut bifariam hic sumi possit id vocabuli, vel pro machina lignea, seu tabulato, quod* πάγμα *etiam Græci vocant, a quo caput longius excutiatur ; vel pro ipsa reliqui corporis compactione, a qua caput evellatur*. Ego quidem *labandaginis* vocem retinendam puto, quæ machinæ nomen sit capiti violenter abscindendo aptissimæ, cujusque usus nobis ignotus : nec contemnenda fortasse conjectura, qua quis suspicetur, nomen hoc a loco esse desumptum, ubi primum hæc machina inventa fuerit, nempe *Alabandæ*, quæ urbs est Cariæ, unde *Alabandi*, et *Alabandenses* populi apud Strabonem et Plinium, qui cannabim Alabandensem laudat lib. XIX Hist. Nat. c. 9.

[f] Cum Til. et Latin. Ante *perpetuam*.

[g] *Spectante*. Latin.

immanitatis tuæ viribus consumpseris, reficiet atque reparabit rerum conditor, et quidem ex corrupto in æternam incorruptibilitatem. Tibi vero injustissimo persecutori nostro venturum sine fine supplicium scire debes; nec te putes impune laturum, qui nomen unici Dei filii vestigiis tuis subjiciendum censueris, impie nefarieque calcandum. Beati apostoli vox est: *Quod non sint condignæ passiones hujus temporis ad superventuram* [a] *gloriam* (*Rom.*, VIII, 28), quam videlicet sumus possessuri, si per te interfici quam negare Dei elegerimus Filium. Quæ revelatio ac claritas cum super omnes nos credentes fulserit, famuli ejus futuri [b] beati semper in ejus collocati regno; tu contra, si durandum censueris in tua perfidia, futurus in tenebris exterioribus, desertor quippe militiæ atque expugnator veritatis, voluntatem qui feceris diaboli, unde necesse sit te, nisi temet ab ejus extraxeris laqueis, cum ipso inextinguibili igne torqueri, sicut scriptum est. Hæc dicimus non [c] quidquam ex nobis: de vobis enim prævaricatoribus, de vobis blasphemis, unicum Dei Filium verum illum esse Filium negantibus, et de omnibus in eum credere detrectantibus, legimus apud sanctissimum prophetam positum: *Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non extinguetur* (*Is.* LXVI, 24): futurus semper tu, si in hac manseris amentia, in inextricabiles tenebras. Ut enim qui Dei confitemur Filium immortalitatis consecuti præmia perenni luce potiemur, sic te ejus negatorem necesse est ad occasum et tenebras deferri æternas; deduceris [d] illam quam tenes viam, non, ut Ariani tibi mentiuntur, ad cœlum, sed ad [e] visam mundi arcem, ad lævam malorum, et ad impia tartara; est [f] enim refugæ illius, cujus omnem voluntatem tu satelles illius implore repereris; est, inquam, illius serpentis, qui te ab itinere vertit cœlesti ad hanc tenendam injustitiæ viam. Hæc est illa lata et spatiosa [g], quam narrat Dominus in Evangelio dicens: *Quam lata et spatiosa est via quæ ducit ad interitum* (*Matth.*, VII, 13)! Si itaque tibi consulere nolueris, te esse inter illos dubitari non potest, quos beatus Joannes percutit dicens: *Jam autem securis* [h] *ad radicem arborum posita est; si* [i] *quis non fecerit bonum fructum, excidetur, et in ignem mittetur* (*Luc.*, III, 9). Tu ergo et omnes comparticipes tui, quoniam estis amarissimæ arbores fructus portantes mortis, quippe peccantes in Deum, nisi ad cœleste fecerilis iter transitum, excidemini, et [j] præcipitati venietis dirto citius in altitudinem profundam, unde visurus sine dubio tu eos quos nunc injuste persequeris, ut tunc ille vidit dives Lazarum in sinu Abrahæ, Isaac et Jacob, amicorum Dei, et omnium prophetarum, apostolorum ac martyrum. Non eris, Constanti, illa evasurus supplicia, nisi primo in loco unicum Dei Filium verum esse Dei Filium credideris; deinde ut crebro dictum est, quod semper cum Patre regnaverit, ac sit regnans, hoc est sine initio ac fine, confessus fueris, atque te ad catholicam ecclesiam de nefando Arianorum cœtu transtuleris, de morte scilicet ad vitam, et confessus fueris, ut nos confitemur catholici, Patrem et Filium et Spiritum sanctum perfectam esse trinitatem, et unam habere deitatem. Sic odis Christianos, et omnibus persequeris modis, tamquam possit malevolentia tua eos vincere, qui dorum asperumque iter ingressi, contempti licet, derisui, odioque apud te sint, tamen *in omni* vita præsenti pauperes, humiles, ignobiles, subjecti injuriis tuis esse velint, credentes, omnia, quæ amara esse noscuntur, propter Deum perferentes, se venturos ad eximia præmia illa, quæ apostolus narrat consequenda, illa, quæ *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec* [k] *in cor hominis ascendit, quæ præparavit Dominus diligentibus se* (*I Cor.* II, 9). Igitur, quia illa diligentibus se repræsentabit Deus, diligentes Deum cum tibi displicemus, cum ploramur a te, Deo nos placere præsumimus. Neque enim potest aliquam auctoritatem habere tua funesta sententia ad nos in æternum puniendos, cum qui damnas damnandus sis, et quidem ad hoc ut tu perpetuis luas pœnas. Cæterum nos, quos torquens lanias, interfiris, æterna suscipient gaudia, ingens habebit et immensa felicitas, perpetuaque accipiet beatitudo. Nobis igitur scias magis datam divinitus potestatem, ut te, dum damnare nos putas, damnemus, dum punire nos posse præsumis, te Constantium sacrilegum puniamus. Siquidem ille, quem negas, dare nobis episcopis suis fuit dignatus auctoritatem, ut quæcumque ligaverimus in terris, sint ligata et in cœlis. Sustinemus propter Deum temporalia mala, ut possimus consequi æterna bona; fugimus temporalia, quæ a te veluti bona offeruntur nobis, propterea quod illa bona tua æterna mala subsequantur. Idcirco præsentia quæ putas nobis nocibilia delegimus sustinere, ut, illustris confessio dum perseverat in nobis, æterna et immortalia consequi mereamur bona, sient et tu eum eis, qui te metuentes voluntati tuæ inveniuntur parvisse, et mandata deseruisse Dei, quoniam quidem præsentia magis bona fuerint eligere dignati, et futura contemnere, immortalia sis incasurus mala. *Desiderabilia* [l] enim *super aurum et lapidem pretiosum multum, et ad perditionem.*

[a] **Cum Cypr.** pluribus in locis. Vers. Ant. *futuram.* Vide supra pag. 245, nota 3 (*hic col.* 1015, *not.* d), ubi quædam variant in hoc ipso textu.

[b] *Futuri sumus.*

[c] *Nequaquam.* Latin.

[d] *Deducique per illam*, etc. Id. *Deduceris enim per illam*, etc. Galland. Vel *illa via.*

[e] *Ad invisam mundi arcem.* Galland. Id est *munitissimum inferorum locum.*

[f] Id est, *est enim via.*

[g] Cum Ms. Clarom. apud Sabat. Vers. Ant. *quia*, et

[h] *Et securis ad radices.* Vers. Ant. Lucifer cum Ms. Cantabrig. Græc. πρὸς τὰν ῥίζαν.

[i] *Omnis autem arbor non faciens.* Vers. Ant.

[j] Cum Latin. Antea *ut.*

[k] Vers Ant. *Et in cor hominis non ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus eum.* Cyp. ep. 56, cum Lucif. *nec in cor hominis ascendit.*

[l] Id est *mandata Dei.* Vers. Ant. *Nom et servus.... in custod. ea.* Sabatierius in Lucifero habet, *in custodiendis illis.*

dulciora super mel et favum. Etenim servus tuus custodit ea, in custodiendo illa retributio multa (*Psal.* xviii, 11). Novimus hanc vitam, quam magnopere auferre laboras, esse brevissimam; novimus et bona istius vitæ et mala esse brevia, illius vero vitæ æternæ bona, quæ consequi summus desiderantes, quod sempiterna sint; novimus enim quod pro bonis his brevibus, quibus tu delectaris ac frueris, mala sint [a] æterna successura tibi, et nobis Christianis, quæ despicis, quosque omnibus virtutibus imperii tui laniando non desistis, quod sint pro his malis brevibus bona æterna successura. Hæc ita se habere legisti in cxxv psalmo: *Magnificavit Dominus facere cum illis* (*Psal.* cxxv, 2). Et infra: *Qui seminant in lacrymis, in gaudio metent. Euntes ibant, et flebant, mittentes semina sua; venientes autem venient in* [b] *exsultatione portantes manipulos suos* (*ib.* 5). Et in cxxviii [c]: *Beati omnes qui timent Dominum, qui ambulant in viis ejus: labores fructuum* [d] *tuorum manducabis; beatus es, et bene tibi erit* (*Psal.* cxxvii, 1). Erit profecto in æternum bene eis, qui non negaverunt Dei Filium, qui labore sanctæ confessionis suæ potientur: contra tibi, si in hac amentia, qua vivis nunc, semper censueris manendum, erit male perpetuo, illa percipiens quæ nunc percipit Scarioth Judas: tunc te visuri nos supplicem, et tamen omnio lamentatio pœnitentiæ tuæ futura inefficax, quoniam quidem hic aut acquiratur vita perpetua aut mors. Hæc semper volvere corde nostro [e]; hæc diebus ac noctibus cogitare scire te volumus, tua supplicia perpetua, et præmia ac merita Dei servorum æterna, quid negasti tibi persecutori nominis sui commineter ad pœnam; quid autem e contrario confitentibus polliceatur ad gloriam sempiternam.

[a] *Sint* cum Latin. pro *in*.

[b] Græc. *ἐν ἀγαλλιάσει*. Vers. Ant. *in exsultationem*.

[c] Hic Psalmus est numero octavus ac vicesimus supra centesimum apud Hebræos; in veteri, ac nova versione latina septimus supra centesimum ac vicesimum.

[d] *Manuum tuarum*. Latin. ex Vulgata. Septuag. *τοὺς πόνους τῶν καρπῶν σου*. Symmachus, *κόπον χειρῶν σου*, *laborem manuum tuarum*; ut perspicuum sit etiam Septuag. *καρπούς* non vocasse *fructuum perceptionem*, sed *particulam manus*. Scolion: Οἱ δ' *καρπὸν οὐ τὴν ἐκ καρπίαν ἐκάλεσαν, ἀλλὰ τὸ μόριον τῶν χειρῶν*. Quod etiam notavit S. Hieronymus ad Marcellam (*epist.* xxxv, al. cxxi, § 5), quum libri latini haberent *fructuum tuorum*. Etiam 1 Reg. v, *καρποί* eadem notione accipiuntur pro *particula manus*. Scholion refert ex Aquila *κόπον ταπεινῶν σου*, *laborem volarum tuarum*. Galland. ex Nobil. in Græco-Latina editione Septuag. Sabatierius addit in Lucifero *quia ante manducabis*.

[e] Legendum puto *corda nostra*.

ATHANASII AD LUCIFERUM EPISTOLÆ DUÆ.

EPISTOLA I.

Domino dilectissimo fratri Lucifero episcopo et confessori [a] *Athanasius in Domino salutem.*

Deo favente corpore valentes misimus etiam nunc [b] charissimum nostrum Eutychetem diaconem, ut tua quoque religiosa sanctitas, quod est nobis optandum et desiderabile, de tua incolumitate tuorumque omnium certiores nos effiere dignetur. Vobis namque confessoribus ac servis Dei viventibus credimus statum catholicæ ecclesiæ renovari, et, quod hæretici conscindere tentaverunt, hoc Dominum nostrum Jesum Christum per vos ad integrum restituere. Quamquam enim præcursores antichristi per potentiam hujus mundi omnia egerint, ut exstingueret lucernam veritatis, tamen divinitas per vestram confessionem clariorem ejus lucem ostendit, ut neminem latere possit eorum fallacia. Antehac vel simulare poterant, nunc antichristi nominantur. Quis [c] enim non exsecretur, qui eorum communionem tamquam maculam, ac virus anguis non fugiat? Omnis ubique ecclesia luget, omnis civitas gemit, senes episcopi in exsilio laborant, et hæretici dissimulant, qui, dum negant Christum, publicanos se effecerunt sedentes [d] in ecclesiis, et exigentes vectigalia. O novum genus hominum, et persecutionis, quod adinvenit diabolus, ut ipsis ministris ad malefaciendum, et his [e] tanta crudelitate uteretur! Sed et si hæc tanta agunt, et superbias [f] et blasphemias extenderunt, confessio tamen, et religio, et sapientia vestra non modicum, sed maximum solatium et magna [g] consolatio est fraternitati. Pervenit enim ad nos scripsisse [h] sanctitatem tuam Augusto Constantio, et magis magisque miramur, quia in medio tamquam scorpionum habitans, animi tamen libertate uteris, ut vel monendo, vel docendo, vel emendando errantes nimirum, ut *idem diabolus ipsis*, id est *Arianis*, *ministris ad malefaciendum*, *et his tanta crudelitate*, hoc est *tam crudelibus*, *uteretur*.

[a] Quo nomine ii donabantur, qui pro Christi fide aut tormenta, aut exsilia pertulerant.

[b] Hinc intelligas non primum inter hos sanctos fuisse hoc litterarum commercium. *Papebr.*

[c] *Quis enim eos non exsecretur? quis*, etc. Id.

[d] *Sedentes in ecclesia, et exigentes tributa.* Id.

[e] *Et his.... uterentur.* Id. Nec recte: *his* exhibent Tilianæ correctiones; unde gravior sensus, et acrior;

[f] *Et superbias* omittit Papebr.

[g] *Magna.* Id omittit.

[h] Quærit de libris omnibus, quos ad Constantium Lucifer scripsit, omnesque ad Athanasium misit, ut liquet ex epistola sequenti.

[a] ad lumen [b] veritatis adducas. Rogo igitur, rogant mecum etiam omnes confessores, ut digneris nobis exemplum destinare, ut non tantum auditu, sed etiam ex litteris perspicere possint omnes animæ tuæ virtutem, fideique fiduciam et libertatem. Salutant sanctitatem tuam qui mecum sunt; saluto omnes qui tecum sunt. Divinitas te incolumem, vegetum, memoremque nostri semper tueatur, domine dilectissime ac vere homo Dei.

EPISTOLA II.

Domino [c] gloriosissimo ac merito desiderantissimo coepiscopo Lucifero Athanasius in Domino salutem.

Et si credo pervenisse etiam ad sanctitatem tuam de persecutione, quam etiam nunc adversus fraternitatem [d] facere conati sunt inimici Christi, quærentes sanguinem nostrum, possunt tamen etiam charissimi nostri referre religioni tuæ : in tantum enim rabiem suam per milites extendere ausi sunt, ut non solum civitatis clericos effugarent, sed etiam ad eremitas [e] exirent, et funestas suas manus adversus μονάζοντας [f] immitterent. Inde factum est ut [g] etiam ego me longius abducerem, ne etiam qui nos susceperunt, negotium ab eisdem paterentur. Cui [h] etenim parcent Ariani, qui nec animis suis pepercerunt? Quando autem possunt recedere a suis nefandis actibus, dum permanent negando Dominum [i] Christum, unicum Filium Dei? Hæc est radix eorum pravitatis, hoc suo arenoso [j] fundamento ædificant perversas suas vias, sicut scriptum invenimus in tertio decimo psalmo : *Dixit insipiens in corde suo : Non est Deus* (*Psal.* XIII, 1). Et mox sequitur : *Corrupti sunt, et abominabiles facti sunt in* [k] *operibus suis* (*Ibid.*). Inde Judæi negantes Filium Dei digni fuerunt audire : *Væ*, [l] *gens peccatrix, populus plenus* [m] *delictis, semen malignum, filii sine lege. Unde sine lege* [n]? *Quippe quia dereliquistis Dominum* (*Isa.* I, 4). Inde beatissimus Paulus cum cœpisset non tantum credere in Filium Dei, verum etiam prædicare deitatem ipsius, scribebat [o] : *In* [p] *nullo mihi mali conscius sum* (I *Cor.*, IV, 4). Ita juxta vestram confessionem etiam nos optamus tenentes apostolicam traditionem vivere juxta divinæ legis mandata, ut possimus vobiscum inveniri in choro illo, in quo nunc exsultant patriarchæ, prophetæ, apostoli, ac martyres. Licet igitur Ariana insania cum extranea potentia ita se movebat, ut non liceret nec fratres, quantum illi sæviebant, libere aerem videre, tamen juxta orationes tuas Deo favente, et si cum labore et periculo, videre potui fratrem, qui solet tam necessaria quam epistolas tam sanctitatis tuæ quam aliorum destinare. Accepimus itaque epistolas et libros religiosissimæ ac sapientissimæ animæ tuæ, in quibus perspeximus imaginem apostolicam, fiduciam propheticam, magisterium veritatis, doctrinam veræ fidei, viam cœlestem, martyrii gloriam, triumphos adversus hæresem Arianam, traditionem integram patrum nostrorum, regulam rectam ecclesiastici ordinis. O [q] vere Lucifer, qui juxta nomen [r] lumen [s] veritatis ferens, posuisti super candelabrum ut luceat [t] omnibus. Quis enim, exceptis Arianis, non pervidet ex [u] tua doctrina veram quidem fidem, maculam autem Arianorum? Valde et admirabiliter, ut est lumen a tenebris, ita separasti veritatem a calliditate et hypocrisi hæreticorum, defendisti catholicam Ecclesiam, probasti nihil esse, sed tantum phantasiam Arianorum verba, docuisti calcandos esse frendores [v] diabolicos. Quam bona et jocunda hortamenta tua ad martyrium, quam desideratissimam [x] ostendisti mortem esse pro Christo Filio Dei, quam futuri sæculi et vitæ cœlestis amo-

[a] Sic Tilii editio, nec non Montfauconius opp. Athanas. tom. I, part. 2. pag. 965. Baronius autem ad annum 356. num. LXXIV, *errantem*. Galland.

[b] *Lucem*. Papebr.

[c] Hanc epistolam exegimus ad exemplar, quod edidit Chiffletius inter notas ad Vigilium Tapsensem pagg. 109 seqq. ubi vir clarissimus hæc habet : *Hanc epistolam quia in codicibus antiquis Cluniacensi, Parisiensi, Pictavensi, et Pontiniacensi junctam reperimus Vigilii Tapsensis Dialogo sub nomine Athanasii contra Arium, et quidem vulgatis ejus editionibus haud paulo emendatiorem, idcirco hic eam reddimus.* Hæc ille. *Galland.* qui ex Chiffletio hanc inscriptionem epistolæ præposuit : *Domino beatissimo ac merito gloriosissimo, sancto Lucifero Episcopo Athanasius.* Ita vero illam præfert et Codex Venetus, hisce solummodo *Episcopo Lucifero* e loco mutatis. *Merito desideratissimo*. Papebr.

[d] *Fraternitatem nostram*. Chiffletius.

[e] *Heremias*. Cod. Ven. recte; nam paulo inferius μονάζοντας, id est *monachos* nominat, qui *eremias* incolebant, scilicet *eremos*; ita et Chiffletius legit.

[f] Ita et Codex Sangermanensis apud Montfauconium inter opera S. Athanasii; cum Sangermanensi convenit Codex Venetus, Μονάζοντας. Codex Regius apud Montfauc. ibidem, *Monachos*. Chiffl.

[g] *Ut etiam me*. Cod. Venet.

[h] *Cui etiam parcerent Ariani, qui nec minis suis pepercerunt?* Id. ubi *minis* mendose.

[i] *Christum Dominum*. Id.

[j] *Urenoso*. Id. mendose.

[k] *In voluntatibus suis*. Vers. Ant.

[l] *Væ genti peccatrici, populo pleno delictis*, etc. Chiffl.

[m] *Plenus peccatis, semen nequam, filii scelesti : reliquistis Dominum*. Vers. Ant. Græca Septuag. interpretatio : Οὐαί, ἔθνος ἁμαρτωλὸν, λαὸς πλήρης ἁμαρτιῶν, σπέρμα πονηρὸν, υἱοὶ ἄνομοι.

[n] *Unde sine lege?* omittitur in Cod. Ven.

[o] *Dixit*. Chiffl.

[p] *Nihil mihi conscius sum*. Vers. Ant.

[q] Hinc forte putetur latine ab Athanasio scripta hæc epistola, cum alludat ad latinam vocem. *Montfauconius.*

[r] Verba *juxta nomen* glossema sapere videntur. *Galland.*

[s] *Lucem*. Papebr.

[t] *Luceas*. Cod. Ven.

[u] *Ex tua doctrina, quod veram quidem fidem, maculam autem Arianorum valde et admirabiliter, ut est lumen a tenebris, ita separasti veritatem a calliditate, et a pravitate hæreticorum*, etc. Chiffl. Nobis tamen videtur hic locus ita interpungendus : *Quis.... non pervidet ex tua doctrina veram quidem fidem, maculam autem Arianorum? Valde*, etc. Ita etiam Papebrochius, qui *valide* pro *valde* legit.

[v] *Præsides*. Chiffl.

[x] *Quam desiderantissime ostendisti moriendum esse pro Christo*. Chiffl., Codd. Reg., Sangerm. et Ven.

rem manifestasti! Videris esse verum [a] templum Salvatoris, qui in te habitans hæc ipse [b] per te loquitur, ipse qui tantam gratiam præbuit sermonibus tuis, quippe qui ante eras apud omnes amabilis; nunc tamen tantus est amor affectionis tuæ in animis omnium collocatus [c], ut Heliam te temporibus nostris nominent: et non mirum; si enim, qui Deo placere videntur, filii Dei nominantur, tanto magis [d] participes prophetarum confessores, et maxime te appellare dignum est. Crede [e] mihi, Lucifer, non tu solus hæc locutus es, sed Spiritus sanctus tecum. Unde hæc tanta memoria Scripturarum, unde sensus et intellectus earumdem integer? unde talis ordo sermonis compositus [f]? unde tanta hortamenta in viam cœlestem? unde fiducia contra diabolum et probationes adversus [g] hæreticos, nisi Spiritus sanctus collocatus esset in te? Gaude igitur in eo te esse jam pervidens [h], in quo etiam prædecessores [i] tui nunc sunt martyres, hoc est in choro angelorum. Gaudemus etiam nos habentes et [j] exemplum virtutis, et patientiæ, et libertatis. Nam de his, quæ scripsisti de nomine meo, erubesco aliquid proferre, ne videar adulator; sed scio [k] et credo ipsum Dominum, qui sancto et religioso animo tuo revelavit omnem notitiam, redditurum tibi etiam pro hoc labore præmium in regno cœlorum. Quia ergo talis es, precatorem te esse pro nobis per [l] orationes Dominum petimus, ut jam inspicere dignetur, ut est misericors, ecclesiam catholicam, et eripiat omnes famulos suos de manibus persecutorum, quo etiam hi omnes, qui propter A metum temporalem ceciderunt [m], levare se tandem possint, et reverti ad viam justitiæ, a qua seducti vagantur, nescientes in qua fovea sint miseri. Specialiter autem ego peto, si [n] aliquid minus a me dictum est, ignoscere digneris: a tanto enim fonte quod potuit imperitia [o] mea vix haurire valuit. De fratribus autem nostris sin minus potui videre eosdem, iterum ignoscas peto. Est enim ipsa veritas testis optasse me et desiderasse hoc impetrare, et tantum habuisse dolorem quod non potui: nam nec lacrymæ cessaverunt ab oculis, nec gemitus ab animo, quia nec fratres permittimur [p] videre. Testis est autem Dominus, quia nec parentes quos habeo potui videre, ex quo persequuntur nos. Quid enim non faciunt Ariani? itinera observant, curas [q] agunt de proficis- B centibus et exeuntibus de civitate, naves quærunt, eremias [r] gyrant, domos perturbant, concutiunt fratres, singulis negotia [s] concinnant: sed Deo gratias; dum hæc agunt, tanto magis et plus exsecrantur ab omnibus et cognoscuntur vere, ut dicit [t] sanctitas tua, mancipia esse antichristi; et ipsi miseri, dum in odio habentur, durant in malignitate sua, donec morte avi sui Pharaonis et ipsi damnentur. Salutant religionem tuam qui mecum sunt; dignare salutare qui tecum sunt. Divina Dei gratia incolumem te memorem nostri semper [u] beatum conservet, merito homo Dei, famule Christi, particeps apostolorum, solatium fraternitatis, magister veritatis, et [v] in omnibus desiderantissime.

[a] *Vere.* Iid.
[b] *Ipsa.* Cod. Sangerm.
[c] *Conlocatus.* Cod. Ven.
[d] Cum. Chiffl. Codd. Reg. Sangerm. et Ven. in quibus legitur *quanto*; antea *particeps*. *Participes Prophetarum, Confessores.* Baronius. *Principem Prophetarum, Confessorum et Martyrum te appellare*, etc. Poncius apud Latinium.
[e] *Credimus, quod non tu* etc. Chiffl.
[f] *Compositus est.* Cod. Ven. *Compositi.* Papebr.
[g] *Adversum.* Papebr.
[h] *Jam per fidem.* Chiffl.
[i] *Præcessores.* Id. et Codd. Reg. ac Sangerm. *Prædecessores tui martyres nunc sunt in choro Angelorum.* Papebr.
[j] *Habentes te exemplum.* Iid. cum Papebr. et Cod. Ven. qui habet, *virtutis, patientiæ*, etc., absque conjunctiva particula *et*.

C
[k] *Sed et scio, et*, etc. Cod. Ven.
[l] *Per orationes tuas ad Dominum.* Galland.
[m] *Exciderunt.* Baron.
[n] *Si minus.* Cod. Ven.
[o] *Mea*, cum Chiffl., Codd. Reg., Sangerm. et Ven. Antea *ea*.
[p] *Permittimur*, cum Til. *Permittemur*, Cod. Ven. Antea *permittimus*.
[q] *Curam habent.* Cod. Sangerm.
[r] *Eremitas.* Chiffl. mendose. *Eremos circuunt.* Baron.
[s] *Negotia*, cum Latin., Chiffl., Codd. Reg., Sangerm. et Ven. Antea *negotiis*.
[t] *Dixit.* Cod. Ven.
[u] *Semperque.* Papebr.
[v] *Sed in omnibus desiderantissime.* Chiffl. *Desideratissime.* Papebr.

APPENDIX.

DE PROFESSIONE FIDEI S. LUCIFERI EP. CALARITANI.

Vetustissimi hujus Fragmenti, quod hic subjicimus, notitiam excepimus primo ex Diario Italico celeberrimi viri Bernardi Montfauconii, qui illud a se visum Mediolani in Bibliotheca Ambrosiana testatur hisce verbis pag. 19: *Codex octavi sæculi Langobardicis litteris habet quasdam Chrysostomi homilias: Excherii Lugdunensis quædam: Confessionem Fidei Luciferi: item Confessionem Athanasii, quæ habetur inter spuria Vigilio attributa: item Fidem Ambrosii.* D Quare cum per litteras illius exemplum petissemus a clarissimo viro Balthassare Oltrocchio Ambrosianæ Bibliothecæ Præfecto, is perhumaniter ad nos illud transmisit, et quæ ad dignoscendam codicis ætatem in quo *Luciferi Fides* descripta est, tum ad conjiciendum genuinumne sit sancti Episcopi opus, necessaria nobis erant, ultro communicavit. Codex itaque e membranis constat, et rotundo ac minusculo charactere Romano exaratus est, litterisque inter se-

se per singulas voces connexit; complectitur vero minora quædam opera D. Joannis Chrysostomi, cui tamen *Divi* titulus in codice non præponitur; partem libri Hermæ, qui *Pastor* inscriptus est; varia D. Eucherii opuscula, tum nonnullas *Fidei Professiones*: sunt autem; *Fides S. Ambrosii Episcopi*: *Item Fides Catholica*: *Fides S. Luciferi Episcopi*: *Fides quæ ex Nicæno Concilio processit*: *Fides B. Athanasii*; quæ omnino differt a Symbolo, quod ejus nomine vulgatum est, quamque *inter spuria Vigilio attributa* editam esse affirmat Montfauconius; utuli demum ipsi, et prima cujusque opusculi linea minio depicta est. Ex hisce conjicit Oltrocchius integrum codicem multo esse vetustiorem illo, ex quo Antonius Muratorius eruit *Fidem Bachiarii*, et *Expositionem Fidei Catholicæ*, sive *Symbolum Venantii Fortunati*; easque edidit inter Anecdota, quæ ex Bibliotheca Ambrosiana collegerat: et, si codex iste ante annos mille diciter a Muratorio exaratus, cautiorem se præ illo profitetur Oltrocchius, cum existimet, codicem, unde *Luciferi Fidem* exscripsit, sexto saltem sæculo esse tribuendum, licet vetustior videri dicique queat. Dissentit igitur Oltrocchius a Montfauconio æque in ætate codicis, ac in forma litterarum definienda; neque in alterutrius sententiam concedere ipsi possumus, quibus absentibus codicem ipsum intueri, ac diligenter inspicere non licet. At enim si codicis vetustatem solummodo spectamus, non esset fortasse improbandum illorum judicium, qui censerent, hoc *Luciferianæ Fidei* monumentum a Lucifero ipso scriptum jam antea, aut dictatum fuisse: verum nec pauca, nec levia insunt in ipsa *Fidei Formula*, quæ nos ab hujusmodi opinione amplectenda prohibeant.

Etenim stylus ipse primum, et scriptionis forma plurimum differt a Luciferiana: tum non alia Lucifer utitur Formula Fidei præter Nicænam, quam in lib. *de non parcendo in Deum delinquentibus* integram protulit, cujusque initium repetit in libro, cui titulus, *Moriendum esse pro Filio Dei*: locutiones deinde, quas plerumque usurpat disserens de divina Verbi natura, differunt sane ab iis, quas exhibet hæc *Formula Fidei*, in qua ὁμοούσιον præterea vocabulum omissum est, licet ejusdem vis ac sensus possit ex ea deprehendi; cum tamen Lucifer ipse hanc vocem, ejusque significationem aperte ingerat in suis libris, objiciatque Constantio. Erat enim vocabulum ὁμοούσιον certa Catholicis tessera fidei, quam nefas fuisset eo tempore in *Formulis Fidei*, et in libris omittere adversus Arianos descriptis. Et sane quo tandem tempore, quove loco hanc *Fidei Formulam* Lucifer edidisset, mirum foret, doctissimum Episcopum qui omnes Arianorum artes, astusque, et insidias probe callebat, quique tamdiu fortiter dimicavit, ut defenderet Deum Filium esse Deo Patri ὁμοούσιον, id est *Consubstantialem*, in publico demum Fidei suæ testimonio abstinuisse ab eo vocabulo, quod unum catholicam doctrinam comprobabat; multoque magis mirandum, si ambiguas re vera voces, quas hæc *Formula* continet, adhibuisset, cum ab iis in re tanti momenti tum maxime cavendum fuerit, illisque vix comperimus Luciferum usum fuisse. Hujusmodi itaque hæc est locutio, qua Pater dicitur *habere Filium factum de se sine initio, non ad se*: Synodus enim Nicæna verbum *facere* rejiciendum esse decrevit a divina Filii generatione, quem *genitum* esse, *non factum*, perspicue docuit; et ipse hujusce *Fidei* scriptor sibimet quodammodo non cohæret, cum subdit paulo inferius Filium *genitum* esse, *non factum*. Quamvis autem ex adjunctis vocibus *de se*, et *sine initio*, catholicus locutionis sensus depromi queat, imprudens profecto est hujus verbi usus, quod in sacris libris quandoque legitur, ubi de Filio Dei est sermo, sed humanæ ejus naturæ attribui docent Patres adversus Arianorum calumnias, ut disserit Petavius in lib. II de Trinit. cap. 3. Neque ambiguitate caret altera locutio *de se*, quæ et *efficiens principium* significare potest, et *generans*, *ac producens*; hoc autem recte convenit Deo Patri, qui re vera *principium* est *generans* Filium, non item illud, cum id, quod est *effici*, Filio Dei opponatur: de quo adversus Calvinianos disputat idem Petavius in lib. VI, cap. 11, ubi monet *futilem esse hanc vocum et syllabarum aucupationem, quæ haud simplex tamen ac mediocre tendit ad malum (ait Basilius de his ipsis vocibus agens in lib. de Spir. Sanct. cap. 2), sed profundum habet, et obtectum adversus pietatem consilium.* Hinc licet participium *factum* ad hæc posteriora *non ad se* solummodo referretur, suspectæ tamen hæ voces essent, nec probandæ, præsertim in publica Catholicæ Fidei testificatione: quod etiam monuit Synodica Epistola Concilii Alexandrini, cui Lucifer ipse adscripsit. Præterea Filius dicitur improprie *sine initio*, cujus divinæ generationis principium Pater est: sed quadam scribendi, loquendive ratione *minus* antiquis usitata, *sine initio esse* idem significat ac *æternum esse*; et ideo ἄναρχος dicitur Filius, quia æternus, et æterna est ejus generatio; de quo fuse disputat Petavius in lib. V, cap. 3. Usus quidem et Lucifer est hac dictione *sine initio* in lib. *Moriendum esse pro Filio Dei*; sed illam directe opponit Arianorum errori, qui Filio *initium* tribuebant, quia *factus et creatus a Patre* ab iisdem dicebatur. Hæc verba vero *non ad se* dubiæ subsunt interpretationi: Pater enim *ad se* generat Filium, si in Filio, quæ σχετικὰ et *relativa* sunt, considerentur, ut *Verbum* esse, et *imaginem Patris*, et ipsa *Filii* notio; Filius autem *ad Patrem* non est, si de iis sit sermo, quæ *absolute et secundum substantiam* de Filio Dei enuntiantur; Filius quippe et Deus est absolute, et bonus, et sapiens, etc., et in hanc sententiam plura inquirit et explicat laudatus Petavius ad sensum Augustini in lib. IV, cap. 10, et lib. VI, cap. 9, num. 8. Sed *Fidei* hujusce auctor hæc verba fortasse adhibuit, ut Arianorum errori adversaretur, qui Filium Verbum quoddam esse Patris instrumentum aiebant, quo ad res cæteras condendas usus fuerit: et impiam adeo opinionem secuti sunt in primis uterque Eusebius Nicomediensis et Cæsareensis, teste Petavio lib. II, cap. 3, num. 16, et cap. 7, num. 7; hinc docuerunt Patrem fecisse *sibi* Filium, sibique subjectum, atque *instrumentalem* administrum: ideoque obscura quidem vocum significatione profitetur hæc Formula Fidei, Patrem habere Filium *non ad se factum*: cujus tamen locutionis *ad se* usum vix eo tempore, quo Lucifer vixit, inductum reperies, idemque videtur Augustini primum ætate sumi cœptus, et in varios postea sensus, variasque significationes a Theologis pertrahi. Hæc propterea animadvertens quis sibi facile persuadeat, Luciferum potuisse Fidem suam adeo ambiguis, et obscuris dictionibus publice testari? Adde his, plura de Spiritu sancto in hac Formula Fidei catholicæ quidem dici, quam in cæteris, quæ per ea Luciferi tempora sive a Catholicis, sive ab hæreticis edebantur; et, licet ipsi Ariani impie sentirent de divinitate Spiritus sancti, attamen ante Macedonianam hæresim neque Concilia, neque Patres uberioribus verbis, atque sententiis quidquam de illa definierunt, *quippe tunc de ea re nominatim quæstio commota non fuerat*, inquit Petavius in lib. II, cap. 6, num. 4. Post damnatum vero Macedonii errorem a Constantinopolitano Concilio anni 381, et clarius et copiosius disserere cœptum est de Spiritus sancti natura, æque phrases passim adhiberi, quas hæc *Formula* præfert; si tamen Concilium Alexandrinum excipias celebratum an. 362, cujus Epistola Synodica *scripta* ad Antiochenos *nominatim decrevit Spiritum sanctum Deum habendum esse*, eumque *non creaturam esse, neque alienum a Patris et Filii substantia*; uti Petavius innuit in lib. I, cap. 14, num. 18. Huic autem Concilio, illiusque decretis Lucifer ipse assensus est; ut in ejus vita § 7, comprobatum est; cumque Patres Alexandrini hoc præterea ex Sardicensi Synodo confirmatum voluerint, ne quis aliam professionem Fidei, præter Nicænam, scriberet, aut ullam

ederet, sane persuadere nobismet nequimus, utilissimum adeo sanctissimumque decretum, quod ipse probaverat, ab eodem Lucifero neglectum violatumque fuisse. Neque diffitemur sane, Luciferum in suis quandoque libris de Spiritu sancto esse locutum, et Arianorum impietatem hac quoque in parte acriter oppugnasse, dissimilibus tamen et locutionibus, et verbis, quam in hac *Formula* proferantur, uti ex præfatione nostra facile liquet. Denique hoc etiam argumentum adjungimus, ex quo probetur *Formulam* hanc Lucifero auctori non esse tribuendam; nimirum quod tempus constitui recte nequeat, quo is debuerit *Fidem* suam publice, scriptoque testimonio comprobare: etenim in Concilio Mediolanensi, cui Legatus interfuit Liberii Pontificis, Nicænam unice Fidei *Formulam* professus est coram Constantio Imperatore, ut in lib. *Moriendum esse pro Filio Dei* ipse testatur hisce verbis: *Nos legati asseverabamus in tuo palatio, et firmando non desumus, semper sic fuisse, et esse creditum a Christianis, sicuti apud Nicæam contra hæresim tuam Arianam, et omnes errores videtur esse sacra fides conscripta:* eamdemque *Fidem* toto exsilii sui tempore scriptis palam libris, iisdem *Nicænæ formulæ* verbis testatus est. Post reditum vero ab exsilio cum ad componenda Antiochenæ Ecclesiæ et Cæsarcensis provinciæ dissidia, quæ de Episcoporum suorum electione fuerant exortæ, totus incubuisset, ad suam Ecclesiam in Sardiniam rediit, ubi quæ causa illi obvenerit, cur novam *Fidei Formulam* conderet, et evulgaret, cur a Nicæna diversam, cur aliqua sui parte ambiguam et obscuram, nec divinari cuiquam liceat, nec tuto proferre. Hæc nobis argumenta sunt, quibus jure putemus, alium a Lucifero fuisse *Formulæ* hujusce auctorem.

Sed omnis de ipso auctore ambiguitas sublata nobis est, cum ipsissimam fere *Fidei formulam* jam ante a l'aschasio Quesnello editam vidimus in tomo 2 Operum D. Leonis PP. in Codice Canonum ecclesiasticorum, etc., cap. 38, et Venetiis typis iterum vulgatam in tomo 3 Operum eorumdem pag. 278, quæ a Balleriniis Fratribus docto equidem, et erudito labore adversus Quesnelli errores illustrata fuerunt. Nomen hæc præfert in titulo *Faustini Presbyteri*, eademque est, quæ a Mabillonio *Breve Fidei* inscribitur ex Ms. Augiensi, ut Ballerinii testantur; idemque, ut autumamus, codex Augiensis est, quem Mabillonius in *Itinere Germanico* indicat a se visum Augiæ: *Liber in majori folio insignis, in quo habentur omnes Patrum expositiones in Orationem Dominicam, atque etiam variæ Fidei Confessiones.* Ms. Oxoniense, ex quo Quesnellus edidit Codicem Canonum, etc., hunc titulum exhibet: *Faustini Presbyteri Fides missa Theodosio Imperatori;* aliud Thuanense: *Item Faustini Presbyteri confessio veræ fidei, quam præfatis scribi et transmitti jussit Theodosius Imperator:* corrigit Quesnellus in dissert. 14, num. 6, *quam a præfatis*, etc., conjiciens jussu Theodosii descriptam fuisse a Faustino *Fidem* hanc, et a Theodosio ad Damasum missam, *scriniis Sedis Apostolicæ postmodum inserendam: unde in Codicem Romanum translata fuit;* sed Quesnelli opinionem rejiciunt Ballerinii in Præfat. ad novam hujusce Codicis editionem, quem existimant neque in Italia, neque Romæ, sed in Gallia elaboratum fuisse; et ex ms. Vindobonensi ejusdem Codicis hunc titulum afferunt: *Item Faustini Presbyteri confessio veræ fidei, quam Presbyter scribit sibi transmitti jussit Theodosius Imperator;* notant Ballerinii, *scripsit, et sibi*, etc.

Tres igitur codices vetustissimi *Fidem* hanc Faustino tribuunt; *Faustinus autem alius non occurrit*, uti animadvertit Quesnellus in Dissert. laudata, *qui fuerit auctor hujus libelli, præter Faustinum illum Lucifer ianum Presbyterum, qui cum ad Flaccillam Theodosii Imperatoris uxorem libros septem scripserit adversus Arianos et Macedonianos, et libellum precum cum Marcellino Presbytero Theodosio ipsi obtulerit, facile potuit ad eumdem Imperatorem libellum mittere Fidei* A *suæ testem:* cujus quidem sententiæ assentimur. Causam vero, cur Faustinus libellum suæ *Fidei* ederet, hanc Quesnellus ibidem significat; quia nimirum a Turbone Episcopo Eleutheropolis, qua in urbe Faustinus Roma cum Marcellino et ipso Luciferiano pulsus propter schisma Ursicini tunc degebat, veluti errorum Sabellii et Apollinaris asseela una cum collega suo vexaretur; nam de Turbone graviter conqueritur ipse Faustinus et suo et Marcellini nomine in *Libello precum ad Imperatores* Eleutheropoli misso, scilicet *Valentinianum, Theodosium, et Arcadium*, ut in Præfat. ad *Libellum precum: Egregius*, inquit, *Turbo Eleutheropolitanæ Episcopus civitatis, nostram exiguitatem despiciens..... postquam audivit quosdam se integræ Fidei copulare, et per Dei gratiam rem veri crescere, nobis exitia minitatur, et turbat.* Sive autem Faustinus Fidem suam ultro Theodosio obtulerit, sive a Theodosio jussus, tempus, quo illam edidit, *non ante annum* 379 Quesnellus constituit, *cui assignantur imperii Theodosiani exordia*, nec diu post; *quia altum in illa de Macedonio silentium, ac de concilio Constantinopolitano primo, a quo damnatus est an.* 381, *tum quod alio modo de errore contra Spiritum sanctum non loquatur, quam quo adversus illum hæreticum scripserunt Alexandrini Concilii Patres* in Epistola Synodica an. 362. Lequienius in tom. 3. Orient. Christ. in Episcopis Eleutheropolitanis initia Episcopatus Turbonis ad idem quodam modo tempus referre videtur, quem sit ad obitum fere Theodosii, ad an. scilicet 395. Episcopatum tenuisse; ignotus autem est annus, quo Eutychius ante Turbonem Episcopus decesserit. Auctore igitur hujusce *Formulæ* comperto, et tempore, quo scripta fuit, tum illius scribendæ cognita causa, quam parum Quesnelli exemplar differat a nostro, videamus. Faustinus brevem excusationem ibi præfigit, cur præter *Nicænam Fidem* ipse eliam scripserit, ne videretur nimirum decreta infringere Synodi Sardicensis, quæ Alexandrina probaverat, vetantis B ne deinceps novæ *Fidei Formulæ* a quoquam ederentur; hoc vero exordium abest ab exemplari nostro ex codice Ambrosiano. Tum suam ipse Fidem testatur iisdem omnino verbis, præter hæc, *de se sine initio genitam, non factum;* cum exemplari Ambrosiano quædam his obscuritas insit, et ambiguitas, ut superius monuimus. Demum paucis a calumnia hæresis Apollinaristæ sibi illata sese defendit, et eos damnat, qui tres *hypostases* confitentur, quæ itidem clausula deest Ambrosiano. Verum ita animadvertit Quesnellus: Faustinus, uti ejus etiam collega Marcellinus, Luciferiano schismate infectus erat, ideoque Concilii Alexandrini decreto adversabatur, quo sancitum fuerat, ut Arianæ communionis participes sub Imperatore Constantio, Episcopi præsertim, in gratiam cum Catholicis reciperentur. Hinc Sabelliani, et Apollinaristæ erroris suspectus habebatur; Patres etenim Synodi Alexandrinæ decreverant, ut ab iis, qui ad Ecclesiam ex Arianorum societate redibant, Sabellii quoque impia dogmata damnarentur; tum ut iidem confiterentur *Spiritum sanctum non creaturam, neque alienum, sed proprium esse et indivisum ab essentia Patris et Filii;* denique stolidum Apollinaris errorem exsecrarentur, qui docuerat, inanime corpus, et sensus mentisque expers sibimet Verbum Dei Filium assumpsisse. Idcirco Faustinus, ne videretur catholicam doctrinam a Patribus Alexandrinis propositam, et Ecclesiæ totius consensu probatam respuere, dum decretum de iis, *qui ab Arianis redierant, excipiendis* rejiciebat, Sabellium nominatim damnat, et adversus illius errorem *personas* in Trinitate aperte distinguit; Spiritus sancti divinam esse naturam iisdem pene Synodi verbis fatetur, ac Apollinaris hæresim perspicue detestatur; de concessa autem *lapsis* indulgentia omnino silet; et *trium hypostasum* usum, de quo veluti hæreseos suspecto fuerant *lapsi* accusati ante, quam veniam obtinerent, cujusque rectum et catholicum sensum Synodo pro-

baverant, omnino negat inter catholicos esse ferendum : unde alia causa cur Sabellianus diceretur ab iis, qui *tres hypostases* in Trinitate fatebantur, id est *tres personas;* Sabellius enim Deum asserebat ὑποπάτορα, hoc est unam in Deo personam esse Patrem et Filium, ut ait Athanasius in expositione Fidei; et de Spiritu sancto perinde ac de Filio sentiebat, ut eos ὁμοτίμους faceret, neque a Patris persona separaret, sed unam eamdemque ac veluti primariam hypostasim statueret, cujus duæ illæ Filii et Spiritus Sancti essent ἐνεργείαι, ait Petavius in lib. I, cap. 6. Verum cum Græcum nomen ὑπόστασις pro οὐσία sive essentia veteres Patres adhibuerint præsertim ante Nicænum Concilium, et re vera tum id significet, quod *simpliciter existit*, id est *essentiam*, tum id, quod *per se subsistit*, *individuum* scilicet, seu *personam*, de quibus vide Petavium in lib. IV, cap. 1, 4, 7, hoc *individui* sensu Græci Patres illud postea usurparunt, quo ab iis etiam, qui ad rectæ Fidei communionem ab Arianis reversi fuerant, usurpabatur; nam *trium hypostasum* nomine non *tres essentias*, nec *tres Deos*, aut *tria principia* intelligebant, sed *tres in Trinitate personas, Patrem, qui vere sit et subsistat, Filium ut existentem et subsistentem, et Spiritum sanctum, ut subsistentem, et existentem :* quod Epistola Synodica Alexandrina testatur. Ita disputationes quieverant litesque tum de ὑπόστασις voce exortæ præsertim Antiochiæ, unde Antiochenum schisma conflatum, teste Basilio ep. 349, veter. edit. apud Petavium lib. IV, cap. 4, num. 11, cum Terentio Comiti scribit, *haud parvi momenti se quæstiones illas ducere, ob quas initio schisma conflatum est :* quo in loco advertendum dissidium hocce inter Græcos Orientales primo cœpisse, non inter Græcos et Latinos, ut affirmat præfatio in Synodicas litteras Concilii Alexandrini tom. 2, Concil. Ven. Edit. prioris. At, quo tempore Faustinus hanc *Fidem* edidit, sopitus ignis contentionis vehementius jam exarserat, quem Latini quoque fovebant ingenti partium studio; alii quippe ὑπόστασις nomine οὐσίαν volebant intelligi, id est *essentiam*, seu *substantiam*; alii *personam*, seu *subsistentiam personalem*, et inter sese *substantiam*, hi pro *subsistentia*, illi pro *essentia* interpretantes, de vi ipsa vocum earumdem in Latino sermone decertabant. Quare Faustinus, cum *substantiæ* voce *essentiam* significari contenderet, tres substantias in Trinitate negat esse enuntiandas; consequens quippe erat, *ut tres Deos confiterentur, qui tres substantias illa significatione confitebantur;* et in ipsa *Fide* describenda *substantiæ* nomen, quatenus *essentiam* exprimit, pene de industria repetiisse videtur : illi vero, qui ὑπόστασις nomine *personam* exprimi aiebant, Faustinum, ejusque collegam Marcellinum Sabellianismi accusabant, quippe unam in Trinitate personam defendere ipsis viderentur. Et ex hisce conjicere licet, Faustinum hanc etiam ob causam mentionem injecisse in *Formulam Fidei* de tribus *substantiis*, ut nimirum Damasi Romani Pontificis gratiam aucuparetur, cui in Schismate Ursicini fuerat infensus; Damasus enim de *trium* ὑποστάσεων controversia silentium indixerat, uti vult Baronius ad an. 372, ex litteris Cyrilli Alexandrini, et in Hieronymi sententiam concesserat, qui trium hypostasum usum improbabat. Quamquam cum sit incertum, utrum Eleutheropoli versaretur Faustinus, dum *Fidem* edidit, quod putat Quesnellus, an alia in urbe, certe in Oriente, ubi contentio adhuc fervebat de usu, sensuque *trium hypostasum*, hinc conjectura ducitour ad credendum, omnem hujus *Fidei* scribendæ causam illi fuisse, ut, cum unam esse ὑπόστασιν, id est *essentiam* seu *substantiam* Trinitatis affirmaret, ab eorum calumniis sese defenderet, qui *tres hypostases* fatebantur eo sensu, qui ab Alexandrina Synodo probatus fuerat, et vocis hujus vim pro sua ipsorum sententia interpretantes, Sabellianismi cæteros accusabant, qui aliter illam interpretarentur. Quare Faustinus suam *Fidem* exhibet Imperatori ita, ut cum catholica doctrina Synodi omnino conveniat, ὑπόστασις autem, et *substantiæ* voces sua tantummodo interpretatione velit esse explicandas : quod ipsum *Formulæ* initium significat : *Primæ fidei confessionem contra Sabellium signamus et contra hos, qui sub nomine Catholicæ Fidei impia verba defendunt, dicentes tres esse substantias.*

Atque hæc satis de *Formula* Faustini; quæ num Lucifero conveniant, quisquam facile cognoscit, ipsis solummodo *Fidei* verbis spectatis, et consilio, quo edita fuit. At quis dixerit, *Fidem* a Lucifero quidem scriptam a Faustino in suam *Formulam*, additis exordio et clausula, adscitam, ut magis ex ipso auctore probaretur. Verum Luciferi nomen non siluisset Faustinus, quem in *Libello precum* tot laudibus semel atque iterum ornat; ac demum ex hactenus dictis ita potest recte constitui, *Formulam Fidei*, quam ex Ambrosiano Codice hic exhibemus, Lucifero, qui *Nicænæ Fidei Formulam* unice secutus est, qui nihil umquam ambiguum, nihil obscurum de Trinitate scripsit, qui decreta Synodi Alexandrinæ suo assensu confirmavit, qui Sabellii errores palam exsecratus est in lib. *de non conv. cum hæret.* et nullius hæretici erroris in suspicionem umquam adductus fuit, illam, inquam, *Fidei Formulam* non esse tribuendam, sed vel ab inscito quopiam homine, vel secta Luciferiano e *Faustiniana Formula* depromptam, ambiguis, quæ notavimus, corruptam vocibus, et aut inscite, aut fraudulenter Lucifero ascriptam, quinto circiter sæculo, postea, illius nomine præfixo, Codici Ambrosiano insertam fuisse. Addere hæc lubet ex Præfatione tomi primi Opp. Sirmondi Venet. Edit. num. 2: *Cum eo Libello* Precum Marcellini et Faustini *traditam fuisse Imperatoribus fidei Confessionem, quæ in Codice Canonum et Constit. Ecclesiæ Rom. ante viginti annos edito in Append. ad S. Leonis Opera edit. an.* 1675, *pag.* 138. Faustini Presbyteri Fides missa Theodosio Imperatori *inscribitur, aliqui existimant :* verum cum in Præfatione Libelli ejusdem, quæ Schismatici hominis est, Imperatores dicantur Valentinianus, Theodosius, et Arcadius, *Libellus Precum* in annum 383 rejici debet, quo Arcadius renunciatus est Augustus, nec anno 392 postponi potest, quo Valentinianus decessit : id autem cum anno editæ *Fidei* nequit convenire : *alii Libellum Confessione Fidei posteriorem aliquot annis censent :* quod esse verisimilius videtur. Utriusque Fidei exemplum sub uno aspectu hic jam subjiciamus.

Ex Membranaceo Codice Ms. Bibliothecæ Ambrosianæ signato I, 101, in parte superiori.

INCIPIT [a] FIDES

S. LUCIFERI EPISCOPI.

Nos Patrem credimus qui non sit Filius, sed habeat Filium de [b] se sine initio non ad se factum. Et Filium credimus qui non sit Pater, sed habeat Patrem de quo sit genitus, non factus. Et Spiritum sanctum credimus qui sit vere spiritus Dei : unde Divinæ Trinitatis unam substantiam confitemur, quia qualis est Pater secundum substantiam, talem genuit Filium. Et Spiritus sanctus non creatura existens, sed spiritus Dei, non est alienus a substantia Patris et Filii, sed est ipse ejusdem substantiæ cum Patre et Filio sicuti ejusdem Deitatis. Explicit.

[a] Hæc verba, *Incipit Fides S. Luciferi Episcopi*, minio depicta sunt in Codice.

[b] De hisce locutionibus satis dictum est in præfatis.

[c] Id est Nicæna. Excusationem præmittit, cur novam Fidei Formulam edat contra Alexandrinum decretum; quod usum præsertim trium ὑποστάσεων spectat hisce verbis : *quos enim*, id est, qui cum Arianis communicaverant, *nonnulli incusabant, quod tres hypostases affirmarent, cum hujusmodi voces in Scriptura non reperiantur, ac proinde suspectæ esse possint, auctores fuimus neque id amplius præter Nicænam confessionem inquirant.*

[d] Codex Thuanens. *miscent.*

[e] Forte *confessionem.*

A *Ex Cod. Canonum et Constitutorum Sanctæ Sedis Apostolicæ, in tom. 3 Opp. D. Leonis Ven. Edit. an. 1757, col. 278.*

FIDES
FAUSTINI PRESBYTERI
Missa Theodosio Imperatori.

Sufficiebat fides [e] conscripta adversus hæresim Arianam. Sed quia pravo ingenio quidam sub illius fidei confessione impia verba commutant [d], nobis invidiam facientes, quod velut hæresim Sabellii tueamur; paucis et contra Sabellium primæ fidei confessione [e] signamus; et contra hos, qui sub nomine catholicæ fidei impia verba defendunt, dicentes tres esse substantias; cum semper catholica fides unam substantiam Patris et Filii et Spiritus sancti con-
B fessa sit.

Nos Patrem credimus, qui [f] non sit Filius, sed habeat Filium de se sine initio genitum, non factum : et Filium credimus, qui non sit Pater, sed habeat Patrem, de quo sit genitus, non factus : et Spiritum sanctum credimus, qui sit vere Spiritus Dei. Unde et divinæ Trinitatis unam [g] substantiam confitemur : quia qualis est Pater secundum substantiam, talem genuit et Filium : et Spiritus sanctus non creatura existens, sed Spiritus Dei, non [h] est alienus a substantia Patris et Filii; sed est ejusdem et ipse substantiæ cum Patre et Filio, sicut ejusdem Deitatis.

Nam qui nos putant esse [i] Apollinaristas, sciant quod non minus Apollinaris hæresim exsecramur, quam Arianam. Miramur autem illos catholicos pro-
C bari posse, qui Patris, et Filii, et Spiritus sancti tres substantias confitentur. Sed et si dicunt non se credere Filium Dei, aut Spiritum sanctum creaturam; tamen contra [j] impiam fidem sentiunt, cum dicant tres esse substantias : consequens est enim, ut tres Deos confiteantur, qui tres substantias confitentur. Quam vocem semper catholici exsecrati sunt.

[f] Personam Patris a persona Filii aperte distinguit, ut Sabelliano errori adversari se ostendat : unde conjicias *Fidem* hanc potius ut illam hæresim damnet, quam ut Arianam, scriptam fuisse.

[g] *Substantiam unam* dicit, non minus, ut catholicum dogma profiteatur, quam ut vocis significationem
D ingerat adversariis.

[h] Hæc ex Synodica Alexandrina fere verbo tenus.

[i] De Apollinaris hæresi, et de *tribus substantiis*, vide quæ præfati sumus.

[j] Nisi mendum inest utrique editioni tum Quesnellianæ tum Venetæ, et legendum sit *ipsam*, sensus erit, *tamen e contrario impiam fidem sequuntur, impie sentiunt.*

ANNO DOMINI CCCXCVII.

SANCTUS PACIANUS

BARCILONENSIS EPISCOPUS.

(Ex Galland. Vet. Patr. Biblioth. t. VII.)

PROLEGOMENA.

I. Pacianum, eximium licet, Hispaniarum decus, ex uno tamen Hieronymo inter veteres compertum habemus; qui et paucula de eo memoriæ tradidit : unde sua reliqui sequioris ævi scriptores hausisse noscuntur. Discimus ergo ex Doctore maximo (*a*), sanctum Pacianum *Barcilonæ in Pyrenæi jugis episcopum castitate et eloquentia floruisse, eumque tam vita quam sermone clarum, sub Theodosio principe jam ultima senectute* vitam cum morte commutasse : ut propterea maxime claruerit beatus antistes circa Christi annum CCCLXX, qui scilicet anno CCCXCII, quo de eo scribebat Hieronymus, jam e vivis excesserat. Alibi vero sanctus Doctor ejus generis nobilitatem satis prodit, dum *Dextrum*, cui et librum suum *de Viris illustribus* nuncupavit, nostri *Paciani filium*, nondum ad sacerdotium evecti, *clarum apud sæculum et Christi fidei deditum* memorat (*b*). Qua de re alibi in loco mentionem rursus injiciens, hæc habet (*c*) : *Ante annos ferme decem, cum Dexter amicus meus qui præfecturam administravit prætorii, me rogasset ut auctorem nostræ religionis ei indicem texerem*, etc. Sic Hieronymus anno CCCXCII de Dextro Paciani filio ; qui postquam anno CCCLXXXVII creatus fuit sub Theodosio magno comes rei privatæ, anno demum CCCXCV sub Honorio præfecti prætorio munere functus fuisse traditur, ut ex prosopographia Codicis Theodosiani colligimus (*d*).

II. Atque hæc ab Hieronymo de Paciani cum illustri genere, tum vitæ integritate, episcopalis officii administratione ac doctrinæ laude, litterarum monumentis mandata comperimus, qui et ista de eo testata reliquit (*e*) : *Scripsit*, inquit, Pacianus *varia opuscula, de quibus est Cervus, et contra Novatianos*. Et primum quidem hic nominatum opusculum, *Cervus* inscriptum, prorsus interiit. Ejus meminit sanctus Pater in iis quæ adhuc superant (*f*) : ad quem locum de insolenti operis inscriptione nonnulla ex Cangio monuimus, quibus addas maxime velim cl. Tillemontio observata (*g*).

Exstat vero alterum cujus meminit Hieronymus, Paciani opus *contra Novatianos*, tres videlicet ipsius epistolæ ad Sympronianum Novatianum ; quarum *prima de Catholico nomine, secunda de Symproniani litteris, tertia* demum *contra tractatus Novatianorum* feruntur inscriptæ : easque post annum CCCLXXVII ab auctore conscriptas hinc arguit laudatus Tillemontius (*h*), quod Apollinaristas memoret (*i*).

Has porro epistolas excipit præclarum sane opusculum, *Paræneseis* seu *libellus exhortatorius ad pœnitentiam* : cui denique accedit *Sermo de Baptismo* : utrumque nimirum inter ea *varia opuscula* reponendum quæ, Hieronymo teste, scripturæ commisisse perhibetur noster Barcilonensis antistes.

Hæc autem omnia Paciani opera ex principe Tiliana editione sedulo recensuimus ; in capita seu sectiones distinximus, quæ antea minus commode continuo ductu ferebantur descripta : sed in illud maxime animum intendimus, quo textus in præcedentibus editis, pluribus in locis depravatus, ad pristinam integritatem restitueretur, aliquot subinde observationibus ad veram lectionem confirmandam subjectis.

(*a*) Hieron. de Vir. illustr., cap. 106.
(*b*) Id., ibid., cap 132.
(*c*) Id., lib. II, contra Rufin., § 24.
(*d*) Cod. Theod., tom. VI, part. II, pag. 49, edit. noviss.
(*e*) Hieron. de Vir. illustr.,, cap. 106.
(*f*) Pacian. Paræn. ad pœnit., § 1. Vide infra.
(*g*) Tillem. Mem. eccl., tom. VIII, pag. 539.
(*h*) Id., ibid.
(*i*) Pacian. epist. I, § 3. Vid. infra.

SANCTI PACIANI
EPISTOLÆ TRES
AD SYMPRONIANUM NOVATIANUM.

EPISTOLA I.
De Catholico nomine.

Pacianus Sympronianо fratri salutem.

1. Si non carnalis intentio, sed, ut ego arbitror, vocatio spiritualis est, domine, quod ex nobis fidem catholicæ veritatis examinas : tu potissimum quæ vel quam diversa sequereris indicare debueras, qui a rivulo procul in quantum apparet exorsus, fontem

at que originem principalis Ecclesiæ non tenebas? Ne, ut quæ causa potissimum de unitate corporis nostri solvisset, aperires: nudari enim eas partes oportet quibus medicina deposcitur. Nunc clauso, ut ita dixerim, litterarum sinu, quæ membra nobis potissimum curanda sint non videmus. Tantæ enim a capite christiano hæreses exstiterunt, ut nominum ipsorum sit volumen immensum. Nam ut Judæorum hæreticos prætermittam, Dositheum Samaritanum, Sadducæos et Pharisæos: quanti apostolorum temporibus emerserint, dinumerare perlongum est: Simon magus, et Menander, et Nicolaus, et cæteri quos fama recondit obscura. Quid [a] posterioribus temporibus Ebion, et Apelles, et Marcion, et Valentinus et Cerdon: nec longe post eos, Cataphryges et Novatiani, ut examina novella præteream? Quis ergo mihi primum per litteras refutandus est? Ipsa, si voles, nomina omnium charta non capiet: nisi quod scriptis tuis, pœnitentiam usquequaque damnantibus, secundum Phrygas te assensisse pronuntias: Verum his ipsis, domine charissime, tam multiplex et diversus est error, ut non hoc unum in illis quod contra pœnitentiam sapiunt, sed quasi quædam capita Lernæa cædenda sint.

II. Et primum hi plurimis nituntur auctoribus: nam puto, et Græcus Blastus ipsorum est: Theodotus quoque et Praxeas, vestros aliquando docuere: ipsi illi Phryges nobiliores qui se animatos mentiuntur a Leucio, se institutos a Proculo gloriantur: Montanum et Maximillam et Priscillam secuti, quam multiplices controversias excitarunt de Paschali die, de Paracleto, de apostolis, de prophetis: multaque alia, sicut et hoc de Catholico nomine, de venia pœnitentiæ. Quare si omnia ista discutere volimus, docili præsentia opus est: si hæc sola quæ scribis non satis instruerem, tamen quia quoquo modo admirantibus serviendum est, informandi tui gratia, summatim ad ea de quibus scribere dignatus es conloquimur. Si quid scire plenius de nostro voles, oportet ut de tuo profiteare simplicius; ne obscurius consulendo, non scire nos facias, utrum interroges an lacessas. Interea quod ad præsentes pertinebit, ante omnia te rogatum volo, ne ob hoc ipsum auctoritatem mutueris errori; quod, sicut ais, per orbem totum nullus intus sit qui te revinceret, aut persuadere tibi posset contra quam crederes. Nam et si nos imperiti, perissimus Dei Spiritus: et si nos infideles, *fidelis Deus, qui negare se non potest* (II *Tim.*, II, 13). Tum porro, quod [b] obnitendo, sacerdotibus Dei diu contendere non licebat. *Nos*, inquit Apostolus, *talem consuetudinem non habemus, nec Ecclesia Dei* (I *Cor.*, XI, 16). *Post unam correptionem* (*Tit.*, III, 10), sicut scis ipse, contentiosus omittitur. Persuadere autem quis aliquid possit invito? Tua ergo, frater, non illorum culpa est, si tibi quod erat optimum, nemo persuasit. Nam et hodie in potestate tua est ut nostra etiam scripta contemnas, si ea mavis vincere quam probare. Cæterum et ipsi Domino et apostolis ejus plurimi restiterunt; nec persuaderi veritas cuiquam potuit, nisi ei propria religione consensit. Itaque, domine, et nos non ea fiducia scripsimus, qua repugnanti aliquid persuadere possimus; sed ea fide qua volenti bonæ pacis aditum non negemus; quæ si animo tuo et cordi est, de Catholico nomine nullum habet esse luctamen. Si enim per Deum id populus noster adipiscitur; nec interrogandum est, præcedente auctoritate divina: si per hominem; quando usurpatum, detegendum. Tunc si bonum nomen est, non recipit odium: si malum, caret invidia.

III. Novatianos audio de Novato aut Novatiano vocari: sectam tamen in his, non nomen accuso: nec Montano aliquis aut Phrygibus nomen objecit. Sed sub apostolis, inquies, nemo Catholicus vocabatur. Esto, sic fuerit, vel illud indulge. Cum post apostolos hæreses exstitissent, diversisque nominibus columbam Dei atque reginam lacerare per partes et scindere niterentur: nonne cognomen suum plebs apostolica postulabat, quo incorrupti populi distingueret unitatem, ne intemeratam Dei virginem error aliquorum per membra laceraret? Nonne appellatione propria decuit caput principale signari? Ego forte ingressus populosam urbem hodie, cum Marcionitas, cum Apollinaristas, Cataphrygas, Novatianos et cæteros ejusmodi comperissem, qui se christianos vocarent: quo cognomine congregationem meæ plebis agnoscerem, nisi Catholica diceretur? Age, quis cæteris plebibus nomina tanta largitus est? Cur tot urbibus, tot nationibus sua quæque descriptio est? Ipse ille qui catholicum nomen interrogat, causam sui nominis nesciet, si requiram unde mihi traditum est. Certe non est ab homine mutuatum, quod per sæcula tanta non cecidit. Catholicum istud nec hæreticos sumit auctores. Multos nos Spiritus sanctus elocuit, quem paracletum apostolis et magistrum Deus misit e cœlis; multa ratio, sicut dicit Paulus, et honestas, et, ut ait, ipsa natura. Quid? Parva nobis de apostolicis viris, parva de primis sacerdotibus, parva de beatissimo Cypriano martyre atque doctore currit auctoritas? An volumus docere doctorem? An sapientiores illo sumus, et spiritu carnis inflamur adversus eum, quem æterni Dei testem nobilis cruor et clarissimæ passionis corona produxit? Quid tot earum partium sacerdotes, quos per totum orbem cum eodem Cypriano pax una solidavit? Quid tot annosi episcopi, tot martyres, tot confessores? Age. Si illi usurpando nomini huic auctores idonei non fuerint, nos idonei erimus negando? Et nostram potius auctoritatem patres sequen-

[a] *Quid posterioribus temporibus, Ebion?* Judicu Cotelerio ad *Constit. Apost.*, lib. VI, cap. 6, hæc Paciani verba benigno interprete egent. Ortus enim Ebionæorum, cum Epiphanio et Hieronymo ad tempora Joannis apostoli referendus videtur.

[b] *Obnitendo.* Ita ex contextu rescripsimus. Editi, *obtinendo.* Id.

tur, et emendanda sanctorum cedet antiquitas, et jam putrescentia vitiis tempora canones apostolicæ antiquitatis eradent?

IV. Nec tamen æstues, frater: Christianus mihi nomen est, Catholicus vero cognomen. Illud me nuncupat; istud ostendit: hoc probor, inde significor. Et si reddenda postremo Catholici vocabuli ratio est, et exprimenda de græca interpretatione Romana: Catholicus, ubi unum, vel, ut doctiores putant, obedientia omnium nuncupatur, mandatorum scilicet Dei. Unde Apostolus: *Si in omnibus obedientes estis* (II *Cor.* II, 9). Et iterum: *Sicut enim per inobedientiam unius peccatores constituti sunt multi: sic per dicto audientiam unius, justi constituentur multi* (*Rom.* V, 19). Ergo qui Catholicus, idem justi obediens. Qui obediens, idem est Christianus: ita Catholicus, Christianus est. Quare ab hæretico nomine noster populus hac appellatione dividitur, cum Catholicus nuncupatur: sed et si Catholicus ubique unum est, sicut superiores putant, id ipsum David indicat dicens: *Astitit regina in veste aurata et variegata* (*Psal.* XLIV, 10), hoc est, una in omnibus. Et in Cantico canticorum Sponsus hæc loquitur: *Una est columba mea, perfecta mea, una est matri suæ, electa est genitrici suæ* (*Cant.*, VI, 8). Et iterum: *Adducentur regi virgines post eam* (*Ps.* XLIV, 15). Et adhuc: *Adolescentulæ, quarum non est numerus* (*Cant.* VI, 7). Ergo in omnibus una, et una super omnia.

V. Si rationem nominis quæris, apparet. De pœnitentia vero, Deus præstet ut nullis fidelibus necessaria sit; nemo post sacri fontis auxilium, foveam mortis incurrat: nec tarda solamina ingerere sacerdotes aut docere cogantur, ne peccandi iter aperiant, dum peccanti remediis blandiuntur. Sed nos hanc indulgentiam Dei nostri miseris, non beatis, nec ante peccatum, [a] sed peccata detegimus: nec sanis medicinam, sed male habentibus nuntiamus. Si nihil in baptizatos possunt nequitiæ spirituales, nihil fraus illa serpentis quæ primum subvertit hominem, quæ posteris ejus tot titulos damnationis impressit; si recessit a mundo, si regnare jam cœpimus, si nullum oculis, nullum manibus, nullum mentibus nostris crimen obrepit; abjiciatur hoc Dei donum, repellatur auxilium, nulla exomologesis, nulli gemitus audiantur; contemnat omne remedium superba justitia. Quod si hæc homini suo Dominus providit; si idem stantibus præmia, qui jacentibus remedia largitus est: desinite divinam accusare pietatem, aut tot cœlestis clementiæ titulos objectu rigoris eradere, aut gratuita Domini bona inobsecrabili asperitate prohibere.

A Non largimur ista de nostro. *Convertimini ad me*, dicit Dominus, *simulque jejunio, et fletu, et planctu, scindite corda vestra* (*Joel.* II, 12). Et iterum: *Relinquat impius vias suas, et vir facinorosus cogitationes suas, et convertatur ad Dominum, et misericordiam consequetur* (*Is.* XLV, 7). Itemque Propheta in hunc modum clamat: *Quoniam Deus pius, et mitis et patiens est,* [b] *et qui reflectat sententiam adversus malitias irrogatam* (*Joel.* II, 13). Habetne tam diutinum serpens venenum, et Christus non habet medicinam? Diabolus in mundo interficit, Christus hic non potest subvenire? Pigeat sane peccare, sed pœnitere non pigeat. Pudeat periclitari, sed non pudeat liberari. Quis naufrago tabulam, ne evadat, eripiet? Quis sanandis vulneribus invidebit? An non David B dicit: *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis stratum meum rigabo* (*Ps.* VI, 7). Et iterum: *Peccatum meum ego agnosco, et facinus meum non texi* (*Ps.* XXXI, 5). Et adhuc: *Dixi: prosequar adversum me delictum meum Deo meo, et tu remisisti impietatem cordis* (*Ibid.*). Nonne ille post cædis et adulterii reatum, pro Bethsabee pœnitenti, Propheta respondit: *Dominus abstulit a te peccatum tuum* (II *Reg.* XII, 13). Num Babylonium regem post tot idololatriæ facinora damnatum, exomologesis non liberavit? Et quid est quod ait Dominus: *Nonne qui ceciderit, resurget, et qui aversus fuerit, convertetur* (*Jer.* VIII, 4)? Quid illa tot similitudinum dominicarum argumenta respondent? Quod drachmam invenit mulier, et gratulatur inventam; quod pastor ovem C reportat erraticam; quod filio revertenti, post [c] prodacta omnia bona, et cum meretricibus et fornicariis [d] nepotata, pater blandus occurrit, et invidum fratrem ostensa ratione castigat? *Filius*, inquiens, *meus hic mortuus fuerat, et revixit; perierat, et inventus est* (*Luc.* XV, 32). Quid ille in via vulneratus, a Levita et sacerdote præteritus? Nonne curatur? Revolve quæ Spiritus dicat ecclesiis (*Apoc.* II): Ephesios desertæ dilectionis accusat: stuprum Thyatirenis imputat; Sardos in opere cessantes, Pergamenos docentes diversa reprehendit; Laodicenorum divitias inurit; et tamen omnes ad pœnitentiam satisfactione invitat. Quid Apostolus ad Corinthios cum ita dicit: *Ne cum venero, lugeam multos ex his qui ante peccaverunt, et non egerunt pœnitentiam ex* D *his quæ ante gesserunt in fornicatione et immunditiis suis* (II *Cor.* XII, 21). Quid, cum rursus ad Galatas? *Si quis præventus fuerit in aliquo delicto* (*Gal.* 6, 1); id est, quocumque, *vos qui spirituales estis, instruite ejusmodi in spiritu mansuetudinis, cavens ne et tu tentatam:* quam equidem posteriorem lectionem alteri Cyprianicæ prætulerim.

[a] *Sed peccata. Sed post peccata* legendum videtur. Atque ita ediderunt Lugdunenses.

[b] *Et qui reflectat.... irrogatam.* Veterem interpretem secutus, hunc Joelis II, 13, locum tum hic, tum infra, epist. 3, cap. 21, reddit auctor juxta LXX, καὶ μετανοῶν ἐπὶ ταῖς κακίαις. Vulg. *præstabilis super malitia.* Eodem modo quo sanctus Pater noster, recitat eadem Joelis verba sanctus Cyprianus *de Laps.*, ad finem, *de Bono patient.* sub init., et epist. 55 *ad Antonian.*, pagg. 138, 211 et 111, edit. Oxon. At ubique pro *reflectat* legit *flectat*, et *irrogatas* pro *irro-*

[c] *Prodacta.* Ita quoque Tertullianus, *de Pud.*, *c.* 8: *Minor filius, prodacta substantia Dei, in aliena regione mendicat.*

[d] *Nepotata.* Perperam rescripsere Lugdunenses *epotata.* Tertullianus in *Apolog.*, cap. 46: *Aristippus in purpura sub magna gravitatis specie nepotatur.* Ad quem locum notat Havercampius, verbum hujusmodi a prodigis nepotulis translatum. Plura dabit Cangius in Glossario.

teris. At numquid paterfamilias, in magna domo, argentea tantum et aurea vasa custodit? Nonne et fictilia et lignea, et composita quædam et refecta dignatur? *Nunc gaudeo*, inquit Apostolus, *quia contristati estis ad pœnitentiam* (II *Cor.* VII, 9). Et iterum: *Quia secundum Deum tristitia, pœnitentiam, in salutem, stabilem operatur* (*Ibid.* 10).

VI. Sed pœnitere non licuit. Nemo sine fructu imperat laborem: *Dignus est enim mercenarius mercede sua* (*Matth.* X, 10; *Luc.* X, 7). Numquam Deus non pœnitenti comminaretur, nisi ignosceret pœnitenti. Solus hoc, inquies, Deus poterit. Verum est: sed et quod per sacerdotes suos facit, ipsius potestas est. Nam quid est illud quod Apostolis dicit: *Quæ ligaveritis in terris, ligata erunt et in cœlis: Et quæcumque solveritis in terris, soluta erunt et in cœlis* (*Matth.* XVI, 19; *Joan.* XX, 23)? Cur hoc, si ligare hominibus ac solvere non licebat? An tantum hoc solis Apostolis licet? Ergo et baptizare solis licet, et Spiritum sanctum dare solis, et solis gentium peccata purgare: quia totum hoc, non aliis quam Apostolis imperatum est. Quod si uno in loco, et resolutio vinculorum et sacramenti potestas datur; aut totum ad nos ex apostolorum forma et potestate deductum est; aut nec illud ex decretis relaxatum est. *Ego*, inquit, *fundamentum posui; alius autem superædificat* (I *Cor.* III, 10). Hoc ergo superædificantes, quod Apostolorum doctrina fundavit. Denique et episcopi, Apostoli nominantur, sicut de Epaphrodito Paulus edisserit: *Fratrem et commilitonem*, inquit, *meum; vestrum autem apostolum* (*Philip.* II, 25). Si ergo et lavacri et chrismatis potestas, majorum et longe charismatum ad episcopos inde descendit; et ligandi quoque jus adfuit atque solvendi. Quod etsi nos ob nostra peccata temerarie vindicamus; Deus tamen illud, ut sanctis et Apostolorum cathedram tenentibus, non negabit; qui episcopis, etiam Unici sui nomen indulsit.

VII. Plura scriberem, frater, ni et celeritate pueri revertentis urgerer, et vel præsenti tibi, vel [a] de omni proposito confitenti, copiosiora servarem. Nemo episcopum hominis contemplatione despiciat. Recordemur, quod Petrus Apostolus Dominum nostrum Episcopum nominarit; *Sed conversi*, inquit, *modo ad episcopum et pastorem animarum vestrarum* (I *Petr.* II, 25). Quid episcopo negabitur, in quo Dei nomen operatur? Reddet quidem illi rationem, si quid perperam fecerit, vel si corrupte et impie judicarit. Nec præjudicatur Deo, quo minus mali ædificatoris opera rescindat: interea si pia illa administratio est, adjutor Dei operum perseverat. Ecce Apostolus ad laicos scribit: *Si cui quid donatis, et ego: Nam et ego quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi; ut non possideatur a satana; non enim versutias ejus ignoramus* (II *Cor.* II, 10, 11). Si autem quod laici donant, Apostolus donasse se dicit; quod episcopus fecerit, qualiter respuetur? Ergo nec baptisma, nec criminum remissio, nec innovatio corporis, sanctæ potestati ejus indulta est; quia nihil propria usurpatione mandatum est, totumque id ex apostolico jure defluxit. Scio, frater, hanc ipsam pœnitentiæ veniam non passim omnibus dari, nec ante quam aut interpretatio divinæ voluntatis, aut forsitan visitatio fuerit, relaxari. Magno pondere magnoque libramine post multos gemitus effusionemque lacrymarum, post totius ecclesiæ preces, ita veniam veræ pœnitentiæ non negari, ut judicaturo Christo, nemo præjudicet. Si apertius, quid tu sentias, scripseris, frater; plenius instrueris.

EPISTOLA II.

De Sympronianì litteris.

Pacianus episcopus Symproniano fratri salutem.

I. In quæstione prolixa, quantum potero brevitatem sequar. Neque tibi, frater, sub interrogationis bonæ specie, occulta verborum tela jaculanti atque objicienti, quæ ipse machinare, aliquam vicem malitiæ repensabo. *Orare pro persequentibus* jubemur, *maledicentibusque benedicere* (*Matth.* V, 44). Fraus enim quasi vulpeculæ, vis autem leonis est: utrumque ab homine alienissimum; sed fraus odio digna majore. Nam cum plus nocere credas, quasi ignarus interrogas; cum docere te putes, simulas erudiri. *Rabbi*, Dominum vocabant veteres Pharisæi, cum ænigmata legis opponerent; *Magistrum* appellabant, cum sibi omne magisterium vindicarent. Quidlibet agas, frater, totum ex me simpliciter recognosces. Malo imperitus, quam malitiosus intelligi: malo fatuus quam callidus judicari. Quare prius quam rationem fidei nostræ (de qua moveris) assignem, accipe pauca de litteris tuis quas tractatui prætulisti.

II. Refectum esse te dicis prioribus epistolis meis, et statim addis me cum amaritudine respondisse quæ scripserim. Si amara reficiunt, quid dulcia operentur ignoro; nisi quia, ut in medicinæ poculis, solet amarum magis quam dulce medicari. Sed quæso, litteras meas repetas, an aliquo felle respersæ sint, quid superbum, quid insuave responderim. Plures me, ais, hæreses nominasse, de quibus nemo quæsierit. Age, quid tua si hæreticus non eras? Qui cum de fide nostra moveres quæstionem, et doceri velle te diceres, scripsi ignorantiæ causas esse multiplices, quæ vos potissimum haberet, ut aperires, ne retexendis pluribus æstuarem. De *Catholico nomine* multa respondi placide. Dixi enim, nihil alterius interesse quid alius vocaretur. Ac si vim nominis postulares, quodcumque illud esse mirificum, seu unum in omnibus, seu unum super omnia, seu quod ante non dixi, filius regis, id est populus Christianus. Adeo certe non inditum nobis quod per sæcula tanta non caderet. Et sane gratulor quod licet alios anteposueris, etiam circa nos assentiare de nomine. Quid si negares? Natura clamaret.

[a] *De omni proposito.* Perplacet Latinii conjectura legentis *de* NOMINE *prop.* ut hic respiciat Pacianus epistolæ argumentum, *de Catholico nomine* inscriptæ.

Aut si adhuc dubitas, taceamus. Ambo, quod vocabimur, hoc erimus teste nominis vetustate. Cæterum si pertinacius flagitaveris, vide ne tibi vir ille virtutis exclamet : *Quid interrogas nomen meum? Et ipsum est mirabile* (*Judic.* XIII, 18). Tunc addidisti sane, unde Catholici nomen hoc traherent, non esse reputandum; quia nec Valentinis si a Valentino, nec Phrygibus si a Phrygia, nec Novatianis si a Novatiano vocarentur, imputari solere.

III. Hic tu graviter commoveris, et quasi aculeo fixus erigeris; nam sic iratus exclamas : Nonquid Cypriano sancto viro hoc obest, quod populus ejus apostaticum nomen habet, vel Capitolinum, vel [a] Syndreum? Conviciaris; et ecce non moveor. Horumne aliquid appellati sumus? Interroga sæculum, frater, totosque ex ordine annos; an nobis nomen hoc hæserit, an Cypriani populus aliud quam Catholicus nominatus sit. Numquam nomen ullum ex his audivi. Jam vide, si vocari aliquis eo nomine potuit, quod sibi nescit impositum. Quid ergo? Maledicta sunt ista, non nomina; et maledicta irascentium, maledicta petulantium. Quotvis et ego vos possum appellare nominibus, si liceat irasci. Cyprianum sanctum vocas, et populum ejus apostaticum? Quomodo? *si initium* [b] *sanctum, et farina; et si radix sancta, et rami* (*Rom.* XI, 16). Egone apostaticus, an Novatus? Novatus, inquam, patre prodito, Ecclesia derelicta, partu uxoris effuso? Egone apostaticus, an Novatianus, quem absentem epistola episcopum finxit; quem consecrante nullo, linteata sedes accepit? Verum ista posterius : interim ipsi vos dicite quid vocemini. Negatisne Novatianos a Novatiano vocari? Quodlibet nomen imponas, semper istud hærebit. Scrutare totos (si videtur) annales, et crede tot sæculis : respondebis Christianum. Inquirente me genus sectæ; Novatianum non inficiaberis. Nec tamen ego Novatiani tui nomen accuso, quod toties requisitum circumloquentibus lineis, et operto quodam sinu claudis. Fatere simpliciter : nihil est sceleris in nomine. Quid te toties interrogatus abscondis? quid causam nominis erubescis? Cum primum scripseras, Cataphrygem putabam. Tune secundis quidem litteris confiteris? Meo invides nomini, et tuum vitas? Vide qui sit pudoris in causa, quæ refugit quod vocatur.

IV. Quæ castigas et agis? Quasi ad rhetorem venerimus, aut ars sit tractanda, aut de versibus Virgilii, versus enarrarem? Cum plures hæreticos nominassem, addidi : [c] *Et quos fama recondit obscura.* Et unde tu hoc de Virgilii versu tractum putas, si Virgilium omnino non noveras? Atqui nego, non ex ordine versum posui. Dixi enim : *Quos fama recondit obscura;* ut loquentibus moris est, ex copia sermonis humani dicere aliquid quod ante dictum sit. Tu vero versum suo ordine sua compage repetisti. Adeo Virgilium plus amasti, ut ne fas fieri putares, si versum ejus infringeres? Et tamen ego a parvulo didiceram. Quid mirum si in ea incidi quæ sciebam? In te, frater, tantus est labor, ut ea nunc demum legas quæ lecta quondam ab aliis erubescebas? Latinis institutum, Latine loquentem tam accusare debebis, quam Græce Græcum, quam Parthice Parthum, quam Punice Pœnum : Medis, Ægyptiis, Hebræis sua lingua est secundum copiam Domini, qui eam in centum viginti ora modulatus est. Poeticum versum episcopus dixit. Quid Paulus Apostolus? Erubescit, cum Atheniensem illum versum et dixit et comprobat? Nam in Actis Apostolorum ita ponit; *Quidam etiam secundum vos dixerunt : Hujus namque genus sumus : cum igitur genus simus Dei* (*Act.* XVII, 28, 29). Et rursus ad Titum dixit : *Dixit quidam ex illis proprius eorum propheta, Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri* (*Tit.* I, 12, 13). Et addit : *Testimonium hoc verum est.* Sic peccamus exemplo : nec rhetores sumus, sed quamcumque vocem, copiam Dei credimus. Latium, Ægyptus, Athenæ, Thraces, Arabes, Hispani Deum confitentur; omnes linguas Spiritus sanctus intelligit. Tu ipse cur ais, Litteras tuas vivaci cedro perlinam propter carioses hostes musarum? Quarum, oro, musarum? An quæ invenerint litteras et scripserint chartas quas tineæ persequentur? Dic, oro, frater, musæ litteras repererunt? Nonne per Dominum omnia, et a Deo omnia? Præter illas [d] centum et viginti linguas, fuit adhuc alia musarum? Hesiodus istud in Helicone mentitus est, sed Atheniensium studio, quibus, ut Apostolus ait, nihil vacabat nisi loqui (*Act.* XVII, 21). Nos teste Apostolo (I *Cor.* XIV, 10, 18) omnium vocum modos, omnium genera linguarum a Deo inspirata retinemus. Ignosco tamen, frater, si quid et tu de tuo auctore præsumis, et Novatiani philosophiam per quam ille in naufragium religionis incurrit, cum Hesiodi auctoritate conjungis. Verumtamen Apostoli nominisse debueras, qui ait : *Videte ne quis vos decipiat per philosophiam et inanem seductionem* (*Colos.* II, 8).

V. Jam quale illud est quod Catholicis imputandum putas, si quando vos reges aut imperia persecuta sunt? Ergo e contrario vobis debuit imputari quoties regum [e] et persecutionem Catholici pertulerunt : atque nostros pagani principes, persecuti sunt. Vos Christianorum odia pertulistis? Sed nostri magis questi sunt. Viderit qui hoc fecit, qua mente, quo spiritu; pacemne an discordiæ procu-

[a] *Syndreum.* Arbitror hic legendum συνέδριον. Est autem convicium a Concilii nomine deductum in invidiam Cypriani. TILLIUS.

[b] *Si initium sanctum, et farina.* Rom. XI, 16 : Εἰ δὲ ἡ ἀπαρχὴ ἁγία, καὶ τὸ φύραμα. Vulg., *Quod si delibatio sancta, et massa.*

[c] *Et quos fama recondit obscura.* Hæc scripserat auctor epist. 1, § 1. Mox forte legendum *Atquin ego.*

[d] *Centum et viginti linguas.* Eadem paulo ante insinuat auctor. Cotelerius tamen ad *Recognit.* lib. II, cap. 42, conjicit scripsisse Pacianum LXX *linguas* : unde levi mutatione ortus numerus CXX.

[e] *Regum et pers.* Tillius supplet *impietatem et pers.* Et paulo post pro *questi sunt*, legit *queri debuerunt.*

rarit. *Verum et si quidam eorum deliquerunt*, inquit, *numquid fidem Dei destruunt* (*Rom.* III, 3)? Nec tamen tu querelam putes fuisse nostrorum. Sed cum per nostram fidem Christiani principes esse cœpissent; ipsi principes Catholicæ, hoc est suæ parti faventes proprio dolore commoti sunt; nisi forte Danieli imputabitur quod a Dario vindicatus est; aut Hesteri sanctissimæ feminæ, cum pro ea dux regis occiditur; aut tribus pueris, quod propter eos post experimenta flammarum, profanis et incredulis rex Babylonius comminatur. Nonne Simonem Petrus, [a] judice astipulante, confundit? Non Helima, favente Sergio, Paulus excæcat? [b] Vindicatus esset et Hierosolymis, si quid fidei ligatus habuisset. Nescis servire ipsas innocentibus potestates, et in bonum sanctis patribus ministrare? Sicut Apostolus dicit: *Principes non sunt timori bono operi, sed malo. Vis autem non timere potestatem? Bonum fac, et habebis laudem ex ea per Dominum: Minister enim est tibi in bonum* (*Rom.* XIII, 3, 4). Et tamen ego de nullo questus sum, de nemine vindicatus. Nec impedire mihi Novatianos puto, quorum parvitate si vellem atque defectu poteram gloriari. Ecce plebem tuam imperatori nullus accusat, et solus es. *Oportet nos tamen omnes stare ante tribunal Dei* (*Rom.* XIV, 10; II *Cor.* V, 19). Quod unum scio, quererentur Novatiani, si causa eorum esset ullis grata principibus.

VI. Utilius esset, ais, vincere quam placere. At qui vincendi ardore ducuntur, contentione proficiunt. Apostolus vero ait: *Si quis autem videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, nec Ecclesia Dei* (I *Cor.* IX, 16). Contra de studio placendi: *Omnibus*, inquit, *per omnia placeo, non quærens quod mihi utile sit, sed quod multis, ut salventur* (I *Cor.* X, 33). Vos autem dum vestra non fratrum commoda cogitatis, vincendo mavultis elidere, quam placendo recreare. Malum bono vicisse, rationis est; cæterum in quacumque causa velle superare, præsumptionis insanæ est. Non de Apostolico jure, sed de Græco, apud quos scriptum putatur, omnem morem Lacedæmoniorum inflammatum esse cupiditate vincendi. Sus quoque ille lutulentus, et insana tigris, quid aliud velint nisi vincere quam placere? Vacare tibi scribis; et ideo te contentiosa delectant. Mihi vero catholicis negotiis occupato, post triginta ferme dies litteræ tuæ traditæ sunt, post alios quadraginta repetitæ.

VII. Irasci me ais; absit. Stimulari ut apem, credo quæ interdum aculeo mella defendit. Verum recole utrimque litteras; jam videbis spiculisne an floribus paginam conseramus. De similibus quidem Apostolus, *quos oportet* [c] *indentari* (*Tit.* I, 11). Sed attende. Nos tecum quasi columbæ, ore potius quam dente, confligimus. Utinam verum esset quod doceri velle te dicis! jam ipse tibi manibus meis sancti Spiritus unguenta suggererem. Amas me? Non læsi, scio. Sed tunc demum amares, si non diversa sentires, atque operi meo blandus accederes. Cypriani epistolas mihi placere miraris? Quidni beati martyris et catholici sacerdotis? Novatianum mihi ingeris? Philosophum sæculi fuisse audio; nec satis miror ab Ecclesia Dei vivi degenerasse. Cognosco, radicem legis antiquæ, fontem veteris populi reliquisse, Cornelio invidentem, Novati insaniæ commodatum, sine consecratione legitima episcopum factum, ideoque nec factum per epistolam eorum qui se Confessores esse simularent, qui matris unius membra divellerent. Hæc ego tibi, frater, confessione vestrorum, litteris approbabo. Ita tuus iste philosophus, *sapientiam suam quærens statuere*, sicut Apostolus ait (*Rom.* X, 3), *sapientiæ Dei non est subjectus*; quoniam per sapientiam suam mundus non recognovit sapientiam Dei. Nam quod, ante passum Novatianum putas, et Cyprianum diuisse subjungis; *Præcessit me adversarius meus*; vide quam manifeste respondeam. Novatianus martyrium nunquam tulit, nec ex verbis beatissimi Cypriani auditum istud aut lectum est. Habes ejus epistolas quibus Cornelium Urbis episcopum, cui tunc Novatianus invidebat, inimicis principibus resistentem, sæpe confessum, sæpe vexatum refert; plurimis Confessoribus, plurimis quoque Martyribus ducem factum, et cum plurimis gloriosissime coronatum vivente tunc Novatiano etiamque securo. Nam et ideo ab ecclesia Christi recesserat, ne illum labor confessionis urgeret. Qui primum stimulatus invidia, episcopatum Cornelii non ferebat; inde se Novato, paucorum epistolis derisus addixerat. Hæc te omnia de Novatiano Cypriani litteræ perdocebunt. Porro etiam si passus est aliquid Novatianus, non tamen etiam occisus: etiam si occisus, non tamen coronatus. Quidni? Extra Ecclesiæ pacem, extra concordiam, extra eam matrem cujus portio debet esse qui martyr est. Audi Apostolum: *Et si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam; charitatem autem non habeam, nihil sum. Et si in cibos pauperum divisero omnem substantiam meam, et si tradidero corpus meum ad comburendum, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest* (I *Cor.* XIII, 2, 3). Cyprianus autem in concordia omnium, in pace communi, in Confessorum grege passus est, et sæpe confessus iteratis persecutionibus paginam conseramus. De similibus quidem Apostolus, *quos oportet* [c] *indentari* (*Tit.* I, 11). Sed attende. Nos tecum quasi columbæ, ore potius quam dente, confligimus. Utinam verum esset quod doceri velle te dicis! jam ipse tibi manibus meis sancti Spiritus unguenta suggererem. Amas me? Non læsi, scio. Sed tunc demum amares, si non diversa sentires, atque operi meo blandus accederes. Cypriani epistolas mihi placere miraris? Quidni beati martyris et catholici sacerdotis? Novatianum mihi ingeris? Philosophum sæculi fuisse audio; nec satis miror ab Ecclesia Dei vivi degenerasse. Cognosco, radicem legis antiquæ, fontem veteris populi reliquisse, Cornelio invidentem, Novati insaniæ commodatum, sine consecratione legitima episcopum factum, ideoque nec factum per epistolam eorum qui se Confessores esse simularent, qui matris unius membra divellerent. Hæc ego tibi, frater, confessione vestrorum, litteris approbabo. Ita tuus iste philosophus, *sapientiam suam quærens statuere*, sicut Apostolus ait (*Rom.* X, 3), *sapientiæ Dei non est subjectus*; quoniam per sapientiam suam mundus non recognovit sapientiam Dei. Nam quod, ante passum Novatianum putas, et Cyprianum diuisse subjungis; *Præcessit me adversarius meus*; vide quam manifeste respondeam. Novatianus martyrium nunquam tulit, nec ex verbis beatissimi Cypriani auditum istud aut lectum est. Habes ejus epistolas quibus Cornelium Urbis episcopum, cui tunc Novatianus invidebat, inimicis principibus resistentem, sæpe confessum, sæpe vexatum refert; plurimis Confessoribus, plurimis quoque Martyribus ducem factum, et cum plurimis gloriosissime coronatum vivente tunc Novatiano etiamque securo. Nam et ideo ab ecclesia Christi recesserat, ne illum labor confessionis urgeret. Qui primum stimulatus invidia, episcopatum Cornelii non ferebat; inde se Novato, paucorum epistolis derisus addixerat. Hæc te omnia de Novatiano Cypriani litteræ perdocebunt. Porro etiam si passus est aliquid Novatianus, non tamen etiam occisus: etiam si occisus, non tamen coronatus. Quidni? Extra Ecclesiæ pacem, extra concordiam, extra eam matrem cujus portio debet esse qui martyr est. Audi Apostolum: *Et si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam; charitatem autem non habeam, nihil sum. Et si in cibos pauperum divisero omnem substantiam meam, et si tradidero corpus meum ad comburendum, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest* (I *Cor.* XIII, 2, 3). Cyprianus autem in concordia omnium, in pace communi, in Confessorum grege passus est, et sæpe confessus iteratis persecutionibus

[a] *Judice astipulante.* Observat cl. Mazochius in *Comment. ad marmor. Neapol. Kalend.* vol. III, pag. 873, hic tangi a Paciano Romanum Petri cum Simone conflictum. Porro, subdit, illud *judice astipulante* posset ad quemvis judicem qui ceriamini præfuisset, referri: nisi *apud Neronem regem* fuisse depugnatum Philastrius scripsisset, ubi de Simonis hæresi edisserit. Mox post Latinium et Mazochium l. c., Non *Helimam*, sive *Elymam* rescripsimus, ubi editi habent *Num.*

[b] *Vindicatus esset* etc. Locus hic obscurior. Tit.

[c] *Indentari.* Id est, redargui. Eodem verbo utitur Lucifer Caralitanus lib. II *pro S. Athanasio* cap. 10, ut ad eum locum animadvertimus, ubi et istum Paciani adduximus. Ita Paulinum textum reddidit vetus interpres. Videsis tom. VI nostræ Bibl. PP. pag. 195, not. i.

bus, et multa laceratione vexatus, et novissime salutari calice propinatus est. Hoc fuit coronari. Quare sibi habeat Novatianus epistolas suas; sibi tumorem, sibi superbiam, qua dum in altum levatur, elisus est; dum nemini parcit, effusus. En qui salutis viam fratribus inexorabili religione præcludat! En qui se [a] palam ferre, et aream Domini purgare confidat!

VIII. Miserere tui, Sympronianе frater, nec te Novatianus sub hac fronte decipiat; et ideo justior putetur, quia reliquos sui comparatione despexit. Sæpe fiduciam mentitur audacia; et desperatis quibusque peccatoribus, falsa bonæ conscientiæ imago blanditur. Contra vero omnis humilitas innocentia est, etiam illa debitrix, etiam illa peccatrix, etiam illa quæ animam suam cum peccatore blanditur. *Dele me*, inquit Moyses (*Exod.* XXII, 32), *de libro quem scripsisti*; ne peccatores perirent. *Optaveram*, inquit Apostolus, *anathema esse ipse ego in Christo pro fratribus meis, cognatis secundum carnem* (*Rom.* IX, 3). Utique ambo pro peccatoribus deprecantur; et propter hoc, Deum nec Moyses nec Paulus offendit. Novatianus his melior? Emendator Prophetarum? doctor Apostolorum? Jam cum Christo videtur ut idem Moyses? Jam ut Paulus in tertium cœlum sublimis evehitur? Jam neglectis omnibus solus auditur? Hæc ad litteras tuas respondisse suffecerit. Sed quia de pœnitentia non agenda, vel ante baptismum agenda latius disputasti; multisque capitulis exemplorum, tractatus ipsius paginam refersisti, respondebo ad singula ex abundanti: quæ fides verior habeat, non tacebo. Tu, ut auditui nostro largiter imperare dignatus es, benignam rursus vicem præbeto tractatui. Præstabit fortasse Dominus, ut qui nos tibi patienter obtulimus, fructum aliquem de tua etiam patientia reportemus. Dominus te in æternum custodire et protegere dignetur, et Christianum atque Catholicum vivere faciat, et concordare nobiscum. Amen.

EPISTOLA III.

Contra tractatus Novatianorum.

Pacianus episcopus Sympronianо fratri salutem.

I. Tractatus omnis Novatianorum quem ad me confertis undique propositionibus destinasti, Sympronianе frater, hoc continet: Quod post baptismum pœnitere non liceat; quod mortale peccatum Ecclesia donare non possit, immo quod ipsa pereat recipiendo peccantes. Præclarus honos, singularis auctoritas, magna constantia, rejicere nocentes, attactus peccantium fugere, innocentiæ suæ male confidere. Quis hoc vindicat, frater, Moyses, an Paulus, an Christus? At Moyses deleri e libro pro blasphematoribus optat (*Exod.* XXXII, 32): et Paulus *anathema esse pro fratribus* (*Rom.* IX, 3); et ipse Dominus pro injustis pati mavult. Nullus horum, inquies. Quis ergo? Novatianus hoc præcepit. Immaculatus aliquis et purus, qui Novatum non audierit. A qui numquam Ecclesiam deseruerit, qui ab episcopis episcopus factus sit, qui jure ordinario consecratus, qui vacantem cathedram in Ecclesia consecutus? Quid ad te? inquies; Novatianus hoc docuit. At vel quando, frater, quibusve temporibus? Statim post Domini passionem? post Decii principatum, id est, post trecentos prope annos dominicæ passionis. Quid ergo tunc? Prophetas secutus est ut Cataphryges, an [b] Philomenem aliquam, ut Apelles; an ipse tantum auctoritatis accepit? Linguis locutus est? Prophetavit? Suscitare mortuos potuit? Horum enim aliquid habere debuerat, ut evangelium novi juris induceret. Et si contra clamet Apostolus; *Licet nos, aut angelus de cœlo evangelizaverit præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit* (*Gal.* I, 8). Novatianus sic intellexit, inquies: sed Christus hoc docuit. Ergo a Christi [c] usque Decii principatum nullus intelligens? Post Decium denique omnis episcopus impatiens; omnes alii dissoluti qui se miscere perditis mallent, qui perire cum miseris, qui alieno vulnere vulnerari? Novatiano vindice, justitia liberatur; auctore, corrigitur quidquid erravit.

II. Age, inquies, certemus exemplis et ratione pugnemus. At ego huc usque securus: ipsa Ecclesiæ ferie, congregationis antiquæ pace contentus: nulla discordiæ studia didici, nulla certaminum argumenta quæsivi. Tu postquam a reliquo corpore segregatus es et a matre divisus; ut rationem facti tui redderes, totos librorum recessus assiduus scrutator inquiris: occulta quæque sollicitas: quidquid exinde securum est, inquietas. Nostri nihil ultro disputavere majores: nuda est apud nos ipsa securitas: quid attuleris de tua parte munitum? Ego nescio quid Novatianus egerit, quid Novatus admiserit, quid Evaristus tumuerit, quid Nicostratus nuntiaverit: arma vestra dum despicio, non novi; vide si cum inermi veritate confligis. Exspectemus tamen quid objicias, quid loquaris. Poteratne vel nuda veritas, innocentiave imperita subsistere? Proponis, et recte quidem, Ecclesiam esse populum ex aqua et Spiritu sancto renovatum, sine negatione nominis Christi, templum et domum Dei, *columnam et stabilimentum veritatis* (*I Tim.* III, 15), virginem sanctam castissimis sensibus, sponsam Christi *ex ossibus ejus et carne* (*Ephes.* V, 30), *non habentem maculam neque rugam* (*Ibid.*, 27), integra evangeliorum jura servantem. Quis hoc nostrum negat? Quin etiam addimus, Ecclesiam esse reginam *in veste aurata et variegata* (*Psal.* XLIV, 10). *fecundam vitem in lateribus domus Domini* (*Psal.* CXXVII, 3); Matrem *adolescentularum, quarum non est numerus Cant.* VI, 7); *Unam speciosam columbam matris suæ, atque perfectam* (*Ibid.*, 8): Ipsam omnium matrem *ædificatam in fundamentis Prophetarum et Apostolorum, et ipso angulari lapide Jesu Christo* (*Ephes.* II, 20): Domum magnam vasorum omnium diversitate locupletatam.

III. Sed hæc nostra posterius; interim tua illa vi-

[a] *Palam ferre*. Al., *paleam auferre*: minus recte, Latinio judice.

[b] *Philomenem*. Leg. *Philumenam*. Til.

[c] *A Christi*. Subaudi, *adventu*. Id.

deamus. *Ecclesia est populus ex aqua et Spiritu sancto renatus.* Age. Quis fontem Dei clausit? Quis Spiritum rapuit? Quin immo apud nos aqua viva est, ipsa quæ salit a Christo : tu, a fonte perpetuo separatus, unde generaris? Spiritus quoque sanctus a principali matre non abiit : ad te unde pervenit? nisi forte discordantem secutus es, tot sacerdotibus derelictis non consecrata sede contentus, detritum lacum adulterini fontis adamavit. Vestræ plebi unde Spiritum; quam non consignat unctus sacerdos? Unde aquam, quæ a matrice discessit? Unde innovationem, quæ cunabula pronubæ pacis amisit? *Ecclesia est populus sine negatione nominis Christi :* nulli ne apud nos confessores, quos catenæ, quos ignes, quos gladii probaverunt? Fuere, inquies, sed negatores recipiendo, perierunt. Taceo ne, hæc quidem collegio, quod libellum de negatoribus vel lapsis recipiendis Novatianus vester, cum adhuc in Ecclesia degeret, et scripsit et suasit et legit? Interim, cui persuadere poteris, quod lapsis receptis Ecclesia tota conciderit? Quod admissis pœnitentibus, admittentium populus negator effectus sit? Quod si et remissior plebs aliqua fuit, etiam cæteræ quæ non factum ejus probarint, sed consuetudinem et pacem secutæ sint, Christianum ne nomen amiserunt? Accipe Hieremiæ vocem : *In diebus illis non dicent, Patres manducaverunt uvam acerbam, et dentes filiorum stupuerunt : sed unusquisque in suo peccato morietur* (*Jerem.* xxxi, 29, 30). Nec apud Ezechielem tacet Dominus : *Quomodo anima patris, ita et anima filii, meæ sunt. Unusquisque in suo peccato morietur* (*Ezech.* xviii, 4). Item infra : *Filius non accipiet facinus patris, neque pater accipiet facinus filii : Justitia justi super eum erit* (*Ibid.*, 20). Ipse tu illud ponis exemplum : *Et si fuerint tres hi in medio, Noe, Job et Daniel, non liberabunt filios neque filias : ipsi soli salvi erunt* (*Ezech.* xiv, 16). Ecce salvi sunt ipsi qui in medio peccantium constituti sunt, qui alios liberare non possunt. Tu totum orbem paucorum vinculis alligas : tu totam Ecclesiam exiguæ portionis infirmitate condemnas. Quid apud te sancti omnes, quos Novatus erudit, quos Evaristus elegit, quos Nicostratus docuit, quos Novatianus instituit? Tu spinas et tribulos refugisti : tu non habes in tua fruge zizania : tibi jam grana purgata sunt : ad te sine ventilabro purgator ille venturus est (*Matth.* iii, 12): tu solus ex omnibus paleas non habebis?

IV. Age, dic reliqua : *Ecclesia est corpus Christi.* Corpus utique, non membrum : corpus multis in unum partibus membrisque collectum, sicut ait Apostolus : *Nam et corpus non est unum membrum, sed multa* (I *Cor.* xii, 14). Ergo Ecclesia plenum est corpus, [a] et corpus et solidum, et toto jam orbe diffusum. Sicut civitas, inquam, cujus partes in unum; non ut vos estis Novatiani, quædam insolens portiuncula tuberque collectum, et reliquo corpore separatum. *Ecclesia est templum Dei :* templum certe amplificum, *domus magna,* habens quidem *vasa aurea et argentea, sed et lignea et fictilia, quædam in honorem,* multa vero magnifica in multiplices usus variorum operum destinata (II *Tim.* ii, 20). *Ecclesia est virgo sancta, castissimis sensibus, sponsa Christi.* Virgo; verum est : sed et mater. *Sponsa;* manifestum est : sed et uxor et conjux *de viro suo sumpta :* ideoque *os de ossibus ejus, et caro de carne* (*Gen.* ii, 23). Nam de hac David dixit : *Uxor tua sicut vitis fecunda in lateribus domus tuæ : filii tui sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ* (*Psal.* cxxvii, 3). Multus igitur huic virgini partus et proles innumera, qua totus orbis impletur, qua circumfluis semper alvearibus populosum fervet examen. Magna in filios cura matris istius, et mollis affectus : honorantur boni, castigantur superbi, curantur ægroti : nullus perit, nemo despicitur : securi fetus sub indulgentia matris retinentur. *Ecclesia est non habens maculam neque rugam* (*Ephes.* v, 27) : hoc est, hæreses non habens, non Valentinos, non Cataphrygas, non Novatianos. In his sunt enim quidam sinus maculosi atque rugosi, pretiosarum vestium ornatibus invidentes. Cæterum, peccator et pœnitens, non est Ecclesiæ macula; quia [b] quamdiu peccat, et non pœnitet, extra Ecclesiam constitutus est. Ubi desinit peccare, jam sanus est. Hæreticus vero vestem Domini, Ecclesiam Christi, scindit, intercipit, vitiat, irrugat. Cum enim *schismata,* inquit, *et contentiones in vobis sint, nonne carnales estis, et secundum hominem ambulatis* (I *Cor.* iii, 3)? Sed et, *sermo eorum quasi cancer serpit* (II *Tim.* ii, 17) : hæc est macula unitatis, hæc ruga. Denique ubi super his Apostolus loquitur : de amore Christi et dilectione proponit. *Sicut Christus,* inquit, *dilexit Ecclesiam, et se ipsum tradidit pro ea* (*Ephes.* v, 25); ut hæreticos summoveret, quia diligere non noverunt. Cæterum, cur hæc misero pœnitenti? quia et amare optat et amari.

V. *Ecclesia est, integra Evangeliorum jura custodiens.* Integra utique quia tota, quia plena. Ubi præmium fidelibus datur, ubi miseris lacrymæ non negantur, ubi curantur ægroti, ubi nihil sibi vindicat insolens sanitas et superba justitia, ubi sollicita in omnibus charitas perseverat, *omnia credens, omnia sperans, omnia sustinens* (I *Cor.* xiii, 7) Unde illud Apostoli : *Quis infirmus est, et non ego infirmor. Quis scandalizatur, et ego non uror* (II *Cor.* xi, 29)? Ubi onera sua sustinet tota fraternitas communiter dolens, mutua pietate secura. Cuncti invicem sustinentes in dilectione, *satis agentes servare unitatem Spiritus in conjunctione pacis* (*Ephes.* iv, 3). Hoc erit Ecclesia, Symproniane frater; hoc erit populus ex

[a] *Et corpus et solidum.* Existimarim equidem aut delendam posteriorem conjunctionem, aut potius duabus prioribus voculis expunctis, legendum *et solidum.*

[b] *Quamdiu peccat constitutus est.* Locus videtur a Novatiano corruptus : nisi forte loquatur de peccatoribus in hæresim lapsis, ut adnotavit Bellarminus lib. iii *de Ecclesia* cap. 9, ad septimum argumentum. Brasich.

aqua et Spiritu sancto renatus in Christo. Nescio, ais, an remitti peccatum ab episcopis possit, cum dixerit Dominus : *Qui me negaverit coram hominibus, negabo eum coram Patre meo qui in cœlis est* (*Matth.* x, 33). Cur igitur Novatianus tuus, ne falso quidem adhuc episcopatu sacerdos, longe ante quam Cornelius Romæ episcopus fieret, ante quam sacerdotio illius invideret, hæc suasit? Habes Cypriani testimonium ; Cypriani quem nec vos umquam infamare potuistis. Nam quodam in loco, ad Antonianum hoc modo scripsit : [a] *Additum est etiam Novatiano tunc scribente ; et quod scripserat, sua voce recitante ; et Moyse, tunc confessore nunc jam martyre subscribente ; ut lapsis infirmis et in exitu constitutis pax daretur : quæ litteræ per totum mundum missæ sunt, et in notitiam ecclesiis omnibus pertatæ sunt.* Quid ais, Symproniane frater ? Novatianus hæc scripsit, et ut obsequium meræ voluntatis adjungeret, etiam scripta recitavit. Testis est ejus dextera, testis quæ legit, manus : testis lingua, quæ legit. Adhuc Cornelius, pro quo omnis hæc vestra erupit invidia, episcopus non erat. Longe posterius cum plurimis coepiscopis, cum plurimis confessoribus, statimque martyribus, ut idem Cyprianus scribit, assensus est senum consilio, licere dare pacem. Si pœnitentiæ negandus est aditus, Novatianus in crimine est, qui hæc scripsit, suasit et legit. Ubi tunc impatiens rigor ? ubi ferox illa censura? Si nemo vobis Cornelium prætulisset, maneret illa scribentis auctoritas. Nunc displicet tota sententia, nunc in nos tela jaciuntur, his ipsis subministrantibus quorum auctoritate convaluit causa telorum.

VI. At in hanc ipsam hæresim, Novatiani quando [b] cœperunt? Audite, quæso, et totum ordinem vestri erroris advertite. Cornelius jam Romæ episcopus a sedecim episcopis factus, locum cathedræ vacantis acceperat, et in illa qua fuit prædituς castimonia virginali, crebras persecutiones irati principis sustinebat. Tum forte quidam presbyter Novatus ex Africa, fraudatis in Carthaginiensi ecclesia viduis, spoliatis pupillis, pecunia ecclesiæ denegata, projecto extra domum patre, et eodem fame mortuo nec sepulto, uxoris gravidæ utero calce percusso partuque ejus effuso, Romam venit. Et cum apud Carthaginem, urgentibus in ecclesia fratribus, dies cognitionis ipsius immineret, et hic latitavit. Nec multo post, Novatianum istum episcopatu Cornelii anxium (nam sibi speraverat) cum aliquantis, ut in tali re solet, ex sua parte fautoribus nutantem impellit, dubitantem fovet ; ut magnum aliquid speret, hortatur. Invenit aliquos ex eorum numero qui tempestatem persecutionis illius evaserunt ; apud quos hanc ipsam de lapsis receptis, Cornelio conflaret invidiam. Dat eorum epistolas ad Novatianum. Ille ex auctoritate epistolarum, sedente jam Romæ episcopo, adversum fas sacerdotii singularis, alterius episcopi sibi nomen assumit : Cornelium lapsis communicasse arguit : se vindicat innocentem. Contra hunc mihi reddenda ratio est, contra hunc asserendus pudor, contra hunc vita purganda.

VII. Sed et vos, inquies, episcopi talia cur probatis? Dicat hoc alius : tu Novatianum defende. Inexcusabilis videatur hæc cæteris causa, tibi licet grata sit. Tibi innocens sit, quisquis est pro te nocens. Ne accusaveris alium eo crimine, quo tu non potes liberari. Age, jam totum pudorem nos episcopi debeamus, quia et apostolorum nomen accepimus, quia Christi appellatione signamur. Negantem, inquis, Dominus negat : tu, negantem nolo fatearis. Quis eum negantem confitetur ? qui ad pœnitentiam cogit, objurgat, crimen ostendit, vulnera aperit, supplicia æterna commemorat, interitu carnis emendat? Hoc castigare est, non fateri. Ait nobis Dominus : *Vos estis sal terræ* (*Matth.* v, 13). Recte ergo [c] salimus ista dicendo, nec ad nihilum valebit quisquis audierit. Vides non proculcari a nobis sententiam Domini, sed probari ; non abjici severitatem, sed voluntatem ejus aperiri. Sed pœnitenti, inquies, peccata dimittis ; cum tantum in baptismate tibi liceat relaxare peccatum. Non mihi plane, sed Deo soli, qui et in baptismate donat admissum, et pœnitentium lacrymas non repellit. Cæterum quod ego facio, id non meo jure, sed Domini : *Dei sumus adjutores*, inquit, *Dei ædificatio est* (1 *Cor.* III, 9). Et iterum : *Ego plantavi, Apollo irrigavit, sed Deus incrementum dedit : Ergo neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat ; sed qui incrementum dat, Deus* (*Ibid.* 6, 7). Quare sive baptizamus, sive ad pœnitentiam cogimus, seu veniam pœnitentibus relaxamus ; Christo id auctore tractamus. Tibi videndum est, an Christus hoc possit, an Christus hoc fecerit.

VIII. Si pœnitentibus remissio peccatorum dari potuit, ais, baptisma non fuit necessarium. Insulsissima comparatio ! Baptismus enim, sacramentum est dominicæ passionis : pœnitentium venia, meritum confitentis. Illud omnes adipisci possunt, quia gratiæ Dei donum est ; id est, gratuita donatio ; labor vero iste, paucorum est qui post casum resurgunt, qui post vulnera convalescunt, qui lacrymosis vocibus adjuvantur, qui carnis interitu reviviscunt. Frustra me posuisse asseris illud exemplum quod Deus dixerit ; *Malo pœnitentiam peccatoris quam mortem* (*Ezech.* XXXIII, 11). Quid si adjecissem illud Esaiæ : [d] *Cum conversus ingemueris, tunc salvaberis et scies ubi fueris* (*Isa.* XXX, 15, *sec.* LXX)? Quid si id Apocalypsis : *Memento unde ecciderις, et age pœ-*

[a] *Additum est*, etc. Locus exstat in epistola 52 Cypriani ad Antonianum sub initium, pag. 69. edit. Baluz. Paris.

[b] *Quando cœperunt?* Subaudiendum reor *prolabi*. Til.

[c] *Salimus*. Ita corrigit optime Latinius editorum mendum *psallimus*.

[d] *Cum conversus ingemueris*, etc. Ita quoque citat ex vetere interprete hunc Isaiæ locum XXX, 15, juxta LXX. S. Cyprianus lib. *de Lapsis* sub finem, et epist. 34, pag. 138 et 67. edit. Oxon.

nitentiam, et fac priora opera (*Apoc.* II, 5)? Hæc, inquies, gentibus dicta sunt ante baptismum. Audi Apostolum : *Scimus autem, quoniam quæcumque lex dicit, iis qui in lege sunt, dicit et loquitur* (*Rom.* III, 19). Ergo eos qui sine lege vixerunt, pœnitendi conditio non tenebit. Qui et si pœnituissent, libera id fide fecerant, non imposito per legem vinculo pœnitendi. Ergo et vel Judæi, inquies, qui ante baptismum pœnituerunt, post baptismum pœnitere non possunt. Quis hoc te docuit, frater Symproniane? Quis suasit, ut qui ante pœnituerit, postea pœnitere non debeat? Sed posterius hoc videbimus. Interim, si Judæis post baptismum præclusa est pœnitentia, quia illam ante persolverint; concede vel gentes quæ pœnitentiæ legem ante nescierint, posterius pœnitere debere. Sed et de Judæis, nolo, fallaris. Illi enim propterea prius pœnituerunt, quia vetus baptisma corruperant, et quasi post fidem fide prodita pœnitebant. Audi Apostolum : *Nolo enim ignorare vos, fratres, quia patres nostri omnes sub nube fuerunt, et omnes per mare transierunt, et omnes in Moyse baptizati sunt et in nube et in mari : et omnes eumdem cibum spiritalem ederunt, et omnes eumdem potum spiritalem biberunt. Bibebant autem de spiritali petra sequente : Petra autem erat Christus* (I *Cor.* X, 1-4). Hoc ergo baptisma violaverant, et ideo pœnitebant.

IX. Videamus deinde quid dicas : *Si Deus sæpius jubet hominem pœnitere,* inquis, *sæpius peccare permittit.* Quid ais? Ergo qui sæpius remedium criminis monstrat, crimen ostendit? Et medicus ille cum curat assidue vulnerari docet? Deus nec peccare vult hominem semel, et tamen liberat a peccato. Nec utique cum liberat, peccatum docet; sicut nec qui ab incendio liberat, incendium monstrat; nec qui naufragum eripit scopulis, in saxa compellit. Aliud est de periculo liberari, aliud ad periculum cogi. Et fortasse paterer hoc credi, si pœnitentia, deliciæ putarentur; cujus labor tantus imponitur, cui carnis interitus imperatur, cui juges lacrymæ, cui gemitus sempiterni. Volet ergo ille sanatus iterum se secari, rursus exuri? Volet peccare iterum, et iterum pœnitere, cum scriptum sit : *Noli adjicere peccatum, ne quid tibi deterius contingat* (*Joan.* V, 14)? Et adhuc : *Assidue peccanti non misereor* (*Eccli.* XII, 3). Quod si, ut ais, ad peccatum cogitur, cui pœnitentiæ medicina monstratur; quid tandem ille facturus est, cui pœnitentia ipsa præcluditur; cui desperato remedio, totum vulnus [a] operitur; cui prorsus ex integro, vitæ aditus denegatur? In baptismo, inquies, semel morimur, sicut ait Apostolus : *An nescitis quoniam quicumque baptizati estis in Christo Jesu, in morte ejus baptizati estis? Consepulti ergo estis ei per baptismum in mortem, ut sicut Christus resurrexit ex mortuis, sic et vos in novitate vitæ ambuletis* (*Rom.* VI, 3-4). Quid mirum? Docebat Apostolus quod essemus novi; ut nemo peccaret : sequebatur tamen ut qui peccaverat, pœniteret. Hic integer, ille cu- A ratus viveret : innocens coronam, pœnitens veniam subiret : ille præmium, iste medicinam acciperet. Denique idem Apostolus dicit : *Nam si cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est; multo magis justificati nunc in sanguine ejus, salvi erimus per eum ab ira* (*Rom.* V, 9-10). Ab ira utique, quæ peccantibus debebatur. Quod si gentilem populum non passus est mori; multo magis redemptum non patietur exstingui. Nec abjiciet, quos magno redemit; nec enim levis illi est jactura famulorum. Non morietur quidem amplius qui resurgit, ut scriptum est (*Rom.* XIV, 4). Sed ipse est advocatus apud Patrem; sed ipse interpellat pro peccatis nostris, haud despicabilis miserorum patronus, parumve idoneus deprecator.

X. Responde, frater, an famulos Dei diabolus B possit opprimere, an non possit Christus absolvere? Petri pœnitentiam dicis ante Domini passionem fuisse? Hoc tibi nemo proposuit. Et tamen Petrus jam baptizatus erat : huic enim dixerat Dominus : *Qui lotus est semel, non necesse habet iterum lavari* (*Joan.* XIII, 10). Accepit tamen postea remedium Christi, sed ante pœnituit; et ante sanctus est habitus, quam ad remedium perveniret. Nec pœnitentia ejus in memoriam scriberetur, ni profuisset aliquid pœnitenti. *Flevit,* inquit, *amarissime* (*Matth.* XXVI, 75). Non vis facere fidelem, quod Petrus fecit? non vis prodesse nobis, quod Petro profuit? Age, Thomas meus nonne post Domini resurrectionem de resurrectione dubitavit? Nonne perfidiæ reus C notatur a Domino, cum illi clavorum notæ, cum perfossæ manus, cum lateris vulnus ostenditur, cum sic ad eum ait Dominus : *Noli esse incredulus, sed fidelis* (*Joan.* XX, 27)? Quid ergo? erubuit pœnitere? nonne humiliatus est? nonne Deum et Dominum suum illico confitetur? numquid non illum exomologesis ista commendat?

XI. Jam quam argute caput illud absolvis, quod ego posui; datam episcopis potestatem, ut quæ ligassent in terra, ligata essent et in cœlis. Dicis, hoc non ad fideles, sed ad catechumenos pertinere; ut baptizandis adhuc scilicet populis, solvi liceret crimina, vel teneri. Duorum denique Evangelistarum capitula conjungis, ut unum esse videantur; et adjicis, quod Matthæus minus integre prosecutus sit, D complesse Joannem : ut quia apud Matthæum dixerat Dominus; *Ite et docete omnes gentes, baptizantes eas in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti* (*Matth.* XXVIII, 19); apud Joannem impleverit dicens : *Si cujus dimiseritis peccata, dimittentur illi; cujus retinueritis, et tenebuntur* (*Joan.* XX, 23) : ut hoc dimittere vel ligare ad gentes quæ baptizandæ erant, pertinuisse videatur, quia prior Evangelista de gentibus prælocutus sit; de solvendo autem et ligando posterior impleverit. Quid ais? Evangelistæ duo dimidiatos invicem sensus, et semi integros retulerunt? Verba his invicem, ratione defuerat; aut non

[a] *Operitur.* Ex Latinii conjectura sic rescripsimus, ubi editi exhibent *aperitur*, repugnante contextu.

in omnibus totum Spiritus sanctus implebat, propositos perferens sensus, et ad plenum dicta definiens? Hominis confirmatum testamentum nemo superordinat : Dei tabulam, tabula diversa mutabit? Quænam in vobis hæc vincendi cupido est, ut tale aliquid audeatis? Quid quod apud Matthæum ipsum ante passionem suam dixerat Dominus : *Quæcumque ligaveritis in terra, erunt ligata et in cælo et quæcumque solveritis in terra, erunt soluta et in cælo* (*Matth.* XVI, 19)? Apud Matthæum hoc prædixerat Dominus, et nullam ibi gentium fecerat mentionem : cur ergo illi capitulum Joannis adjungis, ubi suum posuit, et ita posuit ut a gentibus separaret? quod utique si ad gentes pertinere voluisset, potuit ipse conjungere quod ipse ponebat. Totum ergo quod quæris, apud Matthæum habes. Cur non universa legisti, qui episcopum doces? Primum præcepti istius caput repete. Ipso referente Matthæo, paulo superius ad Petrum locutus est Dominus; ad unum, ideo ut unitatem fundaret ex uno; mox id ipsum in commune præcipiens, [a] qualiter tamen ad Petrum incipit : *Et ego tibi dico*, inquit, *quia tu es Petrus, et super istam petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ infernorum non convalescent adversus eam. Et tibi dabo claves regni cælorum : et quæcumque ligaveris super terram, ligata erunt et in cælis; et quæcumque solveris super terram, erunt soluta et in cælis* (*Ibid.* 18, 19). Dic frater; de solis gentibus hoc locutus est : *Super hanc petram ædificabo*, inquit, *Ecclesiam meam?* Ecclesiam, non baptizatas gentes vocat? homo necdum renatus, corpus est Christi? Quid solvo gentibus, quod non est ligatum? Nam si non reputatum est, nec ligatum. Quid alligo, quod nullo jure constringo? Gentilis homo, liber est Legi. Vide nunc e contrario, an in baptizatum utraque conveniant. Solvitur venia, quia peccato tenebatur; ligatur anathemate, quia solutus fuerat fide et per gratiam liberatus. Quod si ad gentes hanc solvendi licentiam vel ligandi spectasse concedam; multo magis ad baptizatos pertinuisse convincam. Nam si is solvi potuit vel ligari, qui non habuit vinculum; quanto magis ille quem fidei jura tenuerunt?

XII. Ais posuisse Matthæum : *Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum solus cum solo* (*Matth.* XVIII, 15); ac statim subjunxisse Dominum : *Quæcumque solveris in terra, soluta erunt et in cælis*; ut ad fratris offensam pertinere videatur. Age, non vides quod supra dicit : *Si in te peccaverit frater tuus* : hoc vero addit : *Amen dico vobis. Quæcumque solveritis in terra*, etc. Illud uni jussit, hoc pluribus relaxavit : illud ipse solvit in quem admittitur; hoc vero, Ecclesia : illud, sine sacerdote, sine fratribus; hoc ab omnibus impetratur. *Quæcumque solveritis*, inquit; omnino nihil excipit. *Quæcumque*, inquit : vel magna, vel modica. Attende quod ad Petrum dicat inferius id quod peccatur in hominem, septuagies et septies relaxandum; ut ostendat, alias vel semel posse. Tamen qui in Petrum peccat, Dominum lædit : A sicut ad Samuel ipse significat : *Non te nullius momenti fecerunt, sed me* (I *Reg.* VIII, 7). Conceditur ergo vel semel Ecclesiæ, quod nobis ipsis totiens imperatur.

XIII. Nunc ad erraticam ovem, drachmam illam, et adolescentiorem filium revertamur : quæ ego exempla cum strictim scripto priore tetigissem, tu plena repetisti, edocens et ostendens drachmam et ovem et filium minorem ad publicanos et peccatores; hoc est, humilem populum, non ad Christianæ plebis imaginem, nec ad formam fidelium pertinere. Gratulor me doceri; intellectum vero non esse, moleste fero. Nam quid asseram? *Ea quæcumque lex dicat, his qui sub lege sunt, dicere* (*Rom.* III, 19); utique et hoc principaliter ad priores dictum esse consentio, sed in forma fidelium, sed in imagine B futurorum, sicut Apostolus dicit : *Hæc autem in figura contingebant illis : scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quos, fines sæculorum devenerunt.* (I *Cor.* X, 11). Et iterum : *Quæ omnia illis umbræ erant futurorum bonorum* (*Hebr.* X, 1). Certe ipse adnuis, ad publicanos et peccatores, hoc est, humilem populum, et ideo juniorem, illa dictata. Dic ergo : an populus Christianus ipse est junior? an in radicem cohæserit? an [b] illa membra compegerit? *ædificatus*, ut scriptum est, *in fundamentis apostolorum et prophetarum, et ipso angulari lapide Christo Jesu* (*Ephes.* II, 20). *An Judæorum Deus tantum? Nonne et gentium? Immo et gentium. Siquidem unus Deus, qui justificat impium ex fide, et per fidem* (*Rom.* III, 29, 30). Certe ille humilis populus, quem C Deus, drachmæ, filio minori et oviculæ conferebat, Ecclesia fuit : unde omnis turba credentium, unde populus Christianus. Huic corpori nostra etiam membra conjuncta sunt, et totæ credentium portiones, ut in bonam olivam ex oleastro gentium convenirent, sicut Apostolus dicit : *Participes pinguedinis ejus effectæ* (*Rom.* XI, 17)? atque ita *unum omnes essemus in Christo, Judæus et Græcus, servus et liber* (*Gal.* III, 28). Si ergo cum illis humilibus unum corpus sumus, dicta sunt et ad nos quæ veterum humiles audierunt : atque ita omni corpori nuntiatum est, quidquid de corporis parte prædicatum est.

XIV. Dicam planius : ille posterior populus, ille pauper, ille mediocris, imago Ecclesiæ fuit, anima humilis et modesta, anima liberata per Christum. D Hanc venit Dominus salvam facere, hanc apud inferos non reliquit : hæc est ovis illa quæ humeris reportatur : id est, nisu et vigore patientiæ. Hæc est drachma, quæ quæritur : et vicinis, inventa monstratur. Vides formam ejus similitudini pœnitentium convenire? Vides misericordiam usque ad hoc tempus extendi? Vides quæcumque Ecclesiæ nascenti dicta sunt, ad plenitudinem Ecclesiæ pertinere? Inde ibi Dominus adjecit : *Sic erit gaudium in cælo super unum peccatorem pœnitentiam agentem, quam super nonaginta novem justos, quibus non fuit opus pœnitentia* (*Luc.* XV, 7). Nam si omnia illa ad

[a] *Qualiter*. Forte legendum cum Latinio, *æqualiter*, et sic distinguendum : *in commune præcipiens æqualiter, tamen*, etc.

[b] *Illa membra*. Legit Latinius, *an* IN *illa membra*.

commonendos nos scripta sunt; cui tandem populus ille peccator humilis comparabitur, nisi populo pœnitenti? Ac si figuris in ordinem recurrentibus, nonaginta novem sanæ, omnis Ecclesia est; una vero erratica, delinquentium portiuncula est : ac drachma quæ periit, miser ille peccator est : rediens post mala sua filius, redempto illi similis æstimatur. Jam recte a me positum vides, cum de pœnitentium curatione tractarem, dixisse Dominum : *Non est opus sanis medico, sed male habentibus* (*Matth.* IX, 12). Recte et illud : *Beati lugentes, quoniam ipsi consolabuntur* (*Matth.* V, 5). Quidquid de publicanis et peccatoribus dictum est, ad ægros omnes et omnes miseros pertinebit.

XV. De solis, ais scriptum esse martyribus : *Beati lugentes.* Nemo ergo præter illos, peccata sua plangit? Non David clamat : *Lavabo per singulas noctes lectum meum* (*Psal.* VI, 7). Et iterum : *Quoniam cinerem, sicut panem edi; et potum meum cum fletu miscebam* (*Psal.* CI, 10). Non Jacob dicit : *Anni vitæ meæ durissimi* (*Psal.* XLVII, 9). Non Apostolus ad Timotheum : *Desiderans te videre, memor lacrymarum tuarum* (II *Tim.* I, 4)? Nec tamen hoc de martyre loquebatur. Quid nunc? Miseri pœnitentes siccos habent oculos? Et qui peccasse se dolent, flere non norunt? Ipsi communicantes, ipsi fideles, lacrymas non habemus? Quempiam nostrum, gaudente mundo, gaudere delectat? Vos Novatiani, *jam satiati estis, divites facti estis, sine nobis regnare cœpistis* (I *Cor.* IV, 8). Non ergo [a] quisque miserabilis est, ita incipit esse miserandus. Post hæc proponis, et dicis scriptum esse per Dominum : *Omne peccatum et blasphemia remittetur hominibus; Qui autem in Spiritum sanctum peccaverit, non dimittetur ei neque hic, neque in futuro* (*Matth.* XII, 31, 32). Aut ego fallor, aut istud exemplum contra te valet. Nam si omne peccatum et blasphemia relaxabitur, vides veniam pœnitentibus non negari. Ergo omne peccatum, ergo ipsa quoque blasphemia. Habes additum secundum Lucam : *Et in filium hominis peccaverit remittetur ei* (*Luc.* XII, 10). Quid hoc amplius de misericordia Dei, de clementia judicantis? An non invidet oculus tuus, quia bonus est paterfamilias (*Matth.* XX, 15)? Non licet illi facere, quod vult? Quin immo, *tu quis es qui judicas servum? Domino suo stat, aut cadit : Potens est autem Deus statuere illum* (*Rom.* XIV, 4). *Sed qui in Spiritu sancto blasphemaverit*, ais, *non remittetur ei* (*Matth.* XII, 32). Soles, totas percurrere lectiones : cur hic non legisti, quid sit istud, *In Spiritu?* Habes supra scriptum, cum Dominus dæmonia verbo fugaret, et virtutes multas speciali vigore compleret, dixisse Pharisæos : *Hic non expellit dæmonia nisi in Beelzebub principe dæmoniorum* (*Ibid.*, 24) : hoc est, in Spiritum sanctum deliquisse, in ea blasphemasse quæ per sanctum Spiritum gerebantur. In cæteris quippe peccatis, aut errore labimur, aut metu frangimur, aut carnis infirmitate superamur. Hæc cæcitas est non videre quod videas, et sancti Spiritus opera diabolo deputare, eamque gloriam Domini qua diabolus ipse superatur, diaboli appellare virtutem. [b] Hoc est ergo quod non dimittetur : reliqua bonis pœnitentibus, frater Symproniane, donantur.

XVI. Posthæc, de sarmentis et vite proponis sic : Ait Dominus apud Joannem : *Ego sum vitis vera, et Pater meus agricultor est. Omne sarmentum in me quod non affert fructum, tollet illud; et omne fructiferum, purgabit illud* (*Joan.* XV, 1). Vides igitur in sarmentis fructum requiri, id est bona opera pœnitentiæ, sicut Joannes ait : *Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ* (*Matth.* III, 8). Vides sarmenta purgari, quæ sunt detrimenta carnis, damna lætitiæ, damna patrimonii, vitæ labores; qui actus proprie pœnitentium sunt. Vides etiam agriculturam Domini, qui ipsa etiam sarmenta non perdat, sed purget et colligat, aliqua plane in ignem, aliqua novellandis pastinandisque vineis. Eli sacerdos, ais, loquitur et dicit : *Si vir in virum peccaverit, orabunt pro eo; si autem in Deum peccaverit quis orabit pro eo* (I *Reg.* II, 25)? Joannes itidem : *Si quis scit peccare fratrem suum peccatum non utique ad mortem, postulabit pro eo, et dabit illi vitam Deus. Est autem peccatum quod ad mortem ducit, non pro illo dico ut depreceris* (I *Joan.* V, 16). Vides hoc totum ad peccata manentia pertinere, non ad eos qui aliquando peccaverint, et cœperint pœnitere, ante quam quisquam pro illis roget. Longum est, ut exempla replicemus. Attende universa peccata quibus Dominus comminatur : jam videbis esse præsentia. Quod si non prioderit justo in tempore iniquitatis suæ præterita justitia; non oberit impio in tempore justitiæ suæ iniquitas derelicta (*Ezech.* XVIII, 24), cum scriptum sit : *Relinquat impius vias suas, et vir facinorosus cogitationes suas; et convertatur ad Deum et misericordiam consequetur* (*Isa.* LV, 7). Quod si Deus etiam peccata præterita punivit, [c] deque transactis et prætermissis pœnam supplicinmque constituit; age, non habet in sua potestate mutare sententiam? Non Rahab, non Nabuchodonosor regem, non Gabaonitas, non Ninivitas, non Segor a prædicto interitu liberavit? Non per ipsum, Joel vates hæc intulit : *Convertimini ad Dominum Deum vestrum, simulque jejunio, et fletu, et planctu; quia misericors est, patiens, et longanimus, et multæ miserationis, et pœnitens in malitiis. Et quis scit si reversus pœnitebitur, et relinquet post se benedictionem* (*Joel.* II, 12-14)? Quare sicubi constitutam peccantibus pœnam probaveris, hoc tenebis, aut peccatis perseverantibus constitutam, aut libertatem Deo relictam mutandæ, si pœniteas, ad meliora sententiæ.

[a] *Quisque.* Leg. *ut quisque.*

[b] *Hoc est ergo*, etc. Rite intellige verba S. Paciani : reliqua peccata dimitti bonis pœnitentibus, non autem blasphemiam in Spiritum sanctum : quia ordinarie et ut plurimum peccatum ejusmodi non curatur per veram pœnitentiam : justo judicio, deserente Deo ac in reprobum sensum tradente eos qui ita peccant. Vid. Bellarminum lib. II *de Pœnit.* cap. 16. BRASICH.

[c] *Deque trans.* Sic optime restituit Latinius pravam editorum lectionem, *de quo trans.*

XVII. Ais adhuc, scriptum : *Quod si manus tua vel pes tuus scandalizaverit te, abjice eum abs te* (*Matth.* v, 29). Quid sit hoc, Moyses, Deuteronomio testificante, prædixit : *Si autem precatus fuerit te frater tuus* (hi sunt enim oculi et manus nostræ) *aut filia tua, aut uxor tua quæ est in sinu tuo, aut æqualis animæ tuæ, dicens : Eamus et serviamus diis quos non noveras* (*Deut.* XIII, 6). Deinde adjecit inferius : *Deferes eum, et manus tua erit super ipsum ad occidendum eum.* Vides ergo, non de pœnitentibus dictum, sed de his qui non solum ipsi in facinore perseverant, verum etiam nos scandalizare non desinunt. Hi quamlibet chari sint, relinquendi : quamlibet utiles deserendi sunt. Proponis adhuc dixisse apostolum Paulum : *Auferte malum ex vobis ipsis* (I *Cor.* v, 13) : malum utique, perseverans. Cæterum, pœnitentia malum non est, cum David dicat : *Bonum est exomologesim facere Deo* (*Psal.* CXI, 2). Nec tamen mecum est ille quem pœnitet, nec parte sanctorum, nec pace conjungitur. Sed dicit Apostolus : *Si quis frater nominatur, et sit aut fornicator, aut simulacris serviens, aut avarus, aut maledicus, aut ebrius, aut rapax, cum ejusmodi nec cibum sumere* (I *Cor.* v, 11). Vides non sine causa esse positum, *et sit*, id est, qui necdum pœniteat, qui necdum improbus esse desierit. Et certe de avaris, et ebriosis, et maledicis, simul dictum est. Responde, frater, an nullus ejusmodi, vestra pace teneatur. Ergo inde est, et quod per Esaiam Deus clamat : *Simul iniqui et peccatores peribunt* (*Isa.* I, 28) ; non pœnitentes, non misericordiæ opera procurantes, quibus apud eumdem rursus Esaiam Deus dicit : *Et si fuerint peccata vestra ut phœnicium, ut nivem dealbabo : et si ut coccum, ut lanam candidam ea efficiam* (*Ibid.* 18).

XVIII. Attamen, ut ais, Apostolus condemnavit errantem. Nam ad Corinthios prima ita dicit : *Ipse ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, jam judicavi eum qui talè facinus admisit : in nomine Domini nostri Jesu Christi, congregatis vobis omnibus in virtute Dei, tradere ejusmodi satanæ, in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini* (I *Cor.* V, 3-5). Nota, frater, primum, quod non damnat eos cum quibus iste communicat : solus ipse qui tale facinus admiserat, satanæ traditur, solus excluditur, salva pace sanctorum. Vos, omnes ecclesias pro uno peccatore damnatis? Deinde vides, quod hic ipse peccator incestus, non morti traditur, sed satanæ, ad emendandum, ad colaphizandum, ad pœnitendum. Denique ait, *Ad interitum carnis*, non tamen animæ, non etiam spiritus : sed ad solius carnis interitum, tentationes scilicet, carnis angustias, detrimenta membrorum, sicut alibi de intemperantibus dicit : *Tribulationem autem carnis patientur ejusmodi* (I *Cor.* VII, 28). Vis hoc scire? in secunda Corinthiorum, hunc ipsum impium idem Paulus absolvit. Nam de ipso ait : *Sufficit illi qui ejusmodi est, objurgatio ea quæ fit a pluribus ; ut e contrario magis donetis et consolemini, ne forte majore tristitia absorbeatur, qui ejusmodi est : Propter quod obsecro vos, ut constituatis in eum charitatem* (II *Cor.* II, 6-8). Item infra : *Si cui autem aliquid donastis, et ego : nam et ego quod donavi, propter vos in persona Christi, ut non possideatur a satana* (*Ibid.* 10). Vides Apostoli indulgentiam, proprias etiam sententias temperantem? Vides mitissimam lenitatem longe a vestro supercilio separatam? longe a Novatiani fronte dissimilem, communi vero vitæ ac saluti omnium consulentem?

XIX. At etiam in nos severus censor inveheris. Dicis, ex lege cœlesti unum ex mandatis solvere non licere, nec communicare lupis agnos, et quod omnis consensus in crimine sit ; et ideo *qui picem tetigerit, inquinetur* (*Eccli.* XIII, 1) ; *nec sit ulla societas luci ad tenebras, aut templo Dei cum idolis, aut conventio Christi ad Belial* (II *Cor.* VI, 14, 15). Ideoque David dicit : *Furem videbas, et currebas cum eo, et cum adulteris portionem tuam ponebas* (*Psal.* XLIX, 18). Ais tandem, quia nos Domini mandata rescindimus. Nos [a], unum apicem Legis inflectimus ; an potius Novatiani, qui tota Ecclesiæ, tota concordiæ jura violarunt, qui post tot pacis annos, tot fœdera sanctitatis, novas sibi leges, nova instituta, novos ritus pepererunt, arcanum justitiæ inexorabili fronte simulantes? Nos in Ecclesiam lupos recepimus, qui hæreticorum ora vitamus ; an potius Novatiani, qui cum ipsi sint rapaces lupi, paulo miseriores oviculas reformidant? Nos consentimus malis, nos picem tangimus, nos tenebris cohæremus, nos idolo et Belial jungimur ; an illi qui Evaristum, qui Nicostratum receperunt, cæterosque ab Ecclesia recedentes, lingua, manu, moribus inquinatos? Nos cum adulteris et furibus convenimus ; an illi qui Novatum, vitæ suæ et capiti prætulerunt ; post interceptam pecuniam pupillorum atque viduarum ; miseri parentis et partus uxoris parricidam, non modo non pœnitentem, verum etiam gloriantem? Verum Paulus Apostolus dixit : *Manus cito nemini imponas* (I *Tim.* V, 21). Docet idem ; vel tarde, vel post pœnitentiam non negandas.

XX. Sed perdita Hiericho, Achar filius [b] Charmi propter furtum vestis occisus est. Age ; vos, totos fures interficite pecuniarum nostrarum atque librorum ; et in Novati ossa sævite. Jugum illud rursus accipite, *quod neque nos, neque patres nostri portare potuerunt* (*Act.* XV, 10). Quid cessatis, Novatiani, *oculum pro oculo, dentem pro dente* (*Deut.* XIX, 21) deposcere, animam postulare, Circumcisionis et

[a] *Nos .... an potius Novatiani.* Latinio ductore hunc locum ita restituimus, quem luxatum mendisque obsitum sic exhibent editi : *Nos, unum apicem Legis inflectimus? Novatiani, quia tota Ecclesiæ, tota concordiæ ; an potius jura violarunt ; qui post tot pacis annos, tot fœdera sanctitatis, novas tibi leges*, etc. Restitutionem suadent quæ sequuntur.

[b] *Achar filius Charmi.* Editi male, *Achar filius Carini.* Locum restituimus ex lectione Luciferi Calaritani lib. *de non parc. in Deum delinq.* cap. 3. Adi sis tom. VI nostræ Bibl. PP. pag. 221, not. 3, ubi *Achar* veram esse hujus nominis pronuntiationem, ex Cotelerio demonstratum.

Sabbati redintegrare commercium? Necate fures, lapidate petulantes. Nolite in Evangelio legere quod pepercerit Dominus etiam adulteræ confitenti (*Joan.* VIII, 11), quam nemo damnarat: quod peccatricem quæ lacrymis pedes ejus lavabat, absolverit: quod Rahab apud ipsam Hiericho urbem Phœnicum liberavit: quod Thamarem a sententia patriarchæ absolverit: quod, Sodomis quoque pereuntibus, Loti filias non exstinxerit; liberaturus et generos, si futurum excidium credidissent. Age; non tenes dicere apud David Dominum: *Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus* (*Psal.* CXIX, 7)? Salomonis quoque sententiam non tacere; *frater fratrem adjuvans, exaltabitur* (*Prov.* XVIII, 9)? Quid Apostolus? *Fratres, et si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto; vos qui spirituales estis, instruite hujusmodi in spiritu mansuetudinis, considerantes vosmetipsos ne tentemini. Invicem onera vestra portate, et sic adimplebitis legem Christi* (*Gal.* VI, 1, 2). Et illud quod ante jam retuli: *Opto enim anathema esse in Christo pro fratribus meis cognatis secundum carnem* (*Rom.* IX, 3). Et iterum: *Omnibus omnia factus sum, ut omnes lucrifacerem* (I *Cor.* IX, 22): hoc est, cum vulneratis, gemitus; cum ægrotantibus, laborem; mortem cum moriente partiri, casum fratrum cum statu suo posse miscere, aliquid de sua sanitate decidere, et deficientibus adhibere medicinam.

XXI. Quid vobis prodest superba et aspera fronte durari, altis regere cervicibus, vultus torquere a miseris, auditus oculosque præcludere? Numquam (vos oro) cecidistis? Nulla in vestris mentibus macula est? Nulla in oculis (oro) festuca? *Quis gloriabitur castum se habere cor, aut mundum se esse a peccatis* (*Prov.* XX, 9, *sec.* LXX)? Credo [a]; vos justi, benevoli, temperantes, quibus membra omnia sana sunt, quibus omne corpus intactum, quibus medicus necessarius non est, nec medicina languorum. Intrate jam cœlum; paradisi aditus, romphæa cedente, penetrate; tot nostrorum populis, Deum unicum confitentibus, dona vestra præcludite. Quæ si se longe aliter habent quam implacabilis immanitas [b] rigor rerum, et immanitas vestra mentitur; jam intelligitis Novatiani, Deum posse misereri; jam miseris fratribus de præterito confitentibus, vel seram patere medicinam; jam vulneratum illum a Levita et sacerdote præteritum, per Christum posse curari: jam Ecclesiæ preces humilibus non negandas; jam manus sacerdotum miserandis fratribus exhibendas. Nos autem intelligimus, ut exprobras, Ecclesiam Dei, columbam non felle amaram, non unguium laceratione violentam, parvulis [c] quoque plumis exiguisque. Scimus etiam puteum aquæ vivæ fontemque signatum, nulla hæretici gurgitis labe sordere, hortumque conclusum plenum oleribus magnis pariter et parvulis, vilibus atque pretiosis. Octo quoque animas ex arca, sed inter quas et Cham fuerit: et millia illa volucrum atque ferarum bina atque septena, munda pariter et immunda: fontes vero siccos, et nebulas turbinibus excitatas, hæreticorum sterilitatem et insanarum vocum impetus arbitramur. Nec promittimus libertatem, cum ipsi servi simus pœnæ; sed crimina nostra confessi, reliquos etiam ut fateantur hortamur, credantque in eum *qui justificat impium ex fide* (*Rom.* III, 26), *qui reflectit sententiam, adversus malitiam irrogatam* (*Joel.* II, 13, *sec.* LXX). Attendimus quoque a falsis prophetis et lupis rapacibus, cum cavemus a vobis (*Matth.* VII, 15). Jannem vero et Mambrem sic restitisse Moysi, sicut vos catholicis, arbitramur. Inde sic ponit Apostolus: *Quia sicut Jannes et Mambres restiterunt Moysi, ita et hi resistunt veritati: homines mente corrupti et a Deo reprobi; sed ultra non proficient: insipientia enim eorum manifesta erit omnibus, sicut illorum fuit* (II *Tim.* III, 8, 9). Quod in vos dictum esse manifestum est, qui neque proficere amplius, neque insipientiam vestram celare potuistis.

XXII. *Qui baptizatur a mortuo, nihil proficit* (*Eccli.* XXXIV, 30); utique qui hæretico fonte dilutus, sic et qui peccatoris oleo ungitur, id est, qui spiritu satiatur immundo. Ergo et filii sanguinum vos eritis. Non enim pacem fratrum, sed sanguinem concupiscitis. Fides falsa, est vestra credulitas. Adultera mulier, hæretica congregatio est: Catholica enim, ab initio, de viri sui thoro et thalamo non recessit, nec alienos amatores aut extraneos concupivit. Vos exsulem formam novo colore pinxistis; vos thorum vestrum a conjugio separastis antiquo; vos a matris unicubæ corpore recessitis, novo placendi genere, novis corruptelarum illecebris expoliti. Nam quod Cyprianum beatissimum mihi pro contrario teste proponis, quia in Epistola quæ *de Lapsis* est, Moysen [d] et Danielem et Job orasse pro peccatoribus dicat, nec impetrasse, dicente Domino: *Et si tres in medio eorum fuerint Noe, Job et Daniel, non liberabunt filios neque filias, sed ipsi soli salvi erunt* (*Ezech.* XIV, 20). Utinam, utinam Cypriano teste nitaris, utinam tam salubribus sententiis acquiescas. Ille enim, cum lapsos ad pœnitentiam cogeret qui pœnitere nolebant, dicentes a confessoribus sive martyribus accepisse se pacem, docuit et ostendit, quod nec patriarchæ illi pro non pœnitentibus impetrarent. Etenim quis liberare possit invitum? quis pro superbis humiliari? quis pro non pœnitentibus impetrare? Quod utique cum diceret, ad pœnitentiæ cogebat remedia. Nec contra se

[a] *Credo .... languorum.* Forte legendum interpungendumque: *Credo .... languorum?*

[b] *Rigor rerum.* Posteriorem vocem expungit Latinius. Quid porro, si *vestrum* gignendi casu scripserit Pacianus? Vox autem *immanitas* quæ sequitur, a Tilio suppleta reponitur. Ib.

[c] *Parvulis quoque plumis exiguisque. Candentem* supplet Tilius. Mox vero post Latinium rescripsimus *puteum aq. v.* ubi editi habent *ut eum.*

[d] *Moysen.* Aut Pacianus memoria lapsus, aut potius librarius aliud agens erravit. Rescribendum enim videtur *Noe* pro *Moysen*, ad textum Ezechielis subjectum. Neque aliter sane S. Cyprianus *de Lapsis* pag. 150 edit. Oxon, quo respicit S. Pater. Quæ quidem emendatio ex iis confirmatur, quæ habentur infra cap. 24.

locutus est aliquid vir illius gravitatis et meriti, sed fundendas a peccatoribus preces docuit, et exomologesim diligendam. Ipsa tamen Cypriani exempla te permovent, quibus et Moysen et cæteros sanctos non impetrasse commemorat, qui pro peccatoribus postulabant.

XXIII. Ain? Non vides Moysen pro quibus non impetraverit? Reversus ad populum, quid audit in castris? Voces ebriorum et cantus idolothyti personabant. Adhuc perseverabat in nequitia populus, adhuc in ipso crimine permanebat, ac pœnitere non noverat. Attamen quis tibi nostrum dixit, quod Moyses non impetraverit? Dixerat quidem illi Deus; *Deliquit ante me, delebo eum de libro* (*Exod.* XXXII, 33). Dixerat tamen auctoritate judicis et Domini potestate; sed vide quam cito reflexerit sententiam, adversus populi malitiam irrogatam. Ausculta. Propheta statim, ibidem: *Et precatus est*, inquit, *Moyses in conspectu Domini Dei sui; Quare, Domine, irasceris ita in populum tuum?* et reliqua (*Ibid.* 21). Item infra: *Et propitius factus est Dominus de malignitate quam dixerat facere populo suo* (*Ibid.* 14). Vides lenitam esse iram Dei? Vides offensam esse placatam? Et pro populo non rogavit, [a] nec quod fecerat pœnitenti.

XXIV. Sed Noe, inquis, et Daniel, et Job, filios et filias liberare non potuerunt. Et hoc tale est: si pro non rogantibus petant; si pro perseveranti in crimine deprecentur; si non singulos, si non paucos, sed millia multa defendant. Cæterum Noe domum suam a ruina publica liberavit; et Job recepit cuncta quæ perdidit; et Daniel instantem illum sapientibus Babyloniæ gladium oratione decussit. Lot certe pro salute oppidi, Paulus pro vectoribus navis orat. Sic absolvuntur a justis, qui pœnitere noverunt. Postremo vel illud aspicio quod scriptum ait: *Ipsi soli salvi erunt* (*Ezech.* XIV, 20). Qui illi? Ipsi utique qui pro peccatoribus deprecantur, impune pro talibus postulabunt. Et cur Ecclesiam damnas? cur pro pœnitentibus prohibes deprecari; si etiam pro his petere licet, quo quibus non licet impetrare? Lege igitur diligentius Cyprianum meum: lege totam *de Lapsis* epistolam: lege aliam quam ad Antonianum dedit; ubi exemplis omnibus Novatianus urgetur: jam scies quid de pœnitentium curatione pronuntiet. Cyprianum loquor, vestra oppugnantem et catholica jura retinentem. Tertullianum post hæresim (nam multa inde sumpsistis) ipsum epistola sua, et ea ipsa quam catholicus edidit, audies confitentem, posse Ecclesiam peccata dimittere.

XXV. Vides ergo Ecclesiam esse reginam *in veste aurata et variegata* (*Psal.* XLIV, 10); multorum utique corporum, multorumque populorum varietate compositam. Non est coloris unius ista pictura, nec in uno habitu emicat tanta diversitas. Pars illa indumenti tegit, ista componit. Nonnulla pectori adhæret, aliqua ultimo sinu trahitur, et inter vestigia ipsa sordescit. Quædam, purpuræ martyrum comparatur; aliqua, serico virginali; nonnulla, sinu plicante, subsuitur, aut acu inserente reparatur. *Alius enim sic, alius autem sic* (I *Cor.* VII, 7); et tamen una, in omnibus, regina componitur. Ergo eadem fecunda vitis et locuples, plures habens ramos, multo palmitum crine distentior; nihil ne ex istis hiberno frigore laboravit? nihil asperas grandines pertulit? nihil torridas incusavit æstates? Asperior est hæc gemma palmitibus, ista fortior, illa sincerior; hæc se diffundit in fructus, hæc in solas exuberat frondes. Vitis tamen ubique formosa. Mater hæc *adolescentularum, quarum non est numerus* (*Cant.* VI, 7). Calculare denique si potes catholicos greges, et duc in digitos nostræ plebis examina. Nec illa modo quæ toto orbe diffusa sunt cunctis plena regionibus; sed hæc, frater Symproniane, quæ tecum in proximis finibus et vicina urbe consistunt. Contemplare, quot nostros unus aspicias, quot meorum populis solus occurras. Nonne ut stillicidia, fontibus magnis? nonne, ut ab oceano quædam gutta, sorberis? Dic, dic an istæ adolescentulæ ex vestra plebe generentur, an tu solus [b] has parias. Nostra est, inquam, ista regina *electa matri suæ atque perfecta* (*Ibid.*, 8). Nihil quippe electum, nisi melius et majus ex alio; nihil perfectum potest esse, nisi plenum.

XXVI. Jam et illud attendite, an hæc potissimum ædificata sit: *In fundamentis prophetarum et apostolorum ex ipso angulari lapide Jesu Christo* (*Ephes.* II, 20). Si ante te cœpit, si ante te credidit, si a fundamentis prioribus non recessit, si non illa migravit, si non a reliquo corpore separata suos sibi magistros et propria instrumenta constituit, si quid insolitum argumentata est, si quid novi juris invenit, si corpori suo repudium pacis indixit: plane tunc a Christo recessisse videatur, tunc extra prophetas et apostolos constitisse. Hæc igitur erit domus magna, locuples omnium diversitate vasorum, in qua purum refulget *aurum*, in qua ductile lucet *argentum*; verum, quæ *etiam lignea* sicut scriptum est (II *Tim.* II, 20), *et fictilia vasa* dignatur. Magna enim domus multos movet usus, opera diversa sollicitat. Non solum quærit argentum, nec aureo tantum delectatur ornatu. Subinde plus decet magna, contemptus; et inter nobiles ambitus, exigua quoque jocunda sunt. Nullus artifex opera sua despicit, nec vilia sibi putat esse quæ fecit. Et unde pro peccatoribus passum putas Christum, nisi quod perdere noluit quidquid ipse formavit? Unde illum putas hodieque interpellare pro miseris, nisi quod modicum, eumque et despectissimum, non repellit; neminem, ex his quos acceperit, perditurus; ligneo licet ac fictili comparentur, atque ita in domo sua omnia vasa componit?

XXVII. Tandem, frater Symproniane, non pigeat esse cum multis; tandem libeat reduvias Novatiano-

[a] *Nec quod fecerat pœnitenti.* Legendum conjicit Latinius, *nisi quod fecerat pœnitente.*

[b] *Has parias.* Sic rescripsimus ex conjectura Latinii. Editi, *hoc parias.*

rum, et præsegmina vestra contemnere; tandem catholicos greges et tam late patentes Ecclesiæ populos intueri. Ubi unus, inquies, ibi et ego; et ubi duo, ibi Ecclesia: ubi unus tamen concors; ubi duo, pacifici. Ubi unus, et Ecclesia; quanto magis ubi plures? *Meliores*, inquit, *duo quam unus: et spartum triplex non rumpitur* (*Eccle.* IV, 12). Audi David: *Psallam nomini tuo in ecclesia multa* (*Psal.* XXXIV, 18). Et iterum: *In populo grari laudabo te* (*Ibid.*). Et: *Deus deorum locutus est, et vocavit terram ab ortu solis usque ad occasum* (*Psal.* XLIX, 1). Quid semen Abrahæ, secundum stellarum modos et numeros arenarum, vestra paupertate contentum? *Benedicentur in te*, inquit, *omnes tribus terræ* (*Gen.* XXII, 18). Dic; Novatianus has impleat? Non tam parum, sanguine suo redemit Deus, nec tam pauper est Christus. Cognosce jam, frater, Ecclesiam Dei dilatantem tabernacula sua, et aulæorum palos A dextra sinistraque figentem: intellige, *ab ortu solis usque ad occasum laudabile nomen Domini* (*Psal.* CXII, 3). Vide, vide, quæso, Novatianis in verba luctantibus, catholicas agi toto orbe divitias. Super omnibus quibus a te sum consultus, instruxi. Nullum, ex propositis caput sententiamve præterii. Ad ipsos apices et verba respondi. Si consulentis animo requisisti, amanter ostensum est: si lacessentis, haud segniter disputatum. Subjungam, cum vacuum erit, et aliam epistolam, in qua non vestra redarguam, sed nostra proponam: quam, si benigne et sine fastidio legeris, fortasse non lædet. Interim, in ista, peto ut singula quæque percenseas. Omnia cito lecta prætereunt: si charismata meliora desideras, et bonæ eruditionis animam geris, non facile tam B vera contemnis. Dominus te in æternum custodire et protegere dignetur, et Christianum vivere faciat ad concordiam spiritualem. Amen.

SANCTI PACIANI

PARÆNESIS,

SIVE

EXHORTATORIUS LIBELLUS, AD POENITENTIAM.

I. Etsi aliquoties, tumultuose licet, de pœnitentium curatione non tacui; memor tamen dominicæ sollicitudinis, quæ propter unius oviculæ detrimentum cervicibus etiam suis et humeris non pepercit, integrato gregi referens peccatricem delicatam: conabor, ut potero, tantæ virtutis exemplum etiam stylo [a], condere, ac dominici laboris industriam, mediocritate (qua dignum est) servus imitabor. Unum illud vereor, dilectissimi, ne solitæ contrarietatis adversis, inculcando quæ fiunt, admoneam magis peccata quam reprimam: meliusque fuerit, Attici Solonis exemplo, tacere de magnis sceleribus, quam cavere; eo usque progressis nostratium moribus, ut admonitos se existiment cum vetantur. Hoc enim, puto, proxime [b] Cervulus ille profecit, ut eo diligentior fieret, quo impressius notabatur. Et tota D illa reprehensio dedecoris expressi ac sæpe repetiti, non compressisse videatur, sed erudisse luxuriam. Me miserum! Quid ego facinoris admisi? Puto, nescierant Cervulum facere, nisi illis reprehendendo monstrassem. Verum sit illud. Dei refugæ aut extra Ecclesiam constituti, etiam exasperati sunt castigationis injuria; indignati scilicet, mores suos ab ali- C quo posse reprehendi. Atque ut cœnum solet tum maxime fœtere cum moveas; et incendium tum magis ardere, si vertas; et rabies tum vehementius sævire, si provoces: ita illi objurgationis necessariæ stimulos contrario calce fregerunt, non sine suo quidem malo et vulnere repugnantes.

II. Vos tamen, dilectissimi, a Domino mementote positum: *Argue sapientem, et amabit te: atque stultum, et odio te habebit* (*Prov.* IX, 8). Et iterum: *Ego, quos diligo, redarguo et castigo* (*Apoc.* III, 19). Atque ideo blandam hujus mei operis ac sollicitam diligentiam, et secundum Domini voluntatem a me ipso fratre vestro ac sacerdote susceptam, amorem potius credite quam rigorem, sequendo amabiliter, non pertinaciter repugnando. Præterea nullus existimet hunc ipsum de Pœnitentiæ institutione sermonem solis tantummodo pœnitentibus ordinatum; ne propter hoc quisquis extra hunc gradum positus est, ea quæcumque dicentur, velut in alios destinata fastidiat, cum in hanc quasi fibulam totius Ecclesiæ disciplina [c] notetur, quando, et Catechumenis, ne in hoc transeant; et fidelibus, ne in hoc redeant, providendum sit; ipsis vero pœnitentibus, ut cele-

[a] *Condere. An condire?*

[b] *Cervulus ille.... Cervulum fuere.* S. Hieronymus lib. *de Viris illustr.* cap. 106, inter varia Paciani opuscula, illud primo loco recenset, *Cervus* inscriptum: quod jamdiu interiit. Ludicri nimirum speciem exagitabat eo in opere S. Pater, de quo plura homines eruditi. Vide sis præ cæteris Cangii utrumque Glossarium verb. Κερβούκολος et *Cervula*.

[c] Al. *coarcetur*. Ib.

riter ad hujus operis fructum perveniant, laborandum. Sermonum tamen meorum hic ordo servabitur. Primum ut de modo criminum edisseram, ne quis existimet omnibus omnino peccatis summum discrimen impositum. Tum de his fidelibus dicam qui remedium suum erubescentes male verecundi sint, et inquinato corpore ac polluta mente communicant : in conspectu hominum timidissimi; ante Dominum vero impudentissimi, profanis manibus et polluto ore contaminant, sanctis quoque et Angelis altare metuendum. Tertio, de his erit sermo, qui confessis bene apertisque criminibus remedia pœnitentiæ, actusque ipsos exomologesis administrandæ, aut nesciunt aut recusant. Postremo illud apertissimum enitemur ostendere, quæ pœna sit aut non : gentibus pœnitentiam, aut etiam negligentibus, atque ideo in vulnere suo ac tumore morientibus : quæ rursus sit corona, quod præmium, conscientiæ maculas recta et ordinaria confessione purgantibus.

III. Primum igitur, ut diximus, de modo peccantium retractemus, sedulo requirentes quæ sint peccata, quæ crimina : ne quis existimet, propter innumera delicta quorum fraudibus nullus immunis est, me omne hominum genus indiscreta pœnitendi lege constringere. Apud Mosen et veteres, minimi quoque peccati, et quadrantis unius (ut ita dixerim) rei, in eodem infelicitatis æstuario volutati sunt. Et qui sabbata violaverant, et qui immunda contigerant, et qui escarum vetita præsumpserant, et qui murmurabant, et qui pariete corrupto, et qui veste macula.a in templum summi Regis intraverant, et qui altaria his obnoxii manu contrectaverant aut veste contigerant, ut in cœlum ascendere citius fuerit, aut emori satius quam hæc universa servare. His igitur nos omnibus multisque præterea carnalibus vitiis, ut citius ad destinata quisque perveniat, sanguis Domini liberavit, redemptos a servitute legis et libertate fidei emancipatos. Ideoque apostolus Paulus : *Vos autem*, inquit, *in libertatem vocati estis* (*Gal.* v, 13). Hæc illa libertas; quod non omnibus astringimur quibus veteres tenebantur; sed donata (ut ita dixerim) silva delictorum, et remediorum indulgentia destinata, in pauca conclusi sumus et necessaria; quæ et servare facillimum esset credentibus, et cavere : ut meritissimo tartarum non recusaret qui tantæ donationi ingratus, ne hæc quidem pauca servasset. Quæ sint autem ista videamus.

IV. Post Domini passionem Apostoli, tractatis omnibus atque discussis, epistolam tradiderunt, his qui ex gentibus crediderant, perferendam. Cujus epistolæ sententia hæc fuit : *Apostoli et presbyteri fratres, his qui sunt Antiochiæ et Syriæ, et Ciliciæ fratribus qui sunt ex gentibus, salutem. Quoniam audivimus quosdam ex nobis exiisse, et conturbasse vos verbis* (*Act.* xv, 24, 25). Item infra : *Visum est enim sancto Spiritui et nobis, nullum amplius imponi vobis pondus præter quam : Necesse est ut abstineatis vos ab idolothytis et sanguine, et fornicatione : a quibus observantes, bene agetis. Valete* (*Ibid.*, 28, 29). Hæc est novi Testamenti tota conclusio. Despectus in multis Spiritus sanctus, hæc nobis capitalis periculi conditione legavit. Reliqua peccata meliorum operum compensatione curantur : hæc vero tria crimina, ut basilisci alicujus afflatus, ut veneni calix, ut lethalis arundo, metuenda sunt : non enim vitiare animam, sed intercipere noverunt. Quare tenacitas humanitate redimetur; convicium satisfactione pensabitur; tristitia jucunditate; asperitas lenitate; gravitate levitas; honestate perversitas; et quæcumque contrariis emendata proficiunt. Quid vero faciet contemptor Dei? Quid aget sanguinarius? Quod remedium capiet fornicator? Numquid aut placare Dominum desertor ipsius poterit; aut conservare sanguinem suum, qui fudit alienum; aut redintegrare Dei templum, qui illud fornicando violavit? Ista sunt capitalia, fratres; ista mortalia. Nunc audite Joannem, et confidite, si potestis : *Si quis scit*, inquit, *fratrem suum peccare peccatum non usque ad mortem, petat pro eo, et dabit illi vitam Dominus, si quis deliquit peccatum non ad mortem. Est autem peccatum quod ad mortem ducit : non pro eo dico, ut depreceris* (*1 Joan.* v, 16).

V. Sed si placet, etiam separatim audite de singulis. Mosen pro blasphemature populo deprecantem, sic appellat Deus : *Si quis*, inquit, *deliquerit ante me, delebo illum de libro meo* (*Exod.* xxxii, 33). Et de homicida, Dominus hoc judicat : *Si quis*, inquit, *gladio occiderit, gladio morietur* (*Exod.* xxi, 12). Et de fornicatore Apostolus dicit : *Ne violaveritis*, inquit, *templum Dei quod estis vos : Qui autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus* (*1 Cor.* iii, 17). Scripta sunt hæc, dilecti fratres, et perpetuis cæsa monumentis; scripta et incisa non dico ceris et charta et ære vel calamo, sed libro Dei vivi. *Cœlum et terra transibunt, iota unum*, inquit, *aut apex non poterunt transire priusquam omnia compleantur* (*Matth.* v, 18): Quid ergo? moriendum est? Multi etiam animo in hæc peccata ceciderunt. Multi sanguinis rei, multi idolis mancipati, multi adulteri. Addo etiam non solas manus in homicidio plecti, sed et omne consilium quod alterius animam impegit in mortem : nec eos tantum qui thura mensis adolevere profanis, sed omnem prorsus libidinem extra uxorium thorum et complexus licitos evagantem, reatu mortis astringi. Hæc quicumque post fidem fecerit, Dei faciem non videbit. Desperavere tantorum criminum rei. Quid vobis ego feci? Numquid non fuit in potestate ne fieret? Nullusne admonuit? Nemo prædixit? Tacuit Ecclesia? Nihil Evangelia dixerunt? Nihil Apostoli comminati sunt? Nihil rogarit sacerdos? Quid quæritis sera solatia? Tunc decuit, cum licebat. Dura ista vox est; sed qui vos felices dicunt, in errorem vos mittunt, et semitas pedum vestrorum conturbant. Facinoris viam monstrat innoxiis, qui nocentibus post scelera blanditur.

VI. Ergo (inquiet aliquis) perituri sumus? et ubi misericors Deus, qui mortem non invenit, nec lætatur in perditione vivorum? Moriemurne in peccatis nostris? Et quid facies tu sacerdos? Quibus emolu-

mentis tot Ecclesiæ detrimenta pensabis? Accipite remedium si desperare cœpistis ; si miseros vos agnoscitis, si timetis. Qui nimium confidit, indignus est. *Super quem* (inquit Dominus) *respiciam, nisi supra humilem et quietum, et trementem verba mea* (*Isa.* LXVI, 2)? Vos ergo primum appello, fratres, qui criminibus admissis pœnitentiam recusatis : vos, inquam, post impudentiam timidos, post peccata verecundos, qui peccare non erubescitis et erubescitis confiteri : qui cum mala conscientia, Dei sancta contingitis, et altare Domini non timetis : qui ad manus sacerdotis, qui in conspectu angelorum sub fiducia innocentiæ accedilis : qui divinæ patientiæ insultatis ; qui tacenti Deo, veluti nescienti, pollutam animam et profanum corpus ingeritis. Audite, quid fecerit Dominus ; tum deinde, quid dixerit. Cum populus Hebræorum Hierosolymis Arcam Domini reportaret, et ex domo Aminadab Israelitis ; Oza qui non explorata conscientia, latus Arcæ attigerat, occisus est ; et tamen ille, non ut aliquid ex ea sumeret ; sed ut declinantem ad lapsum vituli, contineret, accesserat (II *Reg.* VI). Tanta insuit cura divinæ reverentiæ, ut audaces manus, nec ob auxilium sustineret. Clamat idem Dominus et dicit : *Omnis mundus manducabit carnem, et anima quæcumque contigerit de carne sacrificii salutaris, et immunditia super illa est ; pereat anima illa de populo* (*Lev.* VII, 12). Antiquane ista sunt, et modo non fiunt? Quid ergo ? desiit Deus nostra curare ; an ultra conspectum mundi recessit, et neminem spectat e cœlo ? An patientia illius, ignorantia est? Absit, inquies. Videt ergo quæ facimus, sed utique exspectat et patitur, et pœnitentiæ tempus indulget, et Christo suo præstat ut differat, ne cito pereant quos redemit. Bene, tu peccator, intellige : spectaris a Domino, potes illum placare si velis.

VII. Sed antiquum sit istud quod ad mensam Dei accedere non licuit immundis : evolvite Apostolos, et novella cognoscite. In prima Corinthiorum, Paulus hæc intulit : *Quicumque*, inquit, *manducaverit, aut biberit calicem Domini indigne, reus erit Corporis et Sanguinis Domini* (I Cor. XI, 27). Item infra : *Qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit, non discernens corpus Domini : Propterea*, inquit, *inter vos, multi infirmi et ægri, et dormiunt multi. Quod si nos ipsos judicaremus, non utique judicaremur ; cum judicamur autem, a Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur* (*Ibid.*, 29-32). Intremuistis, an non? *Reus erit*, inquit, *corporis et sanguinis Domini*. Humanæ animæ reus non posset absolvi ; dominici corporis violator evadit? *Qui manducat*, inquit, *et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit*. Evigila peccator ; time in visceribus tuis præsens judicium, si quid tale fecisti. *Propterea*, inquit, *inter vos, multi infirmi et ægri, et dormiunt multi*. Jam si quis futura non metuit, vel præsentem ægritudinem præsentemque obitum reformidet. *Cum judicamur*, inquit, *a Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur*. Lætare, peccator, si in hoc sæculo aut morte interciperis, aut languore consumeris, ne puniaris post sæculum. Intellige quantum sceleris admittat qui ad altare venit indignus ; cui pro remedio computatur, cum aut morbis laborat, aut morte dissolvitur.

VIII. Quod si vestra vobis, vilis est anima ; parcite populo, parcite sacerdotibus. Clamat Apostolus : *Exiguum fermentum, totam massam fermentat* (I *Cor.* V, 6). Quid facies tu propter quem omnis massa corrumpitur ; propter quem laboratura est tota fraternitas? Vives tot animarum reus? Excusaberis cum tibi communionem suam imputaverint innocentes, cum te Ecclesia dixerit suæ cladis auctorem? Ecce iterum Apostolus ad sacerdotem : *Manus cito nulli imponas, nec communices peccatis alienis* (I *Tim.* V, 22). Quid facies, tu qui decipis sacerdotem? Qui aut ignorantem fallis, aut non ad plenum scientem probandi difficultate confundis? Rogo ergo vos, fratres, etiam pro periculo meo, per illum Dominum quem occulta non fallunt, desinite vulneratam tegere conscientiam. Prudentes ægri medicos non verentur, ne in occultis quidem corporum partibus etiam secaturos, etiam perusturos. Meminimus quosdam, remota etiam et verecunda membrorum non erubescentes, in ferro et cauterio, et gravissima illa pulveris mordacitate durasse. Et quantum est illud quod homines præstiterunt? Peccator timebit? Peccator erubescet, perpetuam vitam præsenti pudore mercari ? et offerenti manus Domino, vulnera male tecta subducet? Et habet aliquid quod in illo erubescat, qui Dominum læsit? An sic illi melius est perire, ne tu pudore timidus sine pudore moriaris, non faciens pudori locum, plus de detrimento ejus acquiras cui pro te melius est perire? Quod si fratrum oculos erubescitis ; consortes casuum vestrorum timere nolite. Nullum corpus membrorum suorum vexatione lætatur ; pariter dolet, et ad remedium collaborat. In uno et altero, Ecclesia est ; in Ecclesia vero, Christus. Atque ideo qui fratribus peccata sua non tacet, Ecclesiæ lacrymis adjutus Christi precibus absolvitur.

IX. Nunc ad eos sermo sit, qui bene ac sapienter vulnera sua, pœnitentiæ nomine, confitentes ; nec quid sit pœnitentia, nec quæ vulnerum medicina, noverunt ; similesque sunt illis qui plagas quidem aperiunt ac tumores, medicisque etiam assidentibus confitentur ; sed admoniti, quæ imponenda sunt, negligunt ; et quæ bibenda, fastidiunt. Quod tale est ac si dicat aliquis : Ecce ego æger, ecce ego vulneratus sum, [a] sed nolo curari stomachum. Hoc erat, sed videte quid stultius. Additur etiam morbus ad causam, et vulnus adjungitur, et contraria quæque imponuntur, perniciosa potantur. Quo maxime malo fraternitas hæc laborat, delictis veteribus nova insuper adjungendo peccata. Ergo gravius erupit in vitium, perniciosissima jam tabe cruciatur. Quid ergo faciam nunc sacerdos qui curare compellor? Serum est in ejusmodi. Verumtamen si quis est

[a] *Sed nolo curari stomachum. Hoc... quid stultius.* Legendum videtur cum Latinio : *Sed nolo curari. Stomachandum hoc erat : sed videte quod stultius.*

vestrum qui secari et exuri sustineat, adhuc possum. Ecce scalpellum propheticum : *Convertimini*, inquit, *ad Dominum Deum vestrum, simulque jejunio, et fletu, et planctu, et scindite corda vestra* (*Joel.* II, 12, 13). Nolite hanc secturam timere, dulcissimi. Sustinuit illam David, jacuit in cinere sordenti, sacco insuper horrente deformis. Ille quondam gemmis assuetus et purpuris, texit in jejunio animam suam : cui maria, cui silvæ, cui flumina serviebant, promissasque divitias terra parturiens; madidus lacrymis consumpsit oculos illos quibus gloriam Dei viderat, et infelicem se miserumque confessus est pater Mariæ, Judæi etiam dominator imperii. Rex ille Babylonius, exomologesim desertus operatur, et septenni squalore decoquitur. Leonum in illo jubas, impexa cæsaries et barbarus horror exsuperat; et longe incurvis unguibus manus horrentes, aquilas mentiuntur cum fenum in morem bovis ederet pallentium ruminator herbarum. Hæc tamen illum Deo pœna commendat, et in sua quondam regna restituit. Quem horrebant homines, Deus recipiebat, ipsa illa malæ tractationis calamitate felicem. Ecce sectio, quam spopondi : qui potuerit tolerare, sanabitur.

X. Admovebo adhuc ignes de cauterio apostolico : videamus an ferre possitis. *Judicavi*, inquit, *congregatis vobis et spiritu meo, in virtute Domini Jesu Christi, tradere ejusmodi hominem satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in diem Domini* (I *Cor.* V, 3-5). Quid dicitis, pœnitentes? Ubi est vestræ carnis interitus? An quod in ipsa pœnitentia lautiores semper inceditis, convivio farti, balneis expoliti, veste compositi? Ecce aliquem video aliquando frugi, aliquando pauperculum, aliquando vili tunica sordulentum : nunc bene cultus et locuples, et decorus est, quasi imputet Deo quod illi servire non potuit, et morientem animam recreet voluptate membrorum. Bene quod mediocres sumus : cæterum et illa faceremus quod quosdam et quasdam non pudet lautiores, marmoribus tegi, auro opprimi, serico fluere, cocco rubescere. Si quid ferruginei pulveris in supercilio fulgeret, aut ficti nitoris in genas rutilet, aut coacti ruboris in labia desudet : ista forsitan non habetis. Non desunt tamen vobis hortulani maritimive secessus, et exquisitius vinum, et lautiora convivia, et defæcatio senectutis. Sic agite, sic credite, quando vivetis? Non sustineo jam, fratres. Danielus cum sodalibus suis sacco tectus et cinere, jejunio etiam exsanguis, hæc loquitur : *Peccavimus, facinus admisimus, impie gessimus, transgressi sumus præcepta et judicia tua* (*Dan.* IX, 5). De Azaria itidem scriptura divina; *Stans*, inquit, *Azarias precatus est, et aperiens os suum exomologesim faciebat Deo simul cum sodalibus suis* (*Dan.* III, 25). David ipse : *Lavabo*, inquit, *per singulas noctes lectum meum, lacrymis stratum meum rigabo* (*Psal.* VI, 7). Nos vero, quid tale, quid simile? Non dico illa quæ congregamus ad cumulum, cauponando, mercando, rapiendo; foris lucra, intus libidines aucupando; nihil agendo simpliciter, nihil pauperibus largiendo, nihil fratribus remittendo. Ne hæc quidem quæ videri etiam a sacerdote possunt, et episcopo teste laudari; ne hæc quidem quotidiani servamus; flere in conspectu Ecclesiæ, perditam vitam sordida veste lugere, jejunare, orare, provolvi : si quis ad balneum vocet, recusare delicias : si quis ad convivium roget, dicere : Ista felicibus, ego deliqui in Dominum, et periclitor in æternum perire : quo mihi epulas, qui Dominum læsi? Tenere præterea pauperum manus, viduas obsecrare, presbyteris advolvi, exoratricem Ecclesiam deprecari, omnia prius tentare quam pereas.

XI. Scio quosdam ex fratribus et sororibus vestris cilicio pectus involvere, cineri incubare, jejunia sera meditari; et non talia, fortasse, peccarunt. Quid de fratribus loquar? Capræ feræ, ut dicunt, remedia sua noverunt : confixas quippe, audio, venenatis sagittis, saltus peragrare Dictæos, quoad dictami caule detonso, salutarium virulento latice succorum, pulsa decutiant tela corporibus. Nos ignita diaboli spicula nullo pœnitentiæ succo, nullo exomologesis gramine repellimus. Excæcatos hirundo pullos novit oculare de sua chelidonia : nos, lumina mentis amissa, nulla malæ tractationis radice curabimus? Ecce nec capreis, nec hirundini homo similis, cæcitati suæ invidet et dolori. Considerate nunc, fratres, quid in fine promisimus : quis fructus, hæc opera; vel contra, quis exitus consequatur. Peccatoribus delicatis et pœnitentiam non agentibus, spiritus Domini comminatur et dicit : *Dilectum veritatis non receperunt ut salvi fierent : ac propterea mittet illis Deus operationem erroris ut credant mendacio, ut judicentur omnes qui non crediderunt veritati, sed sibi placent in injustitiam* (II *Thess.* II, 10, 11). Item Apocalypsis de meretrice sic loquitur : *In quantum clarificavit se et delicias exercuit : tantum date ei tormentum et luctum* (*Apoc.* XVIII, 7). Et apostolus Paulus : *An ignoras, quoniam bonitas Dei in pœnitentiam te perducit? Tu autem secundum duritiam tuam thesaurizas tibi iram in die iræ, et revelationis justi judicii Dei* (*Rom.* II, 4, 5). Timete igitur, dilectissimi, justa judicia : omittite errorem, damnate delicias : properat jam tempus extremum : tartarus et gehenna laxatos impiis sinus pandunt. Post animarum tempestiva supplicia, redivivis quoque perpetua corporibus pœna servatur. Nemo Tityi jecur credat, et Vulturem poetarum. Ipse sibi materiam recrescentium corporum reparat ignis æternus. Attendite, si non creditis : aquarum impetus qui ignibus furit, supplicio nutriente reparabitur. Si de cruciatu exomologesis retracti, gehennam recordemini quam vobis exomologesis exstinguet. Vim ejus et de præsentibus æstimate; cujus fumariola quædam, maximos montes subterraneis ignibus decoquunt. Æstuant indefessis flammarum globis [a] Æthna

[a] *Æthna Siculus et Ves.* Lectionem editorum mendosam, *Æthna et Lisaniculus et Ves.* sic restituit, ut rescripsimus, ex veteri libro Carthusiæ maioris Baluzius ad Cyprianum pag. 568 edit. Paris. Atque ita legendum conjecerat antea Latinius. GALLAND.

Siculus, et Vesuvius Campanus : et quo nobis judicii perpetuitatem probent, dissiliunt, devorantur ; nec ullis tamen sæculis finiuntur. Attendite in Evangelio divitem solius adhuc animæ suppliciis laborantem. Qualis tandem illa redituris pœna corporibus? quis in illa stridor dentium? quis fletus oculorum?

XII. Mementote, fratres, quia apud inferos exomologesis non est; nec pœnitentia tunc tribui poterit, consumpto tempore pœnitendi (*Eccle.* IX, 10; *Eccli.* XIV, 17). Festinate, dum in vita estis, dum cum adversario iter facitis. Sæculares ecce ignes timemus, et carnificum ungulas expavescimus : comparate cum his æternas torquentium manus, apicesque flammarum nulla ætate morientium. Rogo vos per Ecclesiæ fidem, fratres : per sollicitudinem meam, per communes omnium animas obtestor et deprecor : ne pudeat in hoc opere; ne pigeat opportuna quam primum remedia salutis invadere, dejicere mœroribus animum, sacco corpus involvere, cinere perfundere, macerari jejunio, mœrore conficere, multorum precibus adjuvari. In quantum pœnæ vestræ non pepercistis, in tantum vobis Deus parcet. *Est enim mitis et patiens, et multæ miserationis,* [a] *et qui sententiam flectat adversus malitias irrogatam* (*Joel.* II, 13, *sec.* LXX). Ecce promitto, polliceor, si ad Patrem vestrum vera satisfactione redeatis, nihil ulterius errando, nihil pristinis adjiciendo peccatis, dicendo etiam humile aliquid et flebile, *Peccavimus in conspectu tuo Pater; jam non sumus digni nomine filiorum* (*Luc.* XV, 22) : continuo de vobis et pecus illud recedet immundum, et siliquarum esca deformis. Continuo revertentes, et stola [b] vestiti, et annulus honorabit, et paternus iterum complexus accipiet. Ecce ipse loquitur : *Nolo mortem peccatoris, quantum ut revertatur et vivat* (*Ezech.* XVIII, 23; XXIII, 11). Et iterum : *Nonne,* ait, *qui ceciderit, resurget; et qui aversatus fuerit, convertetur* (*Jerem.* VIII, 4). Et Apostolus dicit : *Potens est Deus statuere illum* (*Rom.* XIV, 4). Apocalypsis etiam septem Ecclesiis, nisi pœnitentiam egerint, comminatur. Nec utique, non pœnitentibus comminaretur, nisi ignosceret pœnitentibus. Etiam ipse Deus dicit : *Memento ecce unde ceciderit, et age pœnitentiam* (*Apoc.* II, 5). Et iterum : *Cum conversus ingemueris, tunc salvaberis, et scies ubi fueris* (*Isa.* XXX, 15, *sec.* LXX). Nec quisquam adeo peccatricis animæ vilitate desperet, ut se jam non necessarium Deo credat. Neminem nostrum perire vult Dominus : etiam modici et minimi requiruntur. Si non creditis, intuemini : ecce in evangelio drachma requiritur, et vicinis inventa monstratur. Ovicula, suppositis reportanda cervicibus, non est onerosa pastori. Super unum peccatorem pœnitentiam agentem in cœlis Angeli gaudent, et chorus cœlestis exsultat. Deus tu peccator, rogare ne desinas : vides ubi de tuo reditu gaudeatur. Amen.

[a] *Et qui sententiam flectat,* etc. De hoc Joelis loco juxta LXX relato, videsis quæ superius observabamus ad epist. 1, num. 5. ID.

[b] *Stola vestiti.* Ex contextu legendum videtur cum Tilio, *stola vestiet.* ID.

SANCTI PACIANI
SERMO DE BAPTISMO.

I. Aperire desidero qualiter in baptismo nascamur, et qualiter innovemur. Verbis sane ipsius loquar, fratres, ne forte me ob nitorem sententiarum, stylo exsultasse credatis; et ut rem mysticam intelligere possitis : atque utinam inculcare possim, gloriam non requiro; Dei enim solius gloria est. Vestri me tantum cura sollicitat, et horum maxime competentium, si quo modo possim intelligere tantæ felicitatis examen. Aperiam igitur quid fuerit ante gentilitas, quid fides præstet, quid baptismus indulgeat. Quod si ita, ut ego sentio, vestra corda penetraverit, judicabitis, fratres, nullam nobis adhuc prædicationem amplius præstitisse. Accipite ergo, dulcissimi, homo ante baptismum in qua morte sit positus. Scitis certe illud antiquum, quod Adam terrenæ origini [a] præstitutus sit : quæ utique damnatio, legem illi æternæ mortis imposuit; et omnibus ab eo posteris quos lex una retinebat, hæc mors in genus omne dominata est, *ab Adam usque ad Moysen* (*Rom.* V, 14). Per Moysen vero, unus tantum populus electus est, semen scilicet Abrahæ, si mandata justitiæ servare potuisset. Interea nos omnes sub peccato tenebamur, ut fructus essemus mortis : siliquarum escis et pecorum custodiæ destinati, id est, operibus immundis, per malos angelos; quibus dominantibus, nec facere licuit nec scire justitiam : parere enim talibus dominis, res ipsa cogebat. Ab his potestatibus et ab hac morte qualiter liberati simus, attendite.

II. Adam postquam peccavit, ut retuli, dicente tunc Domino, *Terra es, et in terram ibis* (*Gen.* III, 19); addictus est morti. Hæc addictio in genus omne defluxit. Omnes enim peccaverunt, ipsa jam urgente natura, sicut Apostolus dicit : *Quia per unum ho-*

[a] *Præstitutus. Restitutus* legit Latinius.

minem peccatum introivit, et per delictum mors, et sic in omnes homines devenit, in quo omnes peccaverunt (*Rom.* v, 12). Dominatum est ergo peccatum, cujus vinculis quasi captivi trahebamur ad mortem; mortem scilicet sempiternam. Hoc vero peccatum ante Legis tempora nec intelligebatur, sicut Apostolus dicit: Donec enim Lex poneretur, peccatum in mundo non habebatur, hoc est non videbatur; ad Legis adventum revixit (*Rom.* v, 13). Apertum est enim ut videretur: verum frustra, quia id prope nemo servabat. Dicebat enim Lex: *Non mœchaberis, non occides, non concupisces;* tamen concupiscentia cum vitiis omnibus permanebat: ita peccatum istud ante Legem occulto gladio interfecit hominem, Lege districto. Quæ igitur spes homini? Sine Lege ideo periit, quia peccatum videre non potuit; et in Lege, ideo quia in id ipsum quod videbat, incurrit. Quis eum ab interitu potuit liberare? Audite Apostolum: *Miserrimus*[a] *ergo homo! Quis me liberabit a corpore mortis hujus? Gratia,* inquit, *per Dominum nostrum Jesum Christum* (*Rom.* vii, 24, 25).

III. Quid est gratia? peccati remissio, id est, donum. Gratia enim donum est. Ergo Christus adveniens hominemque suscipiens, ipsum illum hominem de potestate peccati purum et innocentem Deo primus exhibuit. Dicit Esaias: *Ecce virgo,* inquit, *in utero accipiet, et pariet filium, et vocabitis nomen ejus Emmanuel. Butyrum et mel manducabit, prius quam sciat aut proferre malum, aut eligere bonum* (*Isa.* xiv, 15). Et de ipso iterum: *Qui peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus* (*Isa.* xliii, 9). Sub hoc innocentiæ patrocinio, ut primum defensionem nominis aggressus est Christus in ipsa carne peccati, continuo ille peccati inobedientiæ parens qui primos homines aliquando deceperat, festinare incepit, æstuare, trepidare. Vincendus enim erat soluta lege peccati, qua sola hominem vel obtinuerat, vel poterat obtinere. Armatur ergo in aciem spiritualem adversus immaculatum; ac primum, eo artificio quo in paradiso Adam vicerat, specie dignitatis aggreditur; et velut sollicitus de potestate cœlesti: *Si filius Dei es,* inquit, *die ut lapides isti fiant panes* (*Matth.* iv, 3): ut dum erubescit, aut non vult dissimulare se Filium Dei, tentantis jussa compleret. Ecce adhuc non tacet, suggerens ut si se misisset ex alto, acciperetur manibus Angelorum, quibus mandasset Pater ut humeris eum ferrent, ne forte offenderet ad lapidem pedem suum, dum probare vult Dominus se esse de quo Pater istud mandasset facere quod tentator urget. Elisus novissime coluber, quasi jam cederet, ipsa illa quæ primo homini eripuerat, mundi regna promittit; ut dum vicisse se credit hominis Advocatum, recepto (quod defendebat) imperio, inclinaret ad dictam ab impio dignitatem, ac sic aliquando peccaret. Verum in his omnibus superatur inimicus, et cœlesti virtute dissolvitur, sicut Vates ad Dominum, *ut resolvas,* inquit, *inimicum et vindictorem, quoniam videbo cœlos opus digitorum tuorum* (*Psal.* viii, 3, 4).

IV. Debuerat cedere diabolus; necdum tamen desinit. Scribas et Pharisæos et omnem illam impiorum catervam, notis subornat insidiis, furoribus agitat. Igitur illi post varias artes et corda mendacia, quibus Dominum more serpentis obsequentia decipere cogitarunt; postquam nihil proficiebant, novissime eum aperto latrocinio et crudelissimo genere passionis agressi sunt: ut vel indignitate rerum, vel dolore pœnarum aliquid injustum aut faceret aut diceret, atque ita perderet hominem quem gerebat, et relinqueretur anima ejus apud inferos; quibus una lex fuit ut peccatorem tenerent: *Aculeus enim mortis, peccatum* (I *Cor.* xv, 56). Perstitit ergo Christus, *et peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus* (I *Petr.* ii, 22), ut diximus; nec tum quidem cum ad victimam duceretur. Hoc fuit vincere, sine peccato condemnari. Diabolus enim in peccatores acceperat potestatem, quam sibi ille super immaculatum vindicavit; ac sic ipse superatus est, id decernens super Justum quod illi per legem quam acceperat non licebat. Unde prophetes ad Dominum; *Ut justificeris,* inquit, *in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris* (*Psal.* l, 6). Atque ita, sicut Apostolus dicit, *transductis potestatibus Christus condemnavit peccatum in carne affigens illud cruci, et chirographum mortis absolvens* (*Coloss.* ii, 14, 15). Inde est quod non *dereliquit Deus animam ejus apud inferos, neque dedit Sanctum suum videre interitum* (*Psal.* xv, 10). Inde quod calcatis mortis aculeis, die tertia resultavit in carne, reconcilians illam Deo et restituens æternitati, victo erasoque peccato.

V. Sed si solus ille vicit, quid cæteris contulit? Breviter audite. Peccatum Adæ, in genus omne transierat: *Per unum enim hominem,* sicut Apostolus dicit: *delictum introivit; et per delictum, mors: sic et in omnes homines devenit* (*Rom.* v, 12). Ergo et justitia Christi necesse est ut in genus transeat: ac sicut ille per peccatum stirpem suam perdidit; ita Christus per justitiam genus suum omne vivificet. Hoc urget Apostolus dicens: *Ut sicut per inobaudientiam unius peccatores constituti sunt multi; sic per dicto audientiam unius, justi constituuntur multi: ac sicut regnavit delictum in mortem, similiter et gratia regnet per justitiam in vitam æternam* (*Ibid.*, 19, 21).

VI. Dicet mihi aliquis: Sed peccatum Adæ merito transivit in posteros, quia ex ipso geniti erant: et numquid nos a Christo geniti sumus, ut propter ipsum salvi esse possimus? Carnalia cogitare nolite: jam videbitis qualiter Christo parente generemur. Novissimis temporibus animam utique cum carne accepit Christus ex Maria: hanc venit salvam facere, hanc apud inferos non reliquit, hanc spiritui suo conjunxit et suam fecit. Et hæ sunt nuptiæ Domini, uni carni conjunctæ, ut secundum illud magnum

[a] Alias *ego*.

sacramentum fierent duo in carne una, Christus et Ecclesia (*Ephes.* v, 32). Ex his nuptiis Christiana plebs nascitur, veniente desuper Spiritu Domini; nostrarumque animarum substantiæ, superfuso et admixto protinus semente cœlesti, visceribus matris inolescimus, alvoque ejus effusi vivificamur in Christo. Unde Apostolus : *Primus Adam, in animam viventem : novissimus Adam, in spiritum vivificantem* (I *Cor.* xv, 47). Sic generat Christus in Ecclesia per suos sacerdotes, ut idem Apostolus : *Christo autem ego vos genui* (I *Cor.* iv, 15). Atque ita Christi semen, id est Dei spiritus novum hominem alvo matris agitatum, et partu fontis exceptum, manibus sacerdotis effundit, fide tamen pronuba. Neque enim aut insertus in Ecclesiam videbitur qui non credidit; aut genitus a Christo, qui spiritum ipse non recepit. Credendum est igitur posse nos nasci. Sic enim ait Philippus : *Si credis, potes* (*Act.* viii, 37). Recipiendus est Christus ut generet, quia sic Joannes apostolus dicit : *Quotquot eum receperunt, dedit eis potestatem filios Dei fieri* (*Joan.* i, 12). Hæc autem compleri alias nequeunt, nisi lavacri et chrismatis et antistitis sacramento. Lavacro enim peccata purgantur; chrismate sanctus Spiritus superfunditur; utraque vero ista, manu et ore antistitis impetramus : atque ita totus homo renascitur et innovatur in Christo; *ut sicut resurrexit Christus a mortuis, sic et nos in novitate vitæ ambulemus* (*Rom.* vi, 4); id est, ut depositis vitæ veteris erroribus, idolorum servitute, crudelitate, fornicatione, luxuria cæterisque vitiis carnis et sanguinis, novos per Spiritum mores sequamur in Christo, fidem, pudicitiam, innocentiam, castitatem. Ac : *sicut portavimus imaginem terreni hominis, portemus et ejus qui de cœlo est; quia primus homo de terra, terrenus; secundus a cœlo, cœlestis* (I *Cor.* xv, 49, 47). Quod agentes, dilectissimi, jam non moriemur amplius. Etiam si in hoc corpore resolvamur, vivemus in Christo, sicut ait ipse : *Qui in me crediderit, licet moriatur, vivet* (*Joan.* xi, 25). Certi denique sumus, ipso teste Domino, et Abraham et Isaac et Jacob et omnes sanctos Dei vivere. Denique de his ipsis ait Dominus : *Omnes autem illi vivunt : Deus enim vivorum est, non mortuorum* (*Luc.* xx, 38). Et Apostolus de se dicit : *Mihi vivere Christus est, et mori lucrum : optarem dissolvi et cum Christo esse* (*Philipp.* i, 21). Adhuc : *Nos autem dum in corpore hoc sumus, peregrinamur a Domino. Per fidem enim ambulamus, non per speciem* (II *Cor.* v, 6, 7).

VII. Hoc est quod credimus, dilectissimi fratres. Cæterum : *Si in hoc sæculo sperantes sumus; miserabiliores omnibus hominibus sumus* (I *Cor.* xv, 19). Vita mundi, et pecudibus, et feris, et alitibus, ut videtis ipsi, aut nobiscum est communis, aut longior. Et illud homini proprium, quod per Spiritum suum dedit Christus; id est vita perpetua; sed si jam non peccamus amplius. Quia sicut mors scelere acquiritur, virtute vitatur; ita vita sceleribus amittitur, virtute retinetur. *Stipendia ergo peccati mors : donum Dei, vita æterna per Jesum Christum Dominum nostrum* (*Rom.* vi, 23). Ante omnia vos retinete, parvuli : omnes aliquando gentes (sicut supra diximus) principibus tenebrarum et potestatibus traditas; nunc per Jesu Christi Domini nostri victoriam liberatas. Ille est, ille qui redimit, *donans nobis omnia peccata*, sicut Apostolus dicit, *et delens quod adversus nos erat chirographum inobanditionis; quia ei ipsum tulit de medio, affigens illud cruci; exuens se carnem, traduxit potestates libere triumphans eas in semetipso* (*Coloss.* ii, 13-15). Solvit compeditos, et vincula nostra disrupit, sicut David dixerat : *Dominus erigit elisos, Dominus solvit compeditos, Dominus illuminat cæcos* (*Psal.* cxlv, 7, 8). Et iterum : *Dirupisti vincula mea : tibi sacrificabo hostiam laudis* (*Psal.* cxv, 16, 17). Soluti itaque de vinculis, ubi per baptismi sacramentum ad signum Domini convenimus, diabolo et omnibus angelis ejus renuntiamus, quibus ante servivimus : ne jam illis ulterius serviamus, sanguine Christi et nomine liberati. Quod si quis posthac oblitus sui et redemptionis ignarus, rursus (*Coloss.* ii, 18) ad Angelorum servitutes et (*Gal.* iv, 9) infirma illa et egena mundi elementa transierit, antiquis illis compedibus et catenis, id est peccati vinculis alligabitur; *et fient novissima ejus deteriora prioribus* (*Luc.* xi, 26) : quia et diabolus eum quasi per fugam victum vehementius inligabit; et Christus pro eo jam pati non poterit, quia *qui resurrexit a mortuis, jam non morietur amplius* (*Rom.* vi, 9). Igitur, dilectissimi, semel abluimur, semel liberamur, semel in regnum immortale suscipimur : semel *felices sunt, quorum remissa sunt facinora, et quorum tecta sunt peccata* (*Psal.* xxxi, 1). Tenete fortiter quod accepistis, servate feliciter, amplius peccare nolite. Puros vos ex eo et immaculatos in diem Domini reservate. Grandia et infinita sunt præmia fidelibus præstituta; *quæ nec oculus vidit*, inquit, *nec auris audivit, nec super cor hominis ingressa sunt* (I *Cor.* ii, 9). Hæc uti accipere possitis, justitiæ laboribus et votis spiritalibus obtinete. Amen.

ANNO DOMINI CCCXCVII.

Q. JULIUS HILARIANUS.

(Ex Galland. Vet. Patr. Biblioth. t. VIII.)

PROLEGOMENA.

I. Quinti Julii Hilariani meminisse veterum neminem, est sane quod miremur; licet ipsum sæculo IV desinente claruisse ex ejus litterarum monumentis quæ adhuc superant, compertum habeamus. Duos

enim libellos scripsit hic auctor, in quorum utroque temporis notationem quo illos exaravit, consignatam reliquit. Et priorem quidem inscripsit : *Expositum de die paschæ et mensis*, in cujus fine hæc habet : « Consummavimus hoc laboriosum opus in die isto III nonarum Martiarum post consulatum Arcadii IV et Honorii III. Quapropter admonemus eos qui ante a nobis non emendata hæc scripta accipere festinaverunt, ut secundum istum ordinem emendatum opus habere conentur ; ideoque et diem et consules, quod non posuimus primo, nunc huic rationi infiximus, ut exhinc sciat quis emendatum hoc esse opus. Quintus Julius Hilarianus explicuit, emendavit die III nonarum Martiarum, Cæsario et Attico consulibus. » Hujus opusculi meminit idem Hilarianus in posteriore libello *de mundi Duratione*. Sic enim ibi [a] : « Nam ut ipsi scitis, *olim de ratione paschæ* numeroque annorum mundi hortantibus vobis scripta fecisse me ; sed idcirco silui aliquanto tempore, ne a nobis opuscula condimentis sapientiæ alienæ, irrationabiliter conderentur. Unde digestis melius rebus, *de die sacratissimo paschæ jam libellum præmisimus* ; in quo, et qui sit mensis primus, legaliter demonstravimus ; dehinc etiam, cursum annorum a fabrica mundi, in hoc opusculo, suo quoque (forte, *quæque*) ordine supputando, notamus. » Hæc ille. Tempus autem quo posteriorem hunc libellum perscripsit, definit ipse his verbis [b] : *De* CCCC *vero et* LXX *annis a passione Domini, in consulatu Cæsarii et Attici, die* IX *kal. April. anni transierunt* CCCLXIX. Quem in locum observat Gerardus Joannes Vossius [c], a passione Domini ad annum CCCXCVII, quo consules fuerunt Cæsarius et Atticus, annos effluxisse non CCCLXIX sed CCCLXIV. Atque ita sane scripserit Hilarianus : proclivi enim lapsu pro V, reponi potuit X. Hinc porro constat, non solum quo ordine, sed etiam quo tempore suos libellos digesserit noster auctor.

II. Jam vero prius opusculum primus in lucem extulit ex membranaceo codice DCCCXL bibliothecæ regiæ Taurinensis Christophorus Matthæus Pfaffius : ejusque specimen post virum illustrem Scipionem Maffeium [d], edidere qui ejusdem bibliothecæ Taurinensis codices mss. recensuerunt et animadversionibus illustrarunt, eruditissimi viri [e]. Illud itaque Hilariani opusculum ad calcem Epitomes Institutionum divinarum Lactantii evulgavit laudatus editor Parisiis anno 1712 doctissimi Nicolai Nourrii cura et industria usus. Atque hanc Pfaffii editionem ex qua describendum erat præfatum opusculum, quamvis diu summoque studio quæsitam, nuspiam tamen nancisci licuit : jamque de ea mihi aliquando acquirenda spem omnem pene abjeceram ; cum ecce tibi præsto fuit V. C. Josephus Vernazza, Albæ Pompeiæ civis ornatissimus bonarumque litterarum solertissimus cultor, qui neque umquam mihi agnitus neque a me proinde rogatus, ipsemet sua sponte unum adeo exoptatæ editionis exemplar, et dono quidem datum, ad me perferendum curavit : quo sane præclaro munere tanta cum comitate auctus, iniquus sim enimvero, nisi memetipsum humanissimo viro quam maxime obstrictum profitear, simulque gratias et agam et habeam plurimas pro ejusmodi beneficentia, qua liberalior ne voto quidem fingi possit : numquam enim non satagam, ut alibi testatum me fuisse memini, ne sit qui beneficium in immemorem plane collatum fuisse jure conqueratur. At vero quum prædictum exemplar proxime tantum elapso Septembri missum ad manus pervenerit, postquam scilicet posterius Hilariani opusculum *de Duratione mundi* quod nobis unum tunc in promptu erat, quin et aliorum scriptorum non pauca pro temporis ratione distributa, typis commissa jam fuerant ; id solum reliquum fuit, ut priorem ejusdem Hilariani libellum in Appendicem ad calcem hujus voluminis cum aliis nonnullis conjiceremus.

III. Exstat præterea, ut superius docuimus, ejusdem auctoris libellus alter *de mundi Duratione*, sive, ut fert codex ms. Vindobonensis, *de Cursu temporum*, quem primus Petrus Pithœus in vulgus emisit. De quo quidem libello Margarinum de la Bigne celebrem Sorbonæ theologum ita loquentem audire juverit [f] : « Diu, inquit, multumque dubitavi, num auctori huic locum in hac bibliotheca (Patrum) darem : primum quidem, quod obscurus adhuc neque ulli scriptorum ecclesiasticorum catalogo cognitus : deinde, quod in subducendis temporum summis et rationibus, fidei non prorsum indubitatæ auctor esse videatur : ac postremo, quod Danielis hebdomadas, magis ut Judæi quam ut Christiani volunt, Christi adventu et ætate non definiat omnino ; et ad Chiliastarum etiam deliria sub operis finem declinasse possit videri. Sed quum magno usui futurum sperem in designanda constituendaque chronologia (qua non aliud omnium historiarum momentum varie magis ab historicis describitur) fateor, mihi religio fuit, scriptorem elegantem vix dum in hac bibliotheca natum, idque Pithœi beneficio, tam cito proscribere, vel (quod non levius) mille annis antiquiorem velut de ponte dejicere ex hac bibliotheca. Proinde amplectere, o lector, hoc Pithœi donum, quod ante annos ducentos eleganter quidem, sed non accurate satis, ut opinor, exscripsit Rodolfus presbyter, ut testatur fronti codicis adscriptum hoc elogium : *Hunc librum Rodolfus lucratus est S. Bonifacio anno Domini* MCCCLX. Pithœus vero pluribus locis recognovit : ut proinde non uno tantum, sed altero nomine etiam, quod Q. Julium Hilarionem, scriptorem antiquum eumque castigatum et ornatum tibi donat, Pithœo sis devinctus. » Hæc ille. Quod superest,

[a] Q. Jul. Hilarian. de Mund. durat. § 1. Vid. infra.
[b] Q. Jul. Hilar. ibid. § 17. Vid. infra.
[c] Voss. de Hist. Lat. lib. II, c. 12, p. 213.
[d] Maff. Opusc. eccl. pag. 5.
[e] Codd. mss. bibl. reg. Taur. part. II, p. 272.
[f] Bibl. PP. t. VII, pag. 258, edit. Paris. 1644.

illa pene exciderant, quæ de auctore nostro litteris tradidit cl. Mansius, quæque hic describere libet [a] : « Ad hunc Q. JULIUM HILARIANUM, inquit, scriptum credo opusculum *de ratione Paschatis*, auctore *Agriustia cive municipii Timidensium Regiorum* in provincia proconsulari Africæ. Lucubrationis hujus et auctoris meminit vetustissimus quidam scriptor A opusculi Paschalis adhuc inediti, quem mihi ex bibliotheca Canonicorum majoris ecclesiæ Lucensis descripsi, suo tempore evulgandum. Vide commentariolum meum *de codice tempore Caroli Magni scripto* § 15, in tom. XLV opusculorum P. Calogiera. »

[a] Mans. ad Fabric. Bibl. med. et infim. latin. t. III, p. 251.

Q. JULII HILARIANI CHRONOLOGIA SIVE LIBELLUS DE MUNDI DURATIONE.

I. Quantocumque tempore, in divinis legibus, cujuscumque timentis Deum intentus fuerit animus; tanto eligere [a] quæ vera sunt discet, ut discendo sapiens efficiatur, quia dux oculorum cordis est ei in lege : *Virtus Dei Patris et sapientia Christus* (I *Cor.* I, 24). Et quasi patefactis januis cœli, [b] ore proprio Dei audierit, exsultat, in lege aliquid [c] vere sapienter addiscens : unde sapientia Dei hominem silere non patitur; compellitur (ipsa veritate cogente) loqui, ut alios sapientes efficiat. Sapientiæ vero [d] qui junctus, invidere non potuit. Quapropter sapiens vult (per sapientiam Dei a qua sapiens effectus est) derelicta invidentia per quam mors dominatur et regnat (*Sap.* II, 24), omnes homines in mundo sapientes existere. Prædictum enim in lege esse scit, quod *multitudo sapientum sanitas est orbis terrarum* (*Sap.*, VI, 26). Igitur cum ex lege coram fratribus, sapientia duce, tractatus foret opponereturque ab iisdem, mundi initium finemque ejus penitus a nobis sciri non posse; quod alii affirmant plus XX millia annorum habere jam mundum; alii initium et finem dare ei nolentes; alii (initium concedentes) æternum fore voluerunt. Ad hæc ego aio : Astruere hoc per artem, philosophiam mundi et inanem deceptionem; verborum pompam opinionisque magis quam [e] veritatem amavere et sunt amatores. Nam si nos imperio Dei, quod fidele est, audiamus; accipiamus necesse est, quidquid nobis divina lex fideliter enarravit : quod annuente Domino (si permittitis) vobis simpliciter enarrabitur. Sunt enim qui estimant annos, in lege, inaniter aut superflue, quasi non necessarie fuisse conscriptos : nescientes parum habere fidei, tales qui quod lex Dei insinuat, verum esse non credunt. At illi : Magna, inquiunt, vis est, aliquid de lege proferre scriptoque mandare? Vere, inquam : nam ut ipsi scitis, olim de ratione Paschæ numeroque annorum mundi hortantibus vobis scripta fecisse me; sed idcirco silui aliquanto tempore, ne a nobis opuscula ipsa condimentis sapientiæ alienæ, irrationabiliter conderentur. Unde digestis melius rebus, de die sacratissimo Paschæ jam libellum præmisimus : in quo et qui sit mensis primus, legaliter demonstravimus: dehinc etiam cursum annorum a fabrica mundi, in hoc opusculo, suo quoque ordine, supputando notamus. B

II. In his igitur promissis, satis gavisi fratres faciunt quæ diligentius sanximus. Etenim de hac re non æque, sed varie scripsere quam plurimi; ut lectoris animus in ancipiti remanens, quid verius sit, scire non possit. Faciam ut vultis, ut et ipse promisi, Domino scilicet, Deo Christo monstrante. Quapropter partes omnes et regulas annorum affabre diligentiusque persequar; ut expositio ipsa, legentibus, quasi gradientibus, delectabilis via, æqua et plana videatur. Post præteritorum quidem descriptorum varias compositiones (præsertim qui jam præjudicatæ opinionis habentur), dicere aliquid, nefas aut superbum est; sed dicam; necesse est enim ratione cogente, quamvis superbum credo non esse si posteriore tempore, a quoquam melius quid de lege proferatur. Hoc et sanctus apostolus Paulus, pacem consulens, testatur et dicit : *Etsi alii melius revelatum fuerit sedenti, prior taceat* (I *Cor.* XIV, 30). Et utique apostolus de quacumque disputatione legis, hoc dixit : De qua re, quis qualiter senserit, ita ut senserit et bene, melius possit admitti. Nunc de annorum integro numero ratio vertitur; ubi non potest quis pro perfecto numero imperfectum ponere, aut ipsum perfectum C D

[a] *Eligere*. Suspecta lectio.
[b] *Ore*. Forte *ex ore*.
[c] *Vere sapienter*. Forte *veræ sapientiæ*. Et mox *inde* pro *unde*.
[d] *Qui*. Forte *quia*. Mox vero *potest* pro *potuit*.
[e] *Veritatem*. Ita rescripsimus pro *vanitatem* editorum.

transcendere numerum; et quod minus fuerit, et plus a perfecto numero astruere verum. Igitur jam veniamus ad causam, et suo ordine cuncta narremus, intelligaturque quo in loco hanc volentes assequi rationem, [a] aut plene dixerim.

III. Cum ergo hic mundus Creatore Deo constitueretur videretque omnia suo jussu ex nihilo apparuisse, mature cœlum cum ornamentis suis, id est solem, et lunam, et stellas, propter vices et signa temporum, luce radiantes; terram cum perfectione omnium seminum virore plenam, diversis coloribus flores habentem divina pictura; maria conclusione riparum ac montium, ne transcendant quasi vallatione quadam obsessa, isthinc etiam primo prolatum motum habentia in se et omnem animam vivam. Post hanc igitur perfectionem mundi, placuit omnipotenti Deo instituere hominem quem præ cæteris animalibus aliquid esse omnipotens Deus voluit: nam illa, jussu et verbo suo creavit; hunc sacris manibus finxit (*Gen.* I, 27), quem liberum dominumque super universa sua præfecit: illa, ut ab hoc regerentur; hic, ut sapiens animal rationale et astutum sese gubernaret in mundo. Ex istius namque tempore posteriorumque, omnium generationes (currendo) ostendimus usque ad nostram ætatem; quot anni sint ex quo factus est iste in quo degimus mundus; sed qui jam secundum evangelicam vocem in fine est constitutus: a die VIII Kalend. april. originem [b] ejus mundi tenentes quo inchoatum et factum esse, in libello Paschali; ratione currente jam exposuimus, et V dies sine homine fuisse mundum, et die VI fictum et vivificatum per Dei flatum esse narravimus.

IV. A primoplasti, Adæ scilicet, nativitate usque ad diluvium factum sub Noe, anni sunt [c] 2257, qui sic per generationes singulas fideliter comprobantur. Adam anno 230 genuit Seth. Seth 205 genuit Enos. Enos anno 170 genuit Cainam. Cainam anno 170 genuit Malalehel. Malalehel anno 165 genuit Jareth. Jareth anno 162 genuit Enoch. Enoch anno 165 genuit Matusalam. Matusalam anno 182 genuit Lamech. Hic primos Matusalæ annos quos scriptorum error fecit, nullus vidit, nullus inspexit, nullus diligenti inquisitione correxit: 167 annos eum vixisse [d] et genuit Lamech; post vixisse 811 annos, quod verum esse non potest, quia 811 usque transdiluvium, 14 annos plus esse monstratur. Diluvium enim nemo evasit, nemo præter arcam vivendo transcendit. Igitur Matusalam vixit anno 182 et sic genuit Lamech; et post hoc vixit annos 787, sic enim divinæ Scripturæ fides vera demonstrat, quæ Matusalam ante diluvium, et vixisse, et mortuum esse narravit.

V. Lamech anno 188 genuit Noe; sexcentesimo namque anno Noe, factum et consummatum est diluvium. A diluvii autem tempore usque ad [e] 60 annum Abrahæ, quo de terra sua ad peregrinationem profectus est, anni sunt 1012. Ita per ordinem: secundæ generationes, a Sem filio Noe, ostenduntur. Sed quia anni Sem [f] 78 in consummatione diluvii completi sunt, 2 scilicet anni ad rationem summæ quam post diluvium designavimus, necessarii sunt: ipse enim Sem biennio post diluvium, fuit annorum 100, et sic genuit Arfexat; quos annos 2 descriptores hujus rationis in numerum annorum non posuerunt, quomodo eos minime prævideruntur. Ergo post diluvium, Sem vixit annos 2 et genuit Arfexat. Arfexat autem anno 135 genuit Salam. Salam anno 130 genuit Eber. Eber anno 134 genuit Falech. Falech anno 130 genuit Ragau. Ragau anno 132 genuit Seruc. Seruc anno 130 genuit Nahor. Nahor anno 79 genuit Thara. Thara autem anno 70 genuit Abram. Abram anno 70 de terra sua profectus est (ut diximus) in Carram. A peregrinatione Abrahæ usque ad profectionem filiorum Israel ex Ægypto ad eremum, anni sunt 430. [g] Sic deinde a nobis certius declarantur.

VI. Abraham 30 annos peregrinatus est et accepit promissionis filium Isaac: qui cum verbum Domini desiderasset audire, quando [h] possit semen ejus hæreditare terram Chanaan; parato sacrificio ad vesperam Dominus ei locutus est, concludens simul et designans quod adhuc semen ejus peregrinaturum esset in terra Chanaan et in servitute Ægyptiorum annis 400, sicut in libro Geneseos Scriptura divina ipsi Abrahæ testatur: *Sciens scies quomodo peregrinum erit semen tuum in terra non sua et in servitutem redigentur et dominabuntur eorum annis* 400. *Gentem autem cui servierint, ego judicabo* (*Gen.* XV, 13, 14). Et ideo sapientissimus legislator Moyses, auctore Deo nostro, secutus ita ait: *Habitatio autem filiorum Israel qua habitaverunt in terra Ægypti et in terra Chanaan; ipsi et patres eorum, annis* 430 (*Exod.*, XII, 40). Hoc videlicet minus attendentes disputatores annorum; in Ægypto solum annos 350, et non ipsos 430, filios Israel fuisse, frustra memorati sunt. Nam ut plenius, sic melius 430 annos per semen Abrahæ, ab Isaac nato usque ad eos de Ægypto egressos (non in terra Ægypti solum, sed in terra Chanaan) esse completos; generationes eorum percurrendo monstramus. Isaac anno suo 60 genuit Jacob. Jacob cum esset annorum 130 introivit in Ægyptum cum filiis et nepotibus suis omnique progenie sua, inter quos nepotes fuit Caath filius Levi, qui est avus Moysis: ergo Amram in Ægypto natus est. Amram genuit Moysen; anno 80 suo idem Moyses exivit de Ægypto cum filiis Israel, ac per hoc in terra Chanaan ab Isaac nato usque ad Jacob ingressum in Ægyptum, habitaverunt annis 140, et in Ægypto fecerunt annos 210. Satis est ad declarationem annorum istorum de quibus hæsitaverunt quam plurimi qui de iis fuerant locuti.

[a] *Aut plene dixerim.* Forte *haud plene dixerint.*
[b] *Ejus mundi.* Forte *ejusmodi.*
[c] Melius 2237, eo enim redit.
[d] *Et gen.* Forte melius, *cum gen.*
[e] Melius 70.
[f] Melius 98.
[g] *Sic.* Leg. *qui sic.*
[h] *Possit.* Forte *posset.*

VII. Et ideo a fabrica mundi usque ad profectionem filiorum Israel de Ægypto, anni sunt iii [a] 646. In eremo fuerunt [b] anno 40, deinde mortuo Moyse, Jesus filius Nave, per Jordanis alveum sicco pede ad terram promissionis transtulit populos; et eis favente divinitate, debellans asperas gentes, judicavit ut justus. Sub Judicibus autem fuerunt inibi captivitatis tempora, a Jesu Nave usque ad Samuelem prophetam qui unxit Saul regem, per annos 561. Sed ut et nostram summam integre fore collectam, et in Actibus Apostolorum apostolum Paulum recte posuisse, a legentibus cognoscatur, quod ita a Jesu Nave divisa patribus nostris terra Chanaan, dedit eis judices Dominus Deus per annos 450 usque ad Samuelem prophetam. Apostolus enim Paulus aliter agens in Actibus Apostolorum et aliud persuadens : non et captivitatis, sed sola in quibus judices habuerunt et dominati sunt, tempora nominavit : *Et dedit eis Judices*, ait (*Act.* XIII, 20). In captivitatem enim pro peccatis traditi, non suos Judices habuerunt, sed ab exteris premebantur. Nam nec ipse apostolus Paulus contra fidem Scripturæ libri Judicum venire posset, si quantitatem temporum percurrere voluisset. A Deo datos populo judices nominavit, fidem Domini Christi insinuare volens; nam usque ad David, verba ad populum fecit, ut ex ejus semine venisse Christum narraret : in quo credentes (si vellent) habituros dimissa peccatorum prædicavit.

VIII. Hæc denique tempora judicum sic ostenduntur, Jesus Nave cum senioribus judicavit annis 30. Post hæc peccantes, traditi sunt Chusanrasathaim regi Mesopotamiæ, annis octo : et excitavit illis Dominus ad auxilium Gothoniel : qui occiso Cufarsamoth, judicavit Israel annis 50. Post hunc, peccantes, servierunt Eglon regi Moab, annis 18. Aoth occidit Eglon, et judicavit Aoth annis 80. Isto mortuo, peccavit populus, et servierunt Jabin regi Chananæorum annis 20. Contra quem Dominus suscitavit Deboram, quo occiso Jabi, judicavit ann. 40. Peccantes iterum, traditi sunt Madianitis ann. 7. Super hos surrexit Gedeon et judicavit populum an. 40. Post ipsum, filius ejus judicavit an. 3. Post hunc, Tola judicavit an. 22. Mortuo Tola, electus est a populo Jahir, et ipse judicavit populum an. 22. Post ejus exitum, peccavit populus, et traditi sunt Ammanitis an. 18; et a pressura clamantes ad Dominum, excitavit illis Jepte, et judicavit an. 6. Et Sebon judicavit an. 7. Peccavit deinde populus, et traditi sunt allophylis an. 40. Iterum conversi ad Dominum, excitavit illis Samson, qui victis allophylis judicavit ann. 20. Mortuo eo judicavit [c] Semergar ann. 1. Post hunc fuit populus in pace, et non eis erat rector; sed unusquisque quod ei placebat, faciebat, et ipsi sibi fuerunt judices per ann. 30.

IX. Transactis igitur annis istis, judicavit Heli sacerdos, an. 20. Huic successit Samuel etiam ipse Dei sacerdos; et judicavit an. 40. usquequo unxit Saul regem. Fiunt ergo omnes anni, ut diximus, 561. Nam qui putant de his annis aliud Apostolum narravisse; diligentius advertant, non advertisse eos qui annorum historiam descripsere, quia sequestrata sola Judicum tempora (ut fecit Apostolus) sine annis captivitatis sunt anni 111. Sunt ergo anni omnes a fabrica mundi usque ad Samuelem qui unxit Saul regem 4300. Successerunt deinde tempora Regum. Habuerunt etiam Reges per ann. 514 a Saul usque ad Sedechiam; cui Nabuchodonosor oculos auferens, eum in pistrino neravit. Sic deinde comprobantur anni Regum. Saul regnavit annis 40, David regnavit annis 40 et mensibus 3, Salomon ann. 40, Roboam ann. 17, Abia ann. 3, Asa ann. 41, Josaphat ann. 25, Joram ann. 8, Ochosias ann. 1, [d] Godolias ann. 6, Joas ann. 40, Amasias ann. 29, Ozias ann. 52, Joatham, ann. 17, Achaz ann. 15, Ezechias ann. 29, Manasses ann. 55, Amos ann. 2, Josias ann. 31, Joachaz menses 3, Joachim ann. 11, Joachim menses 3 et dies 20, Sedechias ann. 11. Sunt ergo ut diximus ann. Regum 514.

X. A fabrica scilicet mundi, usque ad Sedechiam, quando Hierusalem eversa est, et populus in Babylonem transmigratus est, anni sunt 4814. Post undecimum ergo annum Sedechiæ; Hierusalem eversa a rege Nabuchodonosor; Judaicus populus in captivitatem Babyloniæ transmigratus est. Quæ captivitas 70 annos tenuit : qui anni, quomodo consummati sunt, luce clarius demonstrantur, cum hinc ad hebdomadas Danielis venerimus; ut hæ hebdomades, a quo tempore et ubi completæ sint, diligentissime comprobantur. Daniel enim in decima visione sua, cum totus attenta mente pendula sollicitudine, in oratione ad Deum fuisset intentus; scire volens si status Hierusalem et populus ejus, post captivitatem Babyloniæ, ab hostibus nihil mali amplius pateretur; apparuit ei angelus Dei dicens : *Daniel modo prodivi ad ostendendum tibi sensum; exivit enim Dominus præceptum, et veni ut demonstrem tibi : Vir enim concupiscens es tu. Recogita igitur in præceptum, et intellige visionem; Septuaginta hebdomadæ incisæ sunt in populum tuum, et in civitatem Hierusalem* (*Dan.* IX, 22-24).

XI. Designat igitur angelus Danieli, et summam in septuaginta hebdomadibus, et rursum suo ordine partitur eas, quando et quomodo compleantur. Ac de eodem angelus sic prosequitur dicens : *Ad oblitteranda quæ acceperunt, et consummanda peccata, [e] et exorandas injustitias, et abolenda delicta, et æquitatem sempiternam excogitandam, et ut concludatur visio et prophetia, et ut ungatur Sanctus Sanctorum : et tu quiesce et intellige [f] de proventu Sanctorum, sive præceptum respondendum et ædificandam urbem Hie-*

[a] Melius in M.
[b] *Anno.* Forte *annos* vel *annis.*
[c] *Semergar.* Al. *Samgar.*
[d] *Godolias.* Melius *Gotholia*, mater Ochoziæ.

[e] *Et exorandas injust.* Sec. LXX, καὶ τοῦ ἐξιλάσασθαι ἀδικίας.
[f] *De proventu*, etc. Locum mendosum suspicor. LXX, Ἀπὸ ἐξόδου λόγου τοῦ ἀποκριθῆναι, *Ab exitu ver-*

rusalem, usque ad Christum ducem, hebdomadas septem (*Dan.* 24, 25) : quæ hebdomadæ sunt 49 anni : qui anni, ad corpus 70 annorum captivitatis Hierusalem pertinent. Anno enim primo Darii regis, qui regnavit ad regnum Chaldæorum, qui etiam Balthazar regem occidit ; Daniel vidit visionem : et fuit 21 annus captivitatis Hierusalem ; 18 enim annis vixit Nabuchodonosor, posteaquam prædatus est Sedechiam et Hierusalem ; et filius ejus Balthazar regnavit annis 3, in quo anno tertio occisus est, et suscepit regnum Darius. Cujus anno primo, Danieli ab angelo dicitur de hebdomadis septuaginta : quas cum partiretur, septem hebdomadæ, primo, ab eodem angelo nominatæ sunt : quæ (ut dictum est) sunt anni quadraginta novem, qui junguntur ad 21 captivitatis, quando Daniel vidit visionem ; et efficiuntur anni septuaginta, qui completi sunt in Babylonia, ut impleretur visio et prophetia Hieremiæ. Post quos annos Cyrus rex Persarum jubet populos ire ad Hierusalem primo anno regni sui ; ut ædificari posset Hierusalem, et ungeretur Sanctum Sanctorum, quod fuit in Templo Dei sacratissimum.

XII. Revertuntur igitur populi de Babylonia, habentes secum ducem Zorobabel, de quo mentio facta est ab angelo ad Danielem ; *usque ad christum ducem, hebdomadæ septem.* Omnis enim rex populi Dei, in divina lege, christus appellatus est. Nam et Zacharias propheta, Regem futurum eum, ad populum sic loquitur dicens : *Manus Zorobabel fundaverunt domum istam, et manus ejus consummabunt eam, et cognosces quod Dominus omnipotens misit me ad te ; quia quis sprevit te in diebus pusillis ? et gaudebunt in te, et videbunt in manu Zorobabel lapidem stanneum* (*Zach.* IV, 9, 10) : quod hodie imperatores, in manu dextera, veluti populum ferre videntur. Repetit angelus, et ait Danieli [a] 62 hebdomadas Dominum, hoc est, in quibus restituto templo et civitate Hierusalem, in oblationibus suis Domino servierunt. Quæ hebdomadæ 62 sunt anni 434, qui anni completi sunt temporibus Machabæorum anno 141 regni Græcorum. Isto namque tempore, Antiochus Græcis superba mente regnabat.

XIII. Et quamvis ordo iste annorum divinæ legis, a constitutione mundi sufficiat sibi ; tamen ut lectoris animo satisfacere videamur, etiam per reges Persarum currentes, de historiis publicarum litterarum ostendimus a Cyro 62 hebdomadas isto tempore Machabæorum fuisse impletas. Cyrus namque Persis regnavit annis 30, Artaxerxes regnavit annis 9, Argus regnavit mensibus 9, Darius regnavit annis 36, Artaxerxes secundus regnavit annis 19, mensibus 2, Socidanus mensibus 7. Xerxes filius major regnavit annis 20, Artaxerxes regnavit 72, Artabus regnavit mensibus 7, Darius Nothus regnavit ann. 29, Olus regnavit ann. 22, Arser regnavit ann. 17, Darius regnavit ann. 6. Hunc interfecit Alexander Magnus Macedo ; a cujus tempore historia Machabæorum, Græcorum annos divina narratione percurrit. Fit igitur omnis summa annorum regum Persarum 263, et ab Alexandro Macedone usque ad Antiochi tempora, id est, usque ad 141 annum regni Græcorum, completæ sunt (ut diximus) hebdomadæ 62, hoc est, ann. 434.

XIV. Post 62 hebdomadas (ait angelus) disperdetur unctio et Sancta. Ergo post 7 et 62 hebdomadas una hebdomada superest, quam faciunt anni 7 ad conclusionem summæ 70 hebdomadarum. In hac scilicet hebdomada, gentium malitia excrevit, sicut jam ab angelo fuerat dictum ; ut etiam in dimidio hebdomadis ejusdem, ab Antiocho rege Græcorum auferatur sacrificium de loco sancto : et Sanctum ipsum pollutum est feminino aspernamento, et *Abominatio desolationis* facta est super altare, et statua Jovis quem Olympium vocant, illic collocata. Iste etiam Antiochus mente perversa Antichristi imaginem portans, unam plebem unumque sacrilegum populum sub regno suo efficere conabatur. Nam et apostaticis hominibus ædificare in Hierusalem gymnasium, id est, studium, concessit : et ubi non nisi ad exorandum se sanctaque sacrificia sibi offerenda Deus omnipotens templum sibi collocare præcepit ; ille ex spectaculis idolorum polluere concupivit.

XV. Cum igitur 7 et 62 hebdomadæ completæ fuissent, in prima ista hebdomada (ut superius dictum est) libros legis comburi, sacrificari simulacris, et immunda manducare, genti Judæorum indixit ; et fuit usque in quinta et vigesima die mensis 9 ann. 148 regni Græcorum : in quo anno, complentur hebdomadæ omnes 70, quas decurrens designavit angelus Danieli, de turbatione civitatis Hierusalem et populi eversione ; de qua re etiam ipse Daniel, ad Dominum concupiscens requirebat.

XVI. Ex hinc usque in 174 annum regni Græcorum ; quo tempore Lucius Licinius Lucullus, qui fuit consul Romanorum, de societate et amicitiis ad Simonem fratrem Judæ Machabæi litteras dedit ; anni sunt 26. Ex istius namque consulatu annos jam consules, requirentes ; invenimus usque ad passionem Domini nostri Jesu Christi, usque ad annum decimum sextum imperii Tiberii Cæsaris, 179 annos esse completos : ac per hoc a fabrica mundi usque ad passionem Christi Salvatoris nostri, anni sunt 5530. Proinde ad conclusionem sex millium annorum debentur anni 470. Necesse est enim, ut quomodo filii Israel, a pollicitatione Domini Dei facta ad Abraham, post 470 annos promissionis terram accepere ; sic etiam nos Christiani, post totidem annos, primam resurrectionem habebimus. Populus enim Judaicus, in omnibus figuram nostram portat : *In quo fines sæculorum concurrerant* (I *Cor.* X, 15). Ergo a passione Domini Christi (ex quo tempore fide in se credentibus, resurrectionem pollicitus est Dei Filius) anni compleantur necesse est 470, ut concludatur summa sex millium annorum. Septimo

monis ad respondendum.

[a] Melius, *post* 62 *hebdomadas occidendum Dominum.*

et millesimo anno incipiente, fide vera credentes liberabuntur e mundo; tunc enim erit resurrectio prima omnium Sanctorum.

XVII. De 400 vero et septuaginta annis a passione Domini, in consulatu Cæsarii et Attici; die nono kalendas Aprilis, anni transierunt 369. Restant itaque anni 101 ut consummentur anni 6000, qui anni 6000 non ante complentur, nisi prius prope ultimum reges decem exierint in mundum; et filiam Babyloniæ quæ nunc obtinet, de medio mundi tulerint. Ad quos subito exiet unus potens super eos, qui est in Apocalypsi Draco nominatus, et obtinebit reges decem; et ex eis aliquos perdet, alii sub ejus ditione remanebunt: *Tunc revelabitur ille impius, filius perditionis, qui elatus est adversus omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in templo Dei sedens ostendat se tamquam ipse Deus* (II *Thess.* II, 8, 4). Hic erit proprius Antichristus. Huic potentissimus ille Draco cui decem cesserunt reges, tradet vim et potestatem suam, et mirabuntur universi mortales. Et erunt Antichristi tempora (quæ tempora, mortalia sint necesse est) qualia cum Antiochus sub regno suo unum populum in apostasia facere conabatur; cui (quia tempus non fuit) non talia evenerunt, qualia tentabit efficere Antichristus. Dum venerit, ad perditionem infidelium veniet: cujus tempus, grave ac nefandum erit; *quem solus Dominus Christus interficiet spiritu oris sui, et evacuabit præsentia adventus sui* (*Ibid.*, 4).

XVIII. Superato igitur et interfecto Antichristo, summa completa annorum sex millium fiet resurrectio omnium sanctorum adhuc superstite mundo; decurrentibus etiam annis mille, in quibus draco ille antiquus (*Apoc.* XX, 3), diabolus et satanas, ligatus in abysso, sequestratus erit ne seducat quemquam, donec consummentur anni tres; qui anni tres his annumerabuntur qui sub signo Antichristi remanebunt, et hi omnes nubent et nubentur, et morientur: super hos, et plagæ illæ descriptæ in Apocalypsi advenient, et partibus subinde cæditur hic mundus. Nam Sanctis Dei, in resurrectione unus erit dies; et tantum erit prolongatus in lucem dies iste Sanctorum, quantum impiis illius in mundo cum pœna viventibus, mille numerabuntur anni. Iste est dies septimus, et sabbatus æternus et verus, cujus imaginem et figuram tenet sabbatus iste temporalis in Moysi lege conscriptus. Sicut enim populo Judaico dictum: Sex dies operare opera mundi; septimo autem die qui appellatus est sabbatum, requiesce ab operibus tuis (*Exod.* 23, 12): si sanctis omnibus qui sunt ab initio mundi, et nunc in Christo vera fide credentibus; transactis scilicet sex diebus (id est sex millium annorum) in quibus eis labor et cruciatus fuit; venit dies septimus et sabbatus verus.

XIX. Quapropter omnem animam prænonuit Dominus Christus in Evangelio ad credendum in se ante esse currendum, non eo tempore quo et pœna æterna impiis, et merces bona sanctis reddatur necesse est pro meritis singulorum: *Rogate*, inquit, *ne fiat fuga vestra hieme aut sabbato* (*Matth.* XXIV, 20). Post septimum et millesimum annum solvetur Satanas de carcere suo, et exiet seducere gentes Gog et Magog; et congregans eas ad castra Sanctorum quasi pugnaturas: et descendet ignis de cœlo, et consummabuntur omnes homines: et tunc erit secunda resurrectio omni carni; et judicabuntur omnes judicio Dei justo pro eo quod non crediderunt, sed sibi placuerunt in justitiis. Et post hoc, auferetur cœlum hoc et terra ista; et civitas illa quæ in Apocalypsi descripta est, parata de cœlo descendet cum divitiis Dei, in qua justi habitabunt: et erit cœlum novum et terra nova, et utraque in perpetuitate manebunt: impii in ambustione æterna; justi autem cum Deo in vita æterna. Amen.

QUINTI JULII HILARIANI
EXPOSITUM DE DIE PASCHÆ ET MENSIS.

I. In unum, fratres, nonnulli ac servi Dei, de divinis Scripturis ut aliqua tractaremus, sæpe convenimus, ibique desiderantibus eis, de Paschali Circulo pauca interim locuti, plenam me exhibiturum rationem promisi. Igitur jussio fratrum meum promissum iterum et sæpe admonuit, ut illud, quod dudum de ratione Paschæ sensim patienterque tractavimus, id jam scripto meo definiretur, hoc est, ut cum non aliud Dominus Deus Moysi quam primum mensem nominarit, et in eo Pascha celebrari præcepit, dicens: *Mensis hic initium mensium, primus erit vobis in mensibus anni. Fare itaque ad omnem Synagogam filiorum Israel, ut faciant Pascha, incipientes a quarta decima mensis hujus ad vesperam usque in vicesimam primam* (*Exod.* XII, 2, 3, 18, *sec.* LXX). Unde vero primus iste mensis incipiat, vel ubi terminum habeat, scriptura divina haud nobis evidentissima responsione declaravit. Cur ergo hodie abs [b] tertio nonarum Martiarum usque in [c] quartum nonarum Aprilium [d] diem luna prima a nobis quæritur, seu ex [e] quinto decimo kalendarum Aprilium in septimo decimo kalendarum Maiarum die, ut sit

[a] Vid. supra *Prolegom. cap.* 9, §§ 1 *et* 2.
[b] Ms. *tertiu.*
[c] Ms. *Quartu.*
[d] Ms. *die.*
[e] Ms. *quintu decimu.* Ita sæpius quoque in sequentibus ista exprimit codex ms.

* Hoc Expositum legitur apud Gallandium in appendice tomi ex quo Hilariani opera excerpsimus. Edit.

quarta decima, confirmatur. Exinde ubicumque occurrerit dies Paschæ, legitime celebramus, sicuti a Patribus nostris celebratum traditumque esse cognovimus. Nunc tempus advenit, quo ratione legis oratione mea [a] aliare cuncta ordinanterque discurramus, videlicet retinentes, quod Pascha non a principio mundi, sed á [b] Moyse sacra voce celebrari præceptum est, et quod [c] mense primum non ut Ægyptii ex quarto kalendarum Septembrium die, aut ut Romani e kalendis [d] Januariis primum suum incipiunt mensem, sed ex divinæ legis auctoritate semper, omnique anno luna suo cursu primum nobis generat mensem. Sed mensem istum primum propter Pascha nostrum ut legitime cognoscamus, ad originem mundi certa ratione ire compellimur; ut diem, in quo luminaria facta sunt, vel qualem mundo Deus fecerit lunam, cognoscere possimus, licet in constructione mundi non aliud credendum est, nisi quia Deus omnipotens omnia æqualia, plena perfectaque constituit.

II. Demonstrandum est igitur *primo* cum mundi fabrica inchoaretur, quia sit dies, quem Deus omnipotens creando lucem constituit : *in secundis* ostendemus, lunam a Deo ad vesperum [e] qualis profecto sit facta, vel ubinam ejus annus finem accipiat: sic *deinde* [f] enarrabimus, quare abs III nonarum Martiarum usque in IV nonarum Aprilium [g] diem prima luna a nobis quæritur, vel ex XV kalendarum Aprilium usque in XVII kalendarum Maiarum [h] diem ad celebrandum integre Pascha XIV requiratur ut omni ex parte præcludatur aditus [i] his, qui contradictionibus student, ne in aliquo nos minus rationem [j] definivisse arbitrentur.

III. Cum necdum esset lex ab omnipotente Domino tradita, homines in cursu lunæ sæpius hæsitabant. Alii in orbem plenam, qualis Dei jussu mundo orta fuerat, primam appellabant, alii aliud sentiebant. Menses igitur tantummodo per tricenarium numerum computantes, in trecentis sexaginta diebus cursum duodecim [k] mensium explicabant, sicut tempus illud diluvii Geneseos Scriptura tricenos dies in mense cucurrisse monstratur. Quinque scilicet dies, qui supersunt ad annum finiendum, in memoriam fabricæ Dei vacui nominabantur. Quinque enim diebus fabricatus est mundus, homo vero sexto die post omnia factus est, ex quo etiam die ad duodecim percurrendos menses computus ei dierum fuit trecentorum sexaginta in pridie diei illius, quem primo constituit Deus. Quinque deinde [l] vacivi dies fuerunt usque in pridie nativitatis ejusdem hominis, qui primo fictus est, ex qua consuetudine vel traditione sic apud aliquas gentes remansisse cognoscitur, ut apud Ægyptios, qui hos quinque dies vacivos habent, quos [m] ἐπαγομένους appellant. Et ab aliquibus descriptoribus Romanis, qui rationem dierum scribere voluere, atros intercalaresque fuisse nominati sunt. Nemo igitur priscis temporibus, quia necdum ostenderat Deus cursum solis ac lunæ, nemo hominum apprehendebat [n] verni æstatisque tempora, autumni et hiemis metas, crementa [o] decrementaque dierum ac noctium colligebat, quem suis quoque temporibus hæc luminaria imperio Dei explicare usque ad finem temporis jussa sunt. Unde pro tempore Job illum sanctissimum beatissimumque Deus omnipotens inter multa correptionis verba etiam de hoc admonuit, dicens : *Et hoc mihi die, an scias cursum solis et lunæ* (*Job.* XXVIII, 19)? Eo quippe tempore, quo a Domino Deo nostro legem Moysi datam esse cognoscimus propter Pascha celebrandum, [p] mensium annorumque rationem per lunæ cursum ei tradidit, ut ex [q] neomenia mensem primum seu alios habere potuisset, qui nunc ex legis traditione colligitur, si modo is, qui colligere velit, diligentissime perscrutetur, cui rei nos operam dantes singula exponimus, incipientes, ut diximus, a die primo mundi.

IV. *In principio*, inquit Moyses, *fecit Deus cælum et terram, terra autem erat invisibilis et incomposita, et tenebræ erant super abyssum et spiritus Dei superferebatur super aquas. Et dixit Deus, fiat lux, et facta est lux. Et vidit Deus lucem, quia bona est, et divisit inter lucem et tenebras. Et vocavit Deus lucem diem, et tenebras vocavit noctem. Et factum est vespere, et factum est mane dies unus. Et divisit Deus inter lucem et tenebras*, hoc est, libravit diem et noctem (*Gen.* 1, 1-5, *sec.* LXX). Ad jussionem enim Dei lux facta ita tenebras intercidit, ut cursus inter utraque æqualis appareret, et exinde jam dies ac nox crementa et [r] decrementa alterna vice susciperent, et tempora demonstrarent. Sicut enim terra et maria omnem animam vivam Deus omnipotens, primo in ætate integra ad genus, nec non et omnes fructus terræ perfectos cum suis seminibus mox jussit educi, sic deinde imprimis lucis ac tenebrarum spatium æquali cursu constituit. Iste igitur dies primus cognoscitur esse, qui in origine factus est, in quo lucem noctemque Dominus Deus fecit æqualem, [s] verni scilicet tempore, quo caput anni esse voluit omnipotens Deus.

V. Isto igitur tempore fabricavit et mundum.

[a] Legendum *affabre*.
[b] Ms. *Moysen*.
[c] Scilicet, *quod mensis primus nobis sit determinandus*.
[d] Ms. *Januaris*.
[e] Scil. *factam et ubi*.
[f] Ms. *enarravimus*.
[g] Ms. *Die*.
[h] Ms. *Die*.
[i] Ms. *is* ut sæpe.
[j] Ms. *definisse*.
[k] Ms. *epagomenos*.
[l] *Vaciri*. Leg. forte *vacui*, ut paulo ante. Sic et paulo post.
[m] Ms. *epagomenos*.
[n] *Veris* scilicet.
[o] Ms. *detrimentaque*.
[p] Ms. *mensum*.
[q] Ms. *eomeia*.
[r] Ms. *detrimenta*.
[s] Lege *veris*.

Ante omnia enim tempora etiam tempus istud primo constituere dignatus est Dominus, quod præ cæteris sit blandus, aeris qualitate libratus, quo cuncta terræ nascentia glacialis hiemis torpore defuncto, et læto hoc veri temporis aere suscepto, in varios diversi generis flores seminaque prorumpunt; ut laudes quodammodo etiam ipsa Domino Creatori fecundis primitiarum fructibus cum hominum festis gratissima suavitatis fertilitate concelebrent, in quo etiam nunc institutus a Domino primus occurrit æquinoctius, qui secundum cognominationem [a] mensium Romanorum VIII kalendarum Aprilium invenitur. Hinc ergo initium sumentes, universa quæ proposuimus, decurremus.

VI. De die primo mundi locuti breviter explicuimus. Jam ad lunæ rationem veniamus. Transactis enim tribus diebus, quarto die, id est, V kalendarum Aprilium in signis temporibusque, diebus, et annis haud simul luminaria sunt constituta. Licet enim uno die sunt facta, tamen Deus omnipotens, ut clarum nobis efficeret diem, solem mane constituit. Appropinquante igitur nocte in numeros et tempora vario cursu volventem menstrualem instituit lunam: quæ luna ad vesperum quarta decima [b] dodran facta est, ea ratione, ut et omnes primæ noctis tenebras illustraret, totamque percurreret noctem, et ut homini novo, cui hæc Dominus Deus faciebat, sexto die, sicuti jam sol diei factus sit, ita ei aliud opus luna nocti proficiens procedere videretur, ne desertus a lucis [c] exitu, solisque claritate, insperatas seu solas tenebras pateretur. Eo enim tempore lunam talem mane quod oritur, sol respicit in Occidentem, in inchoatione vero noctis post [d] abscessum lucis, consummatosque cursus solis, quæ cum virtute lucis suæ clypeata luna procedit. Non immerito etiam per Moysen in Exodo Dominus Deus populo suo jussit ex quarta decima luna primi mensis plena ad vesperum usque ad vicesimam primam Pascha debere celebrari. Voluit enim Dominus [e] hebdomadam Paschæ a quarta decima plena ad vesperum habere initium, ut illucescente die Paschæ, qui primus est hebdomadis ejusdem quinta decima luna prima eis fuisset dies azymorum. Dominus enim in Levitico declarat, hoc dicens: *In primo mense, in quarta decima die mensis, in medio vespertinorum Pascha Domino, et in quinta decima mensis hujus dies festi azymorum Domino* (*Levit.* XXIII, 5, 6, *sec.* LXX). Dies enim lunares [f] vespere incipiunt, et in vespere finiuntur; quoniam luna a Deo ut sua luce propter rudem adhuc hominem noctis tenebras temperaret, a vespere quinto kalendarum Aprilium die nativitatis accepit ortum, et usque in [g] aliam vesperam, id est IV kalendas Apriles primi diei sui exhibuit cursum, quapropter hodie nos lunarem cursum edocti a Deo, retinentes vigilias Paschæ initiante vespera celebramus.

VII. Exposuimus, luna a Domino qualis sit V kalendas Apriles ad vesperam facta. Nunc et ubi annum suum explicuerit, demonstramus. Iste enim annus cæteris annis terminum posuit. Sed quod menses et annos, ut supra memoravimus, suo cursu luna demonstraret per neomenias, id est, novos ac primo dies [h] mensum, quos generat luna, Dominus Deus sua testatione declarat. Sic enim et scriptum est: *Et locutus est Dominus Deus ad Moysen, dicens: In die primo neomeniæ mensis primi* [i] *dedicabis tabernaculum testimonii* (*Exod.* XL, 1, 2, *sec.* LXX). Et alio loco, cum de sacrificiis, quando et quomodo offerri deberent, ait: *Etiam offeretis sacrificia, et in neomeniis mensis ex mense in mensibus anni* (*Num.* XXVIII, 11, 14, *sec.* LXX). In libro etiam Regnorum dictum est: *Cum se absconderet David, timens regem Saul, et facta sunt neomenia, et intravit Rex ad mensam, ut manducaret, et cum eo soliti convivæ venerunt. David autem non intravit cum eo, et apparuit locus ejus, et nihil locutus est Saul illo die, et factum est in crastinum in secundo die mensis* (*I Reg.* XX, 24-26, *sec.* LXX). In Psalmis quoque dictum est: *Lunam posuit Deus in tempora* (*Psal.* CIII, 19). Igitur in viginti novem semis dies lunæ explicat mensem. Quapropter? quia non penitus tenuata luce finitur. Cæterum jam aliud opus esset, non id quod primo fecerat omnipotens Deus. Tricesima ergo luna latens in semisse cavatur. Duodecies igitur vicies nona semis efficiuntur dies trecenti quinquaginta quatuor.

VIII. Itaque in V nonas Martias eadem luna annum suum currendo complevit. Hoc per singulos menses anni ipsius lunæ probare possumus. Nam primum suum mensem hæc luna II idus Apriles consummavit, eo quod eam [j] plenam Deus mundo fecit, ac procedere jussit.

Secundum mensem IV idus Maias explicuit.

Tertium vero mensem III idus Junias consummavit.

Quartum mensem sexto idus Julias.

Quintum mensem V idus Augustas.

Sextum mensem VII idus Septembres.

Septimum mensem nonas Octobres.

Octavum mensem nonas Novembres.

Nonum mensem nonas Decembres.

Decimum mensem III nonas Januarias.

Undecimum mensem IV nonas Februarias.

Duodecimum quippe suum mensem V Nonas Martias assignavit, die vero IV nonarum Martiarum post die V nonarum earumdem transactis duodecim lunia, id est, duodecim mensibus apparuit nativitas ejusdem lunæ.

IX. Proinde in trecentis quinquaginta quatuor die-

[a] Ms. *mensuum.*
[b] Ita sane in ms. apparet legendum esse *dodrantem.* In sequentibus eadem ratione scriptum inveniemus.
[c] Ms. *exitum.*
[d] Ms. *abscessu.*
[e] Ms. *ebdomadum.* Ita et in seq.
[f] Ms. *vesperæ.* Ita et in seq.
[g] Ms. *alia vespera.*
[h] Lege *mensium.*
[i] Ms. *dedicavis.*
[j] Ms. *plena.*

bus luna perexplicat annum, sol vero in trecentis sexaginta quinque et quadran, undecim scilicet dies sunt et quadran, quos quasi minus habere videtur ratio lunæ a ratione solis. Sex dies cavaturarum lunæ duodecim semisses, et quinque illi, qui in memoriam fabricæ Dei, vacivi nominabantur, quos nunc compositio Romana super aliquos menses divisit, quos intercalares nominavit, [a] et quadrantem illum, quem potius ratio continet solis, qui quadran superputatus, quater per accessus quatuor annorum efficiens assem ad cursum solis accedit bis sexti kalendarum Martiarum. Sed quoniam sol et luna, dies et nox alter in alterius connexam habet disputationem super CCCLIII dies annum lunarem, accedunt hi undecim dies et quadran bissextilis, et sic annus solis habere cognoscitur dies CCCLXV et quadran. Igitur, quia luna primum suum explicuit annum, id est, in V nonarum Martiarum, III nonarum Martiarum dies ad primum mensem pertinere videtur.

X. Sed quoniam divina pietas ita sanxit, ut Paschæ solemnitas non aliter quam in primo mense procul dubio celebretur, ea ratione non a IV nonarum Martiarum die propter [b] rationem Paschæ prima luna a nobis quæritur; quoniam in isto die anno ipso primo vertente non assis plenus, sed semis apparuit luna, alia vero die, id est, III nonarum Martiarum in asse pleno prima fuisse cognoscitur. Unde [c] intelligimus, eam nonnisi a IV nonarum Martiarum die, ut rectius nobis III nonas Martias prima possit occurrere, incrementa assis ejusdem lunæ ortum ad nativitatem debere tenere. Nunc igitur IV nonas Martias cum occurrerit luna prima, idcirco declinamus, quia in XXIV horas noctis et diei assis ipse conficitur, et de die ultimi mensis anni transacti ejus, qui est V nonas Martias ad assem suum incipit incrementum, et ne ultimo mense initium accrementa luna prima mensis primi habere videatur. Iste dies IV nonarum Martiarum medius a nobis retinetur, ut sit inter [d] die ultimi mensis transacti, et inter III non. Mar. ut luna prima, quæ fuerit III non. Mar. ex die IV non. earumdem initium habeat accrementum. In eo enim die, id est, in III non. Mar. si fuerit luna prima sine scrupulo anni, et in die primi mensis prima esse invenitur, et de die primi mensis ad nativitatem suam accipit incrementum.

XI. Igitur ex die isto III non. Mar. usque in die IV non. April. quæri a nobis debet, ut sit luna prima, quia in quocumque die ex his XXIX diebus luna prima cum fuerit, inde incipit primus mensis lunaris. Ex die vero XV kal. Aprilium usque in XVII kal. Maiarum [e] diem legaliter luna ut sit quarta decima, vera ratione firmatur. Hinc namque decurrentes, ubi occurrerit dies sacrosanctus Paschæ, sane in eodem pridem primo mense, quem luna genuerit, juste ac sine ulla intermissione Pascha facere oportet. Sic enim de ea re Dominus in Exodo testatur et dicit: *Diem festum Paschæ observabitis, septem diebus edetis azyma, sicut præcepi tibi per tempus mensis novorum. In eo enim existi de terra Ægypti* (*Exod.* XXIII, 15, *sec.* LXX). Item in Levitico præcepit Dominus et dicit: *In primo mense in* XIV *mensis in medio vespertinorum Pascha Domini, et in* XV *mensis hujus dies festi azymorum Domino* (*Levit.* XXIII, 5, 6, *sec.* LXX). Item in Numeris: *Locutus est Dominus ad Moysen in deserto Syna anno secundo profectionis eorum ex Ægypto in mense primo, dicens: Dic et faciant filii* [f] *Israel Pascha in tempore suo, quarta decima die mensis primi ad* [g] *vespera facies illud secundum tempora, secundum legem suam, et secundum corporationem suam facies illud. Et locutus est Moyses filiis Israel facere Pascha in deserto Syna, et secundum quod præcepit Dominus Moysi, sic fecerunt filii Israel* (*Num.* IX, 1-5, *sec.* LXX). Et paulo post cum comminatione præcepit Dominus et dicit: *Homo qui fuerit mundus, et in via longa non fuerit, et cessaverit facere Pascha, exterminabitur anima illa de populo suo, quia munus Domino nostro non obtulit tempore suo, et peccatum suum accipiet homo ille* (*Ibid.*, 13). Item in Deuteronomio Moyses ad populum loquitur, dicens: *Observa mensem novorum, et facies Pascha Domino Deo tuo, quia in mense novorum existi de terra Ægypti nocte, et immolabis Pascha Domini Deo tuo* (*Deut.* XVI, 1, 2, *sec.* LXX). Etiam in libro primo Esdræ apertius scriptum est: *Et egit Josias Pascha in Hierosolymis Domino, et immolavit Fasec quarta decima luna primi mensis ad* [h] *vesperam* (I *Esdr.* I, 1, *sec.* LXX; *Vulg.* II *Paral.* XXXV, 1).

XII. Sed quid multa discurrimus, cum idem in omnibus scripturis sacris memoratum sit, in primo mense Pascha debere [i] celebrare. Sed mensem istum primum luna ista tutum terminatumque non habet, ut idem et ipse semper occurrat, sed dies, quos supra memoravimus, XXIX ex III nonarum Martiarum in IV nonarum Aprilium [j] die, in quibus anno primo transacto a fabrica mundi, primum suum exhibuit mensem, ut cum in uno die ex his fuerit prima, exinde ipsa primum nobis generat mensem. Hæc etenim ratio embolysmos et communes annos facit. Si quando enim in duodecimo mense ante III non. Mar. die non. explicitis diebus anni sui, quem superius memoravimus, eadem luna apparuerit prima, tertium decimum mensem necesse est impleat et faciat annum embolysmum. Si anno completo suo tempore competenti, id est, in diebus, qui ad primum mensem pertinere videntur, transactis scilicet duodecim mensibus suis fuerit prima luna, communis annus effectus est. Hi namque XXVIII dies embolysmos et communes annos sic manifestant. Undecim dies sunt

[a] Ms. *ei.*
[b] Ms. *ratione.*
[c] Ms. *intelligimus.*
[d] Leg. *diem.*
[e] Ms. *die.*
[f] Ms. *Istrael.* Sic et sæpe alibi.
[g] Leg. *vesperam.*
[h] Ms. *vespera.*
[i] Leg. *celebrari.*
[j] Scil. *esse* ut passim.

ex III non. Martiarum in die iduum earumdem, in quibus prima si fuerit luna, quia post duodecim menses nata videbitur, præteritos annos communes fuisse ostendit, præsentes vero, in quibus nata mensem primum facit, embolysmos designat. Octo dies sunt ex die XVII kal. Aprilium, in die X kal. April. in quibus luna si apparuerit prima, et præteritos et præsentes annos communes significat. Decem proinde dies sunt ex VIII kalend. April. in III non. earumdem diem, in quibus si fuerit prima luna, præteritos annos embolysmos facit, præsentes communes ostendit, qui anni communes habent dies trecentenos quinquagenos quaternos, aut enim undecim dies, minus habet ratio lunæ a ratione solis et facit annum communem, aut X et IX transcendit, et facit embolysmum.

XIII. Inde per annos singulos hac diversitate dies annorum lunæ cum diebus solis, qui in trecentis sexaginta quinque et quadran conficit annum, non sibi concordare videntur. Proinde etiam hoc ostendimus, ut appareat omnibus æquales eos invicem dies habere, et ab initio cursus eorum isto ordine cucurrisse, et damna communium annorum eadem luna in annis embolysmis compensasse. Octo annorum rationem, quæ perfecta fore videtur, in medium proferamus. In octo scilicet annos luna quinque annos habet communes et tres embolysmos. Ergo quinquies CCCLIV [a] faciunt DCCLXX, et ter CCCLXXXIV [b] faciunt MCLII; fiunt simul dies duo millia DCCCCXXII. Sic deinde et solis octo annorum summam in unum colligamus octies CCCLXV quadran. duo millia DCCCCXXII. Ita igitur congregavit solis ac lunæ cursus cum diebus suprascriptis.

XIV. Enarravimus qui sit dies mundi, quem Deus omnipotens creando lucem constituit, et lunam in inchoatione noctis qualis sit facta, vel ubi primum annum suum explicuerit, et quare abs III nonar. Martiar. die prima luna a nobis quæritur, et ex quibus diebus quartadecima comprehendatur, etiam embolysmorum et communium annorum rationem ad plenam instructionem, ut etiam istum cursum lunæ cum diebus Paschæ posteri nostri per infinitos annos currentes, et futura tempora facilius ac veridice investigare percurrant, ut quoto kal. idusve foret; ut qui dies vel quota luna primo mense occurrere possit, ut hoc Opusculum nostrum omnibus sine labore sit constitutum, cum et ratio vera superius præmissa sit, et sine labore vel sine offendiculo falsitatis a dubitantibus atque ignorantibus multis dies ipsi Paschæ suo quoque tempore cognoscantur. Aliud est enim Pascha nostrum, aliud Judæorum. Longe etiam aliud est ab ipsis nostrum denique sacramentum, nec sicut illi Pascha Domino celebramus, quod in lectione sequenti clara ratione monstratur.

XV. Quinto decimo namque anno imperii Tiberii Cæsaris Dominus Christus, cum esset quasi triginta annorum, incipiens a baptismo Joannis accessit. Hæc Evangelista testatur. Uno proinde anno Judaicæ genti, ad quam venerat, prædicavit, in quo anno non solum regnum cœlorum advenire prædixit, sed et, ut crederent, in virtutibus manifestum se Dominum ostendit, hoc usque in annum sextum decimum imperii Tiberii [c] Cæsaris, in quo jam non, ut assolet Judaicæ solemnitati agnus ex ovibus, sed ipse pro nobis Dominus immolatus est Christus; ut non ex Ægypto, sed ex mundo et vitiis ejus credentes liberari possimus. Eo quippe anno, ut supputationis fides ostendit, et ratio ipsa persuadet, passus est idem Dominus Christus luna XIV, VIII kal. April. feria sexta. Tertio vero die illucescente feria prima, quæ est post Sabbatum Judæorum, dies dominica, sabbatum scilicet nostrum et verum Pascha, in quo idem Dominus Christus morte devicta resurgendo Pascha nostrum sanctificavit, id est, vivorum et mortuorum a veteris hominis sententia liberationis transitum fecit, ortusque est timentibus Dominum, et credentibus Christo, sol verus justitiæ, et sanitas in pinnis ejus. Unde nos hodie Christiani in memoriam liberationis nostræ jam non ut Judæi in agno occiso, et azymis similæ, et in quolibet die, sed ad instar resurrectionis ejusdem Domini nostri feria prima, hoc est, die dominica primum tantummodo mensem ex lege retinentes, quem luna currendo suis numeris gignit, sicut scriptum est : A quarta decima plena ad vesperum usque ad vicesimam primam in azymis sinceritatis et veritatis, mentis scilicet [d] puritate, Pascha Domino celebramus.

EPILOGUS.

Universa, Deo favente, decurrentes explicuimus, quidquid ad rationem Paschæ fuerat dicendum. Jam finem hic faciamus nostro sermoni, consummavimusque hoc laboriosum Opus in die isto III nonarum Martiarum post [e] consulatum Arcadii IV et Honorii III. Quapropter admonemus eos, qui ante a nobis non emendata hæc scripta accipere festinaverunt, ut secundum istum ordinem emendatum Opus habere conentur, ideoque et diem et consules, quod non posuimus primo, nunc huic rationi infiximus, ut exhinc sciat quis emendatum hoc esse Opus.

Quintus Julius Hilarianus explicuit, emendavit die III nonarum Martiarum Cæsario et Attico consulibus.

[a] Ms. pro verbo *faciunt* habet signum ⋈ id significans, ut apparet. PFAFF. — Numerus CCCLIV quinquies multiplicatus reddit CIↃDCCLXX, ut proinde littera ⋈ quam refert ms. pro CIↃ accipienda videtur. Editori autem seu typothetæ exciderit hujusmodi nota CIↃ millenarii. Quod quidem meus Gallicolius probe advertit.

[b] *Faciunt* non exstat in ms.

[c] Ms. *Cæsariis.*

[d] Ms. *puritatem.*

[e] Ms. *Consulatu Arcadi.*

ANNO DOMINI CCCXCVIII.

S. SIRICIUS PAPA.

PROLEGOMENA.

VITA ET REGNUM SIRICII PAPÆ.

(*Ex libro pontificali*, *Conc. Labb. tom.* II c. 1015).

Siricius natione Romanus, ex patre Tiburtio, sedit annos quindecim, menses undecim, dies viginti quinque. Hic constitutum fecit de omni Ecclesia, et contra omnes hæreses, et dispersit per universum mundum, ac per omnes provincias, ut in omni archivo Ecclesiæ conservaretur, ob oppugnationem contra omnes hæreses. Hic constituit ut nullus presbyter missas celebraret per omnem hebdomadam, nisi consecratum episcopi loci designati susciperet declaratum, quod nominatur fermentum. Hic invenit Manichæos, quos in exsilio deportavit. Et hoc constituit, ut non participarent cum fidelibus A communionem, quia ore polluto non liceret sanctum corpus dominicum vexare. Hic quoque constituit, ut si quis conversus de Manichæis rediret ad Ecclesiam, nullatenus communicaret, nisi tantum relegationi monasterii diebus vitæ teneretur obnoxius, ut jejuniis et orationibus maceratus, probatus sub omni examinatione usque ad ultimum diem transitus sui, humanitate Ecclesiæ viaticum eis largiretur. Hic constituit, hæreticos sub manus impositione recipi et reconciliari præsente cuncta Ecclesia. Hic fecit ordinationes quinque in urbe Roma per mensem Decembrem, presbyteros triginta unum, diaconos sexdecim, episcopos per diversa loca numero triginta duo. Qui etiam sepultus est in cœmeterio Priscillæ via Salaria, octavo kalendas Martii. Et cessavit episcopatus dies viginti. B

NOTÆ SEVERINI BINII.

Siricius. Post interregnum viginti dierum et unius, anno Christi 385, pridie Idus Januarii, Siricius non sine tumultu Ursicini schismatici, in locum Damasi suffectus fuit. Præsedit Ecclesiæ sub Valentiniano secundo, Theodosio seniore, Arcadio et Honorio imperatoribus. Circa initium pontificatus Siricii, Augusta illa Jezabel Justina Ambrosium persequitur. Antiocheni statuas Theodosii dejiciunt; pœnam idcirco incarcerationibus et privilegiorum spoliationibus inflictam, Chrysostomus et Flavianus deprecantur.

Sancta Monica Augustini mater religiosissima ad beatam vitam evocatur, unius tantum sollicita, ut pro se salutare sacrificium offeratur : *Tantum*, inquit, *illud vos rogo, ut ad altare Domini memineritis mei ubi fueritis.* Dissensiones inter Epiphanium Constantiæ Cypri, et Joannem Hierosolymorum episcopum, occasione hæresum Origenis, quas ille cum Rufino aliisque compluribus defendendas infeliciter C susceperat, exortæ sunt. Quæ hæreses hujus temporibus prodierint, quæ concilia habita fuerint, ex notis conciliorum et epistolarum constabit.

Sedit annos quindecim. Annis tredecim, mense uno, diebus quatuordecim. Nam octavo kalend. Martii anno 398, ex hac vita migravit. Hucusque si ab initio sedis tempora pontificatus Siricii computentur, assignatus numerus annorum, mensium et dierum, invenietur. Quod periclitanti ecclesiæ occasione Origenistarum, quos Marcella Romæ detexerat, ut infra in notis concilii Alexandrini sub Anastasio celebrati dicemus, non satis velociter occurrit, citissime ex hac vita sublatus est.

Hic constituit ut nullus presbyter missas celebraret per hebdomadam, nisi consecratum episcopi loci susceperit fermentum. Quid sit fermentum, quis illius usus, diximus supra in notis ad vitam Melch. verbo *Hic fecit.* Item canone 14, 32 et 49 concil. Laod. Quibus ea quæ hic subscribuntur, mirifice declarantur.

Hic invenit Manichæos, quos deportaverat. Hæc adversus Manichæos pontifex constituit, ideo quod a catholicis difficulter discerni possent. Secreta enim duntaxat conventicula habuerunt, seque perjuriis et mendaciis interpositis, catholicos esse affirmarunt. De mendaciis, hæresi ac perjurio convicti, pœnitentiam simulate agentes, suamque hæresim exteriore actu detestati, interius Manichæi esse perseverarunt : ne detegerentur, catholicorum ecclesiam frequentantes, cum iisdem sacram eucharistiam participarunt. Jure igitur meritoque deprehensi, exsilio mulctati, vel si pœnitentiam agerent, ad participandam sacram eucharistiam in fine vitæ duntaxat admissi fuerunt. Ad instantiam Siricii pontificis, illud Theodosii imperatoris rescriptum lib. XVIII de Hæret. Cod. Theod. exstans, promulgatum fuisse probabile est; quo prædictæ hæreseos sectarii, non ab urbe tantum, verum etiam ab universo orbe relegari mandantur. Cum in honorem solis ac lunæ die dominico et feria secunda jejunarent, solemque velut numen colentes, ad orientem conversi superstitiose adorarent, idemque etiam pie ac sancte catholici facerent, atque adeo nullo indicio a Manichæis catholici et orthodoxi discerni possent, sanctus Leo I hunc orandi ritum ad tempus suspendit, ne quid fideli populo cum hæreticis commune esset, sed potius hoc indicio apertissime discernerentur. Baron. anno. 443, num. 4 et 5.

Ex Constantio Epist. Rom. Pont. tom. I, c. 621.

Siricius anno 384 exeunte Romanæ ecclesiæ regimen suscepit, quo die, incertum; et anno 398 ex hac vita migravit. In nonnullis libri pontificalis exemplaribus VIII *kalendas Martii*, in aliis IX, in cœmeterio Priscillæ sepultus notatur. Hieronymianum martyrologium, cui et martyrologium Bedæ suffragatur, mortem ejus die 26 Novembris ita consignat: *Romæ depositio Siricii episcopi*. Eo pacto quamvis Siricius annis dumtaxat 14, et iis quidem non totis, Ecclesiam administrarit, si tamen et anni 384 exitus, et anni 398 maxima pars, ut sæpe fit, pro duobus annis computentur, non falso in antiquis Romanorum pontificum catalogis anni quindecim sedisse dicitur, eisdem concinente vetere hujus pontificis epitaphio, in quo legimus,

Ter quinos populum in annos qui rexit amore,
Nunc requiem sentit, cœlestia regna potitus.

Unde etiam eum amore potius, quam auctoritate, populum rexisse comperimus. Ipsum Hieronymus velut simplicem repræsentat, *qui de suo ingenio cæteros æstimabat* (*Hier. lib.* III *Apol. adversus Rufin.*). Quæ autem ad nos pervenerunt ipsius scripta, summum fidei catholicæ, et canonicæ disciplinæ servandæ studium spirant.

Ex Schœnemanno, tom.I, p. 306.

Siricius, Romanus, patre natus Tiburtio, primum Romanæ ecclesiæ presbyter, deinde Damaso mortuo an. 384, episcopus Romanæ sedis electus est tanta quidem cunctorum suffragiorum concordia, ut hoc ipso statim de integritate ac virtutibus præjudicio Valentinianus imperator ei concillaretur, ut quidem Piniano Præf. U de ejus electione rescribens testatus est his verbis: *Quoniam*, inquit, *religiosum Siricium antistitem sanctitatis sic præesse sacerdotio voluerint, ut Ursinum improbum acclamationibus violarent; nostro cum gaudio memoratus episcopus ipse permaneat: siquidem magnum innocentiæ ac probitatis exemplum est in una acclamatione et ipsum eligi et cæteros improbari*. Nec defuit huic existimationi Siricius Nam cum a natura mite ei ingenium inesset, idque insigni morum simplicitate conjunctum, tum nemini prædecessorum suorum vigilantia et studio fidei catholicæ et disciplinæ ecclesiasticæ servandæ tuendæque secundum se videri passus est. Atque in ipso statim muneris introitu disciplinæ ecclesiasticæ cura eum occupavit. Etenim Himerius quidam, Tarraconensis episcopus, de variis ecclesiarum in Hispania consuetudinibus consilii incertus Damasum per litteras interrogaverat consilioque sibi subveniri optaverat; quibus illo interim mortuo ad Siricium perlatis coactaque aliorum episcoporum et presbyterorum suorum synodo recognitis ex communi synodi sententia ab eo responsum est, ita tamen ut, ni a communione collegii istius segregari vellet, ab eadem recedere prohiberetur. Haud multo postea Priscilliani errores in Gallia latius spargi certior factus, Maximum tyrannum imperio eam tunc tenentem per litteras incitavit et impetravit etiam, ut nec ipsum se a fide catholica seduci pateretur et Priscillianistarum licentiam reprimeret. Quod Priscilliano quidem et nonnullis sociorum ejus exitio fuit, nec tamen doctrinam eorum intra arctiores fines cohibere potuit. Porro anno 389 Jovinianum synodali sententia damnavit atque urbe etiam expulit et Mediolanum fugientem litteris ad Ambrosium cæterosque ibi congregatos episcopos antevertit, ne vel ipsos vel Theodosium ibi commorantem causa simulata fallere posset. Iniquius se gessit in Flavianum, Antiochiæ episcopum, quocum post mortem Paulini adeo communionem habere recusabat, atque Theodosium, quamquam frustra, super eo de Antiochiæ episcopatu submovendo sollicitavit, paucisque demum ante vitæ finem mensibus Chrysostomi arte captus cum eo communicavit. Quamobrem de Bonosi causa sententiam ferre recusaverit, non liquet. Obiit die 2 Novembris, certe sub finem a. CCCXCVIII.

SCRIPTA, ET EORUM EDITIONES, SIRICII PAPÆ.

Ex Schœnemanno, ubi supra.

1. Scripta.

Supersunt *Epistolæ* Siricii *sex*, quamquam haud omnes fide satis certa ei afferri posse videantur.

Prima, *ad Himerium Tarraconensem episcopum*, maxime celebris, quod prima est, certe prima, quæ ad nos pervenit, epistolarum decretalium, quibus Romani præsules ad diversarum ecclesiarum consultationes responderunt. Scripta ipso anno electionis ejus 385.

Secunda, *ad Anysium Thessalonicensem episcopum*. Tempus certo definiri nequit. Prope tamen missam esse constat, antequam de Bonosi causa quidquam Romæ inauditum esset; alioquin de ea Siricium non taciturum fuisse, putat Coustantius:

« Nec immerito, inquit, ad annum 385 retulerimus litteras illas quibus Siricius Anysio, quæ in Illyrici ecclesiis gererentur, cognoscenda commiserat. » Ille vero has secundas misit, cum, utrum acceptæ essent primæ, necdum rescire potuisset. Ex quo consequens est, quod istæ secundæ saltem ad a. 386 pertineant.

Tertia, *ad episcopos Africæ*. Scr. a. 386. d. VI Jan. Mentio ejus jam apud *Ferrandum* diac. in Breviatione canonum art. 6, 130, 138 et 174, exstat. Attamen veritatem ejus in dubium vocarunt *Blondellus*, *Papebrochius* aliique, argumentis autem validissimis *Quesnellius* (*a*). Quos contra tuiti sunt *Schelstraten* et *Baluzius* (*b*); neutiquam tamen ab omni suspicione a Quesnellio injecta liberare potuerunt.

(*a*) In append. ad Leonis M. opera diss. 15.
(*b*) In singulari dissert. de concilio Telepteusi adversus Quesnell. ad calcem ed. libri *de Concordia sacerdotii et imperii* recusa 1704, p. 1339.

Quarta, *ad diversos episcopos*. Vera inscriptio desideratur. Videtur proxime ad episcopos Italiæ scripta, ad nos autem ex exemplari, quod aliarum provinciarum episcopis traditum fuit, pervenit. Quod tempus attinet, superiori non multum recentiorem censet Coustantius.

Quinta, *ad diversos episcopos* contra Jovinianum hæreticum ejusque socios ab ecclesia removendos. Tempus ex Ambrosii epistola ad Siricium responsoria expiscari posse, opportune observat Coustantius. Nam cum in ea Jovinianus sociique Roma pulsi Mediolanum ad Theodosium confugisse dicuntur, qui a. 388 mense Augusto vel Septembri eo pervenerat, Idibus Jun. autem Romam venisse dicitur : hoc patet, non ante labentem annum 388 scriptum esse potuisse, adeoque Coustantius ipsi a. 389 eam assignat.

Sexta, *ad Anysium Thess. episcopum et alios Illyrici episcopos de Bonoso*. Scr. est proxime post Capuanum concilium i. e. post VI kal. Dec. 391, et ante Valentiniani necem, i. e. ante Id. Mai. 392 Damaso et Ambrosio falso ascriptus est. Siricio recte Justellus (*a*) suffragantibus aliis vindicavit.

Interciderunt complures aliæ ejus, veluti *Epistola ad Maximum Imp.* scr. a. 385 ; *de Ithacianorum causa* a. 386 ; *ad Theodosium Imp.* contra Flavianum; *ad Rufinum* a. 398 ; de quibus omnibus sicuti *de iis etiam, quæ falso ipsi ascribuntur*, Coustantius disseruit.

2. Editiones.

Singulæ Siricii epistolæ in diversis canonum et conciliorum collectionibus dispersæ ut variis temporibus et locis typis descriptæ fuerint, enumerare haud operæ nostræ putaverim. Sufficiet collectarum editiones per Coustantium et Gallandium indicasse.

Coustantius igitur in Collectione Epist. Pontif. Rom. (T. I, Paris 1721) p. 622-711. Siricii epistolas eodem, quo a nobis enumeratæ sunt, ordine exhibet, sed insertis variis aliorum ad eum pertinentibus. Animadversiones historicæ uberes omnibus affusæ sunt, Monita etiam, ubi necesse videbatur præfixa. Nec contentus fuit ex præcipuis impressis Conciliorum et Canonum collectionibus eas repræsentare, sed multis etiam codicibus mss. adjutus fuit. Recensuit Epistolas *decem*. — I. *Epist. ad Himerium*, quæ in omnibus canonum collectionibus exstat, aucta est ex codd. mss. Corbei., Colbert. et Sangerman. appendice triplici Decreti, quod Dionysius Exiguus ignoravit, quodque ad aliud fortasse Siricii rescriptum pertinere Coustantius existimat.—II. *Ep. Valentiniani* imperatoris ad Pinianum U. Præf. III. *Ep. Maximi* imperatoris ad Siricium papam. IV. *Ep. ad Anysium*. Hæc a Luca Holstenio olim in *Collectione Romana bipartita* (Romæ 1662, in-8°), Parte I, p. 43, edita fuit. — V. *Ad Episcopos Africæ*. Servata est synodi Telepiensis beneficio. Eam, qualis in hoc Concilio recitata est, exhibent diversæ eæque perantiquæ Concil. et Pontif. Epist. Collectiones, quarum quatuor in Bibl. olim Colbertina, duæ in Regia, una in Germanensi, aliæ alibi asservabantur, quarum plerisque usus est Coustantius. Nec abest ab eo Codice, quem Codicis Canonum ecclesiæ Romanæ nomine Quesnellius donavit, quamquam postremum in eo locum occupat ac præterea postmodo addita ab eodem censetur; contra quam sententiam Coustantius pugnat atque etiam ex inscriptione, quam Corbeiensis codex præbet, Teleptense concilium ab omni suspicione liberare studet. — VI. (n. 4) *Ep. ad div. Episcopos*. — VII. (n. 5) *Ep. ad div. Episcop.* Utramque ad codices mss. Bibl. Colbertinæ et editiones impressas exegit. — VIII. Ep. seu rescriptum Ambrosii aliorumque episcoporum ad Siricium papam de causa Joviniani. — IX. *Ep. ad Anysium*. Edidit 1662 Holstenius in Coll. Bip. P. II, p. 189. Exstat etiam inter Ambrosii epistolas. Plures mss. libri Coustantio in ea recognoscenda ad manus fuerunt. — Ep. X, seu *Canones synodi Romanorum ad Gallos episcopos*, quos ex Cod. Fossatensi, postea Colbertino, et alia cod. Pithœani collectione ad calcem tom. I Conc. Galliæ Sirmondus adjecerat. Sequitur jam *Notitia scriptorum aliorum, quæ ad Siricium attinent*.

1770. *Venet. ap. Albritium*. in-fol. S. Siricii papæ Epistolæ et Decreta. Nonnulla intexuntur, quæ ad eumdem Pontificem attinent : in *Gallandii Bibl. PP.* T. VII, p. 533-549. Præter sex Siricii epistolas n. VI Ambrosii rescriptum, n. VIII Canones synodi Romanorum exhibentur. Notæ critici imprimis generis ex Coustantio selectæ sunt. De singulis epistolis Gallandius, Coustantii vestigiis insistens, c. 13 Prolegg. p. XVIII sq. disputat.

Ex Coustantio, Epist. Rom. Pont., col. 699.

1. Notitia scriptorum aliorum quæ ad Siricium papam attinent.

I.

1. *Anno* 385. *Siricii epistola ad Maximum imp.* — Siricius pontificatum iniens ad Maximum imperatorem sibi scribendum duxit, ut illum cum ad catholicæ fidei patrocinium suscipiendum, tum ad Agricium quemdam, qui presbyterii gradum indebite conscenderat, in ordinem redigendum induceret. Nec dubium quin simul et pontificatus sui primordia nuntiare, et consueta salutationis officia persolvere se significarit. Maximus vero illi rescribens, epistolam ipsius (*Epist.* III), ut catholicæ fidei et splendidissimæ urbis dignitati convenientem, laudavit.

II.

2. *Gesta contra Priscillianistas*. — Epistolæ, quam Maximus Siricio rescripsit, adjunxerat idem imperator novissima contra Manichæos, hoc est Priscillianistas, gesta, quibus quid illi sceleris admitterent, ipsorum confessione compertum habebatur (*Epist.* III). Sed exciderunt hæc gesta.

III.

3. *Siricii ad Anysium epistola*. — Non longe post

(*a*) In notis ad Canon. 48, Cod. Eccl. Afr.

pontificatus Siricii principia differendæ sunt ipsius ad Anysium Thessalonicensem antistitem litteræ, Candidiani episcopi opera perlatæ, quibus Siricius Anysio suas per Illyricum vices committebat (*Epist.* IV), nominatimque præcipiebat, ut in illis regionibus nulli episcopos ordinare nisi cum ipsius consensu liceret.

A

IV.

4. *Post ann.* 386 *Siricii de Ithacianorum causa litteræ.* — Ithacius, ut apud Sulpicium Severum legitur, Sussubensis, seu potius Ossonobensis in Lusitania episcopus, inconsiderato adversus Priscilliani hæresim studio abreptus, apud Maximum imperatorem effecerat, ut primarii hæresis hujus duces anno 385 morte punirentur. Hujusmodi agendi rationem ab evangelica lege abhorrere jam notarat Julius papa et Eusebianis eamdem tenentibus scripserat (*Epist.* I, n. 22) : « O dilecti, non jam ecclesiæ judicia secundum Evangelium, sed ad exsilii ac mortis pœnas decernuntur. » Quocirca sancti et catholici episcopi, crudele Ithacii ac sociorum facinus exsecrantes, cum ipsorum, tum Felicis, qui ab iisdem anno 386 Treverorum episcopus ordinatus fuerat, communionem repudiarunt. Erat quidem Felix, teste Sulpicio (*Lib.* II *Vit. S. Mart.*), vir sanctissimus, et plane dignus qui meliori tempore sacerdos fieret : sed cum ab iis, qui Ithacii ac sociorum facinora improbabant, probari non posset ejus ordinatio, hinc natum est schisma. Hujus componendi gratia scripsit Siricius litteras, quæ in concilio Taurinensi circa annum 398 habito can. 6, memorantur ac probantur in hunc modum : « Illud præterea decrevit sancta synodus, ut quoniam legatos episcopi Galliarum qui Felici communicant destinarunt, si qui ab ejus communione se voluerint sequestrare, in nostræ pacis consortium suscipiantur, juxta litteras venerabilis memoriæ Ambrosii episcopi, vel Romanæ ecclesiæ sacerdotis dudum latas, quæ in concilio legatis præsentibus recitatæ sunt. » Has autem litteras ita *dudum* ante Taurinense concilium missas esse concedendum est, ut nec annum 386 antecedant, cum Felicis ordinatione sint posteriores.

B

C

V.

5. *Siricius conditiones præscribit quibus pax Priscillianistis reddatur.* — Neque iis etiam Siricius defuit, qui a Priscilliani hæresi ad Ecclesiam redire voluissent. Hispani quippe in gestis Toletano I concilio subnexis Ambrosii laudant litteras post Cæsaraugustanum concilium, hoc est, post annum 381 scriptas, ac deinde Priscilliani asseclis pacem concedendam pollicentur, « si condemnassent quæ perperam egerant, et implessent conditiones quas præscriptas (*Ambrosii*) litteræ continebant, iis additis, quæ sanctæ memoriæ Siricius papa suasisset. » Unde colligere est scriptas esse a Siricio litteras, quibus præscribebat atque suadebat quæ a Priscillianistis præstanda erant, ut ad Ecclesiæ communionem admitterentur.

D

VI.

6. *Anno* 392. *Anysii et sociorum ad Siricium litteræ.* —Capuana synodus Bonosi Sardicensis episcopi, qui hæreseos accusabatur, causam Anysio aliisque Illyrici episcopis cognoscendam delegarat (*Epist.* 9, *n.* 1 *et* 5). Hi vero seu causæ magnitudine deterriti, seu præ modestia et singulari erga sedem apostolicam observantia, ad Siricium miserunt litteras, quibus ipsius de illo episcopo sententiam sciscitabantur. Iisdem litteris quædam adjunxerant gesta, nominatimque Basso episcopo in consortium regendæ ecclesiæ Senecionem datum esse significabant. Iis quid rescripserit Siricius, ipsius epistola 9 nos docet.

VII.

7. *Siricii litteræ ad Theodosium imp. contra Flavianum.* — Theodoretus, lib. V Hist. eccl., c. 24, narrat simultatem quæ Romanos inter et Orientales ecclesiæ Antiochenæ occasione intercedebat, aliis Paulino, aliis Flaviano Meletii successori faventibus, nec Paulini morte exstinctam fuisse. Tum enim in illius locum subrogato Evagrio « adversus Flavianum, » inquit idem Theodoretus, Occidentales et Ægyptii, « Theodosii imperatoris auribus subrepere tentarunt. Qui sæpius interpellatus, Constantinopolim eum accivit, utque Romam proficisceretur mandavit. Sed Flavianus, cum et hibernum tempus causatus esset, et ineunte vere facturum se imperata promisisset, in patriam reversus est. Porro cum Romanæ urbis episcopi non solum admirandus Damasus, sed et successor ejus Siricius, et post Siricium Anastasius pium imperatorem acrius perstrinxissent, illum tyrannos quidem, qui adversus ipsum insurgerent, opprimere dicentes, eos vero qui legi Christi insultarent, pati tyrannicam damnationem exercentes, rursus eum Constantinopolim evocatum, ut Romam navigaret, cogere instituit. »

8. In multis quidem peccat hæc Theodoreti narratio. Nam et ante ordinationem Evagrii vita functus est Damasus, et ad Anastasii papæ tempora Theodosius imperator non pervenit. Deinde ex Ambrosii ad Theophilum epistola 56 constat Flaviani Evagriique causam a synodo Capuana non Romano episcopo, sed Theophilo Alexandrino Ægyptiisque episcopis fuisse delegatam, « quod neutri parti sociata communione, aliquo favore propenderent. » Unde rursum corrigitur Theodoretus, qui Ægyptios ut Flaviano infensos repræsentat. Sed in eo quod habet is scriptor de jussis imperialibus a Flaviano neglectis, ac de facultate quam a Theodosio ut ad patriam rediret impetravit, consentit aliquo modo cum Ambrosio, qui Flavianum « nec imperialibus decretis » quibus apud judices præstitutos sistere se jubebatur, « nec sacerdotum conventui præsentiam sui facere » voluisse, immo eum « iterum ad precum auxilia et imperialium rescriptorum suffragia remeavisse » tradit (*Ambros. epist.* 56. *n.* 3 *et* 4). Tunc vero id accidisse probabiliter credamus, ut Siricius de variis illis Flaviani effugiis admonitus, acres litteras a Theodoreto memoratas ad Theodosium scripserit, quibus eum

rogaret, ut Flavianus non Romam, sed Alexandriam ad præstitutos judices conferre se compelleretur. Certe qui suam de Bonoso sententiam vel rogatus dicere noluit, quia Capuana synodus hoc negotium ipsis qui rogabant, delegarat, procul aberat, ut causæ ab eadem synodo Ægypti episcopis commissæ cognitionem sibi adscisceret. Et vero Ambrosius, qui Capuanæ interfuerat synodo, et omnium quæ in hoc negotio gerebantur particeps erat, Theophilo auctor est, non ut delegatam sibi causam ad Romanum antistitem rejiciat, sed ut Flavianum conveniat ipse, ac « si in eo perseveraverit quo veniendum non putet (*Ibid.*, *n.* 6 *et* 7), » ejusmodi proferat judicium quod Romanæ ecclesiæ non displiceat sacerdoti, ad quem illud referendum arbitratur.

9. Si igitur Ambrosii scripta cum Theodoreti dictis componamus, ex eis comperiemus Flaviani Evagriique causam ad Capuense concilium fuisse delatam, ibique statutum esse ut, pace utrique parti concessa, utri adjudicandus esset Antiochenus episcopatus, Theophilus Ægyptiique episcopi, salvis Nicænæ synodi constitutis, decernerent; Flavianum vero huic Capuani concilii decreto minime stantem, ecclesiasticum declinasse judicium, et imperialia rescripta rursum ambiisse. Unde Siricio quædam imposita est conatibus illius intercedendi necessitas. Hinc acres illæ, quæ a Theodoreto memorantur, ad Theodosium litteræ, quas non longe post Capuanam synodum, adeoque anno 392 conscriptas haud temere censeamus.

VIII.

10. *Circa annum* 396. *Theophili adversus Epiphanium litteræ.* — Palladius, dial. de Vita Chrysostomi, cap. 15, pag. 150 et 151, Theophilum Alexandrinum levitatis arguit in hunc modum : « Qui beatum Epiphanium Constantiæ in Cypro episcopum, qui 36 annis Ecclesiæ præfuit, probris affecerat ut hæreticum aut schismaticum sub Damaso vel beato Siricio, postea in sua ad Innocentium papam epistola B. Joannem vituperans, Epiphanium nominat sanctissimum. » Ubi si epistolam indicat a Theophilo ad Damasum seu Siricium scriptam, licet incertus videatur utri attribuenda sit hæc epistola, incertum tamen non est, eam in unum Siricium convenire posse, cum hoc tantum pontifice Theophilum inter et Epiphanium controversia oboriri cœperit. Cujus vero hæresis Epiphanius postulatus fuerit, Socrates lib. IV, c. 7, et Sozomenus lib. VIII, c. 14, docent, ubi eum velut Anthropomorphitam a Theophilo conclamatum tradunt.

IX.

11. *Circa idem tempus. Epiphanii ad Siricium litteræ.* — Ipsius etiam Epiphanii Salaminæ episcopi ad Siricium papam adversus Joannem Jerosolymitanum litteræ ab Hieronymo non semel laudantur. Et ad calcem quidem epistolæ olim 61, nunc 38, sic Hieronymus loquitur : « Præsto sunt plures epistolæ Epiphanii, una ad ipsum (Joannem), aliæ ad episcopos Palæstinæ, et nuper ad Romanæ urbis pontifi- A cem, in quibus dicit se eum (Joannem Jeros.) coram multis testibus arguentem non meruisse responsum. » Et ante medium ejusdem epistolæ Joannis jactantiam, qua Epiphanium et sua ipsius verba miratum esse, et catholica declarasse venditabat, inanem esse ostendit his verbis : « Litteræ (Epiphanii) ad papam Siricium probant : quas si legeris, pervidebis quomodo tua dicta miratus sit et catholica declaraverit. » Nimirum quodam in cœtu Epiphanius Joannis, qui adversus Anthropomorphitas prælocutus fuerat, sermonem excipiens ac prosequens dixerat : « Quæ locutus est collegio frater, ætate filius meus, contra Anthropomorphitarum hæresim, bene et fideliter locutus est, quæ mea quoque damnatur voce. Sed æquum est ut quomodo hanc hæresim condemnamus, etiam Origenis perversa dogmata condemnemus. » Unde liquet sic ab Epiphanio probari quæ Joannes adversus Anthropomorphitas edisseruerat, ut et pari ratione ab eo perversa Origenis dogmata condemnari desiderarit. Immo illa damnare differentem « aperte missis litteris hæreticum vocabat, et octo ipsi de spe fidei Christianæ quæstionum objiciebat capita, quæ Hieronymus in eadem epistola 38 exponit, ac forte in memoratis Epiphanii ad Siricium litteris perstringebantur. Hæ autem litteræ et post annum 394, quo Epiphanii cum Joanne dissidium cœpit, et propius ad eam anni partem 396, qua Joannes apologiam sui ad Theophilum misit, consignandæ videntur. B

X.

12. *Anno* 397. *Litteræ Afrorum ad Siricium.* — Afri, anno 397, Augusti 28 die, in Carthaginensi III concilio congregati, can. 28, istud constituerunt : « De Donatistis placuit, ut consulamus fratres et consacerdotes nostros Siricium et Simplicianum de solis infantibus qui baptizantur penes eosdem, ne quod suo non fecerunt judicio, cum ad Ecclesiam Dei salubri proposito fuerint conversi, parentum illos error impediat, ne provehantur sacri altaris ministri. » Codici can. eccl. Afric., c. 47, insertus est iste canon. C

13. *Siricii ad Afros rescriptum.* — Siricium autem cum Venerio ad hanc consultationem respondisse, et quod Afri petebant negasse ex eodem codice, c. 56, colligimus. Ibi enim legere est Afros rursum Carthagine anno 401, Junii die 16, decrevisse ut ad Siricii Simplicianique successores Anastasium atque Venerium mitteretur legatio strenui episcopi, qui graviter ecclesiæ Africanæ necessitates summamque clericorum inopiam valeret exponere, adeoque ab eis, ut infantes baptizatos apud Donatistas in clerum promovere sibi liceret, impetrare. Tum ista petitionis hujus subjicitur ratio : « Ex his enim sedibus hoc fuerat prohibitum, » postquam scilicet, ut nemo prudens negaverit, a Siricio ac Venerio id primum quæsitum fuit. Istud sane non satis expenderat Paschasius Quesnellus, cum dissert. XV, in Leonis opera, cap. 3, n. 6, asseruit : « Certum est per eam (Siricii) ætatem Africanos suarum ecclesiarum ad- D

ministrationem ex propriarum synodorum canonibus gessisse, nec leges ecclesiasticæ disciplinæ a transmarinis regionibus imponi sibi passos. » Ita enim hoc loco eos sibi hujusmodi leges imponi sivisse constat, ut nec contra eas quidquam, ne urgente quidem necessitate, committere ausi sint, nisi ex consensu eorum qui eas imposuerant. A

14. *Cur in prædictis litteris Siricio Medionalensis episcopus adjungatur.* — Si eis, quæ in hoc paragrapho disseruimus, alia quæ in quarto et quinto explicata sunt adjungantur, hinc oboritur quæstio, unde illa Gallorum, Hispanorum Afrorumque conspiratio, qua se non modo Romanorum, sed etiam Medionalensium præsulum de rebus ecclesiasticis sententiam consulere, sequi aut exspectare profitentur. Ithacianos quippe in concilio Taurinensi juxta litteras Ambrosii Mediolanensis et Siricii Romanæ ecclesiæ sacerdotis audivimus susceptos. Item in vulgatis Toletani i concilii gestis promissam legimus pacem Priscillianistis, si modo conditiones ab Ambrosio ac Siricio præscriptas impleant. Demum Afri de parvulis apud Donatistas baptizatis in clerum promovendis, Siricium Ambrosiique successorem Venerium consulunt, nec contra eorum sententiam sibi sumere quidquam audent, quoad earumdem sedium consensus accedat. Id porro, ut quod ea de re sentio paucis aperiam, forsitan factum est, quia cum Siricius Ambrosium de negotiis ecclesiasticis consulere, ejusque litteras cum suis ad ecclesias mittere consuevisset; eædem ecclesiæ postea non ad Siricium tantum, sed et ad Ambrosium rescribere cœperint, eodemque loco ipsius Ambrosii successores habere assueverint. Vel potius Ambrosio ejusque successoribus observantiam istam conciliavit Imperatorum in civitate Mediolanensi sedes, ex qua hujus civitatis antistitum auctoritas crescere non mediocriter cœpit. Certe ex eo, quod Afri ad Imperatores legationem destinantes scribunt: « Litteræ etiam ad episcopum Romanæ ecclesiæ pro commendatione legatorum mittendæ sunt, vel ad alios ubi fuerit Imperator (*Cod. can. eccl. Afr.*, *c.* 93), » quis tum obtineret usus, haud latet. B C

XI.

15. *Anno* 398. *Siricii ad Rufinum officiosa epistola.* — Siricius audita Rufini presbyteri fama, honorificam ad eum misit epistolam, qua illum Romæ, ut hanc urbem præsentia illustraret sua, manere obtestabatur. Et hanc quidem epistolam Rufinus alteri minus favorabili, quam postea Siricii successor Anastasius de ipso scripsit, opponere solebat. Quocirca Hieronymus apolog. lib. 3 sic eum alloquitur: Epistolam Anastasii in dubium vocans, « etiamsi scripta sit ab illo, vel non scripta, ad te nihil pertinere testaris; qui præcessoris ejus testimonium, et rogantem Romam, ut eam illustrares præsentia tua, oppiduli tui amore contempseris. » Et paucis interjectis: « Siricii in Domino dormientis profers epistolam, et viventis Anastasii dicta contemnis. » D

XII.

16. *Alia ad eumdem seu ad ejus socios communicatoriæ litteræ.* — Circa idem tempus seu Rufinus, seu socii, quibus Origenis περὶ ἀρχῶν liber ab ipso nuper latinitate donatus placuerat, communicatorias a Siricio litteras obtinuerunt, quas Hieronymus epist. 16, ad Principiam, notat his verbis: « Cernentes hæretici de parva scintilla maxima incendia concitari, et suppositam dudum flammam jam ad culmina pervenisse, petunt et impetrant (a Siricio) ecclesiasticas epistolas, ut communicatores Ecclesiæ (ex Urbe) discessisse viderentur. Non multum tempus in medio: successit in pontificatum vir insignis Anastasius, etc. »

17. Sic notans Hieronymus Siricii facilitatem, simul cavit ne quis hinc eum hæresi assensum præbuisse suspicaretur. Ipse favorem Origenis asseclis ab illo impensum non ulli in perversam doctrinam propensioni, sed simplicitati tribuit, quod nimirum Rufinus « simplicitati illuderet Romani episcopi, qui de suo ingenio cæteros æstimabat. » Eo autem facilius Rufinus sibi ac sociis litteras a Siricio impetravit humanitatis ac benevolentiæ plenas, quod ille virtutis ac scientiæ fama clarus, necdum male audiisset. Qua in re si culpandus Siricius, quanto magis culpandi essent cum Augustinus, tum alii, qui Pelagio jam hæresis suspecto similes non denegarunt epistolas, quibus ille ad depellendum a se hæreseos crimen Diospolitano in concilio abusus est! Nempe in sinistram suspicionem non facile abit Christiana simplicitas; nec male de quoquam judicare amat, præsertim de illo, de quo nil se menti offert, unde non recte de illo sentiat. Interdum etiam nonnihil dissimulandum censet, ut errantem prævenientibus demulcens officiis, eum ad veritatem allicere queat.

XIII.

18. *Legatio ferens Romam decretum ordinationis Joannis C.P.* — Anno 398 Februarii 28 die, Constantinopoli. Ecclesiæ episcopus ordinatus est Joannes: exindeque decreta est legatio, quæ ordinationem ejus Romæ nuntiaret. Quapropter ad Siricii tempora referri potest hæc legatio, maxime si is papa vitam ad mensem Novembrem anni 398 produxit. Neque enim veri est simile Joannem ad alterum annum distulisse, quo Romanum pontificem de ordinatione sua certiorem faceret. Celebris hujus legationis meminere Palladius dial. de Vita Chrysost. cap. 4, pag. 39, et cap. 6, pag. 50 et 51; Theodoretus lib. v hist. eccl. c. 23, et Sozomenus lib. VIII, c. 3. Et hi quidem quamvis nonnulla confundant, præsertim Theodoretus, in hoc tamen consentiunt inter se, quod Acacium Beroæ episcopum legationis hujus principem exstitisse tradant. De illo nominatim Palladius pag. 39 ita loquitur: « Quis magis canus aut quis visu modestior Acacio Beroensi. . . cujus vel nares ipsæ canos habebant pilos longissimos, cum Romam venit ferens ordinationis Joannis episcopi decretum? »

19. *Eadem Flavianum Antioch. Romano pontifici*

reconciliat. — Neque ideo tantum electus est Acacius, ut ordinationis Joannis decretum ferret, sed etiam ut Flavianum episcopum Antiochenum Romano pontifici reconciliaret. Quam ob causam a Joanne ipso rogatus Theophilus Alexandrinus, Isidorum venerandum ecclesiæ Alexandrinæ presbyterum, ab Athanasio quondam ordinatum, legationi huic adjunxit. Rem Sozomenus sic narrat: « Joannes in ipso episcopatus sui exordio, cum Occidentales et Ægyptii sacerdotes Paulini gratia ab Orientalibus episcopis adhuc dissiderent, Theophilum rogavit, ut suam ipsi operam commodaret, et Romanum episcopum Flaviano reconciliaret. Quod cum placuisset, electi sunt ad id negotium Acacius episcopus Beroæ et Isidorus, is cujus gratia Theophilus Joannis ordinationi adversatus fuerat. » De Isidoro eodem Palladius in dialogo cum Theodoro Romanæ ecclesiæ diacono colloquens ait: « Tu vero et ipse nosti hominem, quando cum Acacio veniens Flaviani cum Theophilo communionem attulit viginti annos abruptam beati Evagrii causa. » Neque hic tacendum, quod de legatione illa Theodoretus habet. « Flavianus, » inquit, « egregios quosdam episcopos Romam misit una cum aliquot presbyteris ac diaconis Antiochensis ecclesiæ. Horum omnium princeps erat Acacius Beroæ urbis Syriæ episcopus... Hic una cum reliquis Romam veniens diuturnam simultatem, quæ septemdecim annos duraverat, sedavit, pacemque inter ecclesias composuit. » Addit quidem statim Theodoretus, « Præerat tunc temporis ecclesiæ Romanæ Innocentius. » Verum, uti Valesius observat, a Flaviani ordinatione, quæ anno 381 contigit, cœperat hæc simultas. Unde sequitur ut si post septemdecim annos sedata est legationis prædictæ beneficio, ipsa legatio anno 398, adeoque antequam Innocentius ecclesiæ Romanæ præesset, illiganda sit. Quare confundere videtur Theodoretus aliud, quod sub Innocentio gestum est. Nam pax illa ecclesiæ Antiochenæ quæ anno 398 initium accepit, Innocentio pontifice perfecta atque cumulata fuit, cum post mortem Flaviani, ejusque successoris Porphyrii, Alexander etiam Eustathianos, qui hactenus cum cæteris convenire renuerant, sibi sociavit. Hinc liquet id, quod Capuana synodus decreverat, quodque nominatim Ambrosius a Theophilo exegerat, esse impletum, cum ipsius opera, etsi forsitan nullo judiciali examine antecedente, ita composita est pax Antiochenæ ecclesiæ, ut eam ratam habere Romanus pontifex non dubitarit.

XIV.

20. *Romani antistitis pacificæ litteræ ad Flavianum Antioch.* — « Vel igitur Siricio, vel ejus successori Anastasio attribuendæ sunt pacificæ ad Flavianum Antiochenum litteræ, quas Bonifacius I epist. 15, n. 6, notat his verbis: « Cum Antiochena ecclesia per multum temporis laboraret, ita ut fierent illinc propter hoc ipsum sæpe discursus, primo sub Meletio, postea sub Flaviano, apostolicam sedem manifestum est esse consultam: ad cujus auctoritatem, post multa quæ ab ecclesia nostra gesta sunt, nemini dubium est Flavianum communionis gratiam recepisse; qua in perpetuum caruerat, nisi *Hinc super hoc scripta* manassent. » Tum Romanum antistitem, uti (*Epist.* 56, n, 7) prædixerat Ambrosius fore, imitati plures Occidentales, Antiochenæ ecclesiæ legatis similes litteras tradiderunt, quas Sozomenus lib. 8, c. 3, generatim indicare satis habet, dicens Acacium Roma in Syriam reversum Ægyptiorum Occidentaliumque pacificas litteras Flaviano retulisse.

2. Decreta nonnulla Siricio papæ in libro pontificali attributa excutiuntur.

1. *Siricii constitutum contra omnes hæreses.* — Quamvis libri pontificalis cum in multis, tum in iis quæ a Romanis pontificibus constituta esse tradit, levis ac sublesta sit auctoritas; quæ tamen Siricio ascribit, silentio præterire non licet, maxime cum nec ab ætate nec a consuetudine illius omnino abhorreant. Primo quidem de illo in hoc libro legimus: « Constitutum fecit de omni Ecclesia et contra omnes hæreses, et dispersit per universum mundum ac per omnes provincias, ut in omni archivo ecclesiæ conservaretur ob oppugnationem contra omnes hæreses. » Sed his verbis designari tantum videtur superior epistola 5, quam ideo a scriptore minus accurato *contra omnes hæreses* dictam suspicamur, quia in ejus clausula legerit: « Hæc itaque, fratres, si plena vigilantia fuerint ab omnibus observata, cessabit ambitio, dissensio conquiescet, *Hæreses* et schismata non emergent, locum non accipiet diabolus sæviendi. »

2. *Fermentum ab episcopo presbyteris missum.* — His addit idem liber: « Hic constituit, ut nullus presbyter Missas celebraret per omnem hebdomadam, nisi consecratum episcopi loci designati susciperet declaratum, quod nominatur fermentum. » Verum is ipse liber usus hujus institutionem Melchiadi attribuit, eumdemque nunc ad Siricium referens, non una ratione contra veritatem accuratam peccare convincitur, quemadmodum supra, pag. 539 et 540, observavimus. Quæ autem ibi annotavimus, prædictum usum Siricio recentiorem non esse persuadent.

3. *Manichæi in exsilium pulsi.* — Istud alterum, quod ibidem subjicitur, « Hic invenit Manichæos, quos in exsilio deportavit, » si subaudiatur « Theodosii auctoritate, » nihil habet quod cum historica veritate pugnet, Theodosius quippe anno 389, Junii 17 die, adversus hæreticos illos constituit, « ut ex omni quidem orbe terrarum, sed maxime de hac Urbe pellantur. » (*Cod. Th. lib.* 16, *tit.* 5, *leg.* 18.)

4. *Manichæi ne cum fidelibus communionem percipiant. Iidem conversi in monasteriis probentur in exitu vitæ viaticum percepturi* — Ad idem tempus revocare licet, quod in eodem libro exinde memoratur: « Et hoc constituit, ut non participarent (*Manichæi*) cum fidelibus communionem: quia ore polluto non liceret sanctum corpus dominicum vexare. Hic quoque constituit, ut si quis conversus de Manichæis rediret ad Ecclesiam, nullatenus communicaret, nisi tantum

relegationi monasterii diebus vitæ teneretur obnoxius, ut jejuniis et orationibus maceratus, probatus sub omni examinatione usque ad ultimum diem transitus sui, humanitate Ecclesiæ viaticum eis largiretur. » Ubi duo sunt notanda : primum, hæreticorum in monasteria, ut conversionis eorum sinceritas ibi probetur, relegatio; alterum, sacræ communionis ad exitum vitæ dilatio. Hoc autem postremum Siricio usitatum fuisse prima ejus epistola cap. 3, 5 et 6, fidem facit. An vero primum pariter in ejus ætatem conveniat, seu an Siricii ævo hæreticos in monasteria relegari usu venerit, aliis indagandum permitto.

5. Denique postremum hoc decretum, quod idem liber Siricio ascribit, « Hic constituit, hæreticos sub manus impositione recipi et reconciliari præsente cuncta Ecclesia, » ad illud attinere videtur, quod is papa epistola 1, cap. 1, de Arianis, an rebaptizandi sint consultus, respondet : « Quos nos cum Novatianis *aliisque hæreticis*, sicut est in synodo constitutum, per invocationem solam septiformis Spiritus, episcopalis manus impositione Catholicorum conventui sociamus. »

3. Alia decreta eidem papæ perperam ascripta.

1. In quodam codice ab annis circiter 700 exarato qui quondam Herovallii, post Petiti, ac demum clarissimi hujus viri testamento bibliothecæ nostræ Germanensi relictus est, sub 92 titulis plura continentur capitula, e variis conciliis Romanorumque pontificum epistolis haud summa semper fide excerpta. Inter hæc quædam admiscentur veluti *Siricii papæ in epistola ad Genesium*.

Nominatim vero sub titulo 54 legimus : « In epistola Siricii papæ ad Genesium episcopum cap. XII. Si sanus vir leprosam duxerit uxorem, aut postmodum ei supervenerit lepra; separentur, ne concepti filii lepra maculentur. Fas namque est ut mundus ad mundam jungatur. »

Item sub titulo 18 : « In epistola Siricii papæ ad Genesium episcopum Her. (*leg.* cap.) XIII. Presbyter, qui dicit se nescire si episcopus fuit qui eum ordinavit, et aliquanto tempore Missas fecit, et postea dimisso officio uxorem duxit, hunc pseudo-presbyterum quis ambigat esse detestabilem ? Pro quo omni modo abjiciendus est, et in monasterio ad pœnitentiam omni tempore vitæ suæ retrudendus. »

Et sub titulo 23 : « In epistola sancti Siricii papæ HR (*leg.* cap.) XIV. Presbyter qui in vino baptizat proxima (*Ita ms. hic et infra : Harduin. vero*, pro maxima) necessitate, ut æger non periclitetur, pro tali re nulla ei culpa ascribatur. Si vero aqua aderat, et necessitas talis non urgebat, hic communione privetur et pœnitentiæ submittatur : infans vero ille si in sancta Trinitate baptizatus est, in eo baptismo permaneat. »

« HR. (*seu* cap.) XV. Si infantem in periculo constitutum proxima necessitate cum vase aut cum manibus atque in nomine sanctæ Trinitatis baptizaverit, firmiter permanebit, præsertim cum necessitas hoc exposcit.

« De presbytero, qui ignorat orationem dominicam HR. (*seu* cap.) XVI. Presbyter qui orationem dominicam non tenet, nec symbolum, neque psalmos, si episcopus fuit qui eum benedixit, hic primum omnium dignitatem, quam illicite præsumpsit, amittat, et sub districta pœnitentia omni tempore vitæ suæ in Monasterio degat. Infantes vero, quos in sancta Trinitate baptizavit, baptizati permaneant.

« HR. (*seu* cap.) XVII. Qui vero ita baptizant, ut dicant, In nomine Patris mergo, in nomine Filii mergo, et Spiritus sancti mergo; ii qui ita sunt baptizati, ac si rustice, tamen in nomine sanctæ Trinitatis baptizati sunt. »

7. Eadem decreta in aliis duobus exemplaribus, Pithœano videlicet ac Turonensi, eadem ratione reperiri Joannes Harduinus in quæstione de baptismo in vino pag. 35 notat. Nihil autem aliud sunt, nisi quæ Jacobus Sirmondus to. II Concil. Gall. pag. 16, ex codice S. Mariæ Laudunensis edidit Stephani II papæ responsa IX, X, XI, XII, XIII et XIV, ab eo, qui illa excerpsit, summa licentia vel truncata, vel mutata. Ad Siricium autem ut referrentur in prædicta imperiti collectoris compilatione, occasionem haud dubie dedit quod apud Sirmondum, secundum Laudunensem codicem, proxime illa præcedit Stephani II responsum VIII his verbis expressum : « De muliere, quæ post mortem viri sui velata fuerit aliquantum temporis, et postea virum accipit, *in epistola Siricii papæ ad episcopum Himerium* Tarraconensem directa, cap. 5, ita continetur : De his vero qui acta pœnitentia tamquam canes ac sues ad vomitus pristinos et voluntabra redeuntes, et militiæ cingulum, etc., » *usque ad hæc*, « Quam formam et circa mulieres, quæ se post pœnitentiam talibus pollutionibus devinxerunt, servandam esse censemus. » *Tum proxime subjicitur* : « Qua de re juxta hujus venerabilis sententiam, eamdem mulierem, quæ tali nefario conjugio, abjecto monastico habitu, copulata est, et in id quod Deo promisit non perduravit, decernimus in monasterium sine mora mittendam, ut illic in sua pœnitentia vitam finiat. » Quæ quidem verba statim excipiunt ista, « Si sanus vir leprosam duxerit uxorem, » et cætera quæ superius retulimus. Nempe cum responsa sua Stephanus auctoritate aliqua fulcire soleat, ac primum Leonis papæ, quintum et sextum Innocentii, septimum Chalcedonensis concilii, octavum Siricii, decimum quintum Antiochenæ synodi, decimum sextum Carthaginensis, decimum septimum Neocæsariensis, ac decimum nonum rursum Leonis papæ testimoniis muniat, existimavit imprudens compilator, ea capitula quæ nullo auctore citato proferuntur, ex ejus ipsius sententia esse expressa, cujus testimonium proxime laudatum fuerat, adeoque ad eumdem Siricium, ex cujus sententia et verbis nominatim citatis responsum VIII concinnatur, responsa IX, X, XI, XII, XIII et XIV, quæ subsequuntur nullo auctore munita, prorsus pertinere. Nec movere nos debet, quod non ea *ex epistola ad Himerium*, sed *ex epistola ad Genesium*

laudet. Ex corruptione enim vocis *Himerium*, librarius indiligens conficere facile potuit *Genesium*, maxime cum pluribus in mss. litterarum *r* et *s* eadem sit forma. Unde mirum non est *nerium* atque *nesium* confundi. Librarius igitur pro *i* ac primo apice litteræ *m* legens *e*, et omissa, ut sæpe fit littera *H*, *Jenesium*, indeque *Genesium* habuit.

8. An vero responsa illa Stephano II congruant, expendere non est hujus loci. Tantum observamus, Siricii sententiam « de iis qui acta pœnitentia militiæ A cingulum et ludicra et nova conjugia, et illicitos denuo appetiere concubitus, » ad mulierem « quæ post mortem viri sui velata fuerit aliquantum temporis, et postea virum accepit, » ideo accommodari, quia quod Siricius de viris pronuntiat, hoc etiam de mulieribus, quæ similiter peccant, intelligi vult dictum. Delicti tamen speciem, de qua Siricius sententiam dicit, ab ea quæ Stephano II proposita fuerat, negandum non est discrepare.

S. SIRICII PAPÆ
EPISTOLÆ ET DECRETA.

(Constant. Epist. Rom. Pont. t. I, col. 623.)

EPISTOLA [a] I.

SIRICII PAPÆ AD HIMERIUM EPISCOPUM TARRACONENSEM.

I. De Arianis (Hispana collectio addit *a Catholicis*) *non rebaptizandis.* — *II. Ut præter Pascha et Pentecosten* (*excepta necessitate*) *baptisma non celebretur.* — *III. De apostatis* (Hisp. coll. add. *ab Ecclesia separandis*). — *IV. Quod non liceat alterius sponsam in matrimonium sortiri.* — *V. De his qui* (Hisp. coll. add. *acceptam*) *pœnitentiam minime servaverunt.* — *VI. De monachis et virginibus propositum non servantibus.* — *VII. De clericis* (Hisp. col. *De ministris*) *incontinentibus.* — *VIII. Quales debeant ad clericatus officium pervenire.* — *IX. De clericorum conversatione* (seu, *Qua ætate sint promovendi*). — *X. De grandævis* (Hisp. coll. *De his qui grandævi ad sacram militiam convertuntur*). — *XI. Quod clericus qui secundam uxorem duxerit, deponatur* (Hisp. coll. *De clericis qui ad secundas nuptias transeunt, ut deponantur*). — *XII. Quæ feminæ cum clericis habitare debeant.* — *XIII. De monachorum promotione* (Hisp. col. *propositione ad clerum*). — *XIV. Quod pœnitens non fiat clericus* (Hisp. coll. *De clericis ut pœnitentiam per impositionem manus sacerdotis non accipiant*). — *XV. Ut si per ignorantiam vel pœnitens, vel digamus, aut viduæ maritus clerici facti fuerint, non promoveantur* (Hisp. coll. *De pœnitentibus, vel bigamis, seu viduarum maritis, ut non permittantur ad ordinem clericatus admitti*). B

SIRICIUS [b] HIMERIO Tarraconensi episcopo [c].

1. *Siricius ordinationem suam, ut oportuit, significat. Ejus cura et quod ei a Petro subsidium.* Directa ad decessorem nostrum sanctæ recordationis Damasum fraternitatis tuæ relatio me jam in sede ipsius constitutum, quia sic Dominus ordinavit, invenit. Quam cum in conventu fratrum sollicitius legeremus tanta invenimus, quæ reprehensione et correctione sint digna, quanta optaremus laudanda cognoscere. C Et quia necesse nos erat, in ejus labores curasque succedere, cui per Dei gratiam successimus in honorem; factio, ut oportebat, primitus meæ provectionis indicio, ad singula, prout Dominus aspirare dignatus est, consultationi tuæ responsum competens non negamus: quia [d] officii nostri consideratione, non est nobis dissimulare, non est tacere libertas quibus major cunctis Christianæ religionis zelus

[a] Exstat in omnibus antiquis canonum collectionibus. Eam Innocentius I epist. 6, ad Exsuperium, num. 2, Agathense concilium can. 9, Joannes II papa epist. ad Cæsarium, Cresconius in Breviario canonico, aliique recentiores canonum collectores laudant. Ejusdem mentionem facit et Isidorus Hispal. de Scrip. eccl. c. 3. A Dionysio Exiguo in quindecim divisa est capitula, titulis totidem ei præfixis: qui quidem in plerisque ejus exemplaribus et simul in fronte epistolæ, et seorsim singuli singulis capitulis præmittuntur. Titulos illos ita servamus, ut ubi perspicuitas nonnihil desiderat, hoc supplentes uncinis inclusorimus. Non alia ejus est divisio in eo canonum codice, quem Quesnellus vulgavit, ut et prævio ejus Indice manifestum est, ubi inscribitur, *Epistola Siricii papæ ad Himerium episcopum Tarraconensem super* XV *capitulis respondentis*, quamvis in ipsius epistolæ fronte prænoteatur, *Epistola Siricii*, D etc., *sub titulis* XVI. Hic nempe tituli decimi sexti nomine donatur mandatum, quo Himerius, quæ ad capitula XV responsa sunt, episcopis cæteris nota facere jubetur. Ex epistolis decretalibus, quibus Romani præsules ad diversarum ecclesiarum consultationes respondent, licet hæc prima sit, quæ ad nos pervenerit, non est tamen prima, quæ ea de causa scripta sit. Neque enim Hieronymus in epistola ad Ageruchiam se in responsionibus *ad Orientis Occidentisque consultationes* Damasum juvare, nisi hoc antea receptum fuisse usu, commemorasset.

[b] Merlin., *Cumerio*. Unus ms., *Hiemerio*. Alter, *Hiero*. Gerund., *Eumerio*. In vetusto Corb. vocis *Himerio* littera *m* linea transversa est.

[c] Dionysius hic addidit *salutem* : quod verbum retinuerunt qui secuti sunt illius collectionem.

[d] In vulgatis, Merlino excepto, hic præponitur *pro*, quod abest a mss.

incumbit. Portamus onera omnium qui gravantur : quin immo hæc portat in nobis beatus apostolus Petrus, qui nos in omnibus, ut confidimus, administrationis suæ protegit et tuetur hæredes.

Cap. I. — 2. *Liberii decreta. Hæreticos in Ecclesiam recipiendi modus.* Prima itaque paginæ tuæ fronte signasti, baptizatos ab impiis Arianis plurimos ad fidem catholicam festinare, et quosdam de fratribus nostris eosdem denuo baptizare [a] velle : quod non licet, cum hoc fieri et Apostolus vetet (*Ephes.* IV, 5), et canones contradicant, et post cassatum Ariminense concilium, missa ad provincias a venerandæ memoriæ prædecessore meo Liberio generalia decreta prohibeant, quos nos cum Novatianis aliisque hæreticis, sicut est in synodo constitutum, per invocationem solam septiformis Spiritus, episcopalis [b] manus impositione, Catholicorum conventui sociamus,

[a] In uno ms. desideratur *velle*. In Regio autem exstat, *vel quod non liceat velle, cum hoc.*

[b] Nicæno in concilio, quod hic simplici *synodi* vocabulo laudatur, exstat ὥστε χειροθετουμένους, pro quo vetus interpres, quem Isidorus Merc. sequitur, legisse videtur ὥστε χειροτονουμένους ; id quippe latine convertit, *ut ordinentur*. Sed cum Dionysio Exiguo, *ut impositionem manus accipientes*, præferendum esse ex his Siricii verbis liquet. Eamdem interpretationem firmat et Innocentius I epist. 16, n. 10, ubi Nicænum canonem laudat ac totum refert. Ipso etiam Nicæno concilio antiquior fuit mos hæreticos in nomine Trinitatis baptizatos per impositionem manus recipiendi, ut supra pag. 227 et seqq. videre licet in Dissertatione de sententia Stephani I circa receptionem hæreticorum. Ibi nominatim pag. 241 et 242 horum Siricii verborum cum veterum scriptis, et cum antiqua benedictione super eos qui ab hæresi veniunt dicenda, consensionem demonstravimus. Simul etiam indicavimus quodnam inter hanc manus impositionem et sacramentum Confirmationis sit discrimen, non inficiantes similibus loquendi modis induci potuisse nonnullos, ut impositionem manus hæreticis redeuntibus præscriptam sacramentum Confirmationis esse intelligerent. Et ita quidem intellexisse videtur Isidorus Mercator in iis sententiis, quas velut *ex synodalibus gestis S. Silvestri papæ excerptas* vulgavit, ubi sic loquitur : *Constituit* (Silvester) *ut presbyterum Arianum resipiscentem non susciperet ; nisi episcopus ejusdem loci eum reconciliaret, et sacrosancto chrismate per episcopalis manus impositionem sancti Spiritus gratia, quæ ab hæreticis dari non potest, confirmaret.*

[c] Hadriani vetus collectio. *Sequitur de diversis baptizandorum, prout.* Isidorus vero Merc. *Sequitur de diversis baptizandorum temporibus, prout :* quod postremum in edit. Rom. et concil. prælatum est. Sinceriorem lectionem revocamus ex Dionysii aliisque melioris notæ mss.

[d] Unus ms. *episcopi*, loco *Christi*. Deinde *Apparitionis* vocabulo id festum notatur, quod etiamnum cum Græcis *Epiphaniam*, appellamus.

[e] Dion. Hadr. ac vetustiores mss. *cum Pentecoste* (aut *Pentecosten*) *suo*. Duos illos dies a primis Ecclesiæ sæculis baptismo solemniter conferendo consecratos fuisse Tertullianus lib. de Bapt. cap. 19 diserte testatur his verbis : *Diem baptismo solemniorem Pascha præstat.... Exinde Pentecoste ordinandis lavacris latissimum spatium est.* Qui mos ut Illæsus servaretur, cum summi pontifices Siricius, Leo, Gelasius, etc. tum concilia quam plurima operam dederunt : neque tamen prohibere valuerunt, quominus identidem violaretur, ac baptismus per diversas regiones præcipuis in festivitatibus solemniter conferretur. De Natali Domini luculentum est Gregorii

A quod etiam totus Oriens Occidensque custodit : a quo tramite vos quoque posthac minime convenit deviare, si non vultis a nostro collegio synodali sententia separari.

Cap. II.—3. *Baptismi percipiendi tempora ac ritus. Quibusnam baptismus statim conferendus.* Sequitur [c] deinde baptizandorum, prout unicuique libitum fuerit, improbabilis et emendanda confusio, quæ a nostris consacerdotibus, quod commoti dicimus (*De Consecr. dist.* 4, *c.* 11), non ratione auctoritatis alicujus, sed sola temeritate præsumitur, ut passim ac libere Natalitiis [d] Christi, seu Apparitionis, necnon et Apostolorum seu Martyrum festivitatibus innumeræ, ut asseris, plebes baptismi mysterium consequantur ; cum hoc sibi privilegium et apud nos, et B apud omnes ecclesias, dominicum specialiter [e] cum Pentecoste sua Pascha defendat ; quibus solis per

testimonium lib. VIII, epist. 30. Ind. 1 ad Eulogium scribentis : *In solemnitate autem Dominicæ nativitatis, quæ hac 1 Indictione facta est, plus quam millia Anglı ab eodem nuntiati sunt fratre nostro et coepiscopo* (Augustino) *baptizati. Eodem* die Claudianum solemniter regeneratum esse memorat Avitus Viennensis episcopus in epistola ad ipsummet regem. Hunque morem in Gallis usu receptum esse liquet ex Gregorio Turon. lib. de Gloria confess. c. 69 et 76, necnon lib. VIII, Hist. Franc. c. 9. Idem et de natali S. Joannis Baptistæ die censendum esse persuadet hic postremus Gregorii Turonensis locus. Plura sunt antiquorum pro Epiphaniorum die testimonia. Hoc præsertim die Siculi baptizati ambabant : quod Leo epist. 18, n. 2 et 9, improbat. Gregorius Nyssenus ea ipsa die Orationem ad baptizandos habuit. Morem eumdem astruunt Gregorius Naz. Or. 40, Joannes Moschus in Prato spirit. c. 214, et Ratherius Veron. Serm. 3 de Quadrag. Immo Gregorius Naz. in præ- C dicta Oratione 40, baptismum quovis die suscipiendum, nec differendum esse pluribus contendit refellitque nominatim eos, qui hoc obtendunt : *Luminum* (hoc est Epiphaniæ) *diem exspecto, Paschalis festum pluris facio, Pentecosten exspectabo : cum Christo baptizari* (in die Epiphaniæ) *præstat, cum Christo in die resurrectionis ad vitam redire, Spiritus adventum honorare.* Sozomenus vero lib. II, c. 26, ubi Jerosolymitani templi sub Constantino Magno factam dedicationem enarravit, proxime adjungit : *Ex eo tempore solemnem quotannis festivitatem admodum splendide Jerosolymitana celebrat ecclesia ; adeo ut baptismi quoque sacramenta eo die celebrentur.* Ex quo inferre licet, etiam in anniversario Dedicationis, immo in quovis solemnissimo die baptismum fuisse traditum ; ita ut hæc baptismi traditio ad solemnitatem pertineret. Denique quibusque Martyrum festis diebus baptismum a multis expetitum esse, testis est post Siricium Leo in epistola 156, ad episcopos per Cam- D paniam, Samnium et Picenum constitutos. Queritur quoque concilium Matisconense II, anno 585 habitum, can. 3 : *Christianos non observantes legitimum diem baptismi, pene per singulos dies ac natales Martyrum filios suos baptizare, ita ut vix duo vel tres reperiantur in sancto Pascha, qui per aquam et Spiritum regenerentur.* Notandum tamen est, quod Siricius hoc privilegium Paschæ et Pentecostes diebus non simpliciter, sed *specialiter* vindicet. *Cæterum*, inquit Tertullianus lib. de Baptismo c. 19, *omnis hora, omne tempus habile baptismo : si de solemnitate interest, de gratia nihil interest.* Sic et Augustinus Serm. 210, n. 2, docet baptismum accipere *omni die* licere. Tum addens, majorem multitudinem in die Paschæ ad baptismum confluere, non liberiori gratia, sed majori solemnitate invitatam, aliis etiam diebus re ipsa

annum diebus, ad fidem confluentibus generalia baptismatis tradi convenit sacramenta, his dumtaxat electis, qui ante quadraginta vel eo amplius dies nomen dederint, et exorcismis, quotidianisque orationibus atque jejuniis fuerint expiati; quatenus Apostolica illa impleatur præceptio (I *Cor.* v, 7), ut expurgato fermento veteri, nova incipiat esse consparsio. Sicut [a] sacram ergo paschalem reverentiam in nullo dicimus esse minuendam; ita infantibus qui necdum loqui poterunt per ætatem, vel his quibus in qualibet necessitate opus fuerit sacri unda baptismatis, omni volumus celeritate succurri; ne ad nostrarum perniciem tendat animarum, si negato desiderantibus fonte salutari, exiens unusquisque de sæculo et regnum perdat et vitam. Quicumque etiam discrimen naufragii, hostilitatis incursum, obsidionis ambiguum, vel cujuslibet corporalis [b] ægritudinis desperationem inciderint, et sibi unico credulitatis auxilio poposcerint subveniri, eodem quo poscunt momento temporis, expetitæ regenerationis præmia consequantur. Hactenus erratum in hac parte sufficiat: nunc præfatam regulam omnes teneant sacerdotes, qui nolunt ab apostolicæ petræ, super quam Christus universalem construxit Ecclesiam, soliditate divelli (*Matth.* XVI, 18).

CAP. III.—4. *Apostatæ a corpore Christi abscidendi, sed pœnitentibus non neganda in fine vitæ venia.* Adjectum est etiam, quosdam Christianos ad apostasiam, quod dici nefas est, transeuntes, et idolorum cultu ac sacrificiorum contaminatione profanatos. Quos a Christi corpore et sanguine, [c] quo dudum redempti fuerant renascendo, jubemus abscidi. Et si resipiscentes forte aliquando fuerint ad lamenta conversi, his, quam diu vivunt, agenda pœnitentia est, et in ultimo fine suo reconciliationis gratia tribuenda: quia, docente Domino, nolumus mortem peccatoris [d], tantum ut convertatur, et vivat (*Ezech.* XVIII, 23).

CAP. IV.—5. *Nemini licet alterius sponsam uxorem ducere.* De conjugali autem [e] velatione requisisti, si desponsatam alii puellam, alter in matrimonium possit accipere (27, *q.* 2. c. 30). Hoc ne fiat, modis omnibus inhibemus: quia illa benedictio, quam nupturæ sacerdos imponit, apud fideles cujusdam sacri-

percipi solere innuit. Quamvis autem baptismi, quovis die percipiatur, æqualis per se sit gratia, ea tamen mysteria, quæ Paschæ et Pentecostes diebus celebrantur, ipsam baptismi gratiam expressius adumbrant, et quædam per se sunt documenta eorum, quæ aut aguntur in baptizatis, aut ab iis agenda sunt. Unde vel ii ritus, quibus celebrari consueverunt duæ illæ festivitates, cum ad instruendam vel firmandam fidem, tum ad informandos mores non parum conducunt. Præterea primis ecclesiarum patribus persuasum erat, quanti interesset ne quis ad baptismi gratiam sine idonea præparatione accederet, ideoque nonnisi post eos dies, qui animis ad illam studiosius præparandis præstituti sunt, ut proxime Siricius conceptis verbis docet. Subinde Gregorius I cum plurimos Judæos ad Christianam fidem confluere audiret, eo usus est temperamento, ut eos extra festivitatem Paschalem, indicta prius quadraginta dierum pœnitentia, baptizari permitteret. Sic porro de iis Indict. 1, mense Maio, ad Fantinum defensorem scripsit: *Quibus tamen si longum vel triste videtur solemnitatem sustinere Paschalem, et eos nunc ad baptisma festinare cognoscis; ne, quod absit, longa dilatio eorum retro possit animos revocare, cum fratre nostro episcopo loci ipsius loquere, ut pœnitentia et abstinentia quadraginta diebus indicta, aut die dominico, aut si celeberrima festivitas fortassis occurrerit, eos omnipotentis Dei misericordia protegente baptizet.*

[a] Quesn. cum tribus mss. Colb. et uno Pith. omittit *sacram*.

[b] Apud Merlin. ut in mss., *ægritudinem desperationis*. Clarius dictum esset, *Quamlibet ægritudinem corporalem, quæ desperetur*. A multis quidem summis pontificibus, conciliis, episcopis ac regibus nostris ad finem usque sæculi XI cautum est, ne baptismus extra Paschæ ac Pentecostes dies conferretur: sed nullum eorum decretum fuit, in quo hujusmodi exceptio non admitteretur.

[c] Quatuor mss., *quod dudum*, non inusitato lapsu librariorum, maxime eorum qui verba ex ore dictantis excipiunt, quibus in simili verborum concursu litteram addere familiare est. At longe clariores ac potiores cum editis, *quo dudum*. Hinc corrigendi sunt tum Hispanæ collectionis auctor, tum Isidorus Merc. qui capituli hujus summam sic præter mentem Siricii reddunt: *De apostatis ab Ecclesia abscidendis.* Si enim Siricius tantum *a Christi corpore* dixisset, abscisionem ab Ecclesia intellexisse commode putaretur: at cum addat, *et sanguine quo redempti fuerant*, non putandus est loqui nisi de Eucharistia, in qua quidem, quod notandum, *sanguinem quo redempti sumus*, et cujus fructum renascendo percipimus, nobis porrigi non dubitat. Quibus vero deinde in vitæ exitu *reconciliationis gratiam* largitur, his verbis id. quod prius negaverat, adeoque Eucharistiæ perceptionem, concedere merito censeatur.

[d] Ita mss. nisi quod in tribus, *tantum ut revertatur*. At edit. Rom. et concil., *sed ut convertatur*.

[e] Merlin. et Crab., *vetatione*. Posteriores edit. concil. cum Rom. *violatione:* renitentibus mss. in quorum duobus mox *nuptæ*, loco *nupturæ*, et in uno *nupturis... violentur*. Quid *desponsatam* Siricius vocet, non satis apertum est. Apud Gratianum 27, q. 2, c. 12, glossa in simile decretum, quod Gregorio tribuitur, desponsatam eo ab uxore distinguit, quod desponsata dicatur quæ non sit carnaliter cognita, uxor vero quæ sit cognita. At eam etiam, quæ non sit carnaliter cognita, uxoris nomine interdum donari Hieronymus sub initium libri adversus Jovinianum probat. Nostro quidem more Tertullianus lib. de Velandis virginibus c. 11 desponsatam eam intelligens, quæ sponsalibus initiata nondum nuptiarum solemniis viro obstricta sit, in ipsis sponsalium solemniis velum tradi docet, ubi primum ait, *Et desponsatæ quidem habent exemplum Rebeccæ, quæ cum ad sponsum ignotum ignota ducereture;* moxque subdit, *Si autem ad desponsationem velantur.* Verum hic Siricio *de conjugali velatione*, cui et sacerdotalis benedictio fuit adjuncta, sermo est. Infra autem epist. 5, n. 3, sacerdotes nuptiis interesse ac velamen nubentibus tradere testatur: *cum*, inquit Ambrosius epist. 19, ad Vigilium, n. 17, *ipsum conjugium velamine sacerdotali et benedictione sanctificari oporteat.* Quocirca nihil vetat quominus desponsatam hic intelligamus velamine sacerdotali et benedictione sanctificatam; atque id Siricii, *et benedictio, quam* NUPTURÆ *sacerdos imponit*, eo intellectu interpretemur dictum, quo illud Ambrosii in Exhortatione virginitatis cap. 6, n. 1: *Nubes itaque sunt, et graves nubes quæ nupserint.... Denique operiuntur ut nubes, cum acceperint* NUPTURÆ *velamina.* Obvius tamen verborum Siricii sensus postulat, ut ea potius de prima desponsationis fide, qua etiam virginem *conjugem* vocari patres ex Evangelio probant, interpretemur.

legii instar est, si ulla transgressione violetur.

Cap. V.—6. *Pœnitentium leges.* De his vero non incongrue dilectio tua apostolicam sedem credidit consulendam (33, *q.* 2, c. 12; ivo p. 13, c. 17), qui acta pœnitentia, tamquam canes ac sues ad [a] vomitus pristinos et volutabra redeuntes, et militiæ cingulum, et ludicras voluptates, et nova conjugia, et inhibitos denuo appetivere concubitus, quorum professam incontinentiam generati post absolutionem filii prodi lerunt. De quibus, quia jam suffugium non habent pœnitendi, id duximus decernendum, ut sola intra ecclesiam fidelibus oratione jungantur, sacræ mysteriorum celebritati, quamvis non mereantur, intersint; a Dominicæ autem mensæ convivio segregentur; ut hac saltem [b] districtione correpti, et ipsi in se sua errata castigent, et aliis exemplum tribuant, quatenus ab obscœnis cupiditatibus retrahantur. Quos tamen, quoniam carnali fragilitate ecciderunt, viatico munere, cum ad Dominum cœperint proficisci, per communionis gratiam volumus sublevari. Quam formam et circa mulieres, quæ se post pœnitentiam talibus pollutionibus devinxerunt servandam esse censemus (*Zacharias papa epist.* 7, c. 36).

Cap. VI. — 7. *Qui plectendi monachi aut moniales castitatis propositum temerantes.* [c] Præterea monachorum quosdam atque monacharum, abjecto proposito sanctitatis, in tantam protestaris demersos esse lasciviam, ut prius clanculo, velut sub monasteriorum prætextu, illicita ac sacrilega se contagione miscuerint: postea vero in abruptum conscientiæ desperatione perducti, de illicitis complexibus libere filios procreaverint; quod et publicæ leges, et ecclesiastica jura condemnant. Has ergo impudicas detestabilesque personas a monasteriorum cœtu ecclesiarumque conventibus eliminandas esse mandamus: quatenus retrusæ in suis ergastulis, tantum facinus continua lamentatione deflentes, purificatorio possint pœnitudinis igne decoquere, ut eis vel ad mortem saltem, solius misericordiæ intuitu, per communionis gratiam possit indulgentia subvenire.

Cap. VII. — 8. *Clericorum incontinentia.* Veniamus nunc ad sacratissimos ordines clericorum, quos in venerandæ religionis injuriam ita per vestras provincias calcatos [d] atque confusos, charitate tua insinuante, reperimus, ut Jeremiæ nobis voce dicendum sit: *Quis dabit capiti meo aquam, aut oculis meis fontem lacrymarum? et flebo populum hunc die ac nocte* (*Jerem.* IX, 1). Si ergo beatus Propheta ad lugenda populi peccata non sibi ait lacrymas posse sufficere; quanto nos possumus dolore percelli, cum eorum, qui in nostro sunt corpore, compellimur facinora deplorare! præcipue quibus secundum beatum Paulum, instantia quotidiana et sollicitudo omnium ecclesiarum indesinenter incumbit. *Quis enim infirmatur, et non infirmor? Quis scandalizatur, et ego non uror* (II *Cor.* XI, 29)? Plurimos enim (*Dist.* 82, *c.* 3; *Ivo p.* 6, *c.* 50) sacerdotes Christi atque levitas, post longa consecrationis suæ tempora, tam de conjugibus propriis, quam etiam de turpi coitu sobolem didicimus procreasse, et crimen suum hac [e] præscriptione defendere, quia in veteri Testamento sacerdotibus ac ministris generandi facultas legitur attributa.

9. *Veteris Testamenti auctoritas frustra prætenditur.* Dicat mihi nunc, quisquis ille est sectator libidinum, præceptorque vitiorum: Si æstimat, quia in lege Moysi passim sacris ordinibus a Domino laxata sunt frena luxuriæ, eur eos, quibus committebantur sancta sanctorum præmonet dicens: *Sancti estote, quia et ego sanctus sum Dominus Deus vester* (*Levit.* XX, 7)? cur etiam procul a suis domibus, anno vicis suæ, in templo habitare jussi sunt sacerdotes? hac videlicet ratione, ne vel cum uxoribus possent carnale exercere commercium, ut conscientiæ integritate fulgentes, acceptabile Deo munus offerrent. Quibus expleto deservitionis suæ tempore, uxorius usus solius successionis causa fuerat relaxatus; quia non ex alia, nisi ex tribu Levi, quisquam ad Dei ministerium fuerat præceptus admitti.

10. *Sacerdotes et diaconi insolubili continentiæ lege*

[a] Solus Quesn., *ad vomitum et volutabra.* Tum hoc loco, tum Nicæni concilii canone 12 probare conatur clarissimus vir Claud. Fleury ad annum 826, pag. 335, militiam aliave, quæ hic recensentur, in ipso tantum pœnitentiæ curriculo prohiberi. Et illius quidem opinioni favet non modo Nicænus canon 12 citatus, sed et Turonensis 1 concilii canon 8, ad normam horum Siricii verborum compositus. Eidem suffragantur et Venetici canon 5 et Aurelianensis 1, canon 11, necnon Dionysius Exiguus et Isidorus Mercator in summa, qua capitulum hoc explicant. Siricium tamen aliter intellexit, qui hoc idem capitulum in vetusto codice Colbertino 3368 sic summatim reddidit: *Qui* POST ACTAM PŒNITENTIAM *tamquam canes ad suum vomitum redeunt.* Et id quidem sonant ipsa Siricii verba. Illi enim sermo est et de viris, qui *acta pœnitentia* functi, non qui agentes pœnitentiam dicuntur, quorum incontinentiam probat ex filiis non in ipso pœnitentiæ cursu, sed *post absolutionem* generatis qui ne *jam non habent suffugium pœnitendi*; ac de mulieribus, quæ se *post pœnitentiam*, non inter pœnitendum, similibus pollutionibus devinxerint. Præterea et ex Leone epist. 2, ad Rusticum, inquis, 10, 11, 12 et 13, colligere est, pœnitentiam semel professis easdem sive *in pœnitentia* sive *post pœnitentiam* leges circa militiam, conjugia, etc. fuisse præscriptas.

[b] Vetustior codex Corb., *distinctione.*

[c] Capitulo huic in laudato codice Colb. 3368, cui et Pith. concinit, hæc præponitur summa: *Si monachi vel monachæ nupserint.* Alius Colb. præ se fert: *De lapsu monachorum vel monacharum.*

[d] In duobus mss., Colb. *calcatos canones*; quæ lectio ut admitteretur, prius *a quibus*, non *quos*, substituendum fuisset.

[e] Antiquiores mss., *perscriptione.* Quos hic Siricius arguit, notare videtur et Ambrosius lib. 1 de Offic. c. 50, n. 258, ubi ait: *Quod eo non præterii, quia in plerisque additionibus locis cum ministerium* (hoc est diaconatum) *gererent, vel etiam sacerdotium, filios susceperunt: et id tamquam usu veteri defendunt, quando per intervalla dierum sacrificium deferebatur.* Quos qua ratione confutet videsis.

constringuntur. Unde et Dominus Jesus cum nos suo illustrasset adventu, in Evangelio protestatur, quia Legem venerit implere, non solvere. Et ideo [a] Ecclesiæ, cujus sponsus est, formam castitatis voluit splendore radiare (*Matth.* v, 27), ut in die judicii, cum rursus advenerit, sine macula et ruga eam possit, sicut per Apostolum suum instituit, reperire (*Ephes.* v, 27). Quarum sanctionum omnes sacerdotes atque levitæ insolubili lege constringimur, ut a die ordinationis nostræ, sobrietati ac pudicitiæ et corda nostra mancipemus et [b] corpora, dummodo per omnia Deo nostro in his, quæ quotidie offerimus, sacrificiis placeamus. *Qui autem in carne sunt*, dicente electionis vase, *Deo placere non possunt. Vos autem jam non estis in carne, sed in spiritu, si tamen spiritus Dei habitat in vobis* (*Rom.* VIII, 8, 9). Et ubi poterit, nisi in corporibus, sicut legimus, sanctis, Dei spiritus habitare?

11. *Lapsis ex ignorantia servatur honor, secus aliis.* Et quia aliquanti (*Dist.* 82, *c.* 4; *Ivo*, *p.* 6, *c.* 50), de quibus loquimur, ut tua sanctitas retulit, ignoratione lapsos esse se deflent : his hac conditione misericordiam dicimus non negandam, ut sine ullo honoris augmento, in hoc quo detecti sunt, quam diu vixerint,[c] officio perseverent, si tamen posthac continentes se studuerint exhibere. Ii vero, qui illiciti privilegii excusatione nituntur, ut sibi asserant veteri hoc lege concessum; noverint se ab omni ecclesiastico honore, quo indigne usi sunt, apostolicæ sedis auctoritate dejectos, nec umquam posse veneranda attrectare mysteria; quibus se ipsi, dum obscœnis cupiditatibus inhiant, privaverunt. Et quia exempla præsentia cavere nos præmonent in futurum : quilibet episcopus, presbyter, atque diaconus, quod non optamus, deinceps fuerit talis inventus, jam nunc sibi omnem per nos indulgentiæ aditum

[a] Edit. Rom. et concil., *Ecclesiam cujus sponsus est speciosus forma :* castigantur ex Quesn. et mss.

[b] Antiquior e mss. Corb., *corpora, ut Domino Deo nostro in his.* Primam continentiæ legem ac necessitatem, qua episcopi, presbyteri et diaconi in Occidente constricti sint, ab hoc Siricii constitutione, et ab Africani concilii, quod illam mox excepit, decreto initium sumpsisse Petrus de Marca lib. I de Concord. sacerd. et imp. c. 8, n. 4, existimat. Non inficiamur tamen tres illos gradus longe antea *universalis Ecclesiæ consuetudine ad eam temperantiam astrictos fuisse.* Atque hujus consuetudinis testes profert Eusebium lib. I Dem. evang. c. 9, Epiphanium hær. 59, n. 4, Ambrosium lib. I Offic. c. ult., Hieronymum lib. I contra Jovinianum et alibi. Hinc quod Africani anno 390 in concilio Carthaginensi II, c. 2, aiunt : *Cum in præterito concilio de continentiæ et castitatis moderamine tractaretur, gradus isti tres conscriptione quadam castitatis per consecrationes annexi sunt... ut quod Apostoli docuerunt, et ipsa servavit antiquitas, nos quoque custodiamus*, sic intelligit, ut continentiam et judicitiam, quam episcopis Apostolus præscribit, interpretatione sua ex usu et consuetudine petita, ad eam continentiæ speciem quam ipsi a clericis majoribus exigunt, non ineleganter trahant. Ipse vero legem inter et consuetudinem discrimen illud statuit, quod *consuetudo violata pudore contemptores plectit, lex vero contumaces gradibus suis mulctat.* Ægre tamen cui que persuaserit, consuetudinem hujusmodi, nisi vel sanctia lege, vel apostolica traditione firmatam, ita valere potuisse, ut nullum in Occidente suppetat exemplum episcoporum, presbyterorum aut diaconorum, quibus ab ea recedere impune licuerit. In fine quæstionum ex utroque Testamento mixtim, quæ apud Augustinum append. I partis tomi III vulgatæ sunt, quæque Hilario diacono Luciferi schismati addicto a multis tribuuntur, pag. 442, objicit sibi quæstionum illarum auctor : *Si licet et bonum est nubere, cur sacerdotibus non licet uxores habere ; id est ut ordinatis jam non liceat convenire?* ac respondet, *Quis nesciat unumquodque suum legem habere?* additque mox : *Et non solum huic* (sacerdoti) *concubitus non licet, verum etiam ministro ejus*, id est diacono. Quod de meræ consuetudinis lege dictum non esse Jovinianus firmat. Iste enim continentiæ hostis, apud Hieronymum lib. I contra ipsum, fateri cogitur, *non posse esse episcopum, qui in episcopatu filios faciat ; alioquin si deprehensus fuerit, non quasi vir tenebitur, sed quasi adulter damnabitur :* cum viri clarissimi sententia is non ut adulter damnandus, sed pudore tantum fuisset suffundendus, si contra solam consuetudinem peccasset. At hunc Jovinianus damnandum, et ita damnandum fatetur, ut episcopus esse jam non posset. Nec dubitandum videtur, quin ibi ad id, quod in Ecclesia etiam ante Siricii tempora actitabatur, respexerit. Idem dicendum et de eo, quod Augustinus lib. II de Adulter. conjugiis c. ult. observat, clericis sæpe numero ad accipiendum clericalem honorem improvisa vi coactis, simul impositam vel invitis fuisse continentiæ legem ac necessitatem. Ipse Siricius eos, *qui se ignoratione lapsos deflebant*, non tantum pudore, sed etiam pœna plectit, cum iis *ullo honoris augmento* interdicit. Immo nec suo se jure uti, sed severiore pœna eos multare sibi licuisse significat, cum non quod jus exigit, sed quod misericordia et indulgentia suadet, adversus eos decernere se declarat. Quocirca et adversus eos, qui se sacerdotum ac levitarum veteris legis exemplo fultos prætexentes, parere detrectabant, jam jure suo ulens gradibus illos privat. Ultro igitur fassus, ne Siricium quidem ullum nosse vel decessorum suorum vel conciliorum decretum, quo continentia prædictis gradibus præciperetur, non immerito existimem, eum non meram consuetudinem, sed legem a Deo sancitam, et ab Apostolo traditam, vindicare voluisse. Hanc quippe legem repetit, tum ab ipso veteri Testamento, quo id sacerdotibus præcipitur, *Sancti estote*, etc., et in quo illi anno vicis suæ procul a domibus suis, adeoque ab uxoribus, habitare jubebantur, ita ut *solius successionis causa uxorius usus* posthac eis *fuerit relaxatus ;* tum a voluntate Domini, qui Legem etiam hac in re venit implere ac perficere, tum demum ab institutione Apostoli, qui hanc Domini voluntatem declaravit. Quibus expositis ubi subdit, *Quarum sanctionum omnes sacerdotes ac levitæ insolubili lege constringimur*, non novam legem a se condi, sed a Deo ac Domino latam et ab Apostolo institutam vindicari indicat. Inde etiam legis hujus necessitatem commendat, quod novi fœderis sacerdotes sacrificia *quotidie* Deo offerant, adeoque continentiam quotidie servare divina lege jubeantur. Demum in epistola 5, ad Afros missa, hanc eamdem legem aliasque renovaturus, litteras tales dare se præfatur, *non quæ nova præcepta aliqua imperent, sed quibus ea quæ per ignaviam desidiamque aliquorum neglecta sunt, observari cupiat, quæ tamen apostolica et patrum constitutione sunt constituta.* Istud porro Siricii de prædictorum ordinum continentia decretum confirmat Toletanum I concilium cap. 1.

[c] Duo mss., *opere :* inconcinne. Quæ hic a Siricio constituuntur, Innocentius I epist. 6, ad Exsuperium, et Agathense concilium can. 9, sequenda esse præcipiunt. Iisdem consentanea sunt, quæ concilium Taurinense can. 8, Arausicanum I can. 24, et Turonense I can. 2, jubent.

intelligat obseratum : quia *ferro necesse* est excidantur vulnera, quæ fomentorum non senserint medicinam.

Cap. VIII. — 12. *Digamus sacerdos aut diaconus non ordinetur.* Didicimus etiam, [a] licenter ac libere inexploratæ vitæ homines, quibus etiam fuerint numerosa conjugia, ad præfatas dignitates, prout cuique libuerit, aspirare. Quod non tantum illis qui [b] ad hæc immoderata ambitione perveniunt, quantum metropolitanis specialiter pontificibus imputamus, qui dum [c] inhibitis ausibus connivent, Dei nostri, quantum in se est, præcepta contemnunt. Et ut taceamus quod altius suspicamur, ubi illud est, quod Deus noster data per Moysen lege constituit, dicens, *Sacerdotes mei semel nubant* (*Levit.* XXI, 13, 14) ? et alio loco : *Sacerdos uxorem virginem accipiat, non viduam, non repudiatam, non meretricem* (*Ezech.* XLIV, 22) ? Quod secutus Apostolus ex persecutore prædicator, *unius uxoris virum* (1 *Tim.* III, 2) tam sacerdotem quam diaconum fieri debere mandavit. Quæ omnia ita a vestrarum regionum despiciuntur episcopis, quasi in contrarium magis fuerint constituta. Et quia non est nobis de hujusmodi usurpationibus negligendum, ne nos indignantis Domini vox justa corripiat, qua dicit : *Videbas furem, et currebas cum eo, et ponebas tuam cum adulteris portionem* (*Psalm.* XLIX, 18) : quid ab universis posthac ecclesiis sequendum sit, quid vitandum, generali pronuntiatione decernimus.

Cap. IX. — 13. *Ordinandorum ætas.* [d] Quicumque itaque se Ecclesiæ vovit obsequiis a sua infantia, ante pubertatis annos baptizari, et lectorum debet ministerio sociari (*Dist.* 77, *c.* 3 ; *Ivo p.* 6, *c.* 91 *et* 92). Qui [e] accessu adolescentiæ usque ad tricesimum ætatis annum, si probabiliter vixerit, una tantum, et ea, quam virginem communi per sacerdotem benedictione perceperit, uxore contentus, [f] acolythus et subdiaconus esse debebit ; postque ad diaconii gra-

[a] In uno ms. Colb., *libenter*. Retinendum cum aliis, *licenter*, id est impune ac repugnante nemine. In veterrimo Corb. ista huic capitulo præmittitur summa : *Periclitare* (pro *periclitari*) *cum metropolitanum, a quo aliquis indigne fuerit ordinatus.*

[b] Lab., *qui hæc immoderata ambitione pervertunt* : renitentibus aliis libris.

[c] Apud Quesn., *illicitis*. In vetustiore ms. Corb. *dum inhibitos motus non cohibent.*

[d] Idem ms. istam præ se fert capituli hujus summam : *Clerici quantis temporibus esse debeant, ut ad episcopatum perveniant.* In Pith. et Colb. hæc eidem præfigitur : *Per quod* (lege *quot*) *gradus acolythus, subdiaconus, diaconus, presbyter vel episcopus fiat.*

[e] Editi, *qui ab accessu*. Præpositio *ab* expuncta est auctoritate undecim potiorum mss. Iste adolescentiæ accessus *vigesimo ætatis anno* computabatur, ut colligere est tum ex his Zosimi epist. 9, ad Hesychium, c. 3 : *Si ab infantia ecclesiasticis ministeriis nomen dederit, inter lectores usque ad vigesimum ætatis annum continuata observatione perduret*, tum ex illo Hibernensi canone, lib. I, c. 9 Spicil., t. IX : *Puer vero ab infantia ecclesiasticis ministeriis deditus, usque ad vigesimum ætatis suæ annum lector sive exorcista stet.* Vetuit quidem Justinianus imp., Novella 123, ne lectores ante annum duodevigesimum ordinarentur : sed antea in Ecclesia cum Orientali tum Occidentali mos obtinuerat, ut pueris hoc officium impertiretur. De Orientali cum plura proferri possent exempla, istud sufficiat Euthymii, quem Otreius Melitinensis episcopus *susceptum puerum baptizavit, et totondit, commissæque sibi ecclesiæ lectorem fecit*, ut in Euthymii ipsius vita narrat Cyrillus Analectorum Græc., t. I. De Occidentali autem, præter Siricium, Zosimum, Hibernensesque canones, hujus rei testis est Paulinus Nolanus, qui de S. Felice canit, *A puero instituit servire Deo... et primis lector servivit in annis* ; testis Augustinus, ut in epistola I ad Cœlestinum, n. 3, visuri sumus ; testis Ennodius in vita S. Epiphanii, pag. 360, ubi hunc *annorum ferme octo lectoris officium suscepisse* tradit ; testis denique, ut alios sileam, Victor Vitensis, lib. I, c. 9, ubi cum Carthaginensem clerum exsilio damnatum quingentorum numerum superasse memoret, addit : *Inter quos quam plurimi erant lectores infantuli.* Quocirca in his concilii Toletani II, cap. I : *De his, quos voluntas parentum a primis infantiæ annis clericatus officio mancipavit, statuimus observandum, ut mox cum detonsi vel ministerio electorum traditi fuerint*, ingens suspicio est loco proximi verbi *electorum*, restituendum esse *lectorum*.

[f] Perveniustus codex Corb. cum uno Colbertino et altero Laudunensi, *quinque annis acolythus et subdiaconus esse debebit.* Tum solus Corb. *Postque tricesimo anno ad diaconi gradum.* Ad hæc Siricii verba, etsi non satis intellecta, expressus videtur Hibernensis canon Spicilegii, to. IX, pag. 4, ubi ita legitur : *Qui vero accessu adolescentiæ ad trigesimum ætatis suæ annum probabiliter vixerit, una tantum uxore contentus, quinque annis subdiaconus, et quinque annis diaconus, quadragesimo anno presbyter, quinquagesimo episcopus stet.* In quo observandum est hanc synodum a Siricii mente dupliciter aberrare : primo dum triplicem distinguit ordinandorum classem, atque unam instituit *de puero ab infantia ecclesiasticis officiis dedito*, alteram *de unius uxoris viro juvene*, tertiam *de grandævo laico* ; deinde dum de primo statuit, ut *sit ostiarius et subdiaconus quatuor annis, diaconus quinque, presbyter trigesimo, episcopus vel trigesimo, vel quadragesimo vel quinquagesimo* ; ac de secundo decernit, ut sit subdiaconus anno 30, diaconus 35, presbyter 40, episcopus 50. Planum enim est Siricium hic duas tantum agnoscere ordinandorum classes, unam scilicet eorum, qui ab infantia lectores fuerant instituti, quique ubi ad pubertatis annos pervenerant, ut concilium Carthaginense III, can. 19, præcipit, vel uxores accipere, vel continentiam profiteri cogebantur, alteram grandævorum. Et cum quidem, qui Ecclesiæ obsequiis a puero fuerit mancipatus, accessu adolescentiæ acolythi et subdiaconi munus ad annum tricesimum obire vult, ac ipso anno 30 diaconi, anno 35 presbyteri (Justiniani Novella 123, c. 13, hac in re ipsi consentiente), anno 45 episcopi gradum adipisci permittit. Constituunt tamen plerique canones antiqui, ut diaconi anno ætatis suæ vigesimo quinto, et presbyteri trigesimo ordinari valeant. Cujus rei fidem faciunt Neocæsariensis synodus can. 2, et Quinisexta can. 14, necnon concilium Carthaginense III can. 4, Agathense can. 16 et 17, Toletanum II can. 1, Toletanum IV can. 20, Arelatense IV can. 1, quibus et Hieronymus epist. advers. errores Joannis Jeros. suffragatur. Cur autem sacerdotem ante trigesimum annum ordinari nolint, hanc vulgo dant rationem, *quia nimirum Christus ea ætate prædicare orsus est.* Verum Cæsarius Arelatensis, etsi mox laudato Agathensi concilio præfuerit, hoc tamen, ut habet ipsius vita, lib. I, c. 28, jamjam moriturus dixisse legitur, *ut numquam in ecclesia sua diaconum ordinaret* (leg. *ordinarit*) *ante trigesimum ætatis ejus annum.* Ex quo colligere est, eum et his Siricii decretis morem gessisse, et quantum in se erat, geri voluisse. Ex dictis

dum, si se ipse primitus continentia præeunte dignum probarit, accedat. Ubi si ultra quinque annos laudabiliter ministrarit, congrue presbyterium consequatur. Exinde, post decennium, episcopalem cathedram poterit adipisci, si tamen per hæc tempora integritas vitæ ac fidei ejus fuerit approbata.

Cap. X. — 14. Qui vero jam ætate grandævus, melioris propositi [a] conversione provocatus, ex laico ad sacram militiam pervenire festinat, desiderii sui fructum non aliter obtinebit, nisi eo quo baptizatur tempore, statim lectorum aut exorcistarum numero societur, si tamen eum unam habuisse vel habere, et hanc virginem accepisse, constet uxorem. Qui dum initiatus fuerit, expleto biennio, per quinquennium aliud acolythus et subdiaconus fiat, et sic ad diaconium, si per hæc tempora dignus judicatus fuerit, provehatur. Exinde jam accessu temporum, presbyterium vel episcopatum, si eum cleri ac plebis [b] edecumarit electio, non immerito sortietur.

Cap. XI. — 15. Quisquis sane clericus (*Dist.* 84, c. 5; *Ivo p.* 6, *c.* 55) aut viduam, aut certe secundam conjugem duxerit, omni ecclesiasticæ dignitatis privilegio mox nudetur, laica tantum sibi communione concessa; quam ita demum poterit possidere, si nihil postea, propter quod hanc perdat, admittat.

Cap. XII. — 16. Feminas vero (*Dist.* 81, *c.* 31; *Ivo p.* 6, *c.* 52 *et* 187) non alias esse patimur in domibus clericorum, nisi eas tantum, quas propter solas necessitudinum causas habitare cum iisdem synodus Nicæna permisit (*Can.* 3. *Vide concil. Carthagin.* III, *c.* 17).

Cap. XIII. — 17. Monachos quoque (16, *q.* 1, *c.* 29; *Ivo p.* 6, *c.* 53) quos tamen morum gravitas et vitæ ac fidei institutio sancta commendat, clericorum officiis aggregari et optamus et volumus; ita ut qui intra tricesimum ætatis annum [c] sunt, in minoribus per gradus singulos, crescente tempore, promoveantur ordinibus: et sic ad diaconatus vel presbyterii insignia, maturæ ætatis consecratione, perveniant. Nec [d] saltu ad episcopatus culmen ascendant, nisi

etiam id intelligitur, quod in vita Bonifacii Moguntini apud Surium 5 die Junii legimus, cum videlicet eum Villibrordus episcopum creare vellet, hoc onus ab illo propterea detrectatum, *quoniam quinquagesimi anni juxta canonicæ rectitudinis normam necdum plene reciperet ætatem.* Licet enim Lud. Thomassinus I p. eccl. discipl. lib. II, c. 68, n. 1, non satis perspicere se dicat, quæ illa sit canonica norma, qua ea ætas desideraretur; eam tamen desiderant non tantum apostolicæ Constitutiones, lib. II, c. 1, sed et, ut supra vidimus, Hibernensis synodi statuta, quæ tum Bonifacium præ oculis habuisse probabile est.

[a] Edit. Rom. et concil. cum mss. coll. Hadr. *conversatione.* Præferimus cum cæteris libris, *conversione*, hoc est, prioris propositi in aliud melius commutatione. Hoc pacto olim in monasteriis nostris eos, qui provecta jam ætate, sæculo nuntium remittentes monasticam vitam arripiebant, *conversos* appellare mos erat, eoque nomine distinguebantur ab aliis, qui a puerili ætate oblati monasteriis fuerant. Rursum ad hoc Siricii decretum sese accommodare videtur Hibernensis synodus Spicil., to. IX, p. 4, ubi statuit: *Si vero grandis ætatis sit laicus, et necesse sit ut episcopus fiat, biennio sit lector, quinque subdiaconus, quinque diaconus, post duodecim annos* (scil. ab eo tempore quo converti cœpit) *presbyter sive episcopus subrogetur.*

[b] Ita codex Pith. cum vetere Colbertino litteris Langobardicis exarato, in quo præterea eadem vox, *edecumarit*, veluti singularis, ad oram libri annotatur. His suffragatur et Corbeiensis sæculo VI scriptus, in quo tribus prioribus litteris deletis restat, *cui maneret*, haud dubie pro *edecumaverit*. Colbertinum codicis a Quesn. vulgati exemplum habet *sequatur*. Regium exemplar meræ collectionis Dionysianæ præ se fert *existerit*, unde in unum Colb. fluxisse videtur *fuerit*, præmisso antea *in eum*, pro *eum*. In exemplis collectionis Hadriani substitutum est *evocarit*: quod et deinceps retentum. Verbum *edecumaverit*, quod perinde sonat atque *e decem* (hoc numero vice omnium posito) *unum meritis præcellentem censuerit*, et Siricii consilio aptissimum est, et ab omni suppositæ lectionis suspicione alienum. In Glossario Græco-Latino, quod Labbeus edidit, legere est, ἀποδεκατῶ; *Edecumatus*, ἀδέκατος, ἀδωροδόκητος: quod Ducangius in Glossario Latino interpretatur, *sincerus, insignis, præclarus, præcellens, ut est judex qui muneribus non corrumpitur.* Idem Ducangius ibidem monet, apud Festum Pauli diaconi, pro *edecimata electa*, restituendum esse *edecumata electa*, sicut apud Papiam *edecumatus electus*, pro *edicumatus ejectus*, et apud Valerannum in epistola præfixa libro S. Anselmi Cantuar. arch. de Sacramentorum diversitate *edecumatos* pro *edocumatos*. Hinc et nos apud Aurelium Symmachum, qui Siricio æqualis erat, lib. 3, epist. 49 et 51, ubi *viros decumatæ virtutis* legimus, præferendum censemus *edecumatæ*, quomodo in veteri codice Benigniano haberi ad marginem epistolæ 51 annotatur. Quid vero Symmachus, in epistola 49, ad Eutropium sibi velit his verbis, *In gravido non habeo quod amicitiæ meæ viros edecumatæ virtutis adjungis*, planius eloquitur in epistola 51, ad eumdem, quam sic exorditur: *Ago quidem studio meo* (f. *tuo*) *uberes gratias, quod mihi familiaritatem probatissimi cujusque conciliat.* Unde apertum est, id ipsi esse *edecumatum*, quod *probatissimum*, maxime cum in eadem epistola 51 inferius Eutropium roget, *ut unum aut alterum æque decumatæ* (verius in ms. Benign. *edecumatæ*) *honestatis* sibi inveniat. Hunc igitur Siricius eligendum esse docet, qui cæteris præcellit, hoc est ut cum synodo Romana epist. 10, n. 18, loquitur, dignissimum, adeoque præiisse intelligitur tum Leoni epist. 12, cap. 6, ubi is papa *optimum* promovendum esse constituit, tum Tridentinæ synodo sess. 24, c. 18, cujus decreto is præcipitur eligendus, *qui dignior inter probatos ab examinatoribus* fuerit. Quocirca verbum *edecumare*, confundendum non est cum *decumare* seu *decimare*, quo decimus quisque, prout contigerit, usurpari intelligitur.

[c] Isidorus, et ex eo edit. Rom. et concil., *Sunt digni*, addito de suo *digni*, quod rectius abest ab anterioribus collectionibus. Hinc confirmatur, quod num. 3 statutum est, ut nimirum diaconatus nulli prius conferatur, quam ad trigesimum ætatis suæ annum pervenisset. Hic quippe id est *intra*, quod *infra*. Neque obscure subdiaconatus inter minores ordines illic censetur.

[d] Unus ms. Colb. ac German., *nec statim ad*; Reg. cum duobus aliis Colb., *nec saltim ad*. Alter regius cum aliquot exemplis Hadr., *nec saltus ad*. Hinc Isid. et ex eo Merlin. et Crab. *nec per saltus ad*. Editi alii, cum duobus mss., *nec statim saltu*. Veterrimus codex Corb., Coislin., Laudun. ac plures alii, *nec saltu ad*: quæ lectio, ut simplicior, ac cæterorum mss. lectionibus affinior, præfertur.

in his eadem, quæ singulis dignitatibus superius præfiximus, tempora fuerint custodita.

Cap. XIV. — 18. *Clerico nulli conceditur pœnitentiam agere.* [a] Illud quoque nos par fuit providere, ut sicut pœnitentiam agere cuiquam non conceditur clericorum, ita et post pœnitudinem ac reconciliationem nulli umquam laico liceat honorem clericatus adipisci : quia quamvis sint omnium peccatorum contagione mundati, nulla tamen debent gerendorum sacramentorum instrumenta suscipere, qui dudum fuerint vasa vitiorum.

Cap. XV.— 19. Et quia his omnibus, quæ in reprehensionem veniunt, sola excusatio ignorationis obtenditur, cui nos interim, solius pietatis intuitu, necesse est clementer ignoscere : quicumque pœnitens (*Dist.* 50, *c.* 56), quicumque bigamus, quicumque viduæ maritus, ad sacram militiam indebite et incompetenter irrepsit, hac sibi conditione a nobis veniam intelligat relaxatam, ut in magno debeat computare beneficio, si adempta sibi omni spe [b] provectionis, in hoc in quo invenietur ordine, perpetua stabilitate permaneat : sciturі posthac omnium provinciarum summi antistites, quod si ultra ad sacros ordines quemquam de talibus crediderint assumendum, et de suo, et de eorum statu quos contra canones et interdicta nostra provexerint, congruam ab apostolica sede promendam esse sententiam [c].

20. *Ut Himerius hæc statuta ecclesiis aliis nota faciat.* Explicuimus, ut arbitror, frater charissime, universa quæ digesta sunt in querelam : et ad singulas causas, de quibus per filium nostrum Bassianum presbyterum ad Romanam Ecclesiam, utpote ad caput tui corporis, retulisti, sufficientia quantum opinor responsa reddidimus. Nunc fraternitatis tuæ animum ad servandos canones et tenenda decretalia constituta magis ac magis incitamus, ut hæc quæ ad tua rescripsimus consulta, in omnium coepiscoporum nostrorum perferri facias notionem, et non solum eorum qui in tua sunt diœcesi constituti : sed etiam ad universos Carthaginenses ac Bæticos, Lusitanos atque [d] Gallicios, vel eos, qui vicinis tibi collimitant hinc inde provinciis, hæc, quæ a nobis sunt salubri ordinatione disposita, sub litterarum tuarum prosecutione mittantur. Et quamquam statuta sedis apostolicæ vel canonum venerabilia definita, nulli sacerdotum Domini ignorare sit liberum : utilius tamen, et pro antiquitate sacerdotii tui, dilectioni tuæ esse admodum poterit gloriosum, si ea, quæ ad te speciali nomine generaliter scripta sunt, per unanimitatis tuæ sollicitudinem, in universorum fratrum nostrorum notitiam perferantur : quatenus et quæ a nobis non inconsulte, sed provide sub nimia

[a] Capituli hujus summa in uno ms. Colb. et altero Pith. ita enuntiatur : *Qui dudum fuerant vasa vitiorum, honorem clericatus non adipiscantur.* Quosnam clericos Siricius a pœnitentia publica eximat, jure hic quæratur. Carthaginensis quidem v concilii canone 11 : *Confirmatum est, ut si quando presbyteri vel diaconi in aliqua graviori culpa convicti fuerint, qua eos a ministerio necesse fuerit removeri, non eis manus tamquam pœnitentibus vel fidelibus laicis imponatur.* Quibus concinens Leo epist. 2 ad Rusticum, n. 5, scribit : *Alienum est a consuetudine ecclesiastica, ut qui in presbyterali honore, aut in diaconii gradu fuerint consecrati, ii pro crimine aliquo suo per manus impositionem remedium occipiant pœnitendi : quod sine dubio ex apostolica traditione descendit.* Huic porro sententiæ accedere videtur Siricius, de iis clericis loqui se notans, ad quos pertinet *gerendorum sacramentorum instrumenta suscipere.* Quippe, ut concilium Carthaginense II, c. 2, docet, *sacramenta contrectant episcopi, presbyteri, diaconi.* Notandum tamen est Siricio sermonem esse non modo de clericis, qui *sacramenta contrectant*, sed et de iis qui *gerendorum sacramentorum instrumenta suscipiunt.* Neque minus generalis est ea illius sententia, qua cuicumque clericorum pœnitentiam concedi negat, quam qua laicum quemcumque post pœnitudinem a quocumque clericatus gradu arceri tradit. Atqui Innocentio epist. 40 teste et interprete, *canones apud Nicæam constituti pœnitentes etiam ob infimis officiis clericorum excludunt.* Eosdem excludit et concilium Carthaginense IV, c. 68, nominatimque in ecclesia Romana id lege atque usu receptum Innocentius epist. 16, n. 8 et 11, asserit, quod et firmatur Gelasii epistola 11, c. 2. Ex quo sequitur, ut Siricii sententia quicumque clerici a pœnitentia publica eximendi sint. Verum ab hac sententia discessit Felix II, epist. 15, n. 6, qui pœnitentiæ publicæ clericos inferiores conceptis verbis subjicit.

[b] Ita mss. antiquiores. Alii vero libri, *promotionis.* Vide concilium Carthaginense IV, c. 68 et 69. Mox *provinciarum summi antistites* ii nuncupantur ; qui supra n. 12, *metropolitani.* Nempe quamvis Gaudentius serm. in ordinatione sua, Innocentius papa 1, Leo aliique promiscue quoslibet episcopos *summos sacerdotes* vocent, in unos tamen metropolitanos convenit esse *summos antistites provinciarum.* Forte mirabitur nonnemo, cur Siricius tum hic tum supra n. 12, ob memorata utrobique vitia metropolitanos plectendos censeat. Erant quidem illi culpæ obnoxii, si quid in ordinationibus episcoporum præter canones committeretur ; quia nulla earum citra illorum consensum fiebat : at in ordinibus aliis, quos iis inconsultis episcopi conferebant, soli videntur puniendi episcopi, ut et re ipsa eos unos concilium Carthaginense IV, c. 68, plectit. Quia tamen metropolitanorum erat, curare ac prospicere, ut in provinciis suis canones servarentur, eaque de causa bis quotannis concilia celebrare jubebantur, non iniqua videri debet disciplinæ hujus erga illos severitas.

[c] In pervetusto exemplari Corbeiensi, apposita hic notula, eademque, ut fieri solet quando aliquid suppletur omissum, ad oram libri repetita, litteris Merovingicis novum adjicitur capitulum, seu decretum hactenus ineditum. Idem in ipso epistolæ contextu, ante proximum verbum *Explicuimus*, exhibet Colbertinus codex 1868 interpolatum. Hoc ipsum eadem ratione interpolatum Siricii nomine citatur in vetere canonum collectione ante annos 800 exarata, quam Germanensis bibliotheca nostra asservat. Præterea et alia vetus collectio eidem bibliothecæ nuper dono data hoc paucioribus contractum pariter nomine Siricii laudat. Decretum istud, quod ignoravit Dionysius, ac forte ad aliud Siricii scriptum pertinet, sub triplici illa forma ad epistolæ calcem, appendicis in morem, subjiciemus.

[d] Ita Quesn. cum veterrimo ms. Corb. In Remensi legere est *Gallos.* In cæteris vero libris, *Gallicos.* Lab. ad marginem ascripsit, *Gallicanos* ut *Gallicianos.* Rursum in epistola 17 Leonis, ad Turibium, n. 23, offensuri sumus *Lusitanos, Gallicos ;* quo postremo nomine Gallæciæ episcopi haud dubie designantur. Ex vocabulo *Gallæcos* factum esse putamus *Gallecos* ac subinde mutato *e* in *i* obtinuisse *Gallicos.*

cautela et deliberatione sunt salubriter constituta, intemerata permaneant, et omnibus in posterum excusationibus aditus, qui jam nulli apud nos patere poterit, obstruatur. Data [a] tertio Idus Februarias, Arcadio et Bautone consulibus.

APPENDIX.

Ex perretusto codice Corbeiensi.

Et quia quotiens de religione agitur, episcopos convenit judicare; si quando inter duas ecclesias fuerit orta contentio, usque ad synodum vel ante metropolim causa ecclesiastica deducatur. Nihil liceat ante principem ulla ratione suspendi : sed quod agitur inter episcopos, episcoporum sententia terminetur. Si quando evenerit, ut in ecclesia inveniatur simplex successor episcopus, ita ut ea, quæ ab anteriore episcopo conquisita sunt vel conlata, per ieporem simplicitatis auferantur, et perdat ecclesia per simplicitatem pontificis, quod inquisierat per prudentiam decessoris; cum inter ecclesiam et ecclesiam hujusmodi fuerit orta contentio, quandoque prudentior successerit, suggerendi illi aditus non negetur : quia, juxta statuta canonum, ecclesia ecclesiæ præjudicium nullo tempore facit; nec potest charitas dividi, quæ unita est, et toto orbe diffusa.

Idem capitulum interpolatum, quale exstat tum in ms. 424 Germanensi cap. 21, tum in Colbertino 1868, Siricio ascriptum.

Si quando inter duas ecclesias fuerit orta contentio, usque ad synodum vel ante metropolim causa ecclesiastica dedicatur. Nulli liceat ante principem ulla ratione suspendi : sed quod agitur inter episcopos, episcoporum sententia terminetur [[b] Ut veneratio sacerdotibus debetur innoxiis, ita et pœna moderata in pietis atque dejectis. Quemadmodum enim Deo servientes et divini sacerdotii integritate lucentes non solum vitam suam proprium præstant ornamentum, sed etiam subjectæ plebi atque obedienti exemplum; ita ii, quorum indiguiora sunt sub integritatis professione peccata, si exclusi degradatique ab episcopis comprobentur], nullatenus ab aliis episcopis recipiantur. Si quando sic evenerit, ut in ecclesia inveniatur simplex successor episcopus : ita ut in ea, quæ ab anteriore episcopo ecclesiæ conquesita sunt vel conlata, per teporem simplicis auferantur, et perdat ecclesia per simplicitatem pontifieis, quod acquisierat per prudentiam decessoris; cum inter ecclesiam et ecclesiam hujusmodi fuerit orta contentio, quandoque prudentior successerit, suggerendi illi aditus non negetur : quia, juxta statuta canonum, ecclesia ecclesiæ præjudicium nullo tempore facit; nec potest charitas dividi, quæ unita est, et toto orbe diffusa.

Idem paucis ac summatim expressum prout in alia vetusta canonum [c] collectione citatur.

IN EPISTOLA SIRICI PAPÆ.

Si per simplicem episcopum res ecclesiæ amissæ fuerint, successori ejus suggerendi aditus non negetur, et, juxta sententiam canonum, ecclesiæ præjudicium nullo tempore fiat : quia una est in toto orbe diffusa.

EPISTOLA II.

VALENTINIANI IMPERATORIS AD PINIANUM,

Qua Siricii Romani antistitis electionem approbat.

(Hæc epistola jam a nobis allata est in *Monum. Vett. ad Arianorum doctrinam pertinentibus*, sup. col. 593).

EPISTOLA III.

MAXIMI IMPERATORIS AD SIRICIUM PAPAM.

Maximus catholicæ fidei curam pollicetur. Spondet et Agricii, quem Siricius ad presbyterii gradum indebite provectum scripserat, causam in synodo examinandam esse. Suum denuo profitetur pro catholica fide studium, ac mittit gesta quibus recens prodita sunt Manichæorum seu Priscillianistarum scelera.

(Hæc epistola quoque collocata est a nobis in *Monum. Vett. ad Arian.*, supra col. 589.)

EPISTOLA IV [d].

SIRICII PAPÆ AD ANYSIUM THESSALONICENSEM EPISCOPUM.

Ut nullus in Illyrico episcopum sine Anysii consensu ordinet.

Dilectissimo fratri Anysio Siricius.

Etiam dudum, frater charissime, per Candidianum

[a] 2 Febr. anni 585. Tres probæ notæ mss., IV *Idus*. Mox editi, *viris clarissimis consulibus*. Abest *viris clarissimis* ab antiquioribus mss. neque ista duo verba legit Dionysius Exiguus, uti fidem facit sincerum ejus exemplar in regia bibliotheca asservatum. Postmodum in collectione ab Hadriano ad Carolum M. missa temere adjectum est *vv. cc.* ante *conss.*, quod et in alias exinde translatum est. Ex omnibus autem collectionum speciebus nulla est, quæ notam illam consularem non exhibeat. Quocirca Tillemontio levis ac subiesta merito visa est conjectura Papebrocii, qui hac nota motus non satis puram ac sinceram esse suspicatur reliquam epistolam. Præcipua quidem ratio, qua ille movebatur, remotis vocibus *viris clarissimis*, sublata est. Sed et si adhuc movetur, quod Arcadio appellato, epitheton *augusti* sileatur, quiescet dubio procul, cum in Prosperi Marcellini chronicis eumdem annum pariter *Arcadio et Bautone consulibus*, sine *augusti* adjuncto, consignari observarit. Neque hinc moveri magis debuit vir eruditus, quod Siricii decessoribus insuitatum hactenus fuerit litteras suas consulari nota consignare; maxime cum hunc usum postea Innocentio cæterisque successoribus ejus familiarem fuisse constet.

[b] Quæ uncinis inclusa sunt ad legem pertinent Arcadii a Jac. Sirmondi append. Cod Theod. p. 5, vulgatam, ejusque exordium conficiunt.

[c] Hæc domini Petiti Rupellensis ecclesiæ eleemosynarii testamento Germanensi bibliothecæ non ita pridem relicta est.

[d] E variis epistolis, quæ olim in concilio Romano sub Bonifacio II recitatæ, tandem Lucæ Holstenii opera publicatæ sunt, una est. Ad hanc alteramve, quam Siricius ante scripserat, seu ad utramque respiciunt tum Innocentius I, epist. 1, ubi Siricium et Anastasium Anysio tantum detulisse memorat, *ut ei omnia, quæ in illis partibus gererentur, traderent cognoscenda*, tum etiam Leo epist. 5, n. 2. Anastasio Illyrici ecclesias vice sua committens *ad beatæ recordationis Siricii exemplum, qui*, inquit, *sanctæ memoriæ Anysio prædecessori tuo bene de apostolica sede tunc merito, et rebus post sequentibus approbato certa tum primum ratione commisit*, etc. Quamvis autem tempus quo scripta sit, definire certo nequeamus, prope tamen constat priu- eam fuisse missam, quam de Bonosi causa quidquam Romæ auditum esset : alioquin de illa Siricius non taceret. Nec immerito ad annum 585 retulerimus litteras illas, quibus Siricius Anysio, quæ in Illyrici ecclesiis gererentur, cognoscenda commiserat. Ille vero has secundas misit, cum utrum acceptæ essent primæ, necdum rescire potuisset. Ex quo consequens est, ut istæ secundæ saltem ad annum 586 pertineant; ac *dudum* illud, quod inter utrasque interjectum Siricius notat, non annorum, sed mensium aliquot intervallum designet; quia cupienti aliquid videtur longum quod præter exspectationem differtur.

episcopum, qui nos præcessit ad Dominum, hujusmodi litteras dederamus, ut nulla licentia esset sine consensu tuo in Illyrico episcopos ordinare [a] præsumere : quæ utrum ad te pervenerint, scire non potui. Multa enim gesta sunt illic per contentionem ab episcopis in ordinationibus faciendis, quod tua melius charitas novit. Et ideo sollicite agere te oportet, ne, ut factum est, certatim in una ecclesia dum ordinare præsumunt indignos, velut tres [b] episcopos fecisse videantur. Ad omnem enim hujusmodi audaciam comprimendam vigilare debet instantia tua, Spiritu in te sancto fervente : ut vel ipse, si potes, vel quos judicaveris episcopos idoneos cum litteris dirigas dato consensu, qui possit in ejus locum qui defunctus vel depositus fuerit, catholicum episcopum, et vita et moribus probatum, secundum Nicænæ synodi statuta, vel ecclesiæ Romanæ [c] clericum de clero meritum ordinare.

MONITUM IN EPISTOLAM SEQUENTEM.

I. *Epistola sequens Siricio ab aliis adjudicata, ab aliis abjudicata, quibusdam dubia.* — Longum esset varias eruditorum de hac epistola sententias, et argumenta quibus suam quisque tuetur, referre. Sed et de his prorsus tacere mihi non licet. Blondellus in Pseudo-Isidoro pag. 550, quædam de illius veritate dubitandi semina primus, quod sciam, jecit. Fatetur quidem Ferrandum diaconum in Breviatione canonum art. 6, 130, 138 et 174 epistolæ hujus meminisse, eumque, utpote qui ad annum Domini 547 vixerit, idoneum esse ad conciliandam illi auctoritatem : duo tamen adversus eam opponit, primum, quod nulla ejus exstet in veteri Romanæ ecclesiæ codice memoria ; alterum, quod tota propemodum ad verbum descripta sit in epistola Innocentii ad Victricium : tunc hæc lectorum judicio permittit. Papebrochius consularem notam additititiam censet. Pascasius Quesnellus dissertatione 15, in Leonis opera pluribus contendit, et hanc epistolam, et concilium Africanum in quo dicitur lecta, merum esse impostoris figmentum. Scripti utriusque veritatem Emanuel a Schelstrate eccles. Afric. dissert. 5, cap. 12, defendit. Sebastianus le Nain Tillem. tom. X, p. 795, ubi ea quæ ipsum moveant proposuit, pro insita sibi modestia, eruditorum judicio cuncta permittit, malens Baluzii exemplo in suspenso ea relinquere, quam quidquam temere definire. Postmodum tamen Steph. Baluzius, ad calcem editionis lib. de Concord. sacerd. et imp. anno 1704 recusæ, pag. 1339, adjecta singulari adversus Quesnellum dissertatione de concilio Teleptensi, se hac in re minime dubium aut incertum ostendit, sed epistolæ nostræ veritatem acriter tuetur.

II. *Asseritur Ferrandi auctoritate.* — In hac dissertatione primum conjecturis, quibus Quesnellus Ferrandi opusculum interpolationis suspectum haberi vult, confutatis, affirmare non dubitat, « vix ullam esse veterum Scriptorum lucubrationem adeo sanam, adeo integram, et in quam minus grassatæ sint manus non dicam impostorum, sed imperitorum librariorum, » adeoque « puram esse ab iis maculis quibus illam aspergere conatus est Quesnellus. » Tum his addit, etiam si quædam in ea Ferrandi collectione menda, quædam obscura certo probarentur, minime inde consequi, ut quoties occurrit epistolæ Siricii mentio, illinc protinus expungenda esset ; alioqui de auctoritate omnium fere veterum Scriptorum actum iri, si semel licentia ista invalesceat. Subinde vero Quesnellum indiligentiæ in eo maxime arguit, quod sub finem cap. 1, de Chiffletio ait, « Codicem Trecensem commemorat, qui Zellensem synodum appellat eamdem, quam alii Telensem : sed unicus est adversus innumeros. » Non enim præter Trecense, *innumera* sunt Breviationis Ferrandi exemplaria, sed unicum Corbeiense. Hujus autem codicis ætas, siquidem mille ac centum annos superat, edito Ferrandi operi non mediocrem præstat auctoritatem. Cum igitur, Quesnello ipso cap. 2, n. 1, fatente, « de Telensis seu Zellensis concilii epistolæque ei annexæ sinceritate secure pronuntiari posset, si de ipsius Breviationis integritate constaret ; » et concilium illud et epistolam in eo lectam sincera esse merito pronuntiat Baluzius, ubi Ferrandi Breviationem ab omni depravationis suspicione vindicavit.

III. *Telceptensi in concilio fuisse recitatam.* — Alterum Quesnelli adversus epistolæ hujus veritatem argumentum repetitur ex concilii, cui illa annexa est, nomine. « Constat enim, » inquit cap. 3, « *ubique Telense* scribi, nec librariorum errore ita scriptum. Liquet porro unicam esse Telensem civitatem, quæ in proconsulari jacet provincia : Donatianum autem, Teleptensem in Bizacena episcopum, synodum in proconsulari habuisse, omnium est impostoris, cui nec disciplinæ ecclesiasticæ nec Africanarum regionum notitiæ satis adfuit, ut scite fraudem texeret. » Hic mirari satis nequimus quantum cuique imponat præconceptæ vis opinionis. Ut enim mittamus veterem codicem Vaticanum, in quo prædictum concilium *Thelescense*, duos Regios, quorum in uno *Telenense*, in altero *Telinense* nuncupatur ; in ipso Thuano, nunc Colbertino not. 952 quem Quesnellus penes se habuit, quemque passim in suo Codice laudat, legere est in generali indice cap. 62 : « Constituta Theleptensis concilii, id est in Africa, juxta decretalem Siricii papæ ; » ac deinde in ipsius fronte concilii, « Incipit concilium Teleptense super Tractatoria sancti Cyrici papæ urbis Romæ per Africam... congregato concilio in ecclesia Apostolorum plebis *Teleptensis*. » Virum oculatum quo pacto fugere potuit trina illa *Teleptensis* vocabuli repetitio? an ista loca consulere omisit? Si autem vel codicem, qui penes ipsum erat, legere neglexit ; quæ fides habenda pronuntianti, « Constat ubique Telense scribi, nec librariorum errore ita scriptum? » Præterea in altero ms. Colbertino not. 3368 duplex habetur ejusdem concilii exemplum : et in primo quidem *Telense*, in altero autem *Teleneme* nuncupatur, addito ad calcem. *Expliciunt canones Thelenses*. Donatianus vero in primo exemplo *Teleptinensis*, et in altero *Telensis* civitatis episcopus appellatur. Cum igitur Donatianum Teleptinensis seu Teleptensis ecclesiæ episco-

[a] Idem Thessalonicensis antistitis privilegium ita confirmant Cœlestinus I epist. 2, et Xystus III epist. 8, ut Xystus metropolitanis, eo consulto, provinciæ suæ episcopos ordinandi jus servet. De hoc autem jure infra derogat Siricius, cum Anysio injungit, ut episcopos *vel ipse*, vel per quos velit antistites ordinet.

[b] Ad id quod anno 382 in Antiochena Ecclesia factum est, videtur Siricius alludere. Cum enim ibi duo jam essent episcopi, Euzoius scilicet ac Meletius, tertius a Lucifero Calaritano imprudenter institutus est Paulinus. Subinde etiam Meletio ac Paulino ab Appollinarianis adjectus est Vitalis. Hujus autem ecclesiæ ideo probabiliter ponit exemplum, quia cum Meletio Flavianus et Evagrius Paulino non ita pridem subrogati fuissent, recruduerant dissidia, et, ut Ambrosius epist. 56, n. 1, loquitur, *graris toto orbe stabat discordia*.

[c] Ista exceptio regulam firmat generalem, quæ episcopum e clero propriæ ecclesiæ, cui ordinandus est, assumendum esse præcipit ; simul et Romanæ ecclesiæ in Illyrici provincias quoddam speciale jus designat.

pum, ac Bizacenæ provinciæ primatem anno 417 A fuisse in confesso sit, quod et illius subscriptio in concilio Milevitano II ann. 416 habito probat, ac nihilominus *Telensis* civitatis episcopus manifesto librariorum lapsu scribatur; cur non item librariorum lapsu factum credamus, ut concilium, quod nonnullis in mss. *Teleptense* legimus, in aliis *Telense* scriberetur? Idem vero concilium a Ferrando *Zellense*, quia re ipsa Zellæ habitum sit, ab aliis autem *Teleptense*, quia ad Teleptensem diœcesim Zella pertineat, nuncupatum Baluzius opinatur « eo modo, quo Lodisa concilium *Tarraconense* vocavit illud, quod temporibus Sisebuti regis habitum fuit apud Egaram in provincia Tarraconensi; Sirmondus vero *Magalonense* illud, quod convenit apud Juncarias in territorio Magalonensi. »

IV. *Alterius epistolæ Innocentii cum ea consensionem nihil ejus veritati officere.* — Item objectum aliud, ex summa epistolæ Siricii cum altera Innocentii ad Victricium consensione petitum, hac diluit Hincmari Remensis to. II, p. 461, observatione : « Hic est enim B mos apostolicæ sedis pontificibus, ut verba decessorum suorum quasi propria in suis ponant epistolis. » Quam quidem observationem Hincmarus Laudunensis ibid., pag. 624 et 631, *verissimam* esse confirmat. Quamquam non aliunde forsitan nitatur hæc illorum observatio, nisi quod in epistolis ab Isidoro conflictis eadem frequenter repetita deprehendantur. Saltem illud certum, quod adjungit Baluzius, ipsum Innocentium in epistola ad Exsuperium cap. 1 propria verba epistolæ suæ ad Victricium cap. 9 exscribere. Ex quo minus mirum videri debet, si et decessoris scripta, quæ cum illius sede quodam modo propria ipsi evaserant, pariter exscribat. Immo mihi utramque epistolam conferenti persuasum est, Innocentii epistolam ex epistola Siricii, non hanc ex illa expressam esse. Idemque iis persuasum iri confido, qui quæ in epistola Siricii explicatione egeant, in Innocentii epistola ut plurimum suppleri animadverterint; adeo ut Siricius verborum suorum auctor, Innocentius Siricii interpres plane appareat. Veri enim simile non est eum qui ex Innocentii verbis epistolam componere, et Siricio affingere voluisset, quædam illius verba, quæ ad perspicuitatem sententiæ videntur necessaria, fuisse omissurum. Ex his autem locis nonnulla nunc essent indicanda, nisi hoc notis commodius servaretur. Ad Innocentium quod attinet, plures a Siricio jam præscriptas regulas epistolæ suæ inserendo convenienter Victricio satisfecit, nihil ab ipso novum postulanti, sed regularum librum, quo « qualis servetur in urbis Romæ ecclesiis disciplina » edoceretur, expetenti.

V. *Rejicitur quæ fingitur ejus supponendæ causa.* — Neque hic locus ullus est viri clarissimi suspicioni, qua censet aliquem Romanæ amplitudinis auctoritatisque præpostere studiosum, cum videret Romanorum pontificum Zosimi, Bonifacii et Cœlestini male cessisse operam, quam pro jure appellationum D ad Apostolicam sedem in Africanas provincias invehendo posuerant, in animum induxisse suum, ut has Siricio litteras supponeret, celebremque fingeret Africæ synodum eas recipientem, quo infausti exitus memoria oblitteraretur. Sane hujusmodi suspiciones ea levantur atque removentur facilitate, qua et injiciuntur. Immo ab hujus generis figmentis tum quisque Romani nominis studiosus deterreri debuisset, cum recens probasset Afrorum in iis excutiendis, quæ sibi conciliorum nomine obtrudebantur, diligentiam. Quis etiam tam hebes erat, ut rei tot gestis consignatæ, atque ipsius Africanæ ecclesiæ canonum Codici insertæ memoriam oblitterari posse speraret? Sed et si cui tantum fuisset Romanæ amplitudinis studium, ut hujus rei gratia nec falsa scripta comminisci vereretur, is dubio procul sedis illius jus apertioribus ac magnificentioribus verbis, quam quibus Siricius num. 2 utitur, explicuisset.

VI. *Siricium verbis monendi et rogandi ad ea quæ præcepta essent persuadenda non absurde usum esse.* — At, inquit laudatus vir cap. 5, n. 7, « manifestam faciunt impostoris malitiam vel inscitiam verba hæc capitis 9, « Suademus ut sacerdotes et levitæ cum uxoribus suis non coeant; » necnon ista, « Hortor, moneo, rogo, etc. » In his tamen verbis nil simile nobis apparere ultro fatemur. Neque enim sic ea dici, ut obtendit vir eruditus, intelligimus, « quasi lege continentiæ non tenerentur sacerdotes et leviæ; » sed ut ad eam legem servandam qua tenebantur, hortando, monendo, rogando, suadendo inducerentur. An ad ea tantum, quæ ex animi libera voluntate pendent, ac nulla præcepti necessitate exiguntur, est hortandi, monendi, rogandi et suadendi locus? Ipse Siricius, ab ipso epistolæ suæ proœmio ea ad quæ subinde hortatur, non mera consilia esse indicat, sed *præcepta*, et ea quidem, quibus eo magis quisque teneatur, quod *non nova*, sed vetera constituta sint. Quocirca iisdem expositis subjicit : « Si quis sane inflatus mente carnis suæ ab hac canonis ratione voluerit evagari, sciat se a nostra communione seclusum, et gehennæ pœnas habiturum. » Nemo certe ullum, ob consilia neglecta, aut a communione sua secludendum esse, aut gehennæ pœnis obnoxium fore censuerit. Ad hæc, uti jam Baluzius observavit, Innocentius epist. 3, ad Exsuperium, n. 3; Siricii de continentiæ lege verba laudans, ea « beatæ recordationis viri Siricii *monita*, » non præcepta, nuncupat. Ipse quoque Siricius in epistola 4, n. 5, id, quod velut « contra apostolica præcepta, » factum vehementer improbat, ne deinceps fiat, verbo *admonendi* prohibet in hunc modum, « Quod ne fiat ultra admoneo. » Et epist. 10, n. 6 : « Hominibus coinquinatis et infidelibus.... mysterium Dei credere non oportere, veneratione religionis ipsa suadente, moneo. »

VII. *Afrorum erga sedem apostolicam observantia.* — Jam præmiserat Quesnellus cap. 3, n. 3 : « Certum est per eam ætatem, Africanos suarum ecclesiarum administrationem ex propriarum synodorum canonibus gessisse, nec leges ecclesiasticæ disciplinæ a transmarinis regionibus sibi imponi passos esse. » Verum id, quod pro certo ponit, cum iis quæ sub Siricii successoribus Anastasio, Innocentio et Bonifacio gesta sunt, componere prorsus non valeat, si hinc Siricii litteræ, quod Africano in concilio dicantur lectæ, rejiciendæ sint. Nunc enim Africani, ut et Baluzius annotavit (*Cod. can. Eccl. Afr. c.* 36), litteras scribendas et legatum mittendum decernunt ad Anastasium apostolicæ sedis episcopum et Venerium sacerdotem Mediolanensem, eos oraturum; ut decretum temperent, quod tum observari Africanarum Ecclesiarum status non permittebat. Modo Anastasii ejusdem litteris in concilio suo recitatis, gratias agunt Deo, « quod illi optimo ac sancto antistiti suo tam piam curam pro membris Christi, quamvis in diversitate terrarum, sed in una compage constitutis, inspirare dignatus est (*Ibid. c.* 65.) » Ipsi etiam ad eumdem papam mittunt rursum litteras, quibus quæ de Donatistis recipiendis decreverint, reverenter exponunt. Subinde et Innocentii litteris, quibus cavebatur « ut episcopi ad transmarina pergere facile non deberent (*Ibid. c.* 94), » sibi pariter prælectis, hoc ipsum sententiis suis confirmarunt. Demum edito Scripturarum canone sanciunt, « ut hoc etiam fratri et consacerdoti nostro Bonifacio vel aliis earum partium episcopis pro confirmando isto canone innotescat (*Ibid. c.* 24). » Immo ipsummet Siricium ac Simplicianum de infantibus apud Donatistas baptizatis, an ex eis sacri altaris ministros promovere liceat, consulendos duxerunt (*Ibid. c.* 47). Cum igitur erga sedem apostolicam sic affecti essent Afri, eos anno 418 utiles ac sanis statutis refertas Siricii litteras in concilio suo recitari præcepisse quis stupeat? Sed neque leges litteris illis proprie imponebantur, utpote quibus non

nova edebantur præcepta, sed vetera firmabantur.

VIII. *Epistolam sequentem ad Italos et propter Italos scriptam esse.* — Pari facilitate diluuntur cætera, quæ adversus epistolæ sequentis veritatem objiciuntur. Hujus rei causa observasse maxime juverit, epistolam illam non propter Afros, sed propter eos qui ad Romanum concilium vocati venire non potuerant fuisse scriptam, ac postmodum missam esse ad Afros eo fere modo, quo Damasi epistolam 3 propter episcopos Illyrici scriptam, subinde ad orientales missam, ipsisque inscriptam vidimus. Quemadmodum autem in epistolæ hujus exemplo, quod Orientalibus traditum est, retenta sunt quæ solis Illyrici episcopis dici conveniebat, cujusmodi est illud num. 2 : « Unde advertit sinceritas vestra.... hac fide nobiscum *Orientales*, qui se catholicos recognoscunt, Occidentalesque gloriari » : ita nec in exemplo Siricii, quod Italis scriptum, sed Afris transmissum, et ab eis in concilio suo recitatum est, mutata sunt quæ de solis Italis dicta fuerant. Hinc illud, « propter eos maxime, qui in præsenti, aut valetudine aut fessæ ætatis causa, adesse minime potuerant, » quod Quesnellus de Afris interpretans omnino absurdum judicat, Italis, de quibus unis dicitur, aptissime congruere deprehenditur. Ex eadem observatione pendet primi capituli seu decreti intelligentia, circa quam memoratus vir frustra laboravit. Istud sane si observasset, procul abfuisset ut cap. 4 diceret, « primum *vobiæ* argumentum ex hujus primi decreti insulsitate repeti, » utpote « quod quovis modo legeris, nec ad usum loquendi, nec ad grammaticæ leges, nec ad Africanam disciplinam et consuetudinem possis accommodare; » sed hoc ultro fassus esset adeo apte ad consuetudinem ac disciplinam Africanam accommodari, ut vel hinc de totius epistolæ atque Teleptensis concilii veritate dubitare jam desineret.

IX. *Tantum ad nos perrenit beneficio exempli quod Afris transmissum est.* — Observandum est deinde, non aliunde ad nos epistolam istam, nisi gestorum Teleptensis synodi beneficio pervenisse. Eam qualis in hoc concilio recitata est, exhibent diversæ, eæque perantiquæ conciliorum ac pontificiarum epistolarum collectiones, quarum quatuor in bibliotheca Colbertina, duæ in Regia, una in nostra Germanensi, et aliæ alibi asservantur. Sed nec ab eo abest codice, quem *Codicis canonum ecclesiæ Romanæ* nomine Quesnellus donavit. In eo quidem postremum obtinet locum; unde ille postmodum eam additam conjectat. Sed si semel admittatur illa ratio, pariter additi censendi erunt Constantinopolitani, Laodiceni, Antiochenique canones, qui proxime antecedunt; idemque de Damasi ad Paulinum epistola, quæ in eo codice duntaxat cap. 55, post epistolas Simplicii, Felicis, Gelasii, etc., collocatur, judicium erit. Ex gestis autem Teleptensis concilii qui primum hanc transcripsit epistolam, id unum curavit, ut unde illam acceperit, non lateret. Neque vitio ei vertendum, quod cætera prætermiserit ejusdem concilii gesta : sicut nec nos culpaverit quisquam, quod Romanorum pontificum epistolas diversis in conciliis recitatas, relictis synodalibus gestis, hic exhibeamus. Quemadmodum enim instituti nostri non est, ita nec fuit eorum qui antiquos canones et apostolicæ sedis decreta collegerunt, collectioni suæ gesta synodalia adjungere. Unde ex eo, quod e synodis illis tantum epistolam exscripserint ibi recitatam, consequens non est ut nihil aliud in iis gestum fuerit; neque illud Quesnello colligendum fuit, « quod nullum majoris momenti negotium in illa synodo (Teleptensi) tractandum erat, quam lectio epistolæ vel epistolarum Siricii. » Ipsa præfatio, quæ antiquis in libris huic Siricii epistolæ præmittitur, indicat hujus papæ litteras nonnisi ex occasione, et postquam absoluta essent negotia, propter quæ convenerat synodus, concilio ipso approbante fuisse recitatas. Eam hic Colbertino ex codice descriptam, aliorum exemplarium varietatibus ad marginem annotatis, omnium oculis subjicere operæ pretium duxi. Sic porro in prædicto codice habetur :

X. « Incipit concilium Teleptense super Tractoria (*Corb. ms.* Telesim per tractatus) sancti Ciryci papæ urbis Romæ per Africam. Post consulatum gloriosissimi Honorii XI et Constantii II, VI kalendas Martias congregato concilio [in ecclesia Apostolorum] plebis Teleptensis (*Idem ms.* concilio plebis Telensis, *omissis intermediis*), beatus pater primæ sedis episcopus Donatianus civitatis Teleptensis cum resedisset, consedentibus secum Januario, Felice, Secundo, Cyrio, Secundiano, Geta (*Idem ms.* Zeta), Eunomio, Maximiano, Donato, Cresconio, Jocundo, Soprato (*Alter Colb.* Sopatro), Restituto, Juliano, Maximino, Romano, Teriolo, Nilico, Maximo, Donatiano, Basilio, Papiniano, Januario, Porfyrio, item Porfyrio, Donato, Juliano, Tuto, Fortunio (*Duo mss.* Fortino, Quantiano), Quintiano, Capione et cæteris episcopis; necnon etiam Vincentio, Fortunatiano legatis provinciæ Proconsularis ad Bizacenum concilium directis, et reliqua » (quæ scilicet in synodo gesta fuerant, et quæ consulto prætermittit antiquarius, ut ad Syricii litteras veniat), « Vincentius et Fortunatianus dixerunt : Etiam cum Thusdrum (*Corb. ms.* Thosdrum, *alter Colb.* Thiodrum) fuissemus, sicut mecum recolit memorialis auditio vestra, et epistolas sanctæ memoriæ Syricii sedis apostolicæ episcopi dederamus recitandas, ex quibus cum unam relegeret sanctimonium fratris nostri episcopi Latonii, utrasque nos nunc referre suggestio indicat : has recitari donate. Episcopi dixerunt : Recitentur epistolæ venerabilis memoriæ sancti (*Duo mss.* sanctæ) Syricii, ut noverimus quid earum textus contineat. Cumque traderentur, Privatus notarius dixit : Exemplar tractatoriæ (*Quidam mss.* Exemplum tractoriæ, *seu* tracturiæ) episcopi urbis Romæ. Dilectissimis fratribus, etc. » Hic forte quod dicitur consilium Teleptæ « in Ecclesia Apostolorum » celebratum, si quis fictum esse suspicetur ad imitationem verborum Siricii, « qui ad reliquias B. Petri » convenisse se præfatur; eo iniquior videbitur illa suspicio, quod in quavis orbis parte dicatas Apostolis Ecclesias haberi insolens non est.

XI. *Teleptense concilium suppositionis suspectum immerito dici.* — His probe consideratis, judicet quisque merisne conjecturis ut suppositium rejicere liceat concilium Africanum in pervetustis exemplaribus, ac nominatim Corbeiensi, quod medio sæculo VI recentius non est, asservatum, et Ferrandi diaconi Afri, qui eodem sæculo VI ineunte florebat, auctoritate fultum; concilium, inquam, in quo notantur dies et consules quibus habitum est, locus in quo celebratum, episcopus qui ei præfuit, et cæteri episcopi qui eidem interfuerunt : tametsi tot in notis nihil deprehendatur, quod non consentiat aut repugnet historicæ veritati. Certe Donatianum anno 411 Teleptensis Ecclesiæ episcopum exstitisse ex Collatione Carthaginensi habemus. Eumdem saltem ab anno 416 Bizacenæ provinciæ *primatem* fuisse testis est illius concilio Milevitano II subnexa subscriptio, idque diserte firmat canonum Eccles. Afric. Codex c. 127. Eum quoque ad annum 418, quo Teleptense concilium consignatur, superstitem fuisse fidem facit generalis Africæ synodus, prout apud Lab. to. II, pag. 1578, legitur, kalendis Majis ejusdem anni 418 habita. Nec repugnat, provinciale synodum aliquanto ante generalem vel propriorum negotiorum causa, vel ut res ad generalem deferendas præparet, celebrari. Præterea Vincentium et Fortunatianum, qui Teleptæ interloquuntur ut Proconsularis provinciæ legati, alias etiam eodem munere functos esse tum ex Milevitano II concilio c. 27, tum ex Codice can. Afric. Eccl. cap. 97 et 127 discimus.

XII. *Tractoriæ nomine quid intelligatur.* — *Tracturiæ* seu *tractoriæ*, vel *tractatoriæ* vocabulum, quo donatur hæc epistola, et in quo exprimendo eadem

apud Augustinum est veterum codicum varietas, ad ecclesiasticum usum a jure civili translatum fuit. In Codice Theod. lib. VIII, specialis est titulus 6, *de tractoriis et stativis*, ubi *tractoria* id est quod epistola, qua castrensibus muniis absoluti domum dimittebantur, ut etiam liquet ex lib. VII, tit. 18, leg. 11. Alias diploma sonat, quo publicæ vel annonæ vel evectionis accipiendæ fit potestas. Eo Afri ad ecclesiasticas litteras enuntiandas uti solent. Hac voce apud Augustinum epist. 43, n. 8 et 9, indicatur epistola, qua episcopi ad synodum vocabantur : at Serm. 2 in Psal. 56, n. 19 et 20, epistola synodica Maximianistarum per universam Africam missa tum ab ipso Augustino tum a Maximianistis *Tractatoria* seu *Tractoria* nuncupatur. Eadem voce Augustinus epist. 43, n. 8, litteras intelligit per totum orbem terrarum missas super eorum nomine qui vel fuerint convicti, vel de objectis criminibus respondere pertinaciter noluerint. Eodem intellectu Marius Mercator in Commonit. *Tractoriam* appellat Zosimi epistolam de Pelagii et Cœlestii damnatione omnibus ecclesiis inscriptam.

EPISTOLA V.

S. SIRICII PAPÆ AD EPISCOPOS AFRICÆ.

Siricius cum synodo ubi edisserit quanta episcopis cura esse debeat de Ecclesiæ munditie, præcepta vetera a nonnullis jam neglecta restaurare studens, statuit qualiter ordinandi episcopi, ne clericus viduam ducat uxorem, nec ad clerum admittatur qui viduam duxerit, aut qui post remissionem peccatorum cingulum militiæ sæcularis habuerit; ne ex aliena ecclesia clericum quis ordinet. Item de objectis non suscipiendis. De recipiendis Novatianis et Montensibus, qui ad Ecclesiam redeunt. De continentia sacerdotum ac levitarum. Ut judicium misericordiæ non desit.

Dilectissimis fratribus et coepiscopis per Africam, Siricius [a].

1. Cum in unum plurimi fratres convenissemus ad sancti apostoli Petri reliquias, per quem et apostolatus et episcopatus in Christo cœpit exordium, [b] placuitque propter emergentes plurimas causas, quæ in aliquantis non erant causæ, sed crimina, de cætero sollicitudo esset unicuique in Ecclesia curam hujusmodi habere, sicut apostolus prædicat Paulus (*Eph.* v, 27), talem Deo Ecclesiam exhibendam, non habentem maculam aut rugam, ne per alienjus morbidæ ovis afflatum, [c] conscientia nostra contaminata videretur. Qua de re, meliori consilio id sedit. Propter eos maxime, qui in præsenti, [d] valetudine corporis aut fessæ ætatis causa, adesse minime potuerunt, quo [e] perpetua istiusmodi forma servetur, litteras tales dare placuit, non quæ nova præcepta aliqua imperent, [f] sed quibus ea, quæ per ignaviam desidiamque aliquorum neglecta sunt, observari cupiamus, quæ tamen apostolica [g] et patrum constitutione sunt constituta, sicut scriptum est : *State, et tenete traditiones nostras sive per verbum, sive per epistolam* (II *Thess.* II, 14). Illud certe vestram debet mentem, dilectissimi fratres, vehementius excutere, ut ab omni labe sæculi istius immunes ad Dei conspectum securique veniamus. Non enim erimus immunes, [h] quia præsumus plebibus; cum scriptum sit, *Cui multum creditum fuerit, plus ab eodem requiretur* (*Luc.* XII, 48). Ergo quoniam non pro nobis tantum, sed pro populo credito cogimur præstare rationem, populum disciplina deifica [i] humilem erudire debemus. Exstiterunt enim nonnulli, qui statuta majorum [j] non tenentes, castitatem Ecclesiæ præsumptione sua violarunt, voluntatem populi sequentes, Deique judicium non timentes.

2. Ergo ne pari more silentio connivere atque adhibere consensum talibus videamur, unde gehennæ pœnas possimus incurrere, dicente Domino, *Furem videbas, et currebas cum eo, et cum adulteris portionem tuam ponebas* (*Psal.* XLIX, 18) : hanc sunt, quæ deinceps [k] antuitu divini judicii omnes catholicos episcopos expedit custodire.

[a] Tres mss. Colb. cum Fossat. et Corb. necnon Merlinus voci *Siricius* proxime subjiciunt, *Diversa quamvis cum in unum*. Alte hic retinendum id, quod præmonuimus, hanc nimirum epistolam primum Romanæ synodi episcopis scriptam, ac postmodum per diversas provincias, nominatimque ad Afros, primæva inscriptione mutata et ad ipsos Afros accommodata, missam, tantum e Teleptensis concilii gestis, quibus inserta erat, ad nos pervenisse.

[b] Solus Quesn. *placuit*, sublata conjunctione *que*. Hujusmodi pleonasmus præsertim Gregorio familiarissimus est, apud quem secundum mss. exposita quæstione, *ideoque*, pro simplice *ideo*, subjici solet. Unus ms. Colb., *placeretque*. Cæteri, ut apud Merlin., *placuitque*. Totum hoc exordium quamvis Quesnello Dissert. 15, c. 5, n. 3, fortuitam synodum sonet, concilio tamen prius indicto apte congruere Baluzius recte probat.

[c] Desideratur apud Quesn., *conscientia nostra*. In ms. Corb. exstat quidem *conscientia*, sed deest *nostra*. Mox editi, Merlino excepto, *hac de re*, ubi aliis in libris, *Qua de re*, hoc est, *Quare*, *Quamobrem*. Eodem intellectu in epistola sequenti n. 3 visuri sumus, *Qua de re videl.*, et in epistola 7, n. 3 : *Qua de re necessarium fuit*. Quod observamus, ut triam illarum epistolarum unum auctorem esse vel inde confirmetur.

[d] Particulam *præ* hic Quesnellus præponit. Incommodum vero, quod ex hoc loco velut certum suppositionis argumentum objicit, evanescit prorsus, ubi hæc de episcopis Romanæ synodo subjectis dicta intelliguntur.

[e] Ita Merlin. cum mss. Aliæ vero editiones concil. cum Rom., *perpetuo*. Apud Quesn. istud *quo perpetua istiusmodi forma servetur* una cum sequente verbo *placuit* omittitur.

[f] In mss. ut apud Merlin., *sed ea*. Apud Quesn., *sed quia ea*.

[g] Quesn., *apostolica patrum sanctione*. At mss., *apostolicæ* (vel *apostolicæ*) *patrum constitutione*. Receptæ lectioni suffragatur illud Carthaginensis II concilii can. 2 : *ut quod Apostoli docuerunt, et ipsa servavit antiquitas, nos quoque custodiamus*.

[h] Ita tres potiores mss. ac Merlin. Alii duo cum Crab., *qui præsumus*. Cæteri libri, *qui et præsumus*.

[i] Vox *humilem* apud Quesn. desideratur. Merlin. præferi *disciplinam deificam* (editi alii hic addunt *et humilem*. In ms. Fossat. et uno Colb. legere est *disciplina Dei humilem*. In altero Colb., *disciplinam deificam humiliter*. Alios duos Colb. cum Corbeiensi consentientes sequimur.

[j] Edit. Rom. et concil., *majorum contemnentes* : refragantibus aliis libris.

[k] Fossat. ms., *deinceps catholicos*, omissis intermedis verbis. Ibi autem voce *omnes*, ii intelliguntur episcopi quibus primum epistola inscripta erat.

I. Primum, ut extra conscientiam sedis apostolicæ, hoc [a] est primatis, nemo audeat ordinare. Integrum enim judicium est, quod plurimorum sententia [b] confirmatur.

II. Ne unus episcopus [c] episcopum ordinare

A præsumat propter arrogantiam, ne furtivum beneficium præstitum videatur. Hoc enim in synodo Nicæna (*Can.* 4) constitutum est et definitum.

III. Item, si quis post remissionem [d] peccatorum,

[a] In uno ms. corrupte, *hæc est prima testatio*. In aliis duobus, *hoc est primates*. Quesn. suppresso *hoc est*, retinuit *primates*. Rectius in veterrimo Corbeiensi et aliis mss. ut in edit. Rom. et conc. *hoc est primatis*. Mea nempe sententia primum Romano in concilio episcoporum Italorum causa scriptum erat, *Ut extra conscientiam sedis apostolicæ nemo audeat ordinare*, subandita voce *episcopum*. At ubi ad Afros perlata est hæc epistola, illi decretum idem ad usum ecclesiæ suæ accommodantes, verbis *apostolicæ sedis* interpretationem adjecerunt, *hoc est primatis*. Neque hac in re ullo modo recesserunt a Siricii mente. Dubium enim non est, quin si is papa propter Afros B hanc epistolam proxime scripsisset, ipse hoc decretum aliter concinnasset in hunc modum, *Primum ut extra conscientiam primatis nemo audeat ordinare;* quomodo postea idoneus Siricii interpres Innocentius in epistola 2 ad Victricium Rotomagensem sic illud ad Gallicanam disciplinam aptatum temperavit: *Primum ut extra conscientiam metropolitani episcopi nullus audeat ordinare*. Et id quidem Romani pontificis jus, quo in Italia seu in ecclesiis ipsius synodo subjectis episcopos ordinari citra ipsius conscientiam non liceret, notari ac firmari videtur Nicæni concilii canone 6, ubi synodus Alexandrino præsuli de more tribui vult per Ægyptum, Libyam atque Pentapolim jus ei simile, quo Romanus antistes in *suburbicarias*, ut loquitur Rufinus, *ecclesias* potiebatur. Proprium autem Africæ morem circa episcoporum ordinationem Afri in concilio Carthaginensi explicant atque can. 12 stabiliunt. Cum enim Numidius episcopus dixisset, *Aliqui episcopi usurpatione quadam existimant, contempto primate cujuslibet provinciæ suæ, ad desiderium populi episcopum ordinare;* ab universis dictum est: *Placet omnibus, ut inconsulto primate cujuslibet provinciæ tam facile nemo præsumat, licet cum multis episcopis, in quocumque loco, sine ejus, ut dictum est, præcepto episcopum ordinare. Si autem necessitas fuerit, tres episcopi, in quocumque loco sint, cum primatis præcepto ordinare debeant episcopum.* Vide et Codicem eccl. Afric. cap. 15. Huic disciplinæ Augustinus, cum in Fussalensi castello episcopum ordinandum constituisset, morem gessit, ut in ejus epistola 1 ad Cœlestinum papam num. 3 visuri sumus. Ad alias provincias quod attinet, jus obtinebat commune, quod Nicæna synodus can. 6 sic explicat; *Generaliter clarum est, quod si quis præter sententiam metropolitani factus fuerit episcopus, hunc magna synodus definivit episcopum esse non oportere.* Quocirca Siricius, qui episcopis synodo suæ subjectis scripsit, *Ut extra conscientiam sedis apostolicæ nemo audeat ordinare*, si propter Afros primario decretum hoc edidisset, scripsisset dubio procul, ut diximus, *Ut extra conscientiam primatis nemo audeat ordinare;* si propter Gallos aut Hispanos, stylum perinde, atque Innocentius postea, mutasset, ac dixisset, *Ut extra conscientiam metropolitani episcopi nullus audeat ordinare*. Non enim nova præcepta imponere, sed vetera constituta restaurare se velle ab initio profitetur. Et quidem triplex mos prædictus ad eumdem redit. Nam et Romanus antistes in suburbicariis ecclesiis, et primas in unaquaque Africæ provincia id erant, quod in aliis orbis Christiani regionibus metropolitanus. Hæc certe mens fuit Ferrandi diaconi in Breviario n. 4, ubi habet: *Ut episcopus à tribus ordinetur, consentientibus aliis per scripta cum confirmatione metropolitani vel primatis. Concilio Nicæno tit.* 4, *item tit.* 6, *concilio Antiocheno tit.* 18, *concilio Laodicensi tit.* 12, *concilio Carthaginensi sub antistite Genethlio tit.* 10, *concilio universali Carthaginensi tit.* 48, *concilio Zellensi ex epistola papæ Siricii*. Ita ille epistola Siricii Zellensive concilio nihil aliud constitui sentit ac docet, quam quod in prænotatis conciliis docetur; adeo ut circa episcoporum ordinationes quod sibi jus vindicat Siricius in ecclesiis eorum ad quos epistolam istam primario destinavit, hoc Ferrandus vel primati in Africa, vel metropolitano in aliis provinciis tribui non ambigat. Illinc igitur non νοθεύς sed γνησιότητος tum epistolæ hujus, tum Teleptensis concilii certum habetur argumentum. Nullis enim nisi Afris venisset in mentem, verbis *apostolicæ sedis* explicationem *hoc est primatis* adjicere. Neque minus certo inde conficitur, epistolam hanc non ex aliena Innocentii, sed Innocentii epistolam ex ista Siricii fuisse expressam. Perspicuis quippe Innocentii verbis obscura et ad scopum, cujus Quesnellus suspicionem injicit, minus idonea, subdolus artifex nequaquam substituisset.

[b] Ita ms. Corb. cum duobus Colb. ut et apud Innocentium. Alii vero duo, *consequatur*. Solus Quesn. *consecratur*. Editores alii, *consequitur*.

[c] Vox *episcopum* a pervetusto ms. Corb. abest non solum hic, sed et in epistola 2 Innocentii ad Victricium. Hæc Siricii verba Ferrandus diac. in Breviar. n. 6 mutavit atque interpolavit in hunc modum: *Ut unus episcopus episcopum non ordinet excepta ecclesia Romana*. Quæ exceptio qua ratione intelligi possit, Baluzius in laudata Dissertatione pag. 1352 explicat. Cæterum in Chalcedonensi concilio act. 11, pag. 693, legitur Bassianus ab uno Olympio Throdosiopolis præsule episcopus Ephesiorum institutus, et exinde tamen tum Procli tum aliorum episcoporum communione donatus. Verum ipse Olympius sese vim passum obtendens, objecisse tum testatur, *Quoniam extra rationem canonum est, solum episcopum disponere ecclesiam, et maxime tantæ metropolis*. Immo sive hæc ille vere, sive mendaciter dixerit, proprie Bassianum non ordinavit, sed jam antea a Memnone Evazorum episcopum ordinatum, ut in eodem concilio pag. 688 exponitur, tantum in Ephesina sede *intronizavit*. Huc spectat quod Theodoretus lib. v hist. eccl. c. 23, Evagrium *contra ecclesiasticas regulas ordinatum* asserit, *quia solus Paulinus eum elegerat, cum absque tribus episcopis ordinationem cujusquam fieri canones vetent*. Unde et qui in synodo Reginisburg. consederunt episcopi, consulto prius Leone III, chorepiscopos non esse episcopos hac maxime ratione definierunt, *quia nec ad quamdam civitatis episcopalem sedem tituloti erant, nec canonice a tribus episcopis ordinati*: quod et in Capitulari Aquisgranensi anni 803, c. 4 et 6, p. 381 et 383, repetitur. Levius est quod Quesnellus cap. 5, et 6 ex verbis *propter arrogantiam*, adversus epistolæ hujus veritatem inferi: *Quasi*, inquit, *licuerit, modo citra arrogantiam fieret*. Hoc enim argumentandi genere nihil magis conficitur quam eo, quo nonnulli, ipsa Siricii ætate, ex verbis Matth. 1, 25: *Et non cognoscebat eum donec peperit filium suum primogenitum*, Mariam a Josepho post partum Christi cognitam volebant. Sed hujus decreti confirmandi ea Siricio maxima ratio fuit, quia a Nicæna synodo sancitum erat.

[d] Quæ videlicet per baptismum percipitur. Quocirca Ferrandus diac. in Breviar. n. 3 hoc decretum velut ex concilio Zellensi laudans, illud planius ita reddendum judicavit: *Ut qui post baptismum sæculari militiæ nomen dederit, ab ordinatione arceatur*. Similiter et concilium Toletanum anno 400 habitum can. 8 sanxit: *Si quis post baptismum militaverit, et chlamydem sumpserit, aut cingulum, etiamsi graviora non admiserit, si ad clerum admissus fuit, diaconii non acci-*

cingulum militiæ sæcularis habuerit, ad clerum admitti non debet.

IV. Ut mulierem, [a] id est, viduam clericus non ducat uxorem.

V. Ut is, qui laicus viduam duxerit, non admittatur ad clerum.

VI. Ut de aliena Ecclesia ordinare clericum nullus usurpet (*Nicæn. concil. c.* 7, *Antioch. c.* 22, *Sardic. c.* 18 *et* 19).

VII. Ut abjectum clericum alia Ecclesia non admittat (*Nicæn. concil. c.* 5, *Antioch. c.* 6, *Sardic. c.* 16).

VIII. Ut venientes a Novatianis vel [b] Montensibus, per manus impositionem suscipiantur, [e] præter eos quos rebaptizant.

3. Præterea quod dignum et pudicum et honestum est suademus [d], ut sacerdotes et levitæ cum uxoribus suis non coeant (*Æneas Paris. lib. cont. Græc. c.* 102): quia [e] in ministerio, ministerii quotidianis necessitatibus, occupantur. Ad Corinthios namque sic Paulus scribit, dicens: *Abstinete* [f] *vos, ut vacetis orationi* (1 *Cor.* VII, 5). Si ergo laicis abstinentia imperatur, ut possint deprecantes audiri: quanto magis sacerdos utique omni momento paratus esse debet, munditiæ puritate securus, ne aut sacrificium [g] offerat, aut baptizare cogatur? Qui si contaminatus fuerit

piat dignitatem. Disciplinæ hujus in canonibus ad Gallos missis, quos Sirmondus et alii Innocentio, nos ipsi Siricio adjudicandos putamus, can. 4 ratio ista suggeritur: *De eo, qui militaverit jam fidelis militiæ sæculari, notitia est quod utatur publica libertate; quis enim potest illum custodire, quis negare vel spectaculis interfuisse, vel pecuniæ utilitate impulsum, a violentia et injustitia immunem esse non potuisse?* Quam ob causam Siricius in epistola 1, ad Himerium, n. 13 et 14, nullum ad clerum admittit, nisi qui vel ab infantia, vel in grandiori ætate, eo ipso tempore quo baptismum suscepit, sacræ militiæ in lectorum aut exorcistarum numero nomen dederit. Adeo irreprehensum voluere patres nostri, quisquis Dei obsequio consecraretur.

[a] Quesn. suppressit *id est.* Decretum hoc et Ferrandus num. 3 sic laudat, *Ut mulierem clericus non ducat uxorem*, illudque totidem verbis Innocentius epistolæ suæ ad Victricium inseruit. Unde suspicio est, verba ista, *id est viduam*, ex marginali nota in textum irrepsisse. Ambigua quidem est *mulieris* vox, et interdum de femina viri ignara intelligitur; frequentius tamen maritatam sonat. Hinc Hieronymus epist. 83, ad Oceanum, pluribus ea de re prolatis Scripturæ testimoniis subjicit: *Mulierem, id est γυναῖκα, juxta græci sermonis ambiguitatem, in his omnibus testimoniis intellige:* moxque notat *unius uxoris virum* ita *unius mulieris virum* posse intelligi, *ut ad coitum magis referatur, quam ad dotales tabulas.* Ita et Ambrosius licet lib. de Instit. virg. c. 5, n. 36, mulieris nomen *non corruptelæ, sed sexus vocabulum* esse propugnet, aliud tamen vulgo sonare non negat. Et ad hunc quidem vulgi usum ipse cum aliis episcopis infra epist. 8, ad Siricium, n. 3, sermonem accommodat, ubi legere est: *Per mulierem cura successit, per virginem salus evenit.* Eodem sensu et ad Vercellenses epist. 69, n. 33, ita scribit: *Per virum autem et mulierem caro ejecta de paradiso, per virginem juncta est Deo.*

[b] Fossat. ms., *Montanis.* Epiphanius Ancorati capite 13 observat Novatianos Romæ *Montenses* (μοντησίους) vocari, nulla alia, ut videtur, nisi hujus epistolæ et alterius Innocentii auctoritate, cum memorata utrobique *Montensium* et *Novatianorum* nomina synonyma existimasset. Baronius ad annum 254, n. 38, primum nominis *Montensium* ortum inde repetit, quod Felicissimus schismaticus suos in montibus colligere cœpisset: eamque opinionem nisi putat Cypriani epistola 38, ubi is præsul Felicissimum communatum narrat fore ut *secum in monte non communicarent, qui nobis* (hoc est Cypriano) *obtemperare voluissent.* At sive Cyprianus sive schismaticus Felicissimus de monte ibi loquuntur, qui non Romæ, sed Carthagine situs erat. Donatistas vero Romæ hoc nomine nuncupari consuevisse locuples testis est Augustinus lib. de hæres. c. 69, ubi de illis ait: *Illi hæretici in urbe Roma Montenses vocantur;* est epist. alias 165, num. 153, n. 2: *Ex Africa ordinatum miserunt, qui paucis præsidens Afris in urbe Roma Montensium seu Cutzupitanorum vocabulum propagarit.* Sic nimirum eos Hieronymus in Chronico ad annum 360 appellatos tradit ab Ecclesia, quam Romæ primam in monte habere cœperunt: non in ipso quidem montis vertice, sed in ejus sinu, ut Optatus lib. II explicat his verbis: *Locum ubi colligerent* (Romæ) *non habebant. Sic speluncam quamdam foris a civitate gradibus sepserunt, ubi ipso tempore conventiculum habere potuissent, unde Montenses appellati sunt.* Quocirca Honorius imp. Cod. Th. lib. XVI, tit. 5, leg. 42, istud edicit: *Omnia, quæ in Donatistas, qui et Montenses vocantur,* etc.

[c] Quesn., *eo quod rebaptizant.* Nostri quoque mss. *ex eo quod rebaptizant,* nisi quod in uno exstat *rebaptizent,* et in altero *rebaptizentur.* Vera hujus loci lectio et intelligentia ex Innocentii epistola 2, n. 11, repetenda est. Ex utraque discimus non Montenses seu Donatistas tantum, sed et Novatianos rebaptizare ad se venientes consuevisse. Hoc ipsum confirmant tum apud Ambrosium auctor comment. in 1 Cor. I, 14, tum Cyprianus sub initium epistolæ 73, ad Jubaianum, citatus ab Augustino lib. III de Baptismo contra Donat. c. 10. Eos autem qui rebaptizati fuerant, Innocentius loco citato nonnisi *sub longa pœnitentia satisfactione* admittit, adeoque a clero arcet. Neque etiam permittit Carthaginense V concilium can. 11, *ut umquam ad clericatus gradum promoveantur.* Idem sanciunt et Leo epist. 16, ad Januarium, et Felix II epist. 11, c. 5, n. 8.

[d] Duo mss., *suademus sacerdotes et levitas.* Alii duo, *suademus quid sacerdotes et levitæ.*

[e] Ita unus ms. Colb. faventibus cæteris. Nam vetus Corb. exhibet, *in ministerium ministerii in quotidianis.* Duo alii cum Fossat. quos et Merlinus sequitur, *in ministerio ministri quotidianis.* Quesn. suppressa *ministri* voce retinuit *in ministerio quotidianis.* Crab. ejusdem vocis loco præter veterum codicum fidem substituit *divino,* ac legit, *in ministerio divino quotidianis:* quæ lectio exinde in edit. Rom. et concil. obtinuit. Non displiceret, *quia hi ministri ministerii quotidianis.* Simplicior ac planior est hæc Innocentii epist. 2, n. 12, *quia ministerii quotidiani necessitatibus occupantur.* Inter illas autem necessitates, quæ continentiæ legem memoratis gradibus imponunt, hanc Siricius epist. 10 recenset, *ut Deo nostro in his quæ* QUOTIDIE *offerimus* (et quibus ministrant diaconi) *sacrificiis placeamus.* De eadem re Carthaginense II concilium can. 2 sic loquitur: *Condecet sacrosanctos antistites et Dei sacerdotes, necnon et levitas, vel qui sacramentis divinis inserviunt, continentes esse in omnibus: quo possint simpliciter quod a Deo postulunt impetrare.* Ubi obiter observare est, *sacerdotum Dei* vocabulo, quo vulgo ab antiquis episcopi designantur, presbyteros ab hoc concilio enuntiari.

[f] Abest *vos* ab omnibus mss. sed in epistola 2 Innocentii exstat.

[g] Quesnellus, qui *offerre* hic legit, dissert. 15, c. 5, n. 9, leviuscule sugillat hunc locum, quasi eo dicatur sacerdos *omni momento* cogi posse ad offe-

carnali concupiscentia, quid [a] faciat? Excusabit? Quo pudore, qua mente usurpabit? Qua conscientia, quo merito hic exaudiri se credit, cum dictum sit : *Omnia munda mundis, coinquinatis autem et infidelibus nihil mundum* (*Tit.* I, 15)? Qua de re hortor, moneo, rogo, tollatur hoc opprobrium, quod potest jure etiam gentilitas accusare. Forte [b] hoc creditur; quia scriptum est, *Unius uxoris virum* (I *Tim.* III, 2). Non [c] permanentem in concupiscentia generandi dixit, sed propter continentiam futuram. Neque enim integros non admisit, qui ait : *Vellem autem omnes homines sic esse, sicuti et ego* (I *Cor.* VII, 7). Et apertius declarat dicens : *Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt. Vos autem jam non estis in carne, sed in spiritu* (*Rom.* VIII, 8).

4. Hæc itaque, fratres, si plena vigilantia fuerint ab omnibus observata, cessabit ambitio, dissensio conquiescet, hæreses et schismata non emergent, locum non accipiet diabolus sæviendi, manebit unanimitas, iniquitas superata calcabitur, charitas spirituali fervore flagrabit, pax prædicata labiis cum voluntate concordabit : pax utique Dei nostri, quam Salvator ipse jam proximus passioni servandam esse præcepit (*Joan.* XIV, 27), et hæreditario nobis jure reliquit, dicens : *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis* (*Philip.* II, 2 *et* 3) : et dictum Apostoli (I *Thess.* II, 4), ut unanimes, unum sentientes, permaneamus in Christo, nihil per contentionem nobis, neque per inanem gloriam vindicantes, nec hominibus, sed Deo nostro salvatori placeamus. His præceptis omnibus si fideliter voluerimus obedire, (*Philip.* IV, 7) custodiet Dominus corpora nostra et animas nostras in diem, qua redditurus est unicuique secundum opera sua (*Rom.* II, 5). Si quis sane inflatus mente carnis suæ, ab hac [d] canonis ratione voluerit evagari, sciat se a nostra communione seclusum, et gehennæ pœnas habiturum.

5. Præterea misericordia cum judicio esse debet. Talibus enim oportet labentibus manum porrigere, [e] qui sic currentem non pertrahant in ruinam. Data Romæ [f] in concilio episcoporum 80 sub die 8 idus Januarias post consulatum Arcadii augusti et Bautonis v. c. cons.

MONITUM IN EPISTOLAM SEQUENTEM.

I. *Quibus primario scripta sit.* — Epistolam illam non modo collectionis Isidori, sed et alterius antiquioris, quam Hispanam vocamus, codices exhibent. Quod num. 2 legimus, « Etiam de longinquo veniant ordinandi, ut digni possint et plebis et nostro judicio comprobari, » indicio est, eam ad illos episcopos scriptam esse, quibus ordinare « extra conscientiam sedis apostolicæ » non licebat, hoc est ad eos, quibus superior epistola 5 primario scripta est. Neque tamen idcirco falsa, etsi non primaria est quæ nunc obtinet, illius inscriptio. Eo enim jure « orthodoxis per diversas provincias, » quo proxima « fratribus et coepiscopis per Africam » inscribi potuit. Nempe Siricius omnium ecclesiarum curam ad se pertinere pro certo habens, decessores

rendum : cum nativus ejus intellectus sit, sacerdotem ad offerendum aut baptizandum omni momento paratum esse debere. Qua in sententia nihil absurdi, aut falsi, si nullum sit momentum, in quo ad baptizandum cogi possit.

[a] Unus e mss., *quid faciat excusare?* Non displiceret, *quid valeat* (supplendo *eum*) *excusare?* Alter. *quid faciet? quid excusabit?* Alius, *qualiter se excusabit?*

[b] Vocula *hoc*, in vulgatis omissa, revocatur omnium mss. auctoritate : quasi diceretur, Forte hoc, quod illicitum prædicamus, creditur licere. Istud etiam Innocentius ita epist. 2, n. 12, expressit : *Sed forte licere hoc credit, quia scriptum est.* Quo in loco aliisque similibus liquet, Innocentium Siricii interpretem egisse, et quod ille strictim atque obscurius scripserat, paulo explicatius atque nitidius enuntiare studuisse; adeoque verum Siricium Innocentio, non hunc Pseudo-Siricio præivisse. Glossema autem sapit, quod apud Quesn. hic legimus : *Forte creditur posse presbyterum, vel potius debere uxorem habere, quia scriptum est.* Nil certe in nostris mss. aut etiam in exemplaribus ejus codicis quem ille vulgavit, quidquam simile reperimus.

[c] Edit. Rom. et concil. præter Merlin. *permanenti.* Rectius alii libri, *permanentem*, videlicet dixit vel intellexit (qua loquendi ratione Ambrosius epist. 63, ad Vercell., n. 62, ait, *Habentem enim dixit filios, non facientem*); sed *propter continentiam futuram*, qua ei non licet conjugium iterare, qui sacerdotium quærit; aut si iteravit, hanc dignitatem sperare. Mox laudatam Ambrosii epistolam videsis.

[d] Quesn., *canonum.* At cæteri omnes libri, *canonis*, vel mendose *canones.*

[e] Unus e mss. Colb. cum Quesn., *quæ..., pertrahat.* Verius alii libri, *qui... pertrahant.* Cum misericordia, qua labentibus porrigitur manus, conjungendum esse admonemur judicium, quo caveatur ne ii quibus porrigitur manus, currentem secundum canonis rationem secum pertrahant in ruinam, et ipsi canoni exitium afferant.

[f] Quesnello dissert. 15, c. 5, n. 10, id objicienti, *Non memini me unquam legere epistolam antiqui alicujus pontificis Romani, quam Romæ datam, vel in concilio episcoporum, in fine notaret*, Stephanus Baluzius pag. 1354, exempla in memoriam revocat tum epistolæ Hormisdæ ad Anastasium imp. per Theopompum et Severianum missæ, tum epistolæ Joannis II, ad Justinianum augustum, tum aliarum duarum Gregorii Magni, quæ *Romæ* datæ ad calcem notantur. Præterea quomodo hæc epistola Italis primum scripta, et Afris postmodum missa *Romæ data in concilio* 80 *episcoporum* ad calcem notatur, ita et aliam huic similem Damasi epistolam 3, quæ Illyrici episcopis primario scripta, etiam Orientalibus deinde missa est, prænotari legimus *Exemplum synodi habitæ Romæ episcoporum* 93. Id vero quod una præ se fert in fronte, alteram ad calcem exhibere quid repugnat? maxime cum quæ ad auctoritatem conciliandam in fronte præfigitur nota, eamdem pari ratione ad calcem rejecta conciliet. Papebrocius autem in Propilæo, pag. 60 d, novos consules sæpius ante anni exordium publicari solitos, adeoque nec Siricio Januarii 6 die ignotos fuisse pro certo ponens, chronicas illas notas rejicere non dubitat ut adulterinas. Sed hunc Tillemontius to. X, pag. 791, refutat, et Ausonii, Saturnini, etc. exemplis ostendit, tunc circa anni dumtaxat exitum delectos fuisse consules, eosque Romæ Januarii 6 die ignorari facile potuisse. Quod si aliis annis contigit, nominatim anno 386, quo Honorius quatuor mensium infans et Evodius Maximo tyranno addictus consules creati sunt, concedendum est minime acceleratam esse eorum promulgationem. Visuri summs et infra Innocentii epistolas 29 et 31, tametsi 27 die Januarii anni 417 conscriptas, *post consulatum Theodosii* VII *et Junii Quarti* consignari. Quod indicio est, Innocentium tunc temporis novos consules Honorium et Constantium ignorasse.

suos ac nominatim Liberium imitatus, a quo « ad provincias generalia decreta missa » esse ipse epist. 1, n. 2, memorat, ubi alicujus Ecclesiæ causa deferat responsa, quæ ad aliarum utilitatem conferre posse arbitrabatur, hæc ad illarum notitiam perferri curabat. Hujus rei testis est ipsius epistola 1, in qua quæ ad Himerium rescripsit, « in omnium coepiscoporum perferri notionem » jubet. Quocirca neminem offendere debet, quod inscriptio præ se ferat « papæ » nomen. Hoc enim non ab ipso Siricio, sed ab eo qui ad diversas provincias epistolam ejus transmissam fuisse annotavit, inditum credere est.

II. *Epistolæ hujus cum superiore consensio. Ea ipsa videri potest quæ Thusdri et Teleptæ recitata est.* — Optandum foret, ut ex prototypo, quod Italiæ episcopis inscriptum erat, non ex ectypo quod aliarum provinciarum episcopis subinde traditum est, eam descriptam haberemus. Verum etiamsi supersunt loci, qui accuratiori aliquo exemplari, ex quo castigari possent, indigere videantur, nihil tamen est cur dubius censeri debeat Siricii fetus. Summa quippe est ejus cum epistola superiore consensio. Idem est utriusque scopus, nimirum ut quæ apostolica patrum constitutione, præsertim de ordinationibus, sancita sunt, observentur. In utraque non sententiæ solum, sed et locutiones eædem occurrunt, puta *qua de re* pro *quare*, ecclesiastici *canonis* dispositio, *cingulus militiæ sæcularis*. Ut in utriusque exordio divini judicii metus ac traditionum servandarum studium, ita in utriusque fine christianæ charitatis et concordiæ commendatio eadem ratione inculcantur. Forte etiam litteræ, quæ num. 3 ante *multo fratrum consensu cucurrisse* dicuntur, non aliæ sunt ab epistola superiori, quam ampla ex synodo, Nicænorum canonum vindice, conscriptam esse constat. Quod si ita est, nihil prope ambigendum videtur, quin epistola, de qua disserimus, ea ipsa sit, quam in Thusdritano primum concilio, ac deinde in Teleptensi recitatam fuisse ex ipsius Teleptensis concilii proœmio audivimus.

III. *Quo tempore scripta sit.* — Ad tempus quod attinet, istud Siricii de ambitiosis nonnullis, « qui, inquit, *frequenter* ingeruntur auribus meis ut episcopi esse possint, » et quorum causa « aliquoties certatum est, » ipsum tunc temporis in episcopalibus oneribus sustinendis non novitium exstitisse indicat. Verum si epistola, quam Siricius initio num. 3, « ante cucurrisse » memorat, superior intelligenda est, cum eam simpliciter *ante cucurrisse* dicat, nec addat *dudum* aut aliam particulam quæ longius intervallum denotet, hæc superiore censeri potest non multo recentior. Inde fieri facile potuit, ut duæ illæ epistolæ, tamquam ad eosdem attinentes et proximis in conciliis editæ, simul in Africam mitterentur, ibique primum Thusdri, tum Teleptæ legerentur. Neque conjecturæ huic repugnat diversa litterarum illarum inscriptio : cum non ex eodem fonte, sed ex Africani concilii gestis sola superior, hæc autem aliunde ad nos pervenerit.

EPISTOLA VI.

SIRICII PAPÆ AD DIVERSOS EPISCOPOS.

I. *Ut indignus nullus efficiatur episcopus.* — II. *Ut ignotis sacerdotium non detur.* — III. *Ut neophyti vel laici sacerdotes non fiant.*

Siricius papa orthodoxis per diversas provincias.

Cap. I. — 1. *Siricio ecclesiarum omnium cura.* Cogitantibus nobis metum divini judicii, fratres charissimi, et post hanc vitam unumquemque prout gesserit recepturum, quid veniat in querelam tacere non licuit, sed nobis loqui necessitas imperavit, dicente propheta, *Exalta ut tuba vocem tuam* (*Isa.* LVIII, 1). Et cui omnium ecclesiarum cura est, si dissimulem, audiam Domino dicente : [a] *Rejicitis mandatum Dei, ut traditiones vestras statuatis* (*Marc.* VII, 9). Quid enim aliud est, rejicere mandatum Dei, quam privato judicio et humano consilio novis rebus constituendis liberius delectari?

2. *Majorum statuta non patitur violari. Magna cura adhibenda in clericorum ordinationibus.* Perlatum itaque est ad conscientiam apostolicæ sedis, contra ecclesiasticum canonem præsumi, et [b] quæ ita sunt a majoribus ordinata, ut ne vel levi susurro debeant violari, proprias quasdam novas observationes inducere, et prætermisso fundamento, supra arenam velle [c] construere, dicente Domino : [d] *Non transferes terminos, quos constituerunt patres tui* (*Prov.* XXII, 28). Quod et Sanctus quoque Apostolus novi et veteris Testamenti prædicator monet, in quo locutus est Christus : *State*, inquit, *et tenete traditiones vestras, quas didicistis sive per verbum, sive per epistolam* (II *Thess.* II, 14). Qua de re videt vestra sinceritas, in sacris ministeriis aut in ordinationibus vestris quantum sacerdotum magna cura et diligens sollicitudo debeat [e] observare. Denique ad Timotheum loquitur : *Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis* (I *Tim.* V, 22). Quod propterea memoratur, ut examine habito, et probitate morum et ecclesiastico labore sit commendatior, qui vocatur in medium ut summum sacerdotium possit accipere, probatus judicio, non favore; susceptus veritate, non gratia; [f] apostolico ordine fultus, non præcipiti voluntate.

3. *Ambitiosis non cedit Siricius.* De quo, charissimi [g] mihi, ante vestram sinceritatem hujusmodi litteræ *aut tertium in Ecclesia gradum quisquam laicorum quibuslibet suffragiis* FULTUS *ascendat prinsquam ad hoc meritum per legitima augmenta perveniat.* Neque enim temere Leonem ibi ad hunc præsertim Siricii locum respicere opinemur. Apostolicus autem ordo vocatur apostolica ordinatio, eaque in primis, qua Paulus neophytum ordinari vetuit. Item summi sacerdotii nomine episcopalis intelligitur gradus. Quo sensu S. Gaudentius Brix. in Sermone de ordinatione sua eos, a quibus fuerat electus, *summos sacerdotes* appellat.

[a] Isid. *Rejecistis.* infra epistola 10, n. 2, ei suffragante.

[b] Majoris perspicuitatis ergo hic supple, *contra ea.*

[c] In mss., *constituere.*

[d] Ita mss. At editi, *non transibis.*

[e] Editi post Grab., *observari.* Rectius Merlin. et mss. *observare*, hoc est, quantam sacerdotum sollicitudo vigilantiam debeat adhibere.

[f] Noviom. ms., *apostolice ordine*, tum cum cæteris, *fructus*, nisi quod in Navar. secundis curis *functus*, et in Rothomagensi nunc PP. Capucinorum, olim S. Sergii Andegav. secundis item curis, *fultus*. In vulgatis prælatum est *functus:* sed magis placet *fultus*, atque huic correctioni favet illud Leonis epist. 1, c. 5, ubi decessorum suorum firmat decreta, *quibus salubriter constitutum est, ne primum aut secundum,*

[g] Duas illas voces, *charissimi mihi*, media virgula separant hactenus editi, sed eas et copulari posse suadet similis locutio epistolæ 7, n. 3, ubi lecturi sumus *dilectissimi mihi;* et ut reipsa copulemus postulat series orationis, qua Siricius se antea litteras

cucurrerunt multo fratrum et consacerdotum consensu, ut hac vestra subscriptione firmata ecclesiastici canonis dispositio quæ apud Nicæam tractata est, confirmata suo merito fundatissima permaneret : ut tales videlicet ad ecclesiasticum ordinem permitterentur accedere, quales apostolica auctoritas jubet, non quales dico, vel eos qui cingulo militiæ sæcularis astricti olim gloriati sunt. Qui postea quam pompa sæculari exsultaverunt, aut negotiis reipublicæ optaverunt militare, aut curam mundi tractare, adhibita sibi quorumdam manu, et proximorum favore stipati, hi frequenter ingeruntur auribus meis, ut episcopi esse possint, qui per traditionem et Evangelicam disciplinam esse non possunt. Quantis hoc aliquoties certatum est viribus? Sed nihil tale potuit [a] elici, quæ ratio non compelliit. Etiam de longinquo [b] veniant ordinandi, ut digni possint et plebis et nostro judicio comprobari.

Cap. II. — 4. *Monachi vagi ab episcopis, ut sumptibus parcant, ordinantur.* Quantum illicitum sit illud [c], æstimari non potest, ut transeuntes (sive simulent, sive sint monachi, quod se appellant), quorum nec vitam possumus scire nec baptismum, quorum fidem incognitam habemus nec probatam, nolint sumptibus adjuvare, sed statim aut diaconos facere, aut presbyteros ordinare festinent, aut, quod est gravius, episcopos constituere non formident. Charius apud illos dari sumptum [d] est transeunti, quam sacerdotium. Non retenti, inde in superbiam exaltantur, inde insuper ad perfidiam cito corruunt; quia fidem veram in ecclesiasticis toto orbe peregrini discere non asseruntur.

Cap. III. — 5. *Ne legis loco ducatur quod semel ac secundo necessitas extorsit.* Certe etiam illud non fuit prætermittendum, ut quod semel aut secundo necessitas hæreticorum intulit contra apostolica præcepta velut lege licitum [e] cœpisse præsumi, neophytum (I *Tim.* III, 6) vel laicum, qui nullo ecclesiastico functus fuerit officio, inconsiderate vel presbyterum vel diaconum ordinare : quasi meliores Apostolis sint, quorum audeant mutare præceptum. Et [f] qui non didicit, jam docere compellitur. Ita nullus reperitur idoneus clericorum? Nec inter diaconos, nec inter alios clericos invenitur, qui sacerdotio dignus habeatur; sed ad condemnationem [g] Ecclesiæ laicus postulatur? Quod ne fiat ultra, admoneo. Prædico, ut unam fidem habentes, unum etiam in traditione sentire debeamus, probantes nos unanimes atque concordes, pacifici in Christo et in observationibus apostolicis habere charitatem. Medio itaque Patre, et unigenito Filio ejus, et Spiritu sancto, et unius divinitatis Trinitate, convenio, ut in his fides catholica et disciplina nostra permaneat. Nec quisquam putet, tamquam ordinationes terrenas fieri, cum cœleste sit sacerdotium, ut fidelibus gloria maneat [h] dignitatis ejusdem, et ante tribunal Christi ex hinc non habeat quod accuset.

non quidem accepisse, sed multorum fratrum consensu dedisse significat. Quocirca dubium fere non est, quin proxime restituendum sit, *ante ad vestram sanctitatem*, ac librariis facili lapsu præpositio *ad* exciderit. De his autem litteris id quod subjicitur, apprime congruit epistolæ superiori, utpote quæ multorum episcoporum, scil. 80, consensu de regulis in ordinatione clericorum servandis est conscripta, cujus decreta Nicænis consentanea sunt, et in qua nominatim a clero arcetur, *qui cingulum militiæ sæcularis habuerit*. Neque etiam ad eos, qui *valetudine corporis aut fessa ætate* præpediti adesse non potuerant, alia de causa videtur missa, nisi ut synodicam constitutionem subscriptione sua ratam faceremt, et ab omnibus *perpetua istiusmodi forma servaretur*.

[a] Merlin. ac mss., *eligi*. Hunc locum ita interpretamur : Nihil eorum, quæ ratio admittere non compellit, elici ex me potuit. Clarius hic, quam in epistola superiori, Siricius explicat, nomine eorum qui *militiæ sæcularis cingulum habuerint*, non tantum eos a se intelligi, qui in castris stipendia meruerunt, sed et eos qui reipublicæ negotiis obstricti sunt.

[b] Hoc est, ni fallor, e Sicilia, Sardinia, aliisque regionibus quæ ad Romani pontificis diœcesim seu synodum pertinent, quasque suburbicarias vocant. Si cui vero veniret in mentem, Siricium hoc sibi voluisse, ut quotquot ordinandi essent episcopi, undecumque Romam venirent, ipsismet confutaretur Siricii verbis. In hac quippe epistola fundatissimam permanere jubet ecclesiastici canonis constitutionem quæ apud Nicæam tractata est. Ex Nicæni autem concilii dispositione ac præscripto can. 4 et 6, episcopos ordinandi potestas per unamquamque provinciam ad metropolitanum pertinet. Simile itaque est hoc decretum superioris epistolæ capitulo 1.

[c] Supple, *quod a nonnullis committitur*.

[d] Verbum *est*, quod a Crab. expunctum fuerat, et ex Merl. ac mss. revocatur, non ad *sumptum*, sed ad *charius* referendum est in hunc modum : *Charius est apud illos dari sumptum transeunti*, etc., id est, vilius æstimant sacerdotium, quam sumptum peregrini. Deinde editi, *quam sacerdotium non retento. Inde in superbiam exaltatur :* refragantibus mss. Istud ita intelligere est : Monachi illi *non retenti*, quo eorum fides ac mores probentur; sed statim cum sacerdotali gradu dimissi, *inde in superbiam exaltantur*.

[e] In vulgatis desideratur *cœpisse :* quod ex mss. collectionis Hisp. supplemus. Mallemus *cœpisset*, ac totum hunc locum ita legi : *non fuit prætermittendum, id quod semel et secundo necessitas hæreticorum intulit, velut lege licitum* esse jam *cœpisset, contra apostolica præcepta* a nonnullis *præsumi, neophytum* scilicet *vel*. Quod hic de neophyti seu laici ordinatione, quam hæreticorum necessitas intulit, dicitur, in Ambrosii maxime ordinationem cadere videtur; prudenssque cavet Siricius, ne hoc alterove simili exemplo quis abutatur ad legis in Ecclesia receptæ abrogationem.

[f] Istud argumentum fusius tractat Cœlestinus I epist. 4, n. 4. Videndus etiam ea de re Zosimus epist. 9, n. 2, nec non Felix II epist. ad Cæsarium Arelat. Quocirca Gregorius I præceptum, cuilibet visitatori datum ut episcoporum electioni præsit, claudere solet his verbis : *Provisurus ante omnia, ne ad hoc cujuslibet conversationis seu meriti laicæ personæ aspirare præsumant, et tu periculum ordinationis tuæ, quod absit, incurras*. Electores autem sic alloqui consuevit : *omnes quos ex vobis de laica persona aspirasse constiterit, ab officio et communione alienos faciendos procul dubio noveritis*.

[g] Hoc est, in eorum qui Ecclesiæ obsequio sunt mancipati, uno verbo ecclesiasticorum, injuriam atque contumeliam.

[h] In uno ms. Colb., *divinitatis*.

MONITUM IN EPISTOLAM SEQUENTEM.

1. Epistolam hanc recognovimus ad vetera exemplaria diversarum collectionum, Codicis videlicet a Quesnello vulgati, collectionis alterius non minus antiquæ in Colbertina bibliotheca asservatæ, necnon Hispanæ et Isidorianæ. In nullo autem titulum offendimus, quem ei Quesnellus indidit in hunc modum : *Siricii papæ ad omnes episcopos Italiæ super damnationem Joviniani et reliquorum hæreticorum virginitati derogantium.* Isidorus Hispalensis episcopus lib. de Script. eccl. c. 3, mentionem ejus faciens, *ad diversos episcopos missam* tradit; eique concinunt omnes nostri mss. in quibus *per diversos episcopos missa* prænotatur. Titulus, quem exhibemus, ex mss. collectionis Hispanæ descriptus fuit. Eumdem servavit Isidorus Mercator; sed ei de suo addidit salutationem hujusmodi, *Siricius papa orthodoxis episcopis per diversas provincias salutem.* Salutationis hujus loco apud Crab. ac deinceps in aliis editionibus substitutum legimus, *Siricius ecclesiæ Mediolanensi.* Verum nova illa inscriptio nulla, opinor, alia ratione nititur, nisi quod epistolam hanc Mediolanum missam esse, ad eamque Ambrosium cum sociis rescripsisse constat. Mabillonius autem itin. Ital. pag. 69, ubi epistolam hanc in Romano Vallicellanæ bibliothecæ codice non *episcopo Mediolanensi*, sed *universis episcopis inscribi* monet, hoc tantum notare voluit, eam non *ecclesiæ Mediolanensi*, ut in editis circumfertur, sed *diversis episcopis* inscribi. Neque enim is codex a nostris dissidet, qui *diversos episcopos*, non *universos*, magno consensu exhibent. Iis, qui bibliothecam peregrinam obiter lustrant, ac deinde domum reversi quæ in ea deprehenderint observatu digna memoriter notant, condonandi sunt hujusmodi lapsus. Epistolam istam indicare videntur Hieronymus et Augustinus : Hieronymus quidem, cum initio libri adversus Vigilantium docet, Jovinianum « Romanæ ecclesiæ auctoritate » fuisse damnatum; atque in exordio lib. III adversus Pelag. repetit, Joviniani placita « olim Romæ, ac dudum in Africa condemnata » esse : Augustinus vero lib. II Retr. c. 12, ubi cum Joviniani hæresim in urbe Roma multum valuisse præmisisset, subjecit : « Huic monstro sancta Ecclesia, quæ ibi est, fidelissime ac fortissime restitit. » Ideo quippe Siricius epistolam istam scripsisse se testificatur, ut ea, quæ Romæ in Joviniani condemnatione gesta erant, ab episcopis non ignorarentur.

II. Tempus, quo scripta est, ex sequenti expiscari licet. In hac enim Jovinianum ac socios Roma pulsos, Mediolanum ad Theodosium imperatorem confugisse non obscure innuitur. Atqui Theodosius, cum Maximum debellasset, quod anno 388 alii Augusto mense, alii Septembri contigisse volunt, Mediolanum primum accessisse dicitur : eumque inde anno 389 idibus Juniis Romam venisse, et cum ibi triumphum egisset, kalendis Septembris Mediolanum rediisse historica monimenta fidem faciunt. Ex quo consequens est, ut hæc epistola, si ante Theodosii triumphum collocetur, anno 388 labente non sit anterior; si post differtur, anni 389 exitum haud multo intervallo antecedere censenda sit.

EPISTOLA VII,

SIRICII PAPÆ AD DIVERSOS EPISCOPOS MISSA ADVERSUS JOVINIANUM HÆRETICUM EJUSQUE SOCIOS AB ECCLESIÆ UNITATE REMOVENDOS.

Joviniani ac sociorum perversam doctrinam publice prodit, ejusque præcipuos auctores nominatim damnatos denuntiat.

Joviniani quæ doctrina diabolo auctore. — 1. Optarem semper, fratres charissimi, dilectionis et pacis vestræ sinceritati gaudia nuntiare, ita ut vicissim discurrentibus litteris, sospitatis vestræ [a] juvarentur indicio. [b] At vero quia non patitur nos quiete ab incursione sua vacare hostis antiquus ab initio mendax, inimicus veritatis, æmulus hominis, quem ut deciperet, se ante decepit; pudicitiæ adversarius, luxuriæ magister, crudelitatibus pascitur; abstinentia [c] puniendus, odit jejunia, ministris suis prædicantibus [d] dum dicit esse superflua[e], spem non habens de futuris, Apostoli sententia repercussus, dicentis : *Manducemus et bibamus; cras enim moriemur* (I *Cor.* XV, 32).

2. *Quam perniciosa dum latebat.* — O infelix audacia ! o desperatæ mentis astutia ! Jam incognitus sermo hæreticorum intra Ecclesiam cancri more serpebat : ut occupans pectus, totum hominem præcipitaret in mortem. Et nisi Dominus Sabaoth laqueum, quem [e] paraverat, dirupisset, scena tanti mali et hypocrisis publicata multorum simplicium corda traxerat in ruinam : quia facile ad deteriorem partem mens humana transducitur, [f] volens per spatiosa volitare, quam arctæ viæ iter cum labore transire.

3. *Qui detecta et damnata. Nuptiis intersunt sacerdotes.* — Qua de re necessarium satis fuit, dilectissimi mihi, quæ hic gesta sunt, ad vestram conscientiam cognoscenda mandare : ne [g] ignorantia cujuspiam sacerdotis, pessimorum hominum Ecclesiam irrumpentium, sub religioso nomine, contagio violaret : sicut scriptum est Domino dicente : *Multi venient ad vos in vestimentis ovium, intus autem*

[a] Crab., *indicia intimarent.* Merlin., *indicia juvarentur.* Quesn., *juvaretur indicio.* Editi alii, *juvaremur indicio.* At mss. magno consensu *juvarentur* (scil. *gaudia*) *indicio.*

[b] Ita potiores mss. cum Quesn. Alii vero coll. Hisp. et Isid., *si quietos nos ab incursatione sua vacare hostis antiquus sineret ab initio mendax :* quæ lectio quamvis peregrinæ manus operam suboleat, a Merlino tamen et Crab. prælata est, addito relativo *qui* post verbum *sineret.* In edit. Rom. exstat, *Numquam patitur nos quietos.* In aliis edit. *quia non patitur nos quietos*, omisso *At vero.*

[c] Quesn. *torquetur.* Editi alii, *punitur :* castigantur ex potioribus mss.

[d] Edit. Rom. post Crab. *eadem dicit* : refragantibus mss. Ambrosius epist. 63, n. 7 de Sarmatione et Barbatione, qui Joviniani sectabantur errores, scribit eos esse vaniloquos, *qui dicant nullum esse abstinentiæ meritum, nullam frugalitatis, nullam virginitatis gratiam, pari omnes æstimari pretio; delirare eos qui jejuniis castigant carnem suam.*

[e] Crab. ac deinde edit. Rom. et concil. *paraverant;* et mox, *traxisset :* præter fidem mss.

[f] Edit. Rom., *malens.* Aliæ concil. secundum mss. coll. Hisp. et Isid., *volens magis.* In sincerioribus libris reticetur *magis*, quod antiquis insolens non est. Deinde edit. Rom., *per spatiosa ambulare.* Merlin. aliæque concil. cum mss. coll. Hisp. et Isid., *per spatiosam viam ambulare.* Tum unus e mss. Colb., *quam arctæ vitæ iter.*

[g] Apud Quesn., *ignorantiam :* mendose. Curat Siricius ea, quæ Romæ adversus novos hæreticos gesta sunt, episcopis nota fieri : ne si quis illa ignoraret, contagione pessimorum hominum Ecclesia violaretur : et id quidem *sub religioso nomine*, quia etiam tum Jovinianus, ut Hieronymus contra ipsum scribit, *monachum esse se* jactitabat.

sunt lupi rapaces ; a fructibus eorum cognoscetis eos (*Matth.* VII, 15 *et* 16). [a] Illi sunt videlicet, qui subtiliter Christianos sese jactant : ut sub velamento pii nominis gradientes, domum orationis ingressi, sermonem serpentinæ disputationis effundant ; *ut sagittent in obscuro rectos corde* (*Psal.* X, 3), [b] atque a veritate catholica avertendo, ad suæ doctrinæ rabiem diabolico more transducant, atque ovium [c] simplicitatem defraudent. Et quidem multarum hæresum malignitatem [d] ab apostolis nunc usque didicimus, et experti probavimus : sed numquam tales canes Ecclesiæ mysterium latratibus fatigaverunt, quales [e] nunc subito hostes fidei erumpentes, doctrina perfidiæ pullulata, cujus sint discipuli, ver- A borum fructibus prodiderunt. Namque cum alii hæretici singula sibi genera quæstionum male intelligendo proposuerint convellere atque concerpere de divinis institutionibus ; isti non habentes vestem nuptialem (*Matth.* XXII, 12), sauciantes Catholicos, novi ac veteris Testamenti, ut dixi, continentiam pervertentes, et spiritu diabolico [f] interpretantes, illecebroso atque ficto sermone aliquantos [g] Christianos cœperunt jam vastare, atque suæ dementiæ sociare, [h] intra se continentes nequitiæ suæ virus. [i] Verum electi blasphemias suas conscriptione temeraria publice prodiderunt, et desperatæ mentis furore conciti, passim [j] in favorem gentilium publicarunt. [k] Sed a fidelissimis Christianis, viris ge-

[a] In ms. Pith. et uno Colb., *Hi sunt videlicet quasi utilitate Christ.* In altero Colb., *Hi sunt videlicet, qui quasi quadam utilitate Christ.* ; quod corrigens Quesn. substituit, *Hi sunt videlicet, qui sub vestium vilitate.* Et hæc quidem correctio nostris, qui Ambrosii editionem adornarunt, aliquando placuit. Sed præterquam quod nulla saltem aperta mss. auctoritate fulcitur, ei manifeste repugnat quod Hieronymus lib. I contra Jovinianum post med. tradit, nempe hæreticum illum, *cum monachum esse se jactitet, post sordidam tunicam, et nudos pedes, et cibarium panem, et aquæ potum, ad candidam vestem, et nitidam cutem, ad mulsum et elaboratas carnes* se contulisse. Unde et lib. II, circa med., sic eumdem alloquitur : *Ante nudo eras pede, modo non solum calceato, sed et ornato ; tunc pexa tunica et nigra subucula vestiebaris, nunc lineis et sericis vestibus, et Atrebatum ac Laodiceæ indumentis ornatus incedis.* Et sub finem, *Quoscumque*, inquit, *formosos, quoscumque calamistratos, quos crine composito, quos rubentibus buccis videro, de tuo armento sunt.* An Jovinianus subinde quidem primam vestem mutasse, sed eamdem perversæ prædicationis initio retinuisse dicendus est ? Cogitari istud posset, nisi affectatis illis vestium sordibus adversaretur tum doctrina, tum mollities vitæ, quam Siricius arguit. Quare vulgata lectio, quam non solum Isidori, sed et Hispanæ collectionis mss. confirmant, conjecturæ haud satis firmæ jure antefertur.

[b] Edit. concil. post Rom. et Baron., *atque veritatem catholicam pervertendo*, nisi quod apud Lab. exstat *vertendo :* Merlin., Crab., Quesn. ac nostris mss. renitentibus. Exinde Crab., *ad suæ doctrinæ scabiem* substituit.

[c] Duo mss., *simplicitate.*

[d] Ita antiquiores mss. cum edit. Quesn. et Ambros. Cæteri vero libri, *ab apostolicis temporibus.*

[e] Apud Baron. ut in edit. Rom., *quales isti nunc subito erumpentes, doctrina perfidiæ polluti, hostes fidei, qui cujus sint.* Nostra lectio est cæterorum librorum, nisi quod in uno Colb. *polluta*, et in aliis tribus *pollutorum* exstet, pro *pullulata.*

[f] In mss. coll. Hisp. et Isid. ut apud Crab. desideratur *interpretantes.* Idem verbum, necnon ista, *et spiritu diabolico*, in edit. Rom. et apud Baron. desunt. Ex aliis libris revocantur. Proxime antea *novi ac veteris Testamenti continentiam* non absurde intelligamus pro eo dici, quod novo et veteri Testamento continetur ac docetur. Quo intellectu *continentiæ* nomen ab Hieronymo epist. 61, ad Pammach., usurpatum legimus, ubi Joannem Jerosolym. hinc insimulatum refert, *quod sic paradisum allegorizet, ut historiæ auferat veritatem... totamque paradisi* CONTINENTIAM *tropologica interpretatione subvertat.* Prava autem interpretatio illa, quam Siricius notat, in hoc maxime perspicitur argumento, quo Jovinianus, teste Augustino l.b. II Retr. c. 12, sacras virgines urgebat, *dicens : Tu ergo melior es quam Sara, melior* B *quam Susanna, quam Anna : et cæteras commemorando testimonio sanctæ Scripturæ commendatissimas feminas, quibus se illæ meliores vel etiam pares cogitare non possent.*

[g] Loco vocis *Christianos*, apud Quesn. legimus *Romanos :* refragantibus aliis libris. Quamquam id, quod Romæ nominatim contigit, a Siricio hic commemorari suadet illud Augustini lib. II Retr. c. 12 : *Joviniani hæresis, sacrarum virginum meritum æquando pudicitiæ conjugali, tantum valuit in urbe Roma, ut nonnullas etiam sanctimoniales, de quarum pudicitia suspicio nulla præcesserat, dejecisse in nuptias diceretur... Hoc modo etiam virorum sanctorum sanctum cælibatum, commemoratione patrum et comparatione frangebat.*

[h] Apud Quesn. et ex eo in nova Ambrosii editione, *non intra se*, adjecta particula negante, an cum aliqua scripti codicis auctoritate, non apparet. Cæterorum librorum lectioni suffragatur istud Augustini lib. II Retr. c. 12 : *Remanserunt autem istæ disputationes in quorumdam sermonibus ac susurris, quas palam suadere nullus audebat.* Eamdem et orationis series exigit. C

[i] Apud Merlin. et Crab., ut in mss. coll. Hisp. et Isid., *velut electi.* Apud Lab. ex margine Crab. et in quibusdam Ambros. edit., *Verum electi.* Antiquiores mss. duo Colb. et unus Pith., *Verum illecti.* Nihil prope ambigimus, quin restituendum sit, *Verum detecti :* adeo ut qui nequitiæ suæ virus intra se continebant, ubi primum illud latere jam non posse deprehenderunt, blasphemias quas clam mussitando suggerebant, publica scriptione defendere jam cœperint. Noluimus tamen lectionem nulla certa auctoritate fultam obtrudere. Interpolationis ac falsitatis suspecta videtur hæc Quesnelli, *Verum electi eorum :* quasi Joviniano ac sociis, perinde atque Manichæis, sui fuissent electi ; quod nullus memoriæ mandavit. Non levior est interpolatio, quæ in edit. Rom. ita habetur : *virus, præferentes se tam-* D *quam electi, blasphemias tamen suas conscriptione temeraria publicarunt.*

[j] Plerique ac vetustiores mss. cum Merl., *in furore.* Duo alii, *furore* sine *in.* Quesn. *furorem.* Magis placet cum edit. Rom., Crab. et Ambros., *in favorem :* quia et vox *furore* proxime antecedit, et reipsa Gentilium moribus Joviniani doctrina plurimum favet. Exinde sola editio Rom. *se prodiderunt*, pro *publicarunt.*

[k] Apud Quesn., *Eorum autem insania a fidelissimis... subito per scripturum honorificam videtur esse delata :* lectio interpolata, nec ad Siricii mentem exacta. In uno quidem ms. Colb. ut et in Rem. et Pith. habetur *scriptura honorifica*, et apud Merlin. *honorificata :* sed cum cæteris libris præferendum *scriptura horrifica*, ea ipsa videlicet, quæ paulo antea *conscriptio temeraria* vocabatur. Nunc vero dicitur *horrifica*, tum propter *blasphemias* quibus conspersa erat, tum etiam ob barbariem styli. Ut enim

nere optimis, religione præclaris, ad meam humillitatem subito scriptura horrifica videtur esse delata : ut sacerdotali judicio detecta divinæ legi contraria, spiritali sententia deleretur. Nos sane [a] nuptiarum vota non aspernantes accipimus, quibus [b] velamine intersumus : sed virgines, quas nuptiæ creant, Deo devotas majore honorificentia muneramus. Facto igitur presbyterio, constitit doctrinæ nostræ, id est [c] Christianæ legi, esse contrariam.

4. *Hæresis novæ incentores damnantur.* Unde Apostoli secuti præceptum (*Gal.* I, 9), [d] quia aliter quam quod accepimus annuntiabant, omnium nostrum tam presbyterorum et diaconorum, quam etiam totius cleri, [e] unam scitote fuisse sententiam, ut Jovinianus, [f] Auxentius, Genialis, Germinator, Felix, [g] Plotinus, Martianus, Januarius et Ingeniosus, qui [h] incentores novæ hæresis et blasphemiæ inventi sunt, divina sententia et nostro judicio in perpetuum damnati extra Ecclesiam remanerent. Quod custodituram sanctitatem vestram non ambigens, hæc scripta direxi per fratres et [i] compresbyteros meos Crescentem, Leopardum et Alexandrum, qui religiosum officium fidei possint spiritu adimplere ferventi.

EPISTOLA VIII [j],

SEU RESCRIPTUM AMBROSII, ALIORUMQUE EPISCOPORUM AD SIRICIUM PAPAM DE CAUSA SUPRADICTA.

Joviniani ac sociorum errores recensent ac refellunt. Primo quod meritorum gradus tollant et virginitati æquent conjugium : tum quod Mariæ in partu virginitatem negent ; deinde, quod jejuniis adversentur. Postremo, ubi notarunt eorum de Christi nativitate sententiam Manichæis suffragari, Siricii judicio de eorum damnatione subscribunt.

Hanc epistolam Ambrosii vide ad opera ejusdem sancti Patris, tom. nostræ Patrol. XVI, col. 1123.)

MONITUM IN EPISTOLAM SEQUENTEM.

1. *Quid quærendum.* — Circa hanc epistolam non una exsistit quæstio. Nam et de auctore ejus inter eruditos non convenit. Neque major est illorum de Bonoso, cujus occasione scripta est, consensio. Quis enim illius error, seu crimen, quæ sedes, an etiam ipse fuerit qui ab antiquis Bonosiacorum dux dictus est, ambigunt. Ad hæc illustranda primum tempus quo ipsa scripta est epistola nosse juverit.

Hieronymus lib. I contra Jovinianum animadvertit, hæretici hujus *scriptorum tanta barbaries est, et tantis vitiis spurcissimus sermo confusus, ut nec quid loquatur*, inquit, *nec quibus argumentis velit probare quod loquitur, potuerim intelligere.* Neque magis probandum quod apud Baron. ut in edit. Rom. obtinet, *scriptura horrifica videntur esse delati, ut... detecti... deleantur.* E fidelissimis illis Christianis, qui horrificam Joviniani scripturam Siricio detulerunt, præcipuus fuit Pammachius, quem idcirco Hieronymus epist. 50 sic alloquitur : *Te post Dominum faciente, ille damnatus est, quod ausus sit perpetuæ virginitati matrimonium comparare.*

[a] Lab., *nuptias non aspernanter.*

[b] Ita mss. At edit. Rom. et Baron., *velamini interfuimus, sed virginum nuptias Deo devotas.... honoramus.* Merlin. et Crab., *velamine interfuimus :* tum solus Merlin. *sed virgines Deo devotas*, etc., omissis verbis, *quas nuptiæ creant.* Exinde apud Lab. *veneramur*, pro *muneramus :* quo aptius enuntiatur merces, quæ virginitati ut majoris meriti, ita et major debetur. Minime autem admittenda est conjectura, qua pro *velamine*, Crab. *vero animo* mallet. Ut enim Ambrosius epist. 19, ad Vigilium, n. 17, scribit, *ipsum conjugium velamine sacerdotali et benedictione sanctificari oportet.* Hac ratione Joviniano, nuptias ab iis, qui illas continentiæ postponebant, sperni prædicanti, recte Siricius occurrit.

[c] Rem. ms., *Christi legi.* Tum vetus Colb., *quosdam esse contrarios.* Edit. Rom. et concil. cum nonnullis mss., *esse contraria.* Verius antiquus codex Pith. necnon Navar. et Capuc., *esse contrariam*, scripturam scilicet quam Pammachius ac socii libello oblato damnari petierant, si modo *divinæ legi contraria* deprehenderetur. Cui petitioni Siricius accommodans judicium, primo scripturam delatam *Christianæ legi contrariam* declarat, ac deinde ut talem proscribit et damnat. Quocirca glossema sapit quod apud Quesn. legimus, *esse contrariam eorum sententiam*, nec alibi illud offendi. Istud vero, *Facto igitur presbyterio*, hoc esse quod, congregato igitur cleri conventu, jam in epistolam 11 Liberii, qui eadem *presbyterii* voce et eodem intellectu utitur, observavimus. Romanis autem pontificibus quam familiare fuerit cum hoc cœtu, in quem etiam peregrinos episcopos admitti mos erat, ecclesiastica negotia communicare, vetera quæ supersunt monimenta produnt.

[d] Quesn. cum duobus mss., *eos quid aliud* : ac deinde nullius, quod sciam, exemplaris auctoritate, post verbum *annuntiabant* subjicit, *excommunicavimus. Omnium ergo nostrum.*

[e] Ita duo antiquiores mss. Colb. et Pith. cum Quesn. At Crab. et Merlin. ex mss. coll. Hisp. et Isid., *unam factam constat esse sententiam.* Edit. Rom., *una lata fuit sententia.* Lab., *una suscitata fuit sententia.* Hinc manifestum est cœtum illum, qui a digniori gradu *presbyterium* appellabatur, non presbyteris solis, sed etiam diaconis ac reliquis clericis interdum constitisse.

[f] In mss. ut apud Isidorum Hispal. lib. de Scrip. eccl. c. 3, et Merlin. *Ausentius.*

[g] Sic mss. magno consensu cum edit. Rom. et Quesn. At Rem. et Ambros. *Prontinus.* Baron. *Pontinus*, et ad marg. *Frontinus.*

[h] Veteres coll. Hisp. codices Landun. et Noviom. necnon plerique coll. Isid. cum Merl. et Crab. *accentores.* Rem. *actores.* Antiquiores Colb. duo et Pith. cum Quesn. *auctores.*

[i] Apud Baron., ut in edit. Rom., *presbyteros.* Lectionem *compresbyteros*, quæ cæterorum codicum est, firmat antiquus usus. Immo et diaconis loquens Augustinus, eos etiam *condiaconos* vocabat. Ita in epistola ejus 149, ad Paulinum, n. 1, legere est, *de perventione tam prospera fratris et compresbyteri nostri Quinti ;* et mox, *occasione filii et condiaconi nostri Rufini.* Et ad calcem ejusdem epistolæ, *Condiaconus autem noster Peregrinus... nondum remeavit... Compresbyterum Paulinum... salutamus.* Epistolas autem 191, *compresbytero Sixto*, et 192, *condiacono Cælestino ;* 222 et 224, *condiacono Quodvultdeo* inscribi legimus. Ita et a concilio Carthaginensi initio epistolæ ad Innocentium I Orosius *compresbyter* appellatur. Leopardum tituli Pastoris, ex quo et Siricius in Petri sedem assumptus fuerat, presbyterum exstitisse, ac nomen illius etiamnum in tabula marmorea asservari Baronius monet.

[j] In editione Romana e vulgatis Ambrosii codicibus repetita fuerat. In veteribus ejus codicis, quem Quesnellus vulgavit, exemplaribus cap. 31, ac nonnullis aliis asservatur. Proximæ Siricii epistolæ non longe post, cum Mediolani ageret Theodosius imperator, adeoque anno 388 aut 389, ut Monito in epistolam superiorem probavimus, rescripta est.

II. *Quo tempore sit scripta.* — Temporis, quo scripta est, ipsa non obscuram præ se fert notam. In ea quippe Capuanum concilium ut proxime habitum memoratur. Atqui hanc synodum post Theodosii in urbem Constantinopolim reditum, hoc est post VI kalendas Decembris anni 391, et ante Valentiniani necem, id est ante idus Maias anni 392 celebratam esse, in novissima Ambrosii editione, ubi epistolæ 56 ordo asseritur, probatum est. Ex quo sequitur, ut et hæc epistola anno 392 ante mensem Maium scripta merito censeatur : maxime cum eæ quæ in Italia Valentiniani interitum consecutæ sunt turbæ, ut serius differatur non sinunt.

III. *Falso tribuitur Damaso.* — Hinc defendi nequit sententia Nicolai Cusani lib. II de Concordia cath. c. 18, Jac. Almaini lib. de Auctorit. Ecclesiæ, Cajetani lib. de Comparat. auctorit. papæ et concil., ac Roberti Coci lib. III, c. 14, qui epistolam hanc Damaso ascribunt. Is enim papa jam ab anno 384 vivere desierat, adeo ut successor ejus Siricius anno 385 ineunte ad Himerii consulta responderit. Neque vero ullius codicis epistolam istam Damaso tribuentis auctoritate in eam abierunt opinionem, sed ordine decepti quo inter Ambrosianas epistolas collocatam cernebant. Quam enim epistolæ Ambrosii hanc 17, in qua Damasi ut adhuc superstitis fit mentio, proxime anteponi animadvertebant, hanc ad Damasi successorem pertinere ne suspicati sunt quidem. Quanto ipsis probabilior visa esset hæc sententia, si apud Marium Mercatorem edit. Baluz. pag. 165, Bonosum « a Damaso prædamnatum » legissent! Verum nec ille alio intellectu Bonosum a Damaso prædamnatum dixit, quam quo Socinum dicere nobis licet a Nicæno concilio et ab ipso Damaso prædamnatum. Respicit quippe M. Mercator ad fidei confessionem, quam Damasus ad Paulinum misit, nominatimque ad illud : « Anathematizamus Photinum, qui Hebionis hæresim instaurans Dominum Jesum Christum tantum ex Maria confitetur. » Nam et ipse Bonosus eumdem errorem instaurare vulgabatur.

IV. *Neque est Ambrosii.* — Epistolam eamdem Ambrosio attribuunt non modo antiquæ ejus editiones, verum etiam Colbertinus, Carolilocensis aliique nonnulli codices scripti. Sed nec illius esse Baronius ad annum 389 hinc probat, quod in ea num. 2 Bonosus « fratrem nostrum Ambrosium » consuluisse narratur. Observarunt quidem fratres nostri, qui Ambrosii adornarunt editionem, hæc ab eo non proprio, sed alicujus synodi, cui præfuisset, nomine dici potuisse ; simulque monuerunt maximam opellæ hujus cum indubitatis Ambrosii scriptis, puta lib. de Instit. virg. c. 5, et epist. 63, ad Vercell., n. 109, esse affinitatem. Sed si hac in epistola Ambrosius synodi nomine loquitur, synodi etiam hujus nomine, non Ambrosii debuit inscribi, adeoque inscriptionis codicum illorum, quam falsam esse liquet, sublesta est auctoritas. Quapropter memorati fratres illam etsi inter Ambrosianas epistolas, anepigraphen tamen et altero charactere ediderunt.

V. *Siricio recte est restituta.* — Justellus notis in canonem 48 Cod. eccl. Afr. illam Siricio adjudicandam censet, eique suffragantur viri superius num. 3 memorati Cusanus, etc., quatenus eamdem Romani alicujus pontificis esse pro certo habent. Si enim illam Siricii temporibus scriptam esse præmonstratum eis fuisset, statim in eamdem opinionem concedere non dubitassent. Huic papæ tandem a Luca Holstenio in collectione Rom. bipart. restituta est : eamque restitutionem probat ac laudat Launoius to. I, epist. ad Sambœrvium, ubi et multa de hac epistola edisserit. Suum quoque locum ei Labbeus inter epistolas Siricii exinde reddidit. Holstenius quidem, ante fato functus quam opus ipsius e prelo exiret, quo in codice epistolam istam saniori cum titulo nactus esset annotare non valuit : sed nullus est ambigendi locus, quin titulum illum, quem aptissimum esse nemo inficiatur, non confinxerit de suo, sed e veteris alicujus exemplaris fide expresserit. Nihil enim erat causæ cur inter epistolas Romanorum pontificum, quas vel novas vel meliores primum edidit, hanc de integro vulgaret, nisi ipsi novus titulus, veteris alicujus codicis auctoritate fultus, hanc veluti meliorem et quodam modo novam jure censeri persuasisset. Neganda tamen non est ejus cum laudatis Ambrosii scriptis, præsertim a num. 3 consensio. Sed fieri potuit, ut vel Ambrosius Siricio hac in re operam suam commodarit, vel Siricius Ambrosii argumentis, adversus delatum Bonosi errorem Capuana in synodo aut alibi prolatis, sibi utendum duxerit.

VI. *De Bonoso diversæ opiniones.* — Bonosus ille cui præfuerit Ecclesiæ, Baronius ad annum 389, Petavius to. IV Eccles. Dogm. lib. XIV, aliique sibi ignotum esse confitentur. Sirmondus notis in Avitum Naissitanæ in Dacia sedis eum antistitem exstitisse conjectat. Conjectura illius haud dubie nititur Innocentii ad Marcianum Naissitanum episcopum epistola 16, propter quam et Holstenius in annot. geogr. de patriarch. Rom. pag. 129 et 123, opinionem eamdem inetur. At Joan. Garnerius suis in Marium Mercatorem commentariis, ipsius Mercatoris auctoritate nixus, Bonosum Sardicensi metropoli præpositum fuisse affirmat. Hinc Tillemontius to. X, pag. 755, Bonosum aut in Macedonia aut in finitima provincia episcopum fuisse ultro fassus, quærendum proponit, num distinguendi sint Bonosi duo, Naissitanus unus, de quo Siricius et Innocentius loquantur, alter Sardicensis, quem Marius Mercator aliique scriptores Bonosiacorum ducem faciunt. Ipse quidem pro sua modestia testatur, sese hanc distinctionem asserere primum non audere, neque tamen silet nihil advertere se quod ei repugnet.

VII. *An Bonosi duo distinguendi.* Eidem distinctioni rursum favet, ubi observat Siricium atque Innocentium de Bonoso aliquo loqui, quem canonicis criminibus potius, quam ulla hæresi insimulatum innuant; nominatimque Innocentium a clericis ab illo ordinatis nullam fidei professionem exegisse. Sed hæc viro diligentiæ laude præstanti excidisse miramur. Nam et Siricius Bonosum, de quo ipsi sermo est, « de Mariæ filiis jure reprehensum » docet, notatque eum hoc astruentem, « nihil aliud nisi perfidiam Judæorum astruere, qui dicunt eum (Christum) non potuisse nasci ex virgine ; » et Innocentius epist. 16, ad Marcian., de clericis a Bonoso ordinatis constitutum scribit, ut si « *damnato ejus errore*, vellent Ecclesiæ copulari, libenter reciperentur, ne forte qui essent digni recuperandæ salutis, in eodem *errore* deperirent. » Cum igitur Bonosum, de quo Siricius atque Innocentius loquuntur erroris labe contaminatum fuisse constet : restat quærendum, an error, de quo eum Siricius accusatum notat, alius fuerit ab eo, quem alii Bonosiacorum duci attribuunt. At vero in hoc consentiunt cæteri, *quod* Bonosiacorum dux Hebionis, Pauli Samosateni ac Photini hæresim instaurarit. Hæc quippe de illo sunt Marii Mercatoris verba : « Hebionem philosophum secutus Marcellus Galata est, Photinus quoque, et ultimis temporibus Bonosus qui a Damaso urbis Romæ episcopo prædamnatus est. » Eam ob causam a Gelasio papa epist. 33, n. 4, Photinus et Bonosus, qui simili errore defecerunt, condemnantur. Ita et Arelatensis II concilii Patres can. 16, de Photiniacis et Paulianistis prælocuti, « Bonosiacos (velut) ex eodem errore venientes » censere se can. 17 declarant. Non alia de his sententia fuit Gennadii, qui lib. de Viris illustr. c. 14 librum memorat Audentii maxime intentum « contra Photinianos, qui nunc Bonosiaci vocantur. » Similia de iis et lib. de Dogm. Eccl. c. 22, al. 52, habet. Bonosiacos quoque Gregorius Magnus lib. XI, epist. 67, ad Quiricum, inter eos recenset, qui a Trinitatis fide aberrant : quatenus videlicet, ut Avitus Viennensis episcopus epist. 3, pag. 29, apertius ex-

plicat, « Christo divinitatis honorem adimunt. » Unde et Augustinus de horum hæreticorum duce loqui jure videtur, cum Elpidio Christi divinitatem neganti, ipsumque ad Bonosum, ut qui ad eamdem sententiam persuadendam potens esset, mittenti epist. 242 rescribit : « Libentissime amplector benevolentiam tuam, quod me Bonoso et Jasoni, ut scribis, doctissimis viris, etiam trans mare mittere dignatus es ad reportandos ex eorum disputationibus uberes fructus. » Inde etiam colligere licet, tunc superstitem fuisse hæresiarcham illum, cum hæc Augustinus scriberet. Certe ex variis illis testimoniis Bonosum aliquem exstitisse constat, qui Bonosiacorum sectæ nomen dedit; atque hos cum Hebionitis ac Paulianistis recensitos, novosque Photinianos ideo dictos esse, quia pariter cum illis Christo divinitatem adimebant. Atqui is error non alius est a perfidia Judæorum, quam Bonoso Siricius attribuit. Neque igitur Bonosiacorum dux alius videri debet a Bonoso, quem idem papa reprehendit. Quocirca et Ambrosius lib. de Instit. virg. perpetuam Mariæ virginitatem adversus objecta Bonosi, quem non appellat, sed satis aperte designat, a capite 5 ad 9 astruens, cap. 10, 11 ac medio 12, æqualitatem Trinitatis et deitatem Filii impugnantes confutat, ac tandem ipsa capitis 12 postrema parte ad asserendam Mariæ integritatem redit : nec quidquam addit, unde non eosdem hæreticos a se confutari indicet. Proclivis sane is erat lapsus, ut qui semel filios e Maria procreatos divulgarat, eo progrederetur, ut et Christum non aliter natum, adeoque « hominem communem ex Maria et Joseph natum » cum Hebione et Judæis prædicaret.

VIII. *Bonosus Sardicensis episcopus censendus.* Jam vero si Bonosus unus est, cur hunc Sardicensis potius, quam Naïssitanæ ecclesiæ episcopum non existimemus; cum Marii Mercatoris, qui temporibus illius vixit, adsit diserta auctoritas Sardicensem eum appellantis, nec testimonio tam aperto tamque gravi quidquam opponi valeat, nisi mera conjectura, inde ducta, quod Bonosus Naïssitanos clericos ordinasse dicatur, et alienæ Ecclesiæ clericos ordinare canones prohibeant? Sed eo levior est illa conjectura, quod Bonosus, quo plures sibi sociaret, teste Innocentio epist. 17, n. 12, « passim et sine ulla discussione ordinationes illicitas faciebat. » Postulassent etiam canones, ut si Bonosus Naïssitanus episcopus exstitisset, causa ejus ad Sardicensem præsulem, ut metropolitanum ipsius, non ad vicinos episcopos, deferretur. Ita enim summi pontifices causas, quæ forte in ecclesiis Daciæ Mediterraneæ, Daciæ Ripensis, Mœsiæ, etc., oborirentur, Thessalonicensi episcopo vices sua cognoscendas commiserunt, ut id « salvo earum primatu » fieri vellent, ut Innocentius epist. 13, ad Rufum, n. 3, conceptis verbis testatur. Sardicensis autem episcopi, qui Daciæ provinciæ metropolita seu primas erat, causa a Thessalonicenci episcopo, qui « inter ipsos primates primus, » ut Innocentius loco citato loquitur, fuerat constitutus, cognosci debuit. Hoc igitur Anysii jus integrum servavit Capuana synodus, cum Bonosi causam ad eum detulit. Simul et eadem synodus canonibus, qui episcoporum judices non e remota provincia, sed e vicina eligi volunt, nominatimque 14 Antiocheno et 7 Sardicensi gessit morem, cum « præcipue Macedones » Anysio judices adiungi voluit.

IX. *Anysii adversus Bonosiacos judicium.*— Anysii quodnam fuerit judicium ex Innocentii epistolis 16 et 17 comperimus. Nempe ita damnavit Bonosum, ut ii qui ab illo fuerant ordinati, si « damnato ejus errore vellent Ecclesiæ copulari, libenter reciperentur. » Quo ex judicio recte observavit concilium Arelatense II, can. 17, manifestum esse Bonosiacos « in Trinitate baptizari. » Quapropter idem concilium licet Photiniacos sive Paulianistas et Bonosiacos » ex eodem errore venientes » agnoscat, tamen Photiniacos seu Paulianistas « baptizari oportere; » Bonosiacos vero, « si interrogati fidem nostram ex toto corde confessi fuerint, cum chrismate et manus impositione in Ecclesia recipiendos » decrevit. Tam solemni autem judicio non stans Bonosus, novos clericos undecumque ordinare, immo quosdam jam in Ecclesia catholica ordinatos iterata ordinatione contaminare non destitit; quæ novarum perturbationum, et epistolarum 16 et 17 Innocentii, ut ibi visuri sumus, causa et occasio fuit. In his forte prolixiores videbimur : sed operæ pretium duximus rem ab eruditis nondum satis extricatam explicare, unde et prædictis Innocentii epistolis lux affulgeat.

EPISTOLA IX,

SIRICII PAPÆ AD ANYSIUM THESSALONICENCEM ALIOSQUE ILLYRICI EPISCOPOS.

Siricius de Bonoso sententiam rogatus, non vult dicere : sed quos Capuana synodus ei judices delegerat, munere suo defungi jubet. Illum interim ob errorem de Mariæ filiis merito reprehensum atque horrori fuisse confirmat.

Dilectissimis [a] fratribus Anysio et cæteris episcopis per [b] Illyricum constitutis, Siricius.

1. *Bonoso et ejus accusatoribus judices dati.*— Accepi [c] litteras vestras de Bonoso episcopo, quibus vel pro veritate, vel pro modestia, nostram sententiam sciscitari voluistis. Sed cum hujusmodi fuerit concilii Capuensis judicium, ut finitimi Bonoso atque ejus accusatoribus judices tribuerentur, et præcipue Macedones, qui cum episcopo Thessalonicensi de ejus factis vel [d] cognoscerent : advertimus quod dices ab accusati accusatorumve sede tam remotos, ut erant Ægyptii, daret.

[a] In Bellovacensi aliisque mss. nulla præmittitur inscriptio seu salutatio. In uno Colb. et altero olim Thuano exstat, *Ambrosius Theophilo :* quibus verbis in priscis Ambrosii editionibus additur *et Anysio.* Hanc autem inscriptionem ab antiquariis adjectam suspicabamur ad imitationem epistolæ 56 Ambrosii ad Theophilum. Cum enim ejus causæ, quæ sedis Antiochenæ gratia Evagrium inter et Flavianum intercedebat, cognoscendæ jus Theophilo atque Ægyptiis episcopis a Capuana synodo commissum esse in epistola illa 56 legerent; ad eumdem Theophilum ab eadem synodo delatam esse causæ Bonosi cognitionem, atque ab Ambrosio ea de re ad illum nunc scribi collegerunt. Sed manifestus eorum error. Nam causæ hujus cognitionem Anysio, non Theophilo, commissam esse ex Innocentii epistolis certum est : et Anysio præcipue Macedonas episcopos, non Ægyptios, a Capuana synodo in hoc negotio adjunctos esse hæc ipsa epistola nos docet. Sane disciplinæ ecclesiasticæ peritior erat illa synodus, quam ut ju-

[b] Hinc colligere est Anysio permissum fuisse, ut ex Illyrico alios a Macedonibus sibi in hoc judicio sociaret. Hinc et mox *præcipue Macedones*, non soli judices tributi dicuntur.

[c] In Ambrosii nova editione, ex veterum codicum fide, epistolæ hujus initium ita restitutum est : *De Bonoso direxistis episcopo.* Editionum aliarum, quibus et Holsten. consentit, plenior visa est lectio et nitidior.

[d] In ms. Longi-Pontis hic additur *scriptis.* In aliis autem nonnullis desideratur *vel.* Et illud adjectum, et istud suppressum suspicamur temeritate librariorum, qui Siricii mentem non assequebantur. Hoc enim, ni fallor, sibi vult : ut *de factis ejus*, si non judicarent definitivamve sententiam dicerent, *vel* (id est saltem) *cognoscerent.* Neque vero alia conditione a Capuana synodo Bonosi causa Anysio et episcopis Illyrici, quam qua Evagrii et Flaviani Theophilo et

nobis judicandi forma competere non posset. Nam si integra esset hodie synodus, recte de iis, quæ comprehendit vestrorum scriptorum series, decerneremus. Vestrum est igitur, qui hoc recepistis judicium, sententiam ferre de omnibus, nec refugiendi vel elabendi vel accusatoribus vel accusato copiam dare. Vicem enim synodi recepistis, quos ad examinandum synodus elegit.

2. *Bonosus interdictam sibi ecclesiam irrumpere cogitans, ab Ambrosio dissuadetur.* — Denique cum Bonosus episcopus post judicium vestrum misisset ad fratrem nostrum Ambrosium, qui ejus sententiam consuleret, [a] interdictam sibi ecclesiam irrumpere atque ingredi; responsum est ei, quod nihil temerandum foret, sed omnia modeste, patienter, ordine gerenda, neque contra sententiam vestram tentandum aliquid; ut quod videretur vobis justitiæ convenire, statueretis, quibus hanc synodus dederat auctoritatem. Ideo primum est, ut ii judicent, quibus judicandi facultas est data: vos enim totius, ut scripsimus, synodi vice decernitis; nos quasi ex synodi auctoritate judicare non convenit.

3. *Bonosi error de filiis Mariæ. Judæis favet.* — Sane non possumus negare de Mariæ filiis jure reprehensum, meritoque vestram sanctitatem abhorruisse, quod ex eodem utero virginali, ex quo secundum carnem Christus natus est, alius partus effusus sit. Neque enim elegisset Dominus Jesus nasci per virginem, si eam judicasset tam incontinentem fore, ut illud genitale Dominici corporis, illam aulam Regis æterni, concubitus humani [b] semine coinquinaret. Qui enim hoc astruit, nihil aliud nisi perfidiam Judæorum astruit, qui dicunt eum non potuisse nasci ex virgine. Nam si hanc accipiant a sacerdotibus auctoritatem, ut videatur Maria partus fudisse plurimos, majore studio veritatem fidei expugnare contendent.

4. *Refutatur.* — Et ubi est illud quod scriptum est, dicente Domino ad matrem de Joanne Evangelista, *Mulier, ecce filius tuus:* et rursus ad Joannem de Maria, *Ecce mater tua* (*Vide Ambros. de Instit. virg. c.* 7, *n.* 46, *in Joan.* XIX, 26, 27)? Quid sibi istud vult, quod cum in cruce Dominus positus A peccatum mundi tolleret, pronuntiavit etiam de integritate materna? Aut quid aliud dicitur, nisi ut claudat sua ora perfidia, et obmutescat, ne matrem Domini aliquo audeat temerare convicio? Testis est ergo idem arbiter, idem materni pudoris assertor, quod desponsata fuerit viro tantummodo Joseph, nulla tamen conjugalis coitus consuetudine tori jura cognoverit (*Matth.* I, 18). Neque enim eam susceturam ex Joseph filios a viri consortio separare voluisset. Sed si hoc parum est, addidit testimonium Evangelista, dicens quod *suscepit eam discipulus* [c] *in sua* (*Ibid.*, 30). Numquid ergo divortium fecit? numquid a viro abduxit atque abstulit? Ergo qui hoc legit in Evangelio, quomodo quasi naufragus titubat et fluctuat? Hoc ergo testamentum filii est de B matris integritate, hæc Mariæ locuples integri pudoris hæreditas, hic totius finis consummationis. Denique hoc dixit, et emisit spiritum consummans omne mysterium bono fine pietatis.

5. *Ecclesiæ regimen commissum.* — Legimus etiam et omnia percurrimus vel de eo, quod fratri nostro et coepiscopo Basso in consortium regendæ Ecclesiæ [d] datus est Senecio, vel de cæteris unde vestræ normam exspectamus sententiæ.

MONITUM IN SEQUENTES CANONES.

I. *Unde et a quo prodierint.* — E codice Fossatensi, qui nunc in Colbertina bibliotheca asservatur, necnon ex antiqua codicis Pithœani collectione primum Jacobi Sirmondi opera editi sunt sequentes canones. Eos ille, quia quo tempore conditi fuerint, deprehendere certo non valuit, ad calcem to. I Conciliorum Galliæ rejiciendos duxit. Ubi vero eorum antiquitatem probavit his verbis, « Antiquissimos prorsus esse tum exemplarium vetustas docet, tum ipsa maxime, quæ priscis Ecclesiæ sæculis congruunt, decretorum argumenta confirmant; » ipse demum suam de illorum auctore conjecturam sic proponit: « Et decretorum autem et scriptionis forma non abhorret ab epistolis Innocentii papæ. Quare non inanis fortasse opinio fuerit, si quis horum auctorem illum fuisse conjiciat. » Hanc tanti viri conjecturam secutus Labbeus, canones eosdem Innocentii epistolis primus subjecit. Ita etiam nobis, cum eos omnino præterire minime liceat, nullus prima fronte commodior visus erat locus, quo illos exhibere valeremus.

II. *Eorum auctorem Leone antiquiorem esse.*— Sane

Ægyptiis episcopis, commissa censenda est. At Theophilum ita alloquitur Ambrosius epist. 56, ut ipsi ac sociis examen potius quam decretorium judicium delegatum fuisse indicet. Hæc porro inter alia ei scribit: *Sane referendum arbitramur ad sanctum fratrem nostrum Romanæ sacerdotem ecclesiæ; quoniam præsumimus ea te judicaturum, quæ etiam illi displicere nequeant.... ut cum id gestum esse cognoverimus quod ecclesia Romana haud dubie comprobaverit, læti fructum hujusmodi* EXAMINIS *adipiscamur.* Certe Innocentius epistola 1, ad Anysium, ita se illi ad imitationem Damasi ac Siricii, *omnia quæ in illis partibus gererentur, cognoscenda tradere* significat, ut ea vel ab ipso finiantur, vel si non potuissent finiri, sedis apostolicæ judicio, eo referente, serventur, quemadmodum et ex ejusdem papæ epistola 9, ad Rufum, discimus.

[a] Supplendum, *an deberet*, vel quid simile. Hic notari videtur præcedens quoddam judicium, quo D episcopi Illyrici Bonoso, donec causam illius plenius cognovissent, ecclesia sua interdicentes, ejus regimen Basso ac Senecioni commiserint.

[b] Ita Holsten. At apud Ambros., *seminis.*

[c] Apud Holsten., *in suam.* Rectius *in sua* apud Ambrosium, qui nec aliter hunc locum ipse legit tum lib. Exhort. virgin. c. 5, n. 33, tum lib. de Instit. virg. c. 7, n. 48, ubi et illum sic explicat: *Non utique Christus faciebat divortium, non Maria relinquebat virum. Sed cum quo virgo* HABITARE *debebat, quam cum eo, quem filii hæredem, integritatis sciret esse custodem?*

[d] Sardicensis videlicet, quæ Bonoso fuerat interdicta. Senecio autem hic memoratus, forte is fuerit, quem Innocentius epist. 13, ad Rufum, laudat ut summæ maturitatis virum. Habemus et epistolam Cælestini ad episcopos Illyrici, inter quos Senecionis nomen recensetur.

manifestum est decreta seu responsa esse sedis apostolicæ, quæ prius a Gallis episcopis consulta fuerit; eoque pacto ad nostrum institutum pertinere. Deinde nec illud incertum, Romanum illum pontificem, a quo prodierunt, Leone esse antiquiorem. Tunc enim, ut ex numero 5 liquet, conditi sunt hi canones, cum Romana Ecclesia solos e clericis episcopos, presbyteros atque diaconos continentiæ lege constringeret. Atqui Leonis temporibus, Leone ipso teste epist. 14, ad Anastasium, n. 7, « ne subdiaconis quidem connubium carnale conceditur. » Immo iste papa loco citato sic loquitur, ut continentiæ subdiaconorum legem non ipse primus ferre, sed ab aliis latam et usu jam receptam firmare intelligatur. Et quidem in Codice can. Eccl. Afri. c. 4, Faustinus Potentinæ Ecclesiæ episcopus, ac primum Bonifacii I deindeque Cœlestini legatus, Africano in concilio dixisse memoratur: « Placet ut episcopus, presbyter et diaconus, vel qui sacramenta contrectant, pudicitiæ custodes ab uxoribus se abstineant, » Quibus verbis si adjungamus ista ejusdem Ordinis cap. 25: « Placuit quod et in diversis conciliis firmatum est, ut subdiaconi, qui sacra mysteria contrectant, et diaconi et presbyteri, sed et episcopi, secundum priora statuta, ab uxoribus se contineant; » etiam subdiaconos continentiæ lege obligandos esse Faustinus ex Romanæ Ecclesiæ præscripto ac more censuisse videbitur. Dissimulandum tamen non est, in canone 3 Carthaginensis v concilii, unde proxima verba in Codicem prædictum translata sunt, nullam subdiaconorum fieri mentionem, sed simpliciter haberi: « Placuit episcopos et presbyteros et diaconos, secundum propria (*aut priora*) statuta etiam ab uxoribus se continere. » Ut ut est, saltem indubitatum manet, Leonis ævo minime concessum esse subdiaconis carnale conjugium. Ipsis etiam Gallis eam legem, qua presbyteris, diaconis ac subdiaconis uxores ducendi licentia negatur, sæculo v ac deinceps probatam atque usu receptam fuisse, fidem faciunt concilium Veneticum anno 465 habitum can. 11, Agathense can. 39, Aurelianense III can. 2, Aurelianense V can. 4, Turonense II can. 10, et Antisiodorense can. 20.

III. *Canones illos vel Innocentio vel Siricio ascribi posse.* — Jam vero si subnexos canones ad ea summorum pontificum, qui Leonem præcesserunt, scripta seu decreta exigamus; eos in nullos magis, quam aut in Innocentium, aut etiam in Siricium convenire deprehendemus. Certe et in his canonibus n. 5, et in Innocentii epistola 2, n. 12, eadem de lege continentiæ sacerdotibus atque diaconis præscripta traduntur. Idem etiam de virginibus velatis aut non velatis quæ a proposito exciderint, et in his canonibus n. 3 et 4, et in mox dicta epistola n. 15 et 16 præcipitur. Item quomodo horum canonum auctor sacerdotio indignos judicat, vel « qui militaverit jam fidelis militiæ sæculari, » vel « qui jus sæculi exercuerunt; » ita Innocentius epist. 3, n. 8 et 10, ad clericatus honorem admittendos negat, « qui post acceptam baptismi gratiam in forensi exercitatione versati sunt, » aut « qui post baptismum militaverit. » Rursum et quod in eadem epistola n. 6 adversus nonnullos edicitur, qui episcopos alienis in Ecclesiis ordinandi potestatem usurpaverant, cum iis quæ infra n. 18 reprehenduntur apprime consentit. At hæc argumenta Innocentio non ita peculiaria sunt, ut et in Siricium non minus apte conveniant. Si quid etiam ex loco, quem hi canones in archetypo obtinent, conficere licet; cum Telense seu Teleptense concilium, hoc est epistolam Siricii eo in concilio lectam proxime excipiant, nonnihil inde momenti accedit, quo eos vel Siricio vel Innocentio ascribamus.

IV. *Siricio tribuendos esse.* — Utri vero eorum attribuendi essent, primum eruditorum judicio permiseramus, immo quia Sirmondi Labbeique sententia in gratiam Innocentii præluserat, eos ad calcem scriptorum hujus pontificis, donec certius quid affulgeret, non prænotato ejus nomine, rejiciendos duxeramus. Verum ubi ad singulorum examen venimus, tam multa reperimus quæ Siricio specialiter congruant, ut illi hos negari non posse prorsus nobis persuasum fuerit. Primo quidem his canonibus traditionum commendatio, quemadmodum in epistola 6 Siricii, præmittitur, et adversus eos, qui novas inducunt observationes, idem Matthæi v, 9, locus utrobique adhibetur. Deinde ut in epistola v, n. 1, rursum Siricius traditiones commendans, se *non nova præcepta* imponere, sed *quæ apostolica et patrum constitutione sunt constituta* firmare profitetur; ita illic *singulis propositionibus* non constitutiones novæ, sed antiquæ *traditiones reddenda* dicuntur. Tertio locutiones in his canonibus identidem deprehenduntur Siricio peculiares, ut *qua de re* pro *quare; charissimi* cum adjuncto *mihi* pro simplici voce *charissimi; remissio peccatorum* pro *baptismo*. Præterea Siricius ad servandas traditiones monendo et rogando potius quam præcipiendo inducere solet. « Quod ne fiat ultra, » inquit epist. 6, n. 5, « admoneo. » Et epist. 5, n. 3: « Coinquinatis autem et infidelibus nihil mundum. Qua de re hortor, moneo, rogo, tollatur hoc opprobrium. » Huic autem mori concinit quod in his canonibus n. 6 audimus: « Quamobrem, mihi charissimi, hujusmodi hominibus coinquinatis et infidelibus mysterium Dei credere non oportere, veneratione religionis ipsa *suadente*, *moneo*. » Quis etiam in his canonibus n. 9, ista edicit: « Catholicorum episcoporum unam confessionem esse debere apostolica disciplina composuit (*fort.* commonuit). Si ergo una fides est, manere debet et una traditio, si una traditio est, una debet disciplina per omnes ecclesias custodiri? » Nonne ipse videtur esse Siricius, qui eadem pressius epist. 6, n. 5, perstringit in hunc modum; « Prædico ut unam fidem habentes, unum etiam in traditione sentire debeamus? » Longius esset omnia, in quibus hi canones atque aliæ Siricii epistolæ consentiunt, hic subjicere. Pauca ista præmonstrasse satis erit, quo quisque facilius ad deprehendenda cætera animum advertat. Quæ autem hi canones exhibent Siricio Innocentioque vel in verbis vel in sententiis communia, illa eo potiori jure ad Siricium referuntur, quod is Innocentium præcessit, atque hunc papam ab illo constat multa esse mutuatum.

V. *An his canonibus definiatur quæstio, quam Innocentius aut nondum a majoribus definitam.* — Movere illud potest, quomodo Innocentio epist. 6, c. 3, quæstione proposita *super his, qui post baptismum administraverunt, et aut tormenta sola exercuerunt, aut etiam capitalem protulere sententiam*, respondere licuerit, *De his nihil legimus a majoribus definitum*, si Siricio hos attribuamus canones, in quibus similis quæstio n. 13 definita videatur. Si tamen propius res dispiciatur, in utraque quæstione non levis est dissimilitudo. Nam de iis qui administraverunt, in epistola quidem Innocentii utrum ad communionem, in his autem canonibus an etiam ad episcopalem dignitatem admittendi sint, rogatur. In iisdem etiam illos nonnisi acta pœnitentia altaribus sociandos docemur, non ideo nominatim quia judiciale munus exercuerint, sed quia ludis ac spectaculis superstitiosis interfuerint aut etiam præfuerint. Sed et ex diversa respondendi ratione utriusque scripti non unum auctorem esse facile arguitur. Nam Innocentius definire nihil audet: in his autem canonibus nil relinquitur indefinitum.

VI. *Qua cautione castigati sint.* — Quare licet imperita scribentis manus conscriptionis hujus faciem non parum fœdaverit, non ita deformavit tamen, ut agnosci penitus non valeat. Castigatiores codices, quibus emacularetur, Sirmondus desideravit; sed horum ope destitutus abstinere nequiit manus, quominus nonnulla de suo sanare niteretur. Verum non in omnibus felix fuit conatus illius. Quapropter ad

archetypi fidem redire coacti, quæ potior lectio visa sit, suis in locis indicare satis habuimus. Neque tantum menda offendimus non pauca, sed et quædam loco mota suspicamur, maxime vero id quod n. 14, *de eo, qui avunculi sui uxorem duxerit*, quæritur.

VII. Notanda est rerum in Arelatensi II synodo tractatarum cum decretis in hac epistola expositis consensio. Canon illius 6 est *de eo qui sine conscientia metropolitani constitutus fuerit episcopus*; 7, *de iis qui se abscidunt*; 8, *de eo qui excommunicatum alterius sive clericum sive sæcularem recipere post interdictum præsumunt*; 52, *de puellis quæ se vovere Deo, si ad terrenas nuptias sponte transierunt.*

EPISTOLA X [a],

SEU CANONES SYNODI ROMANORUM AD GALLOS EPISCOPOS.

I. De virgine quæ jam in Christo velata est, similiter et quæ nondum velata est. — II. De eo quod sacerdotes bonorum operum plebibus forma fiant, et de castitate et continentia sacerdotum, et eo qui sæculo militaverit. — III. De consuetudine Ecclesiæ Romanæ in clerum; et de eo quod catholicorum episcoporum una confessio et una disciplina esse debet. — IV. De sacramento baptismatis, et oleo exorcisato, et eo qui sororem uxoris suæ duxerit uxorem. — V. De iis qui sæculi adepti sunt potestatem. De eo qui avunculi sui duxerit uxorem. De ordinatione clericorum. Et de clericis alienis. — VI. Similiter de episcopo transgrediente proprios terminos. De laicis excommunicatis, et ab alio episcopo clericis factis.

1. *Veritatis scientiam quærendam; precibus ad eam perveniri.* Dominus inter cætera salutaria mandata, quibus discipulos suos apostolos ad spem vitæ hortatur et commonet, sicut et nos evangelica verba docuerunt, hoc etiam mandat, ut solliciti ad veritatis scientiam pervenire laboremus. Et primo cognoscamus, incognita non inani profectu, sed labore et sollicitudine, et quæ nota necdum sunt, precibus investiganda. Notiora, [b] quæ vero difficilia sunt, instanter quærenda præcepit: quæ clausa sunt, fidei virtute pulsando, precibus petere sibi debere reserari. Sic enim scriptum est: *Petite, et dabitur vobis; quærite, et invenietis; pulsate, et aperietur vobis* (*Matt.* VII, 7). Nemo certe qui non petit accipit, et qui non quærit invenit; et qui non pulsaverit, eidem poterit aperiri. Qua de re quoniam quod ex fide petitur, A præstatur; et quod erat obscurum, manifestum in sensum dum investigatur acquiritur (*f.* aperitur); et quod erat clausum nobis, frequentius pulsando, id est rogando, revelatur [c]. *Omnis* enim *qui petit, accipit, et qui quærit invenit, et pulsanti aperietur* (*Ibid.*): unde eadem repetere mihi quidem non est molestum, vobis enim necessarium est.

2. *Traditionum mutatione in hæresim incurri. Quæstionibus propositis redduntur traditiones.* Scimus, fratres charissimi, multos episcopos per diversas ecclesias ad famam pessimam nominis sui humana præsumptione patrum traditionem mutare properasse, atque per hanc causam in hæresis tenebras cecidisse, dum gloriam hominum delectantur potius, quam Dei præmia habere, perquirere. Nunc igitur, B quia non explorandi causa, sed fidei confirmandæ gratia, sanctitudo vestra ex sedis apostolicæ auctoritate sciscitari dignata est seu legis scientiam seu traditiones, volens a nobis manifestari liberius quæstionum propositarum expositionem, quam sincere quæritis et desideranter [d] audite, quantum replebit divina dignatio, licet mediocri sermone, valido tamen sensu eloquar obtinenda, ad emendandas omnes quippe diversitates, quas (*f.* quibus) discordare arrogantia sola præsumpsit, Scriptura divina dicente: *Rejecistis mandatum Dei, ut traditiones vestras statuatis* (*Matth.* v, 9). Si ergo integra cupitis fide veras observationes agnoscere, dignamini quæ dico libenter advertere. Primo in loco pudoris mihi et pudicitiæ causa proponitur. Deinde congestæ C quam multæ quæstiones edentur. Singulis itaque propositionibus suo ordine reddendæ sunt traditiones.

Cap. 1. — 3. *De virgine velata quæ propositum mutarit, quid judicatum.* Quæritur de virginibus velatis et mutato proposito, quid exinde judicatum sit.

Si virgo velata jam Christo, quæ integritatem publico testimonio professa, a sacerdote prece fusa benedictionis velamen accepit, sive incestum commiserit [e] furtim, seu volens crimen protegere, adultero mariti nomen imposuit, tollens membra Christi, faciens membra meretricis (I *Cor.* v, 15); ut quæ sponsa Christi fuerat, conjux hominis diceretur: in hujusmodi muliere quot sunt causæ, tot reatus;

[a] In Fossatensi exemplari, præmisso Telensi seu Teleptensi concilio, subjicitur: *Expliciunt canones concilii Telensis. Incipiunt capitula synodi Romanorum. Epistola synodi.* Tum subnexis sex sequentibus titulis, quibus nec plures in antiquis collectionibus agnosci Sirmondus monet, quamvis ipse totam epistolam in capitula XVI distinguendam duxerit, subsequitur: *Incipiunt canones Romanorum. Dominus inter cætera*, etc. Eos unos, quos veteres libri exhibent, titulos in fronte repræsentamus. Ideo autem *canones Romanorum*, quia Romano in concilio conditi sunt, nuncupari arbitramur.

[b] Ita Foss. seu Colb. mss. At Sirm., *quæ vero difficiliora sunt*, prius omisso *notiora*: quæ quidem vox etiamsi superfluere videretur: verba tamen in archetypis expressa supprimere nobis non licere, nisi ubi manifesta est earumdem vocum repetitio, existimamus. Verum supervacanea non erit, si ita intelligatur hic locus: *Quæ autem notiora quidem, sed difficilia sunt.* D

[c] Sirm. et Lab., *revelatur: inde eadem... vobis autem necessarium.* Restauratur hic locus ex archetypi fide.

[d] Ita mss. Colb. At editi, *et desideranter audire quantum supplebit.*

[e] Apud Sirm., *commiserit seu furtum*, ubi Labbeus *furtum* expungendum sibi videri notat. In archetypo exstat *commiserit furtum*, sine particula *seu*. Legendum esse *furtim* constat ex his Innocentii epist. 2, n. 15: *Quæ Christo spiritaliter nupserunt, et velari a sacerdote meruerunt, si postea vel publice nupserint, vel se clanculo corruperint*: ut hic dicatur *furtim*, quod illic, ut et in ipsius Siricii epistola 1, num. 7, *clanculo*. Illicita illa puellarum Deo sacratarum fœdera etiam *incesta sacrilegaque* Gelasius papa epist. 11, c. 20, appellat.

integritatis propositum mutatum, velamen amissum, fides prima depravata, atque in irritum devocata. Quali hic et quanta satisfactione opus est! quam magna pœnitentia ejus quæ interitum carnis [a] incurrit! Non est parva culpa reliquisse Deum, et ivisse post hominem. Unde annis quam plurimis deflendum ei est, quo dignæ fructu pœnitentiæ facto possit aliquando ad veniam pervenire, si tamen pœnitens [b] pœnitenda faciat.

4. *Quid de puella nondum velata, quæ a proposito item exciderit.* Item puella quæ nondum velata est, sed proposuerat sic manere, licet non sit in Christo velata, tamen quia proposuit, et in conjugio velata non est, furtivæ nuptiæ appellantur, ex eo quod matrimonii cœlestis [c] præceptum non servaverit, amore properante ad libidinis cæcitatem. Et [d] his pœnitentiæ agendæ tempus constituendum est : quoniam seu rapta, seu volens, ad virum ire perverso ordine consensit, nec propinquorum, nec sacerdotum testimonio conrogato tales ad velamen solemnitatis ordinem casto pudore tenuerunt; sed contra veteris Testamenti præceptum fecerunt. [e] Quos lex lapidari præcepit (*Deut.* XXII, 24), et nunc cessante illa vindicta, spiritaliter feriuntur : ut Ecclesiam tamquam mortui introire non possint. Habent tamen pœnitentiæ agendæ locum, cito non habent veniam; quoniam si secundum legem proclamasset puella, et diu contestata [f] se continuisset, utique fuisset immunis a culpa. Utrisque ergo expedit sub eadem temporis constitutione a communione suspendi, dignam agere pœnitentiam, fletu, humilitate, jejunio, misericordia redimere crimen admissum.

CAP. II. — 5. *Episcopos, presbyteros ac diaconos continentiæ lege obstringi.* Et jam quidem frequenter [g] de talibus sermo noster per plures manavit ecclesias, maxime de sacerdotibus, quorum meritum exigit, ut bonorum operum suorum sint plebibus forma. Sed quantum intelligo, cum Scriptura dicat : *Loquere ad aures audientium,* [h] instruendo aures infundemus. Dum sæpe eadem repetunt, quæ neglectui habentur a singulis, vere hoc illud est quod dictum est [i] ad adulterum sexum : *Semper discentes, et numquam ad scientiam veritatis pervenientes* (II *Tim.* III, 7). Quando enim non servatur quod admonetur utiliter, apostolica mandata quasi ignota contemnuntur : judicium tamen de his quæ commiserunt non potest [j] immutari. Id de sacerdotibus. Primo in loco statutum est de episcopis, presbyteris, et diaconibus, quos sacrificiis divinis necesse est interesse, per quorum manus et gratia baptismatis traditur, et corpus Christi conficitur ; quos non solum nos, sed et Scriptura divina compellit esse castissimos, et patres quoque jusserunt continentiam corporalem servare debere; qua de re non prætereamus, sed dicamus et causam. Quo enim pudore [k] viduæ aut virgini ausus est episcopus vel presbyter integritatem vel conti-

[a] Hoc est, quæ peccatis carnis interiit.

[b] Hic addendum esse *non* Labbeus notat. Illic tamen et *pœnitenda* intelligere licet, quæ pœnitenti agenda præscribuntur, hoc est opera quibus crimini satisfaciat, illudque expiet, uno verbo dignos pœnitentiæ fructus.

[c] In ms. Colb., *cœlitus præceptio non servaverit more properante libidinis cæcitatem.* Mallemus, *matrimonii cœlestis propositum* (seu *sponsionem*) *non servaverit.* Ejusmodi puellam pariter Innocentius epist. 2, n. 16, pœnitentiæ agendæ obnoxiam dicit : *quia sponsio ejus a Deo tenebatur*, et cum Deo pactam fidem violavit.

[d] Orationis series postulat, *et huic.* Sed hic idem mutatur sermo, ut quod generatim de puellis præmissum fuerat, mox de una singulariter efferatur. Puella autem, quæ etiamsi rapta et vim passa, ire ad virum consensit, rea et pœnitentiæ obnoxia pronuntiatur duplici de causa : primo quia consuetum ordinem ad solemne velamen recipiendum non tenuit; deinde quia contra legis præceptum, sibi vim facienti non reclamavit. Primam rationem illustrat illud concilii Milevitani II, can. 26 : *Quicumque episcoporum, necessitate periclitantis pudicitiæ virginalis, cum petitor potens vel raptor aliquis formidatur... aut exigentibus parentibus, aut his ad quorum curam pertinet* (scilicet episcopis), *velaverit virginem* infra annos ætatis a concilio Carthaginensi III, can. 4, præscriptos, ei non obsit concilii hujus decretum. Alteram vero firmat non modo veteris legis præceptum, sed etiam constitutio Constantini imp. Cod. Th. lib. IX, tit. 24, leg. 1, sancientis : *Si voluntatis assensio detegitur in virgine, eadem, qua raptor, severitate plectatur.*

[e] Sirm. et Lab., *quas.* In archetypo *quod.* Series orationis postulat *quos :* referturque istud cum ad puellam, tum ad eum qui illi copulatus est, de quibus Deuteron. XXII, 24, præcipitur : *Lapidibus obruentur, puella quia non clamavit cum esset in civitate, vir quia humiliavit uxorem proximi sui.* Constitutionis Constantini ea de re verba proxime relata non repeto. Puellis, quæ proposito relicto ad nuptias transierint, quas pœnas decernant Gallicani canones, repete ex concilio Valentino ann. 374, can. 2, Turonensi I, c. 6, Aurelianensi V, can. 19, Matisconensi I, can. 12. Notandum puellas illas, quarum furtivæ arguuntur nuptiæ, hic velut vero matrimonio obstrictas Deo repræsentari, ideoque et post fractam fidem adulteras, et adulterarum pœna plectendas censeri. Quocirca dubium nemini videri debet, quin Romana ista synodus nihilo magis ratum haberi voluerit novum earum conjugium, quam mulieris, quæ vivente viro alteri nuberet.

[f] In. ms., *si continuisset;* hoc est, ni fallor, si continentiam servasset.

[g] Codex Colb., *de his talis sermo.* Hic supplenda videtur quæstio de clericis incontinentibus sedi apostolicæ ante proposita : ut quomodo initio capitis 1 præponitur, *quæritur de virginibus velatis,* etc., ita et huic anteponendum sit, *quæritur de sacerdotibus, presbyteris et diaconis qui continentiam non servant,* etc. De his autem Siricii sermo per plures ecclesias manavit, ipso etiam Innocentio teste epist. VI, n. 4.

[h] Idem codex, *instruendi.*

[i] In archetypo Colb. cum legatur, *adulterum sexum,* edidit Sirm., *adulter sexus.* Satius visum est, retenta archetypi lectione, adjicere præpositionem *ad,* quæ propter similem syllabam sequentem librario, ut sæpius solet, exciderit.

[j] Colb. ms., *immutando ea de sacerdotibus.* Illud *de sacerdotibus* e margine in textum videtur irrepsisse.

[k] Istud *quo pudore* jam antea in epistola 5 Siricii c. 9 legimus. Simili argumento Ambrosius epist. 63, ad Vercell., n. 64, eum merito a clero arceri docet, qui secunda conjugia sortitus sit : *Quomodo enim,* inquit, *potest consolari viduam, honorare, cohortari*

nentiam prædicare, vel suadere castum cubile servare, si ipse sæculo magis institit filios generare, quam Deo ? Adam, qui præceptum non servavit, ejectus foras paradisum, caruit regno (*Gen.* III, 23) ; et prævaricatorem putas posse ad regna cœlestia pervenire ? Ob quam rem Paulus dicit : *Vos jam non estis in carne, sed in spiritu* (*Rom.* VIII, 9) ; et item : *Et qui habent uxores, ita sint quasi non habeant* (I *Cor.* VII, 29) ? An qui populum (*Supple* sic) hortatur, et levitis et sacerdotibus blandiens, licentiam præberet opus exhibere carnale, idem ipse dicens : *Et carnis curam ne feceritis in concupiscentiis* (*Rom.* XIII, 14) ; et alibi : *Vellem autem omnes sic esse sicut me ipsum* (I *Cor.* VII, 7) ? Qui militat Christo, qui in sede residet magistri, qui militiæ disciplinam non potest custodire ?

6. *Idolorum cultores dæmoniis litaturi, continentiam sibi imperabant.* De his itaque tribus gradibus, quos legimus in Scripturis, a ministris Dei munditia præcepta est observari, quibus necessitas semper in promptu est. Aut enim baptisma tradendum est, aut offerenda sunt sacrificia (*Vide Siric. epist.* 1, *c.* 7, *et Innoc. ep.* 6, *n.* 2). Numquid immundus ausus erit contaminare quod sanctum est, quando quæ sancta sunt, sanctis sancta sunt ? Denique illi, qui in templo sacrificia offerebant, ut mundi essent, toto anno [a] in templo, solo observationis merito, permanebant, domus suas penitus nescientes. Certe idololatræ, ut impietates exerceant, et dæmonibus immolent, imperant sibi continentiam muliebrem, et ab escis quoque se purgari volunt : et me interrogas, si sacerdos Dei veri, spiritalia oblaturus sacrificia, purgatus perpetuo debeat esse, an totus in carne carnis curam debeat facere ? Si commixtio pollutio est, utique sacerdos stare debet ad officium cœleste præparatus, qui pro alienis peccatis est postulaturus ; ne ipse inveniatur indignus. Nam si ad laicos dicitur : *Abstinete vos ad tempus, ut vacetis orationi* (I *Cor.* VII, 5), et illi creaturæ utique [b] generatione deserviunt ; sacerdotes tale possunt habere nomen, meritum habere non possunt. Quod si ita est, et permanet præsumptio, oportet [c] jam episcoporum vel presbyterorum aut diaconorum disci ne cum publicanorum vita sociari. Quamobrem, mihi [d] charissimi, hujusmodi hominibus coinquinatis et infidelibus, in quibus sanctitudo corporis per illuviem et incontinentiam videtur esse polluta, mysterium Dei credere non oportere, veneratione religionis ipsa suadente, moneo. Hos enim et ratio justa secernit. Audiant certe : *Quoniam caro et sanguis regnum Dei non possidebunt, neque corruptio incorruptelam* (I *Cor.* XV, 50). Et audet presbyter aut diaconus animalium more subjacere [e] contendere ?

7. *Eum qui fidelis militat sæculo, ab injustitia non esse immunem.* Item de eo, qui militaverit jam fidelis militiæ sæculari, notitia est quod utatur publica libertate. Quis enim potest illum custodire ? quis negare vel spectaculis interfuisse, vel pecuniæ utilitate impulsum a violentia et injustitia immunem esse [f] non potuisse ?

ad custodiendam viduitatem, servandam maritis fidem, quam ipse priori conjugio non reservaverit : quia nimirum *debet præponderare vita sacerdotis, sicut præponderat gratia.*

[a] Siricium epist. 1, n. 9, jam audivimus eadem de causa sic disserentem : *Cur etiam procul a suis domibus, anno vicis suæ, in templo habitare jussi sunt sacerdotes ? Hac videlicet ratione, ne vel cum uxoribus possent carnale exercere commercium, ut conscientiæ integritate fulgentes, acceptabile Deo munus offerrent.* Ex eo etiam, quod de sacerdotum gentilium continentia subjicitur, illustratur quod idem papa epist. 5, n. 3, adversus incontinentes Christi ministros eloquitur, atque ait : *Tollatur hoc opprobrium, quod potest jure etiam gentilitas accusare.* Et id quidem, quod nunc apertius explicat, confirmatur tum his Clementis Alexandr. lib. III Strom. pag. 446 : *Qui colunt idola, a cibis et venere abstinent..... Magis quoque curæ est, qui angelos colunt et dæmones, simul a vino et animatis et rebus abstinere venereis ;* tum istis Porphyrii lib. IV de Abstin. : *Tempus vero, quod requiritur ad perfectionem sacrorum rituum, aliquot dierum complectitur numerum, aliud quidem duorum et quadraginta, aliud hoc constituto termino brevius vel longius : inter quos septem numquam prætermittuntur dies, quin omnino sit eis* (Ægyptiis sacerdotibus) *ab animatis abstinendum, item ab omni olere et legumine ; sed omnium maxime a consuetudine femineæ veneris.* Vide Julian. imp. Or. 5, pag. 325. Sed vel hinc nemo non animadvertit, quanta sit epistolæ 1 Siricii, necnon quintæ et horum canonum consensio.

[b] Apud Sir., *generationi*. Retinemus cum archetypo, *generatione*, vocabulumque *creaturæ* in dandi casu intelligimus.

[c] Ita archetypum, nisi quod in eo bis exstat *discine cum publicanorum*. Locum hunc Sirm. ita edidit, *jam episcopis vel presbyteris aut diaconis dici, ne cum publicanorum vita socientur.* Magis ad synodi mentem eum ita castigatum exhibere licuisset, *jam episcoporum, presbyterorum aut diaconorum discrimen cum publicanorum vita sociari.* Hoc est, si episcopis, presbyteris aut diaconis incontinentia permittitur, oportet illos in eodem vivendi genere cum publicanis sociari. Infra autem, n. 8, *publicanus* sumitur ut solutus a lege, et ei opponitur qui *observat legem.*

[d] Pro verbo *charissimi*, in archetypo exstat nota *cc*, quam Sirmondus *contra* interpretatus, totum hunc locum mutare atque interpolare coactus est in hunc modum : *Nihil contra hujusmodi homines coinquinatos et infideles, in quibus sanctitudo corporis per illuviem et incontinentiam videtur esse polluta, negotium est, talibus* (quæ tria verba de suo addidit), *mysterium Dei credi non oportere.* In nostra autem lectione cum ad archetypi fidem prorsus exacta sit, nihil desiderandum restat. Nec temere hic a nobis lectum esse *mihi charissimi*, suadet illud epistolæ 6 Siricii n. 3 : *De quo, charissimi mihi, ante*, etc. Atque hujus generis locutionem Siricii propriam esse confirmat similis ejusdem epist. 7, n. 3 : *Qua de re necessarium satis fuit, dilectissimi mihi, quæ hic gesta sunt.* Porro sicut simplex *c* recte interpretari licet *charissime*, ita duplex *cc* pro voce *charissimi* positum intelligere est. Notariis enim id usu venit, ut littera, quæ simplex vocem singulari numero significat, geminata eamdem vocem plurali numero designet. Ita in consularibus notis simplex *v* pro *viro*, duplex pro *viris* scribi solet.

[e] Supple, *corruptioni*, scilicet carnis. Sirmondus pro *contendere*, substituit *contentioni :* præter archetypi fidem ac sensum orationis.

[f] Particulam negantem, quæ in ms. deerat, Sirm. supplevit. Vide Innocentii epistolam 2, n. 11.

Cap. III.—8. *Qui baptizatus in fornicationem lapsus sit ad clerum non admittendum esse.* Romana Ecclesia hoc specialiter custodit ; ut si (*forte*, et si) quis parvulus baptizatus integritatem corporis servaverit, admitti potest ad clerum : vel si quis major fuerit baptizatus, et manserit pudicus, unius uxoris vir, potest clericus fieri, si nullis aliis criminum vinculis alligetur. Cæterum qui corruperit carnalibus vitiis aquæ sacramenta, post fornicationem etiamsi ducat uxorem, quomodo poterit ad dimittenda peccata ministerio assistere, qui prioris vitæ repetierit cæcitatem ? Quomodo illud intelligitur : *Neque fornicarii, neque idololatræ* et cæteri tales, *regnum Dei possidebunt* (II *Cor.* VI, 9), si nihil inter bonum et malum, inter justum et impium, inter luxuriosum et pudicum, inter observantem legem et publicanum [a] intersit ? Fient tales ministri vel sacerdotes, non Christi, sed potius antichristi. Et ubi est illud, quod sanctus apostolus Paulus, qui formam tulit episcopi, qualis esset ordinandus, ante præcepit dicens : *Irreprehensibilem, sobrium et pudicum*, etc. (I *Tim.* III, 2). Quomodo hic irreprehensibilis est, qui baptismi sacramentum non potuit custodire ? O nova præsumptio ! Huic sacerdotium creditum, cui pœnitentia sola debetur, ut sordidata longa satisfactione veniæ beneficia possit abluere.

9. *Ut una fides et una traditio sit.* Catholicorum episcoporum unam confessionem esse debere apostolica disciplina composuit (*forte* commonuit). Si ergo una fides est, manere debet et una traditio. Si una traditio est, una debet disciplina per omnes ecclesias custodiri. Diversis in regionibus quidem Ecclesiæ sunt conditæ : sed per omnem mundum unitate fidei catholicæ una est appellata. Nam et sic legimus : *Una est columba mea, una est perfecta mea, una est* [b] *genitrici suæ* (*Cant.* I, 8). Non ergo nunc de baptismi ratione, sed de tradentium persona rescribo.

Cap. IV. — 10. *Extra Pascha presbyteris licet baptismum conferre. Diaconis non concessa eadem licentia.* Paschæ tempore presbyter et diaconus per parœcias dare [c] remissionem peccatorum, et ministerium implere consueverunt, etiam præsente episcopo in fontem quoque ipsi descendunt ; illi in officio sunt, sed illius [d] nomini facti summa conceditur. Reliquis vero temporibus, ubi ægritudinis necessitas consequi unumquemque compellit, specialiter presbytero licentia est per salutaris aquæ gratiam dare indulgentiam peccatorum, quoniam et munus ipsi licet causa mundationis offerre, diaconis vero nulla licentia invenitur esse concessa : sed quod semel forte contigit usurpare, per necessitatem dicuntur excusari, nec postea in securitate [e] commissuri.

11. *Olei exorcisati num iterari debeat inunctio.* De oleo sane exorcisato [f] capiendusne brevis numerus dierum, multus in hoc proficit sermo. Fide enim

[a] Etiam verbum *intersit* in ms. desideratur. Si expendantur tum ratio, cur in proximo capitulo 7 arceatur a clero qui sæculo militaverit, tum quod in isto exigitur ab iis, qui aut majores aut parvuli baptizati sunt, ut ad clerum promoveri valeant ; et hæc cum iis quæ Siricius epist. 2, n. 12 et 13, edisserit conferantur : inde magis ac magis patebit horum canonum cum doctrina Siricii consensio, et quam sollicita semper fuerit Ecclesia de ministrorum suorum integritate, manifestum fiet.

[b] Sirm., *genitrix mea*. Lectionem archetypi revocamus, cui non modo suffragatur Vulgata nostra, sed et Cyprianus sub initium libri de unitate Ecclesiæ, ubi quomodo *Ecclesia quoque una est, quæ in multitudinem latius incremento fecunditatis extenditur*, eleganter explicat.

[c] Lab. póst Sirm. et ms. Colb., *repromissionem*. Præferimus cum antiqua collectione Andegavensi *remissionem*. Hic autem ea intelligitur peccatorum remissio, quæ per baptismum conferitur. Quo sensu mox dicitur presbytero extra Pascha et Pentecosten licere *dare indulgentiam peccatorum*.

[d] Colb. ms., *nomen*, emendatur ex antiqua collectione Andegav. quæ et antea *episcopi*, loco *illius*, majoris perspicuitatis ergo præfert. Baptizandi jus ad episcopum proprie pertinere veterum doctrina est. Hinc Ignatius ad Smyrnenses scribit : *Non esse licitum sine episcopo neque baptizare*. Tertullianus lib. de Baptismo c. 17 : *Dandi quidem* (baptismi) *habet jus summus sacerdos, qui est episcopus : deinde presbyteri et diaconi, non tamen sine episcopi auctoritate*. Hieronymus dial. adversus Lucif. : *Unde venit ut sine episcopi jussione neque presbyter neque diaconus jus habeant baptizandi*. Quocirca ubi episcopum abesse contingebat, baptisma Paschæ et Pentecostes diebus solemniter conferri consuetum omittebatur, ut noster Edmundus Martene tom. I de Antiq. Eccl. rit. pag. 14 et seq. pluribus probat. Cum igitur proxime dicuntur presbyter et diaconus in fontem descendere *etiam præsente episcopo*, subaudiendum est *et jubente* : sicut cum concilium Ilispalense II, anno 619 celebratum, c. 17 decernit, *neque eorum episcopo licere presbyteris in baptisterium introire, nec præsente antistite infantem tingere*, subintelligendum *nisi ipse jubeat*. Eo pacto componuntur atque conciliantur illa decreta in speciem pugnantia, et antiquæ disciplinæ probantur consentanea. Et merito quidem hic episcopi *nomini summa conceditur facti*, quod ejus jussu presbyter ac diaconus tamquam ipsius ministri agunt.

[e] Ita corrigendum duximus, cum prius legeretur *commissum*. Hic specialis vindicatur presbyterorum potestas, ubi vel ægrotos vel etiam infantes baptizari quædam ratio postulat, reprimiturque insolentia diaconorum, qui parem sibi potestatem arrogabant. Eis tamen non negatur, ubi necessitas urget, baptismi conferendi facultas. Tum enim hoc, inquit Tertullianus de Bapt. c. 17 : *Etiam laicis jus est..... Proinde et baptismus, æque Dei census, ab omnibus exerceri potest*. Nec negari potest in ipso nascentis Ecclesiæ ortu sacramentum hoc a Philippo diacono fuisse collatum. Sed cavetur, ne quod necessitate postulante diaconis licet, ipsi speciali jure sibi licere arbitrentur.

[f] In exemplari Colb., *capiendusne*. Totum hunc locum ad mentem synodi nostræ rescribere sic liceret : *Capiendo* (ceu *suscipiendo*), *nec brevis numerus dierum, nec multus proficit, sed sermo*, quo scilicet istud oleum benedicitur. Ut enim Cyrillus Jeros. catech. 2 mystag. explicat : *Exorcisatum hoc oleum, per invocationem Dei et orationem, tantum virtutem consequitur, ut non modo urendo peccatorum vestigia expurgei, verum etiam omnes invisibiles mali spiritus potestates in fugam agat*. Qui autem oleo exorcisato perfusi fuerant, eodem Cyrillo ibid. teste, deducebantur *ad sanctum divini baptismi lavacrum : atque tunc unusquisque interrogabatur, an crederet in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti*, idque confessi ter

quis sua plena purgatur. Si enim chrisma infusum capiti gratiam suam toto (*pro* toti) corpori impertit, nihilominus et tertio scrutinio scrutatus si oleo fuerit [a] contactus, non sæpe, sed semel, virtute sua Deus operatur in tempore.

12. *Sororem uxoris suæ non licere ducere uxorem.* De eo, qui sororem uxoris suæ duxerit uxorem, in lege veteris Testamenti scriptum est, ad suscitandum semen defuncti fratris oportere ducere uxorem, ita tamen, si liberos ex [b] eadem minime reliquisset (*Deut.* XXV, 5). Inde est enim quod Joannes Baptista contradixit Herodi, quoniam non licebat ei accipere uxorem, quia de fratre reliquerat filios (*Matth.* XIV, 4). Tamen propter virilem generationem Legis constitutio imperabat hoc fieri a viro: de feminis nusquam est lectum, sed forte præsumptum. Nam Lex dicit: *Maledictus qui cum uxoris suæ sorore dormierit* (*Levit.* XVIII, 18). Numquid qui duas habuit uxores Jacob uno in tempore sorores causa mysterii, et concubinas, et omnes qui nati sunt, patriarchæ sunt appellati, nunc jam [c] Christianus habere non permittitur? Numquid qui uxores et concubinas habuerunt? Sed nunc hoc non patitur fieri Testamentum, ubi amplius de integritate tractatur, et castitas Christo docente laudatur, cum dicit: *Non mergebantur.* Unde hanc exorcisati olei unctionem ad postremi scrutinii ritus pertinere, ipsoque die, quo baptisma, collatam esse intelligitur. Cum autem hujus ritus idem ordo in hoc decreto notetur, ac nominatim tertio scrutinio baptizandum oleo exorcisato perfundi doceatur; sequitur ut olim in Ecclesia Romana non, ut vulgo putant, septem scrutinia, sed tria duntaxat fierent, atque horum postremum non feria quarta, quæ baptismum antecederet, sed ipso die, quo baptismus, celebraretur.

[a] In ms. Colb., *contractus*; quod recte a Sirm. emendatum. Hic duo docemur: primum unam sufficere unctionem; alterum, nec opus esse, nec Romæ aut in Galliis usu receptum fuisse, ut ea totum corpus perfundatur. Eo pacto refutantur, qui hujusmodi unctionem in unoquoque scrutinio iterandam putabant, simulque non necessarius ostenditur Græcorum ritus, de quo Cyrillus Jeros. catech. 2 sic ad Neophytos loquitur: *Jam exuti, exorcisato oleo a summis capillis ad infimos usque peruncti estis, et participes effecti fructiferæ illius oleæ Jesu Christi.* Et Chrysostomus in Coloss. homil. 6: *Ungitur sicut athleta stadium ingressus... non sicut olim sacerdotes solo capite, totus autem ungitur.* Gallos autem Romanis morem gessisse, atque olei exorcisati inunctionem repeti noluisse liquet ex eo quod anno 441 in concilio Arausicano I can. 2. constituerunt: *Nullum ministrorum, qui baptizandi recepit officium, sine chrismate usquam debere progredi,* ut nimirum si cujusquam baptizandi necessitas incumberet, inunctionis ritus nequaquam præteriretur. Unde et ibidem volunt, ut *de eo qui in baptismate quacumque necessitate faciente non chrismatus fuerit, in confirmatione sacerdos commoneatur.* Ad rem nostram propius facit quod ibidem sanciunt, *Inter nos placuit semel chrismari.* Cujus rei hanc rationem subjiciunt: *Nam inter quoslibet* (istud convenit, quod) *chrismatis ipsius nonnisi una benedictio est: non ut præjudicans quidquam, sed ut non necessaria habeatur repetita chrismatio.* Quibus verbis unctionem iterari se nolle profitentur, non quia noceat repetita, sed quia minime necessaria sit. Primam hujus canonis partem repetunt et in Arelatensi II synodo can. 27. Nec movere debet quod Galli loco mox citato de *chrismate*, hic *omnes capiunt verbum Dei, sed quibus* [d] *datur* (*Matth.* XVII, 11).

CAP. V.—13. *Eos qui jus sæculi exercuerunt ad altaris ministerium admittendos non esse. Simoniacæ labes et gratia popularis in electionibus cavendæ.* Eos præterea, qui sæcularem adepti potestatem, [e] jus sæculi exercuerunt, immunes a peccato esse non posse manifestum est. Dum enim et gladius exseritur, aut judicium confertur injustum, aut torn enta exercentur pro necessitate causarum, aut parandis exhibent voluptatibus curam, aut præparatis intersunt, in his se, quibus renuntiaverunt, denuo sociantes, disciplinam observationis traditam mutaverunt. Multum sibi præstant, si non episcopatum affectent; sed propter hæc omnia agentes pœnitentiam, certo tempore impleto, merentur altaribus sociari. Nicænum concilium (*Leg.* in Nicæno concilio), divino spiritu annuente, dum fidei confessio fuisset jure firmata, etiam apostolicas traditiones episcopi in unum congregati ad omnium notitiam pervenire voluerunt, definientes (*can.* 1) inter cætera, neque abscisum clericum fieri, quoniam abscisus et mollis non introibunt in sanctuarium Dei (*Deut.* XXIII, 1). Deinde (*Vide Nic. can.* 2 *et* 9, *necnon Siric. epist.* V, *n.* 2 *et* 3) post baptismi gratiam, post autem Romana synodus de *oleo* loquatur. Nam oleum exorcisatum etiam *chrisma* a Romanis vocitatum liquet ex his Innocentii epist. 2, n. 6, ubi primum ait: *Presbyteris chrismate baptizatos ungere licet,* ac postmodum subdit, *non tamen frontem ex eodem oleo signare.*

[b] Ita ms. Colb. At Sirm. *ex eodem*: cui favere non diffiteor quod proxime subjicitur, *quia de fratre reliquerat filios.*

[c] Sirm. *christianis*, et superius, *numquid duas*, et inferius, *numquid uxores*, omisso utrobique *qui* præter archetypi fidem. Si autem pro illis *qui* substituatur *quia*, integra fiet oratio in hunc modum: *Numquid, quia duas habuit uxores Jacob... et concubinas, et* (ex eo) *omnes qui nati sunt, patriarchæ sunt appellati; nunc jam christianus habere non permittitur? Numquid quia* (alii) *uxores et concubinas habuerunt, sed nunc*, etc. Sed si latent ipsa verba, argumenti sensus et Siricii sententia non latet, quædam scilicet antiquis concessa esse, quæ christianis prohibentur.

[d] In ms., *dicitur*. Quæstioni huic, de eo qui sororem *uxoris suæ duxerit*, adjungenda videtur altera, *item de eo qui avunculi sui uxorem duxerit*, cum subnexa responsione, quæ habentur initio num. 14. Hæc quippe loco mota esse inde manifestum est, quod secunda pars ejusdem numeri 14, non cum proxime antecedentibus, sed cum postremis numeri 13 verbis cohæreat.

[e] Ita archetypum Colb. At Sirm., *hujus sæculi exercuerunt negotia.* De iis maxime sermo hic est, qui juri dicendo addicti sunt, *qui* nimirum, ut et Innocentius epist. 6, n. 6, loquitur: *Post baptismum administraverunt, et aut tormenta sola exercuerunt, aut etiam capitalem sententiam protulerunt,* quos ve *quibuslibet publicis functionibus occupatos* idem epist. 2, n. 14, dicit. Is autem papa quamvis hujusmodi viros a peccato immunes esse posse epist. 6 non neget, ab eo tamen difficillime liberari epist. 2 docet: *Constat enim,* inquit ibi, *eos in ipsis muniis etiam voluptates exhibere quas a diabolo inventas esse non dubium est, et ludorum vel munerum apparatibus aut præesse, aut interesse.* Quocirca canones isti cum epistola 6 Innocentii, ubi judices illi excusantur, non magis pugnant, quam cum ejusdem epistola 2.

indulgentiam peccatorum, cum quis sæculi militia fuerit [a] gloriatus, vel illum qui purpura et fascibus fuerit delectatus, ad sacerdotium aliqua irruptione minime admitti jusserunt. Meritis enim et observationibus legis ad istiusmodi dignitatis culmen accedunt, non Simonis pecunia, vel gratia quis poterit pervenire, aut favore populari. Non enim quid populus velit, sed quid evangelica disciplina, perquiritur. Plebs tunc habet testimonium, quoties [b] ad digni alicujus meritum, reprehendens auram favoris, impertit.

14. *Avunculi sui uxorem ducere non licere.* Item de eo qui avunculi sui uxorem duxerit. Avunculi filiam ducere non licet : quoniam similis causa generando per gradus patris extranei separatur atque purgatur : retro autem redire fas non est. Nam qui torum patris vel matris violare præsumpserit, non hoc conjugium, sed fornicatio nominatur.

Quisque tamen contra canones apostolicos facere usurpaverit, privandus est sacerdotio, si pertinax fuerit : si vero correxerit, aboleatur quod præsumptum est, ut possit reconciliatus nostrum habere consortium.

15. *Ne laici ad episcopatum provehantur.* De ordinationibus maxime observandum est, ut semper clerici [c] fiant episcopi. Sic enim scriptum est : *Et hi primo probentur, et sic ministrent* (1 *Tim.* III, 10). Qui non probatur tempore præcedenti in minori officio ministrasse, quomodo præponitur clero? Non est auditum, necdum tyronem militum imperium suscepisse. Is ergo debet fieri, quem ætas, tempus, meritum commendat, et vita. Aut quare Apostolus neophytum prohibet (*Ibid.* 6), et cito manus alicui imponi non permittit (1 *Tim.* V, 22)?

16. *Ne migretur de ecclesia ad ecclesiam.* — Item de his qui de ecclesia ad ecclesiam transeunt jussi sunt haberi, quasi relicta uxore ad alienam accesserint; quod impunitum esse non possit. Talem episcopum, invasorem pudoris alieni, episcopatu privari [d] jusserunt.

[a] Quædam est non modo sententiarum, sed et verborum consensio in his Siricii epist. 6, n. 3 : *Qui cingulo militiæ sæcularis astricti olim gloriati sunt, qui postea quam pompa sæculari exsultaverunt* (*his se*, ut mox dicebatur, *quibus denuo renuntiaverunt sociantes*) *aut negotiis reipublicæ optaverunt militare, aut curam mundi tractare, adhibita sibi quorumdam manu, et proximorum favore stipati, hi frequenter ingeruntur auribus meis, ut episcopi esse possint.* Hic quærere est, ubi Nicæni Patres hujusmodi viros *ad sacerdotium aliqua irruptione minime admitti jusserint.* Id quidem, quod Nicæno canone 2 adversus neophytos præcipitur, adversus illos etiam videri potest dictum. Sed si illic *aliqua irruptio* id est quod præpropera festinatio, non dubitabimus hic recenseri Sardicensem canonem 13 quem et in Morbacensis monasterii vetere codice *Nicænum* inscriptum observavimus. In hoc quippe canone, qui Græcis decimus est, legimus : *Si forte aut dives, aut scholasticus de foro, aut ex administratione episcopus fuerit postulatus, ut non prius ordinetur nisi... per longum tempus examinata sit vita, et merita fuerint comprobata.* Simoniacæ labis corruptionem pariter notat idem Sardicense concilium can. 2, ubi ait : *Cum manifestum sit potuisse paucos præmio et mercede corrumpi..... ut clamarent in Ecclesia, et ipsum petere viderentur episcopum.*

[b] Restituendum videtur *quoties id ad digni alicujus meritum, repellens auram favoris, impertit. Quisque* (ceu *Quisquis*) *tamen contra canones apostolicos facere usurpaverit*, rejectis intermediis, uti prædiximus, post quæstionem n. 12 propositam. Hoc loco ita restituto, valde nutat Hincmari lib. LV Capitum, cap. 24, p. 473, argumentum, quo Chalcedonenses canones, trigesimo octavo excepto, a Gregorio Magno receptos inde probari putat, quod is papa homil. 17 in Evang. n. 13 asserat : *Sacri canones Simoniacam hæresim damnant, et eos sacerdotio privari præcipiunt, qui de largiendis ordinibus pretium quærunt.* Quod enim ibi archiepiscopus idem subjicit : *Nulla quippe synodus ex hac re decrevit judicium præter Chalcedonense concilium*, ex hoc loco refellitur. Apostolorum quoque canone 30, qui Græcis 28 est, Simoniacæ hæreseos rei sacerdotio privantur.

Non hunc tamen canonem, sed eam potius regulam ac formam, quam apostolus Petrus Simonis nequitiam acriter increpando Ecclesiæ sequendam præscripsit, *canonum apostolicorum* nomine hic indicari existimarim. Superius *apostolicas traditiones* nuncupari audivimus Nicænos canones, quia apostolicis scriptis vel exemplis nitantur. Ipsi Nicæni patres can. 2, quo quæ in ordinandis recens ad fidem conversis *per necessitatem aut alias urgentibus hominibus adversus ecclesiasticam regulam facta sunt*, deinceps fieri vetant, decreti sui hanc rationem subjiciunt : *Manifesta est enim apostolica scriptura, quæ dicit, Non neophytum.* Iidem patres can. 9 et 10, ut similia loca mittam, alicujus criminis convictos a clero removent : quia *tales regula non admittit* : ideo vero tales a *regula* seu regula ecclesiastica non admitti docent, *quia quod irreprehensibile est* (ex præscripto Apostoli *irreprehensibilem* volentis) *Ecclesia catholica defendit.* Eo pacto cum Nicænæ, tum huic Romanæ synodo synonyma sunt *regula, ecclesiastica regula, apostolica scriptura, apostolicæ traditiones*, et *apostolici canones.*

[c] Hoc est ut episcopi e clericorum numero, ubi diu probentur, non e laicorum turba assumantur. His consentanea sunt quæ Nicænum concilium can. 2, Sardicense can. 13, Siricius tum epist. 1 n. 13 et 14, tum maxime epist. 6 n. 2 et 5, præcipiunt. Ambrosius e laico episcopus factus ordinationem suam quomodo excuset, vide in epistola ipsius 63, ad Vercell., n. 65.

[d] Et hic indicari videtur Sardicensis canon 1. Nam licet Nicæno canone 15 caveatur, ne quis episcopus de civitate in civitatem transeat, nequaquam tamen jubet eadem synodus, ut translatus episcopatu privetur, sed ut *propriæ ecclesiæ restituatur in qua ordinatus est.* At *nec laicam communionem habeat qui talis est*, canon Sardicensis præcipit. Ad hunc quoque canonem pro Nicæno habitum respicere videtur Hieronymus epist. 83, ad Oceanum, ubi scribit, *hoc in Nicæna synodo a patribus esse decretum, ne de alia ad aliam ecclesiam episcopus transferatur; ne virginalis pauperculæ societate contempta dilioris adulteræ quærat amplexus.* Ibi certe concinit ille Doctor his Osii in mox dicto canone : *Cum nullus in hac re inventus sit episcopus, qui de majore civitate ad minorem transiret.* Rufinus quidem Nicænum canonem 15 ita Latine convertit : *Ne de inferiori civitate ad majorem ecclesiam transire quis ambiat, sive episcopus, sive etiam alius.* Sed ab ipso verba *inferiori* et *majorem* de suo addita, seu potius e Sardicensi canone 1 repetita esse nemo negaverit. Vide Julii I epistolam 1, num. 5. Porro *uxores pontificum dici ecclesias* usu in Ecclesia semper receptum. Hoc diserte docet Hieronymus epistola laudata. Hoc Romana nostra synodus confirmat. Eam ob rem Novatianus a Cypriano epist. 2, ad Cornelium, n. 1, *adulterum et*

Cap. VI. — 17. *Ne clerici ab episcopo suo abjecti, ab aliis recipiantur aut promoveantur.* — Item de clericis alienis ex synodo frequenter est pertractatum atque firmatum, et ratio justa constringit, clericos abjectos de ecclesia ab episcopo suo, nec laicam communionem accipere posse in aliena ecclesia, (*Supple* quod) confirmatum manifestatumque est, quando etiam innocens, sine litteris episcopi sui, vel formata, in aliena ecclesia non potest ministrare (*Vid. Siric. epist.* 5, c. 3 et 6). Si quis autem in injuriam sacerdotis hoc facere præsumpserit, et condemnatum clericum suscipere vel promovere voluerit, sciat se communicasse peccatis alienis, et incurrisse sententiam Apostoli, qui ait, reos esse *non solum qui faciunt* contra legem, *sed etiam qui consentiunt facientibus* (*Rom.* I, 32). Unde dimittendum est conscientiæ illius, qui de suo clerico judicavit, sciens quod de judicio ejus Deus sit judicaturus in posterum. Audi Dominum dicentem, *Quæ enim vultis ut faciant vobis homines, eadem et vos facite illis* (*Matth.* VII, 12). Quid in injuriam fratris et consacerdotis armaris? Cum enim reus non solum suscipitur clericus [a] abjectus, sed etiam promovetur, injustus judicatur episcopus. Hoc quisque facit, sciat se a Catholicorum societate [b] seclusum, et communionem sedis apostolicæ non habere jam posse.

18. *In alieno territorio ordinationes celebrare non licere.* — Illud præterea satis grave est, et contra episcopalem moderationem sedis apostolicæ, suos fines excedere, ad alienam tendere regionem, festinare, ordinationes celebrare [c] præceptis metropolitanum episcopum non permittere in sua diœcesi una cum vicinis episcopis, sicut CCCXVIII episcopi confirmarunt, tres vel eo amplius sacerdotes episcopum ordinare debere, vel subrogare dignissimum (*Vid. epist.* I *Siric.* n. 14). Si quis certe fines alterius possessionis invaserit, reus violentiæ judicatur. Quid curritur? quid festinatur, ut regula ecclesiastica conculcetur? Leges humanæ tenentur: et divina præcepta contemnuntur. Præsens gladius formidatur et temporalis pœna: divina vero vindicta, quæ habet flammas gehennæ perpetuas, [d] negligitur. Videritis quæ præsumptio fecerit. Ex hoc si quis in aliena diœcesi ausus fuerit ordinationem facere præsumere, sciat se de statu suo posse periclitari, qui alienam ecclesiam invadere præsumpserit. Non [e] est sæculare aliquid, non sunt mundanæ promotiones. Audiamus Apostolum dicentem: *Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis: te ipsum castum custodi* (1 *Tim.* v, 22). Si legantur scripta, et timor divinus sit in nobis, omnia scandala poterunt separari, et unanimitas per omnes fratres placida plenaque caritate consistere.

19. *Ne laici ab episcopo suo excommunicati, ab alio in clerum provehantur.* — Præterea etiam laici dicuntur a communione cognita causa seclusi, et ab alio episcopo clerici facti: hoc jam super omne malum est. Unde aut conventi corrigant qui talia ausi sunt facere, ita ut removeantur quibus indigne ordo collatus est, aut ad nos nomina eorum deferantur, ut sciamus a quibus nos abstinere debeamus (*Concil. Nicæn.* c. 5).

20. Sciat ergo vestra sinceritas, quod si hæc omnia suo ordine ut certa sunt [f] observentur, nec Deus offenditur, nec schismata generantur, nec hæreses exsistunt: sed dicent Gentes, quoniam vere Deus in nobis est Christus Dominus noster qui vivit et regnat [g] apud Patrem cum Spiritu sancto, in æterna sæcula sæculorum. Amen.

Præterea duæ sunt Ambrosii episcopi Mediolanensis, scilicet 85 et 86, Siricio inscriptæ familiares epistolæ, ex quibus quanta illi præsuli cum papa nostro amicitia intercesserit, posset comprobari, si

contrarium caput, et epist. 52, atque alibi, *adulter atque extraneus episcopus* vocitatur, quia Romanam ecclesiam legitimo ejus sponso Cornelio rapere volebat. Eadem de causa Chrysostomus apud Innocentium epist. 4, n. 2, cum Theophilo Alexandrino expostulat, quod Constantinopolitana cum ecclesia sic ageret, *quasi vidua esset nec episcopum haberet*. Hinc *adulteri* vocitati sunt episcopi, qui aut in alterius invaserunt ecclesiam, aut propria relicta aliam occuparunt. Cujus rei exempla legere est in concilio CP. sub Mena act. 1, p. 19, et in Vigilii papæ epistola 19, etc. Sed luculentus est ea de re locus Alexandrinæ synodi anno 340 habitæ, jam supra pag. 364 not. *a* relatus.

[a] Sirm. *clericus alienus.... Hoc quicumque.* Ex archetypo Colb. restituimus, *clericus abjectus.... Hoc quisque*, quasi *Hoc quisquis*. Ut clerici ab episcopo suo abjecti ab aliis non recipiantur, constituunt concilium Nicænum can. 5 et Sardicense can. 16. Item Nicænum concilium can. 17 et Sardicense can. 18 et 19, clericum alterius sine episcopi ipsius consensu promoveri seu ordinari prohibent, ratamque haberi nolunt hujusmodi ordinationem.

[b] In vulgatis, *exclusum*. Restituimus ex mss., *seclusum*. Legimus in superiore Siricii epistola 5, n. 4: *Si quis sane inflatus mente carnis suæ, ab hac canonis ratione voluerit evagari, sciat se a nostra communione seclusum.*

[c] Pro *præceptis*, quod archetypum mendose præ se fert, substituit Sirm., *præ cæteris*. Pari jure restituere liceret *præsertim*, aut *præsumere*. Tum deinde legendum videtur, *metropolitano episcopo non permittente*. Nisi forte quis malit *admittere* pro *permittere*. In Galliis autem sub initium sæculi IV quam frequens esset ordinationum vitium quod nunc coercetur, testis est Taurinensis synodus intra annum 398 et 403, habita, can. 3, ubi quatuor episcopi *de usurpatione quadam in ordinatione sacerdotum ad invidiam vocantur*. Vide concilium Arelatense II, can. 5, 6 et 42.

[d] Verbum *negligitur*, quod in archetypo deest, e Sirm. mutuamur. Vel illud, aut *non timetur*, seu *spernitur*, aut quid simile librario excidisse planum est.

[e] His affine est quod Siricius epist. 6, sub finem scribit: *Nec quisquam putet tamquam ordinationes terrenas fieri, cum cœleste sit sacerdotium.*

[f] Istis nec absimilia sunt illa Siricii epist. 5, n. 4: *Hæc itaque fratres, si plena vigilantia fuerint ab omnibus observata, cessabit ambitio, dissensio conquiescet, hæreses et schismata non emergent.*

[g] Ita ms. Colb.; At editi, *cum Patre et cum*. Siricius epist. 5, n. 5, testem invocat Trinitatem in hunc modum: *Medio itaque Patre, et unigenito ejus Filio, et Spiritu sancto.*

eum ad quem scribit, Siricium Romanum, non aliquem alium cognominem esse constaret. Quamquam cum hunc episcopum fuisse minime obscurum sit, A ex eo quod Ambrosius in priore epistola *parentem* illum appellat, is esse, qui Romanæ ecclesiæ præerat, haud improbabiliter credatur.

ADDENDA.

EPISTOLA SYNODICA

Παρὰ τῆς ἐν Κωνσταντινουπόλει συνόδου.

Constantinopolitani concilii ad papam Damasum et Occidentales episcopos.

(Apud Galland. ex Theodoriti. Hist eccl. *lib.* v, cap. 9, *Interprete* Henrico Valesio.

Statuta ecclesiarum suarum non sinere, ut longius ab iis absint, eamque ob causam, necnon ob præstituti temporis angustiam se ad synodum Romanam non venisse. Ut ordinationes præsulum a se factas vel admissas, etiam Occidentales calculo suo comprobent.

Κυρίοις τιμιωτάτοις καὶ εὐλαβεστάτοις ἀδελφοῖς καὶ συλλειτουργοῖς Δαμάσῳ, Ἀμβροσίῳ, Βριττωνι, Οὐαλεριάνῳ, Ἀσχολίῳ, Ἀνεμίῳ, Βασιλείῳ, καὶ τοῖς λοιποῖς ἁγίοις ἐπισκόποις τοῖς συνειλημμένοις ἐν τῇ μεγάλῃ πόλει Ῥώμῃ, ἡ ἁγία σύνοδος τῶν ὀρθοδόξων ἐπισκόπων τῶν συνειλημμένων ἐν τῇ [b] μεγάλῃ πόλει Κωνσταντινουπόλει, ἐν Κυρίῳ χαίρειν.

B Dominis charissimis ac religiosissimis fratribus et comministris, Damaso, Ambrosio, Brittoni, Valeriano, Ascholio, Anemio, [a] Basilio, et reliquis sanctis episcopis, qui in magna urbe Roma collecti sunt, sancta synodus orthodoxorum episcoporum qui in magna urbe Constantinopoli convenerunt, in Domino salutem.

Τὸ μὲν ὡς ἀγνοοῦσαν τὴν ὑμετέραν εὐλάβειαν διδάσκειν, καὶ διαγεῖσθαι τῶν παθῶν τὸ πλῆθος, τῶν ἐπαχθέντων ἡμῖν παρὰ τῆς τῶν Ἀρειομανῶν δυναστείας, περιττὸν ἴσως. Οὔτε γὰρ οὕτω πάρεργον τὰ καθ' ἡμᾶς κρίνειν τὴν ὑμετέραν ἡγούμεθα θεοσέβειαν, ὡς δεῖσθαι τοῦ μαθεῖν ταῦτα, οἷς ἐχρὴν συναλγεῖν. Οὔτε τοιοῦτοί τινες οἱ περισχόντες ἡμᾶς χειμῶνες, ὡς λανθάνειν ὑπὸ σμικρότητος, ὅτε χρόνος τῶν διωγμῶν νεαρὸς ἔναυλον ἔτι φυλάττων τὴν μνήμην οὐ τοῖς πεπαυθόσι μόνον, ἀλλὰ καὶ τοῖς δι' ἀγάπην τὰ τῶν πεπονθότων οἰκειουμένοις. Χθὲς γάρ, ὡς εἰκεῖν, ἔτι καὶ πρώην οἱ μὲν τῶν τῆς ἐξορίας λυθέντες δεσμῶν, εἰς τὰς ἑαυτῶν ἐκκλησίας, διὰ μυρίων ἐπανήκασι θλίψεων· τῶν δὲ καὶ τελειωθέντων ἐν ταῖς ἐξορίαις, ἐπανεκομίσθη τὰ λείψανα. Τινὲς δὲ καὶ μετὰ τὴν τῆς ἐξορίας ἐπάνοδον, ἔτι βράσσοντι τῷ τῶν αἱρετικῶν περιπετόντες θυμῷ, πικρότερα τῶν ἐπὶ τῆς ἀλλοτρίας, ἐπὶ τοῖς οἰκείοις ὑπέμειναν, λίθοις παρ' αὐτῶν τελειωθέντες κατὰ τὸν μακάριον Στέφανον. Ἄλλοι διαφόροις καταξανθέντες αἰκίαις, ἔτι τὰ στίγματα τοῦ Χριστοῦ καὶ τοὺς μώλωπας ἐν τῷ σώματι περιφέρουσι. Χρημάτων δὲ ζημίας καὶ προτιμήσεις πόλεων, καὶ τὰς τῶν καθ' ἕνα [d] δημοσιεύσεις καὶ συσκευὰς καὶ ὕβρεις καὶ δεσμωτήρια, τίς ἂν ἐξαριθμήσασθαι δύναιτο; Πᾶσαι γὰρ ὄντως ὑφ' ἡμᾶς αἱ θλίψεις D

1. Superfluum fortasse fuerit enarrare reverentiæ vestræ, ac velut ignorantibus referre multitudinem malorum, quæ nobis [c] ab Ariomanitarum potentia illata sunt. Neque enim putamus pietatem vestram tam parvi facere res nostras, ut opus habeatis ea discere, quibus condolere vos oportuit. Nec tempestates, quibus vexati sumus, ejusmodi fuere, ut latere ob tenuitatem possent. Sed et recens persecutionum tempus vigentem adhuc servat memoriam non solum apud eos qui passi sunt, verum etiam apud illos qui calamitates aliorum per charitatem suas esse ducunt. Heri enim, ut ita dicamus, ac nudiustertius alii exsilii vinculis liberati, non sine innumerabilibus ærumnis, ad suas ecclesias redierunt. Aliorum, qui in exsiliis vitam finierunt, reportatæ sunt reliquiæ. Nonnulli etiam post reditum ab exsilio, cum hæreticorum furorem adhuc ferventem ostendissent, acerbiora domi sustinuerunt, quam quæ apud exteros passi fuerant, lapidum jactu, beati Stephani (*Act.* VII, 57) ad instar, ab illis obruti. Alii variis cruciatibus lacerati, stigmata Christi ac vibices in corporibus suis adhuc circumferunt. Jam vero pecuniarum damna, et [e] mulctas civitatibus inflictas, et singulo-

[a] Forte, *Bassiano*, eo scilicet qui Audensis episcopus in Aquileiensis concilii subscriptionibus appellatur. Cæterorum prænominatorum, Brittone excepto, sedes notæ sunt. Neupe Damasus Romæ, Ambrosius Mediolani, Valerianus Aquileiæ, Ascholius Thessalonicæ, et Anemius Sirmii episcopi erant. Coutant.

[b] Vales. hic et mox, μεγαλοπόλει. Ib.

[c] Epiphan., *ab Ariana potentia*. Sirm., *ab Arianorum potentia*. Vales., *ab Arianorum furore et potentia*. Licere nobis putavimus Hilarium et Phœbadium Agennensem imitari, qui Arianos Græcorum instar *Ariomanitas* Latine appellant. Qua de voce novam videsis Hilarii editionem pag. 919, not. d. In ea autem, quæ deinceps sequuntur, cadit hæc Theodoreti lib. 5, c. 8, censura, ubi notat Orientales ad Occidentales scripsisse litteras, *quibus et tempestatem quæ adversus ecclesias excitata fuerat significabant, et illorum præteritam negligentiam subobscure innuebant*. Coutant.

[d] Sirmond., δημεύσεις. Ib.

[e] In demum Valesius hunc locum latine convertendum, et græce προστιμήσεις restituendum esse

rum proscriptiones, insidias, contumelias et carceres quis possit enumerare? Re enim vera omnes ærumnæ adversus nos multiplicatæ sunt super numerum; seu quod peccatorum nostrorum pœnas persolvimus, seu quod benignus Deus per hanc malorum multitudinem exercere nos voluit. Pro his ergo gratias agimus Deo, qui tot ac tantis calamitatibus famulos suos erudivit, et pro magnitudine miserationum suarum rursus eduxit nos in refrigerium.

A ἐπληθύνθησαν ὑπὲρ ἀριθμὸν, ἴσως μὲν ἐπειδὴ δίκας ἁμαρτημάτων [a] ἐτίναμεν, ἴσως δὲ καὶ τοῦ φιλανθρώπου Θεοῦ διὰ τοῦ πλήθους τῶν παθημάτων ἡμᾶς γυμνάζοντος. Τούτων μὲν τῷ Θεῷ χάρις, ὃς καὶ διὰ τοσούτων θλίψεων τοὺς ἑαυτοῦ δούλους ἐξεπαίδευσε, καὶ κατὰ τὸ πλῆθος τῶν οἰκτιρμῶν αὐτοῦ πάλιν ἐξήγαγεν ἡμᾶς εἰς ἀναψυχήν.

II. Nobis vero ad reparationem ecclesiarum diuturno otio ac multo tempore et labore opus esset, ut corpus Ecclesiæ, tamquam ex diuturno morbo, sollicita curatione paulatim recreantes, ad pristinam pietatis sanitatem revocaremus. Etsi enim persecutionum violentia penitus liberati videmur, et ecclesias diu ab hæreticis possessas perfecte recuperasse; tamen molesti nobis sunt lupi, qui postquam ab ovilibus sunt depulsi, ovium greges in saltibus diripiunt, contrarios conventus agere non trepidant, populorum concitant seditiones, et ad ecclesiarum perniciem moliri nihil detrectant. Proinde, sicut diximus, diuturno nobis opus esset tempore, quo possemus huic negotio vacare.

Ἡμῖν δὲ μακρᾶς μὲν ἔδει σχολῆς, καὶ πολλοῦ χρόνου καὶ πόνου πρὸς τὴν τῶν ἐκκλησιῶν ἐπανόρθωσιν, ἵν' ὥσπερ ἐκ μακρᾶς ἀῤῥωστίας, ταῖς κατὰ μικρὸν ἐπιμελείαις τὸ σῶμα τῆς Ἐκκλησίας ἀνυσταλεύοντες, πρὸς τὴν ἀρχαίαν τῆς εὐσεβείας ὑγίειαν ἐπαναγάγωμεν. Καὶ γὰρ εἰ τὰ μάλιστα δοκοῦμεν τῆς τῶν διωγμῶν ἀπηλλάχθαι φοβερότητος, καὶ τὰς ἐκκλησίας χρονίως παρὰ τῶν αἱρετικῶν κατασχεθείσας ἀρτίως ἀνακομίζεσθαι, πλὴν ἀλλὰ βαρεῖς ἡμῖν λύκοι, καὶ μετὰ τὸ τῆς μάνδρας ἐξωθῆναι, κατὰ τὰς νάπας τὰ ποίμνια διαρπάζοντες, ἀντισυνάξεις τολμῶντες, δήμων κινοῦντες ἐπαναστάσεις, ὀκνοῦντες οὐδὲν εἰς τὴν τῶν ἐκκλησιῶν βλάβην. Ἦν μὲν οὖν, ὅπερ εἰρήκαμεν, ἀναγκαῖον πλείονα ἡμᾶς προσασχοληθῆναι χρόνον.

III. Sed quoniam fraternam erga nos charitatem ostendentes, ad synodum quam Dei voluntate Romæ congregatis, nos quoque velut propria membra piissimi imperatoris litteris evocastis; ut quia tunc soli ad perferendas ærumnas damnati sumus, nunc cum Imperatores in causa pietatis concordant, vos non sine nobis regnetis, sed et secundum apostolicam vocem (II *Cor.* IV, 8), nos vobiscum regnemus: nobis quidem in votis erat, ut si fieri posset, universi simul, relictis ecclesiis, desiderio seu potius necessitati obsequeremur. Quis enim det nobis pennas sicut columbæ (*Psal. liv.* 7), et volabimus et requiescemus apud vos? Sed quoniam ea res prorsus nudaret ecclesias, quæ nunc primum incipiunt renovari, et plerique id facere nullo modo possent (conveneramus enim Constantinopolim secundum litteras a reverentia vestra anno superiore, post Aquileiense concilium, ad piissimum imperatorem Theodosium missas; ad hanc solam profectionem Constantinopolim usque instructi, et de hac una synodo consensum episcoporum, qui in provinciis erant, afferentes; cum de longiori itinere suscipiendo nec suspicati essemus, nec omnino audiissemus quidquam prius, quam Constantinopoli convenissemus; ac præterea præstituti temporis angustia nec ad longioris itineris apparatum, nec ad omnes communionis nostræ episcopos qui in diversis provinciis sunt commonendos, et consensus ab iisdem accipiendos sufficeret); queniam hæc ac multa insuper alia plures venire prohibebant: id quod secundum fuit, tum ad res restituendas tum ad nostram erga vos charitatem declarandam, fecimus: re-

Ἐπειδὴ μέντοι τὴν ἀδελφικὴν περὶ ἡμᾶς ἀγάπην ἐπιδεικνύμενοι, σύνοδον ἐπὶ τῆς Ῥώμης Θεοῦ βουλήσει συγκροτοῦντες, καὶ ἡμᾶς ὡς οἰκεῖα μέλη προσεκαλέσασθε διὰ τῶν τοῦ θεοφιλεστάτου βασιλέως γραμμάτων, ἵν' ἐπειδὴ τότε τὰς θλίψεις μόνοι κατεδικάσθημεν, νῦν ἐν τῇ τῶν αὐτοκρατόρων περὶ τὴν εὐσέβειαν συμφωνίᾳ, μὴ χωρὶς ὑμῶν βασιλεύσητε, ἀλλὰ καὶ ὑμεῖς ὑμῖν κατὰ τὴν ἀποστολικὴν φωνὴν συμβασιλεύσωμεν· εὐχὴ μὲν ἦν ἡμῖν, εἰ δυνατὸν, ἅπασιν ἀθρόως καταλιποῦσι τὰς ἐκκλησίας, τῷ πόθῳ ἢ τῇ χρείᾳ χαρίσασθαι. Τίς γὰρ ἡμῖν δώσει πτέρυγας ὡσεὶ περιστερᾶς; καὶ πετασθησόμεθα, καὶ πρὸς ὑμᾶς καταπαύσομεν. [b] Ἐπειδὴ δὲ τοῦτο παντελῶς ἐγύμνου τὰς ἐκκλησίας, ἄρτι τῆς ἀνακτώσεως ἀρχομένας, καὶ τὸ πρᾶγμα παντάπασιν ἦν τοῖς πολλοῖς ἀδύνατον (συνοδεύσαμεν γὰρ εἰς τὴν Κωνσταντινούπολιν ἐκ τῶν πέρυσι γραμμάτων, τῶν παρὰ τῆς ὑμετέρας τιμιότητος μετὰ τὴν ἐν Ἀκυληΐᾳ συνόδον, πρὸς τὸν θεοφιλέστατον βασιλέα Θεοδόσιον ἐπισταλθέντων, πρὸς μόνην ταύτην τὴν ἀποδημίαν τὴν μέχρι Κωνσταντινουπόλεως παρεσκευασμένοι, καὶ περὶ ταύτης μόνης τῆς συνόδου τὴν ἐν ταῖς ἐπαρχίαις μενόντων ἐπισκόπων συγκατάθεσιν ἐπαγόμενοι, μείζονος δὲ ἀποδημίας μήτε προσδοκήσαντες χρείαν, μήτε προακούσαντες ὅλως, πρὶν ἐν Κωνσταντινουπόλει συνελθεῖν, πρός δὲ τούτοις καὶ τῆς προθεσμίας διὰ στενότητα, μήτε πρὸς παρασκευὴν μακροτέρας ἀποδημίας ἐνδιδούσης καιρὸν, μήτε πάντας τοὺς ἐν ταῖς ἐπαρχίαις κοινωνικοὺς ἐπισκόπους ὑπομνησθῆναι, καὶ τὰς παρ' αὐτῶν συγκαταθέσεις λαβεῖν)· ἐπειδὴ ταῦτα καὶ πολλὰ πρὸς τούτοις ἕτερα τὴν τῶν πλειόνων ἄφιξιν διεκώλυσεν· ὃ δεύτερον ἦν, εἴς τε τῶν πραγμάτων ἐπανόρθωσιν, καὶ τὴν τῆς ὑμετέρας περὶ ἡμᾶς ἀγάπης

censuit, quamvis interpretationem Sirmondi, scilicet *mulctas civitatum*, primo non probasset, maluisseque tum *mutationes civitatum*: quia nimirum qui persecutionem patitur, vertere solum et exteras regiones patriæ præponere cogitur. Verterat Christophorsonus, *amissiones civitatum quas incolebant*, Epiphanius vero *honoris ademptiones*. ID.

[a] Sirm., ἐτίσαμεν. ID.

[b] Sirm., ἐπεὶ δὲ τοῦτο. ID.

ἀπόδειξιν, τοῦτο πεποιήκαμεν· τοὺς αἰδεσιμωτάτους καὶ τιμιωτάτους ἀδελφοὺς καὶ συλλειτουργοὺς ἡμῶν ἐπισκόπους, Κυριακὸν, Εὐσέβιον, καὶ Πρισκιανὸν προθύμως καμεῖν ἄχρις ὑμῶν δυσωπήσαντες· δι' ὧν καὶ τὴν ἡμετέραν προαίρεσιν εἰρηνικὴν οὖσαν, καὶ σκοπὸν ἑνώσεως ἔχουσαν ἐπιδείκνυμεν, καὶ τὸν ζῆλον ἡμῶν τὸν ὑπὲρ τῆς ὑγιοῦς πίστεως, φανερὸν ποιοῦμεν.

Ἡμεῖς γὰρ εἴτε διωγμούς, εἴτε θλίψεις, εἴτε βασιλικὰς ἀπειλὰς, εἴτε τὰς τῶν ἀρχόντων ὠμότητας, εἴτε τινα πειρασμὸν ἕτερον παρὰ τῶν αἱρετικῶν ὑπεμείναμεν, ὑπὲρ τῆς εὐαγγελικῆς πίστεως τῆς ἐν Νικαίᾳ τῆς Βιθυνίας παρὰ τῶν τριακοσίων δεκαοκτὼ πατέρων κυρωθείσης, ὑπέστημεν. Ταύτην γὰρ καὶ ὑμῖν καὶ ἡμῖν καὶ πᾶσι τοῖς μὴ διαστρέφουσι τὸν λόγον τῆς ἀληθοῦς πίστεως, συναρίσκειν δεῖ· ἣν μόλις ποτὲ πρεσβυτάτην τε οὖσαν, καὶ ἀκόλουθον τῷ βαπτίσματι, καὶ διδάσκουσαν ἡμᾶς πιστεύειν εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος. Δηλαδὴ θεότητός τε καὶ δυνάμεως, καὶ οὐσίας μιᾶς τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος πιστευομένης, ὁμοτίμου τε τῆς ἀξίας, καὶ συναϊδίου τῆς βασιλείας ἐν τρισὶ τελείαις ὑποστάσεσιν, ἤγουν τρισὶ τελείοις προσώποις· ὡς μήτε τὴν Σαβελλίου νόσον χώραν λαβεῖν, συγχεομένων τῶν ὑποστάσεων, εἴγουν τῶν ἰδιοτήτων ἀναιρουμένων· μήτε μὴν τὴν τῶν Εὐνομιανῶν, καὶ Ἀρειανῶν, καὶ Πνευματομάχων βλασφημίαν ἰσχύειν, τῆς οὐσίας ἢ τῆς φύσεως ἢ τῆς θεότητος τεμνομένης, καὶ τῇ ἀκτίστῳ καὶ ὁμοουσίῳ καὶ συναϊδίῳ τριάδι μεταγενεστέρας τινὸς, ἢ κτιστῆς, ἢ ἑτεροουσίου φύσεως ἐπαγομένης. Καὶ τὸν τῆς ἐνανθρωπήσεως δὲ τοῦ κυρίου λόγον ἀδιάστροφον σώζομεν, οὔτε ἄψυχον, οὔτε ἄνουν, ἢ ἀτελῆ τὴν τῆς σαρκὸς οἰκονομίαν παραδιέχόμενοι· ὅλον δὲ εἰδότες, τέλειον μὲν ὄντα πρὸ αἰώνων Θεοῦ λόγον, τέλειον δὲ ἄνθρωπον ἐπ' ἐσχάτων τῶν ἡμερῶν διὰ τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν γενόμενον. Τὰ μὲν οὖν κατὰ τὴν πίστιν, τὴν παρ' ἡμῶν ἀνυποστόλως κηρυττομένην, ὡς ἐν κεφαλαίῳ τοιαῦτα· περὶ ὧν καὶ ἐπὶ πλεῖον ψυχαγωγηθῆναι δυνήσεσθε, τῷ τε ἐν Ἀντιοχείᾳ τόμῳ παρὰ τῆς ἐκεῖ συνελθούσης συνόδου γεγενημένῳ καταξιώσαντες

A verendissimos et charissimos fratres et comministros nostros Cyriacum, Eusebium et Priscianum deprecati, ut proficiscendi ad vos laborem libenter susciperent. Per quos et voluntatem nostram pacificam esse, atque ad unitatem spectare ostendimus; et nostrum pro sana fide zelum manifestum facimus.

IV. Nos enim, sive persecutiones, sive imperiales minas, sive crudelitatem præsidum, sive aliam quamcumque tentationem ab hæreticis pertulimus, pro evangelica fide, quæ Nicææ, in Bithynia a trecentis et octodecim patribus [a] confirmata est, sustinuimus. Hanc enim et vobis, et nobis, et omnibus qui veræ fidei sermonem non pervertunt, probari decet ([b] quam nos vix tandem retinemus ac B servamus): quippe quæ antiquissima sit et baptismo consentanea, docens nos credere in nomen Patris et Filii et Spiritus sancti: unam scilicet deitatem, potentiam et substantiam Patris et Filii et Spiritus sancti credentes; æqualem item dignitatem et cœternum regnum in tribus perfectis hypostasibus seu in tribus perfectis personis. Ita ut nec locum habeat Sabellii lues, qua hypostases confundantur, tollanturque proprietates; nec Eunomianorum et Arianorum et Pneumatomachorum obtineat blasphemia, quæ substantiam seu naturam ac divinitatem discindi, et increatæ sive consubstantiali et cœternæ Trinitati posteriorem quamdam creatam seu diversæ substantiæ naturam superinducit. Incarnationis quoque Domini doctrinam incorruptam servamus, neque C animæ, neque mentis expertem aut imperfectam carnis dispensationem admittentes; sed totum scientes, ante sæcula quidem perfectum Dei Verbum, in novissimis autem diebus perfectum hominem propter nostram salutem factum esse. Et fidei quidem, quæ constanter a nobis prædicatur, hæc est veluti summa. Qua de re si quid amplius desideratis, satis vobis fiet, si tomum [c] Antiochiæ a synodo

[a] Valesius hic addit in Græco. ἁγίων θεοφόρων, sed non item in latina interpretatione *sanctis deiferis* adjecit. Verum istud additamentum neque apud Nicephorum exstare fassus, tantum notat *solemne esse epithetum, quo recentiores Græci designare solent episcopos Nicæni concilii.* Quæ sane ratio idonea non est, cur idem epithetum quarti sæculi monimento adjiciatur. Illud certe et olim Epiphanius scholasticus, et nostra ætate Sirmondus ignorarunt. COUTANT.

[b] Verba uncinis inclusa removit Sirmondus, neque græce expressit. Sed Valesius reclamat ea in omnibus exemplaribus suis, ut et in editione Basileensi, nec non apud Nicephorum et Epiphanium haberi. Nicephori tamen interpres Sirmondo concinit: nec concordare Epiphanius deprehenditur cum Valesio. Apud illum habetur, *quam scimus antiquissimam.* Ex quo colligere est eum græce legisse, ἣν εἴδομεν πρεσβυτάτην. Cujusmodi lectio cum concilii scopo longe magis cohæret, quam Valesiana. Nam istud *vix tandem* haud obscure adversatur proximæ dictis, quibus Orientales Nicænæ fidei numquam non tenaces fuisse se professi sunt. Deinde his Valesii verbis, *tenemus ac servamus*, nullum in Græco textu respondet. IB.

[c] Valesius vocem Græcam τόμον latina *libellum* minus apte videtur reddidisse. Quid tamen sonet, apprime est assecutus. Observat quippe in canone 5 concilii Constantinop. τόμου nomine synodicam Damasi epistolam, quam superior epistola 2 ex parte exhibet, indicari. Neque vero insolens est, epistolas synodicas *tomi* titulo insigniri. Apud Athanasium Alexandrinæ synodi ann. 362, epistola *tomus ad Antiochenses* inscribitur: et epistola Leonis ad Flavianum, quia fidei summam complectitur, *tomus Leonis* in antiquis monimentis vulgo nuncupatur. Quocirca *tomi* nomen cum Epiphanio et Sirmondo retinentes, tomum anno 379 in ea celebri synodo Antiochena, cujus supra ad calcem epistolæ 2 mentio fit, conditum hic memorari cum Valesio intelligimus. Eidem quoque assentimur, id quod in canone 5 concilii CP. *tomus Occidentalium* appellatur, nihil aliud esse existimanti, quam scriptum Romanæ synodi, cujus fragmenta supra epist. 2 hoc titulo donantur: *Epistola vel expositio synodi Romanæ habitæ sub Damaso papa, et transmissa in Orientem.* Quare non placet sententia Zonaræ et Balsamonis, qui *tomum Occidentalium* canonem fidei in Sardicensi concilio promulgatum interpretantur; non Petiti, qui var. lect. lib. III, c. 2, vocem *Antiochenorum*, loco *Occidentalium*, substitui vult; non Baronii, qui ad ann. 381 Damasi epistolam ad Paulinum ibi laudatam censet; non Petri Marcæ lib. I de Concord.

quæ illic celebrata est conditum, necnon eum qui superiore anno Constantinopoli ab œcumenica synodo editus est, legere dignemini, quibus in tomis fidem nostram uberius exposuimus, et in hæreses recens exortas anathematis sententiam protulimus.

V. De particulari autem ecclesiarum administratione, antiqua, ut probe nostis, obtinuit sanctio et sanctorum patrum Nicææ congregatorum regula, ut in singulis provinciis Episcopi illius provinciæ, et si illis placuerit, una cum ipsis finitimi, ordinationes prout utile fuerit faciant. Ex quarum legum præscripto tum reliquas ecclesias a nobis administrari scitote, tum nobilissimarum ecclesiarum creatos esse sacerdotes. Unde etiam Constantinopolitanæ ecclesiæ recens, ut ita dicamus, fundatæ, quam ex hæreticorum blasphemia tamquam ex leonis faucibus, per misericordiam Dei nuper eripuimus, reverendissimum ac religiosissimum Nectarium ordinavimus episcopum, in universali concilio, communi omnium consensu, coram religiosissimo imperatore Theodosio, adstipulante omni clero et universa civitate. Antiquissimæ vero vereque apostolicæ Antiochenæ in Syria ecclesiæ, in qua venerandum Christianorum nomen primum auditum est (*Act.* xi, 26), reverendissimum et religiosissimum episcopum Flavianum tum illius provinciæ tum Orientalis diœcesis episcopi in unum congregati canonice ordinarunt, tota ecclesia consentiente et quasi uno ore virum collaudante. Quam quidem legitimam ordinationem etiam synodus universa suscepit. Hierosolymitanæ autem ecclesiæ, quæ mater est omnium ecclesiarum, reverendissimum ac religiosissimum Cyrillum episcopum indicamus, qui et canonice ab episcopis provinciæ olim fuit ordinatus, et plurima variis in locis contra Arianos certamina subiit.

VI. Quibus tamquam legitime et canonice constitutis vestram quoque reverentiam gratulari hortamur, intercedente spiritali charitate; et Domini timore omnem quidem humanum affectum comprimente, ecclesiarum autem ædificationem privatæ erga singulos benevolentiæ vel gratiæ præponente. Hac enim ratione ubi verbum fidei communi consensu stabilitum, et Christiana charitas inter nos confirmata fuerit, desinemus id dicere quod ab Apostolis condemnatum est: *Ego quidem sum Pauli, ego vero Apollo, ego autem Cephæ* (1 *Cor.* i, 12). Sed dum omnes videbimur esse Christi, qui non est scissus in nobis, integrum sine ulla scissione. Deo juvante, servabimus corpus Ecclesiæ, et ad tribunal Domini cum fiducia stabimus.

A ἐντυχεῖν, καὶ τῷ πέρυσιν ἐν Κωνσταντινουπόλει παρὰ τῆς οἰκουμενικῆς ἐκτεθέντι συνόδου· ἐν οἷς πλατύτερον τὴν πίστιν ὡμολογήσαμεν, καὶ τῶν ἔνοχος καινοτομηθεισῶν αἱρέσεων ἀναθεματισμὸν ἔγγραφον πεποιήκαμεν.

Περὶ δὲ τῶν οἰκονομιῶν τῶν κατὰ μέρος ἐν ταῖς ἐκκλησίαις παλαιός τε, ὡς ἴστε, θεσμὸς κεκράτηκε, καὶ τῶν ἁγίων ἐν Νικαίᾳ πατέρων ὅρος, κατ' ἐπάστην ἐπαρχίαν τοὺς τῆς ἐπαρχίας, καὶ εἴπερ ἐκεῖνοι βούλοιντο, σὺν αὐτοῖς τοὺς ὁμόρους πρὸς τὸ συμφέρον ποιεῖσθαι τὰς χειροτονίας· οἷς ἀκολούθως τάς τε λοιπὰς ἐκκλησίας παρ' ἡμῖν οἰκονομεῖσθαι γινώσκετε, καὶ τῶν ἐπισημοτάτων ἐκκλησιῶν ἀναδείκνυσθαι τοὺς ἱερεῖς. Ὅθεν τῆς μὲν ἐν Κωνσταντινουπόλει νεοπαγοῦς, ὡς ἂν εἴποι τις, ἐκκλησίας, ἣν ὥσπερ ἐκ στόματος λέοντος τῆς τῶν αἱρετικῶν B βλασφημίας ὑπόγυον ἐξηρπάσαμεν διὰ τῶν οἰκτιρμῶν τοῦ Θεοῦ, τὸν αἰδεσιμώτατον καὶ θεοφιλέστατον Νεκτάριον ἐπίσκοπον κεχειροτονήκαμεν ἐπὶ τῆς οἰκουμενικῆς συνόδου μετὰ κοινῆς ὁμονοίας, ὑπ' ὄψισι καὶ τοῦ θεοφιλεστάτου βασιλέως Θεοδοσίου, παντός τε τοῦ κλήρου καὶ πάσης ἐπιψηφιζομένης τῆς πόλεως. Τῆς δὲ πρεσβυτάτης καὶ ὄντως ἀποστολικῆς ἐκκλησίας τῆς ἐν Ἀντιοχείᾳ τῆς Συρίας, ἐν ᾗ πρώτῃ τὸ τίμιον τῶν Χριστιανῶν ἐχρημάτισεν ὄνομα, τὸν αἰδεσιμώτατον καὶ θεοφιλέστατον ἐπίσκοπον Φλαβιανόν, οἵ τε τῆς ἐπαρχίας καὶ τῆς ἀνατολικῆς διοικήσεως συνδραμόντες κανονικῶς ἐχειροτόνησαν, πάσης συμψήφου τῆς ἐκκλησίας ὥσπερ διὰ μιᾶς φωνῆς τὸν ἄνδρα τιμησάσης. Ἦν τε ἔνθεσμον χειροτονίαν ἐδέξατο καὶ τὸ τῆς συνόδου κοινόν. Τῆς δέ γε μητρὸς ἁπασῶν τῶν ἐκκλησιῶν τῆς ἐν Ἱεροσολύμοις, τὸν αἰδεσι- C μώτατον καὶ θεοφιλέστατον Κύριλλον ἐπίσκοπον εἶναι γνωρίζομεν, κανονικῶς τε παρὰ τῶν τῆς ἐπαρχίας χειροτονηθέντα, πάλαι, καὶ πλεῖστα πρὸς τοὺς Ἀρειανοὺς ἐν διαφόροις τόποις ἀθλήσαντα.

Οἷς ὡς ἐνθέσμως καὶ κανονικῶς παρ' ἡμῖν κεκρατηκόσι, καὶ τὴν ὑμετέραν συγχαίρειν παρακαλοῦμεν εὐλάβειαν, τῆς πνευματικῆς μεσιτευούσης ἀγάπης, καὶ τοῦ κυριακοῦ φόβου, πᾶσαν μὲν καταστέλλοντος ἀνθρωπίνην προσπάθειαν, τὴν δὲ τῶν ἐκκλησιῶν οἰκοδομὴν προτιμοτέραν ποιοῦντος τῆς πρὸς τὸν καθ' ἕνα [a] συμπαθείας ἢ χάριτος. Οὕτω γὰρ τοῦτε τῆς πίστεως συμφωνηθέντος λόγου, καὶ τῆς Χριστιανικῆς κυρωθείσης ἐν ἡμῖν ἀγάπης, παυσόμεθα λέγοντες τὸ παρὰ τῶν ἀποστόλων κατεγνωσμένον· Ἐγὼ μέν εἰμι Παύλου, ἐγὼ δὲ Ἀπολλῶ, ἐγὼ δὲ Κηφᾶ. D Πάντες δὲ Χριστοῦ φανέντες, ὃς ἐν ἡμῖν οὐ μεμέρισται, Θεοῦ καταξιοῦντος, ἄσχιστον τὸ σῶμα τῆς ἐκκλησίας τηρήσομεν, καὶ τῷ βήματι τοῦ κυρίου μετὰ παῤῥησίας παραστησόμεθα.

c. 4, n. 5, hunc *tomum Occidentalium* intelligentis nescio quam *epistolam Occidentalium, qua docent se communionem Antiochenorum amplecti, quia rectam fidem profitentur, etsi Meletii et Paulini schismata laborant.* Coutant.

[a] Sirm., συνηθείας. Id.

DECRETORUM DAMASO I PAPÆ ASCRIPTORUM CENSURA.

1. *Quæ in Romana synodo Damasus constituisse obtenditur.* — In mox dicta Sarazanii collectione p. 21 exstat: *Vita B. Damasi ex cod. ms. archivii canonicorum S. Petri exscripta*, in qua de illo prædicatur:

« I. In diebus autem illis, convocatis episcopis de diversis mundi partibus, celebravit concilium, in quo condemnavit Macedonium Spiritum sanctum negantem, et Eunomium et Donatum Arianæ blasphemiæ sectatores; condemnavit etiam Apollinarem Laodiciæ Syriæ episcopum, contra quem decrevit, ut « Si quis Filium Dei, qui sicut vere Deus, ita vere homo fuit, vel humanitatis aliquid vel deitatis minus diceret habuisse, alienus ab Ecclesia judicaretur. » Quam sententiam confirmari præcepit etiam in sancta secunda synodo, quæ præcepto et auctoritate ejus apud Constantinopolim celebrata est.

« II. Præcepit præterea Damasus sacerdotibus, ut negarent sanctam communionem et ecclesiarum ingressum omnibus sacrilegis, qui bona ecclesiastica invaserunt, et ex eis maxime qui decimas non persolverent.

« III. Eos etiam censuit de domo Dei ejiciendos, qui fenori et usuris inserviunt, dicens inter raptorem et usurarium nullam esse distantiam.

« IV. Similiter et eos qui in ecclesiis commorantes, vaniloquis et otiosis sermonibus vacant : aiebat enim : Si domus orationis est, sicut Dominus ait, nulli in ea licet, nisi orare, psallere, peccata confiteri, et veniam implorare.

« V. Sed et illos anathematizandos censuit, qui divinæ legis immemores, maleficiis et superstitionibus atque incantationibus vanis inserviunt..... Ideo, inquit, præcipimus, ut quicumque divinationes, vel auguria, sive sortes quas mentiuntur esse sanctorum, observaverit, et magos vel incantatores audierit, inter Christianos nullatenus nominetur.

« VI. Eas quoque mulieres ab ecclesiis ejici volumus, quæ dæmonum illusionibus et phantasmatibus seductæ, credunt se nocturno silentio cum Herodiade et innumera multitudine mulierum equitare, etc., » usque, « per devia quæque dedúcit, » ut apud Gratianum 26, quæst. 5, c. 12, et apud Augustinum lib. de Spiritu et anima c. 28, paucis verbis mutatis.

« VII. Renovatum quoque fuit in eodem concilio, quod in Nicæno fuerat constitutum, ut si quis die Dominico super horam tertiam ausus fuerit canere Missam, et aliis diebus a media quarta hora usque in horam nonam, anathematizetur.

« VIII. Tunc quoque constituit S. Damasus, ut psalmi die noctuque canerentur per omnes ecclesias. Qui et hoc præcepit, ut in fine uniuscujusque psalmi subjungeretur : *Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto: sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.* »

Ea ipsa decreta Baronius ad annum 384, velut sincera probat ac laudat. Unde et acta, ex quibus excerpta sunt, videtur admittere. Sed ea, quæ in his actis decreta illa vel antecedunt vel subsequuntur, immo et quæ in ipsis epuntiantur decretis, omnem eis fidem abrogant.

2. *Falsorum Damasi gestorum architectus imperitus. Meletium et Paulinum hæresiarchas facit.* Et ex iis quidem, quæ subsequuntur, id in medium profferre sufficiat : « In eisdem enim (*Orientis*) partibus, imperante Valente, de cujus tyrannide supra dictum est, hæresiarchæ tres erant, Meletius, Vitalis et Paulinus, qui scissam in tres partes Ecclesiam ad se rapere festinabant. » Quis hæc audiens, imperitiam ferat horum actorum artificis, Paulinum *hæresiarcham* insulse adeo appellantis; Paulinum, inquam, quem Damasus litteris suis tam modeste, tamque honorifice alloquitur (*Dam. ep.* 5), et de quo concilii Italiæ patres ad Theodosium imp. anno 381 scribunt (*Apud Sirm. app. cod. Th. pag.* 103), « Hunc in communione nostra mansisse consortia, quæ a majoribus inoffense ducta, testantur? » Quis vel patienter audiat Meletium eodem *hæresiarchæ* nomine infamari, qui totius Orientis venerationem sibi conciliavit, qui et *magnus* et *divinus* ab orthodoxis scriptoribus appellari meruit, quem mox citati concilii Italiæ patres *fidei concinere* se censere testificantur? Ne Vitalis quidem, Valente imperante, hæresiarcha : sed tantum post imperatoris hujus necem eum Apollinarii hæresiarchæ discipulum esse patefactum est. Ex verbis autem Hieronymi in superiori epist. 11, n. 2: « In tres partes scissa ecclesia ad se rapere me festinat... Meletius, Vitalis atque Paulinus tibi hærere se dicunt, » perperam intellectis hujusmodi figmenta nata esse haud obscurum est. Exinde si eadem acta persequi placet, haud longius progrediendum erit, ut commenta similia deprehendantur. In primis aliquot offendere est fragmenta superiorum epistolarum 10 et 11, Hieronymi ad Damasum, iis depravata interpolationibus, quas in genuinis exemplaribus frustra quæsieris. Tum expositis petitionibus, quas Hieronymus in epistolis illis explicuit, subjicitur, « Beatus vero Damasus his petitionibus congrue satisfecit, » quod sane aliunde non novimus.

3. *Plures ejus fabulæ circa Ariminense concilium, Liberii exsilium, etc.* Si vero ad ea, quæ memoratis decretis præmittuntur, regrediamur, nec ibi minus aperte imperita impostoris fallacia se prodit. Nam Lucifer, Pancratius et Hilarius, quos a Liberio ad Constantium anno 354 missos, et anno 355 e concilio Mediolanensi relegatos esse constat, post concilium Ariminense, quod anno 359 habitum est, ad hunc imperatorem legati fingnntur, ut eum *super nequitiam* in eodem concilio admissam *commonerent*. Deinde, secundum eadem acta, Constantius Liberium « extra civitatem, quasi in exsilium deportari præcepit : et habitavit extra, miliario tertio, in cœmiterio quod dicitur Noella, via Salaria » et « dum in exsilium duceretur Damasum in urbe vicarium dereliquit. » Quo tempore « actum est, ut omnes episcopi, quos imperitia seu metus in Ariminensi concilio fecerat deviare, ad fidem catholicam ejus (Damasi) suasionibus remearent. » Et paucis interpositis subjicitur, « Eodem tempore, appropinquante solemnitate Paschali, qua in Christo renasci plurimi exoptabant, convocavit Liberius omnes catholicos ecclesiastici gradus, sedensque in cœmiterio supradicto (Noella) sic loqui exorsus est, etc. » Quæ omnia sinceræ rerum veri-

tati quantum repugnent, nemo non videt. Quippe Liberium Beroam in Thracia, ubi nulla ei clericos convocandi potestas erat, relegatum fuisse ex Theodoreto ac Sozomeno compertum est. Ibi Liberius ipse jam fractus, et ad Arianorum voluntatem inflexus, fidem sibi a Demophilo, qui Beroensis episcopus erat, expositam suscepisse se testatur (*Liber. epist.* 8, *n.* 6). Neque minus certum est, Liberium ante Ariminense concilium Romanæ Ecclesiæ non modo ereptum, sed et redditum fuisse. Unde Hilarius contra Constantium proxime post prædictum concilium scribens n. 11, hunc imperatorem sic alloquitur: « Vertisti deinde usque ad Romam bellum tuum: eripuisti illinc episcopum: et, o te miserum, qui nescio utrum majore impietate relegaveris, quam remiseris. » Mera igitur fabula est illa Damasi, dum Liberius exsularet, ad eos qui Arimini lapsi fuerant revocandos collata opera. Idem de vicarii munere, quo simul functus ponitur, ac cæteris ibi enuntiatis sentiendum.

4. *In decretis multiplex falsi suspicio.* Exstat et in cæteris gestis, quæ ibi narrantur, similium farrago ineptiarum. Unde mirari satis nequimus quo pacto doctus Annalium parens tantam hujusmodi actis tribuerit auctoritatem, ut Romanam synodum aliunde ignotam, et quæ in ea jactitantur fuisse decreta, pro veris susciperet, maxime cum nec in ipsis decretis ulla veri sit similitudo.

5. *Donatus fingitur Arianæ blasphemiæ sectator.* Primo quidem quis ille est Donatus Arianæ blasphemiæ sectator, qui priori in decreto una cum Macedonio, Eunomio et Apollinari condemnatus asseritur? Probabile est eum hic notari, qui nefandi in Africa schismatis auctor ac princeps fuit; eumque Arianæ blasphemiæ sectatorem ideo nuncupari, quia Ariani anno 347 Philippopoli congregati, epistolam synodicam Sardicensis concilii nomine inscriptam ad ipsum miserint. Sed ille nec ad Damasi tempora pervenit, nec ut Arianæ blasphemiæ sectator audiit. Tantum rumor percrebuerat, « Arianos, cum a communione catholica discrepassent, Donatistas in Africa sibi sociare tentasse, » ut Augustinus ab Alypio admonitus epist. olim 163, nunc 44, n. 6, scribit.

6. *Fingitur Damasus præcepisse ut decreta ipsius synodus 2 firmaret. In cassum hæc dicitur illius præcepto congregata.* Deinde id quod adjicitur, « Quam sententiam confirmari præcepit etiam in sancta secunda synodo, » refelluntur hujus secundæ synodi gesta et decreta, in quibus nulla Donati, nulla ullius qui Damasi vices gerat, aut qui ejus nomine quidquam præcipiat, mentio habetur. Hoc unum de concilio illo Damasus epistolis 8 et 9 Acholio ac sociis præcipit, ut operam dent, quemadmodum in eo Constantinopoli episcopus inculpatus ordinetur. « Quia, » inquit, epist. 8, n. 3, « cognovi dispositum esse Constantinopoli concilium fieri debere, sinceritas vestra det operam, quemadmodum prædictæ civitatis episcopus eligatur, qui nullam habeat reprehensionem. » Ubi et illud notandum quod ait, « Cognovi dispositum esse Constantinopoli concilium fieri debere, » nec dicit, « præcepi Constantinopoli congregandum concilium. » Ex quo confutatur et istud, quo sancta secunda synodus præcepto et auctoritate ejus apud Constantinopolim celebrata » obtenditur, confirmaturque sententia Ant. Pagii ad annum 381, n. 7, aliorumque, qui hanc synodum a Damaso indictam negant.

7. *Decreta pleraque disciplinam sapiunt* V *ac* VI *sæculo usitatam.* Cætera decreta eam ut plurimum sapiunt disciplinam, quæ in quinto ac posterioribus sæculis viguit. Nec suspicio deest, ea ex scriptis seu patrum, seu conciliorum Gallicanorum fuisse expressa. Et secundum quidem consentaneum est Agathensis concilii canoni 4, quo constituitur ut qui possessiones Ecclesiæ abstulerint, « quo usque reddant, ab ecclesiis excludantur. » Cum eodem aliisque conferendi sunt qui apud Augustinum in appendice tomi V exstant Cæsarii Arelatensis Sermones 276 et 277, de reddendis decimis; 278, de auguriis; 283 et 286, de vitandis in ecclesia sermonibus otiosis. In hoc nominatim Cæsarius num. 6 sic suos alloquitur auditores: « Venientes ad ecclesiam hoc solum quod fieri expedit agite, id est, aut orate, aut psallite, ut et orando peccatorum veniam accipere, et psallendo ad spiritalem possitis lætitiam pervenire. » Cui loco affine est illud superioris decreti 4: « Si domus orationis est, sicut Dominus ait, nulli in ea licet nisi orare, psallere, peccata confiteri et veniam implorare. »

8. *Sortes sanctorum.* Item decreto sequenti adversus eos, qui divinationes, auguria et sortes sanctorum observant, valde cognatum est quod Aurelianensis I concilii canone 30 præcipitur, « Si quis clericus, monachus, sæcularis divinationem vel auguria crediderit observanda, vel sortes, quas mentiuntur esse sanctorum, quibuscumque putaverint intimandas, ab Ecclesiæ communione pellantur. » Similia sanciunt et Veneticum can. 16, Agathense can. 42, et Antisiodorense can. 4. In hoc sortes sanctorum « de ligno aut de pane fieri, » in Venetico et Agathensi « quacumque Scripturarum inspectione, » indicatur. Quo spectat illud capitulum a Sirmondo to. II Concil. Gall. pag. 157, ad ann. 789, relatum: « Nullus in psalterio, vel in Evangelio, vel in aliis rebus sortiri præsumat, nec divinationes aliquas observare. » Inter statuta Bonifacii archiepiscopi Moguntini Spicil. to. IX, pag. 66, capitulum 33 sic exprimitur. « Si quis presbyter aut clericus auguria vel divinationes aut somnia, sive sortes seu phylacteria, id est Scripturas observaverit, sciat se canonum subjacere vindictis. » Ubi notatu dignum, quod *sortes* et *phylacteria* velut synonyma habeantur. Is autem mos, quo e Scripturarum inspectione futurorum præsagia capiebantur, quamvis a sæculo VI ineunte ac deinceps toties prohibitus, diu tamen postea perseveravit, et adhuc sæculo XII ineunte frequens erat. Hinc *prognosticum* illud, cujus Guibertus abbas Novig. lib. II de Vita sua et lib. 3, c. 4, necnon Guillelmus Malmesb. lib. I de Pont. Angl. fol. 121, meminere, quo videlicet, aperto codice sacro, futuros mores electi sive episcopi sive

abbatis conjiciebant. Quem morem antiquissimum esse probat noster Edmundus Martene to. II de Antiq. Eccl. rit. pag. 331.

9. *Mulieres dæmonum illusionibus seductæ.* — Quod in decreto 6 de mulieribus dæmonum illusionibus seductis legimus, habemus et in appendice to. VI Augustini, lib. de Spiritu et Anima c. 28, ac velut ex canone 1 Ancyrani concilii citatur a Burchardo lib. x, c. 1; Ivone p. 11, c. 30, et Gratiano 26, quæst. 5, c. 12. Cui adjudicandum sit, non facile definiatur. Ad prædictum de spiritu et anima librum quod attinet, cum is pene merus cento sit ex variis excerptis undequaque lectis conflatus, totus ille de seductis mulierculis locus aliunde adscitus merito censeatur. Sed neque inter Anquirensis seu Ancyrani concilii canones comparet. Restaret igitur ut illum prænominati canonum compilatores ex Romanæ synodi gestis in vita Damasi laudatis sumpsisse judicarentur, nisi duo obstarent : primum, quod a nullo eorum aut Damaso aut Romanæ synodo attribuatur; alterum, quod apud illos plenior et integrior, in vita autem Damasi magis jejunus ac manifeste decurtatus appareat : adeoque illic ex fonte purus, hic autem corruptus fluat. Brevius, sed huic omnino simile est decretum aliud, quod Burchardus lib. x, c. 29, et Ivo p. 11, c. 54, ex Agathensi concilio c. 4 citant, quamvis ab hoc concilio pariter absit : « Perquirendum est si aliqua femina sit, quæ per quædam maleficia et incantationes mentes hominum se immutare posse dicat, id est, ut de odio in amorem, aut de amore in odium convertat, aut bona hominum aut damnet aut subripiat : et si aliqua est, quæ se dicat cum dæmonum turba in similitudinem mulierum transformata certis noctibus equitare super quasdam bestias, et in eorum consortio annumeratam esse; hæc talis omnimodis scopis correpta, ex parochia ejiciatur. »

10. *De Missarum celebrandarum hora.* — Decretum 7 de horis quibus Missas celebrare liceat, non minus videtur fictitium, quam Nicænus canon, cujus renovatio in eo obtenditur. Inter ea, quæ Isidorus Mercator primis pontificibus affinxit, exstat istud Telesphori papæ nomine : « Reliquis temporibus (a nocte nativitatis Domini) Missarum celebrationes ante horam tertiam minime sunt celebrandæ; » cujus falsitatem de ipso Telesphoro agentes pag. 59, probavimus.

11. *An psalmorum alternis vicibus canendorum Damasus sit auctor.* — Decretum 8, quo dicitur S. Damasus constituisse, « ut psalmi die noctuque canerentur per omnes ecclesias, » atque hoc, ut apud Anastasium additur, « presbyteris et episcopis vel monasteriis » præcepisse, intelligi dupliciter potest : vel nimirum ut simpliciter canerentur, vel ut alternis vicibus. At vero hunc morem ut per ecclesias psalmi simpliciter canerentur, non a Damaso cœpisse, sed ab Ecclesiæ initio semper obtinuisse antiquitatis periti sentiunt. Ut etiam hymni nonnulli alternis choris decantarentur, S. Ignatium Antiochenum episcopum in ecclesia sua instituisse, atque hunc unum ab Antiochena ecclesia ad cæteras permanasse Socrates lib. VI, c. 8, auctor est. Hoc etiam Plinius epist. 102, ad Trajanum sese a Christianis comperisse scribit, « quod essent soliti stato die ante lucem convenire, carmenque Christo quasi Deo dicere secum *invicem.* » Neque auctoritati huic detrahit quidquam, quod Tertullianus Apologet. cap. 2, istud *invicem* prætermittit, ac dicere satis habet, Plinium ad Trajanum scripsisse, « nihil aliud se de sacramentis eorum (Christianorum) comperisse, quam cœtus antelucanos ad canendum Christo et Deo. » Ibi enim Tertulliano, Plinii non tam verba quam sententiam referenti, licita fuit hujusmodi prætermissio. Ex mutua autem verborum Plinii Tertullianique collatione prope certa videtur Lomberti conjectura, qua pro *Christo et Deo*, apud Tertullianum *Christo ut Deo* restituendum esse arbitratur. Quis enim non animadvertat, eum illud Plinii *Christo quasi Deo* exprimere voluisse, adeoque *ut* pro *quasi*, non *et*, debuisse scribere? Certe in veteribus libris *et* pro *ut* frequens legitur. Et id quidem hic observandum duxi, ut quod superius pag. 59 in eumdem Tertulliani locum ex relatione non satis accurata obiter annotatum fuerat, inde corrigatur. Verum ut ad id, unde digressi fueramus, regrediatur oratio, Plinius ibi, non secus atque Socrates supra, tantum hymnos quosdam, non generatim psalmos in Christianorum cœtibus alternatim decantatos memorat. Plerique vero decretum allatum de psalmorum cantu alternis vicibus celebrando interpretantur, nec aliunde permoti Damasum usus hujus auctorem faciunt. Quod quidem ita persuasum habebat vetus scriptor a Mabillonio nostro præf. in II par. sæc. IV, Act. Bened. n. 210 Laudatus, ut in Chronologia Lirinensi de S. Agricolo, qui ex Lirinensi cœnobio ad Avenionensis ecclesiæ cathedram raptus fuerat, eoque cantum alternum inducere voluerat, istud tradiderit his verbis : « Voluit etiam horas canonicas et divina officia deinceps in eadem ecclesia eodem modo, quo solerent in monasteriis, *alternis* videlicet *cantibus* recitari. Nondum enim in illis partibus invaluerat ille mos, quem aliquot ante annos *Damasus* pontifex maximus invexerat. »

12. *Moris hujus auctor Ambrosius in Occidente. Flavianus et Diodorus in Oriente.* — Nihilo tamen minus Cardin. Bona de Div. psalmod. c. 16, n. 1, erroris eos notat, qui Damasum cantus alterni in Occidente auctorem asserunt, cum quotquot in latina ecclesia de sacris ritibus scribunt, inductæ hujus consuetudinis gloriam Ambrosio tribuant, nitanturque testimonio Augustini, qui lib. IX Conf. c. 7 rem memoriæ mandavit in hunc modum : « Non longe cœperat Mediolanensis ecclesia genus hoc consolationis et exhortationis celebrare, magno studio fratrum concinentium vocibus et cordibus. Nimirum annus erat, aut non multo amplius, cum Justina Valentiniani regis pueri mater hominem tuum Ambrosium persequeretur hæresis suæ causa, qua fuerat se-

ducta ab Arianis. Excubabat pia plebs in ecclesia, mori parata cum episcopo suo servo tuo.... Tunc hymni et psalmi ut canerentur secundum morem Orientalium partium, ne populus mœroris tædio contabesceret, institutum est, et ex illo in hodiernum retentum, multis jam ac pene omnibus gregibus tuis et per cætera orbis imitantibus. » In Oriente autem, Theodoreto lib. II Hist. eccl. c. 24 teste, Flavianus ac Diodorus, cum adhuc inter laicos versarentur, « primi psallentium choros duas in partes diviserunt, et Davidicos hymnos alternis canere docuerunt : quod quidem tunc primum Antiochiæ fieri cœptum, inde ad reliquos pervasit, et ad ultimos usque terrarum fines perlatum est. »

13. *Dici nequit eum a Damaso confirmatum esse.* — *Pia ecclesiarum æmulatione propagatus fuit.* — Sic vero laudatus Cardinalis pium hunc morem ab Ambrosio primum in Occidentem affirmat inductum, ut postea et a Damaso papa pontificali auctoritate confirmatum existimet, atque hinc historicorum nonnullorum, qui Damasum ejus auctorem credunt, errorem effluxisse opinetur. Verum nec errore vacat hæc opinio. Si enim ab eo tantum tempore, quo Ambrosium Justina persequebatur, quod anno 386 contigit, cœpit hæc consuetudo; quomodo illam potuit confirmare Damasus, quem anno 384 obiisse ac Siricium ab initio saltem anni 385 successorem habuisse, ipsius Siricii ad Himerium epistola fidem facit. Et vero cum Augustinus morem illum brevi per totum pene orbem propagatum memoret, hanc tamen Damasi confirmationem prorsus silet. Ac longe probabilius est, singulas ecclesias sancta quadam æmulatione potius, quam ulla pontificali auctoritate, illum arripuisse. Certe in Avenionensi ecclesia cum S. Agricolus ejus administrationem suscepit, nondum obtinuerat, ut supra vidimus. Idem dicendum et de Arelatensi, cum ei præfectus est Cæsarius; qui cum tandem impetrasset, ut et illa consuetudo admitteretur, gaudium suum continere non valens, illud singulari Sermone, qui nunc apud Augustinum 284 in appendice tomi V exstat, aperuit : « Plures enim erant anni, inquit, quod pro hac re æstuabat animus meus, et tota cordis intentione desiderabat, ut illam psallendi consuetudinem vobis pius Dominus inspiraret.... Cum enim vos ego ita psallere desiderarem, quomodo in aliis vicinis civitatibus psallebatur, taliter præparavit Deus animum vestrum, ut hoc etiam melius, adjuvante Domino, compleatis. » Sane si summi pontificis præcessisset ea de re generale præceptum, tam celebres ecclesiæ, in Italiæ confinio positæ, ei parere tam diu non distulissent; nec prætermisisset Cæsarius apostolicæ sedis in Galliis vices gerens tam gravem commendare auctoritatem, ut quod tanto animi æstu exoptabat, citius consequeretur. Neque tamen ait, « Cum enim vos ego ita psallere desiderarem, » quomodo sedis apostolicæ præcepto jubebatur; sed hoc tantum, « quomodo in aliis vicinis civitatibus psallebatur. » In superiore autem loco ex chronologia Lirinensi notandum, hæc, « Nondum enim in illis partibus invaluerat ille mos, quem aliquot ante annos Damasus pontifex maximus invexerat, » minime S. Agricoli verba esse, sed chronographi.

14. *An Damasus constituerit, ut* Gloria Patri, *etc., psalmis subjungeretur.* — An saltem admittenda decreti ultimi postrema pars, qua Damasus constituisse dicitur, ut in fine cujusque psalmi *Gloria Patri*, etc., adjungeretur? Cardinalis Bona de Div. psalm. cap. 16, n. 2, fatetur, multos scriptores alioquin fide dignissimos hanc doxologiæ in fine psalmorum canendæ legem ad Damasum referre, eamque ab hoc papa Hieronymi persuasu et inductu latam arbitrari. Verum hos deceptos esse monet adulterina epistola, quam scilicet Hieronymo Isidorus Mercator supposuit, in qua legere est : « Precatur ergo cliens tuus, ut vox ista psallentium in sede tua Romana diu noctuque canatur, et in fine psalmi cujuslibet sive matutinis sive vespertinis horis conjungi præcipiat apostolatus tui ordo *Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto; sicut erat*, etc. » Sane anno 529, ut ex Vasensis II concilii, quod hoc anno est celebratum, canone 5, colligitur, hic usus in Galliis nondum receptus erat, ut doxologiæ *Gloria Patri* versus *Sicut erat* adjungeretur, quamvis aliis in regionibus jam obtinuisset. Sic enim loquitur concilium : « Quia non solum in sede apostolica, sed etiam per totum Orientem et totam Africam vel Italiam, propter hæreticorum astutiam, qui Dei Filium non semper cum Patre fuisse, sed a tempore cœpisse blasphemant, in omnibus clausulis, post *Gloria*, *Sicut erat in principio* dicitur, etiam et nos in universis ecclesiis nostris hoc ita dicendum esse decernimus. » Ibi quidem post verba *in omnibus clausulis* non exprimitur vox *psalmorum*, sed hanc tamen subaudiri liquet ex his Vigilii papæ epist. 1, ad Profuturum Bracarensem episcopum, num. 3 : « Illud autem novelli esse judicamus erroris, quod cum *in fine psalmorum* ab omnibus Catholicis ex more dicatur *Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto*, etc. » Si autem in accessione versus *Sicut erat* Oriente toto posterior fuit Gallia, eum certe in usu canendi *Gloria Patri* longe præcessit. Cassianus quippe in libro II de Instit. cœnob., qui ante annum 416 adornatus creditur, cap. 8 scribit : « Illud etiam, quod in hac provincia (Gallicana) vidimus, ut uno cantante in clausula psalmi omnes stantes concinant cum clamore *Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto*, nusquam per omnem Orientem audivimus. » Quæ cum ita sint, fatendum doxologiæ *Gloria Patri* cum accessione versus *Sicut erat* in fine cujusque psalmi canendæ usum antiquum esse, cum hæreseos Arianæ compescendæ gratia excogitatus sit, ac paulatim per totam Ecclesiam fuisse receptum : sed nihil est cur Damaso tribuatur.

15. *Damasi decretum circa ritum cantandi in Urbe alleluia.* — Præter octo superiora decreta, quæ Damaso ascribuntur velut in Romana synodo edita, aliud ei Gregorius I circa vocabuli *Alleluia* in Urbe cantandi ritum attribuit. Ex Sicilia nempe veniens

nonnemo cum hoc papa expostularat, quod ecclesiæ Constantinopolitanæ seu Græcorum consuetudines per omnia sequeretur, nominatimque « quia alleluia dici ad Missas extra Pentecostes tempora fecisset. » Tum pius ac modestus pontifex etiam injuste expostulantem non sine idonea satisfactione repulit; sed, sicut ipse mense Octobri Indict. 2, ad Joannem episcopum Syracusanum scribit, « Ego, inquit, respondi, quia in nullo eorum (quæ reprehendebat) aliam ecclesiam secuti sumus; » ac deinde subjicit: « Nam ut alleluia hic (*veteres mss. Reg. et Colb.* non) diceretur, de Jerosolymorum ecclesia ex beati Hieronymi traditione tempore beatæ memoriæ Damasi traditur tractum. Et ideo magis in hac re illam consuetudinem amputavimus. » Quo in loco quid sibi velit Gregorius, excutiendum: ut inde quid decreverit ipse, quidve a Damaso decretum dicat, percipiatur.

16. *Verborum Gregorii prima interpretatio exponitur.* — Illum Cardinalis Bona de div. psal. cap. 16 ita interpretatur, « ut cum tempore tantum Paschali alleluia cantaretur, tunc (Hieronymi hortatu a Damaso) sancitum sit, ut etiam extra illud frequentaretur. » Cardinalis hujus interpretationi etiam Tillemontius to. VIII, pag. 420, accedit. Ex quo duo illi clarissimi viri traditionem a Gregorio commendatam non admodum certam esse observant; cum, inquiunt, alleluia canendi mos Romæ Damasi ævo tam frequens esset, ut etiam in exsequiis, Hieronymo teste in epitaphio Fabiolæ, audiretur. Addit Tillemontius, nec illud certum, an Hieronymus ante Damasi obitum Jerosolymam adierit. Verum etiamsi admitteretur eorum interpretatio, et Hieronymum antequam ad Damasum se conferret, Jerosolymam non adiisse concederetur, ex rationibus allatis nihil adversus traditionem a Gregorio memoratam conficeretur. Primo enim ipsi de alleluia tantum intra Missas cantando, non de vocabulo eodem extra Missas et in exsequiis frequentando sermo est. Deinde post Damasi obitum, adeoque post invectum novum morem, exsequiæ Fabiolæ contigerunt. Denique cum Hieronymum, antequam Romam contenderet, in Syria degisse constet; eum etiam ibi Jerosolymorum consuetudines compertas habere potuisse indubitatum est.

17. *Altera ei anteferenda.* — Sed virorum laudatorum interpretationi Isidorus Mercator secutus est prorsus oppositam. Non enim ille, nisi ex citatorum Gregorii verborum occasione, Hieronymum induxit ad Damasum ita scribentem: « In Ecclesia autem (alleluia dicendi usus) a sancta Resurrectione usque ad sanctam Pentecosten finiatur inter dierum spatia quinquaginta. » Ex quo Gregorium sic ab eo intellectum esse evidens est, ut cum alleluia prius cantaretur extra Pentecosten, illud Damasus Hieronymi hortatu intra Pentecosten tantum dicendum esse decreverit. Et is quidem verborum Gregorii intellectus cum ipsius orationi, tum historicæ veritati apprime congruit. Certum est enim Augustini ævo quasdam exstitisse ecclesias, in quibus alleluia Paschali tantum tempore cantabatur. Quocirca idem Doctor epist. olim 119, nunc 55, cap. 17, scribit: « Ut autem alleluia per illos solos dies quinquaginta in ecclesia cantetur, non usquequaque observatur; nam et aliis diebus varie cantatur alibi et alibi. » Porro ex iis ecclesiis, quæ alleluia tantum intra tempus Paschale cantabant, unam fuisse Romanam ex Sozomeno haud temere colligitur (*Soz. lib.* VII, *c.* 19). Erravit ille quidem cum scripsit, « Romæ quotannis semel canitur alleluia primo die Paschalis festivitatis, » et Nicephoro Callisti verba ejus exscribenti errandi auctor fuit (*Niceph. lib.* XII, *c.* 34): sed non alia videtur erroris illius causa, nisi quod cum apud scriptores latinos Pascha vel de toto tempore Paschali, vel de uno resurrectionis Domini die promiscue dicatur, alleluia Romæ tantum in Pascha cantari audiens, de uno die interpretatus est, quod de toto tempore Paschali sibi dictum fuerat.

18. Neque minus apte cohæret eadem interpretatio Gregorii orationi. Præmittit quippe secum quemdam conquestum esse, « quia alleluia dici ad Missas extra Pentecostes tempora fecisset. » Unde consequens est, ut antea nonnisi intra Pentecostes tempora diceretur. Tum expostulanti quod Græcorum consuetudines in Romanam ecclesiam invexisset, respondet, « In nullo eorum aliam ecclesiam secuti sumus. » Exindeque secundum mss. Regium et Colbertinum apposite subjicit: « Nam ut alleluia hic non diceretur (*supple* extra Pentecostes tempora) de Jerosolymorum ecclesia ex beati Hieronymi traditione, tempore beatæ memoriæ Damasi papæ, traditur tractum. Et ideo magis in hac re, » qua illud etiam extra Pentecostes tempora dici jussimus, « illam consuetudinem amputavimus, quæ hic a Græcis fuerat tradita. » Sane in hac tota oratione sic explicata nihil est, quod Gregorii scopo non aptissime congruat. Contra si cum vulgata lectione, *Nam ut alleluia hic diceretur*, suppleatur pariter *extra Pentecostes tempora*, non tantum obscura et omni intellectu destituta, sed etiam absurda evadit ejusdem pontificis oratio.

19. *Quo pacto stare queat a Gregorio prolata traditio.* — His positis, quærendum jam restat, an id saltem valeat stare, quod Gregorius velut ab Hieronymo « ex traditione tractum » scribit. Nonne hujusmodi traditioni adversatur, quod idem Doctor initio libri contra Vigilantium hujus hæretici dictum improbat, « numquam nisi in Pascha alleluia cantandum » affirmantis; aut quod in epitaphio Fabiolæ, totius urbis ad ejus exsequias concursu memorato subjicit, « Sonabant psalmi, et aurata templorum reboans in sublime quatiebat alleluia? » Immo etiam non longe ante Gregorii tempora, saltem in Italiæ ecclesiis, alleluia extra Pentecosten cantari ac frequentari consuevisse argumento est ipsa Gregorio nota atque familiaris Benedictina Regula, cujus capite 15 præcipitur: « Ut omni Dominica extra quadragesimam cantica Matutini, Prima, Tertia, Sexta, Nonaque cum alleluia dicantur; » cæteris autem die-

bus « a Pentecoste usque ad caput quadragesimæ omnibus noctibus (alleluia) cum sex posterioribus psalmis tantum ad Nocturnos dicatur. » Cum his tamen componi potest memorata traditio, si quod superius a nobis est observatum, admittatur, eam scilicet de alleluia *ad Missas* dicendo intelligendam esse : adeo ut quod Regula Benedictina loco citato de responsoriis constituit, « Responsoria vero numquam dicantur cum alleluia, nisi a Pascha usque ad Pentecosten, » hoc etiam Romæ ante Gregorii tempora in Missis obtineret, ut numquam cum alleluia nisi a Pascha usque ad Pentecosten dicerentur. Gregorius autem consuetudinem, quæ ut ferebat fama, Romæ a Damaso cœperat, abrogare, atque abrogatam ab hoc papa revocare sibi licere existimavit.

20. *Quinque decreta Damaso attributa.* In Crabbiana conciliorum editione ac deinde in cæteris alia quinque vulgata sunt Damasi nomine decreta e Gratiani et Ivonis compilationibus collecta, quorum primum a Gratiano 2, quæst. 3, cap. 2, ita effertur : « Calumniator, si in accusatione defecerit, talionem accipiat. » Excerptum est autem ex Isidoriana epistola ad Stephanum episcopum Damasi nomine conficta, cap. 7, cujus ipsamet verba ab eodem Gratiano IV, quæst. 3, c. 4, referuntur. Quod vero ibi præcipitur, consentaneum est Cod. Th. lib. IX, tit. 1, legi 14, et tit. 10, legi 3.

21. Alterum ita referunt : « Si quis episcopum aut presbyterum, aut diaconum falsis criminibus impetierit vel accusaverit, et probare non potuerit, nec in fine dandam ei communionem censemus. » Verum hoc, quod a Gratiano II, quæst. 3, c. 4, ut Damasi, ab Ivone autem part. VI, c. 240, post Burchardum lib. II, c. 193, ut Carthaginensis concilii can. 5, citatur, neutrius est, sed e Liberitani concilii can. 75.

22. Tertium, quod Gratianus X, quæst. 1, cap. 15, profert, est hujusmodi : « Hanc consuetudinem, quæ contra sanctam Ecclesiam catholicam augeri videtur, omnino interdicimus, ut nullo modo umquam oblationes, quæ intra sanctam ecclesiam offeruntur, sub dominio laicorum detineantur : sed tantummodo sacerdotibus, qui quotidie Domino servire videntur, liceat comedere et bibere : quia in veteri Testamento (*Levit.* II et XXIV) prohibuit Dominus panes sanctos comedere filiis Israel, nisi tantummodo Aaron et filiis ejus : qui panes longe erant ab istis panibus, qui nunc in sancta Ecclesia offeruntur; quia illi sub umbra Legis erant; qui vero modo, sub gratia sunt Spiritus sancti, toti mundo Evangelio coruscante, lucidiores esse videntur. Qua fronte aut qua conscientia oblationes vultis accipere, qui vix valetis pro vobis, nedum pro aliis, Deo preces offerre? Quia pravum est et contra Dominicum præceptum, et detrimentum animæ suæ infert, qui illud agere conatur, quod ei nulla ratione conceditur. Quia omnibus sanctis patribus nostrisque prioribus placuit, hanc sanctionem fieri, et nos similiter in iisdem persistere volumus, ut nullus audeat irritum facere hoc, quod constitutum est, si in perpetua damnatione noluerit persistere. Si quis vero contra hanc regulam nostram, et contra regulam sanctorum CCCXVIII patrum, qui in Nicæno concilio hoc constituerunt, temerarius præsumptor fuerit, et de cætero oblationes de sacris ecclesiis auferre molitus fuerit, sub anathematis vinculo sit colligatus et condemnatus. Responderunt omnes, fiat, fiat. »

23. Circa hoc decretum observo primum, nihil aliud videri nisi commentum ejus, qui epistolam composuit apud Hieronymum edit. nov. t. V, p. 420, ut *Hieronymi ad Damasum de oblationibus altaris* inscriptam, in qua is Doctor sic ad hunc papam scribere fingitur :

« Noverit sancta auctoritas tua, papa venerande, quia de quæstione, quam clientulo tuo proposuisti, et congrua responsa per epistolam mandasti, hoc est de panibus a fidelibus in altari oblatis, quis illis jure uti debeat. Quantum a præcipuis Ecclesiæ doctoribus investigare valui, in paucis tibi rescribere curavi. Testes autem idonei, quos ad hanc rem corroborandam concitavi (*Leg.* consultavi), hi sunt : Gregorius Nazianzenus mirabilis doctor, Cyrillus, Athanasius, Theophilus, Anatolius, Johannes Chrysostomus, Eustachius, Eusebius chronographus et noster Hilarius : qui omnes uno ore eodemque consensu, veluti vera sancti Spiritus organa, anathematis mucrone censent esse feriendos, qui in usus laicorum panes oblationum contulerint : quia omnino sacerdotibus solis debentur, nisi forte religionis gratia laici pro benedictione de manu sacerdotis accipiant. Non solum autem de panibus in ecclesia hoc sanxerunt patres nostri, sed de omnibus quæ altari offeruntur, dicentes atque docentes magnum nefas esse, et per omnia diabolica temeritate hoc fieri ubicumque acciderit; et valde esse intolerabile sanctæ Ecclesiæ, ut sine vindicta sanctorum canonum remaneat. Unde Chrysostomus in commentariis super Matthæum (*Matth.* XII, 1), ubi discipuli spicas vellebant sabbato, et Pharisæi reprehendebant, sic ait : Si non licuit David et viris ejus adhuc sub umbra legis comedere panes propositionis, quando ab Abimelech panes petiit fame stimulante; quomodo nunc Evangelio coruscante persuaderi debet laicis ut oblationem panum Deo oblatorum suis usibus rapiant? Dicit namque perinde Apostolus : « Qui altari serviunt, de altari participent (I, *quæst.* 1, *c.* 13). » Ergo quia sacerdotes pro omnibus orare solent quorum eleemosynas et oblationes accipiunt, qua fronte præsumunt laici oblationes, quas Christiani pro peccatis suis offerunt, vel comedere, vel aliis concedere, cum ipsi non debeant pro populis orare? Ob hoc, papa gloriose, mittere oportet illos præsumptores in excommunicationem perpetuam; ut cæteri metum habeant, et amplius hæc in Ecclesia ne fiant. »

24. *Utrumque opus impostoris esse.* — Circa quam epistolam in Hieronymi novissima editione notatum est, ab ejus opifice « nomina congeri auctorum, e quibus tamen nihil adducit, quia nihil eorum lege-

rat; Chrysostomi nominatim commentarios citari, cum divus Hieronymus Chrysostomum prorsus ignorarit. » Ignoravit certe commentarios ejus in Matthæum, quamdiu Damasus vixit. Anno enim 384 vivere desiit hic papa, Chrysostomus autem tantum anno 386 presbyter ordinatus concionari cœpit. Sed et verba velut ex commentariis ejus in Matth. XII, 1, hic citata, in illis frustra quæsivimus. Præterea si epistolam istam cum præmisso decreto conferamus, unius ejusdemque artificis opus esse deprehendemus, modo consiliarii qui consulatur, modo judicis qui sententiam dicat, personam ferentis. Et ex eodem quidem fonte cum Gregorius presbyter nomine Polycarpi notus, tum Gratianus utrumque excerpserunt. Impostorem quoque multa alia produnt. Nam cum anno 502 sub Symmacho papa coram concilio lecta esset scriptura regis Herulorum, qua regibus in facultates ecclesiæ quoddam jus attribuere tentabat, ut rei hactenus inauditæ reclamavit universum concilium, ac nominatim Eulalius episcopus dixit (*Symmach. ep.* V, *n.* 11) : « Laicis quamvis religiosis nulla de ecclesiasticis facultatibus aliqua disponendi legitur umquam attributa facultas. » Quapropter Damasi, ac longe magis Nicænæ synodi, temporibus nihil opus erat, ut ab ecclesiasticis oblationibus sibi vindicandis laici coercerentur. Ista prava consuetudo, quam in dies augeri et crescere impostor queritur, sæculi potius IX, initia sapit. Quocirca episcopi anno 836 in Aquisgranensi II concilio congregati, id quod antea « contra eos, qui nullum esse discrimen dicebant, si rebus Deo oblatis in suis necessitatibus uterentur, » ad Pippinum regem scripserant, tribus libris ad eumdem regem missis Scripturarum, patrum conciliorumque testimoniis confirmarunt.

25. *Isidoro Mercatori haud temere tribui utrumque posse.* — Utrumque igitur scriptum apte in illud convenit tempus, quo Isidorus impostor vixit. Neutrum quidem exstat in ampla ejus collectione : sed nihil vetat quominus post ejus editionem ingenium mendaciis adeo fecundum nonnihil novi protulisse censeatur. Sane qui de versu *Gloria Patri* in fine cujusque psalmi adjungendo Hieronymi nomine ad Damasum scripsit, « Precatur ergo cliens tuus, » eodem nomine eumdem alloqui nunc videtur in hunc modum, « Quia de quæstione quam proposuisti *clientulo* tuo. » Qui utroque in scripto sanctionem recentem velut antiquam sanctorum patrum regulam audire vult, nonne dignoscitur ipse esse, qui placita sua tamquam majorum decreta venditare solet, ac vetustiores Romanos pontifices inducere consuevit eorum vindices decretorum, quæ posteriores dumtaxat edixerunt? Ipsi demum peculiare est commenta sua Nicæni consilii fictitia auctoritate commendare. Quod ut ei felicius cedat, ab ipso collectionis suæ proœmio id summo studio enititur, ut Nicæni concilii longe plures canones, quam qui habentur olim fuisse persuadeat. Unde et identidem, sed maxime in pseudo-Julii epistola, plurima huic concilio adscribere non timet decreta, quæ ab eo prorsus aliena sunt. Cui igitur reddamus decretum contra eos, qui oblationes de sacris ecclesiis auferre moliuntur, quod nobis ut antiqua CCCXVIII patrum Nicænorum regula mendacissime jactitatur, nisi notissimo mendaciorum hujusmodi parenti?

26. *De violatoribus canonum.* — In editionibus conciliorum quartum hoc refertur decretum : « Violatores canonum voluntarii graviter a sanctis patribus judicantur, et a sancto Spiritu, cujus instinctu ac dono dictati sunt, damnantur : quoniam blasphemare in Spiritum sanctum non incongrue videntur, etc. » Istud tamen ineditum non erat. A Gratiano enim 25, quæst. 1, c. 5, descriptum est ex ea epistola, quam Isidorus Mercator Damaso ut ad Aurelium Carthaginensem episcopum rescribenti suppositam collectioni suæ præposuit, quamque apud Labbeum, tom. II Concil. pag. 863 et alibi vulgatam videre licet.

27. *De metropolitanis, qui pallium expetere negligunt.* — Postremum ita se habet : « Quoniam quidam metropolitanorum fidem suam, secundum priscam consuetudinem, sanctæ sedi apostolicæ exponere detrectantes, usum pallii neque expetunt, nec percipiunt; ac per hoc episcoporum consecratio viduatis ecclesiis non sine periculo protelatur : placuit ut quisquis metropolitanus infra tres menses consecrationis suæ ad fidem suam exponendam, palliumque suscipiendum ad apostolicam sedem non miserit, commissa sibi careat dignitate; sitque licentia metropolitanis aliis, post secundam et tertiam commonitionem, viduatis ecclesiis, cum consilio Romani pontificis, ordinando episcopos subvenire (*Ans.* viduatæ ecclesiæ... ordinando episcopum). Si vero consecrandi episcopi negligentia provenerit, ut ultra tres menses ecclesia viduata consistat; communione privetur quo usque aut loco cedat, aut se consecrandum præbere non differat. Quod si ultra quinque menses per suam negligentiam retinuerit viduatam ecclesiam; neque ibi, neque alibi consecrationis donum percipiat, immo metropolitani sui judicio cedat (*Ans.* recedat). » Et istud quidem Damaso ab Anselmo lib. VI, c. 80; Burchardo lib. I, c. 25; Polycarpo lib. II, tit. 10, et Panormiæ auctore lib. III, c. 11, ascribitur. At Ivo par. III, c. 136, ac Gratianus dist. 100, c. 1, quibus et concinit Innocentius III, lib. I epist. 117, ad Bituricensem archiepiscopum, cujus initium *Ne si universi*, illud Pelagio attribuunt. Idem Innocentius, extra de translat. episc. c. 2, § 1, relatus, velut ex *Canone* postrema ejus verba sic citat : « Neque illud, quod in *Canone* legitur de electo, ut si ultra sex (*nota* ibi sex, *non* quinque *legi*) menses per suam negligentiam retinuerit ecclesiam viduatam, nec ibi nec alibi donum consecrationis accipiat, immo metropolitani sui cedat judicio, etc. »

28. Verum neque Damaso, neque Pelagio I aut II congruit, utpote quo asseritur ac vindicatur disciplina octavo tantum sæculo inducta, uti colligere est ex concilio cui Bonifacius episcopus Moguntinus anno 742 præfuit, et de quo epist. 105 ipse scribit : « Decrevimus nostro synodali conventu, et confessi

summus fidem catholicam et unitatem et subjectionem Romanæ ecclesiæ fine tenus servare, sancto Petro et vicariis ejus velle subjici, metropolitanos pallia ab illa sede quærere. » Unde planum est metropolitanis, saltem in Gallia, necdum anno 742 ullam impositam fuisse legem, qua pallia quærere ab apostolica sede cogerentur. Immo Francos decreto prædicto non statim paruisse, ac metropolitanos, an ab apostolica sede pallia quærerent, etiam postea deliberasse, cum ex epistola 5 Zachariæ papæ ad Bonifacium, tum ex ea quam Bonifacius huic rescripsit, comperimus. Si autem medio sæculo VIII nondum is plane obtinuerat mos, ut ab apostolica sede pallia metropolitani quærerent; quis non hac etiam ætate multo recentius censeat decretum, quod editum esse liquet, cum jam longo usu receptum erat, ut metropolitani non solum ab apostolica sede expeterent pallium, verum etiam quoad illud percepissent, officio suo fungi et episcopos ordinare non valerent? Monuerunt novissimi editores Gratiani, pro eo quod in fronte memorati decreti obtinet, *Pelagius papa*, in duobus codicibus Vaticanis haberi *Joannes VIII ex concilio* III *apud Ravennam*. Nec quisquam inficias ierit, illud apte in tempora convenire hujus papæ, quem item Gratianus dist. 100, c. 4, laudat ut Wiliberto Agrippinensi episcopo sic scribentem : « Optatum tibi pallium nunc conferre nequivimus, quia fidei tuæ paginam minus quam oporteat continere reperimus. » Hic in transcursu observo, etiamsi Zachariæ papæ ævo id moris nondum obtinuerat, ut omnes metropolitani pallium ab apostolicæ sede quærere tenerentur, eos tamen quibus tum concedebatur, prius apostolicæ sedi fidem suam exponere consuevisse. Quocirca scribit idem papa epist. 4 ad Bonifacium : « Qualiter enim mos pallii sit, vel quomodo fidem suam exponere debeant hi qui pallio uti conceduntur, eis direximus. »

DUO CARMINA

A QUIBUSDAM INSUPER DAMASO PAPÆ ASCRIPTA.

EPITAPHIUM SISENNII PRESBYTERI.

(Apud Gruter. pag. 1172, n. 9.)

Presbyter hic voluit Sisinnus ponere membra,
Omnibus acceptus populis, dignusque sacerdos;
Qui sciret sanctæ servare fœdera matris :
Blandus amore Dei semper qui vivere nosset,
Contentusque suo nesciret principis aulam.

AD QUEMDAM FRATREM CORRIPIENDUM [a].

(E membranis Bibliothecæ Passioneiæ, nunc Angelicæ Eremit. Augustinensium [b].)

Tityre, tu fido recubans sub tegmine Christi
Divinos apices [c] sacro modularis in ore.
Non falsas fabulas [d] studio meditaris inani :
Illis nam capitur felicis gloria vitæ,
Istis succedent pœnæ sine fine perennes.
Unde cave, frater, ne vanis ne te subdere curis,
Inferni rapiant miserum ne tartara tetri.
Quin potius sacras animo spirare memento
Scripturas, dapibus faciant quæ pectora castis.
Te Domini salvum conservet gratia semper.

[a] Ita inscribitur a librario hoc epistolium.

[b] Cod. ms. membran. sæculi XI, fol. 31, sig. num. LXXXVII.

[c] Psalmos, ut puto, denotat.

[d] Haud eleganter primam vocis *fabulas* syllabam corripit.

MONITUM IN SEQUENS KALENDARIUM.

(Ex Analect. Mabilon. p. 163.)

Hoc Kalendarium Sanctorum, quos olim Carthaginensis Ecclesia quotannis recolebat, Africanum dicere licet, omnium quæ hactenus typis vulgata sunt, ut quidem puto, antiquissimum et rarissimum. Repertum a nobis est felici casu in quodam veterrimo codice celebris monasterii Cluniacensis, continente beati Hieronymi Commentarios in Isaiam, immo in codice, sed codicis ligneo operculo, tineis ac vermibus corroso, affixum. Operæ pretium fuit vetustissimam et semesam membranam a ligno carrioso divellere. Operculi pars antica Kalendarii principium, postica reliquum continebat. Scriptura Romana est, lituris majusculis exarata, sæculo septimo non inferior.

Antiquius est Kalendarium cum in eo nulli sancti, nedum Fulgentius Episcopus, reperiantur iis posteriores, qui in Vandalorum persecutione sub Hunnerico Rege passi sunt. Qui tunc in Africa annuo cultu honorabantur sancti, plerique erant populares : quidam tamen ex Italica et ex Hispania, præter Apostolicos viros, nullum Deiparæ festum, de qua nullus apud Augustinum tractatus seu sermo. Annus a XIII Kal. Maii incipit, nempe post Pascha : desinit in XIII Kal. Martii. Nullum festum per totum Martium mensem, id

est per totam Quadragesimam. Hæc universim admonere visum est. Titulus veteris membranæ hoc modo conceptus est. *Hic continentur dies natalitiorum martyris, et depositiones episcoporum, quos Ecclesia Carthagenis anniversaria celebrant.*

KALENDARIUM ANTIQUISSIMUM
ECCLESIÆ CARTHAGINENSIS.

[a] *Hic continentur dies natalitiorum martyrum, et depositiones episcoporum, quos Ecclesia Carthagenis anniversaria celebrant.*

xiii Kalend. Maias martyris Mappalici. [a]
iii Kal. Mai. martyris Pudentis. [b]
ii Kal. Mai. martyris Claud. [c]
iii Non. Mai. depositio Grati Episcopi. [d]
A ii Non. Mai. Marini et Jacobi martyris. [e]
Nonas Mai. depositio Genecli Episcopi. [f]
v Idus Mai. sancti Majuli. [g]
iii Idus Mai. martyris Secundiani. [h]
ii Idus Mai. sanctæ Felicis, Cecili et comitum. [i]
xi Kal. Junias sanctorum Casti et Emili. [j]
x Kal. Jun. sanctorum Luci et Montani. [k]

[a] Sic titulus in codice manus.

[1] [a] xiii *Kalend. Maias martyris Mappalici.* Is ipse quem cum sociis celebrat Lucianus in epistola ad Celerinum, quæ est epistola 22 apud Cyprianum: et Cyprianus ipse in epistola 23, ad martyres et confessores, et in epistola 9, ad clerum Romanum, ubi hæc inter alia: *Vox plena Spiritu sancto de Martyris ore prorupit, cum Mappalicus beatissimus inter cruciatus suos proconsuli diceret: Videbis cras agonem, et quod ille cum virtutis ac fidei testimonio dixit: Dominus implevit.* Tum suos ad martyrum Mappalici B exemplo hortatur idem sanctissimus antistes, *ut quos*, ait, *vinculum confessionis et hospitum carceris simul junxit, jungat etiam consummatio virtutis et corona cælestis.* Apud Adonem qui hæc verba refert, et in veteri Romano apud Rosweydum Martyrologio, atque apud Usuardum et Notkerum, Mappalicus laudatur xv Kal. Maii Wandalberti metricum consentit. Nudum ejus nomen legitur in Aprilis Bollandiani, tomo tertio.

[b] iii *Kal. Mai. martyris Pudentis.* Non quidem ille Pudens senator Romanus, cujus in epistola ii ad Timotheum Paulus meminit, pater Novati, itemque Praxedis et Pudentianæ virginum, cujus domus in Viminali posita, conversa est in ecclesiam, quæ deinceps Pastoris titulum accepit: sed potius *Pudens miles optio præpositus carceris, qui nos*, ait sancta Perpetua in suis ipsius ac sanctæ Felicitatis Actis, *magni faciebat, cæpit intelligere magnam virtutem esse in nobis, qui multos ad nos admittebat, ut et nos et illi invicem refrigeraremus.* Aut certe Pudens Alexandriæ C martyr, cujus memoria fit ipsa die apud Bollandi continuatores.

[c] ii *Kal. Mai martyris Claud.* Incertum quis iste Claudius, nisi qui hac die in quibusdam Hieronymiani Martyrologii exemplis inter alios martyres Alexandrinos Claudius censetur, apud Bollandi socios.

[d] iii *Non. Mai. depositio Grati episcopi.* Carthaginensis, qui Sardicensi concilio cum aliis Africanis episcopis interfuit, præfuitque synodo Carthaginensi primæ anno CCCXLVIII, in qua Donati conatibus se objecit, suscepta insuper ad Constantem imperatorem legatione. Nihil de eo hac die apud Bollandi continuatores.

[e] ii *Non. Mai. Marini et Jacobi martyris.* Marianum vocat Baronius ex actis, quæ ex Aprili Suriano descripsit ad annum 262 a num. 34. Passi sunt in Numidia sancti isti martyres eodem anno, qui ejus persecutionis ultimus censetur. Pridie Kalend. Maii in Martyrologio Romano memorantur, atque in veteri Rosweydi, et apud Adonem, qui eorum acta perstringit. Eodem die a Surio illa referentur, et apud Bollandianos.

[f] *Nonas Mai. depositio Genecli episcopi.* Is haud dubie Genethlius, quem *beatæ memoriæ Carthaginensem ante Aurelium Episcopum* dicit Augustinus in epistola ad Eleusium, etc., quæ est 44 novæ editionis. Nihil de eo Bollandiani socii.

[g] v *Idus Mai. sancti Majuli.* De eo Notkerus hac die *In Africa Majoli, Victorini, Fortunati, et aliorum militum.* Consentit vulgatum Hieronymi martyrologium apud Acherium nostrum in Spicilegii tomo quarto, et Maii Bollandiani tomus secundus, pag. 625.

[h] iii *Idus Mai. martyris Secundiani.* In vulgato Hieronymi martyrologio et apud Notkerum pridie Maii memoratur *in Africa natalis sancti Secundiani, Quarti, Victoriani*, etc., quædam exemplaria apud Bollandianos habent, *Secundiani episcopi et martyris.* Fuit et alter Secundianus episcopus loci in Thambeis dicti, qui in Synodo Carthaginensi de hæreticis rebaptizandis a Cypriano habita memoratur. Ejus quoque meminit Augustinus in lib. VII de Baptismo contra Donatistas, cap. 44. Porro Thambes mons in extrema Numidiæ parte locatus est, ab aliis *Thabeis* dictus, unde forsan *Thabena civitas*, apud Cæsarem, et quæ apud Ptolemæum *Tabba* nomen sumpsit.

[i] ii *Idus Mai. sanctæ Felicis, Cecili et comitum.* Id est sancti Felicis, cui Cecilius cum aliis martyrii socius adjungitur in tomo II Maii Bollandiani, sed Nonis Maii, pag. 136.

[j] xi *Kal. junias sanctorum Casti et Emili.* Apposite hoc loco Bedæ, Rabani, et Notkeri Martyrologia: xi *Kal. Junii in Africa Casti et Æmilii, qui per ignem passionis martyrium consummaverunt, scribit beatus Cyprianus in libro de Lapsis.* Idem habet Usuardus: quibus consentiunt Uvandalberti metrici fasti. Augustinus sermonem, inter diversos editum, *de die natali martyrum Casti et Æmilii*, recitavit, testante Possidio in capite 9. Alius fuit Castus diaconus in actis Cirtensibus interrogatus, apud Baronium ad annum 303, num. 26.

[k] x *Kal. Jun. sanctorum Luci et Montani.* Lucio et Montano Africanis martyribus adjuncti Flavianus, Julianus, Victorius, et alii confessores, Cypriani discipuli quorum epistolam et passionis acta post Surium Baronius ad annum 262 publicavit. Hac ipsa die martyrologia Hieronymi et Notkeri. Montanus laudatur in epistola Celerini ad Lucianum, quæ est 21 apud Cyprianum: Lucius in epistolis 68, 69, 78 et 80.

VIII Kal. Jun. sancti Flaviani et Septimiæ. [a]

II Kal. Jun. sanctorum Timidensium. [b]

III Non. Jun. sancti Perseveranti martyris. [c]

Nonas Jun. Sancti Systi. [d]

III Idus Jun. sancti Galloni. [e]

XIII Kalend. Julias sancti Gervasi et Protasi martyrum. [f]

VIII Kalend. Jul. sancti Joannis Baptistæ. [g]

Sancti . . et Rogati martyris. [h]

A . . . Jul. sancti E.... martyris. [i]

. . . Jul. Sanctorum..... Apostolorum. [j]

. . . Jul..... [k]

Idus Julias sancti Catulini martyris. [l]

XV... Kal. Augustas sanctorum Scilitanorum. [m]

XIII Kal. Ag. depositio sancti Aurili episcopi. [n]

XI Kal. Ag. sanctorum Maxulitanorum. [o]

.... Kal. Ag. depositio sancti Capreoli episcopi. [p]

III Kal. Ag. sanctarum Tuburbitanarum, et Septimiæ. [q]

[a] VIII *Kal. Jun. sancti Flaviani et Septimiæ.* Non dubium quin iste Flavianus idem ipse sit, qui sanctorum Lucii et Montani socius illustris martyrii, altero post ipsos die mortem oppetiit. Nullum enim alium ejus nominis Africanum martyrem invenias; et ex ipsis Lucii et sociorum actis constat, Flaviani necem amicorum rogatu biduo dilatam fuisse, ut vel sic invicta martyris patientia frangeretur, quod secus accidit. At undenam Septimia martyr? In martyrologio Hieronymi VI *Id. Maii* laudatur Romæ inter alios multos *Septimia martyr:* sed aliam hoc quærimus.

[b] II *Kal. Jun. sanctorum Timidensium.* Timidensium martyrum acta, si exstitere uspiam, exciderunt. Forsan ex eorum numero fuit præclarus ille *Confessor* Faustus a Timida-regia, memoratus etiam ab Augustino contra Criscomium lib. VII, cap. 22, qui Faustus in Synodo Carthaginensi sub Cypriano habita sententiam dixit in hæreticorum baptismi fautores. In proconsulari Africæ provincia sita fuit Timida-regia, cujus episcopus, Benenatus nomine, ab Hunnerico Rege in Corsicam insulam est deportatus.

[c] III *Non. Jun. sancti perseveranti martyris.* Perseveranti martyris Terracinæ meminit Hieronymianum Martyrologium Kal. Novembris: alium non invenio.

[d] *Non. Jun. sancti Systi.* Videtur episcopus fuisse: at cujus loci, haud liquet; distinguendus utique a Xysto Pontifice paulo post subjecto.

[e] III *Idus Jun. sancti Galloni.* Hieronymo tributum martyrologium *Gallonem* incerti loci martyrem laudat XIV Kal. Martii; et *Galanum* ex Africa martyrem XVII Kal. Decembris.

[f] XIII *Kal. Julias sancti Gervasi et Protasi Martyrum.* Quorum passio cultusque celebris apud Mediolanum, inde in Africam forsan invectus per Augustinum, qui inventionis eorum corporum per sanctum Ambrosium factæ testis fuit, ex lib. IX Confessionum, cap. 7.

[g] VIII *Kal. Jul. sancti Joannis Baptistæ.* Hic sermones duo sancti Augustini de ejus nativitate, præter alios aliorum Patrum.

[h] *... Sancti... et Rogati martyris.* Inter Alutinenses clarissimos martyres Rogatus numeratur apud Baronium ad annum 303, num. 26.

[i] *..... Jul. sancti E.... martyris.* Mutilum est hoc loco Kalendarium. Forsan legendum, *sancti Elafi martyris* in Africa, qui IV Kal. Julii notatur in vulgato Hieronymi Martyrologio, cum Sabiano, Felice, et aliis.

[j] *..... Sanctorum..... Apostolorum.* Haud dubie Petri et Pauli, qui III Kal. Julii in omnibus Martyrologiis locum merentur. Possidius in Indiculi capitibus 9 et 10 memorat Augustini tractatus in eorum natali.

[k] *Jul....* Mancum item hoc in loco Kalendarium: religio est divinare.

[l] *Idus Julias sancti Catulini martyris.* Non aliunde notior est Catulinus martyr Africanus, quam ex Augustini sermone de Diversis, *per natalem Catulini* perorato. Caium inter Africanos martyres adscitum lego, errore librarii, pro Catulino, cujus mentio ad hanc diem in martyrologiis Hieronymi et Usuardi.

Hieronymo, *In Africa, civitate Carthagine, natalis sanctorum Catolini diaconi, et reliquorum martyrum, qui requiescunt in basilica sanctæ Faustæ.* Ado et Usuardus, *in basilica Fausti*, et socios enumerant. Apud Victorem Vitensem iterum atque tertio legitur *basilica Fausti*, nempe in libro secundo bis, et semel in tertio de Persecutione. *Faustæ*, non raro scribebant veteres imperiti pro *Fausti*, ut supra *sanctæ Felicis*, et similia passim in hoc Kalendario.

[m] XV.... *Kal. Augustas sanctorum Scilitanorum.* Scilitani martyres, vel ut habent editi libri, scylitani, anno Christi CCII capti, XIV Kal. Augustas, quemadmodum acta eorum apud Baronium præferunt, intra quatriduum sunt consumpti. Possidius, in Indiculi cap. 9, Augustini sermonem habitum notat *per natalem sanctorum martyrum Scyllitanorum.* An is ipse, qui in editis sermo sextus de verbis Apostoli dicitur? qui in manus codice Romani sanctæ Crucis in Jerusalem monasterii Cisterciensis, fertur *habitus in basilica sanctorum martyrum Scilitanorum.* Omnino duodecim recenset cum actis Usuardi martyrologium XVI Kal. Sextiles, quo die *apud Carthaginem natalis sanctorum martyrum Scillitanorum, Speratı, Nartali, Cythini, Beturii, Felicis, Aquilini, Lætantii, Januariæ, Generosæ, Vestiæ, Donatæ, et Secundæ sub Saturnino præfecto: qui post primam confessionem in carcerem missi, et in ligno confixi, deinde gladio decollati sunt.* Totidem martyres enumerant acta, sed paulo immutatis nominibus, uti et in martyrologio Bedæ, ubi *Scillidani* martyres undecim, et Hieronymi, ubi tantum septem numerantur. *Duodenam plebem* appellat. Wandalbertus. De his mentio apud Victorem in lib. I: *Et ut de necessariis loquar, basilicam majorem, ubi corpora sanctarum martyrum Perpetuæ, atque Felicitatis sepulta sunt, Celerinæ, vel Scillitanorum, et alias, quas non destruxerunt, suæ religioni licentia tyrannica manciparerunt.*

[n] XIII *Kal. Ag. depositio sancti Aurili Episcopi.* Carthaginensis, viri celeberrimi, Augustini æqualis, cujus nomen in martyrologiis non invenio.

[o] XI *Kalend. Ag. sanctorum Maxulitanorum.* Maxulitana civitas Africanæ proconsularis provinciæ, martyrum agmen tulit, quorum acta excidisse dolendum est. Inter editos Augustini sermones habentur duo *de sanctis martyribus Massilitanis*, nempe 42 et 45 de Diversis, quo forte loco *Maxulitanis* reponendum. Nec abnuunt mss. codices. Attamen Victor Vitensis in lib. I scribit *Massilitanum littus.* Careadius Maxulitanus episcopus ab Hunnerico relegatus in Corsicam, in Notitia provinciarum et civitatum Africæ perhibetur.

[p] .... *Kal. Ag. depositio sancti Capreoli episcopi.* Is post Aurelium, intermedio Quodvultdeo, Carthaginensis episcopus, scripsit epistolam ad Ephesinos patres, editam in conciliis; itemque aliam ad Vitalem et Constantium seu Tonantium Hispanos, quam vir summus Jacobus Sirmondus ex codice Herivallensi publicavit.

[q] III *Kal. Ag. sanctarum Tuburbitanarum, et Septimiæ.* Tuburbum aliud majus, aliud minus. *Tuburbitanæ civitatis majoris* meminit Victor Vitensis in lib. III. Tuburbum minus in Zeugitana, cujus episcopus Victor in Collatione Carthaginensi, et Maximus

Kal. Ag. sanctorum Macchabeorum. [a]

VIII Idus Ag. sancti Systi episcopi et martyris Romæ. [b]

IV Idus Ag. sancti Laurenti. [c]

II Idus Ag. de sanctos Marinus. [d]

Idus Ag. sancti Hippolyti. [e]

... Kal. Sep. sanctorum Massæ Candidæ. [f]

... Kal. Sept. sancti Quadrati. [g]

... Kal. Sept. sancti Timothei. [h]

... Kal. Sept. sancti Genesi mimi. [i]

IV Kal. Sept. depositio Restituti et Augustini episcopi. [j]

III Kal. Sept. sancti Felicis, Evæ et Regiolæ mart. [k]

ejus adversarius. Tuburbum majus Africæ proconsularis civitas erat, cujus episcopus Benenatus, in Notitia Africæ. Locum ubi martyres passi sunt, Notkerus *Tuburbo-Lucernariam* vocat. Tuburbitanarum agmina sanctarum duo notare solent plerique, cum veteres, tum recentiores : Perpetuam videlicet, Felicitatemque passas Nonis Martii : ac Max mam, Donatillam et Secundam Virgines, quæ hocce III *Kalend. Aug.* die Tuburbi martyrium consummarunt. Posteriores hoc loco passas nemo inficiatur : eas vero hic designari constat unanimi veterum consensu, qui hoc die nomina earum dyptychis sacris inseruere. An etiam Perpetua et Felicitas Tuburbi in Mauritania, an Carthagine sanguinem fuderint dubitationi locus est. Auctores veteres utroque trahunt. Pseudo-Beda, Notkerus, Usuardus, et cæteri qui eos secuti sunt, Tuburbum habent. Prosper in Chronico Labbeano, Beda in libro de sex ætatibus, Frecultus, Regino et Hermannus, Rabanus et alii Carthaginem præferunt. Posteriorem sententiam amplexus est clarissimæ memoriæ Henricus Valesius, qui in præfatione ad eamdem martyrum acta Lutetiæ Parisiorum edita, libratis utrimque momentis, eas Carthagine potius, quam Tuburbi cæsas gravibus sane probat argumentis. Res ipsa conficeretur ex hujus Kalendarii auctoritate, siquidem Martium mensem (quo passæ martyres sunt) uti alios menses complecteretur. Nullus enim dubitet, quin eas Nonis Martii, quemadmodum alia martyrologia, notaret. Sed quoniam tunc temporis in Africa toto Quadragesimali tempore festisque Paschalibus nulla martyrum celebrabatur memoria; inde fit ut a XIII Kal. Martias ad XIII Kal. Maias nullius sancti nomen hic insertum, nedum Perpetuæ et Felicitatis, habeatur : quæ an ad III Kal. Augustas sint dilatæ, et cum virginibus Tuburbitanis natale festum acceperint, aliorum esto judicium. Certe sermones beati Augustini de duabus illis martyribus perlegenti palam fit, eas speciali festo cultuque fuisse celebratas. Tuburbitanis martyribus Maximæ, Donatillæ et secundæ alios sexdecim adjungit martyrologium Hieronymo subjectum, quos inter numeratur Septimia hic laudata.

[a] *Kalend. Ag. sanctorum Macchabeorum.* Vel hinc patet antiquissimum esse in Ecclesia Macchabeorum festum, cujus rationem reddit sanctus Bernardus in epistola 98. Præ his antiquiores sunt de ipsis Machabæis homiliæ Patrum, Gregorii Nazianzeni, Joannis Chrysostomi et aliorum subsequentium.

[b] VIII *Idus Ag. sancti Systi episcopi et martyris Romæ.* Ejus memoria præ sanctis Stephano et Cornelio inde forsan pretiosa fuerit apud Africanos, quod is controversiam de baptismo hæreticorum composuerit. Unde Pontius in Vita sancti Cypriani eum *bonum et pacificum sacerdotem* appellat.

[c] V *Idus Ag. sancti Laurenti.* Inclyti martyris Romæ, quem hac die laudant omnes; et Augustinus inter Patres sermonem habuit *per natalem sancti martyris Laurentii.* Possidius in indiculi cap. 9.

[d] II *Idus de sanctos Marinus.* Quis iste Marinus, dubius hæreo. Inter traditores episcopos ab Optato memoratos, Marinum ab Aquis Tibilitanis invenio, qui an sanctorum numero adscriptus, an (ut ita res habeat) hic designatus sit, divinare non ausim. Novi et Marinum Arelatensem episcopum, qui synodicæ ad Silvestrum Pontificem epistolæ primus subscribit in causa Donatistarum. An hic eam ob rem locum obtinuit?

[e] *Idus Ag. sancti Hippolyti.* Martyris Romani percelebris, de quo inter alios Prudentius in hymno 11, περὶ Στεφάνων.

[f] .... *Kal. Sept. sanctorum Massæ Candidæ.* Trecenti numerantur Massæ Candidæ Africani martyres, quorum nobile martyrium describit Pontius in actis sancti Cypriani, et Prudentius in hymno 13, Augustinus in Psalmum XLIX et in sermone 112 de Diversis, quem Possidius in indiculi cap. 9 notavit. Memorantur in martyrologiis IX Kal. Septemb., at in vulgato Hieronymi XV Kalendas easdem.

[g] .... *Kal. Sept. sancti Quadrati.* Quadratum invenio Christianæ religionis vindicem Hadriani Augusti tempore post Publium Athenensium Pontificem. Eum in Africano Kalendario notatum haud existimem. Possidius in cap. 9 Augustini sermonem indicat habitum *per natalem martyris Quadrati*, qui sermo necdum inter vulgatos notus, a Beda in sincera Pauli epistolarum expositione ex variis Augustini operibus contexta (qualis a nobis in bibliotheca Sithiensi reperta est) fuit decerptus. Ejus rei fragmentum a Beda relatum, propediem in nova Augustini editione proferetur in lucem. Sed inde non liquet, quis ille Quadratus fuerit episcopus tum ab Augustino, tum in Kalendario nostro celebratus. Quadratum episcopum, qui Collationi Carthaginensi interfuit, huc adducere non licet, quando is Augustino vivente necdum inter cœlites relatus esse, nedum sermone ab eo celebrari potuerit. In vulgato sancti Hieronymi martyrologio ad XII Kal. Sept. numeratur inter alios *natalis sancti Quadrati Episcopi*, qui fortasse hoc loco intelligendus. Nec obstare debet, quod Quadratus istic XII Kal. Sept. memoretur, cum Massæ Candidæ martyres IX Kalend. Septembris in Martyrologiis passim notati sint. Neque enim ex Kalendarii nostri fugientibus numericis litteris quotus dies iis assignatus sit, expiscari potuimus : et Timotheus, qui XI Kal. ubique locatur, hic positus est post Quadratum, nedum post Massæ Candidæ martyres.

[h] .... *Kal. Sept. sancti Timothei.* In martyrologiis vetustis, etiam in Bedæ sincero, laudatur XI Kal. Septemb. Timotheus Martyr, qui Antiochia Romam profectus Melthiade Pontifice, ibidem capite plexus est.

[i] .... *Kal. Sept. sancti Genesi mimi.* Romæ Genesius mimus, seu *mimiariæ artis magister*, Diocletiano Imperatore, in plerisque Martyrologiis memoratur cum Genesio Arelatensi VIII Kal. Sept.; at in martyrologio Hieronymi notatur Genesius Arelatensis die sequenti, etiam Prudentio laudatus in hymno 4.

[j] IV *Kal. Sept. depositio Restituti et Augustini episcopi.* In martyrologio Romano V Id. Decembris mentio fit de sancto Restituto Carthaginensi episcopo et martyre. Sed qui hunc martyrem dicunt, auctorem non habent Augustinum, cujus tractatus inscribitur *de depositione Restituti episcopi*, apud Possidium in cap. 10, absque nomine martyris. De eo vide Baronium ad annum 303, num. 73. De alio Restituto presbytero Calamensi mira prædicat Augustinus in lib. XII de Civitate Dei, cap. 24. Plures item ejus nominis Africanos episcopos lego, tum in epistolis concilii Carthaginensis, tum in Notitia provinciarum Africæ : sed nihil ad hunc locum, cum hic agatur de Restituto, qui Augustino præponitur, atque adeo ætate eo superior fuit.

[k] III *Kal. Sept. sancti Felicis, Evæ et Regiolæ Mart.* Alutinenses illi martyres in Numidia fuerunt, plurimis aliis conjuncti, quorum acta profert Baro-

... Idus Sept. sancti Ampeli. [a]
xviii Kal. Octo. sancti Cypriani episcopi et martyris Carthag. [b]
xvi Kal. Oct. sanctæ Eufimiæ. [c]
... Kal. Oct. sancti Januarii martyris. [d]
... Kal. Oct. sancti Sossi. [e]
vi Id. Oct. sancti Quintasi. [f]

A iii Id. Oct. sancti Lucæ evangelistæ et martyris. [g]
xvi Kal. Nov. sanctorum Volitanorum. [h]
... Kal. Nov. sancti Leuci et Victurini martyr. [i]
... Kal. Nov. sanctæ Victuriæ. [j]
iv Kal. Nov. sancti Feliciani et Vagensium. [k]
Kal. Nov. sancti Octavi. [l]
... Id. Nov. sanctorum Capitanorum. [m]

nius ad annum 303, num. 35, ubi *Fua* errore typographico in quibusdam editis pro *Era* scribitur. Dies ignotus ex actis : sed constat eum esse post v Kal. Aug., quo die apud Augustinum in Breviculo collationis diei tertiæ, cap. 17, passi dicuntur *consulibus Diocletiano novies et Maximiano octies, pridie Idus Februarii*, tametsi in Martyrologiis memorantur III Idus; hic III Kalend. Septembris.

[a] .... *Idus Sept. sancti Ampeli.* Inter Alutinenses quoque martyres Ampelius quartum locum obtinet ; qui nescio an idem sit cum Ampelio hic recensito, qui martyr neutiquam appellatur. Inter concilii Carthaginensis Patres bis Ampelius nominatur, seu cum scribunt illi ad Innocentium Pontificem, seu cum ad illos responsum mittit Innocentius : at cujus sedis episcopatum tenuerit, necdum assequi licuit.

[b] xviii *Kal. Octobr. sancti Cypriani episcopi et mart. Carthag.* Cujus nomen, doctrina, et sanctitas in pretio, et merito quidem, apud omnes, sed maxime apud Africanos. Duas egregias amplasque sub ejus nomine basilicas apud Carthaginem suo tempore exstitisse tradit Victor Vitensis in lib. I : *Unam, ubi sanguinem fudit : aliam, ubi ejus sepultum est corpus, qui locus Mappalia vocitatur.*

[c] xvi *Kal. Octob. sanctæ Eufimiæ.* Euphemia virgo et martyr Chalcedonensis, anno 311 passa xvi Kal. Octob. quam *pulla veste et pallio, Philosophiam* profitente, indutam Asterius describit. Dies huic loco C quadrat.

[d] .... *Kal. Oct. sancti Januarii martyris.* Januarium hic notatum puto martyrem Africanum, qui anno CCCII una cum Paulo Gerontio et aliis sex martyrii coronam accepit. Nisi si Januarius sit Beneventanus episcopus, sub Maximiano Neapoli in Campania passus XIII Kal. Octobris cum Sossio martyre, de quo mox Kalendarium.

[e] .... *Kal. Oct. sancti Sossi.* Anno 305 Sossius, Misenatis ecclesiæ diaconus, una cum Januario Beneventano Pontifice et aliis tentus, sub Dracontio præfecto, post varia tormenta capite plexus est, et in veteri Romano Rosuveydi martyrologio IX Kal. Oct. memoratur. An qui in Hieronymiano III Kal. Octob. his verbis : *Et alibi Januarii, Sossi*, etc.

[f] vi *Idus Oct. sancti Quintasi.* In eodem Hieronymi martyrologio VI Id. Octob. notatur inter alios Quintasus hoc modo : *In Africa Æraclii, Dionysii*, etc. *Et alibi Caiti, Quintasi*, etc., cujus dies huic loco D respondere videtur. Epistolæ Patrum Arelatensium Silvestro papæ datæ complures subscribunt episcopi, quos inter, non paucos ex Africa istuc convenisse non dubium. His Quintasius accensetur, cujus sedes nobis incognita. Ad hæc inter Mauritaniæ Cæsariensis episcopos, qui cum cæteris ab Hunnerico Carthaginem acciti sunt, Quintasius Mutecitanus locum obtinet.

[g] III *Id. Oct. sancti Lucæ evangelistæ et mart.* Duo hic cum cæteris non conveniunt, nempe, dies, et martyris nomen : cum Lucas XV Kal. Nov. notari solitus sit, nec martyris nomen passim obtineat. Quamquam id insinuat Gregorii Nazianzeni Oratio I in Julianum, et aperte dicunt Paulinus et Gaudentius. Martyrii modum describit Nicephorus in lib. II, cap. 43, ubi habet, Lucam ex olea arbore fuisse suspensum, quod aridi ligni, ex quo crux fieret, copia non adesset. Locum apud Patras Achaiæ civitatem designat Gaudentius in sermone 17 seu tractatu de dedicatione basilicæ sanctorum Quadraginta Martyrum.

[h] xvi *Kal. Nov. sanctorum Volitanorum.* Volitana, vel, ut alii scribunt, Bolitana civitas provinciæ proconsularis, Bonifacium habuit episcopum sub Hunnerico rege, a quo is in Corsicam est relegatus. Ibi Martyrum agmen occubuit, quos Augustinus simpliciter *martyres Bolitanos* vocat in titulo sermonis 13 B de verbis Apostoli, quem *in basilica Gratiani die natali sanctorum Martyrum Bolitanorum* habuit.

[i] .... *Kal. Nov. sancti Leuci et Victurini Martyr.* Lucii, Victorici et aliorum in Africa martyrum gesta seu præclaram eorum epistolam refert Baronius ad annum 262. Quo fere nullum reperias ejus temporis insignius monumentum. Victorici duobus in locis meminit Cyprianus, nempe in epistolis 54, ad Cornelium, et 68, ad Hispanos, eumque Pamelius *a Thabraca* vocatum observat. In Martyrologio Hieronymi XV Kal. Novembris fit memoria *in Africa Lucii, Victoris, Dasi, Leuci, Victorici*, etc. At in martyrologio Romano VI Kal. Martii.

[j] .... *Kal. Nov. sanctæ Victuriæ.* Alutinensibus Victoria martyr adjungitur; sed ejus hic natalem scribi non puto. Cur enim ab Eva et Regiola superius memoratis divelleretur? In martyrologio Hieronymi fit mentio inter alios plures de sancta Victuria martyre apud Mauritaniam XVI Kal. Novemb., et pridie easdem Kalendas alterius Victuriæ in Africa. Duas item alias Victorias ex Africa legimus in martyrologio Hieronymi IV Kal. Octobris ; duas item XVI Kal. Decemb. Has inter non dubito quin dandus sit inclytæ illi Victoriæ locus, quæ, testante Victoris Vitensis libro III, in civitate Culusitana *continuo suspendio cremata est*, sed ab angelo curata. In duobus codicibus mss. legitur sermo quidem Augustino adscriptus *in natali sanctæ Victoriæ*, qui ex duobus aliis de sancta Perpetua et Felicitate consarcinatus est. Si tamen Augustinum haberet auctorem, non ad Victoriam Culusitanam, quæ post Augustinum passa est, sed ad aliam referendus esset.

[k] IV *Kal. Nov. sancti Feliciani et Vagensium.* Felicianum Acolythum in Cypriani ad Cornelium epistola de Fortunato et Felicissimo memoratum lego : alium item Maximianæ partis episcopum Mustitanum, quem sede pelli Titianus Advocatus porrecto libello rogavit. Vagenses martyres nusquam alibi (quod sciam) noti. Notius Bagaitanum seu Vagaitanum Donatistarum Concilium. Fulgentium Vagadensem in Numidia episcopum Notitia Africana commemorat. Civitas Vaga a Ptolemæo et aliis e regione Girtæ collocatur. Forte Vagenses seu Bagaitenses Catholici a Donatistis furore abreptis necati, martyrum loco habiti sunt, nam ibi tumultuatos fuisse Donatistas eorum acta satis indicant.

[l] *Kal. Nov. sancti Octavi.* An is qui in duplici apud Augustinum epistola nominatur inter concilii Carthaginensis Patres, qui Innocentio Papæ adversus Pelagium et Cœlestium scripsere, nempe in epistolis 175 et 181 novæ editionis.

[m] .... *Idus Nov. sanctorum Capitanorum.* Qui Capitani martyres, qui Capitanorum sit locus, nobis non liquet. De loco nihil propius occurrit, quam civitas *Capsensis* seu *Capsitanorum* a Plinio, itemque a Cypriano in epistola 55 memorata. *Capensem*, teste Pamelio, mss. Codices efferunt, vel certe *Carpitana* cujus loci Felix episcopus provinciæ proconsularis

Idus sancti Valentini. [a]

... Kal. Dec. sancti Clementis. [b]

... Kal. Dec. sancti Chrysogoni martyris. [c]

... Kal. Dec. sancti Andreæ apostoli et martyris. [d]

Nonas Dec. sanctorum martyrum Bili, Felicis, Potamiæ, Crispinæ et comitum. [e]

IV Id. Dec. sanctæ Eulaliæ. [f]

III Id. Dec. sanctorum martyrum Eronensium. [g]

XVI Kal. Jan. sanctorum martyrum Felicis, Clementiane, Honorate et Massariæ. [h]

X... Kal. Jan. sancti Nemessiani. [i]

VIII Kal. Jan. Domini nostri Jesu Christi, Filii Dei. [j]

VII Kal. Jan. sancti Stefani primi martyris. [k]

VI Kal. Jan. sancti Joannis Baptistæ, et Jacobi Apostoli, quem Herodes occidit. [l]

V. Kal. Jan. sanctorum Infantum, quos Herodes occidit. [m]

Nonas Jan. depositio sancti Deogratias et Eugeni episcoporum. [n]

VIII Id. Jan. sanctum Epefania. [o]

VI Idus. Jan. depositio Quodvultdei episcopi. [p]

III Idus Jan. sancti martyris Salvi. [q]

XIX Kal. Feb. sancti Felicis Nolensis. [r]

ab Hunnerico relegatus est in Corsicam, ut docet Notitia provinciarum Africæ. Vide Augustinum contra Donatistas. An quatuor Coronati martyres Romæ hic intelligendi, de quibus martyrologia VI Id. Novembris. An potius Æraclius, Dionysius, Septimia cum aliis passi in Africa ipsamet die ex Martyrologio Hieronymi.

[a] *Idus sancti Valentini.* Celebre est in conciliis Valentini episcopi Arelatensis nomen, quem tamen hic notatum esse nequaquam verisimile est; sed potius Valentinum Castelli-Mediani antistitem in Mauritania Cæsariensi, quem Notitia provinciarum Africæ nobis suggerit.

[b] .... *Kal. Dec. sancti Clementis.* Papæ et martyris.

[c] .... *Kal. Dec. sancti Chrysogoni martyris.* Romæ celeberrimi, qui in variis martyrologiis memoratur VIII Kal. Decembris.

[d] .... *Kal. Dec. sancti Andreæ Apostoli et martyris.* Diem legere nequivimus. Eum facile suppleas ex aliis Martyrologiis, quæ diem prid. Kal. Decemb. assignant.

[e] *Nonas Dec. sanctorum martyrum Bili, Felicis, Potamiæ, Crispinæ et comitum.* Membrana Cluniacensis diserte habet *Bili* nomen, cujus loco vetera alia monumenta *Juli* seu *Julii* præferunt. Passi sunt priores hi tres martyres Thagurae in Numidia. Crispina vero, cujus Augustinus persæpe meminit, Thebaste in eadem provincia martyrium subiit. Illustrissimus Cardinalis Baronius ejus acta quasi deperdita conquestus est. Viveret vir summus, haberet unde nunc de eorum recuperatione nobiscum gratularetur. Hæc enim suppeditat perantiquus codex monasterii sancti Theoderici prope Remos, qualia hic a nobis in lucem eduntur. De Crispina hac die Usuardus et Ado cum aliis. Maxima, Donatilla, et Secunda, Crispinæ sociæ, in ejus actis laudantur.

[f] IV *Idus Dec. sanctæ Eulaliæ.* Eodem, quo mox laudati martyres, anno CCCLII Eulalia virgo Emeritæ in Lusitania passa est, quam Prudentius hymno sacro celebravit, nempe hymno 3.

[g] III *Id. Dec. sanctorum martyrum Eronensium.* Hi nobis incogniti. An ex Eroina urbe archiepiscopali sub patriarcha CP.

[h] XVI *Kal. Jan. sanctorum martyrum Felicis, Clementiane, Honorate et Massariæ*, id est *Clementiani, Honorati et Massariæ*. Inter multos in Africa Felices martyrio affectos, duo cum S. Cypriano passi sunt; Felix cum collegis a Valeriano damnatus ad metalla: Felix episcopus Tibaritanus, quod nollet libros tradere factus martyr: alter cognominis, ut Felicem et alios septem Numidas martyres omittam. Inter eorum omnium collegas Clementianum, Honoratum, Massariamque nusquam lego: ut earum acta periisse, eosque cum Felice ignoto jam loco vitam fudisse facile in animum inducam. Forsan ex illorum martyrum sunt numero, quos hac die memorat Hieronymi Martyrologium. *In Africa, Victoria, Victoriani... et aliorum triginta novem simul.*

[i] X.... *Kal. Jan. sancti Nemessiani.* Nemesianus in Numidia Tubunarum episcopus, is ipse, ad quem Cyprianus tres direxit epistolas: cujus etiam ac Dativi, Felicis et Victoris episcoporum, qui cum ipso ad metalla damnati erant, epistola ad Cyprianum superest, quæ inter ipsius Cypriani epistolas ordine 78 reperitur. Nemesianum persecutioni superfuisse, et in pace ecclesiastica obiisse crediderim, quod hic martyris titulo minime donetur. Tametsi in quibusdam hujus Kalendarii locis etiam desideratur martyris nomen in eis quos martyres fuisse aliunde constat.

[j] VIII *Kal. Jan. Domini nostri* Jesu Christi *Filii Dei.* Nempe Nativitas.

[k] VII *Kal. Jan. sancti Stefani primi martyris.* Inde apparet, jam inde ab antiquis temporibus sanctum Stephanum hac ipsa die honoratum ab Ecclesia fuisse.

[l] VI *Kal. Jan. sancti Joannis Baptistæ, et Jacobi Apostoli, quem Herodes occidit.* Notandum *Baptistæ* nomen: cujus loco Joannem Evangelistam hac die colit Ecclesia prisco more. An hic scribæ error?

[m] V *Kal. Jan. sanctorum Infantum, quos Herodes occidit.* Ex hoc loco patet antiquitas hujus festi; sed longe antiquior ejus mentio apud Origenem in homilia 2 in Matthæum. Illustrissimus Cardinalis Baronius in notis ad Martyrologium Romanum varios memorat Augustini sermones in festo Innocentium, ex his duos sermones in eorum Octava habitos, citatque Possidii indiculum. Et quidem Possidius in cap. 10 recenset Augustini *tractatus duos de Octavis infantium.* At eos habitos fuisse constat in Octava Paschæ, quæ Octava infantium recens in Paschate baptizatorum dicebatur. Ex his tractatibus unus est sermo pro Dominica in Octava Paschæ, qui est sermo 160 de tempore, in cujus sermonis cap. 2 hæc leguntur: *Hodie Octavæ dicuntur infantium*, etc. Huc sine dubio respexit Possidius.

[n] *Nonas Jan. depositio sancti Deogratias, et Eugeni episcoporum.* Ambo sub Geiserico et Hunnerico Carthaginenses episcopi, meritis ac confessione celebres, de quibus præter alios Victor Vitensis, nempe in libro I de Deogratias, in duobus aliis de Eugenio ejus successore.

[o] VIII *Idus Jan. sanctum Epefania.* Celebre apud Afros qui, teste Victore Vitensi in libro II, ipso die *benedicebant fontes ut baptizarentur accedentes ad fidem.* Augustinus *habuit de Epiphania tractatus septem*, testante Possidii indiculo in cap. 10.

[p] VI *Id. Jan. depositio Quodvultdei episcopi.* Non dubium quin et ipse Carthaginensis episcopus expulsus a Geiserico, apud Victorem Vitensem laudatus in libro I, Deogratias episcopi decessor. Alios ejusdem nominis episcopos vide apud Augustinum in epistola ad Innocentium, et in Notitia Provinciarum Africæ.

[q] III *Id. Jan. sancti martyris Salvi.* Membresitani episcopi. Eximia de illo contra Crisconium, itemque adversus Parmenianum scribit Augustinus, qui et sermonem habuit *per natalem sancti martyris Salvii*, ex Possidii cap. 3, et tractatum unum *de natali sancti Salvii*, ex cap. 10.

[r] XIX. *Kal. Feb. sancti Felicis Nolensis.* Non in

xvi Kal. Feb. sanctorum Rubrensium.[a]

xiv Kal. Feb. sanctorum Tertullensium et Ficariensium.[b]

xiii Kal. Feb. sancti martyris Sivastiani.[c]

xii Kal. Feb. sanctæ martyris Agnes.[d]

xi Kal. Feb. sancti martyris Vincenti.[e]

viii Kal. Feb. sancti martyris Agelei.[f]

Kalend. Feb. sanctorum Luciani et Vincenti martyr.[g]

iv Non. Feb. sanctorum Carteriensium.[h]

Nonas Feb. sanctæ martyris Agatæ.[i]

v Idus Feb. sanctorum Filicis, Victoris, et Januarii.[j]

xiv Kalendas Mart. sanctorum martyrum Macrobi, et Lucillæ, Nundinari, Cæcilianæ, et Petrensium.[k]

Africa solum, sed etiam ubique gentium notissimi, in cujus natali Augustinus sermonem habuit in Psalmum 127, uti Adoni visum est.

[a] xvi *Kal. Feb. sanctorum Rubrensium.* Eorum gesta me fugiunt. An passi in Rubicariensi Mauritaniæ Cæsariensis civitate, cujus episcopus Paulinus in Notitia provincialarum Africæ recensetur. In martyrologio Hieronymi memorantur hac die in Africa *Mica, Victor, Mistrianus*, cum aliis. Aliis *Macus* dicitur apud Bollandum hac die, ubi *Rubentius* aliis adjungitur ex ms. Hibernico. An Rubrenses inde dicti? Ex loco aliquo potius tractum nomen existimo. Rubrensem lacum in Gallia lego, sed quid ad hunc locum?

[b] xiv *Kal. Feb. sanctorum Tertullensium et Ficariensium.* Hos esse puto, quos Notkerus hac die commemorat. *In Africa Pauli, Quinti et plurimorum martyrum.* Hæc forsan prima classis Tertullensium, tum, *Carthagine Picariæ, Plæ et aliorum triginta octo.* Hæc altera, forsan ex Picaria, insula parva Sardiniæ adjacente, an ex Ficensi civitate provinciæ Mauritaniæ Sitifensis, cujus Abus episcopus legitur in Notitia Africæ.

[c] xiii *Kal. Feb. Sancti Martyris Sivastiani.* Vel suo nomine notissimi. Dignus eo nomine fuit Sebastianus Comes in Africa tempore persecutionis Vandalicæ apud Victorem Vitensem in libro primo.

[d] xii *Kal. Feb. sanctæ martyris Agnes.* Sic flecti solet apud veteres illustris martyris nomen, aliis *Agnæ*, ut apud Prudentium in hymno 14.

[e] xi *Kal. Feb. sancti martyris Vincenti.* Hispanici, quem nemo non novit. Et hic alter ex Hispania sanctus cultus est in Africa post Eulaliam, de qua supra. Augustini tractatus duos *de natali sancti Vincentii* indicat Possidius in cap. 9. 10.

[f] viii *Kal. Feb. sancti martyris Agelei.* Augustinus *per natalem sancti Agelei* sermonem ad populum habuit, teste Possidio in cap. 9. Cave Ageleum hunc esse putes illum Novatianæ sectæ episcopum apud Constantinopolim, quem ætate decrepitum anno CCCLXXXIV occubuisse refert Socrates: quis vero noster iste Ageleus fuerit, non invenio.

[g] *Kal. Feb. sanctorum Luciani, et Vincenti martyrum.* Non constat an Lucianus martyr ipse sit, quem Cyprianus in epistola 23 nonnihil reprehendit, *quod circa intelligentiam dominicæ lectionis minus peritus, et facilitate sua molestus* ipsi esset, nempe lapsis veniam passim concedendo: an potius Lucianus Cypriani successor, aliusve, qui martyrio coronatus cum Vincentio, de quo nihil addiscere potuimus, an Vincentius, qui cum Cypriano scripsit epistolam 68, ad Hispanos.

[h] iv *Non. Feb. sanctorum Carteriensium.* Cartennæ Mauritaniæ Cæsariensis civitas, cujus episcopus Lucidus in Notitia Africæ. An Carterienses inde dicti martyres isti, an a Carteia Hispaniæ Bæticæ urbe, apud Ptolemæum, quæ Holstenio Carthagena, an denique a Carteria prope Smyrnam insula, ex Plinio? Africanos dicere malim, quos in Africa celebres exstitisse Possidius docet in Indiculo, ubi sermonem Augustini *per natale Cartheriensium* habitum indicat in cap. 9. Plures hac die Africæ martyres laudat martyrologium Hieronymo adscriptum. Allatius in animadversis ad martyrologium Romanum: *In Africa Victoris, Honorati.*

[i] *Nonas Feb. sanctæ martyris Agatæ.* Quæ notior est, quam ut illustrari hoc loco possit, aut debeat.

[j] v *Idus Feb. sanctorum Filicis, Victoris, et Januarii.* Vulgatum Hieronymi martyrologium hos martyres cum aliis septem notat in Idus Februarii. Adi Bollandum ad diem decimum istius mensis.

[k] xiv *Kalendas Mart. sanctorum martyrum Macrobi et Lucillæ, Nundinari, Cæcilianæ, et Petrensium.* Macrobius et Lucilla cum aliis multis recensentur hac die in Martyrologio, quod Hieronymi appellatur: aliorum ibi nomina desiderantur. In Macrobii Candidi area sepultus est Cyprianus: an vero Macrobius iste martyr fuerit, inquirimus. In actis Cirtensium Nundinarius et Lucilla nominantur; sed absque martyrii titulo. Petrenses an ex Petra Palæstinæ aut Arabiæ, an ex Petris Italiæ insulis, quæ Ptolemæo Sirenusæ? Alii melius divinabunt. Hactenus Kalendarium Carthaginense, cujus exemplar primum quidem in Cluniacensi Bibliotheca hoc anno inspeximus, deinde illud ipsum inde accepimus beneficio R. P. Joachimi Lestinois, sacri istius loci Prioris humanissimi, cui multa alia debemus, sed saltem unum hoc scire interest reipublicæ litterariæ.

DE SANCTITATE SIRICII PAPÆ DISSERTATIO.

Ad Eminentis. et Reverendiss. Cardinalem Hieronymum Casanatam, cum quæreretur in Sacrorum Rituum Congregatione, utrum ejusdem Pontificis missa et officium concedenda essent Canonicis Basilicæ S. Joh. in Laterano; ubi de litteris Paschalibus S. Theophili Alexandrini.

Eminentis. et reverendiss. Domine,

Cardinalis Baronius, ad an. 397, vitio vertit Siricio, quod cum Rufinus Origenis Periarchon Romæ Latine interpretatus, Origenianos errores plurimis instillasset, non statim Apostolica sententia erumpenti sectæ obviam iverit; addens ob id Siricium celerius, hoc est, anno sequenti 398, die 22 Februarii, Deo ultore, e vita sublatum: *Pavendis*, inquiens, *demonstratum est exemplis, ut Pontifices illi, qui eumdem fidei paulo segnius tractaverunt ac remissius curaverunt, a Christo, primario omnium Pastore, fuerint quam celeriter ex hac vita subducti.* Adducit D. Hieronymum epist. 16, in epitaphio Marcellæ, eamdem commendans, quæ unam se Origenianæ hæresi opposuit, cum hæc simplicitati illuderet episcopi, nempe Siricii, qui abeunti etiam Rufino communicatorias litteras tamquam Catholicæ doctrinæ professori tradidit, teste eodem Hieronymo in apologia contra Rufinum. Hinc Siricii successorem Anasta-

sium Pontificem laudat, qui anno statim 399, una cum Theophilo patriarcha Alexandrino, Origenistas anathemate in synodo percusserit. Quæ quidem nihil illius sanctitati obstare posse paucis ostendam. Siricii papæ doctrinam, pietatem, ac pro sibi commissa ecclesia servanda curam, ac diligentiam synchroni eidem Patres ac successores Pontifices non semel commendarunt. Præter relata in editis Collectaneis pro cultu eidem restituendo testimonia, audiendus est S. Innocentius I in epistola ad Anysium Primatem Thessalonicensem ex pag. 45 Collectaneor. Holstenii : *Cui*, inquit, *etiam anteriores tales ac tanti viri prædecessores mei episcopi, id est sanctæ memoriæ Damasus, Siricius, atque supra memoratus vir*, nempe Anastasius, *ita detulerunt*, etc. *Neque enim fas erat, ut ego contra tantorum bonorum virorum judicium venire tentarem*, etc. Ita S. Innocentius Siricium cum Damaso ac Anastasio pari laude ac præconio conjungit, ut haud licere videatur, Siricium utroque inferiorem adstruere, unique illi iratum numen fingere. Sanctus Leo magnus in epistola ad Anastasium pag. 145 cit. Collectan. Holstenii, deferre se scribit eidem primatum super omnes Illyrici ecclesias, *beatæ recordationis Siricii exemplum secuti*, etc. Itaque Siricii in Ecclesia regenda cura ei laudatorem et imitatorem habuit magnum Leonem. In synodo Toletana 1, quæ habita est anno 400, paulo post obitum Siricii, laudantur litteræ sanctæ memoriæ Ambrosii, itemque sanctæ memoriæ Siricius, cujus vigili studio res Catholica in Hispaniarum provinciis sarta tecta servata asseritur.

Nec Siricii famæ nocet, quod Rufinus ac collegæ Origenistæ ejusdem simplicitati illusisse dicantur, quodve communicatorias litteras Rufino Roma discedenti tradiderit. Nam plerique hæretici sub ovina pelle latentes lupi, non semel initio sanctis Pontificibus illuserunt. Praxeas initio S. Aniceto papæ fucum fecit, teste Tertulliano cap. 1 contra Praxeam. Marcellus Ancyræ episcopus, Sabelliana hæresi infectus, initio S. Julio papæ ac Synodo Sardicensi illusit, quem tamen Julii successor Liberius damnavit. Sancti Basilii hac de fraude, qua Julius papa deceptus fuit, testimonium mox adducam. Cœlestius Pelagianæ hæreseos antesignanus Zosimo papæ ejusque synodo Urbanæ ambiguis vocibus ita illusit, ut Zosimus Africanos episcopos acriter increpuerit, quod illum uti hæreticum condemnassent. Exstant Zosimi litteræ, de quibus sæpe S. Augustinus, præsertim lib. II ad Bonifacium cap. 3, et in libro de Peccato originali. Libeat hæc indicasse. Ilic S. Damasi Siricii decessoris exemplum paucis exponam, est enim Siricii facto tum proximum, tum etiam simillimum. Vitalis sub Catholico pallio latens Apollinarista, a quibusdam Antiochenæ ecclesiæ superintrusus Antistes, Romam ad S. Damasum papam se contulit, ut Apostolicæ Sedis litteris munitus, Antiochiam securius repeteret. Obtulit Damaso fidei libellum, cujus verba juxta Catholicum sensum Damasus accipiens, eumdem Apostolicæ Sedis litteris munitum in Orientem dimisit. Hoc Damasi hæretici vafritie decepti judicium adeo sanctissimos Orientis episcopos eidem iratos fecit, ut eorumdem fere princeps Basilius hæc, epist. 10, ad S. Gregorium Nazianzenum, scripserit de episcopis Occidentalibus eorumque primo Damaso papa : *Qui veritatem neque norunt, neque discere sustinent; verum falsis opinionibus præpediti, illa nunc faciunt, quæ prius in Marcello* (Ancyræ episcopo hæretico Sabelliano a Julio papa ac synodo Sardicensi defenso) *patrarant. Ego sane ipse absque communi litterarum figura volebam ad eorum antesignanum, nempe Damasum papam, scribere : de ecclesiasticis quidem nihil, nisi per ænigmata, quoniam nec intelligunt nostratium veritatem, neque viam, qua possint addiscere, amplectuntur.* Hæc turbato stomacho iratoque stylo Basilius contra deceptum Damasum scripturivit. At Gregorius Nazianzenus mitius de Damaso epist. 2, ad Cledonium, A scribens judicavit. Ubi enim dixisset, Vitalem æquivocis vocibus usum, addit quod : *Damasus quoque ipse, cum postea rectius edoctus fuisset, simulque eos in pristinis expositionibus perstare audisset, eos ab ecclesia proscripsit, fideique libellum cum anathematismo delevit. Tum etiam quod fraudem eam, in quam per simplicitatem inciderat, permoleste ferret*, etc. Uti Vitalis Apollinarista initio S. Damasi simplicitati illusit; ita Rufinus Origenista Siricii simplicitati pariter illusit.

Reponent Damasum, teste laudato Gregorio, ea simplicitate, qua Vitalem crediderat Catholicum, ac litteris Apostolicis munitum dimiserat, permoleste tulisse; quæ de Siricio non leguntur. Hic tamen ab his quærerem, cur Deus ab hæretico deceptum Damasum non statim e vivis sustulit, uti cum Siricio factum putant. Julius papa post absolutum Marcellum Ancyræ episcopum quinquennio superstes vixit, cum illum Liberius postea damnaverit. Ex ipsius Hieronymi verbis, ex quibus Siricii reprehensio B concinnatur, ejusdem defensio elicitur. Hæc ille in epist. 16 scribit in epitaphium Marcellæ : *Cernentes hæretici de parva scintilla magna incendia concitari, ac suppositam dudum flammam jam ad culmina pervenisse, nec posse latere quod multos deceperat, petunt et impetrant ecclesiasticas epistolas, ut communicantes discessisse viderentur. Nec multum tempus in medio, succedit in Pontificatum vir insignis Anastasius.* Itaque teste Hieronymo, Rufinus Roma discessit, veritus non posse latere diutius Origeniani voluminis errores, ac proinde a Siricio sibi timebat, quem si propitium sperasset, poterat tutus cæterorum clamores surdis auribus contemnere. Rufinus biennio Aquileiæ moratus est, S. Chromatii antistitis ejus urbis familiaritate usus, quo etiam adhortante, an. 400 Eusebii historiam Latine interpretatus est; idemque Chromatius per litteras curavit, ut Rufinum cum Hieronymo conciliaret. Neque hæc officia Chromatii sanctitati nocuere. Sane etiam Venerius epi- C scopus Mediolanensis pro Rufino ad Anastasium scripsisse non obscure colligitur ex epist. Pontificis ad Joannem Hierosolymitanum. Præterea laudatus Hieronymus narrat, post Rufini discessionem haud multo tempore Siricium superstitem fuisse. Quare non segnities et socordia, sed mors celerior Origenistas anathemati per Siricium publicando subtraxit. Ex illis verbis *nec posse latere* constat, eos errores nondum publicatos, sed tantum clanculum assertos. Quid mirum si Siricium latuerint?

Cæterum sinistrum de celeriori morte Siricii judicium ob non statim damnatos Origenistas ad exactiorem chronologiam revocatum, prorsus falsum apparebit. Exponam prius Baronii opinionem. Scribit Rufinum an. 397 ex Oriente in Italiam transmisisse cum Melania, quos haud credibile est sæviente hieme maria sulcasse, sed vere ineunte ac mari aperto. Demus circa Maium Romam advenisse. Haud statim Rufinus manum interpretando Periarchon volumini admovit, sed cum a Macario Rufini doctri- D nam suspiciente rogatus fuit, teste eodem Rufino in priori invectiva contra Hieronymum. Autographa vero Latina interpretatio in plura exemplaria haud tam cito distrahi potuit, ut vix circa æstatem id contigerit. At Siricius dicitur Baronio mortuus anno statim sequenti 398, die 22 Februarii; anno autem 399 scribit damnatos Origenis errores in synodo Alexandrina a Theophilo, ac eodem anno a S. Anastasio Romæ. Porro synodum Alexandrinam anno 399 peractam ita probat tom. V, pag. 85, edit. Rom. an. 1594 : *Hæc quidem*, inquiens, *hoc anno facta esse inde colligimus, quod ante annum, quam prima Paschalis epistola a Theophilo scriberetur, generalem hanc ex synodo fuisse scriptam epistolam S. Hieronymus tradit scribens ad Pammachium et Marcellum nempe ep. 78.* Idem vero inferius pag. 80 scribit Hieronymum memorare quinque epistolas Theophili ab se Latine interpretatas, nempe primam

synodicam anno 399 ex synodo contra Origenistas emissam. Postea addit : *Secunda Paschalis dicta adversus Origenem, et ejus discipulos peculiariter scripta, quæ etiam desideratur, hæcque illa est, de qua ipse Hieronymus in epistola ad Pammachium et Marcellam scribit, cum ait : Si quid autem hic minus adversus Origenem dictum est, in præteriti anni epistola continetur.* At Paschalem secundam epistolam dicit idem Baronius illam esse, quæ incipit : *Solemnitatis Augustæ*, etc., quæ prima legitur in Cod. S. Hieronymi. Tertiæ Paschalis initium esse : *Christum Dominum gloriæ*, etc. Quartam vero ita exordiri : *Nunc quoque Dei viva sapientia*, etc. Denique advertit primam Paschalem, quæ modo non exstat, scriptam fuisse an. 400 pro anno sequenti 401. Secundam compositam an. 401 pro an. 402. Tertiam anno 402 pro anno 403. Denique quartam exaratam an. 403 pro anno 404. Etenim cum litteræ Paschales in festo Epiphaniæ Alexandriæ publicarentur, denuntiando diem futuri eo anno Paschatis, etc., anno Juliano superiori componebantur. Verum constat tres tantum Theophili epistolas Paschales a D. Hieronymo interpretatas. Hoc antequam demonstrem, suppono hic sermonem esse de epistolis Paschalibus Theophili contra Origenistas, a S. Hieronymo Latinis auribus donatas. Nam Theophilus singulis annis sui episcopatus epistolas Paschales publicabat. Hinc in synodo Ephesina act. I legitur : *Theophili sanctissimi episcopi Alexandriæ ex quinta Paschali epistola*, et postea, *ejusdem ex sexta Paschali epistola*. Quare hic tantum sermo est de epistolis Paschalibus, quæ exstant tom. IX operum S. Hieronymi, quæ sunt solummodo tres. Quarta tribus illis ex pravo illarum ordine inducitur.

Prima epistola Paschalis designat Pascha an. 402.

In laudato codice S. Hieronymi prior Paschalis incipit : *Solemnitatis Augustæ sermo divinus*, etc. Hæc in quatuor partes dividitur. In priori hortatur fideles ad sanctius celebranda festa Paschalia. Dein secundo : *Cessent Apollinaris discipuli*, etc., contra Apollinarii errores invehitur. Tertio : *Sciant igitur se hujus solemnitatis*, etc. Origenis errores confutat, ubi vocat Origenem hydram omnium hæreseon. Tandem : *Denique ne occupati*, etc., ad pœnitentiam hortatur. Hieronymus epist. 78, ad Pammachium et Marcellam, scribit : *Alexandrinas opes primo vere transmitto*, nempe laudatam Paschalem epistolam Theophili, *quam*, inquit, *sciatis in quatuor partes divisam. In primo hortatur credentes ad Dominicum Pascha celebrandum. In secundo et tertio loco Apollinarium et Origenem jugulat ; in quarto id est extremo hæreticos ad pœnitentiam cohortatur. Si quid autem hic minus adversus Origenem dictum est, in præteriti anni epistola continetur.* Recte quidem Baronius notavit hanc Paschalem priorem, quæ incipit : *Solemnitatis Augustæ*, etc., missam fuisse a Hieronymo cum epistola 78, ad Pammachium. At vir aliquin doctissimus non advertit cyclum Paschalem in ejusdem epistolæ fine expositum. Etenim indicit Pascha eo anno celebrandum undecima die mensis Pharmuthi. Ægyptiorum menses quinque diebus præcedebant menses Latinorum. S. Ambrosius in epistola *ad episcopos per Æmiliam* tom. IV, pag. 306, ait : *Primus enim mensis apud Ægyptios est Pharmuthi, et incipit* VI *kal. Aprilis, et finitur* VII *kal. Maii.* Hinc docet Pascha eo anno, nempe Christi 387, celebrandum VII kal. Maii, qui est dies trigesimus Pharmuthi mensis. Pluribus aliis exemplis id ostendit, uti etiam S. Proterius episcopus Alexandrinus ac martyr in epistola ad S. Leonem magnum. Itaque Pascha quod in hac epistola Theophili denuntiatur futurum undecima die mensis Pharmuthi, a Latinis peractum est die VI Aprilis, uti reapse contigit an. 402, cyclo Solis XIX, Lunæ IV, lit. E. S. Augustinus epist. 236 scribit ad Xantippum Primatem Numidiæ : *Cum centum dies essent ad Dominicum Paschæ, qui futurus est VIII Idus Aprilis*, nempe 6 Aprilis anno 402, quo anno Xantippus erat Primas.

Secunda in codice Hieronymi Paschalis epistola indicat Pascha an. 401.

Quæ secunda sequitur in ordine Paschalium epistolarum Theophili, in codice S. Hieronymi incipit : *Christum Jesum Dominum gloriæ*, etc., in qua fusius Origenis errores a Theophilo confutantur. In ejusdem fine indicitur Pascha celebrandum *die* 19 *mensis Pharmuthi ;* nempe apud Latinos die XIV Aprilis, qua sane die in ecclesia Romana celebratum est festum Paschale anno 401, cyclo Solis XVIII, Lunæ III, lit. F. Ex hisce Paschalibus characteribus, qui certissimi sunt annorum indices, patet hasce duas epistolas inverso ordine a Collectoribus collocatas, cum secunda designans Pascha an. 401 prius scripta ac publicata fuerit a Theophilo, quam altera, quæ denuntiat Pascha sequentis anni 402. Hinc cum Hieronymus mittens Paschalem, quæ incipit : *Solemnitatis Augustæ*, etc., in qua indicitur Pascha anni 402, scribit epistola 78 : *Si quid autem hic minus adversus Origenem dictum est, in præteriti anni epistola continetur*, intelligit Paschalem anni præteriti 401, quæ incipit : *Christum Jesum*, etc., et perperam secunda in ordine legitur, quæ prima reapse exstitit. Hunc inversum ordinem non observans Baronius, cum epistolam contra Origenem *anni præteriti*, quartam epistolam ab Hieronymo interpretatam, *quæ etiam desideratur*, ac tribus, quæ supersunt, priorem aliam obtrusit. Equidem S. Leo magnus in epist. 97, ad Leonem Augustum, cap. 8 ait : *S. Theophili episcopi Alexandrini de epistola Paschali, quam per Ægyptum destinavit*, ubi inserit prolixum testimonium ex Paschali an. 402. Et inferius : *Item ejusdem in alia Paschali epistola contra Origenem, ubi laudat verba ex Paschali* an. 401. Verba autem sunt juxta interpretationem S. Hieronymi. Quare tempore Leonis papæ forsitan inverso ordine in codice Romano legebantur ; unde priori loco secunda, posteriori vero prior appellata fuit ibidem a S. Leone magno. Verum in citandis testimoniis haud semper ordo servatur.

Tertia Paschalis notat Pascha an. 404.

Hoc advertit etiam Baronius ex an. 404, quo mense Januario obierat S. Paula, tom. V, ad an. 404, pag. 222, sed ex charactere Paschali idipsum certius apparebit. Nam in fine epistolæ indicitur Pascha futurum vigesima ac secunda die ejusdem mensis, scilicet Pharmuthi, hoc est apud Romanos die XVII Aprilis, qua die anno bisextili 404 Pascha celebratum fuit cyclo Solis XXI, Lunæ VI, lit. C. B. S. Proterius in epistola ad Leonem magnum, ait : *Vigesimo secundo die Dominico Pharmuthi mensis* novorum, qui est XV kal. Maias, seu 17 Aprilis, ubi tamen de Paschate alterius anni loquitur. Ex his colligimus Hieronymum non fuisse interpretatum Paschalem pro anno 403, uti dicebat Baronius, qui eidem anno attribuebat Paschalem, quæ incipit : *Christum Jesum Dominum gloriæ*, etc., quæ secunda in cod. Hieronymi recensetur ; hæc enim, uti dicebam, designat Pascha an. 401, ac omnium prior recto ordine locanda est.

Ex his fusius explanatis colligimus annum synodi Alexandrinæ contra Origenistas celebratæ a Theophilo ; neque enim habita fuit an. 399, ut cum Baronio cæteri existimarunt, sed anno insequenti 400, cum Theophilus in Paschali tantum an. 401 in proxima synodo damnatos Origenistas insecutus sit. Etenim Hieronymus epistola 78, mittens Paschalem an. 402, ait : *Si quid autem hic minus adversus Origenistas dictum est, in præteriti anni epistola continetur.* Et quidem si Origenis errores an. 399 in synodo prædamnati fuissent, neutiquam eidem Theophilus in Paschali an. 400 pepercisset. Accedit

Socrates, qui lib. VI, cap. 6, narrat tumultum ac cædem Gainæ contigisse Stilichone consule an. 400, et cap. 7 testatur eodem tempore tumultus quoque Origenistarum in Ægypto exortos, quos Theophilus ingenti conatu compescuit. Origenistas a S. Anastasio Romæ an. tantum 401 damnatos fuisse ex Hieronymo luculenter demonstratur. Et primo quidem quia epistola 78, mittens Paschalem an. 402 in qua Origenis errores refellantur, ait : *Prædicationem quoque Marci Evangelistæ cathedra Petri Apostoli sua prædicatione confirmet. Quamvis celebri sermone vulgatum sit, Beatum quoque papam Anastasium eodem favore, quia eodem Spiritu latitantes in foveis hæreticos persecutum, ejusque litteræ doceant damnatum in Occidente, quod in Oriente damnatum est.* Igitur nondum *primo vere*, quo ea epistola an. 402 scripta fuit, Hieronymus acceperat Origenistas Romæ in synodo ab Anastasio papa damnatos, qui jam a cathedra Marci, in qua insidebat Theophilus, fuerant prædamnati. Litteræ vero Anastasii, quas ibi memorat, sunt contra Rufinum an. 401 scriptæ, ut mox explicabo. Præterea Hieronymus in Apologia posteriori contra Rufinum, ait : *Duas synodicam et Paschalem ejus*, videlicet Theophili, *epistolas contra Origenem illiusque discipulos, et alias adversus Apollinarium et eumdem Origenem per hoc ferme biennium interpretatus sum : aliud operum ejus nescio me transtulisse.* Itaque dicit se duas tantum Theophili Paschales interpretatum fuisse, nempe priorem an. 401, et alteram an. 402, qua posteriori Apollinarii et Origenis errores confutantur. Addit *per hoc ferme biennium*, nempe anno 401 et 402, quo altero anno, ut recte notat Baronius, scripta est Apologia secunda; nam Paschalem contra Apollinarium et Origenem an. 402 Romam Latinum misit ad Pammachium et Marcellam. Igitur nulla Paschalis desideratur, uti putabat Baronius; nam ambas, quas laudat, a Hieronymo interpretatas adhuc habemus. S. Anastasius an. 401 Origenistarum causam in synodo tractaturus, Rufinum tot tumultuum antesignanum Romam ad dicendam causam accivit. Cum vero idem lassitudinem causaretur, eumdem absentem damnavit datis ad Joannem Hierosolymitanum litteris, quæ etiamnum supersunt. De his vero scribit Hieronymus in Apologia an. 402, confutans Rufinum, qui publicabat epistolam, in qua carpebatur, non Anastasii papæ, sed æmuli cujusdam manu exaratam. *Esto*, inquit, *præteriti anni ego epistolam finxerim, recentia ad Orientem scripta quis misit* (nempe epistolam ad Joannem Hierosolymitanum) *in quibus papa Anastasius tantis te ornat floribus*, etc. Hæc cum scribat an. 402, epistola anni præteriti contra Rufinum Origenistarum principem, an. 401 a S. Anastasio emissa fuit, ac proinde eodem an. 401, liber Periarchon a Rufino in Latinum sermonem versus, ab Anastasio damnatus fuit. Profecto ex laudato Hieronymi testimonio habemus, nihil contra Rufinum a Pontifice laudato ante an. 401 scriptum fuisse.

Rursus ibidem Hieronymus scribit : *Ergo beati episcopi Anastasius, Theophilus, et Venerius, et Chromatius*, etc., *illum*, nempe Origenem, *hæreticum denuntiant.* Cum Romæ Pontifices hæreticos in synodo damnabant, encyclicas ad Metropolitas mittebant de peracta hominum damnatione, quas illi suis postea in diœcesibus publicabant. Hinc papa Anastasius de damnandis Origenistis litteras ad Venerium Mediolanensem et Chromatium Aquileiensem Italiæ metropolitas transmisit. At Venerius an. 400 initio Septembris novus erat antistes apud Mediolanum; nam in prima synodo Toletana concta Aera 438 hoc est an. Christi 400 in sententia definitiva sub diem tertium iduum Septembrium hæc leguntur : *Exspectantes pari exemplo, quid papa, qui nunc est, quid S. Simplicianus Mediolanensis episcopus reliquique ecclesiarum Sacerdotes rescribant.* In vetustis tabulis ecclesiasticis obitus S. Simpliciani signatur die 13 Augusti. Quare Venerius labente ad exitum æstate, an. 400 sedere cœpit apud Mediolanum, ex quo fit ut anno tantum 401 acceptas ab Anastasio litteras de Origenistarum damnatione, Venerius in sua diœcesi publicarit. In synodo Carthaginensi post Consulatum Flavii Stilichonis an. 401 XVI kal. Julias ab Africanis Patribus Legatus destinatur ad Anastasium papam ac Venerium episcopum Mediolanensem. Quare si dies obitus Simpliciani recte in tabulis ecclesiasticis locatur; idem decessit anno 400 nec eo anno mense Septembri ejusdem mors episcopis Hispanis innotuerat. De litteris abs se ad Venerium datis circa interpretatos a Rufino Origenis libros, hæc scribit Anastasius ad Joannem Hierosolymitanum : *Quare nosce, qualem epistolam ad fratrem et coepiscopum nostrum Venerium diligentiori cura perscriptam parvitas nostra transmiserit, sibique hanc conscientiam fecerim, quod non superflua laborem formidine, neque vano timore solliciter* : additque se per litteras quaquaversum datas conaturum, *ne qua profanæ interpretationis origo subrepat, quæ devotas mentes immissa sui caligine labefactare conetur.* Ex quibus videri possit Venerius quædam excusandæ Rufini interpretationi Pontifici suggessisse. At certum est, epistolam ad Joannem Hierosolymitanum scriptam fuisse an. 402, uti ex Hieronymo ostendi.

Ex hac Chronologia de anno synodi Alexandrinæ contra Origenistas, itemque de anno damnationis eorumdem Romæ a S. Anastasio peractæ, dubitatio Baronii de segnitie, aut socordia Siricii in Rufini libris Latine redditis proscribendis dilucidatur. Nam juxta ejusdem calculos Siricius post Latinitate donatos libros Periarchon Origenis aliquot tantum menses superstes fuit. Ejus vero successor Anastasius post triennium ferme sui Pontificatus Rufinum cum cæteris Origenistis condemnavit, ut plane longioris negligentiæ, quam decessor Siricius, incusandus esset. Verum ille Rufinum prius ad dicendam causam, ut ait Hieronymus in Apolog. Aquileia, Romam *frequentibus litteris accivit* priusquam inanes moræ causas prætexentem anathemate percuteret; in qua procrastinatione nullum socordiæ vitium vituperari potest, sed exactius totius causæ examen commendandum venit.

INDEX ANALYTICUS
OPERUM SANCTI DAMASI.

A

Acacius Beroeæ in Syria episcopus a Damasi communione excidit, 196. Adest synodo quartæ sub Damaso, et quam ob causam, et a quo missus, *ibid.* et 238.

Acacius Cæsareæ deponitur a Semiarianis, 299, 300. Auctor intrusionis Felicis adversus Liberium, 115, 300, ob quam causam Basilium Ancyranum deponi curat, 299.

Acholius S. episcopus Thessalonicensis Damasi vicarius per Illyricum, 214. Ejus ad Damasum litteræ adversus Maximum Cynicum, 212. Ejus frequentes in Italiam excursus, et quam ob causam, 214. Vocatur a Theodosio ad conc. Const. I, et quando, 368, *not.* e. An Damasi Legatus ad illud fuerit, 215. Damasi ad eum litteræ, 365, 369. An Maximo Cynico adversus Nazianzenum suffragatus sit, 221.

Agatha S. virgo et martyr a Damaso laudata, 403. Flagris, non colaphis cæsa, 403, *not.* a.

Aginatius vicarius P. U. scribit Valentiniano pro Damaso,

127. Ad eum Valentiniani rescripta, *ibid.*

Agnes S. sub Diocletiano martyr, 277. Acta ex Damasi carmine vindicantur, et illustrantur, 278, 402.

Ambrosius episcopus a Damaso confirmatur, 171. Adest quartæ sub eo synodo, 201, 208. Auctor epistolæ ejusdem synodi ad Gratianum, 201. Priscillianum exemplo Damasi a suo conspectu ejicit, 233. Ejus vices agit apud imperatorem in causa senatorum christianorum adversus Symmachum, 234. Adest Romanæ S. synodo sub Damaso, 240. Non videtur auctor epistolæ cujusdam a Sirmondo editæ *Italici Concilii* nomine, 331, 332. Contra alterius est auctor, et quam ob causam eam scripserit, 337. Priores ejus in eadem causa ad Theodosium litteræ memorantur, 339.

Ampelius P. U. post Olybrium Ursinianos ab exsilio solvit, copiamque facit habitandi ubi velint, Urbe, et suburbicariis regionibus exceptis, 141. Ei mittitur Valentiniani adversus Manichæos rescriptum, 155.

Antiocheni, can. 5 Const. concilii I, ad communionem recepti, qui sint, 218.

Apollinarius Damaso delatus ab Orientalibus ut hæreticus, 174. Catholicos calumniatur, quod duos Filios statuant, 359, *not.* c. Damnatus a Damaso, et quo anno, 176. Ejus hæresis quo primum anno erupit, 344, 345. Ejus inconstantia et argutiæ, 355, *not.* d, e; 356, *not.* g.

Apollinaristæ accedunt ad quartam sub Damaso synodum, 197. Catholicos incusant, quod Nicæno Symbolo nova dogmata adderent, 257. An de iis tractatum iterum in quinta synodo sub Damaso, 243. Vocem *Dominicus homo* a Catholicis adhibitam reprehendunt, *ibid.* Eorum temeritas et audacia a Theodosio compressa, 254, 341, 342. Fraudulentæ fidei expositiones, 167, 385, *not.* b.

Aquileiensis. Vid. Concilium.

Aquæ ad atria basilicarum olim derivari solitæ, et quem in usum, 410, *not.* g.

Arsenius missus Arcadio præceptor a Damaso, Romanus diaconus, 234.

Arelatensis II concilii can. 17, 18, de *Bonosiacis* explicatur, 263.

Athanasius S. Damasi familiaris, 114. Ejus ad Afros et Epictetum epistolæ afferuntur, et explicantur, 132. Quo anno scriptæ videri possint, 133. Epistola ad Ægypti et Libiæ episcopos quo anno scripta, 321. Duplex ex ea locus affertur, et illustratur, *ibid.* Quo anno ejus mors contigit, 161.

Aurelius Novatianorum in Urbe episcopus pelli jussus, 163.

Auxentius Mediolanensis pseudo-episcopus cur sepultus, antequam mortuus a Hieronymo dicitur, 128. Ejus in promovenda Ariana hæresi doli et fallaciæ, 129, 130, 348. Adversus illum Catholicorum episcoporum ad Damasum litteræ, 130, 131. In prima Synodo sub Damaso damnatur, et damnatio promulgatur, 133, 134.

B

Baptismum Donatistæ, Novatiani, ac Luciferiani iterabant, 165, 166.

Baptizandi, antequam ad gratiam admitterentur, probati, 187.

Baluzius rejicitur, 123, 186, 213.

Baronius defenditur, 140, 156, 171, 214, 238, ac alibi.

Basilica S. Agnetis ab Schismaticis occupata, rescripto Valentiniani Damaso restituitur, 127.

Basilica Julii, p. 13.

Basilica S. Laurentii ad Theatrum Pompeii; titulus ante ætatem Damasi; ab eo restaurata et consecrata; quid illi collato titulo dignitatis accesserit, 280 et seq.

Basilica Liberiana celebris ante Damasi ætatem, 122.

Basilii Samosateni ad Athanasium litteræ, ut opem Orientali Ecclesiæ ab Romano Pontifice Damaso imploret, 143. Ut Meletium eidem commendet, 144, 146. Ut Marcellum Ancyranum ab Ecclesia ejiciat, 146. Ejus deinde ad eumdem Damasum litteræ, quæ illustrantur ad Romanorum Pontificum auctoritatem asserendam, 143. Cum iis Dorotheum diaconum Romam mittit, 150. Alias ab eodem Basilio Sabinus diaconus Mediolanensis Romam redux Damaso affert quæ illustrantur, 151. Quo anno scriptæ, 152. Hæ litteræ Damaso non placent et cur, 159, 160, 161. Scribit iterum per Dorotheum Presbyterum Antiochenum: litteræ illustrantur, 162, 163. Scribit alias, easque iterum Romam affert idem Dorotheus presbyter, quibus Eustathium Sebastenum et Apollinarium hæreticos defert, et damnari petit, 173, 174. Ejus etiam ad Terentium ducem litteræ illustrantur, 169.

Basilium inter et Damasum litterarum ordo et series, 173.

Basilii mors quo anno inciderit, 192. Marcellianos ante obitum pro vere Catholicis habet, 191.

Basilius Ancyranus a sua synodo ad Constantium legatus mittitur, et quam ob causam, et quo anno et mense, 292, 297, 298. Ab imperatore obtinet *Sirmiensem Blasphemiam* revocari, et promulgari ubique Ancyranam ecthesim, 297. Liberium ab exsilio revocari, et suæ Sedi restitui, 298. Ob eum Sedi suæ restitutum ab Acacianis deponitur, 299.

Basnagius refellitur, 323.

Beausobrius notatur, 260.

Benedictus XIV feliciter, 120, 360, *not.*

Bonosus an Pauli Samosateni, et Photini hæresim profitentis sit, 263.

Bonosiaci cur non iterum baptizati, *ibid.*

Bossuetius, seu defensor Gallicanarum Propositionum refellitur, 217. Annotator ad eumdem rejicitur et notatur, 312 et seq. Sic ejus interpres Gallicus, 313.

C

Carne quam assumpserat, cur Deum ad dexteram Patris sedentem definiat Damasus, 302, *not.* c.

Cecropius episcopus a synodo depositus a Valentiniano mulctatur ob appellationem ad P. U., 164.

Chrisanthi et Dariæ acta Damasi carmine confirmata, 276, 401.

Christianorum laus sub Symmacho P. U., 239.

Cynici habitu et indumento exprimebant Herculem; et quam ob causam, 363.

Cyrillus S. Hierosolymitanus laudatus ab episcopis Constantinopolitani concilii, 239. A Romana S. synodo sub Damaso, *ibid.*

Claudianus ex Africa Romam mittitur ab Donatistis, ut quasi episcopus Montensibus præsit, 203. Moratur in Urbe contra edicta imperatoris, *ibid. et* 227. Ejici iterum jubetur, *ibid.*

Communio duplex, 175. A Papa concessa, ubique pro lege habetur, 164. Sacrorum communione cum Romano Pontifice qui carent, hæreticos esse, 179.

Concilium Arianorum nullum Sirmii congregatum ante annum 351 qui secus sentiunt, rejiciuntur, 287, 288.

Concilium nullum sub Damaso in Urbe ante annum 369, 125, 131.

—*Ancyranum* sub *Basilio*, quo anno et mense congregatum, et quam ob causam, 292-297. Ab eo legatur Basilius, Eustathius, et Eleusius cum actis ad Constantium Imperatorem, 298. Ejus fidei ecthesis Liberio exponitur, *ibid.*

—*Antiochenum* adversus Paulum Samosatenum an rejecerit homousium, 303. Ad hoc pertinet quædam fidei expositio in Ephesino concilio recitata, 258.

—*Antiochenum* sub *Meletio* quo anno congregatum, quidve definitum in eo fuerit, 190, 191. Ejus acta ad Damasum a Meletio transmissa, 192. Quis ea tulerit, 196.

—*Aquileiense*. Ejus annus et acta, 224. Gratiano imperatori ejus pro Damaso litteræ, *ibid. et* 225. Alia ejus ad Theodosium epistola illustratur, 229, 230. Eidem cognita jam, quæ in Constantinopolitano concilio decreta fuerant; atque ea non probat, 231. Cur iterum tractatum in Aquileiensi fuerit de iis, de quibus in Romana quarta sub Damaso synodo actum fuerat, 207, 208.

—*Arelatensis* II can. 17, 18, de Bonosiacis explicatur, 263.

—*Ariminensis* decreta a Liberio et Damaso cassata, 318, 330 et seq. Ejus ex epistola ad Constantium imperatorem locus affertur, et illustratur, 315. Alter ab Hilario in fragmentis memoratus explicatur, 319.

—*Chalcedonensis* concilii Græcæ epistolæ a Marciano scriptæ fragmenta quæ deerant, afferuntur, 364.

—*Capuanum* de Flaviani cum Evagrio causa deliberat, 339. Ad eam causam, atque ad hoc concilium pertinet epistola ad Theodosium scripta et a Sirmondo *Italici Concilii* nomine edita, non ad Maximi Cynici causam, atque appellationem, 340. Argumenta afferuntur et illustrantur, *ibid.* Quis auctor ejusdem epistolæ, 341. In eodem concilio actum de Vitali Antiocheno Apollinaristarum pseudoepiscopo ad alterius ejusdem epistolæ loci explicationem, 343.

—*Constantinopolitanum* I, a quo convocatum, 216, 217, 368. Decreta de fide a Damaso jam promulgata sequuntur, 217, 368. Canon. 3 affertur et illustratur, 217. Ut etiam adversus Maximum Cynicum sementa, 221. Ejus Canones Romana Ecclesia non recipit, 247. Ejus olim pictura in basilica S. Laurentii in Damaso, 245. Constantinopolitanæ alterius synodi habitæ subsequenti anno a priore ad Damasum litteræ, quæ afferuntur et examinantur, 335, 336. Ex duobus conciliis in unum confusis Constantinopolitanum I compositum, 223.

—*Illyricanum* quo anno habitum, 136. Ejus ad *Asianos* episcopos legatus Elpidius cum litteris, quæ explicantur et illustrantur, 137 et seq.

—*Italicum* nullum olim a Romano separatum, 329. Italicum in causa *Maximi Cynici* concilium, cujus nomine

epistolam Sirmondus edidit, supposititium, 328. Sic ipsa quoque epistola, 237, 327 et seq. Ambrosio numquam tribui potest, aut debet, 333. Quis ejus auctor videri possit, 338.

— *Romanum* I, sub Damaso adversus Auxentium, 129. Quo anno habitum, 131. Quid in eo actum, 133, 347 et seqq. Synodica ad Illyricos episcopos ab eo scripta illustratur, 134, 135. Latina ab Holstenio edita primi genius Damasi fœtus, *ibid.* Argumentum inde ductum ad confirmandam supremam sedis apostolicæ auctoritatem, 135, 134.

— *Romanum* II, sub Damaso quo anno congregatum, quidve in eo gestum, 164.

— *Romanum* III, sub eodem, quam ob causam, quo anno, quinam adfuerint, quidve in eo definitum, 175, 176.

— *Romanum* IV, quo item anno congregatum, et quinam episcopi adfuerint, 194, 195. Scribit Gratiano imperatori, et epistola illustratur, 202 et seqq. Scribit etiam Theodosio, et quam ob causam, 197, 231. Pactum concordiamque de episcopatu Antiocheno Meletium inter et Paulinum ratum habet, 197, 213, 231. Ex eodem *Damasi confessio* fidei promulgata, 198.

— *Romanum* V, a Damaso explorata imperatorum sententia convocatum, 234. Ad hoc evocantur Orientales, 235. Qui tres legatos episcopos mittant, 237. Causæ ob quas convocatum fuit, 236. Qui ad illud convenerunt episcopi, 240. Constantinopolitanum I confirmat in iis quæ ad fidem attinent, 243. An decretum de sedium patriarchalium ordine ac de libris recipiendis et rejiciendis huic attribui debeat, 246. Quid de aliis fragmentis ab Holstenio editis, 244, 245. Nectarii ordinationem ratam habet, Flaviani non recipit, 247. Priscillianum damnat, 248. Acta synodi Orientalium Legatis communicantur, *ibid.*

Constans imperator æras et idola destrui jubet, 188.

Constantius imperator Arianorum dogmata per Magistratus promulgari et recipi jubet, 294. An Mediolanum iterum venerit, postquam Roma atque ex Italia discesserat, 292. Eudoxium, Aetium, aliosque Anomœos elici et in exsilium pelli jubet, 296. Ejus l. 14 Cod. Theod. de Episc., et lex 9 de Curs. publ. ubi datæ, 292.

D

Damasus Romæ ortus, 113. Lector in Basilica S. Laurentii in puerili ætate colligit acta SS. MM. Petri et Marcellini, *ibid.* Fit diaconus a Julio papa, 114. Cum Athanasio Alexandrino amicitiam jungit, 114. Diaconus Liberium euntem in exsilium sequitur, *ibid.* Vindicatur a calumnia schismaticorum Faustini et Marcellini, *ibid.* An ipse auctor, ut Felix eligeretur Liberio exsule, 113. Fit presbyter, a quo, *ibid.* An adesset, cum clerus juraret non permissurum se, ut alter absente Liberio Pontifex eligeretur, 116. Adhæret Liberio reduci; quo loco præterea apud illum fuerit, 117.

Eligitur Pontifex, 118. Ordinatur, 122. Ejus electio a calumniis vindicatur, 118 et seqq.

Reus cædis et tumultus agitur apud Valentinianum imperatorem, et innocens pronuntiatur, 127, 204, 203, 208, 209. An Nolam voti causa accesserit, 128, 273.

Basilio S. in iis, quæ postulaverat, morem gerit, 130. Petro Alexandrino scribit, 161. Eum deinde Romæ benigne excipit, *ibid.* Evagrium Antiochenum presbyterum mittit ad Basilium, et quam ob causam, 138. Ambrosii ordinationem confirmat, 172. Suum in causa Meletium inter et Paulinum agitata judicium suspendit, 160. Vitalem Antiochenum Romam vocat de hæresi delatum, 167. Paulino Antiochenum episcopatum adjudicat, 169. Basilii et Orientalium litteris respondet, 175. Ejus in Meletii et Paulini negotio prudens agendi ratio, et æquum judicium, 178. Initam inter illos concordiam confirmat, *ibid.* An *hypostasis* voce usus unquam fuerit, 184. Petrum Alexandrinum in episcopatu confirmat, 186. Promulgat *Confessionem Fidei*, inscriptam Paulino Antiocheno, 197. Hæc ab altera ad Paulinum epistola diversa, 200. Maximi Cynici ordinationem rejicit scriptis Acholio litteris, quæ illustrantur, 211 et seq., 322. Nectarii ordinationem ratam habet, 240. Adulterii accusatio adversus eum falsa, et commentitia, 203, 208. Priscillianum a suo conspectu rejicit, 232. Respondet Orientalibus, ejusque litteræ illustrantur, 237, 369. Statuam *Victoriæ* dejici curat, ejusque ad Ambrosium ea de re litteræ, 233. Ejus pro Symmacho testimonium ad Valentinianum imperatorem, 239. Helvidium ab Ecclesia ejicit, 263. Ejus in sacras litteras amor et studium, *ibid.* Multa illius carmina martyribus inscripta deperdita, 267. Obit, 260. Ejus laudes, 262. Sepulturæ detectæ ut putatur locus, 261.

Damasi concilia : vide Concilia.

Demophilus an secta Arianus fuerit, an Semiarianus, 288. An adfuerit concilio Ariminensi, ab eoque damnatus sit, 289. Ejus ex S. Basilio ingenium, 289 et seq. Ejus verba quædam afferuntur, ex quibus ejus in fide sententia colligitur, 290. Anomœos persequitur, *ibid.* Liberio apud se exsuli exponit Ancyranam ecthesim, 297.

Deum *passum* et *crucifixum* cur Damasus dici vetet, 361, *not.*

Donatistæ in Urbe, 204. Ex Africa Claudianum Romam mittunt, ut sectæ in ea Urbe præsit, *ibid. Sacrilegi* per excellentiam dicti, *ibid.* S. Silvestrum apud Constantium accusant, *ibid.*

Dorotheus diaconus ad Damasum a Basilio, et Orientalibus episcopis mittitur, 150. Cum Sabino Legato Damasi in Orientem redit, 151.

Dorotheus presbyter Antiochenus ab eodem Basilio Romam mittitur cum litteris, quæ illustrantur, 162. Adest synodo a Damaso convocatæ, quidve actum et quo anno, 165. In Orientem redit cum litteris ad Basilium, 167. Cogitat de iterato Romano itinere, 170. Illud aggreditur cum sanctissimo presbytero pariter Antiocheno, 172. Litteras affert Damaso a Basilio, quæ illustrantur, 173. Adest tertiæ synodo sub Damaso, 175. Meletii causam coram Damaso non sine vehementia tuetur, et a Petro Alexandrino retunditur, 178.

Dorotheus SS. MM. Petri et Marcellini percussor, Christo dat nomen, 262, 396.

E

Ecclesiæ defensorum officium, 126.

Edicta imperatorum in Ecclesiis haud legi solita, 140.

Ephesius pseudoepiscopus Schismaticorum ab Urbe pellitur, 231.

Episcopi cum ordinabantur soliti accipere ab ordinatore Canonum codicem, 172. Qui per Italiam et Gallias Romani pontificis judicium diffugiunt, jubentur ab imperatore Romam mitti, 228. In solemnioribus festivitatibus fausta regibus per litteras apprecari soliti, 268. Damnati, qui fuerant ad communionem haud recepti ante papæ sententiam, 334. Episcopis in synodo depositis aut interea defunctis successor ab eadem synodo datus, 221.

Evagrius Antiochenus presbyter in Italiam venit cum Eusebio Vercellensi, 128. Damasi innocentiam tuetur apud imperatorem Valentinianum, *ibid.* Ad S. Basilium a Damaso mittitur, quo anno, et quam ob causam, 157 et seq. Ad eum ejusdem Basilii litteræ illustrantur, 159. Ejus cum Flaviano de Antiocheno episcopatu causa in Capuano concilio agitata, 339 et seq.

Eudoxius ab Semiarianis ad puros Arianos transit, 288. Occidentales calumniatur, quod *Sirmiensem blasphemiam* recepissent, 302. An depositus in concilio Ariminensi fuerit, 289. A sede Antiochena, quam occupaverat, ejici jubetur ab imperatore Constantio, 296.

Eunomii adversus Spiritum sanctum blasphema verba, 358, *not.* e ; 362, *not.* d.

Eusebius papa a Damaso laudatus, 270, 311, 383. Ob eamdem ob quam Marcellus papa causam, in exsilium sub Maxentio truditur in Siciliam, 271. Ibi exsul moritur, et mortis locus conjectura indicatur, 271, 272, 383, *not.* g. Ei dicatus S. Eusebii titulus, 315. Eusebius episcopus tituli conditor, 383, *not.* g.

Eusebii presbyteri et martyris, quæ circumferuntur acta, prorsus commentitia, et ex sinceris Eusebii papæ actis forte conficta, 272, 310 et seq. Anonymus annotator ad Bossuetium refellitur et notatur, 311.

Exceptoris officium, et gradus, 409.

F

Faustini et Marcellini calumniæ adversus Damasum refelluntur, 114, 124, 245 et seq., 251. Sic adversus Liberium, 310. An Luciferiani fuerint presbyteri illi, an potius Ursiciani, 249, 250. Eorum preces quo anno compositæ et Theodosio oblatæ, 232.

Felix Nolanus Romæ etiam clarus : an Damasus ad ejus sepulcrum voti causa Nolam accesserit, 128, 129, 388.

Felix papa intruditur post Liberii exsilium, 113. Ejicitur, ac secedit, 310.

Fermentum etiam ante ætatem Melchiadis transmissum ad cœmeteria, et suburbanas ædes sacras, 275.

Flaviani Antiocheni juramentum de Episcopatu Antiocheno, 190, 221, 230. Constantinopolim cum Meletio ad synodum accedit, 221. Ordinatur in eadem synodo episcopus Antiochiæ, 222, 225, 238, 333. Ob ejus ordinationem ortæ in Ecclesia scissiones, 230. Occidentalium communione excidit, 333. Capuanum concilium, quo vocatus fuerat, refugit, 339. Theophili Alexandrini judicium cui ea causa commissa fuerat, etiam declinat, 340. Ob eam rem Ambrosii, seu Siricii ad Theodosium litteræ, *ibid.*

Florentius Puteolanus episcopus a Damaso depositus et quo anno, 203.

Fortunatianus Aquileiensis quo anno obiit, 347, *not.* a.

Fontes a Damaso in Vaticanum Basilicam derivati, 281.

A Longiniano P. U. amplisti, et ornati, 412, *not.* a : ad Basilicam etiam S. Laurentii deducti, 410, *not.* g.

G

Georgii Alexandrini duplex in eam sedem tyrannica irruptio, 318.

Gorgonius martyr, de quo Damasus, alius a Gorgonio, de quo Eusebius, 276.

Gracchus P. U. quo anno, 187. Mithræ spelæum destruit, 187, 188. Leges illi inscriptæ, earumque lectio varia, 187.

Gratianus imperator Novatianos, Donatistas, Luciferianos, et cum iis junctos Ursinianos ejici ab Urbe jubet, 166. Liberam sectis religionem permittit, Eunomianis, Photinianis, et Manichæis exceptis, sed eam deinde permissionem revocat, 189. Episcopos sub Valente pro Fide exsules restituit, *ibid.* Romani iv sub Damaso concilii ad eum litteræ, 202. Item concilii Aquileiensis eadem de re, 224. Ejus ad Aquilinum Vicarium rescriptum in gratiam Damasi, 226. A Damaso habitus loco filii, 239, 369. Ejus l. 2 Cod. Theod. ne Sanct. Baptism. explicatur, 204. Ursinum exsulem in Galliis ad se accedentem audit, 228.

Gregorius Nazianzenus erga Paulinum propendet adversus Flavianum, anno 222. Quo anno Constantinopolim accesserit, 199. Abdicat, et quo tempore, 223. Locus ex orat. 5 explicatur, 199. Item ex orat. 14, 190. Alter ex orat. 13, 220. Quo tempore, quave occasione utraque hæc oratio dicta, *ibid.* Flaviani ordinationem improbat, 220, 221. Ejus pro religione studium post abdicatum episcopatum regiæ urbis, 233. Ejus ad Cledonium epistolæ quo anno scriptæ, 344. Ejus ex secunda locus affertur et illustratur, 389, *not* c.

Gregorius Nyssenus Romanum iter declinat, 171, 172. Cum Marcellianis velut Catholicis communicat, et se ob eam causam defendit, 148, 149.

H

Helvidius a Damaso ab Ecclesia ejectus, 265.

Heraclius P. U. sub Maxentio, 271.

Hæreticorum duces ad Ecclesiam redeuntes sic recepti, si eos, quos ab ea divulserant, secum reducerent, 333, *not.* d.

Hieronymus quo anno in Orientem profectus, 158. Ejus de hypostasibus ad Damasum quo anno scriptæ : afferuntur et illustrantur, 180. Antiqua in priori ex iis lectio retinetur, 184. Cur ea quæstio adversus illum tunc agitata, 181. Romam redit, et a Damaso retinetur, 241. Ejus opuscula suadente Damaso, 265. Ejus ex Chronico locus de Liberii lapsu dubius, 309 Idem in ea quæstione in lib. de Script. Eccl. sibi varius, 310. Paulini communionem eligit, 182, 185. An Vitalem Antiochenum pro Catholico habuerit, 185.

Hilarii testimonia, quæ Liberium ab hæresi vindicant, 284. *Perfidia Ariana*, quam ille huic pontifici exprobrat, aliud nihil quam *Sirmiensis* ecthesis, contra Photinum, 285, 286, 287. Hilarii locus *de Syn.*, n. 3 et n. 28, affertur et illustratur, 291 et seq. Alter ejusdem locus ex eodem libro et ex lib. contr. Const., 304, 305, 306. *Sirmiensem* fidem sive ecthesim habet pro vere catholica, 307. Cur in *Fragmentis* illam velut *perfidiam* rejicit; rationes aliquot afferuntur, et alia ut videtur, verior proponitur, 307, 308.

Hilarius diaconus an sit auctor Commentarii in S. Pauli Epistolas : et an a Luciferianis ad Ecclesiam sub *Damaso* redierit, 253.

Homo Dominicus, 213, 353, *not.* f.

Homousium an synodus Antiochena adversus Paulum Samosatenum rejecerit, 304. *Homousii* et *Homoeusii* una, eademque aliquando apud Catholicos et puros Arianos vocis vis, 302, 304, 305, 322. *Hypostasis* quæstio pridem antea definita cur iterum postea adversus Hieronymum Antiochiæ agitata, 183. Cur recruduit etiam in Constantinopolitano concilio i, *ibid.* Vox ea a Theodoreto Damasi et synodi Illyricanæ epistolis assuta, 184.

I

Irenem virginem sacram Damasi sororem Hispani nullo jure sibi asserunt, 278, 405.

J

Jericho sacerdotum tuba collapsa, figura hæresis voce episcoporum eorumque in synodo congregatorum eversæ, 350.

L

Lapsorum contumacia sub Marcello et Eusebio PP., 270, 271, 383.

Laurentius S. M. Romæ ortus, et Romanus civis, 114, 280, 281.

Lectores pueri, 113.

Liberius numquam pontificatum dimisit, 115. In exsilium mittitur, 116. Eo abeunte Romani de non alio eligendo pontifice jurant, 118. Meletio Antiocheno communicat, 146. An umquam damnatus a Damaso, 232, 233, 311, 312. *Sirmiensem Fidem* a se susceptam scribit et quæ ea sit, 282, 284. Athanasii, Hilarii et Hieronymi ea de re testimonia afferuntur, et expenduntur, 283, 307, 308. Anno 357 exeunte nondum Beroeam reliquerat, 292. Ejus exsulis ad Basilium Ancyranum, Ursacium, et Valentem litteræ memorantur, 297. Revocatur ab exsilio ejusdem Basilii Ancyrani opera, 298. Constantio imperatore præsente Anomœos damnat, 302. An novæ fidei formulæ tunc subscripserit, an potius uni Ancyranæ ecthesi, *ibid.* Romam redit, eoque venit in Augusto mense, 298. Rei totius series exponitur, *ibid.* Ejus in Urbem ingressus exponitur, et Athanasii commenta explodiuntur, 310, 311. *Homousium* an umquam damnaverit, 301. A calumniis annotatoris Anonymi ad Bossuetium vindicatur, 312. Non adfuit Ariminensi concilio, et quam ob causam : interpres Gallicus Bossuetii notatur et refellitur, 315. Ariminensis concilii decreta cassat, 319. Secedere iterum et latitare cogitur, 319, 320. An vere ab Athanasii communione discesserit, 316.

Lucifer locus ex lib. *adv. Const.* affertur et explicatur, 320.

Luciferianorum secta nulla civili lege vetita, si non rebaptizarent, 166, 249.

M

Macarius presbyter Urbanus ex factione Ursini Roma ejicitur, 249, 250.

Macedoniana hæresis, quæ sub Liberio cœperat, sub Damaso palam erumpit, et comprimitur, 199.

Macedonianorum duplex genus, 359, *not.* a. Utrosque duplici anathematismo Damasus ab Ecclesia ejicit, 363, *not.* b.

Macedoniani, superstite Valente imperatore, cum vere Catholicis conjuncti, 199. Quo primum tempore, atque anno *Macedoniani* vocari cœperint, 198, 338, *not.* e.

Manichæi, Damaso instante, a Valentiniano lata lege repressi, 153. Vocati etiam *Vemustiani*, et *Paterniani*, et cur, 156.

Marcello Ancyrano tributa hæresis a Basilio, 146, 174, 175. Ab ea vindicatur, 148 et seq. Ejus et *Marcellianorum* fidei formula Alexandrinæ synodo oblata, et quo anno, 146, 147.

Marcellani a S. Basilio postremis annis pro recte Catholicis habiti, 148.

Marcellus papa in exsilium missus ob canonicam adversus lapsos disciplinam, 270, 384. Titulos 25 instituit ob baptismum et pœnitentiam, et quid hoc sit, 270, 276.

Marcelli Acta S. Petri spuria, 269.

Maximus sive Maximinus P. Annonæ Damaso iniquus, 127.

Maximus Cynicus an fuerit Apollinarista, 211. An idem ad quem exstant Athanasii et Basilii litteræ, 212. Damnatus a Const. concilio ii, can. 3, seu 4, 221. Ante id tempus non venerat in Italiam, *ibid.* A Damaso episcopatu ejicitur, 211, 365. An adfuerit concilio Aquileiensi, 324 et seq. An alicui Italico concilio adfuerit, et ab eo receptus in communionem fuerit, 327 et seq. Quo anno in Italiam venit, 327. Damasi adversus ejus ordinationem litteræ, 322, 363.

Maximus imperator imperio occupato curas ad Ecclesiam vertit, 260. Syricio rescribit in Priscillianistarum causa, *ibid.*

Meletius Antiochenus a Basilio commendatur Damaso, 146. Inter illum et Paulinum Antiochenæ Ecclesiæ dissidium, *ibid.* Ejus cum eodem Paulino concordia, et pactum juramento vallatum, 190. Hoc a Damaso confirmatur, 197, 212, 221, 222. Acacium Beroæ in Syria episcopum Romam mittit cum actis Antiochenæ synodi a se habitæ, 191, 193 et seq. Auctor can. 5 Constantinopolitani concilii i, p. 93. Ad plenam Romanæ sedis et Occidentalium communionem recipitur, 219. Synodum ex suo patriarchatu convocat, ejus synodi gesta, 190, 191. Illum cum Flaviano presbytero præsentem designat Nazianzenus Or. 221. Ortæ post ejus obitum turbæ, 222.

Meletii Lycopolitani schismatis initia, 317.

Mithræ spæleum Romæ in qua parte collocatum, 187, 188. Sacris Mithriacis Gentiles abuti soliti, *ibid.*

N

Nectarius ordinatur episcopus Constantinopolis, 238. A Damaso postulatur confirmatio, 239 et seq. Quæ quinta sub eo Synodo decernitur, 247, 334, 335. Nazianzeni ad eum litteræ quo anno et quam ob causam scriptæ, 255.

O

Occidentalium voce designatus ab Orientalibus Romanus pontifex velut Occidentis metropolitanus et caput, 235, 334.

Olybrius P. U. Maximini P. Annonæ consiliis utitur, neglecto Aginatio Vicario, 127. Ad eum rescripta Valentiniani pro Damaso, *ibid.*

Ordo trium primarum sedium constitutus ante Gelasii pontificatum, 241.

Ordinum sacrorum præstituta antiquitus tempora, 115.

Orientales ad Constantinopolitanum concilium : soli convocati, 368, *not.* e. Res a se in eo gestas Damaso referunt, 238. Excusant sese, cur non accedant ad Romanum concilium, et legatos ad illud mittunt, 238, 239. A Damaso petunt ut Timotheus ab Ecclesia ejiciatur, 235. Ejus ad illos litteræ quæ illustrantur, 257, 370. Frequentes eorum ad apostolicam sedem recursus, 144, 162, 163, 173, 174, *atque alibi*. Corpora SS. Apostolorum rapere et ad se transferre tentant, 268, 269.

P

Parmensis episcopus in Romana synodo depositus, Ecclesiam vi retinet, 263. Quis ille, *ibid.* Romano episcopo parebat, ab eoque, non a Mediolanensi pendebat, 228.

Patriarchalium trium sedium ordo an constitutus ante Gelasium, an vero a Damaso, 246, 247.

Paulinus Antiochenus a Lucifero ordinatus episcopus, 146. Ab Basilio ad sedem apostolicam delatus de Marcelli hæresi, 174, 331, *not.* a. In episcopatu Damasi litteris confirmatur, 168 seq. A Timotheo Apollinarii discipulo excommunicatur, 176. Ejus præ Meletio causa potior, 168, 176, 182, 183. Graves cum Vitali Antiocheno concertationes habet, 183. Adest Romanæ S. synodo sub Damaso, 241. Ejus pontificis ad eum litteræ illustrantur, 168 et seq., 197, 354, 357. Vindicatur a nota Montfaucenii, et Chrysostomi de illo locus explicatur, 344, 345.

Peregrini non ascripti ministerio Ecclesiæ antequam probarentur, 113.

Petavionensis urbs, an quæ antea *Pataviensis*, nunc *Passaviensis* dicitur, 224, *not.* e.

Petri et Pauli AA. sacra pignora Romæ prodigio servata, 267. Gregorii Magni ea de re testimonium Damasi carmine confirmatum, 267, 268.

Petri et Marcellini SS. MM. acta a Damaso scriptis mandata, 115, 398.

Petrus episcopus Alexandrinus Athanasio succedit, 161. Duplex adversus illum persecutio, ob quarum alterum Romam confugit et quo anno, *ibid.* Benigne a Damaso excipitur, 162. Adest tertiæ sub Damaso synodo, 178 et seq. Ejus cum Dorotheo presbytero Antiocheno concertatio, 178. Romanæ ejus synodi decreta adversus Apollinaristas Alexandriam redux promulgat, *ibid.*

Priscillianus a synodo Cæsaraugustana damnatus Romam confugit, ut se purget, 253. Illum Damasus a suo conspectu rejicit, *ibid.* A synodo quinta sub Damaso damnatur, 248.

Dupinius refellitur et notatur, 232, 296, 325.

Q

Quesnelli commenta, 232, 253, 325, 360, *not.* e.

R

Romanæ Ecclesiæ fides a Petro indeficiens, 191.

Romanæ et Mediolanensis Ecclesiæ conjunctio, et unde, 232.

Romanus pontifex unicus Occidentis olim Metropolitanus, 214, 334. Primus ejectos episcopos ad communionem recipit, 334. Episcoporum causas, in prima, ut aiunt, instantia per Italiam et Gallias cognovit, 228, 229. Non transmissis prius, confirmatisque ab illo actis primarum sedium episcopi recipi ab hæresi ad communionem non possunt, 239. Vicarios apostolicos per Occidentem instituendi jus et origo, 215. Suprema ejus auctoritas ab Orientalibus sæpe recognita, 144, 162, 163, 174, 181, 194, 235. Ab Imperatoribus confirmata, 194, 238, 256. Romanorum aliquot pontificum ad superstitem sanctissimum Benedictum XIV summa in eo rerum fastigio modestia ac temperantia, 120.

Rommorum pontificum Vitæ scriptor Gallicus nuper Amstelodami impressus refellitur et notatur, 116, 119, 123, 145, 179, 210, 229, 260, 322.

Romanus idem sæpe valet ac *Latinus*, 159.

Rufinus quo anno in Orientem profectus Alexandriam appulit, 137. Ejus de suburbicariis Ecclesiis judicium, 143. De Liberii lapsu dubius, 298.

S

Sabbatiani Novatianorum surculus quo tempore orti, 165. Polluntur ab Urbe cum Donatistis et Luciferianis, quibus juncti erant, 166. Canon. 7 concilii Const. I, quo de illis agitur posterioris esse temporis, et synodi, 165.

Sabinus diaconus Mediolanensis Ecclesiæ ad Athanasium et Basilium a Damaso mittitur, et quam ob causam, 151. Quo anno Alexandriam appulit, 152. Inde Basilium accedit, cui litteras affert, *ibid.* Redux in Occidentem ab eodem litteras ad Damasum retulit, quæ illustrantur, 155. Quæ ab eodem tamen Pontifice haud probatæ et cur, 157.

Sabellianismo quando per calumniam dicti Catholici, 368, *not.* f. Eam ab iisdem promulgato anathematismo Damasus amovet, *ibid.*

Scripturarum sacrarum Canon per varios pontifices pro temporum necessitate auctus, 241.

Senatores christiani sub Damaso in magno numero, 231.

Silvester S. delatus a Donatistis apud Constantinum se purgat, et qua de causa delatus, 204.

Simplicianus Romanæ Ecclesiæ presbyter a Damaso ad Ambrosium mittitur, 171.

Simplicius vicarius Urbis, ad eum Valentiniani mandatum adversus rebaptizantes, 165.

Sirmiensis *secunda formula* quo anno erupit in lucem, 290. Scripta priori, aut altero mense anni 358, 291. An prodierit a synodo aliqua, et synodica dici possit, 285, 292. An promulgata ut in Occidente, sic per Orientem fuerit, 296. Ea nullo modo a Demophilo exponi Liberio potuit, *ibid.* Illam Ursacius et Valens ejurare coacti, 297, 298. *Sirmiensis perfidia* apud Hilarium quæ, 285 et seq.

Sozomen lib. IV, cap. 24, locus explicatus, *ibid.* Iterum lib. IV, cap. 18, 313.

Stephanus papa et martyr a Damaso laudatus, 270, 383. Actorum fides confirmata testimonio ejusdem Damasi, 270.

Suburbicariæ regiones quæ : et an idem sint, ac *suburbicariæ Ecclesiæ*, 141.

T

Terentius dux pro reintegranda inter Catholicos Antiochenos concordia rogatus, 169. Ab aula Valentis secedit, et quam ob causam, atque iterum ad eam redit, et quo anno, 170.

Tharsicius martyr, an forte diaconus, 276. Pro servanda *Arcani* disciplina moritur, 276.

Theodorus, ac Theodulus unum sæpe idemque nomen, 147.

Theodoretus sæpe Paulino Antiocheno iniquior, 222. Ejus ad Damasi et Illyricorum episcoporum litteras glossema, 184.

Theodosii Magni lib. II C. Theod. de Fid. Cath. affertur et illustratur, 194. Orientales episcopos ad Romanum synodum convocat, 235. Legatos ad eam suos mittit, et quam ob causam, 236, 240. Apollinaristas legibus coercet, 257. Iterum, et quam ob causam, 344. Ad Capuanum concilium iro Flavianum jubet, 339. Ambrosii, seu Syricii, ad illum in ea causa litteræ, ejusque responsum, 339 et seq. A Damaso præceptorem Arcadio puero postulat, 234. Orientales tantum episcopos ad concilium Const. convocat. 367, *not.* b.

Tillemontius rejicitur, 182, 191, 201, 213, 218, 223, 234, 300, 336, 352, *not.* f.

Timotheus Apollinarii discipulus Romam pro secta mittitur, 173, 235. An episcopus Berytbi fuerit, 235. A Damaso in communionem recipitur simulata fide, 176, 177. Ab eodem damnatus cum Apollinario magistro cum iterum Romam venit, 235. Redux in Orientem Petrum Alexandrinum, Basilium et Paulinum Antiochenum excommunicat, 177. Apollinaristarum post Apollinarium dux, 238. Auctor epistolæ sub Julii papæ nomine ad Prosdocium, 256. Relegatus Theodosii jussu, 257.

Tituli dicti basilicæ omnes, sive ædes sacræ, 280. *Tituli propter baptismum et pœnitentiam a Marcello papa* instituti quid præterea, *ibid.*

Translationes a Damaso improbatæ, 360, *mon.* 369, *not.* g.

Trinitæ Catholici per calumniam dicti, 363, *not.* c.

V

Valens Arianus pseudoepiscopus Petavionensis deponitur in concilio Aquileiensi, 208. Ejicitur a clero et populo ab ea sede quam vi occupaverat, 224. Profugus Mediolani latet, societatemque jungit cum Ursino antipapa, 208, 225. Quo anno ad eam urbem confugit, 208.

Valens et Ursacius Ariani episcopi, Liberio adhuc exsule, ejurata *Sirmiensi blasphemia*, Ancyranam ecthesim profiteri coguntur, 297. A Gallis episcopis post Sirmiensem blasphemiam, cujus auctores fuerant, extra communionem fiunt, 290, 291. Pridem a Damaso damnati, 131. A Constantio facultatem obtinet cogendi Occidentales episcopos ad Arianiensem formulam Constantinopoli promulgatam profitendam, 320. Quo anno ab ea Urbe discesserint in Occidentem reversuri cum eo mandato, 321. Imperatori auctores sunt, ut Hilarium in Gallias redire jubeat, *ibid.*

Valentiniani imperatoris pro Damaso adversus Ursinum antipapam rescripta, 124, 126, 127. Ejusdem Damaso inscripta lex, 140. Ad Maximum, sive ad Maximinum P. Annonæ rescripta in Ursinianorum gratiam, 120, 121. Ad Arianos episcopos pro catholica fide litteræ, 137. Contra Manichæos lex, 153. Affertur et expenditur l. 20, tit. 36, lib. XI Cod. Theod., 164. Ejusdem rescriptum ad Simplicium Urbis vicarium illustratur, 165, 226. Damasi innocentiam probat, 206.

Valebianus Aquileiensis quo anno ordinatus, 317, *not.* a.

Venustiani hæretici iidem ac Manichæi, et unde sic dicti, 156.

Victorini locus ex lib. *de Fid. adv. Arian.* explicatur, 305.

Vincentius *Capuanus* episcopus a Damaso laudatus, 349. Liberii legatus ad Constantium imperatorem an prævaricator fuerit, et ab Athanasii communione discesserit, 135.

Vitalis Antiochenus presbyter Apollinario se tradit, 167. Paulino episcopo adversatur et cur, *ibid.* De hæresi delatus Romam vocatur a Damaso : subdola fidei formula oblata communionem subripit, et cum litteris ad Paulinum dimittitur, 167, 168. Apollinarius illum episcopum Antiochiæ consecrat sectæ suæ, 167, 183. An catholicus habitus a Hieronymo in litteris ad Damasum, 183. Ab eo pontifice damnatur, 360. *not.* d. In Capuano concilio de illo ad apostolicam sedem iterum delato agitur, 343. Chrysostomi locus explicatur, 344.

Vitalianus, Victor in Romana I sub Damaso synodo episcopi, 347, *not.* b.

Ursinus sive Ursicinus antipapa : ejus electio exutitur, 118 et seq. Ordinatur die non legitima, 120. Roma ejicitur a Juventio P. U, *ibid.* Ab exsilio cum suis revocatur a Prætextato, et iterum ejicitur, 123. An Neapolitanus episcopus fuerit, 166. Exsul Romanos sollicitat adversus Damasum, 202, 203, 223. Mediolani residens societatem jungit cum Valente Petavionensi Ariano, 225. Exsul in Gallis, *ibid.* Gratianum accedit, *ibid.* Turbas iterum movit adversus Siricium, 251.

Ursiniani ex clero Urbano quot, 122. Roma ejiciuntur, 126.

X

Xysti S. in martyrio comites, 408 et in addend.

Z

Zanobius Florentinus episcopus, 130.

INDEX ANALYTICUS OPERUM LUCIFERI CALARITANI.

A

Adoxius per antiphrasim pro Eudoxio. *Vid.* Eudoxium.

Alexandriæ Ecclesia a Constantio Imp. vexata. Pag. 808, 813.

Alexandrini de Georgio Cappadoce queruntur apud Constantium Imp. 850; qui a Georgii communione abhorrebant, male multati ab eodem Constantio, 910. Et ab ejus duce Syriano, 916. Athanasii partes constanter secuti, 921. A Constantio insectati, 1009, 1012. Dire necati, 1022.

Ariana hæresis idololatria dicitur. 824, 825, 828, 832, 840, 845, 874, 879, 880, 893, 903, 910, 919, 937, 940, 946, 947, 950, 963, 965, 1002, 1003, 1006, 1030.

Ariani Judæ Iscariotæ similes, 777. Filii pestilentiæ et tenebrarum, 778. Quid senserint de Trinitate, 781. Judæis assimilati, 782. Generatio prava, 784. Membra meretricis, 785, 786. Serpentes, 789. Madianitis et Moabitis comparati, 792. Quid senserint de Spiritu sancto, 808. Antichristi sunt, 848. Judæorum discipuli, 852 Nicææ damnati, 854. Non Christiani, sed famuli Antichristi, 865. Lupi, canes, et filii diaboli, 865. Latrones, 869, 882. Quid de Filio Dei senserint, 875, 987. Meretricibus comparantur, 878. A Constantio mire dilecti, 879. Filii diaboli, 904. Et Meretricis, 910. Athanasium accusant in Concilio Sardicensi, *ibid.* Nihil quod ad ipsam hæresis substantiam a Photinianis discrepant, 972. Neque ab hæresi Pauli Samosateni, *ibid.* Anathematizati a concilio Nicæno, 973. Antichristi Spiritu pleni, 987. In plures sectas dividebantur, *ibid.* Filium Dei adoptivum solummodo confitebantur, *ibid.* Lupi et Apostolo designati, 996, 997, 998. Canes rabidi, 1005. Domus Spiritus immundi, 1009. Episcopum episcoporum appellant Constantium Imp., 1032. Mauci, ia Antichristi et Pharaonis nepotes, 1042.

Athanasius (*S.*) Alexandriæ insectatus a Constantio Imper., 813. A Lucifero defensus duobus libris, 817, 881. Ut absens et inauditus damnetur, frustra a Constantio tentatur in concilio Mediolanensi, 819, 894, 895. Sede Alexandrina pellitur, intruso Georgio Cappadoce, 829, 1010. Comparatur Samueli, 836. Et Heliæ, 840, 843. Et Naboth, 844. A Constantio persecutionem patitur, 849, 851, 860. In exsilium missus a Constantino M., restituitur Alexandrinis a Constantio, Constantis intercessione, 857, 910. Job comparatur, 876. Falso accusatus ab Arianis, 884, et a Constantio, 892. Suzannæ assimilatus, 894 et seq. Et Abel, 903. Concilio Mediolanensi non interest insidias sibi metuens parari ab Arianis, 909. In concilio Sardicensi accusatus absolvitur, 910. Eutichetem diaconum et epistolam mittit ad Luciferum, rogans ut libros ab illo scriptos contra Constantium ad se transmittat, 1037. Alteram eidem epistolam, qua eum de persecutione certiorem facit, et de libris ad se missis gratias agit, 1039 et seq.

Auxentius Arianus Ecclesiam Mediolanensem occupat, expulso Dionysio, 894.

B

Bonosus libros duos pro S. Athanasio a Lucifero recognitos refert ad Constantium Imper., 933.

C

Comites Imperatoris quid sint, 990.

Concilium Mediolanense celebratum anno 333, 763. Quæ ibi ab Arianis intenta, 773. Quot episcopi interfuerint, 998.

Concilium Arelatense Arianorum, 778.

Concilium Sardicense in quo Athanasius ab hæreticis accusatus, absolvitur, 910.

Concilium Sirmiense, in quo Ariani damnant Photinum, 972.

Constans Imperator restituendum curat Athanasium Alexandrinis, 857.

Constantinus M. Imp. exsilio damnat Athanasium, *ibid.*

Constantius Imperator, ad quem suos libros scribit Lucifer, 765. Episcopos catholicos communioni arianorum jungere conatur, 773. Assimilatus Achabo, *ibid.* Pacem fingit ad Catholicos circumvenlendos, 775. Edictum, seu epistolam Ariano veneno plenam exhibet populo Mediolanensi, 780, 821, 878. Quid de Trinitate senserit? 781, 859. Vocem sacrilegam invenit contra Dei Filium, 787. Similis Antiocho, *ibid.* Antichristus vocatur, 789. Similis Gedeoni idololatræ, 793 et seq. Et Sauli, 796, 797. Et Salomoni post idololatriam, 798, 799. Et Roboamo, 799. Et Jeroboamo, 799-801. Et Abiæ et Baasan, 804. Et Zambri, et Josaphat, de quo vide Notas, 805. Achabo et Jezabeli, 805, 809. Statua ac occupavit Italiam, Ecclesiam vertit, 807. Præsertim Alexandriæ, 808. Assimilatus Joas et Oziæ, 809. Et Manassi, 809, 810, 811, 812. Quid de se ipse glorietur? 813, 814. 815. Damnari jubet Athanasium inauditum, 817. Serpenti, qui Adam seduxit, assimilatur, 818, 819; Judæ Scarioth et Judæis, 824, 830. Maledictus, 825, 828. De episcopis judicare nequit, 826. Georgium Cappadocem, expulso Athanasio, in Ecclesiam Alexandrinam intrudit, 829. Litteras accipit ab Alexandrinis contra Georgium, 850. Frustra nititur ejus electionem probari a catholicis, 851. Heli assimilatur, 853. Et illis qui Arcani Dei reperunt, 853, 854. Et Sauli, 853-840. Et Achabo et Jezabeli, 840-845. Et Hieroboamo, 846. Diversus a Josaphat, qui in regno Judæ restituit cultum Domini, 846, 847. Athanasium persequitur, 849, 850, 854, 860. Superbus et inconsideratus, 849. Aspidibus comparatur, 852. Impius, *ibid.* Similis Judæ Scarioth, 855, 990, 991, 1038. Præcursor Antichristi, 855. Rugit sicut leo, *ibid.* Superbus et temerarius, et homo pestilens, *ibid.* Athanasium restituit Alexandrinis intercessione Constantis, 856, 910. Bellum gerit cum Soporino rege Persarum, *ibid.* Canis est rediens ad vomitum, 857. Eudoxium persequitur, datis litteris ad Antiochenos, deinde in gratiam recipit, *ib.* Ecclesiæ persecutor, 859. Imitator diaboli, 860. Catholicos antistites persequitur, 865, 867. Pharaoni similis, 866. Hæresim suam per sanguinis fusionem reædificat, 868. Sodomitis et Gomorrhitis comparatus, 875. Et Judæis, *ibid.* Et Rabsaci, 875. Dux antichristi, *ibid.* Paulo ante quam moreretur, baptizatur, 876. Impius, 878. Crudelis in Catholicos, 878, 879. Arianos mire diligit, 879. Catholicorum bona in pauperes suæ partis erogabat, 882. Catholicos persequitur, 881. Latro, 882. Filius diaboli, 884. Crimina falsa objicit Athanasio, *ibid.* Catholicos, præsertim episcopos, male habet, *ibid.* Exterminator pascuæ, dominici gregis, 885. Herodi assimilatus, 886, 902. Ex Gallis Italiam veniens ovem ex lupo finxit, 889. Insipiens est, 890, 891. Mendax in Athanasium, Ananiæ et Saphiræ comparatur, 892, 893. Et senibus qui Susannam violare conati sunt, 894-898. Dionysium Mediolanensem episcop. in exsilium pellit, suffecto Auxentio Ariano, 894. Hæreticus apparet in concilio Mediolanensi, 894, 895. Præcursor Antichristi, 895, 899, 903, 911, 957, 981, 984, 988, 998, 1009. Episcopos invitat ad damnandum Mediolani Athanasium, 898. Bellua est, 900. Procurator diaboli, 904. Cain comparatus, 905. Antichristi municipium, 906. Membrum diaboli, 908. Audire Athanasium ipsum denegat, 909. Athanasium ipsum commendat per litteras Alexandrinis, *ibid.* Pulso dein

Athanasio, Alexandrinos male multat, qui a Georgii Cappadocis communione abhorrebant, 910. Judæis prophetas occidentibus similis, 913. Serpens, 916, 917, 930, 931. Syrianum mittit, ut Alexandrinos cogat Georgium recipere, 915, 916. Judæis comparatus, 919, 920. Fur ovium Christi, 921. Episcopos catholicos e suis sedibus pellit, 927. Lupus, 928, 937, 938. Gentilis, Judæus et Antichristi satelles, 929, 930. Diabolo assimilatur Adam et Evam tentanti, 930. Recognoscendos curat libros duos pro S. Athanasio, an revera sint Luciferi, 933. Israelitis a Moyse interfectis assimilatur, 937. Et iisdem a Phinee interemptis, 938. Quid Romæ molitus sit, libellis datis episcopis etiam catholicis, 940. Achar comparatus, 940, 941, 942. Et Sauli, 942, 943. Et Achabo, 944. Homicida est, *ibid.* Amasiæ similis, *ibid.* Et Oziæ regi, 946. Et Judæis a Josia male multatis, 947, 948, 949. Itemque Judæis sub Amasia, 950, 931. Et Sennacherib, 931, 932. Et Judæis ab Ezechiele increpitis, 953, 954. Et Holopherni, 955, 956. Antiocho assimilatur, 958, 959, 960. Martyrii consummati gloriam Lucifero denegat, quia illud Lucifer optabat, 962. Pius ἀφωνος a Lucifero dictus, *ibid.* Unus ex Antichristis, 964. Judæis sub Mathathia et Esdra similis, 964, 965, 966, 967. Et Judæis Petro et Joanni silentium indicentibus, 967, 968, 969. Similis quoad hæresis substantiam Photino et Paulo Samosateno, 972, 996. Comparatus Herodi, 974. Imprudens, 976. Judæis assimilatus Apostolos et Stephanum insectantibus, 977, 978. Et Barjesu, 978, 979, 980. Et Antiocho 981-983 et 1006-1008. Lupus et canis, 985. Ebrius de Sodomorum vite et de vinea Gomorrhæ, 985. Minister diaboli, *ibid.* Pseudo-propheta et spiritum habens Antichristi, 986, 987. Lupus et progenies viperarum, 988. Arianam hæresim libris scriptis et per concionatores promulgat, 990. Nicænam fidem vel in Ariminensi, vel in alia Nicæna synodo hæreticam judicandam curat, *ibid.* Ariminensem et Seleuciensem synodum convocat ad Filii divinitatem negandam, 991. Juda pejor, *ibid.* Serpenti similis Evam tentanti, 992. Pseudoapostolus, *ibid.* Episcopos catholicos abstulit intrusis hæreticis, 993. Diaboli spiritum habens, sicut Judæi Paulum et Silam persecuti, 993, 994, 995. Paulo similis, antequam converteretur, 995. Unus ex lupis ab Apostolo designatis, 996, 997, 998. Similis Ananiæ, 998. Et persecutoribus religionis a Daniele præostensis, *ibid.* et 999, 1000. Aut Antichristus, aut ejus præcursor, 1001. Cretensibus mendacibus assimilatus, 1002. Dæmonum templum et anathema, 1004. Stultus, *ibid.* et 1005. Judæis, qui ab Isaia dicuntur canes, tauri, et vituli, similis, *ibid.* Intra velum stans Luciferum audit Mediolani negantem posse se in Arianorum sententiam concedere, 1009, 1011. Alexandrinos aliosque catholicos insectatur, 1010. Catholicorum se simulat amicum, ut eos seducat, sicut Evam serpens, 1011, 1020. Ita catholicos persequitur, ut ne sepeliri quidem permittat, 1012. Tyrannus omnium sævissimus, 1013. Bellua, 1014, 1020. Arii vermis, 1015 Frustra edicto suo hæresim nititur propagari, *ibid.*, 1031. Lupus et canis, nec homo, 1016. Alexandrinos dire necat, 1022. Carnifex, 1025. Fidei formulas modo recipiebat, modo rejiciebat pro Arianorum voluntate, 1027. Sic et Fidei formulam, quam Eudoxius edidit Antiochiæ, 1028. Lupus, *ibid.* Antichristi amicus, 1030. Judæ imitator, *ibid.* Canis rabidus, 1032. Episcopus episcoporum ab Arianis episcopis dictus, *ibid.* Diviti similis futurus, qui Lazarum vidit in sinu Abrahæ, 1036.

D

Dictatores quid sint? 1028.

Dyonisius (*S.*) episcopus Mediolanensis Athanasium damnat deceptus, 894. E sede pulsus, et in exsilium actus a Constantio imp., *ibid.*

Dydimus presbyter ex catholico Arianus, 917.

E

Edictum Constantii quid sit, 780, 821, 878, 940, 1011, 1015, 1031.

Epictetus episcopus Centumcellensis, Arianus, Constantio imp. familiaris, 777. In concilio Mediolanensi contra S. Athanasium subscripsit, *ibid.* A Constantio seductus fit apostata, 1021.

Episcopi, qui a fide Nicæna desciverant, sub angelorum in apostasiam conversorum nomine designati, 947.

Epistolæ Luciferi deperditæ, 981.

Eudoxiani ita dicti ab Eudoxio episcopo Germaniciæ, inter Arianos, 858.

Eudoxius episcopus Germaniciæ Arianus, per antiphrasim Adoxius dicitur a Lucifero, 850, 1028. Qui apud eumdem exsulavit, 830. Insectatus a Constantio imp. quod Aetii dogma sequeretur, deinde redit in gratiam, 858. Sedem Antiochenam occupat, deinde Constantinopolitanam, *ibid.*, 1027. Quam Fidei formulam ediderit in concilio Antiocheno, et an illam ejuraverit, 1027, 1028.

Eusebius episcopus Vercellencis invitatur a legatis sedis apostolicæ ad concilium Mediolanense, 765. Comparatur Petro apostolo, *ibid.* S. Dyonisio episcop. Mediolanensi succurrit, qui Athanasium deceptus damnaverat, 893.

Eutichetes diaconus mittitur ab Athanasio ad Luciferum, 1037.

Euzoius episcopus Arianus Constantium imp. baptizat, 876.

F

Faustinus presbyter an formulam Fidei ediderit quæ sub Luciferi nomine circumfertur, 1043 et seq.

Fides catholica ex Symbolo Nicæno desumpta, 898, 973, 1013.

Florentius magister Officiorum Luciferum rogat, an ipse scripserit libros duos pro S. Athanasio, 933. Illique Lucifer affirmans respondet, *ibid.*

G

Georgius Cappadox intrusus a Constantio in ecclesiam Alexandrinam, expulso Athanasio, 829, 910, 1010, 1012. *Monstruosus* appellatur a Nazianzeno, 829. Similis Ario, Valenti, Ursacio et Eudoxio, 830. Ab Alexandrinis accusatus apud Constantium, *ibid.* A catholicis, præsertim a Lucifero, non habetur pro episcopo, 831. Filiis Heli assimilatus, 831, 832. Interficitur, 881. Ab Alexandrinis odio habitus, 921. Fur ac latro, *ibid.* Quid jussu Constantii egerit in Alexandrinos, 1022.

H

Hilarius, legatus Liberii papæ, Eusebium episcopum Vercellensem invitat ad concilium Mediolanense, datis litteris, 765. Constantium Dei impugnare religionem asserit, 803.

L

Libelli recitati Romæ a Constantio imp. et ab eodem dati episcopis etiam catholicis, 940.

Liberius papa scribit Lucifero exsuli alisque, 765.

Lucifer episcopus Calaritanus, legatus Liberii papæ, 765, 1015. Eusebium episcop. Vercellensem ad concilium Mediolanense invitat, datis litteris, 765, 899. Exsul epistolam accipit a Liberio papa, 765. *Librum de non conveniendo cum hæreticis* scribit ad Constantium imperatorem, 767. Illumque Germaniciæ, ubi exsulabat, 775, 830, 831. Librum de *Regibus apostaticis* ad eumdem Constantium, 793. Librum I pro S. Athanasio ad eumdem, 817. Et librum II, 881. Restitit Georgio Cappadoci in Alexandrinam sedem intruso, ideoque Germaniciæ exsulare cogitur, 831, 881. Quo anno librum I pro S. Athanasio scripserit? 858. Quid senserit de Divinitate Filii? 863, 864, et de Trinitate, 875, 934. Epistolam Florentii accipit de libris duobus pro S. Athanasio, cui respondet se revera illos scripisse, 933. Librum scribit *De non parcendo in Deum delinquentibus*, 933. Contumeliosus a Constantio appellatur, 937 et seq. Et superbus, 962 et seq. Epistolas scripsit, quæ perierunt, 981. Se Romanum dicit, 987. librum mittit ad Constant. imper. Inscriptum, *Moriendum esse pro Dei Filio*, 1007. Negat confidenter coram Constantio Mediolani posse se cæterosque in Arianorum sententiam concedere, 1009, 1014. Epistolam per Eutychetem accipit ab Athanasio, qua rogatur, ut ad illum mittat libros scriptos contra Constantium, 1037. Et alteram, qua de persecutione Arianorum, et de acceptis libris fit certior, 1039 et seq. Elias dictus ab Athanasio, 1041. Et mire ab eodem laudatus, *ibid.* An auctor cujusdam professionis Fidei, quæ sub ejus nomine circumfertur? 1041 et seq.

M

Macedoniani Arianis moderatiores in sententia de Spiritu sancto, 807, 808.

Machetas, sive Achetas, presbyter ex catholico Arianus, 917.

Marcion hæresim suam disseminavit circa ann. 134, 780. Damnatur, *ibid.*

P

Pancratius presbyter, legatus Liberii papæ, Eusebium episcop. Vercellensem ad concilium Mediolanense invitat, datis litteris, 765. Constantium impugnare Dei religionem asserit, 803.

Paulus Samosatenus in synodo Antiochena damnatus, 780, 972. Nihil quoad hæresis substantiam ab Ario discrepabat, 972.

Photinus episcopus Sirmiensis, discipulus Pauli Samosateni, damnatur in concilio Sirmiensi, 780, 972. Scotinus per antiphrasim dictus, 972, 990, 996. Nihil quoad hæresis ab Ario discrepabat, *ibid.* Discipulus Pauli Samosateni, 972, 973. Judæ Scarioth similis, 990. *Professio Fidei* Luci-

fero perperam attributa, 1041 et seq. Melius Faustino presbytero, 1045 et seq.

S

Sabellius errores suos primum docere cœpit anno 257, 779. Damnatur, *ibid.*

Soporis. Vid. Soporinus.

Saturninus episc. Arelatensis, arianus, Constantii amicus, 778. In concilio Arelatensi cum Arianis communicat, *ibid.* Valenti et Ursacio conjungitur contra S. Athanasium in concilio Mediolanensi, *ibid.* Auctor fuit, ut Hilarius episcop. Pictaviensis in exsilium pelleretur, *ibid.*

Semiariani in sententia de Spiritu sancto Arianis moderatiores, 808. Ὅμοιον Filium Patri κατὰ πάντα affirmabant, 863. In Seleuciensi synodo triumphant, 991.

Soporinus rex Persarum bellum gerit cum Constantio Imper., 857.

Symbolum Nicænum, 973, 1015.

Syrianus dux, jussu Constantii, Alexandrinos catholicos vexat, 915.

U

Ursacius episcop. Singidunensis, Arianus, Constantii Imp. amicus, 777. Quid egerit cum Valente in concilio Mediolanensi, *ibid.* Edictum Constantii populo Mediolanensi legendum profert. 780. Similia Georgio Cappadoci, 850.

V

Valens episcopus Mursæ, Arianus, comparatur Simoni Mago, 783. Constantio imp. familiaris, 777. Primas gessit in concilio Mediolanensi contra S. Athanasium, *ibid.* Edictum Constantii populo Mediolanensi legendum profert, 780. Similis Georgio Cappadoci, 850.

Velum, quo imperatoris interius cubiculum occludebatur, 1009, 1014.

INDEX RERUM
QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

S. FELIX PAPA II.

Notitia biographica in S. Felicem. 9

EPISTOLÆ ET DECRETA. 11

Epistola S. Athanasii et Ægyptiorum pontificum ad Felicem. *Ibid.*

Epistola I Felicis ad episcopos in Alexandrina synodo congregatos. — Multa tractantur quæ ad disciplinam ecclesiasticam, maxime vero ad episcoporum immunitates pertinent. 17

Epistola II Felicis ad eosdem et ad reliquos Domini sacerdotes. — De patienti sufferentia persecutionum et tribulationum. 23

FAUSTINUS ET MARCELLINUS PRESBYTERI.

PROLEGOMENA. 29

De Faustino et Marcellino, ex Gallando. *Ibid.*

De Faustino, ex Schœnemanno. 34

FAUSTINI LIBER DE TRINITATE. *Ibid.*

Prœmium ad Augustam Flaccillam. 37

CAPUT PRIMUM. — De professione impia Arianorum. 38

CAP. II. — De eo quod hæretici dicunt : *Ex nihilo Deus sibi Filium fecit.* 49

CAP. III. — Quod Dei Filius sit omnipotens, et quod una sit omnipotentia Patris et Filii, sicut et una deitas, et de Incarnatione. 62

CAP. IV.—De hoc quod ait Filius : *Pater major me est.* 67

CAP. V. — De hoc quod legitur in Actibus Apost. : *Certissime itaque sciat omnis domus Israel, quia Dominum illum et Christum Deus fecit hunc Jesum quem vos crucifixistis.* 69

CAP. VI. — De his Salomonis : *Dominus creavit me initium viarum suarum in opera sua.* 73

CAP. VII. — De Spiritu sancto. 76

FAUSTINI FIDES THEODOSIO IMPERATORI OBLATA. 79

FAUSTINI ET MARCELLINI LIBELLUS PRECUM AD IMPERATORES VALENTINIANUM, THEODOSIUM ET ARCADIUM. 81

Præfatio. — De schimate Ursini. *Ibid.*

Incipit Libellus. 83

RESCRIPTUM THEODOSII PRO MARCELLINO ET FAUSTINO. 107

S. DAMASUS PAPA.

PROLEGOMENA. 109

Epistola dedicatoria. *Ibid.*

Monitum lectori. 111

DE SANCTI DAMASI OPUSCULIS ET GESTIS. *Ibid.*

CAPUT PRIMUM. — I. S. Damasi genus et patria. Lector ex puero in basilica S. Laurentii. II. Diaconus Liberium exsulantem sequitur, et cur deinde ad Urbem revertitur. III. Presbyter ordinatus an a Liberio, an potius a Felice; Baronii sententia. IV. Prœmium ad Preces Faustini et Marcellini falsi arguitur, et Damasus vindicatur. V. Quo loco ac pretio sub Liberio reduce ad suam sedem fuerit. *Ibid.*

CAP. II. — I. Damasus eligitur Romanus pontifex, at Ursicinus antipapa a factiosis obtruditur. II. Cœvi scriptores conferuntur, ac vera rerum series inde colligitur et exponitur. III. Prœmium ad Preces Faustini et Marcellini iterum mendacii arguitur. IV. Ursicinus exsulat, restituitur, ac rursus truditur, et quam ob causam. V. Baluzius rejicitur. 118

CAP. III. — I. Valentinianus imperator iteratum Ursini sociorumque schismaticorum exsilium probat, atque unam, quam Ursiniani retinuerant, basilicam Damaso reddi jubet. II. Cædes perpetrata in æde S. Agnetis, quæ per calumniam Damaso crimini data : grave ob eam causam periculum innocenti pontifici creatum; quod explicatur Rufini et Hieronymi testimonio. III. Evagrius Antiochenus pro Damaso adit imperatorem, a quo innocens pronuntiatur, eaque occasione Hieronymus affertur et illustratur. IV. Damasus votum solvit S. Felici, ut videtur, Nolano, aliisque martyribus. 126

CAP. IV.—I. Prima sub Damaso synodus adversus Auxentium, pseudoepiscopum Mediolanensem. II. Cur hoc anno consignetur. III. Quid in ea actum fuerit. Ejus synodica illustretur. IV. De Vincentio Capuano. 129

CAP. V. — I. De Illyricana synodo agitur, quæ Romanam hanc subsecuta est, scriptisque ab illa et Valentiniano imperatore litteris. II. Quæ afferuntur et expenduntur. III. De Zenobio Florentino episcopo. IV. De Valentiniani lege Damaso inscripta et Theodosiano codici inserta; defenditur Baronius. 136

CAP. VI. — I. Revocati ab exsilio Ursiniani, quo conclusi fuerant; suburbicariæ provinciæque; Rufini de suburbicariis ecclesiis sententia. II. S. Basilii Magni ad S. Athanasium et Damasum litteræ hoc anno scriptæ, quæ illustrantur : Anonymus Amstelodamensis refellitur. III. Recensentur causæ aliæ cur idem Basilius ad Damasum scripserit, eaque occasione de Antiocheno Meletium inter et Paulinum dissidio agitur, et de Marcello Ancyrano. IV. Hic ab hæresi vindicatur, ac Basilium postremo meliora edoctum, a præjudicata adversus eumdem Marcellum opinione discessisse probatur. 141

CAP. VII. — I. Dorotheus, diaconus Antiochenus, Romam accedit cum litteris ad Damasum scriptis ab Orientalibus episcopis, ac, rebus confectis, in Orientem redit cum Sabino diacono Mediolanensis Ecclesiæ, qui Damasi nomine litteras affert ad Athanasium atque Orientales. II. Sozomenus cum iis confertur et expenditur. III. Sabinus in Occidentem revertitur cum Basilii litteris ad Damasum et Occidentales, quæ illustrantur, ac suo tempori restituuntur. IV. De l. 3 C. Theod. de Hær. atque ea occasione de Venustianis. Quorum in Prædestinato mentio est. 150

CAP. VIII. — I. Damasus litteras a Sabino allatas ad Basilium remitti curat per Evagrium Antiochenum, atque alia juxta præscriptam Romæ formulam scribi : quo anno Evagrius in Orientem redierit. II. Cur Basilii litteræ Damaso non placuerint, quidve in illis desiderasse videatur? III. Quæ ejusdem Basilii, quæ Eusebii Samosateni de rebus ab Evagrio tunc postulatis sententia fuerit. IV. De Athanasii obitu, Petri Alexandrini electione ejusque ad Urbem fuga. 157

CAP. IX. — I. Basilius cæteriqne Orientales episcopi ad Damasum mittunt Dorotheum, presbyterum Antiochenum, cum litteris, quæ afferuntur et illustrantur. II. Synodus a Damaso coacta, ejusque ad Orientales litteræ post Dorotheum reducem allatæ, quæ illustrantur. III. Hujus synodi annus asseritur. IV. Lex 20 C. Theod. lib. XI, tit. 36, expenditur. V. Simplicius, urbis vicarius, cui lex inscripta. Theophanes explicatur de Sabbatianis agens; libellus Faustini et Marcellini iterum excutitur. 162

CAP. X. — I. De Vitali Apollinarista, ejusque ad Urbem accessu et accedendi causa; de fidei formula ab eo oblata

Damaso, et communione per fraudem extorta, ac de tribus ab eodem Damaso scriptis ea occasione ad Paulinum Antiochenum epistolis agitur. II. Harum postrema inter Catholicas Antiochenos motus excitat, qui referuntur ex Basilio. III. Dorotheus de tertio Romano itinere ob eam causam cogitat, ac eumdem Basilium consulit. IV. Simplicianus, qui deinde Ambrosio successit, Romanæ Ecclesiæ presbyter; Baronius propugnatur. 166

Cap. XI. — I. Dorotheus Romam profectus cum altero Antiocheno presbytero litteras affert ad Damasum a Basilio et Orientalibus scriptas, quæ expenduntur, ac tota Damasum inter et Basilium rei gestæ series exponitur. II. Idem pontifex cum synodo, cui Petrus Alexandrinus aderat, morem gerit Orientalium votis, ac iis rescribit. III. Hac eadem synodo damnati Apollinarius et Timotheus. IV. De Meletii agitata coram Damaso causa, ejusque apud eum pontificem statu, et quid de eo pontifex senserit. Dupinius refellitur. V. Anonymi Amstelodamensis aut mira inconsiderantis aut mala fides. 172

Cap. XII.—I. Hieronymi ad Damasum de tribus hypostasibus epistolæ explicantur. Quænam fuerit recrudescentis hujus litis causa. II. Damasi ad Hieronymum rescriptum. III. Antiqua Hieronymitanæ epistolæ lectio retinetur et asseritur. IV. An Hieronymus Vitalem pro catholico habuerit. V. Petrus, Damasi litteris ad sedem restitutus, Alexandriam redit. 180

Cap. XIII. — I. Gracchus, hoc anno præfectus Urbis, Mithræ speæum destruit, ac quæ Damasi in ea re partes. II. Romanum quodlam concilium, ejusque ad Gratianum quæ exstant litteras ad hunc annum erronee consignari. 186

Cap. XIV. — I. Antiochenum schisma mutua inter partes consensione depositum; Theodoretus notatus. II. Synodus sub Meletio Antiochiæ habita; quid actum in illa definitumque fuerit. Acta ad Damasum missa. III. De hujus synodi tempore, atque anno emortuali S. Basilii. 189

Cap. XV. — I. Lex 2 C. Theod. de Fid. Cath. affertur. II. Acacius Beroæ in Syria episcopus Romam venit, ut vindetur, cum actis Antiochenæ synodi a Meletio legatus. III. Synodus sub Damaso. IV. De Damasi ad Paulinum celebri epistola, eamque ab hac synodo scriptam fuisse probatur. Pneumatomachi quo primum tempore Macedoniani dici cœperint. V. Vigilii papæ locus expenditur quo Ambrosium huic concilio adfuisse conficitur. 194

Cap. XVI. — Agitur de Romani concilii epistola ad Gratianum a Sirmondo edita in appendice Codicis Theodosiani, eaque expenditur, illustratur, atque huic ipsi concilio attribuitur. II. Confertur cum Aquileiensis concilii epistola, ut inde ratio intelligatur cur Romani hujus concilii Patres pro Damaso adversus Ursicinum tunc scripserint; et cur præterea hæc eadem epistola hoc anno scripta censeri debeat, ac tribui Ambrosio. III. Ostenditur Damasum nunquam de adulterio accusatum fuisse: anonymi Amstelodamensis temeritas et inscitia notatur. 202

Cap. XVII.—I. Damasus irritam pronuntiat ordinationem Maximi Cynici, scriptis litteris ad Acholium Thessalonicensem, quæ expenduntur et illustrantur. II. De vicariatu Thessalonicensi. III. An Damasus, mutata deinde sententia, ejusdem Cynici ordinationem cum Italico quodam concilio defenderit. 210

Cap. XVIII. — I. Agitur de Constantinopolitano concilio in iis quæ ad Damasum attinent, ac defensor Gallicanarum propositionum rejicitur. II. Quæritur quid sit *Occidentalium tomus*. III. Aliqua de 3 seu 4 canone, quo Maximi Cynici ordinatio rejecta est. IV. De Flaviani Antiocheni ordinatione, atque iis quæ tunc gesta sunt. 216

Cap. XIX. — I. De Aquileiensi concilio scriptisque ab illo synodicis epistolis; priores duæ, ad Gratianum, recensentur. II. Gratiani rescriptum ad Aquilinum vicarium. Neutonus notatur, et Anonymi Amstelodamensis impudentia castigatur. III. Tertia Aquileiensis ejusdem concilii epistola expenditur et explicatur. IV. Priscillianus Romam venit, ut se purget. Quesnellius et Dupinius refelluntur. 224

Cap. XX. — I. Damasus etiamicorum senatorum de ara Victoriæ restituenda disturbat, scriptis ad Ambrosium litteris. II. Celebre ab se anno elapso convocatum concilium Romæ habet. III. Præcipuæ ejus convocandi causæ. IV. Orientales se excusent, quominus ad illud accederent, eorumque litteræ ex rei tunc gestæ serie expenduntur. V. Cur de Cyrillo Hierosolymitano, cur de Nectarii electione iidem ad Damasum retulerint. VI. Quinam huic concilio adfuerint. Basnagii erronea sententia. 253

Cap. XXI. — I, II. Quid definitum in eo Romano concilio, ac de Constantinopolitani confirmatione. III. De fragmentis deinde agitur ab Holstenio editis. IV. Baronii conjecturæ expenduntur. V. Daduli de eodem concilio testimonium adducitur. 242

Cap. XXII. — I. Libellus precum Faustini et Marcellini in iis quæ ad Damasum pertinent ad examen revocatur. II. An hi duo presbyteri Luciferiani fuerint, an potius Ursiniani. Bassus Urbis præfectus quis et an Christianus. III. De Ephesio Ursinianorum in Urbe pseudoepiscopo, ejusque expulsione. IV. De fabella damnati a Damaso Liberii. V. De Hilario Romano diacono: an ille ad Ecclesiam reversus sit, et an auctor commentariorum quæ inter Ambrosii opera circumferuntur. VI. De Arsenio Romano diacono, Arcadii præceptore ac monacho sanctissimo. 249

Cap. XXIII.—I. Damasi epistola ad Orientales, quo anno, quave occasione scripta sit, ac de Timotheo Apollinarista. II. De symbolo in actis Ephesinæ synodi Nicæno concilio attributo. 234

Cap. XXIV.—Damasi ad Valentinianum pro Symmacho litteræ; de Priscilliano, et Burdigalensi synodo. Hujus pontificis obitus, depositionis locus et elogia. 259

Cap. XXV.—I. Damasi scripta referuntur. Cur Marius Mercator Bonosum ab eo pontifice prædamnatum dixerit; an Bonosiaci Photiniani fuerim, an ejus tantum hæresis suspecti habiti sint. II. Multa Damasus scripsit, quæ periisse constat; ex iis quæ supersunt epigrammata aliquot illustrantur, alia pauca Damaso eidem vindicantur, alia appendicis loco referuntur. III. De Damasi operibus: Basilicæ via Ardeatina ab eo ædificatæ locus, ejusque cœmeterium. De basilica S. Laurentii in Damaso; qua occasione de titulis agitur, ac Anastasii locus in Marcello adducitur et explicatur. 278

DIATRIBÆ DUÆ ILLUSTRANTES GESTA QUÆDAM PONTIFICUM LIBERII ET DAMASI. 281

DIATRIBA PRIMA. — De gestis Liberii exsulis. *Ibid.*

§ I.—Afferuntur coævi scriptores de gestis Liberii exsulis, quos tantum futuros sibi judices proposuit auctor in hac celebri controversia. *Ibid.*

§ II.—Hilarii testimonia late expenduntur, pro constituenda Sirmiensi fide a Liberio suscepta. Nullam in Sirmiensi Urbe haberi potuisse Arianorum synodum anno 349, secus ac nonnulli censent. 284

§ III.—Item Hilarii testimonia expenduntur pro constituenda Sirmiensi fide a Liberio suscepta. 285

§ IV.—Agitur de hæresi Demophili Beroæ in Thracia episcopi, eumque Semiarianum perpetuo fuisse probatur, atque acerrimum Arianorum adversarium: an concilio Ariminensi hic affuerit. 288

§ V.—Quo anno ac mente Sirmiensis blasphemia conscripta et in Gallias missa videri possit? Variæ ea de re sententiæ: Hilarius affertur et explicatur, ejusque testimonio controversia definitur. 290

§ VI.—Rei totius a Liberio gestæ series exponitur, ejusque ad Orientales et ad Ursacium et Valentem litteræ explicantur. Exposita rei tunc gestæ series confirmatur auctoritate Sozomeni, Acacii, aliorumque Constantinopoli congregatorum Arianorum testimonio non antea observato. 297

§ VII.—Quæstio a Tillemontio primum proposita excutitur: An scilicet Liberium ὑποσύναι non reticuerit solum, sed etiam damnaverit. Hilarius et Victorius haud recte a Tillemontio accepti afferuntur et explicantur. 300

§ VIII.—Hilarii exsecrationes ex celebri fragmentorum loco adversus Liberium afferri solitas, nullo loco haberi oportere demonstratur. 307

§ IX.—Liberii in Urbem reditus describitur, et narrantur quæ illum consecuta sunt. Anonymus annotator ad *defensionem propositionum* cleri Gallicani affertur et refellitur. 310

§ X.—Inquiritur quem ergo sese revera Liberius præbuerit, postquam reversus ad sedem est, et concilii Ariminensis tempore. Epistola Athanasii ad episcopos Ægypti illustratur, item Hilarii locus pro Liberio. 313

DIATRIBA II. — An Damasus fuerit aliquando Maximo Cynico adversus Gregorium Nazianzenum; ac de duabus epistolis Italici concilii nomine a Sirmondo editis. *Ibid.*

§ I. Basnagius refellitur. Scriptores afferuntur, tum qui irritam fuisse, nulloque loco ab Orientalibus habitam Maximi Cynici appellationem ad Damasum et Occidentales, tum qui effectu illam non caruisse censent, eumque in Occidentalium communionem receptum. Utraque pars una Italici cujusdam concilii epistola nititur, quæ affertur: qui de ejus veritate dubitaverint. *Ibid.*

§ II. — Rei gestæ series exponitur ab iis excogitata, qui eam epistolam pro sincera habent: quo anno Maximus Cynicus Mediolanum venerit; cuinam præterea concilio adfuerit ut suam tueretur in eo ordinationem. Petri de Marca, Valesii, aliorumque ea de re opinio: hanc erroneam esse evincitur. 325

§ III. — Tillemontii sententia affertur, expenditur ac rejicitur. Afferuntur argumenta ex ipsa eadem epistola, coævisque aliis monumentis petita, ex quibus efficitur

epistolam illam, nec Italici alicujus concilii, nec veram, neque Ambrosii esse potuisse. 329
§ IV. — Agitur de altera Italici concilii nomine a Sirmondo edita epistola : sincera hæc est, atque ab Ambrosio, vel etiam Siricio scripta : quæritur qua occasione ac quo tempore, et ad Capuanum concilium, velut ejus accessio, refertur. Hac occasione de scriptarum a Gregorio Nazianzeno ad Cledonium epistolarum tempore agitur : locus etiam Chrysostomi affertur et explicatur ; ac Paulinus Antiochenus ab obtorta sinistraque postremi operum ejusdem Patris editionis interpretatione vindicatur. 339

S. DAMASI OPUSCULA.

EPISTOLÆ. 347
EPISTOLA PRIMA. — Exemplum synodi habitæ Romæ episcoporum XCIII, ex rescripto imperiali. *Ibid.*
EPIST. II FRAGMENTA. — Expositio fidei in synodo Romana sub Damaso papa edita et transmissa in Orientem. 350
EPIST. III. — Damasi papæ ad Paulinum, episcopum Antiochenæ civitatis. 351
EPIST. IV. — Confessio fidei catholicæ quam papa Damasus misit ad Paulinum. 357
EPIST. V. — Maximi Cynici ordinatione damnata, Damasus Macedones ut in synodo hortatur proxime Constantinopoli celebranda dignus huic civitati præficiatur episcopus, ac majorum adversus episcoporum translationem statuta serventur. 363
EPIST. VI. — Rusticus Gratiani silentiarius commendatur, et confirmatur quod de Maximi ordinatione atque eligendo altero superiori epistola mandatur. 369
EPIST. VII. — Scribit Damasus episcopis Orientem regentibus. *Ibid.*
EPIST. VIII. — Quid apud Hebræos sonet *Hosanna* perspicue sibi explicari petit ab Hieronymo Damasus. 371
EPIST. IX. — Quanta aviditate Hieronymi scripta lectitet : cur non pari studio legat Lactantii libros. Petit ut subjectas quæstiones sibi Hieronymus paucis solvat. *Ibid.*
DE EXPLANATIONE FIDEI. 373

CARMINA.

CARMEN PRIMUM. — In laudem Davidis. 373
CARMEN II. — De Christo. 376
CARMEN III. — De ascensione Domini. 377
CARMEN IV. — De nomine Jesu. *Ibid.*
CARMEN V. — De eodem. 378
CARMEN VI. — De cognomentis Salomonis. *Ibid.*
CARMEN VII. — De S. Paulo apostolo. 379
CARMEN VIII. — De S. Andræa apostolo. 381
CARMEN IX. — In SS. Apostolorum catacumbas. 382
CARMEN X. — De S. Stephano P. et M. 383
CARMEN XI. — De S. Marcello martyre. 384
CARMEN XII. — De S. Eusebio papa. 385
CARMEN XIII. — De S. Marco papa. 386
CARMEN XIV. — De S. Laurentio. 388
CARMEN XV. — De S. Felice. *Ibid.*
CARMEN XVI. — Votum S. Damasi. 390
CARMEN XVII. — De S. Eutychio. 391
CARMEN XVIII. — De S. Tarsicio. 392
CARMEN XIX. — De S. Gorgonio. 393
CARMEN XX. — De S. Saturnino martyre. *Ibid.*
CARMEN XXI. — De S. Mauro. 395
CARMEN XXII. — De incerto Martyre Græco. *Ibid.*
CARMEN XXIII. — De SS. Marcellino et Petro. 396
CARMEN XXIV. — De SS. martyribus Felice et Adaucto. 399
CARMEN XXV. — De SS. martyribus Nereo et Achilleo. *Ibid.*
CARMEN XXVI. — De SS. martyribus Proto et Hyacintho. 400
CARMEN XXVII. — De eodem. *Ibid.*
CARMEN XXVIII. — De SS. martyribus Chrysantho et Daria. 401
CARMEN XXIX. — De S. Agnete martyre. 402
CARMEN XXX. — De S. Agatha martyre. 403
CARMEN XXXI. — Epitaphium Irenæ sororis. 405
CARMEN XXXII. — Epitaphium Projectæ. 406
CARMEN XXXIII. — De sepulcro suo. 407
CARMEN XXXIV. — Epitaphium papæ Damasi, quod sibi edidit ipse. 408
CARMEN XXXV. — De templo S. Laurentii a S. Damaso instaurato. 409
CARMEN XXXVI. — De fontibus Vaticanis. 411
CARMEN XXXVII. — Ad fontes. 414
AD OPERA S. DAMASI APPENDIX ET ADDENDA. 415—423

OPERA APOCRYPHA S. DAMASI.

Monitum lectori. 423
EPISTOLA PRIMA. — Scribit Aurelio Damasus. 423
EPIST. II. — Scribit Damasus Stephano archiepiscopo Mauritaniæ, et universis episcopis Africanæ provinciæ. 424
EPIST. III. — De Chorepiscopis: 431
EPIST. V. — Scribit Hieronymo Damasus. 440
EPIST. VI. — Scribit idem eidem. 441
CATALOGUS ROMANORUM PONTIF. SUB LIBERIO DESCRIPTUS. 441
Proœmium. *Ibid.*
Disquisitio gallice adornata de præcedentis catalogi epocha, auctore et auctoritate. 453

THEODOSIUS MAGNUS ET PACATUS.

PARS PRIMA exhibens Panegyricum Pacati Theodosio dictum in vicem præfationis ad illius imperatoris opera. 471
INTRODUCTIO AD PANEGYRICUM. *Ibid.*
§ I. — Index chronologicus gestorum Theodosii. *Ibid.*
§ II. — De auctore et anno hujus Panegyrici. 476
§ III. — Synopsis Panegyrici. 477
INCIPIT PANEGYRICUS. *Ibid.*
PARS SECUNDA complectens selecta Theodosii de religione decreta. 521
De officio comitis sacrarum largitionum. *Ibid.*
De feriis. 523
De bonis clericorum et monachorum. 525
De postliminio. *Ibid.*
De adulteriis. 526
De raptu vel matrimonio sanctimonialium virginum vel viduarum. 527
De quæstionibus. *Ibid.*
De his qui ad ecclesias confugiunt. 528
De scenicis. *Ibid.*
De fide catholica. 530
De episcopis, ecclesiis et clericis. 531
De monachis. 532
De his qui super religione contendunt. *Ibid.*
De hæreticis. 533
De apostatis. 538
De Judæis, cœlicolis et Samaritanis. 540
De paganis, sacrificiis et templis. *Ibid.*
APPENDIX. — Epistola Constantinopolitani concilii ad Theodosium. 543

SANCTUS VIGILIUS TRIDENTINUS.

PROLEGOMENA. 543
Notitia historica, ex Gallandio. *Ibid.*
EPISTOLÆ DUÆ. 549
EPISTOLA PRIMA. — De martyrio SS. Sisinnii, Martyrii et Alexandri. *Ibid.*
EPIST. II. — De iisdem martyribus. 552

MONUMENTA VETERA AD ARIANORUM DOCTRINAM PERTINENTIA.

Epistola I Constantii ad Athanasium. 557
Epistola II ejusdem ad eumdem. 559
Epistola III ejusdem ad eumdem. *Ibid.*
Epistola I Constantii ad cleros Alexandrinos. *Ibid.*
Epistola II ejusdem ad eosdem. 561
Epistola Constantii ad Nestorium. *Ibid.*
Epistola IV ejusdem ad Athanasium. *Ibid.*
Epistola Constantini junioris ad Alexandrinos. 563
Epistola Ursacii et Valentis ad Athanasium. *Ibid.*
Epistola Constantii ad Eusebium. 564
Epistola Constantii ad synodum Ariminensem. 565
Epistola I Ariminensis synodi ad Constantium. *Ibid.*
Epistola Constantii ad eamdem synodum. 569
Epistola II Ariminensis synodi ad Constantium. *Ibid.*
Epistola episcoporum Italiæ Illyricis de fide Nicæna suscepta gratulantium. 571
Epistola synodi Singedunensis ad Germinium semiarianum. *Ibid.*
Epistola Germinii semiariani adversus Arianos. 573
Constitutio Valentiniani imperatoris ad Damasum papam. 575
Epistola Romani concilii sub Damaso habiti ad Gratianum et Valentinianum. *Ibid.*
Rescriptum Gratiani Augusti ad Aquilinum, vicarium Urbis. 583
Epistola Aquileiensis concilii ad Gratianum. 587
Epistola Maximi imperatoris ad Siricium papam. 589
Epistola Maximi imperatoris ad Valentinianum Augustum. 591
Epistola Valentiniani imperatoris ad Pinianum. 595
SERMONUM ARIANORUM FRAGMENTA ANTIQUISSIMA. *Ibid.*
FRAGMENTUM PRIMUM. *Ibid.*
FRAGM. II. 599
FRAGM. III. 600
FRAGM. IV. 602
FRAGM. V. 607
FRAGM. VI. 608
FRAGM. VII. 611

Fragm. VIII. 613
Fragm. IX. 613
Fragm. X. 614
Fragm. XI. 615
Fragm. XII. 616
Fragm. XIII. 617
Fragm. XIV. 618
Fragm. XV. 619
Fragm. XVI. 621
Fragm. XVII. 622
Primus capitulus fidei catholicæ. 623
Fragm. XVIII. 626
Fragm. XIX. 627
Fragm. XX. 629
Fragm. XXI. 630
SERMONUM ANTIQUORUM RELIQUIÆ. 631
Fragmentum primum. *Ibid.*
Fragm. II. *Ibid.*
Fragm. III. 632
Fragm. IV. 633
Fragm. V. *Ibid.*
Fragm. VI. *Ibid.*
Fragm. VII. 634
Fragm. VIII. *Ibid.*
Fragm. IX. 635
Fragm. X. 636
Fragm. XI. 637
Fragm. XII. *Ibid.*
Fragm. XIII. *Ibid.*
CONTRA ARIANOS FRAGMENTUM. 639
SERMONES DOMINICALES IV. 641
Sermo primus. In Septuagesima. *Ibid.*
Sermo II. In Quadragesima. 645
Sermo III. In Dominica Passionis. 647
Sermo IV. 649
EXPOSITIO FIDEI. 651
BREVIARIUM FIDEI adversus Arianos. 653
DIONYSIUS FILOCALUS ET POLEMEUS SYLVIUS. 671
Præfatio Editoris. 671
Kalendaria. 675
Natales aliquot sanctorum ex factis consularibus excerpti. 687

LUCIFER CALARITANUS.

Epistola dedicatoria. 691
Præfatio. 695
§ I. — In novam Operum Luciferi editionem. *Ibid.*
§ II. — Animadversio theologica in nonnullas Luciferi locutiones. 710
§ III. — Quæstio critica in aliquot Luciferi loca. 719
§ IV. — De tempore quo singuli Luciferi libri scripti sunt. 725
Luciferi vita. 737
Joannis Tilii epistola ad Pium V. 739
Epistola Luciferi, Pancratii et Hilarii ad Eusebium Vercellensem. 763
Epistola Liberii papæ ad Luciferum exsulantem. *Ibid.*
LIBER DE NON CONVENIENDO CUM HÆRETICIS. 763
LIBER DE REGIBUS APOSTATICIS. 795
PRO S. ATHANASIO LIBER PRIMUS. 817
PRO S. ATHANASIO LIBER II. 881
Epistola Florentii ad Luciferum. 935
Epistola Luciferi ad Florentium. *Ibid.*
LIBER DE NON PARCENDO IN DEUM DELINQUENTIBUS. *Ibid.*
LIBER MORIENDUM ESSE PRO FILIO DEI, 1008
Athanasii ad Luciferum epistolæ duæ. 1037
Epistola I. *Ibid.*
Epistola II. 1039
Appendix ad Luciferum. — De professione fidei Luciferi. 1041

S. PACIANUS.

PROLEGOMENA 1031
EPISTOLÆ TRES S. PACIANI AD SYMPRONIANUM NOVATIANUM. *Ibid.*
Epistola prima. — De catholico nomine. *Ibid.*
Epist. II. — De Symproniani litteris. 1038
Epist. III. — Contra tractatus Novatianorum. 1063
EXHORTATORIUS LIBELLUS AD POENITENTIAM. 1081
SERMO DE BAPTISMO. 1089

Q. JULIUS HILARIANUS.

Prolegomena. 1093
LIBELLUS DE MUNDI DURATIONE. 1097
EXPOSITUM DE DIE PASCHÆ ET MENSIS. 1103

S. SIRICIUS PAPA.

PROLEGOMENA. 1113
Vita Siricii papæ. *Ibid.*
Scripta Siricii papæ, variæque illorum editiones. 1118
SIRICII EPISTOLÆ ET DECRETA. 1131
Epistola prima. — De Arianis non rebaptizandis. Ut præter Pascha et Pentecosten baptisma non celebretur. De Apostatis ab Ecclesia separandis. Quod non liceat alterius sponsam in matrimonium sortiri. De his qui pœnitentiam minime servaverunt. De monachis et virginibus debitum non servantibus. De clericis incontinentibus. Quales debeant ad clericatus officium pervenire. De clericorum conversatione. De his qui grandævi ad sacram militiam convertuntur, etc., etc. *Ibid.*
Appendix ad epistolam primam, ex codice Corbeiensi. 1147
Epist. III. — Imperator Maximus catholicæ fidei curam pollicetur. Spondet ut Agricii, quem Siricius ad presbyterii gradum indebite provectum scripserat, causam in synodo examinandam esse. Suum denuo profitetur pro catholica fide studium, ac mittit gesta quibus recens prodita sunt Manichæorum seu Priscillianistarum scelera. *Ibid.*
Epist. II. — Valentinianus imperator Siricii in papam electionem approbat. 1148
Epist. IV. — Ut nullus in Illyrico episcopum sine Anysii consensu ordinet, jubet Siricius. 1143
Monitum in epistolam sequentem. 1149
Epist. V. — Siricius, cum synodo, ubi edisserit quanta episcopis cura esse debeat de Ecclesiæ munditie, præcepta vetera a nonnullis jam neglecta restaurare studens, statuit qualiter ordinandi episcopi, ac ne clericus viduam ducat uxorem, nec ad clerum admittatur qui viduam duxerit, aut qui post remissionem peccatorum cingulum militiæ sæcularis habuerit; ne ex alienæ ecclesia clericum quis ordinet. Item de abjectis non suscipiendis. De recipiendis Novatianis et Montensibus, qui ad Ecclesiam redeant. De continentia sacerdotum ac levitarum. Ut judicium misericordiæ non desit. 1135
Monitum in epistolam sequentem. 1162
Epist. VI.—Siricius diversis episcopis scribens, mandat ut indignus nullus efficiatur episcopus; ut ignotis sacerdotium non detur; ut neophyti vel laici sacerdotes non fiant. 1164
Epist. VII.—Jovinianï ac sociorum perversam doctrinam publice prodit Siricius, ejusque præcipuos auctores nominatim damnatos denuntiat. 1168
Epist. VIII.—Jovinianï ac sociorum errores recensent ac refellunt Ambrosius aliique episcopi, Siricio rescribentes; primo quod meritorum gradus tollant et virginitati æquent conjugium: tum quod Mariæ in partu virginitatem negent; deinde, quod jejuniis adversentur. Postremo, ubi notarunt eorum de Christi nativitate sententiam Manichæis suffragari, Siricii judicio de eorum damnatione subscribunt. 1172
Monitum in epistolam sequentem. *Ibid.*
Epist. IX. Siricius, de Bonoso sententiam rogatus, non vult dicere: sed quos Capuana synodus ei judices delegerat, munere suo defungi jubet. Illum ob errorem de Mariæ filiis merito horrori fuisse confirmat. 1176
Monitum in sequentes canones. 1178
Epist. X.—Canones synodi Romanorum ad Gallos episcopos. 1181

ADDENDA.

Epistola synodica Constantinopolitani concilii ad papam Damasum et Occidentales episcopos. 1195
Decretorum Damaso papæ adscriptorum censura. 1201
Duo carmina a quibusdam insuper Damaso papæ ascripta. 1217
Monitum in sequens Kalendarium. *Ibid.*
Kalendarium antiquissimum Ecclesiæ Carthaginensis. 1219
Dissertatio de sanctitate Siricii papæ. 1229

FINIS INDICIS RERUM.

